220.7
M63
v.11

240.184
M53
v.11

LIBRARY
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.



# THEOLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J. P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

BR60 .T44 1837 v.11
Theologiae cursus completus, extractatibus omnium perfectissimis

PRODROMUS AD THEOLOGIAM MORALEM. — DE CONSCIENTIA. — DE RATIONE HUMANA. — DE ACTIBUS HUMANIS. — DE ULTIMO FINE. — DE PROBABILISMO. DE PECCATIS. — DE PASSIONIBUS. — DE VIRTUTIBUS MORALIBUS ET VITIIS OPPOSITIS.

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1858

Property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews NC28105

# ELENCHUS

## AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR


PATUZZI.

Prodromus ad universam morum theologiam, de locis theologiæ moralis *Col.* 9

BROCARDUS.

De conscientia. 65

LIGUORI.

Morale systema pro delectu opinionum quas licite sectari possumus. 337

PATUZZI.

De ratione humana, quàtenus est regula actionum moralium. 391

BILLUART.

De actibus humanis. 439

IDEM.

De ultimo fine. 599

NATALIS ALEXANDER.

De peccatis. 667

BILLUART.

De passionibus. 1169

PATUZZI.

De virtutibus moralibus, vitiisque oppositis. 1177

GOUSSET.

Probabilismus S. Liguori non omnino fundamento destituitur. 1267

MUZZARELLI.

De regula moralium opinionum pro confessariis. 1285

MANHART.

De ingenua indole probabilismi. 1333

GONZALEZ.

De recto usu opinionum probabilium. 1397

ESTRIX.

Logistica probabilitatum, cum adjuncta difficultatis potissimæ explanatione. 1475

EDITORES.

Appendix. — De probabilismo. 1489

Index rerum.



Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

# PATUZZI VITA.

Joannes Vincentius Patuzzi, Dominicanus celeberrimus, natus Conegliano, 19 julii, anno 1700, ordinis sui vestem induit anno 1717, in congregatione Salomoni, quæ sancti Dominici ordinis inter ramos computatur. Philosophiæ deindeque theologiæ professor Venetis fuit, plurimaque edidit opera : quibusdam ex his nomen Eusebio Eraniste à se adoptatum, aliis nomen Adelfo Dositeo, quo aliquoties utitur, inscripsit. Mortuus est Vicentiæ, die 26 mensis junii, 1769. Auctor fuit sequentium operum : *Vita della venerabile serva di Dio, Rosa Fialetti ; Difesa della doctrina del Angelico dottor santo Tomaso*; *De futuro impiorum statu*, libri tres. *Lettere teologico-morali di Eusebio Eraniste in difesa della storia del probabilismo del P. Daniello Concinna.* Hujus operis, quod mirissimum est, in uno anno tres editiones prodièrunt. *Lettere teologico-morali in continuazione della difesa*, etc. ; *Osservazioni sopra vari punti d'istoria letteraria ; De re sacramentariâ contra perduelles hæreticos*, libri decem, etc., *curâ et studio Renati Hyacinthi Drouin*, editio secunda cum notis et additionibus Joannis Vincentii Patuzzi ; *Lettera enciclica del sommo pontifice Benedetto XIV, divetta all'assemblea generale del clero gallicano illustrata et Difesa da Eusebio Eraniste ; trattato della regola prossima delle azioni umane nella scelta della opinioni.* — Latino sermone conversum fuit hoc opus ; *Breve istruzione sopra la regola prossima, nella scelta delle opinioni ; De indulgentiis et requisitis præsertim ad eas recipiendas dispositionibus ; Esposizioni sulla dottrina cristiana.* Nil aliud est ac opus abbatis Mezengui italico sermone versum impressumque Neapoli, sed in editione P. Patuzzi ita emendatum immutatumque, ut quasi novum opus habendum sit, censuris Romæ non obnoxium. *Lettere ad un ministro di stato sopra le morali dottrine dei moderni casuisti*, etc. *Lettere apologetiche owero Difesa della dottrina di san Tomaso contro le calunnie de suoi accusatori sulla materia del tirannicidio ; De sede inferni in terris quærenda dissertatio ad complementum operis de futuro impiorum statu, distributa in partes tres ; La causa del probabilismo richiamata all' essema da M. Liguori e convinta novellamente di falsita, da Adelfo Dositeo ; Osservazioni teologiche sopra l'apologia di M. D. Alfonso di Liguori contra il libro intitolato : La causa del probabilismo ; Ethica cristiana, sive theologia moralis ex sanctæ Scripturæ fontibus derivata et sancti Thomæ Aquinatis doctrinâ illustrata.* P. Patuzzi inchoatum illud opus confecit P. Petrus Fantini, Dominicanus, ediditque, additis in fronte vitâ auctoris, ejusque operum indice. Laudatissimus meritò scriptor, quòd morum nimis laxorum asseclas acerrimè insectatus fuerit : multis tamen minùs probatus, etiam vitiorum hostibus, quòd nonnunquàm pro tali habuerit, sapientem habenarum laxationem, moderationes prudentiæ charitatique consentaneas, et temperamenta aliquoties exigente proximi amore, saluteque pœnitentium concedenda. Evangelii lex ferrea non est, sed lex misericordiæ simul et justitiæ. Lugendum mirandumque est quòd inter adversarios P. Patuzzi annumeraverit in quos vehementer invectus est, venerandum Liguori, in viis spiritualibus certissimum ducem, continuo experimento edoctum rationes quibus ad resipiscentiam obsequiumque religiosorum officiorum maximè revocari possint peccatores; quemque Roma, dùm scribimus, in sanctorum catalago adscribit.

# PRODROMUS

## *AD UNIVERSAM MORUM THEOLOGIAM*

### DE LOCIS THEOLOGIÆ MORALIS.

Quandoquidem de Locis theologicis multa sapienter, et accuratè disputata sunt à præstantissimis viris, ac præsertim à doctissimo Melchiore Cano in insigni opere suo de hoc argumento (tom. 1 Cursûs Theol.), paucis egò complectar omnia, quæ ad institutum meum proximiùs pertinere possunt, tradendæ scilicet theologiæ, non quidem universim, sed quæ morum duntaxat disciplinam spectat. Quanquàm verò plura sint quæ assignari frequentiùs solent, loca theologica, ex quibus idonea argumenta promuntur ad divinam hanc scientiam tractandam, moresque hominum instituendos; mihi tamen lubet ad duo præcipua contrahere, sacram videlicet Scripturam, ac divinas traditiones, quibus omnis, quæ facta nobis à Deo revelatio est, continetur : quæcumque enim alia afferuntur, de quibus etiam nonnulla dicemus, ad hanc vel certò, vel probabiliter cognoscendam duntaxat inserviunt. De his itaque in hoc præliminari tractatu potissimùm disseremus, usumque indicabimus, qui de his fieri potest, ac debet in morali Theologiâ ; ac primùm de necessitate divinæ revelationis ad hominum mores rectè informandos quædam prænotabimus.

#### CAPUT PRIMUM.

*De necessitate divinæ revelationis in morum theologiâ.*

Præclara S. Thomæ animadversio est, quam tradit in limine Summæ suæ Theologicæ, præter philosophicas disciplinas necessariam fuisse ad humanam salutem aliam scientiam, sive doctrinam, quæ per Dei revelationem haberetur : quam necessitatem duabus, hisque efficacissimis rationibus adstruit atque declarat. Prima est : « quia homo ordinatur ad Deum sicut « ad quemdam finem, qui comprehensionem rationis « excedit. Finem autem oportet esse prægnitum « hominibus, qui suas intentiones et actiones debent « ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad « salutem, quòd ei nota fierent quædam per revela- « tionem divinam, quæ rationem humanam excedunt. » Ex fine ergo, ad quem ordinatur homo, quique comprehensionem humanæ rationis excedit, deducit S. doctor necessitatem revelationis divinæ, quâ et finem ipsum cognoscamus, et media quibus illum assequamur, ea scilicet quæ credenda et agenda proposuit.

Ratio altera quâ S. Thomas ea quoque comprehen-

dit, quæ absolutè per humanam rationem cognosci valent, hæc est : « Ad ea etiam quæ de Deo ratione humanâ investigari possunt, necessarium fuit homini « instrui revelatione divinâ, quia veritas de Deo per « rationem investigata à paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini « proveniret : à cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est. Ut igitur « salus hominibus et convenientiùs et certiùs proveniat, necessarium fuit quòd de divinis per divinam « revelationem instrueretur. Necessarium igitur fuit, « præter philosophicas disciplinas, quæ per rationem « investigantur, sacram doctrinam per revelationem « haberi. » Rationem hanc, determinatè loquens de necessitate ad humanas actiones dirigendas, amplius illustrat sanctus præceptor 1-2, q. 91, art. 4, inquiens : « Necessarium fuit ad directionem humanæ « vitæ habere legem divinam ; quia propter incertitudinem humani judicii præcipuè de rebus contingentibus, et particularibus contingit de actibus humanis « diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam « diversæ et contrariæ leges (sicut etiam diversæ, et « contrariæ hominum opiniones) procedunt. Ut ergo « homo absque ullâ dubitatione scire posset quid ei « sit agendum, et quid vitandum, necessarium fuit ut « in actibus propriis dirigeretur per legem divinitùs « datam, de quâ constat quod non potest errare. » Ecquis profectò est qui veritatem hanc jugi experientiâ firmatam minimè perspiciat? Equidem morum præcepta, quæ à Deo revelata sunt in Scripturis, ac traditionibus, originem plerumque trahunt ab æternâ illâ Dei lege, cujus *lumen signatum est super nos*, ac omnium hominum animis altè impressum. At verò nemo non experitur, quàm densis tenebris offusum fuerit divinum hoc lumen propter originale peccatum, et, quod ex illo consecutum est, ignorantiæ vitium : quàm facilè à veritate aberremus in cognoscendis, et discernendis nedùm præceptis remotioribus, sed et in ipsis quæ sunt proximiora primis principiis actionum moralium, et in horum ad peculiares casus applicatione : quotque modis passiones, præjudicia, consuetudines, pravaque exempla nos seducant, abducantque à recto veritatis tramite quoad obligationes ipsas magis manifestas, adeò ut sæpè justæ atque innocentes videantur actiones, quæ evidenter injustæ sunt, ac certa peccata. Ut omittam aberrationes turpissimas in quas de moribus agentes lapsi sunt sapientiores inter gentiles philosophi, nonne exemplum locupletissimum infirmitatis rationis nostræ, ac tenebrarum in quibus versatur, suppeditant opiniones, aut potiùs opinionum portenta, quæ in ethicam christianam invexerunt moderni casuistæ in rebus ipsis maximi momenti, quarum permultæ jam ab Ecclesiâ damnatæ atque proscriptæ fuêre, aliæ etiam permultæ doctiorum ac piorum hominum judicio damnari atque proscribi merentur? Exemplo hoc sanè terribili quis non convincitur rationem humanam sibi ipsi relictam satis non esse ad ea cognoscenda, nedùm quæ sublimiora fidei dogmata spectant, sed neque quæ ad morum regulas vitamque ad normam divinæ legis transigendam referuntur ; adeòque necessariam fuisse Dei revelationem, quæ mentis humanæ tenebras dissiparet, viamque tutam certò manifestaret, quam inoffenso pede sequeremur, ut *abnegantes impietatem et secularia desideria, sobriè, justè et piè vivamus in hoc seculo ?*

Ex quibus omnibus luculenter infertur discrimen, quod versatur inter cæteras quascumque humanas disciplinas, et sacram doctrinam sive theologiam ; quòd nimirùm in aliis disciplinis primum locum *ratio* teneat, postremum *auctoritas ;* è contra verò in theologiâ sive dogmatum sive morum primum sibi locum vendicet *auctoritas*, postremum humana *ratio ;* quod sapienter illustrat idem sanctus doctor eâdem quæstione, art. 8. ad 2, his verbis : « Argumentari ex auctoritate est « maximè proprium hujus doctrinæ eò quòd principia « hujus doctrinæ per revelationem habeantur. Et sic « oportet, quod credatur auctoritati eorum quibus revelatio facta est. » Subditque appositè : « Nec hoc « derogat dignitati hujus doctrinæ. Nam licet locus ab « auctoritate quæ fundatur super ratione humanâ sit « infirmissimus, locus tamen ab auctoritate quæ fundatur super revelatione divinâ, est efficacissimus. » Quoniam Deus, hujus revelationis auctor, nec falli, nec fallere potest.

At numquid sacra theologia omnem penitùs excludit ac respuit humanam rationem? Nequaquàm, addit ibidem sanctus præceptor : « Quin imò ea necessaria « est ad eruendas conclusiones ex principiis divinæ « revelationis, eâdemque utitur sacrâ doctrinâ non « quidem ad probandum fidem, sed ad manifestandum « aliqua alia quæ traduntur in hâc doctrinâ. Cùm « igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, « oportet quòd naturalis ratio subserviat fidei sicut et « naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. « Unde et Apostolus dicit 2 ad Corinth. 10 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium « Christi.* Et inde est quod etiam auctoritatibus philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem « naturalem veritatem cognoscere potuerunt : sicut « Paulus, Actor. 17, inducit verbum Arati dicens : « *Sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt : genus « Dei sumus.* Sed tamen sacra doctrina hujuscemodi « auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis et « probabilibus, auctoritatibus autem canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando ; « auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ « quasi arguendo ex propriis, sed probabilibus. » Hæc ille disertissimè. Non igitur humana ratio in hâc sacrâ doctrinâ judex esse potest vel arbitra divinæ legis, sed tantummodò discipula ac pedissequa ; cujus non est coarctare Dominum ad suam voluntatem, nec excipere quidquam à generalitate præcepti ipsius, sed eidem unicè subservire, ejusque submissè obsequi voluntati, ac obtemperare præceptis.

Ex his porrò colligere debemus quàm longè à rectâ viâ tractandæ theologiæ moralis aberrent casuistæ plurimi, qui in operibus suis quæ ad mores hominum informandos evulgant, vix aut ne vix quidem de reve-

latione divinâ, unde principia morumque regulæ petendæ sunt, cogitant aut mentionem faciunt, sed omnia quæ docent, à naturali ratione infirma ac per peccatum corrupta depromunt, ejusque dictatis casus omnes conscientiæ vel maximè discutiunt ac dirimunt. Quid de hisce senserit sapientissimus Cano, lib. 9 de Locis theologicis, cap. 1, audiamus : « Qui theologiæ dog-« mata humanis metiuntur argumentis, nec eis quæ à « ratione ducuntur, volunt præponderare auctoritatem, « hi primùm omnem vim theologiæ et gravitatem amit-« tunt; deinde faciunt, ut theologia, detractâ aucto-« ritate, non solùm contemnatur, sed nec theologia « quidem sit. Nam si vera et legitima theologia est, à « fide descendat oportet, ubi hujus facultatis propria « principia resident. Fides autem tota Scripturarum « et Ecclesiæ auctoritate continetur. Quamobrem satis « exploratum habere possumus, quàm malè valeant « ii de re theologicâ aut scribere aut disputare, qui « sacros libros, apostolorum traditiones, conciliorum « dogmata, juris pontificii decreta, sanctorum veterum « doctrinam vel rejiciunt vel ignorant. Itaque hoc qui-« dem opinantium genus pellatur è medio : est enim « totum improbabile et impium, qui opinantur aptiora « theologo ea argumenta esse quæ ex ratione, quàm « ea quæ ex auctoritate ducuntur. » Et rursùs materiam eamdem versans, lib. 8, cap. 1 : « Tales, inquit « auctores sunt adscriptitii theologi qui quæstiones « theologicas frivolis argumentis absolvunt, et cùm in « his sanctorum Bibliorum testimonia rarissima sint, « conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis « oleat, nihil ne ex gravi philosophiâ quidem, sed « ferè ex puerilibus disciplinis, *scholastici* tamen, si « superis placet, *theologi* vocantur : nec scholastici « sunt, nec theologi, qui sophismatum fæces in scholam « inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et deli-« catiores ad contemptum... quos ego probare nec « debeo nec possum. » Quis autem humanæ rationis usus legitimus fieri oporteat in theologiâ, clariùs infra demonstrabitur.

Illud interim animadvertendum est, quod jam ex iis, quæ diximus, liquidò constat; Dei scilicet revelationem nobis innotescere tum ex libris canonicis sacræ Scripturæ, tum ex divinis traditionibus quæ à Christo Domino et sancto Spiritu per Apostolos eorumque successores transmissa ad nos pervenêre. Neque enim alia publica revelatio à Deo facta Ecclesiæ est, aut fiet ad usque seculi consummationem. Et in his tantùm, tanquàm in purissimis fontibus, continentur omnia, sive quæ à nobis credenda sunt, sive quæ agenda, ut finem assequamur æternæ beatitudinis. Utraque proinde sive dogmata sint, sive regulæ agendi, sunt veluti partes divinæ revelationis, eademque divinâ auctoritate potiuntur, adeòque non minori reverentiâ ac submissione excipienda sunt, quæ in Scripturâ ac traditione præscribuntur pro directione morum et actionum nostrarum, quàm mysteria aut dogmata fidei ad credendum proposita. De his ergo intemeratis fontibus theologiæ moralis quædam dicamus; primùmque de sacrâ Scripturâ.

## CAPUT II.

### *De primo ac principe moralis theologiæ loco, sacrâ videlicet Scripturâ.*

Sacra Scriptura, quatenùs à traditione distinguitur, definiri potest verbum Dei scriptum : sive, ut cum Ecclesiæ Patribus loquar, epistola à Deo hominibus missa, quâ ipsis et secreta sua revelare dignatus est, et viam rectam ostendere, quâ ad æternam felicitatem in clarâ suî visione positam pervenirent. « De illâ civi-« tate, inquit S. Augustinus in Ps. 90, unde peregri-« namur, litteræ nobis venerunt, quæ nos hortantur ut « benè vivamus; ipsæ sunt Scripturæ. » Eodem modo loquitur S. Joannes Chrysostomus, hom. in Epist. ad Thessal. : « Non creditis quia quæ dicuntur, à Deo « sint? Epistolæ illæ sunt Dei; » et fusiùs hom. 2 in Genes. : « Humani generis Conditor ab initio per se « ipsum hominibus loquebatur, quemadmodùm homi-« nes audire possibile est..... At ubi in magnam mali-« tiam omnis hominum natura delapsa est, neque se « totum ab humano genere avertit Opifex universi. « Sed quia suâ familiaritate indigni fuerant, suam erga « illos amicitiam renovare volens, *quasi longè absentibus* « *litteras mittit*. conciliaturus sibi humanum genus. » Eadem habet S. Gregorius Magnus, lib. 4, epist. 84. Atque hinc etiam vocatur *Scriptura divina*, quòd à Deo scripta aut dictata fuerit, vel *immediatè* per se ipsum, sicut fecit cum Moyse in Testamento veteri, ut legitur Exod. cap. 31 : *Dedit Dominus Moysi, completis hujusmodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei;* et in novo per Filium suum Unigenitum, qui est Sapientia Patris : vel *mediatè*, ut in novo fœdere, sive mediantibus sanctis viris ac prophetis, quos Spiritu suo impleverat. *Non enim*, ut ait Apostolus Petrus, 2, cap. 1, *voluntate humanâ allata est aliquando prophetia; sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Solet etiam antonomasticè appellari *Biblia*, quæ græca vox est ac significat *libros*, quòd Scriptura sit liber inter cæteros omnes præcipuus; et *Testamentum* Dei, quod per ipsum sempiternam nobis hæreditatem repromittat.

Libri qui divinam hanc Scripturam continent, septuaginta duo recensentur; ex quibus quadraginta quinque *vetus Testamentum* conficiunt; quorum alii sunt *historici*, alii *legales*, alii *sapientiales*, alii demùm *prophetales;* cæteri viginti septem *novum Testamentum* complent. Qui omnes enumerantur atque probantur tanquàm canonici à sacrosanctâ synodo Tridentinâ, sess. 4, in decreto de canonicis Scripturis, iique continentur in editione Vulgatâ, quam authenticam declaravit his verbis : « Sacrosancta synodus considerans, « non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ, si ex « omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sa-« crorum librorum, quænam pro authenticâ habenda « sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus, « et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in « ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, « disputationibus, prædicationibus et expositionibus « pro authenticâ habeatur; et ut nemo illam rejicere « quovis prætextu audeat, vel præsumat. » Prohibet-

que subinde : « Ut nemo suæ prudentiæ innixus in « rebus Fidei et morum ad ædificationem doctrinæ « Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos « sensus contorquens, et contra eum sensum quem te- « nuit, ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judi- « care de vero sensu et interpretatione Scripturarum « sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum « Patrum, ipsam Scripturam sanctam interpretari au- « deat. » Cùm multiplex sensus sit, in quo intelligi possunt sanctæ Scripturæ verba atque sententiæ, prima eaque præcipua divisio illa est, quam probant theologi cum S. Thomâ, in sensum scilicet litteralem et spiritualem. Sancti præceptoris doctrinam, quam habet 1 p., q. 1, art. 10, ad utriusque sensus explicationem placet hìc exscribere. Itaque respondens ad quæstionem quam sibi proposuerat : « Utrum sacra Scriptura « sub unâ litterâ habeat plures sensus? » Hæc habet : « Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate « est ut non solùm voces ad significandum accommo- « det (quod etiam homo facere potest), sed etiam res « ipsas. Et ideò cùm in omnibus scientiis voces signi- « ficent hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ « res significatæ per voces, etiam significent aliquid. « Illa ergo prima significatio, quâ voces significant « res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus hi- « storicus vel litteralis; illa verò significatio, quâ res « significatæ per voces, iterùm res alias significant, « dicitur sensus spiritualis, qui super litteram funda- « tur, et eum supponit. »

Sensus litteralis dividitur in grammaticalem, quem verba ipsa materialiter sumpta efferunt, et iste falsus quandoque esse potest juxta illud : littera occidit; et theologicum, quem scilicet theologi considerant, utpote per voces reapse significatum solumque intentum à Spiritu sancto. Qui rursùs duplex est : proprius videlicet, et improprius, sive metaphoricus aut tropicus. Proprius est ille quem ipsa verba pressè accepta exprimunt, ut : *In principio creavit Deus cœlum et terram... Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Illa quippe verba propriè significant mundum à Deo, et non ab aliquo alio ex nihilo factum esse; hæc autem præceptum exhibent non solùm colendi Deum, sed et ipsum diligendi. Sensus improprius, sive etiam tropicus, ille dicitur cujus verba à propriâ ad impropriam significationem transferuntur, ut est in metaphoricis aut aliis figuratis locutionibus; v. g. : *Plantaverat Deus paradisum voluptatis;* quod propriè litteraliter significat hortum deliciis omnibus affluentem, qui futurus esset habitatio Adami innocentis. *Oves meæ vocem meam audiunt;* per *oves* namque denotantur fideles, qui audiunt vocem Christi; aliaque hujusmodi.

Pergit deinde S. Thomas, atque explicat eodem loco sensum alium Scripturæ, quem spiritualem vocat, aitque : « Sensus spiritualis trifariàm dividitur. Sicut « enim dicit Apostolus ad Hebr. 7. : *Lex vetus figura* « *est novæ legis*; et ipsa nova lex, ut dicit Dionysius, « est figura futuræ gloriæ; in novâ etiam lege ea quæ « in capite sunt gesta sunt signa eorum quæ nos agere « debemus. Secundùm ergo quòd ea quæ sunt veteris « legis, significant ea quæ sunt novæ legis, est sensus « allegoricus : secundùm verò quòd ea quæ in Christo « sunt facta, vel in iis quæ Christum significant, sunt « signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus mo- « ralis : prout verò significant ea quæ sunt in æternâ « gloriâ, est sensus anagogicus. Quia verò sensus lit- « teralis est quem auctor intendit, auctor autem sacræ « Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu « comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augu- « stinus, 12 Confes., si etiam secundùm litteralem « sensum in unâ litterâ Scripturæ plures sint sensus. » Hæc S. Thomas. Porrò recensiti omnes sensus duobus sequentibus versiculis comprehendi solent :

*Littera gesta docet : quod credas, allegoria :*
*Moralis quid agas : quò tendas, anagogia.*

Concors theologorum omnium cum eodem S. Thomâ sententia est, sensum tantummodò litteralem, qui à Spiritu sancto intentus est, regulam esse tum fidei, tum morum nostrorum, et ex eo duntaxat desumi argumenta idonea atque certa pro adstruendis iis, sive quæ à nobis credenda sunt, sive quæ agenda. Unde quæ ad alios sensus enumeratos pertinent, vim et efficaciam aliquid certò probandi non habent, nisi quatenùs sensum litteralem interdùm continent, qui vel ex aliis Scripturarum locis innotescat, vel ex Ecclesiæ traditione aut infallibili judicio. « Omnes sensus, inquit « sanctus doctor in Resp. ad 1, fundantur super unum, « scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumen- « tum, non autem ex iis quæ secundùm allegoriam di- « cuntur, ut dicit Augustinus contra Vincentium Do- « natistam. Nec tamen ex hoc aliquid deperit sacræ « Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur « fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem « sensum alicubi manifestè non tradat. » Sic etiam ad 2, cuidam objectioni ex quibusdam verbis Augustini depromptæ respondens idem sanctus doctor : « Tria « illa, inquit, historia, ætiologia, analogia, ad unum « litteralem sensum pertinent. Nam historia est, ut « ipse Augustinus exponit, cùm simpliciter aliquid pro- « ponitur; ætiologia verò, cùm causa dicti assignatur, « sicut cùm Dominus assignavit causam quare Moyses « permisit licentiam repudiandi uxorem, scilicet *propter* « *duritiem cordis ipsorum*, Matth. 19; analogia verò, « cùm veritas unius Scripturæ ostenditur veritati alte- « rius Scripturæ non repugnare. »

Pro rectâ intelligentiâ sensûs litteralis Scripturarum hæc animadvertenda traduntur. Primò, quotiescumque Scripturæ verba absque ullo incommodo in sensu proprio, ut sonant, accipi possunt, ita accipienda sunt; neque ad sensum improprium, sive ad metaphoras, sive ad figuratas alias locutiones detorquenda, nisi ex iisdem verbis proprio in sensu intellectis absurdus aliquis sensus consequatur, aut quidpiam fidei vel morum doctrinæ repugnans. Ita inter alios docet S. Augustinus, lib. 5 de Doctr. christ., et lib. 3 de catechiz. Rudib. Secundò, si locus aliquis Scripturæ paulò obscurior occurrat, et alibi clarioribus verbis proponatur, id quod ex locis ad marginem adnotatis facilè perspici valet, ad hæc loca confugere oportet,

ut textus obscurus aut ambiguus per clariorem explicetur. Tertiò, in legendis Scripturis debet diligenter attendi quænam mens fuerit aut scopus quem sibi in eo loco præfixit scriptor canonicus; nam ex scopo et intentione, sive etiam ex circumstantiis scribentis plerùmque colligitur quid ille senserit. Quartò, conferenda sunt antecedentia et consequentia cum loco cujus sensus inquiritur, et qui varias interpretationes subire valet, ut ex hâc collatione totâ, si fieri potest, in ejus intelligentiâ removeatur difficultas. Demùm, plurimùm etiam proderit ad legitimos Scripturarum sensus intelligendos callere idiotismos Hebraicos et Græcos qui sæpius in vulgatâ editione occurrunt. Ex eorum quippe cognitione genuinus verborum sensus frequenter eruitur. Atque his præmissis, ad regulas nonnullas assignandas accedo, necessarias, aut admodùm utiles ad usum divinæ Scripturæ in rebus moralibus quibus etiam quæ mox indicavimus, ampliùs manifesta fient.

## CAPUT III.

### *Quædam regulæ traduntur pro necessitate usuque sacrarum Scripturarum in rebus moralibus.*

Regula prima. — Illud inprimis persuasum debet esse omnibus quidem, sed præcipuè theologis, Scripturam sacram nedùm nos edocere mysteria aut dogmata fidei, sed ea etiam quæ ad mores nostros informandos, officia quæ Deo debemus et proximis obeunda, rectamque salutis viam capessendam, utilia ac necessaria sunt. Hoc disertissimis verbis testatur apostolus Paulus in Ep. 2 ad Timoth. cap. 3, scribens: « Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum et erudiendum, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus. » Quæ verba eleganter exponit in hujus loci commentario S. Thomas, ad quod lectorem remitto.

Sed et hoc peculiare habet doctrina morum, quæ in sacrâ Scripturâ traditur supra dogmata et mysteria fidei, quòd satis pervia sit homini recto et simplici corde, atque ad intelligendum facilior, quemadmodùm observatum est à S. Augustino, lib. 2 de Doctr. christ. cap. 9, et à S. Joanne Chrysostomo, hom. 3 de Lazaro: « Cui enim, inquit iste, non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos esse misericordes, beatos mundo corde, cæteraque hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? »

Regula II.—Culpæ reus existimandus est qui singulari Dei beneficio per divinas Scripturas hominibus collato in moribus suis dirigendis non utitur. Hæc culpa, quæ ab omnibus Christianis, maximèque à morum magistris attentè perpendenda foret, egregiè declaratur à mox laudato S. Joanne Chrysostomo, hom. 1 in cap. 1 Matth., ubi hæc habet: « Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum (sacrarum), sed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratiâ Spiritûs sancti uteremur, et sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu. Quia verò hanc à nobis excussimus gratiam, age vel ad secundam navigationem animos adjicimus. Equidem quòd primum illud fuerit profectò sublimius, et ex verbis suis Deus et ex operibus ostendit. Nam et Noe, et Abrahæ ejusque posteris, et Job, et Moysi non per litteras, sed per semetipsum locutus est, quia scilicet munda eorum corda repererat. Postquàm verò omnis populus in vitiorum ima delapsus est, necessariò jam inde litteræ dantur; et hoc non tantùm veteris Testamenti sanctis, sed etiam novi accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquod tradidit Christus, sed pro litteris sancti Spiritûs se daturum gratiam repromisit. *Ille*, inquit, *docebit vos omnia*. Atque ut discas, quia hoc multò sit illo melius, audi Dominum per Prophetam loquentem: *Et disponam*, inquit, *vobis testamentum novum. Dabo leges meas in mente eorum, et in corde eorum perscribam eas: et erunt omnes docibiles Dei.* Paulus quoque hanc eminentiam designando dicebat se accepisse legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quia verò, progrediente jam tempore, alii quidem propter dogmata, alii propter vitam et dogmata graviter impegerunt, eâ rursùs quæ constat litteris, admonitione fuit opus. Jam verò considera quàm sit extremæ omninò dementiæ, ut qui tantâ deberemus vitæ perfectione pollere, ut nihil prorsùs litteris egeremus, sed scribenda Spiritui sancto corda pro paginis præberemus; quale, inquam, est, si, quia illam perdidimus dignitatem et minoribus indigemus, ne secundo quidem remedio ad nostram utamur salutem. Si enim illis egere, et non gratiâ Spiritûs sancti splendere culpabile est, vide quanti sit criminis nec per illud auxilium velle proficere, sed quasi frustra ac vanè posita cœlestia scripta despicere, et majus absque dubio subire supplicium. » Hactenùs eloquentissimus Pater, cujus præsertim postrema verba utinam seriò ponderarent Christiani omnes, maximèque plures qui divinis Scripturis, quæ pro secundo et postremo remediò ad errores vitandos et agnoscendam veritatis viam nobis à divinâ benignitate tributæ sunt, prorsùs neglectis, totum vitæ suæ tempus impendunt in legendis libris aut inutilibus, aut etiam noxiis! Vide quanti sit criminis ejusmodi Scripturarum neglectus, clamat Chrysostomus.

Regula III. — Præ cæteris Christianis sacerdotes ad hauriendam divinæ legis notitiam sacras litteras legere atque scrutari tenentur. Legem hanc legendæ sacræ Scripturæ Spiritum sanctum imposuisse satis apertè liquet, dùm per apostolum Paulum in charissimo Timotheo sacerdotes omnes ad ecclesiasticum ministerium informavit: *Dùm venio*, ait, *attende lectioni, et exhortationi, et doctrinæ*. Sed clariùs id expressit concilium Toletanum IV, cujus verba ita referuntur in Decret. distinct. 38, cap. 1: « Ignorantia, mater cunctorum vitiorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus apostolus... Sciant igitur

« sacerdotes Scripturas sanctas et canones, et omne « opus eorum in prædicatione et doctrinâ consistat. »

Profectò absque sacris litteris nulli hierarchici muneris obligationes persolvere sacerdotes ac potissimùm sacri pastores valent, nec populos sibi commissos purgare, illuminare atque perficere. Legant igitur divinam Scripturam, quam S. Ambrosius *Librum sacerdotalem* graviter appellat. Cùm enim Deus loquatur in Scripturis, nihil iis melius ad discendum docendumque excogitari potest. « Quidquid homo, scribit « S. Augustinus, lib. 2 de Doctr. christ. c. 42, extra « Scripturam didicerit, si noxium est, ibi damnatur; « et cùm ibi damnatur, et cùm ibi quisque invenerit « omnia quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs « ibi inveniet ea quæ nunquàm omninò alibi, sed in « illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitu- « dine et mirabili humilitate discuntur. »

Regula IV. — Cùm omnibus sacerdotibus necessaria sit Scripturarum scientia studiumque, potissimùm tamen necessaria est magistris christianæ theologiæ moralis, confessariis et animarum directoribus. Hoc primum colligendum est ex doctrinâ S. Thomæ, qui 1 p., q. 1, art. 8, generatim definit : « Argumentari ex « auctoritate est maximè proprium hujus doctrinæ, « nempe Theologicæ, eò quòd principia hujus doctri- « næ per revelationem habentur... Aliis auctoritatibus « utitur, quasi extraneis argumentis. Auctoritatibus « autem canonicæ Scripturæ utitur propriè ex neces- « sitate argumentando... Innititur enim fides nostra « revelationi Apostolis et Prophetis factæ qui canoni- « cos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ « fuit aliis doctoribus facta. » Unde dicit Augustinus in Epist. ad Hieronymum : « Solis eis Scripturarum « libris qui *Canonici* appellantur, didici hunc timorem « honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in « scribendo errare aliquid firmissimè credam. Alios « autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque « præpolleant, non ideò verum putem quòd illi ita « senserunt vel scripserunt, etc. » Solùm ergo ex sacris libris morum magistri cæterique haurire argumenta possunt pro conscientiis dirigendis quæ certa penitùs ac firma sint, adeòque eos potissimùm legere ac pervolvere debent. Idem S. doctor, Opusc. 65, eamdem necessitatem medicorum corporis exemplo ac paritate declarans ait : « Si videmus medicos cor- « porum revolvere quotidiè et legere libros ad artem « suam pertinentes, magna stultitia est non legere li- « bros sanctorum medicinales animarum, in qui- « bus docemur curare animas in æternum victu- « ras. »

Vehementiore stylo eamdem obligationem inculcat alter Ecclesiæ doctor S. Bonaventura, in Prol. sui Confess., hæc scribens : « Cùm secundùm B. Grego- « rium sit ars artium regimen animarum, et occultiora « sint vulnera cogitationum quàm viscerum, horren- « dum profectò est videre quosdam sacerdotes nostri « temporis, qui sacram Scripturam, in quâ præfati re- « giminis ars sufficientissimè traditur, etc., vel per « torporem legere negligunt, vel per ignorantiam ne- « sciunt. Et tamen cordis medicos in audiendis con « fessionibus se profiteri impudenter non metuunt. » Nonne idem potiori titulo scripsisset sanctus doctor de pluribus etiam confessariis et animarum rectoribus nostri temporis, qui vel Tamburinum vel Sporerium, vel Escobarium, vel Busembaum legisse contenti, sibi munus regendi animas incautè assumunt, *angelicis etiam humeris formidandum?*

Itaque ut quæ dicta sunt in quatuor istis regulis, paucis complectar, doctrina Dei, quæ in sacris Scripturis ad mores hominum rectè instituendos continetur, necessaria animæ est, quemadmodùm cibus et potus necessarius est corpori. Verùm, sicut parvuli non propriâ manu, sed alienâ alimenta sumunt, ita Scripturæ sanctæ rudes et idiotæ qui vel legere sæpè nesciunt, proprio studio intelligentiam assequi minimè possunt; adeòque doctorum, parochorum aliorumque ministrorum operâ indigent quâ sacra ipsis doctrina communicetur. Proinde magistri morum, conscientiarum arbitri cæterique potissimùm tenentur investigare scrutarique Scripturas, quibus et seipsos et alios certò dirigant in viam salutis.

Regula V. — Episcopi sedulam navare operam debent, ut ea quæ in concilio Tridentino circa lectionem Scripturarum salubriter constituta sunt executioni demandentur. Tridentina synodus, sess. 5, can. 1 de Reformat., decretum edidit quo plura statuit admodùm utilia ad promovendam in populo christiano lectionem Scripturæ sacræ; quæ ego, ne sim prolixior, hìc perstringam : « Sacrosancta synodus, inquìt, piis sum- « morum pontificum et probatorum conciliorum con- « stitutionibus inhærens, easque amplectens, et illis « adjiciens, ne cœlestis ille sacrorum librorum the- « saurus, quem Spiritus sanctus summâ liberalitate « hominibus tradidit, neglectus jaceat; statuit et de- « crevit quòd in illis Ecclesiis, in quibus præbendæ... « stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputa- « tum reperitur, episcopi, etc., eos qui præbendam « aut præstimonium obtinent ad ipsius sacræ Scriptu- « ræ expositionem et interpretationem per se ipsos, « si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, « etc., etiam per subtractionem fructuum cogant et « compellant. »

Urget deinde omnes episcopos, ut in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus, ac etiam in collegiatis saltem insignioribus præbendam, ubi non est designata, instituant ad eum usum exponendi sacram Scripturam, aliaque decernit ad eumdem finem valdè opportuna quæ huc recidunt, ut nimirùm, in monasteriis monachorum et in conventibus regularium, in academiis, in universalibus cathedræ interpretandæ Scripturæ sacræ erigantur, ejusdemque studium excolatur summâ cum diligentiâ. Episcopos tanquàm sedis apostolicæ delegatos monet, ut hoc in negotio exequendo vigilantes sint, eosque ad hoc munus promoveant qui sunt digniores ac doctiores; ex quibus apertè constat, concilio Tridentino cordi magnoperè fuisse scientiam studiumque litterarum sacrarum, quantùmque episcopi incumbere debeant, ut in suis diœcesibus semper vi-

geat ad animarum salutem, quæ eorumdem curæ et pastorali zelo concreditæ sunt.

Regula VI. — Quanquàm nullus Scripturæ sacræ liber sit qui superfluus censeri debeat, et quæcumque in illâ scripta sunt, *ad nostram doctrinam scripta sunt*, ut ait Apostolus ad Romanos; aliquorum tamen frequens lectio et accuratior magis prodesse potest ad mores hominum componendos. Et ex iis quidem qui vetus Testamentum conflant, magnam possunt utilitatem afferre libri Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastes, Sapientiæ, Ecclesiastici, qui *Sapientiales* vocantur, quòd veram homines sapientiam doceant; itemque Prophetarum majorum minorumque. In iis namque per multa reperire est documenta et instructiones pro iis addiscendis quæ Deo debemus, amorem scilicet, timorem, cultum ac venerationem, tum quæ spectant officia quæ erga nos ac proximos nostros exercere tenemur. Alii libri historici plurima exempla suppeditant actionum virorum sanctorum, quas imitari oportet; sicut etiam malorum, quas sacræ Litteræ redarguunt ac damnant, adeòque pro virili devitare. Sed fructus longè amplior percipietur ex libris novi Testamenti, qui propterea attentiori studio ac diligentiâ legendi à nobis sunt. Atque inprimis præ cæteris sunt habenda præ manibus Evangelia, in quibus ipsa Sapientia Patris Christus Dominus factus homo, ut viam nos doceret justitiæ et sanctitatis, locutus est; ac nobis quidem in his divinis libris revelavit mysteria illa fidei quæ in veteri lege adumbrata tantùm erant, sed potissimùm rectam mandatorum suorum semitam ostendit, legis naturæ præcepta luculentiùs manifestavit, et à falsis Judæorum traditionibus vindicavit, virtutes, quas sequeremur, perfecit, evexitque ad statum sublimiorem, ac vitia occultiora, quæ vitaremus, plenâ in luce collocavit, adeò ut verissimè scripserit S. Ambrosius, quòd « Evangelium non solùm fidei « doctrina, sed etiam morum est magisterium. » Quin imò sapienter advertit S. Joannes Chrysostomus, hom. 12 in Matth., quòd « Christus Dominus rariùs « de dogmatibus disseruit; sæpiùs, imò verò ubique « et semper de vivendi sinceritate; » rationemque hujus reddit : « Nullo enim ad illud labore opus est. « Hoc, quoniam impugnatur quotidiè, idcircò con- « tinuis laboribus indiget, » præceptisque, ne propriis appetitionibus decepti et excæcati, homines purissimas morum regulas aut ignorarent aut non adverterent.

Non minori attentione ac studio legendæ sunt Epistolæ S. Pauli aliorumque Apostolorum, in quibus doctrinæ à Christo traditæ expressæ fuerunt, atque ampliùs expositæ; cùmque illæ directæ fuerint ad episcopos, pastores, milites, judices, mercatores, ad populum denique omnem doctum et indoctum, exhibent regulas salutares pro omnium vitâ rectè et ad normam Evangelii transigendâ, ac ad ea quævis præcavenda quibus hominum salus æterna periclitatur. In ipso libro Apocalypsis, qui innumera continet eaque altissima mysteria, utilissimæ non desunt instructiones, ne quisquam sibi blandiatur aut illudat in viâ salutis sectandâ; ut illa inter alias, quæ ad episcopum Laodiceæ scripta est.

Regula VII. — In legendis libris veteris Testamenti, ac præsertim legalibus, qui habentur in Pentateucho Moysis, cautione opus est quâ distinguamus ea quæ nunc quoque obligant, ab iis quæ jam obligare cessârunt, licet in antiquâ lege sub præcepto caderent. Cùm enim tria sint præceptorum genera in illâ proposita, alia scilicet cæremonialia, alia judicialia, alia demùm moralia; cæremonialia, quibus cultus erga Deum in illâ lege dirigebatur, abrogata jam sunt, siquidem præfigurabant Christum venturum, et ea quæ ad mysteria Christianæ religionis pertinent, quæ jam impleta sunt in adventu Christi. Unde nedùm minimè modò obligant, verùm etiam nefas est ad usum revocare; judicialia quibus dirigebantur Judæi erga alios homines, nunc quidem non obligant, quoad determinationes particulares in libris Moysis expressas, sed tamen absque peccato aliqua eorum ad usum assumi possent, ut in loco dicetur. Solùm itaque præcepta moralia, quæ legem ab Auctore naturæ nobis inditam continent et explanant, atque in Decalogo comprehenduntur, vim et efficaciam obtinent obligandi omnes. Verùm ista sumenda non sunt in eâ limitatione quâ sunt in Exodo descripta, nec juxta falsam scribarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem, sed exponenda atque intelligenda cum eâ amplitudine quâ illa intellexerunt et Moyses ipse et alii canonici scriptores, maximèque juxta illam interpretationem quâ exposita sunt à Christo Domino in Evangelio et à sanctis Apostolis.

Regula VIII. — In legendis sacris Scripturis hâc methodo utendum est, à S. Augustino præscriptâ lib. 2 de Doct. christ. cap. 2, ut nimirùm à manifestis textibus ad difficiles intelligendos pergamus, et posteriores per priores explicemus : « Quæ in Scripturâ « posita sunt, inquit, præcepta vivendi, vel regula « credendi, solertiùs diligentiùsque investiganda sunt. « In iis enim quæ apertè in Scripturâ posita sunt, in- « veniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque « vivendi, spem scilicet et charitatem. Tum in ea, « quæ obscura sunt, adaperienda et discutienda per- « gendum est, ut ad obscuriores locutiones illustran- « das de manifestioribus sumantur exempla, et quæ- « dam certarum sententiarum testimonia dubitationem « de incertis auferant. » Methodus ista facilis est atque utilis præcipuè pro explicandis quibusdam veteris Testamenti locis paulò obscurioribus et implicatis. Nam sententiæ quæ prostant in libris Testamenti novi plerumque adeò claræ sunt et apertæ, ut simplici lectione satis intelligantur, nisi impediant præjudicia turbidæque animi affectiones.

Regula IX. — Si quæ aliquando non satis pervia aut perspicua occurrunt in Scripturis legendis testimonia, legitimus eorum sensus exemplis sanctorum virorum qui in iisdem commendantur, explicandus et determinandus est. Hæc quoque regula traditur à S. Augustino, lib. de Mendacio, ita dicente : « Divinæ Scri- « pturæ non solùm præcepta Dei continent, sed etiam

« vitam moresque justorum, ut si fortè occultum est « quemadmodùm accipiendum sit quod præcipitur, in « factis justorum intelligatur. » Nullus sanè sanctorum est in divinis litteris, qui viam salutis arduam et angustam non calcaverit, qui sibi vim non intulerit in subigendis pravis affectionibus, qui plurimarum virtutum præclara exempla non præbuerit; idemque cernere est in sanctis omnibus, tum qui in libris aut Epistolis novæ legis referuntur, tum qui ab Ecclesiâ sanctorum fastis adscripti sunt, quorum proindè vita moresque magno adjumento sunt ad sanam Scripturarum intelligentiam.

Regula X. — Neque tamen prædicta regula ita universim accipienda est, ut quascumque actiones particulares justorum hominum, quas sacra Scriptura commemorat, ad exemplum nobis proponere debeamus. Sunt enim historiæ nonnullæ in antiquo præsertim fœdere, in quibus à Scripturâ exhibentur viri sancti aliquid præstitisse quod vel malum est, vel speciem saltem mali præfert; adeòque hæ in exemplum adhibendæ neutiquàm sunt pro resolvendis conscientiæ casibus, prout advertit idem S. doctor Augustinus, eodem lib. de Mendacio, cap. 8 : « Non omnia, « scripsit, quæ à sanctis, vel viris justis legimus « facta, transferre debemus in mores. » Non enim ista Dei voluntatem nobis manifestant, prout agendi regula est, sed solùm ut est rerum omnium causa. Sic quamvis juxta plures Abraham mentitus fuerit, dùm affirmavit Saram esse sororem suam, et Judith simulatione ac mendacio deceperit Olophernem, Samson se ipsum interfecerit, et alia multa à sanctis viris facta legamus quæ saltem speciem mali præferunt, et cum præscriptis nobis à Deo certissimis regulis minimè consentiunt, ad imitationem tamen trahenda non sunt.

Regula XI. — Cavere omninò oportet ne Scripturarum locutiones, quæ depravatæ nostræ voluntati non favent, aut appetitui nostro repugnant, ad sensus alienos violenter detorqueamus; aut iis sententiis ad eumdem finem utamur, quæ clarissimis aliarum documentis adversantur; ut enim scripsit sæpè laudatus S. Augustinus in Psalm. 48 : « Omnia divina eloquia « salubria sunt benè intelligentibus, periculosa verò « his qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detor- « quere, potiùs quàm suum cor ad eorum rectitudi- « nem corrigere. » Propterea, lib. contra Faust. Manich. cap. 32, redarguit illos qui ad sensus, quos semel animo imbiberant, confirmandos Scripturas vel repugnantes pertrahebant. « Videtis, inquit, id vos « agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur « auctoritas, ut suus cuique animus auctor sit, quid « in quâcumque Scripturâ probet, quid improbet; id « est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad « fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat. » Hos quoque perstringit S. Hieronymus, qui ad præconceptum suum sensum incongrua aptant Scripturarum testimonia : Quasi, inquit, grande sit, et non vitiosissimum « disputandi genus, depravare sententias, et ad vo- « luntatem suam Scripturam trahere repugnantem. » Hujus planè generis culpæ rei dicendi sunt, qui ad probandum probabilisticum systema, et emolliendum Evangelii rigorem, eâ utuntur, aut potiùs abutuntur sententiâ Christi Domini : *Jugum meum suave est, et onus meum leve;* quæ procul omni dubio alio in sensu prolata à Christo fuit.

Regula XII.—Quærendæ non sunt in sacris Scripturis quæstiones omnes casusque particulares, et controversiæ illæ quæ sæpenumerò agitantur in casuistarum libris, sed principia ac regulæ generales, ex quibus ab homine christiano benè disposito, ac solius veritatis studioso elici haud difficile potest peculiarium casuum occurrentium resolutio ad vitam suam rectè instituendam. Et quidem, ut animadvertit S. Thomas, de legibus disserens, 1, 2, ea sapiens ac prudens est legislatorum omnium praxis, ut leges constituant, quin casus omnes proponant, qui sub eâ lege comprehenduntur : hoc enim incredibilem planè confusionem pareret, adeòque nec id fieri debuit à supremo legislatore Deo. Satis itaque est quòd sacræ litteræ principia expresserint et generales regulas, ex quibus animus benè comparatus, et sincerus veritatis amator illa colligat quæ ad agendum necessaria sunt, et dirimendas morum quæstiones quæ aliquando occurrere possunt. Quid enim, ut exemplo aliquo hoc illustrem, homini cum simplicitate legenti, nec disputare quærenti, sed unicè quid sibi faciendum sit pro adipiscendâ salute addiscere volenti, colligendum non suppetit ex mirabili illo sermone Christi in monte, qui refertur à S. Matthæo et à S. Lucâ? Nonne sublimes illæ veritates, quas in illo omnibus aperuit ac manifestas fecit, complectuntur præcipua christianæ vitæ documenta, ut certò dirigamur in viam salutis? Quid etiam Christus non edocuit ad finem eumdem in postremo alio sermone, quem habuit ad suos discipulos in ultimâ cœnâ, antequàm ad pretiosum sanguinem suum pro omnium redemptione in cruce fundendum pergeret? Quæ salutares doctrinæ ad mores quorumcumque formandos non eliciuntur ex illis instructionibus ac parabolis quas ad turbas direxit, de virginibus prudentibus et fatuis, de invitatis ad nuptias, de talentis negotiandis, de paucitate electorum, de viâ angustâ per quam itur ad vitam, ac de latâ ac spatiosâ per quam ad perditionem tenditur, aliisque id genus innumeris veritatibus, quibus quæstiones casusque complures certiùs resolvi ac definiri possunt, quàm si multa evolvantur casuistarum volumina, quæ disputare potiùs docent quàm rectè et christianè vivere?

Regula XIII. — « Non præcipit Scriptura, nisi « charitatem; nec culpat, nisi cupiditatem; et eo « modo informat mores hominum. » Verba sunt gravissima, simulque regula certissima S. Patris Augustini lib. 3, de Doctr. Christ. cap. 7, quam etiam tradunt alii Patres cum S. Thomâ. Quamvis igitur multa in Scripturis sanctis contineantur præcepta hominibus imposita, ut ad æternam beatitudinem perveniant, ad hæc duo tamen universalia revocantur, quæ cætera comprehendunt: ad charitatem nimirùm Dei et proximi habendam, et ad cupiditatem, quæ charitati inimica

est, removendam : ita ut quidquid ex laudabili charitate dimanat, id omne et solum sanctum sit, atque christianum ; quidquid autem ex damnabili cupiditate profluit, id totum vitiosum, damnabile, et reprobum habeatur : atque adeò charitas et cupiditas dicendæ sint veluti duo cardines, in quibus tota morum theologia vertitur atque insistitit. Quæ quidem ut magis innotescerent, ambas ibidem definit S. doctor. « Charitatem voco, inquit, motum animi ad fruendum Deo « propter ipsum, et se, atque proximo propter Deum : « Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, « et proximo, et quolibet corpore non propter Deum. » Cùm hæc duo in totâ Christianorum vitâ utramque paginam faciant, eò tendunt omnia Scripturarum oracula, ut charitas adstruatur, et destruatur cupiditas, quæ pugnat cum charitate. Nam cùm multa asserat Scriptura, omnia ad eamdem charitatem fovendam, nutriendam, atque corroborandam, cupiditatem autem impugnandam, vincendam, ac, si fieri quidem potest, extinguendam conspirant, ut ait idem S. doctor : « Quisquis Scripturas divinas, vel quam« libete jus partem intellexisse sibi videtur, ita ut « isto intellectu non ædificet istam geminam charita« tem Dei et proximi, nondùm intellexit. » Vult igitur scientiam omnem, ac morum disciplinam, quâ pervenitur a d incommutabile bonum, quod Deus est, gemino charitatis præcepto ita contineri juxta sacram Scripturam, ut quisquis duplex illud mandatum impleverit, in quo *universa* continentur, *ac pendet lex ac Prophetæ*, ut testatus est ipse Christus Dominus, omnem veterum de moribus philosophiam supergressus, omnem sanctorum scientiam assecutus est. « Quæ « enim, docet ille Epist. 37, ad Volusian., disputatio« nes veterum philosophorum, quæ leges quarumli« bet civitatum duobus præceptis, ex quibus Christus « dicit totam legem, prophetasque pendere, ullo « modo sunt comparandæ cum illâ : *Diliges Dominum « Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, « et ex totâ mente tuâ; et proximum tanquàm te ipsum?* « Hic physica, hic logica, hic ethica : quoniam vita « bona et honesta non aliundè formatur, quàm cùm « ea quæ diligenda sunt, diligantur, hoc est Deus et « proximus. » Hoc idem verò ampliùs explicare pergit lib. 1 de Doctr. Christ. ubi probat solo Deo fruendum esse ; cæteris autem rebus, qualescumque sint, utendum : id est, Deo inhærendum esse propter seipsum : utendum verò creaturis, scilicet creaturas ad Deum, quo fruendum est, esse referendas. Si quis aliter se habeat erga creaturas, si nempè propter se creaturas dilexerit, procul dubio peccabit. « His bo« nis, ait, quæ propter aliud necessaria sunt, qui « non ad hoc propter quod instituta sunt, utitur ; « peccat aliàs venialiter, aliàs damnabiliter. Quis« quis verò propter hoc utitur, propter quod data « sunt, benè facit. » Ratio evidens est : quia qui non utitur bonis creatis, puta ingenio, doctrinâ, cibo, potu, et aliis non in eum finem ad quem sunt destinata, id est, ad Dei gloriam propter quam omnia facienda esse præcipit Apostolus ; jam non utitur creaturâ, sed fruitur. Siquidem ille creaturæ usus, aut veriùs abusus ad Deum referri nequaquàm potest.

Ex quibus pulcherrimam hanc regulam colligit Augustinus, lib. de Mor. Eccl. c. 21. « Habet igitur « vir temperans in hujusmodi rebus mortalibus et « fluentibus vitæ regulam utroque Testamento fir« matam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appeten« dum putet, sed ad vitæ hujus, atque officiorum « necessitatem, quantùm satis est, usurpet utentis « modestiâ, non amantis affectu. » Ille itaque erit secundùm sacram Scripturam verè christianus, et verè spiritum filiorum Dei accepit, qui benè utetur rebus creatis, veluti quibusdam adjumentis, quibus ad Deum summè in hâc vitâ diligendum inardescat, atque ita uno Deo incommutabili bono perfruatur. E contra is erit christianus nomine tenùs, et hoc ipso tanto nomine indignus, qui ambulans secundùm desideria carnis contra primum et maximum charitatis mandatum, creaturas propter ipsas diligit, et in ipsis tanquàm in ultimo fine conquiescit, easque Deo anteponit. In hâc doctrinâ tota christianæ vitæ morumque summa consistit.

Regula XIV. — Hæc non est nisi major explicatio præcedentis, deservitque magnoperè, ut ex ipsâ Scripturâ præcipiente nonnisi charitatem juxtâ laudatam Augustini sententiam, et non culpante, nisi cupiditatem, discernere saltem in genere valeamus, quodnam dicendum sit peccatum mortale, sive damnabile, ut ait ille ; quodnam veniale. Ex eâ itaque inferre debemus, tunc mortale perpetrari peccatum, quoties creatura finis est non tantùm actionis, verùm etiam ipsius hominis ; cujus animus tanto impetu fertur in creaturam, quæcumque illa sit, sive honores, sive divitiæ, sive voluptates, ut ejus fruendi causâ, instiganti atque imperanti cupiditati potiùs quàm prohibenti aut minitanti Deo obtemperare malit ; et voluptatem, sive quodvis aliud creatum bonum supra ipsum diligat, atque ita præposterâ dilectione Creatori creaturam præponat. Veniale autem peccatum admittitur, cùm quis, licet aliquod creatum bonum plùs æquo diligat, affectu tamen præponderante magìs diligit Deum ; e. g., cùm quis levioribus mendaciis, inani garrulitate, jocosâ confabulatione, etc., plus æquo delectatur, et in eâ quidem leviter mentiendi, et in eâ garriendi voluptate ut in ultimo fine hujus actionis veluti transeunter sistit, ita tamen, ut semper Deum et illi voluptati, et cuilibet alii creaturæ præferat in corde suo, et in habituali animi dispositione, ac reapse oblatâ occasione, Deum ex toto corde, totoque animo dilectum omnibus rebus, rerum omnium jacturæ, suæ etiam vitæ dispendio, se anteponere declaret. Qui igitur peccat lethaliter, et qui peccat venialiter, creaturâ quodammodò fruuntur : sed inter utrumque nimiùm quantùm interest. Peccans enim lethaliter, pervicaciter et protervè creaturam anteponit Deo abjecto et repudiato ; ipsique summam contumeliam irrogat, dùm præstantius bonum et amabilius, quod ipse Deus est, longè inferiori ac falso bono postponit. Peccans autem venialiter ex quâdam naturæ corrup-

telâ, et fragilitate, leviter inhæret rebus creatis, quas tamen nihili facit præ Deo super omnia dilecto usque adeò, ut si in minoribus hisce peccatis se illi graviter displicere putaret, statim ab actu illo resiliret.

Regula XV.—Nefas omninò est sacras litteras nedùm in fidei mysteriis, sed in iis etiam quæ mores spectant, sumere, aut interpretari contra sensum quem tenet Ecclesia, aut contra sensum unanimem sanctorum Patrum. Hoc disertè prohibetur in concilio Tridentino sess. 4 de Reformat. his verbis : « Præterea ad coercenda ingenia decernit (sancta synodus), « ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et « morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacras Scripturas ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit ac tenet « sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero « sensu Scripturarum sanctarum, aut etiam contra « unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquàm tempore in lucem edendæ « forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et pœnis à jure statutis puniantur. » Quare etiam ex hoc capite rejicienda est illa interpretatio textûs Christi Domini, quam nuper adduximus : *Jugum meum suave*, etc. Nemo quippe ex Patribus est, qui illum eo sensu interpretati fuerint, quem ipsi modò perperàm affingunt probabilistici systematis defensores, sed in alio penitùs adverso : quemadmodùm et plures aliæ interpretationes aliarum Scripturarum productæ tùm in dogmatibus fidei, tùm in morum regulis, à nuperrimis scriptoribus *Harduino* et *Berruyero*, quas in eximiâ suâ *Instructione pastorali* collegit, confutavitque illustriss. episcopus Suessionensis; quas propterea proscripserunt, atque damnârunt duo summi pontifices Benedictus XIV et Clemens XIII.

Regula XVI. — Nemini quoque licet solâ humanâ ratione ducto, à generalibus Scripturæ sententiis excipere non solùm in materiâ fidei, sed neque etiam in materiâ morum. Et quidem in materiâ fidei nullus Catholicorum est, qui sine grandi piaculo credat, se ullam arbitrio suo facere posse exceptionem in fidei dogmatibus, aut sententiis generalibus Scripturæ sacræ. Cur igitur sibi licitum quispiam putaverit eamdem facere in iis sententiis, quæ morum rectitudinem spectant, cùm omnes verbum Dei sint, adeòque câdem divinâ polleant auctoritate, pari veneratione, ac submissione excipiendæ? Quin addo, periculosius id esse in materiâ morum, quàm fidei; eò quòd humana mens in hoc corruptæ naturæ statu difficilius admittat rectum de moribus judicium, quàm de fidei veritatibus; quia scilicet homo divina non aversatur mysteria, licet ea minimè capiat : morum verò aversatur præcepta, quibus concupiscentias suas, et passiones legi repugnantes compescere, atque in officio continere jubetur.

Regula XVII. — In æstimandâ qualitate actionum, sive quæ laudantur, sive quæ vituperantur, judicium vulgi, aut consuetudo attendenda non est; sed Scripturarum locutiones in proprio suo ac nativo sensu intellectæ. Divina namque Scriptura errori obnoxia non est; et quod *grave* peccatum esse declarat, nunquam *leve* erit, quanquàm aliter judicent homines propter mores contrarios, aut consuetudines, quæ jam invaluerint. Sapiens hoc monitum traditur à S. Augustino lib. de Morib. Eccl., cap. 9, ubi hæc scribit : « Quoniam proclive est humanum genus non ex mo« mentis ipsius libidinis (aut peccati gravitatis), sed « potiùs suæ consuetudinis æstimare peccata; fit ple« rùmque, ut quisque minùs ea tantùm culpanda arbi« tretur, quæ suæ regionis, et temporis homines vitu« perare, atque damnare consueverunt : et ea tantùm « probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum, « cum quibus vivit, admittit : eòque contingit, ut si « quid Scriptura vel præceperit quod abhorret à con« suetudine audientium, vel quod non abhorret, culpa« verit, si animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, « figuratam locutionem putant....; si animum præoc« cupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asse« ruit Scriptura, figuratum homines arbitrantur, etc. » Hoc attendere quoque, summoperè debent confessarii, ne in suis de morum actionibus judiciis ferendis à veritate aberrent. Sunt enim actiones aliquæ, quas graviter Scriptura reprehendit, aut damnat, de quibus multi aut planè non cogitant, aut peccata levissima putant, adeò ut nec de ipsis in sacramentali confessione se accusent.

Regula XVIII. — Cùm quædam in sacris litteris tradantur, quæ *sub præcepto* cadunt, alia autem tantùm *sub consilio;* ideò utraque confundenda non sunt, sed magnâ circumspectione discernenda; ne, quæ, *præcepta* sunt, *consilia* credantur, aut è contra. Pro horum rectâ discretione generalem regulam, atque doctrinam assignat S. Thomas 1, 2, q. 108, art. 4, quæ consentit cum eâ, quæ supra tradita à nobis est ex S. Augustino : « Hæc est, inquit, differentia inter con« silium, et præceptum; quia *præceptum* importat ne« cessitatem : *consilium* autem in optione ponitur ejus, « cui datur..... Oportet igitur, quòd præcepta novæ « legis intelligantur esse data de his, quæ sunt neces« saria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, « in quam lex nova immediatè introducit : consilia « verò oportet esse de illis, per quæ meliùs et expe« ditiùs potest homo consequi finem prædictum. Est « autem homo constitutus inter res mundi hujus, et « spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit; « ita quod, quantò plus inhæret uni eorum, tantò plus « recedit ab altero, et è converso. Qui ergo totaliter « inhæret rebus hujus mundi, ut in eis finem consti« tuat, habens eas quasi rationes, et regulas suorum « operum, totaliter excidit à spiritualibus bonis : et « ideò hujusmodi *inordinatio tollitur per præcepta*. Sed « quòd homo totaliter ea quæ sunt mundi, abjiciat, « non est necessarium ad perveniendum in finem præ« dictum : quia potest homo utens rebus hujus mundi, « dummodò in iis finem non constituat, ad beatitudi« nem æternam pervenire; sed expeditiùs perveniet, « totaliter bona hujus mundi abdicando : et ideò de « hoc dantur consilia Evangelii. » Quod postea magis

declarat, et nos suo loco cum illo declarabimus.

Itaque juxta doctrinam S. doctoris, sacræ Scripturæ præceptum, et quidem negativum, quod *semper, et pro semper* obligat, est, quòd homo nunquàm ita affectu suo adhæreat creaturis, ut in eis suum ultimum finem statuat, sive, juxta Augustinum, *ut eis fruatur*. Licitum verò est, quòd iisdem creaturis moderatè, et juxta finem, ad quem institutæ sunt, utatur : *consilium* autem, ut bonis temporalibus renunciet, quò expeditiùs ad æternam beatitudinem tendat. Sic in communi *præceptum* est, ut divitiis non inhæreamus : licitum, ut eis moderatè utamur : *consilium*, ut eis totaliter renunciemus per votum *paupertatis*. Quare dicitur Matth. 19 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus*. Atque ita de voto *castitatis*, et *obedientiæ*, quæ præcipua *consilia* sunt, ad quæ cætera revocantur. Hæc autem sive præcepta, sive mera consilia, quæ habentur in libris novi Testamenti, ex ipsis terminis, quibus proponuntur, et ex circumstantiis secernere facile est. Quapropter diligenter cavendum est, ne illud quod in Scripturâ tanquàm veri nominis *præceptum* omnibus præscribitur, loco solius *consilii* habeamus; quod sæpe faciunt aliqui, ac præsertim qui probabilismum sectantur, cum ingenti animarum periculo. Hoc ut exemplo aliquo ostendam, Christus Dominus expressè prohibet in Evangelio S. Matthæi vindictam inimicorum illis verbis : *Audistis, quia dictum est antiquis : diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos*, etc. Eademque habent clarissima verba tùm Paulus, tùm Petrus in suis Epistolis, quæ omnibus esse directa, nemo unquàm dubitavit, et Ecclesia, et Patres semper tenuerunt. Quid tamen? P. Berruyerus novissimè inventus est, qui p. 2, t. 2, lib. 4, scribere non est veritus, hoc præceptum non fuisse, nisi relatè ad Apostolos, primosque Ecclesiæ præsides : quoad alios verò merum esse *consilium*. Vide laud. Instruct. episcopi Suessionensis p. 4, c. 6, pag. 497, edit. Gallicæ.

Hinc verò obiter inferas, auctorem *Prodromi* præmissi theologiæ PP. Busembaum et Lacroixii diminutè admodùm processisse, dùm inter quosdam canones pro usu Scripturarum observandos ita hunc proposuit n. 8 : « Videndum, ne Scripturæ verbis, « quibus pium aliquod consilium proponitur, præceptionis vim inesse incautè velimus. » Quanquàm enim canon iste absolutè verus sit, dignus tamen animadversione ex eo est, quòd omittat auctor, quod haud omittere debuerat, ne illo imperiti aliqui abutantur; nempe duos alios canones, qui cum illo jungi debent, scilicet : « Videndum è contra est, ne Scriptu- « ræ verbis præceptum continentibus consilii tantùm « rationem, vimque tribuamus; » sicut frequens mos est penès Probabilistas. Ac deinde : « Cavendum, ne « in dubio, num Scripturæ verba consilium, an præ- « ceptum contineant, perinde agamus, ac si consilium « contineret; sed in eo dubio, ubi de animæ salute « agitur, tutiora esse sequenda, non consilii, sed certi « præcepti loco habeamus. » Cæterùm sunt alii quoque canones pro usu Scripturarum ab eodem auctore producti, qui censuræ subjiciendi forent. At quoniam id ab aliis jam factum est, idcircò ab hoc labore abstineo; solùmque lectorem admoneo, ut nonnisi cum magnâ cautione illos adhibeat, quippe qui falso, quod auctor adoptat, systemati suffragantur.

## CAPUT IV.

### *De altero moralis theologiæ loco, divinis nempe traditionibus.*

Multa jam diximus de primo, ac præcipuo loco theologiæ moralis : paucioribus, quæ ad secundum pertinent, *traditiones* scilicet *divinas*, absolvemus. Atque in primis præmittendum censeo, quæ de hoc in decreto concilii Tridentini statuta sunt *sess.* 4, quibus utriusque loci, Scripturæ nempe, ac traditionis, auctoritatem in rebus theologicis complexum est. « Sacrosancta, ait, « œcumenica, et generalis Tridentina synodus.... hoc « sibi perpetuò ante oculos proponens, ut, sublatis erro- « ribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesiâ conservetur, « quod promissum ante per prophetas in Scripturis « Sanctis, Dominus noster Jesus Christus Dei Filius « proprio ore primùm promulgavit, deinde per suos « apostolos tanquàm fontem omnis et salutaris veri- « tatis, et morum disciplinæ omni creaturæ prædicari « jussit; perspiciensque hanc veritatem, et disciplinam « contineri in libris scriptis, et *sine scripto traditioni-* « *bus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab* « *ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per ma-* « *nus traditæ ad nos usque pervenerunt*, orthodoxorum « Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, « quàm novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus « sit auctor; *necnon traditiones ipsas tùm ad fidem,* « *tùm ad mores pertinentes, tanquàm vel ore tenùs à* « *Christo, vel à Spiritu sancto dictatas*, et continuâ succe- « cessione in Ecclesiâ catholicâ conservatas, pari pie- « tatis affectu, ac reverentiâ suscipit, et veneratur. »

Plura habemus ex hoc sacri concilii decreto, quæ animadversione digna sunt. Atque in primis, haud solam Scripturam regulam esse infallibilem tùm fidei, tùm morum, sed et ipsi adjiciendam *traditionem;* ac utramque esse *verbum Dei*. Hoc protervè negârunt Lutherus et Calvinus, eorumque discipuli; Calvinus enim, ut Lutheri verba omittam, hæc temerè scribit lib. 4, *Instit.* § 8 : « Esto hoc firmum axioma, non aliud ha- « bendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesiâ lo- « cus, quàm quod in lege primùm, et prophetis, deinde « scriptis apostolicis continetur; nec alium esse ritè « docendi in Ecclesiâ modum, nisi ex ejus verbi præ- « scripto, et normâ. Hinc etiam colligimus, non aliud « permissum fuisse Apostolis, quàm quod olim habue- « rant prophetæ. » Quod et aliis locis affirmat. Hic error verbis allatis à sanctâ synodo penitùs reprobatur. Et sanè quot leguntur in ipsâ Scripturâ, ad quam hi hæretici appellant, quæ præter verbum Dei scriptum, traditum quoque luculentissimè adstruunt? Ipse Christus Dominus à discipulis suis discessurus nonne ipsis præcipit, ut *euntes in mundum universum, docerent gentes servare omnia, quæcumque iisdem mandaverat?* Nihil ipse scripserat, nec quidpiam ab aliquo alio scriptum

adhùc fuerat. Quænam ergo erant, quæ docenda mandavit, nisi quæ ore tenùs tradiderat? Deinde S. Paulus in suis Epistolis plures divinas *traditiones* commemorat, earumque necessitatem inculcat. Nam. 1 *ad Corinth.* cap. 11, ait : *Ego accepi à Domino, quod et tradidi vobis;* 1 ad Thessal. c. 11 : *Itaque state, fratres, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram;* 2 ad Timoth. c. 1 : *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, et dilectione in Christo Jesu.* Et iterùm cap. 8 : *Tu verò, fili mi, confortare in gratiâ, quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* In his profectò adeò evidenter distinguit verbum scriptum S. Paulus à verbo tradito sive per sermonem, sive per epistolam, ut planè cæcutire in meridie dicendi sint, qui hoc inficiantur. Alia plura ad idem probandum proferre fas esset, quæ brevitati consulens prætermitto. Habemus secundò ex verbis concilii Tridentini hasce traditiones complecti nedùm ea quæ Christus suâ voce docuit Apostolos, sed illa quoque quæ hi didicêre à Spiritu sancto, quem illis se daturum promisit, ut apertè testatus illis fuit in ultimâ cœnâ; dùm, ut habetur apud *Joan.* cap. 16, ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur : quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Quod potissimùm factum est in sacro die Pentecostes, in quo Apostoli repleti sunt Spiritu sancto. Hoc Apostolus de seipso loquens satis exprimit, dum, 1 *ad Cor.* cap. 7, ait, cùm quoddam de suo consilium dedisset : *Puto autem, quòd et ego Spiritum Dei habeam.* Et rursùm, 2 ad eosdem cap. 13 : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* In his porrò traditionibus utpotè divinis, ac divinâ auctoritate potientibus rectè Melchior Canus, cap. 5, animadvertit, « ab earum vinculo Ecclesiam « fideles eximere non posse, nec illas contrariâ aliquâ « consuetudine abolere. Si enim, e. g., materias, et formas sacramentorum Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis à Christo, Apostoli, nos ab Apostolis « accepimus; si ad eumdem quoque modum matrimonia non consummata per solemnem castitatis professionem dirimi, consummata verò per conversionem « ad fidem, conjuge infideli discedente, Christus Dominus Apostolis, illi nobis edixerunt; in his tanquàm in divinis institutis Ecclesia nihil habet potestatis. » Habemus tertiò, divinas hujusmodi traditiones vel à Christo Domino acceptas, vel à Spiritu sancto Apostolis dictatas, per Apostolos Ecclesiæ fuisse concreditas, et continuâ successione in eâdem fuisse conservatas. Quapropter illas nos, sive ad fidem pertineant, sive ad mores, recipimus, ac recipere debemus : et qui illas aut recipere abnuit, aut non eo in sensu recipit, quem catholica Ecclesia proponit, inter hæreticos, sive alienos à fide Christi accensendos esse. Quemadmodùm enim hæreticus dicendus est, qui aliter interpretatur Scripturam, quam ab Ecclesiâ exponatur; ita etiam qui traditionem. Utriusque quippe divini verbi sive scripti, sive traditi expositio, et intelligentia Ecclesiæ, non singularibus fidelibus commissa est. Atque adeò tùm de Scripturâ, tùm de traditione accipienda est illa S. Petri sententia, ut explicant interpretes : *Hoc primum intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ*, scilicet expositio, quæ *prophetia* dici mereatur *propriâ interpretatione non fit..... sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* « Hæc Petri sententia, inquit Estius in hunc « locum, flagellat hæreticos, et omnes eos, qui, con« tempto, et posthabito sensu Ecclesiæ, cui Spiritum « suum Christus promisit, privatos sensus vel suos, « vel suorum magistrorum ad Scripturas interpretan« das afferunt. Cur nemo Scripturas suo sensu et « modo interpretari debeat, subdit Apostolus : *Non « enim voluntate humanâ*, etc. Nam eodem Spiritu in« terpretandæ sunt; id est Spiritu divino, quem Chri« stus nunquàm non Ecclesiæ suæ affuturum esse om« nimodâ certitudine promisit. » Sed de hoc plura infra.

Ex quibus omnibus colligere possumus germanam divinæ traditionis definitionem, de quâ in præsenti loquimur. Non enim modò sermo est de aliis traditionibus, quæ factæ sunt antiqui Testamenti patribus ac majoribus. « Traditio divina est doctrina, quæ ipsius « Christi ore ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apo« stolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus Ec« clesiæ tradita ad nos usque pervenit. » Hâc definitione, quantùm quidem arbitror, apertè distinguitur traditio divina à quâcumque aliâ traditione, quæ divina non est, sed humana. Atque inprimis distinguitur à traditione humanâ ecclesiasticâ, quæ nempe originem trahit ab aliquâ institutione factâ ab ipsâ Ecclesiâ; ut traditio de celebrando Paschate die Dominico consequente lunam decimam quartam, quæ semper extitit in ecclesiâ Romanâ, et ab aliis deinde recepta est.

Distinguitur etiam à traditione merè apostolicâ, quæ consistit in illis institutionibus, quas fecerunt Apostoli ut Ecclesiæ fundatores ad ejusdem majorem utilitatem; ut Quadragesimæ jejunium, quod licet nonnulli Patres ad Christum Dominum referre videantur, reverà tamen juxta communiorem sententiam merè apostolicum institutum fuit; quod tamen ad Christum referri potest, quatenùs hujus jejunii ipse exemplum præbuit. Traditiones ergo divinæ eæ tantùm dicendæ sunt, quas vel Christus Dominus proprio ore communicavit Apostolis, et hi successoribus; vel iidem Apostoli Spiritu sancto dictante acceperunt, et absque scripto communicârunt Ecclesiæ. Undè dicuntur etiam apostolico-divinæ; divinæ quidem, quia à Deo revelatæ : apostolicæ verò, quia Apostolis communicatæ.

Ad investigandas divinas traditiones sive fidem, sive mores spectantes, quæ in Ecclesiâ conservantur, quatuor vias indicat sapientissimus Melchior Cano, quas hic summatim describo. Primam aperit S. Augustinus lib. 4 contr. Donatist. in hæc verba : « Quod universa « tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper « retentum est, nonnisi apostolicâ traditum doctrinâ

« rectissimè creditur. » Cujus hæc ratio assignari potest. Si enim disciplinæ, aut consuetudinis cujusquam diù in totâ Ecclesiâ observatæ originem, et principium nec ad summos pontifices, nec ad concilia episcoporum referre possumus : sed ea disciplina, aut consuetudo ad Apostolorum usque tempora retrò trahitur ; conficitur planè, illam ab Apostolis esse profectam. Sic parvulorum baptisma, consecratio virginum, monastica professio, sanctorum veneratio, cultus sacrarum imaginum, aliaque multa ab Apostolis tradita comprobantur. Hoc autem tùm in fidei dogmatibus, tùm in morum regulis servandum est, licet quidpiam vel ab hæreticis, vel à novitiis scriptoribus asseratur contrarium.

Secunda via est : si quod vel fidei dogma, vel aliquid ad mores pertinens Patres ab initio secundùm suorum temporum successionem concorditer tenuerunt, et oppositum ut hæreticum, aut falsum refutârunt ; quod tamen ex sacris litteris non habeatur : id scilicet per divinam apostolicam traditionem habet Ecclesia. Exempla sunt perpetua beatissimæ Matris Dei virginitas, confessio auricularis, communio sacratissimi corporis Christi etiam à laicis facienda, descensus Christi ad inferos, ut sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, in libertatem vindicaret, quatuor Evangeliorum numerus, et alia. Omnia siquidem fidei aut morum dogmata ab Apostolis accepit Ecclesia vel scripto, vel verbo : quoniam ii ministri fuêre sermonis ; nec ullas in fide novas revelationes habet Ecclesia, sed eas conservat, quas Apostoli per Christum, aut Spiritum sanctum fideli populo reliquerunt.

Tertia ad investigandas divinas traditiones via hæc est : si quidquam nunc est in Ecclesiâ communi tum pastorum, tum fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere minimè potuit, id ex Apostolorum traditione necessariò derivatum est, ut vota dissolvere et relaxare juramenta non erat humanæ potestatis : quoniam jure naturæ vota nuncupata Deo reddere tenemur, sicut et juramenta servare. Humana autem facultas ea, quæ jure naturæ debita et constituta sunt, condonare, ac tollere non potest : eademque est ratio de matrimonii diremptione per monasticum solemne votum. Cùm enim matrimonium etiam non consummatum ante Evangelicam legem esset jure naturæ indissolubile, nec esset in republicâ humanâ facultas ulla ejusmodi matrimonii dirimendi ; consequens fit hunc Ecclesiæ morem ex Christi et Apostolorum instituto descendisse. Nec enim credi potest Ecclesiam sibi aliquam potestatem usurpâsse in his quæ ad jus naturæ pertinent, nisi quam Christo et Apostolis tradentibus accepisset. Vide laudatum Cano.

Quarta demùm via ad finem eumdem investigandæ divinæ traditionis est hujusmodi : Si viri ecclesiastici, aut fidei doctrinam, aut aliquam morum regulam uno ore semper et ubique testati sint, ac testentur eam ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est ut ita esse credamus : ut imagines ab Apostolis esse traditas Patres in VII synodo generali act. 6, dixerunt ; et Symbolum fidei, quo vulgus fidem suam profitetur, Ecclesiam, Apostolis tradentibus, habuisse Patres communiter asserunt. Quæ omnia celeberrimâ illâ Vincentii Lirinensis sententiâ concludo : *Quod ab omnibus, quod semper, quod ubique creditum est*, non minùs certò tanquàm Dei verbum est habendum, quàm certum sit verbum Dei, quod habetur in Evangeliis, in Epistolis Apostolorum, atque Prophetis.

Porrò quanquàm verbo Dei tradito, seu divinâ traditione utamur ad cognoscendas ac probandas plures veritates quæ in Ecclesiâ docentur ad fidem, aut mores pertinentes, præcipuus tamen ac principalis ejusdem usus est in interpretando verbo Dei scripto. Neque enim nisi desipiens negare potest nonnulla esse loca in sacris litteris quæ ob mirabilem eorum profunditatem plures sensus subire valeant, ac diversimodè explicari ac interpretari ; quod exemplo hæreticorum abundè compertum est atque exploratum. Necessaria proinde est certa aliqua, ac tuta regula, cujus ope omnium ingenia in vero Scripturarum sensu conveniant saltem relatè ad illa quæ fidem spectant, et recti vivendi disciplinam ; quæ regula alia non est, nisi traditio. Hinc in Evangelio S. Lucæ cap. 24, Jesum Christum post resurrectionem suam legimus *aperuisse sensum* suorum discipulorum, *ut intelligerent Scripturas*. Ac subinde discipuli veram Scripturarum intelligentiam communicârunt Ecclesiis mediâ exteriore instructione, quæ in ipsâ Ecclesiâ conservata semper fuit, et per sanctos Patres, per concilia, per definitiones summorum pontificum ad nos usque intemerata pervenit : unde falsitatis ac erroris in interpretandâ Scripturâ sectatores convincere valeamus.

## CAPUT V.

*De auctoritate Ecclesiæ, in quâ tum Scripturæ, tum divinæ traditiones conservantur.*

Scripturâ et traditione omnis concluditur quæ facta à Deo est, ut non semel diximus, revelatio ad communem hominum utilitatem, tum eorum quæ credenda sunt, tum eorum quæ agenda, ut ad beatissimum illum finem æternæ felicitatis perveniamus ; et utramque Christus in sinu dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ custodiendam deposuit, ut salutares, quas continent, veritates fidelibus notas faceret, quæque suboriri dubia circa earumdem intelligentiam possent, dirimeret, atque genuinum sensum manifestaret. De hâc igitur Ecclesiâ, quo nomine congregationem fidelium sub pastoribus à Christo institutis intelligimus, ex quâ in homines tam insigne planèque necessarium beneficium derivatur, pauca quædam adnotanda existimo hoc capite quinto.

Et primùm quidem nemo non videt, et, experientiâ ipsâ manifestâ comprobante, non percipit quemlibet doctorem tametsi sapientissimum, quemlibet theologum licet doctissimum, errare posse, et gravissimè quidem, in suis eruendis ex revelatâ doctrinâ conclusionibus tum in fidei, tum in morum controversiis. Quin non modò ex imbecillitate rationis, sed aliquando etiam ex malitiâ, ex falsis præjudiciis, ex pertinaciâ contradicendi veritati, privatus quisque doctor ab eâ deflectere valet, et hæreticus fieri, animasque propterea in sempiternam perditionem detrudere. Quid

hinc igitur colligendum est? Illud profectò, juxtà suavem Dei providentiam existere in verâ Dei Ecclesiâ debuisse fidelem interpretem, fallere ac falli nescium, qui judicium in cujuscumque privati doctoris quantùmvis ingenio et doctrinâ præcellentis, sententias et interpretationes sive Scripturarum, sive divinarum traditionum ferat, cui supremo, certo, et infallibili judicio stare omnes ac parere debeant.

Supremus iste divinæ revelationis interpres, ac judex infallibilis juxta Catholicos omnes, non alius est, nec alius à summo provisore constitutus, quàm sancta mater Ecclesia, quæ organum est quo Spiritus sanctus nos instruit, corrigit, atque errantes in veritatis semitas reducit. Ut alia ad hoc probandum momenta præteream, duo tantùm proferam ex ipsis Scripturæ textibus deprompta testimonia, quæ rem omninò conficiunt: Primum illud est quod habetur apud S. Matthæum capite ultimo, ubi Christus Dominus à suis discipulis jam discessurus conceptis verbis promisit se affuturum cum ipsis, eorumque successoribus ad usque finem mundi, et infinitâ potestate suâ præservaturum Ecclesiam ab omni errore: *Data est mihi*, dixit, *omnis potestas in cœlo et in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos ...., docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* His verbis adeò evidenter Christus patefecit infallibilitatis privilegium quod Ecclesiæ sponsæ suæ reliquit, duraturum usque ad finem mundi, ut necesse sit oculos prorsùs claudere ne ejus veritatis lucem clarissimam videamus. Christus enim se futurum dixit cum Apostolis docentibus quæcumque ipsis mandaverat; adeòque eorum doctrina, quæ tradenda ab ipsis erat, tali Christi protectione fulta, deficere, aut errore aliquo permisceri minimè poterat. Sed cùm dixit *usque ad consummationem seculi*, significavit etiam semper futurum cum Apostolorum successoribus, adeòque Ecclesiâ: neque enim Apostoli usque ad finem mundi duraturi erant. Hoc testimonium inter alios tam egregiè declaratum est, vindicatumque ab ineptissimis hæreticorum commentis à viro clarissimo Bossuetio, ut nonnisi delirus, aut pervicacissimus possit illud alio in sensu intelligere. Ac certè si quid dubitationis in alicujus mente remaneat ob intelligentiam illorum verborum: *usque ad consummationem seculi*, totum evanescere debet ex aliis ejusdem Christi verbis, quæ paulò ante mortem Apostolis dixerat: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis ..... ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ubi cùm dixerit Spiritum suum mansurum *in æternum*, nedùm hoc intellexit de solis Apostolis, qui æternùm mansuri in hoc mundo non erant, verùm etiam de eorumdem successoribus; quod luculenter patet ex verbis quæ ibidem dixit, Patrem orans: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*; pastores scilicet et gregem, sive *congregationem* fidelium, ex quibus tota conflatur Ecclesia Christi, expressè designans.

Ex his duo necessariò profluunt: Primum, Ecclesiam nunquàm probaturam esse errorem, quoniam continenter secum habet Christum, qui veritas est, et cujusque erroris incapax; alterum, nunquàm fas esse ab Ecclesiâ secedere. Quicumque enim ab eâ secedit, à Christo se separat, qui eidem semper adest omnibus diebus usque ad seculi consummationem. Atque hæc ab Ecclesiâ separatio germanus hæreticorum, et schismaticorum character est, qui secum affert ea omnia terribilia consectaria, descripta à S. Apostolo Judâ, in Epistolâ suâ hisce verbis: *Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*, etc. Adducit sanctus Apostolus in hujus veritatis confirmationem omnium Apostolorum testimonium. Sicut enim omnes testes erant promissionis factæ à Christo permanendi cum à se institutâ societate usque ad mundi finem, ita omnes uno ore definierunt à Christo recedere illos omnes qui ab hâc se societate, quæ Ecclesia ipsa est, separarent.

Ecclesiæ porrò infallibilitas, quæ præcipuum est ex essentialibus suis attributis, non se extendit nisi ad doctrinam fidei, et morum determinandam, certòque proponendam; non autem ad facta particularia, quæ ex aliis principiis ducuntur. Duplex autem infallibilitas Ecclesiæ in rebus fidei et morum distingui potest, ac solet: altera nempè activa, ac judicii; altera passiva, ac professionis. Prior exercetur, quoties ad tribunal Ecclesiæ aliqua quæstio, sive controversia defertur, et in hoc tribunali ad examen vocatur, discutitur, ac tandem definitur, quid de illâ sentiendum sit. Sic, seculo proximè elapso, ad tribunal summorum pontificum Alexandri VII, Innocentii XI, et Alexandri VIII, permultæ in genere morum delatæ sunt casuistarum propositiones, et post maturum ac diligens examen, totâ Ecclesiâ plaudente, declaratæ sunt falsæ, scandalosæ, et alienæ ab Evangelicâ simplicitate, ac sanctorum Patrum doctrinâ. Alia infallibilitas, quam passivam et professionis vocamus, habetur, atque perspicitur in communi instructione, prædicatione, usuque, et professione publicâ, quæ fit ab Ecclesiæ ministris, alicujus doctrinæ ad fidem, aut ad mores pertinentis. Utraque tuta, ac certa, simulque facilis regula est, ut veritatem omni dubio sublato, cognoscamus.

Audiamus de hoc argumento egregiè de more disserentem, nunquàm satis laudatum, nec satis laudandum, illustrissimum episcopum Bossuetium, cujus verba, quæ habentur art. 19 de Ecclesiæ auctoritate ex gallico sermone latinè reddo. « Cùm penitùs, inquit, « devincti simus atque subjecti auctoritati Ecclesiæ, mediantibus Scripturis, quas ex ejus manibus accipimus, « ex eâ quoque discimus traditionem, et mediâ traditione verum Scripturarum sensum. Hâc de causâ profitetur Ecclesia nihil se ex semetipsâ loqui, nec quidpiam novi excogitare in doctrinâ suâ; siquidem nihil « aliud præstat ipsa, quàm sequi ac declarare divinam

« revelationem ob internam directionem, atque assistentiam Spiritûs sancti, qui ipsi datus à Christo est tanquàm doctor. Quòd sanè Spiritus sanctus loquatur per ipsam Ecclesiam evidenter constat in disputatione illâ quæ oborta est inter Apostolos circa legales cæremonias; et illorum acta documento fuerunt posterioribus seculis omnibus eo modo definiendas esse, et eâ auctoritate quâ prima illa quæstio definita est, cæteras quascumque controversias quæ circa fidem ac mores subnasci possunt. Quam ob rem, quousque disputationes existent quæ fidelium animos dividant, suam Ecclesia interponet auctoritatem, et pastores congregati, sicut Apostoli dixêre, ipsi quoque eodem modo definient : *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Cùm verò suum judicium expresserit, filios suos docebit ad examen revocandum non esse quidquid ipsa definierit, sed decisiones suas humili submissione recipere. Atque in hoc D. Pauli Apostoli, ac Silæ fideles sequentur exemplum, qui primum hocce Apostolorum judicium ubicumque detulerunt, haud ipsis permittentes iterùm discutere quod fuerat definitum. *Paulus, electo Silâ, profectus est*, ut dicitur in Act. Apost. cap. 15. *Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.* Hoc modo veri filii Dei judicio Ecclesiæ acquiescunt, pro certo habentes se ex ejus ore audivisse oraculum Spiritûs sancti. Et hâc fide ducti, postquàm Symboli Apostolici ea verba recitavimus : *Credo in Spiritum sanctum*, addimus immediatè : *Sanctam Ecclesiam catholicam;* quibus nos agnoscere profitemur veritatem infallibilem atque perpetuam universalis Ecclesiæ. Quoniam hæc eadem Ecclesia, quam omni tempore credimus, jam Ecclesia esse desineret, si veritatem à Deo revelatam docere quandoque desisteret, omnes proinde qui dubitant num potestate suâ illa abutatur ad docendum mendacium, fidem profectò non habent in Deum, à quo regitur et gubernatur. Quoties ergo Protestantes rem, prout reverà est, intueri vellent, fateri sanè deberent catholicam Ecclesiam nedùm se non erigere in domi- nam et arbitram fidei nostræ, quemadmodùm ipsi falsò affingunt; quin potiùs se ipsam hâc lege devinxit, ut media omnia invehendæ novitatis abs se removeret. Quandoquidem nedùm illa se Scripturis sanctis omninò subjicit, verùm etiam, ut omnes earumdem eliminaret interpretationes arbitrarias, quibus homines cogitationes suas habent veluti doctrinas Scripturarum, sibi hanc obligationem imposuit, non alio in sensu eas explicandi, sive fidem spectent, sive mores, nisi juxta sensum sanctorum Patrum, à quo nunquàm se recessuram profitetur; apertè declarans et in conciliis suis, et in fidei professionibus quas edit atque evulgat, nullum se dogma recipere quod traditioni præcedentium omnium seculorum conforme non sit. » Hactenùs doctissimus episcopus.

Quoniam verò de doctrinis moralibus quæ in Ecclesiâ Catholicâ conservantur atque docentur, in hoc opere præsertim agimus, præstat hic adnectere pulcherrimum quoddam specimen illibatæ ejusdem in rebus moralibus doctrinæ, quod exhibet lib. de Mor. Eccl. cap. 30 Sanctus Augustinus eamdem Ecclesiam alloquens : « Meritò, inquit, Ecclesia catholica, mater Christianorum, verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam creaturam indu cens, cui servire jubeamur, et ab illâ interruptâ et inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit; nec rursùm separans quod majestas sua conjungit; sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, prout cujusque non corporis tantùm, sed et animi ætas est, exerces et doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem castâ et fideli obedientiâ subjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios liberâ quâdam servitute subjungis, parentes filiis piâ dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore ac arctiore quàm sanguinis, nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutuâ charitate constringis. Tu dominis servos non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum, quàm ad coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsùs homines primorum parentum recordatione, non societate tantùm, sed quâdam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulò doces, ostendens quemadmodùm et non omnibus omnia, et nulli debeatur injuria.

« Jam verò cùm hæc humana dilectio inhærentem uberibus tuis nutriverit et roboraverit animum sequendo Deo factum idoneum; ubi ejus majestas ex tantâ parte, quanta homini, dùm terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, et homine purgato, atque sanctificato, satis appareat quod divinè dictum est : *Ego sum ignis consumens;* et : *Ignem veni mittere in terram.* Quæ duæ voces unius Dei in duobus Testamentis signatæ sanctificationem animæ concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud

« quod item in novam Scripturam de veteri assumptum « est : *Absorpta est mors in victoriâ. Ubi est, mors, aculeus tuus? Ubi est, mors, contentio tua?* Quod unum isti « hæretici intelligere si valerent, nusquàm profectò « Deum nisi apud te (Ecclesia catholica), atque in tuo « gremio minimè superbi, et benè pacati venerarentur. « Meritò apud te divina præcepta latè diffusèque servantur. Meritò apud te benè intelligitur quàm sit « gravius cognitâ lege peccare. *Aculeus enim mortis « peccatum est : virtus autem peccati lex;* quàm gra- « viùs feriat et interimat contempti præcepti con- « scientia. Meritò apud te visum est quàm sit sub lege « operatio vana, cùm libido animum vastat, et cohi- « betur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur. Me- « ritò tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi « misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, « multi usque adeò Dei amore flagrantes, ut eos in « summâ continentiâ atque mundi hujus incredibili « contemptu etiam solitudo delectet. » Hæc S. doctor, qui ita describens christianæ Ecclesiæ moralem disciplinam, postquàm præcepta retulit, pergit subinde ad illam comprobandam egregiis exemplis sanctorum virorum tunc temporis vitam agentium, qui eam mirificè illustrabant, quæ ibidem legi possunt; ac demùm concludit virtutum omnium exempla hominum sanctissimorum, quos sinu suo complectebatur Ecclesia, insigni charitate perfici atque formari. « Charitas, ait, « præcipuè custoditur : charitati victus, charitati ser- « mo, charitati habitus, charitati vultus aptatur : coitur « in unam conspiraturque charitatem; hanc violare « tanquàm Deum nefas ducitur : huic si quid resistit, « expugnatur atque ejicitur : hanc si quid offendit, « unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commen- « datum esse à Christo, et Apostolis, ut si hæc una de- « sit, inania : si adsit, plena sint omnia. »

## CAPUT VI.

*Quibus præsertim mediis certa tum fidei, tum morum doctrina Ecclesiæ in christianâ gente propagetur.*

Infallibilis Ecclesiæ catholicæ doctrina tum circa fidem, tum circa mores à Christo Domino et à sancto Spiritu Apostolis communicata, per eorumdem Apostolorum successores in omnium seculorum populos et in omnium populorum animos diffunditur, et propagatur, ac continenti serie propagabitur ad usque mundi finem. Apostolorum successores episcopi sunt, quorum caput et princeps est summus Romanus pontifex Petri successor; quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo;* et quos Christus ipse, *jussit nos audire*, veluti semetipsum eorumque vocem sequi, veluti oves pastores suos, ne à rectâ salutis viâ declinemus. Apostoli sunt primi Ecclesiæ patres, et episcopi, qui iis succedunt, sunt filii eorum, et simul patres aliorum quos in Christo generant, et ipsorum loco deinde succedunt, quod pulchrè admodùm declarat Augustinus, exponens illud Psal. 44 : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.* « Genuerunt te « Apostoli (inquit Ecclesiam alloquens), ipsi missi « sunt : ipsi prædicaverunt, ipsi patres. Sed numquid « nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? « Numquid usque ad hoc tempus? Numquid usque « in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est « Ecclesia? Absit. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* « Patres missi sunt Apostoli, per Apostolos tibi « nati sunt filii, constituti sunt episcopi. Hodie enim « episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati « sunt? Ipsa Ecclesia *Patres* illos appellat, ipsa illos « genuit, et ipsa illos constituit, in sedibus Patrum « (nempe Apostolorum). Non ergo putes te desertam, « quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia « non vides illos per quos nata es. De prole tuâ tibi « crevit paternitas : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : « constitues eos principes super omnem terram.* Hæc est « Catholica Ecclesia. Filii ejus constituti sunt princi- « pes super omnem terram. Filii ejus constituti sunt « pro patribus. »

Ecclesia igitur per episcopos et pastores nos generat Christo fideles; per ipsos nos nutrit, ut simus *perfecti in fide et dilectione;* per ipsos nos docet quæ credenda à nobis sunt, quæ agenda, quæve vitanda, ne à salutis viâ aberremus. Ex hâc episcoporum, quæ in verâ Ecclesiâ Christi est, semperque erit, doctrinæ salutaris successionem infallibilem, atque inconcussam firmitatem intulêre Patres. Reverà illibatam hanc Scripturæ ac traditionis doctrinam sive ad fidem, sive ad mores pertinentem huic episcoporum non interruptæ successioni acceptam referimus, ac referre debemus. Quid enim est aliud Apostolica traditio, quàm doctrina seu ad fidem, seu ad mores, seu ad sacros ritus pertinens, quæ vel expressis veteris, aut novi Testamenti Scripturis continetur, vel certè vivâ voce, aut exemplo, praxique ab primis Ecclesiæ pastoribus, id est, Apostolis data, et per legitimos eorum successores, id est, episcopos, continenti prædicatione tradita ad nos usque pervenit, et ad fideles omnes eo pacto ad finem seculi perventura est?

« Si quis ergo, subdit appositè S. Greg. VII, lib. 3, « Epist., doctrinas sive ad fidei certitudinem adstruendam, sive ad morum rectitudinem instituendam, præter Apostolicas ad nos continuâ successione propagatas, disseminari videat, obsistat, dimicet pro divinâ traditione, ut pro aris, et focis; dicatque cum « Tertulliano : hæ sunt doctrinæ dæmoniorum prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ seculâris, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem philosophiæ ipsius elegit. »

Tria porrò media sunt quibus Ecclesia in episcopis et pastoribus suis continuò perseverans, tanquàm in Patribus ac doctoribus, depositum doctrinæ sibi ab Apostolis traditæ incorruptum, et intactum conservet, et ab iis qui fidem, aut morum regulas corrumpere molìuntur, asserat atque defendat : nempè conciliorum definitiones, decreta summorum pontificum, et documenta sanctorum Patrum, sive episcopi sint, sive alii quos ipsa hoc titulo Patrum cohonestavit, qui sanam puramque doctrinam fidei ac morum in scriptis suis ipsi reliquerunt : de quibus propterea pauca quædam à nobis dicenda sunt.

§ 1. — *De conciliorum auctoritate.*

Quandoque episcopi et pastores qui regunt Ecclesiam, quibusque commissum doctrinæ depositum est, congregantur in unum ad dirimendas, quæ inter fideles insurgunt circa fidem aut mores, difficultates, vel ad damnandos errores qui ab aliquibus novitatum amatoribus disseminantur. Et hujusmodi congregatio appellatur *concilium*, quod etiam græcè *synodus* dicitur. Unde concilium definiri solet : *Congregatio prælatorum Ecclesiæ in unum locum ad causas quæ vel ad fidem, vel ad mores, vel etiam ad disciplinam pertinent, examinandas ac definiendas.* Si prælati ex universis christiani orbis partibus convocantur, præside Romano pontifice, *generale* concilium est. Si ex aliquâ natione, vel regno, in quo primas, aut patriarcha præsideat, *nationale. Provinciale* verò dicitur, quod coalescit ex episcopis, sive prælatis alicujus provinciæ, quibus præsidet archiepiscopus, seu metropolitanus. His additum est concilium diœcesanum ex presbyteris et parochis alicujus diœcesis, cui præest ejusdem episcopus. Sed hoc *concilium* pressè dictum non est, cùm solus episcopus jure suffragii gaudeat, ejusque solâ potestate nitatur. Illud tamen advertendum est, ne aliqua in vocibus æquivocatio suboriatur, *nationalia* concilia nonnunquàm in ecclesiasticâ historiâ appellari *generalia*, non quia absolutè ejusmodi sint respectu universæ Ecclesiæ, sed quia talia sunt respectu vel nationis, vel regni. Concilia *generalia*, quibus præsidet Romanus pontifex, saltem per legatos suos, et ab ipso approbantur, supremam habènt in Ecclesiâ auctoritatem in definiendis iis quæ ad fidem et mores spectant ; adeò ut nemo fidelium ab eorum definitionibus dissentiri valeat, et qui dissenserit, tanquàm hæreticus sit habendus. Nam hæc concilia sunt ipsa Ecclesia congregata, quæ ex infallibili Christi promissione nulli errori in fidei morumque decretis obnoxia est. Atque hæc semper exstitit praxis Ecclesiæ, ut pro hæreticis habuerit omnes qui definitionibus generalium conciliorum pertinaciter restiterunt. Sic tanquàm hæreticos execrata est Arianos post concilium Nicænum, Macedonianos post concilium Constantinopolitanum, Nestorianos post Ephesinum, Eutychianos post Chalcedonense ; ac ut de aliis sileam, Lutheranos et Calvinianos post concilium Tridentinum.

Cætera concilia, quæ *generalia* non sunt, nec summi pontificis, aut universalis Ecclesiæ consensione probata, aut confirmata, errori absolutè subjecta sunt, ac eorum decreta abòleri aliquando possunt ; sed tamen tantâ pollent auctoritate, si Ecclesia, aut caput ipsius non obsistat, aut refragetur, ut citra temeritatem canonibus ab iisdem editis circa fidem et mores nemo non acquiescere, aut illos parvipendere valeat. Quæ temeritas eò gravior consenda est, quò major est episcoporum congregatio. Si enim duobus, aut tribus in Christi nomine congregatis, in medio eorum se futurum Christus ipse promisit ; quantò magis Deus adsistet tot episcopis, tot pastoribus ac sacerdotibus qui in ejus nomine adunantur pro iis stabiliendis quæ ad fidem aut mores fidelium suorum cenducunt, ejusque auxilium ad hunc finem suppliciter implorant ! Illud profectò experientiâ ipsâ compertum est, nedùm concilia nationalia et provincialia, quæ sunt majoris auctoritatis, sed et ipsa *diœcesana* concilia, rarissimè in aliquem errorem esse prolapsa, quoad aliquam definitionem ad mores præsertim pertinentem ; adeò ut, quemadmodùm à docto viro observatum est, si quis laborem suum atque operam impenderet in colligendis decretis quæ in hisce conciliis, sive synodis universi orbis christiani edita fuêre circa regulas morum generales, et casus etiam particulares, næ ille optimam ac perfectam conficeret moralem theologiam ab omni tot fallacium opinionum fæce prorsùs immunem. Quis deplorare, inquit propterea admodùm appositè modernus auctor, satis valet non paucos moralistas, qui, dùm sibi opponi synodorum decreta audiunt, continuò reponunt synodos esse *provinciales, diœcesanas* infallibilitatis privilegio destitutas ? Sed ab illis percontamur, num infallibilitatis dono prædíti sint Caramuel, Bonacina, Machadus, Escobarius, Castropolaus, Tamburinus, et sexcenti alii ? Pluris isti faciunt censum quemdam etiam non numerosum casuistarum, quàm unius diœcesanæ, et etiam provincialis synodi decretum. Cedo : quos *posuit Spiritus sanctus christianam Ecclesiam dirigere ?* Casuistas ? minimè gentium : sed episcopos. Nulla in synodis laxa opinio. Vix duas à tot seculis reperire synodos licet, errorem aliquem continentes. Casuistarum plura volumina laxitatibus et erroribus scatent. Episcopi et parochi pastores sunt populi christiani, secùs casuistæ. Pastorum voces audire oves debent. Quot casuistæ scripserunt, ut scriberent, ut disputarent, ut præjudicatas opiniones et domestica systemata propugnarent ! Certò scimus synodos sacras spiritualem fidelium utilitatem et morum sanctitatem inculcare, regulas honestatis et pietatis præscribere, missis disputationibus et sophisticis argutationibus.

Hinc colligas, pergit ille, quàm hallucinentur confessarii, qui legentes Genetum, Pontasium, Natalem Alexandrum, Merbesium, aliosque similes, qui morales controversias synodorum decretis resolvunt, flocci faciunt, et quòrumdam casuistarum ratiunculas et sophisticas argutationes venerantur, perdiscunt, memoriæ commendant. Quid ad nos, inquiunt, synodi Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ, illius aut alterius diœcesis ? Rationum momenta afferenda sunt. Synodi non decidunt casus practicos, ut nostri moralistæ. His præstigiis non pauci fascinati tenentur. Adeò mos prævaluit, et consuetudo inveterata hominum mentes infecit, ut sperare vix liceat in semitam veritatis revocandos fore.

§ 2. — *De auctoritate summi pontificis in definiendis quæ ad fidem et mores pertinent.*

Non hìc ego attingam celeberrimam quæstionem, quæ vertitur inter Catholicos, num scilicet solius Romani pontificis constitutiones atque decreta infallibili auctoritate potiantur ; neque enim hæc ad præsens institutum necessaria est. Satis mihi est id, in quo catholici omnes conveniunt, tantam scilicet esse in his determinandis summi pontificis auctoritatem, ut, accedente Ecclesiæ consensu, nemo decretis suis adver-

sari audeat, aut ab eis dissentire, quin hæresis notam incurrat, et à fide Christi alienus existimari mereatur. Illud certè apud omnes in confesso est, quòd, cùm infallibile sit Ecclesiæ judicium, in eâ intacta conservetur divina revelatio, quæ per verbum scriptum et traditum ipsi à Christo commissa et concredita est, eaque, ut diximus, communicetur et communicanda semper sit omnibus fidelibus per Apostolorum successores, qui sunt episcopi; in cæteris longè præeminet Romanus pontifex, quòd caput omnium ac princeps existat, quòd ejus fides nunquàm defectura sit, quòd omnes in credendis veritatibus revelatis confirmare debeat. Hoc Ecclesiæ Romanæ privilegium semper agnoverunt sancti Patres et concilia, quorum aliqua afferre præstat testimonia. Vulgatissimum inprimis est testimonium S. Irenæi lib. 3 adv. Hær. c. 3, his verbis expressum : « Quoniam omnium Ecclesiarum numerare successiones valdè longum est, *maximæ* et *antiquissimæ*, et « omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis « Petro et Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ, eam, quam « habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter « potentiorem principalitatem necesse est convenire « Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, *in « quâ semper conservata est ea quæ est ab Apostolis « traditio.* » Hâc re persuasus S. Augustinus contra Epistolam Manichæi, c. 4. : « Multa sunt, ait, quæ in Ecclesiæ gremio me justissimè tenent. Tenet ab ipsâ « sede Apostoli Petri, cui curam pascendi oves suas « Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum, sacerdotum successio, etc. » Plura alia ejusdem generis habet S. doctor in aliis suis libris. Paria tradunt cæteri Patres, Cyprianus, Ambrosius, Cyrillus, Hieronymus, Bernardus, aliique, quorum textus legi possunt apud eos qui hanc discussêre controversiam.

Ut aliqua etiam in eamdem rem ex conciliorum auctoritate delibemus, concilium Chalcedonense relatum à S. Thomâ in Opusc. contra errores Græcorum, hæc habet : « Veneramur secundùm Scripturas et canonum definitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse, et maximum episcoporum. » Et infra : « Si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum « Episcopum antiquæ Romæ : quia habemus Petrum « petram refugii, et ipsi soli liberâ potestate loco Dei « sit jus discernendi secundùm claves à Domino sibi datas, et omnia ab eo definita teneantur tanquàm à vicario apostolici throni. » Et act. 2, cùm lecta esset Epistola S. Leonis, Patres concilii conclamaverunt : « Anathema qui ita non credit : Petrus per Leonem locutus « est. » Et act. 3, Romanum episcopum *Dominum nostrum* vocant, eique acclamantes *apostolicum et universalem* appellant. Et cùm Leo Dioscorum condemnâsset, Synodus ait : « Sanctissimus archiepiscopus « magnæ Romæ unà cum ter beatissimo Petro, qui « est petra, et crepido catholicæ Ecclesiæ, et ille qui « est rectæ fidei fundamentum, nudavit eum episcopatu. » Et in Epistolâ synodali ad Leonem gratulantur Patres quòd tantum antistitem Dominus dederit Apostolicæ sedi : « Unde religionis nostræ fons et origo manat. » Legantur etiam testimonia synodi V generalis, et VI synodi pariter generalis, sicut et VII et VIII, ubi eadem veritas disertissimè comprobatur. Atque hinc est quòd, cùm summi pontifices Innocent. X, Alexand. VII, Innocent. XI et Alexand. VIII, elapso proximo seculo damnaverint atque proscripserint propositiones plurimas, quarum aliquæ ad fidem, pleræque verò ad morum doctrinam pertinent, cujusmodi sunt propositiones traditæ à Michaele de Molinos, et decerptæ ex multis modernorum casuistarum libris, hæc decreta summâ reverentiâ universa Ecclesia recepit, ut juxta ea mores hominum reformaret, et saniorem doctrinam fidelibus traderet. Atque utinàm omnes eo in sensu intelligerent, quo sunt ab Ecclesiâ proscriptæ, illasque consecutiones inferrent, quæ naturaliter fluunt ! Verùm non desunt plures ex theologis maxime probabilistis, qui in sensu alieno à mente summorum pontificum et à veritate interpretantur; et, ut vel à præconceptis opinionibus minimè recedere teneantur, vel auctores propriæ familiæ à turpi damnationis notâ subducant, perfrictè negant ab illis fuisse traditas, cùm in ipsorum libris vel quoad ipsa formalia verba, vel quoad sensum evidentissimè contineantur.

## CAPUT VII.

### *De sanctorum Patrum auctoritate, atque usu in morali theologiâ.*

Ecclesiæ Patres ac doctores, ut jam diximus, sunt Apostoli eorumque successores episcopi, qui commissas sibi peculiares Ecclesias gubernârunt, fideique ac morum doctrinas ab Apostolis continenti successione acceptas in christianam gentem propagârunt. Verùm hoc ipso nomine placuit etiam Ecclesiæ insignire non episcopos tantùm qui vivâ voce doctrinam suam fidelibus tradidêre, sed eos quoque qui scriptis suis Christi et Apostolorum doctrinam illustrârunt, et luci publicæ consignârunt; qui equidem fermè omnes episcopi et ipsi fuerunt; sed nonnulli hâc dignitate ornati non sunt. Hi omnes nomine antiquorum seu veterum Patrum veniunt, quorum præcipui sunt Clemens Papa, Ignatius, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Hilarius, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Leo Magnus, Augustinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Prosper, Fulgentius, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Magnus, Dionysius, Theodoretus, Theophylactus, Damascenus, et si qui sunt alii, quorum agmen claudit S. Bernardus : quibus tamen duo alii adjungendi sunt, quos Ecclesiæ doctores Ecclesia ipsa per summos pontifices declaravit, nempe S. Thomas Aquinas et S. Bonaventura; quorum prior semper habitus est veluti Patrum omnium antiquorum compendium. In horum doctorum classe non accensentur Tertullianus, Origenes, Eusebius Cæsariensis et Ruffinus : siquidem, ut ait Ildephonsus Baptista O. P.

in suâ Apologiâ Patrum, « doctissimus fuit Tertullia-« nus, sapientissimus Origenes, eruditissimus Euse-bius Cæsariensis; et tamen Ecclesia nunquàm do-« ctores suos appellavit eos, nec aliquis unquàm ausus « est eos tali titulo nuncupare, quòd multis aliis con-« tigit non solùm doctrinâ, sed etiam sanctitate præ-« stantibus. » Nonnulli quidem hos in catalogo Patrum et doctorum collocant. Sed quamvis non ille sim ego qui abnuam eos in multis audiendos esse, in quibus Ecclesiæ auctoritatem secuti sunt, quia tamen non semper illimis fluxit ipsorum doctrina, idcircò cautè legendos esse communi Catholicorum sententiâ admonemur.

His positis, non modò Lutherani et Calvinistæ parvi fecerunt Patrum veterum auctoritatem, sed quidam etiam ex Catholicis in morum præsertim regulis, qui ipsi anteferre ausi sunt modernos theologos, ex quibus potiùs addiscendam esse christianam ethicam scripturierunt. Hinc dictum illud P. Reginaldi : « Quæ circa « fidem emergunt; difficultates à veteribus hauriendæ; « doctrina morum à recentioribus sumenda. » Hinc solemnis illa protestatio Caramuelis : « Tota theologia « nostra nova est; » ac rursùs : « Non multùm tem-« poris impendo aut perdo in veterum libris legendis; » cujus effati sui rationem reddiderat, cùm in Theolog. Fundam. n. 1330 scripserat « se in omnibus plus ra-« tioni et dialecticæ, quàm auctoritati detulisse. » Et certè licet alii idipsum expressis verbis non audeant asserere, facto tamen idem confirmant. Nam eorum libri de theologiâ morali tractantes apertè attestantur se plus ipsos humanæ rationi quàm auctoritati deferre. In istis quippe vix aliud invenias, nisi studiosè collectam ratiuncularum humanarum farraginem, densamque recentiorum scriptorum turbam; rarò autem aut nunquàm Patrum auctoritatem.

Quoniam verò circa usum auctoritatis Patrum in rebus theologicis sive ad fidem, sive ad mores spectantibus aliquæ subnasci possunt difficultates, ideò ad eas discutiendas, remque claro in lumine ponendam, quasdam hìc regulas ex Cano aliisque scriptoribus desumptas apponere consultum judico. Sit igitur

Regula prima. — In rebus philosophicis, aut aliàs, humanas disciplinas spectantibus non plus auctoritatis habent sancti Patres, quàm exigant prolata ab ipsis rationum monumenta. Siquidem in his non sunt traditionis divinæ custodes, nec lumen habent magis speciale quàm habeant cæteri homines in his doctrinis explanandis. Unde et sæpè decepti sunt, et ipsorum error certissimè deprehensus est, ut patet in illis qui antipodas esse negârunt.

Regula II. — In theologiâ aliqua disputantur, quæ ad doctrinam neque fidei neque morum inserviunt, adeòque neque in sacrâ Scripturâ neque in divinâ traditione contenta. In his ergo disputationibus possumus quidem, si nobis placeat, Patrum auctoritatem sequi, sed amplecti nullâ necessitate adstringimur. Nititur hæc regula Vincentii Lirinensis cap. 32 Commonitorii sapienti animadversione : « Antiqua, inquit, « sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ « legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regulâ, » sive in his quæ per Scripturam aut traditionem habentur, « nobis certò est sequenda, atque in his præcipuè quæ-« stionibus, quibus catholici dogmatis fundamenta « nituntur. »

Regula III. — Generatim loquendo, quoties agitur de fide ac morum regulis, potiùs tenendum est et amplectendum quod visum est sanctis Patribus, quàm quod videtur aut nobis aut modernis theologis. Hæc regula solidum fundamentum habet in ipsorum Patrum doctrinâ. Aliquos saltem afferre præstat de iis quæ ad mores attinent, præsertim loquentes. Tertullianus, inprimis lib. de Præscript., quem semper probavit Ecclesia, scribit : « Nobis nihil ex nostro arbitrio indul-« gere licet, sed nec eligere quod aliquis ex suo arbitrio « induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, quos « imitari oportet, qui nec ipsi quidquam ex suo ar-« bitrio elegerunt : sed acceptam à Christo disciplinam « fideliter posteris assignârunt. » S. Basilius Magnus in Regulis, reg. 85 : « Nos mentis nostræ fœtus non « audemus obtrudere; sed quæ à SS. Patribus edocti « sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus. » De eodem Basilio, simulque Gregorio Nazianzeno refert Ruffinus, quod tametsi forent præstanti ingenio ornati, Scripturarum sententias non ex propriâ præsumptione, aut arbitrio, sed ex majorum ratione et auctoritate interpretati sunt. De iisdem pariter, quemadmodùm et de SS. Cypriano et Ambrosio testatur Augustinus cont. Julian. cap. 10 : « Quod invenerunt in Ecclesiâ, « tenuerunt : quod à Patribus acceperunt, hoc filiis « tradiderunt. » Atque eumdem fuisse sensum totius antiquitatis testatur itidem laudatus Lirinensis : « In-« telligebant enim, inquit, nihil aliud rationem pieta-« tis admittere, nisi ut omnia, quæ fide à Patribus « suscepta forent, eadem filiis consignarentur.... idque « proprium esse christianæ modestiæ, non sua poste-« ris tradere, sed à majoribus accepta servare. »

Regulam eamdem ampliùs confirmant Petri successores summi pontifices. Innocentius II Epist. ad Victricium sic ait : « Non nostra præcepta imperantur, « sed ea quæ Apostolicâ et Patrum traditione sunt « constituta. Scriptum est namque ad Thessalonicen-« ses, Paulo monente : *State et tenete traditiones ve-« stras quas tradidimus vobis sive per verbum, sive « per epistolam.* » Gelasius Epist. 3 : « Ubi est quod « scriptum est : *Terminos Patrum tuorum ne transgre-« diaris?* et : *Interroga patres tuos, et annuntiabunt « tibi; seniores tuos, et dicent tibi?* Quid ergo tendimus « ultra definita majorum? Aut cur nobis non sufficit, « si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab « orthodoxis Patribus singula quæque vel vetita, vel « præcepta sunt, vel aptata catholicæ veritati? Num-« quid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus fir-« mâ stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta « sunt, subruamus? » Sedulò hæc verba à pluribus casuistis consideranda sunt, qui parùm aut nihil Patres curant. Sed non minori consideratione digna sunt, quæ sequuntur. Zozimus papa apud Ivonem Carnotensem, Epist. 60, hæc profitetur : « Contra statuta

« Patrum concedere aliquid vel immutare, nec hujus « quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim in- « convulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Pa- « trum sanxère reverentiam. » Si nec summi Ecclesiæ Catholicæ pontifices sibi fas esse ducunt contra Patrum statuta aliquid decernere, fasne hoc esse poterit quibusdam theologis? Sed audiamus etiam alium summum pontificem gemina proferentem, nempe Gregorium VII, qui lib. 3, Ep. 10 : « Videntes, ait, ordi- « nem christianæ religionis multis jam labefactatum « temporibus, et principales ac proprias lucrandarum « animarum causas diù prolapsas et suadente diabolo « conculcatas, concussi periculo, et manifestâ perdi- « tione gregis Dominici, ad sanctorum Patrum decreta « doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinven- « tione nostrâ statuentes, sed primam et unicam ec- « clesiasticæ disciplinæ regulam, et tritam sanctorum « viam, relicto errore, repetendam et sectandam esse « censuimus. Neque enim alium nostræ salutis et æ- « ternæ vitæ introitum Christi ovibus.... ab ipso « monstratum.... et ab Apostolis prædicatum et à san- « ctis Patribus observatum in evangelicâ et in omni « Scripturarum divinarum paginâ didicimus. »

His quoque addenda censeo, quæ in Constantiensi concilio sancita fuêre in Præf. his verbis : « Cùm ple- « rùmque in rebus dubiis ad utramque partem rationes « plurimæ adducantur, ad tollendas lites et contentio- « nes opportuna cernitur veterum auctoritas et quæ « ab antiquo facta legitur sanctorum definitio Patrum. « Sic enim scriptum est : Interroga generationem pri- « stinam, et diligenter investiga Patrum memoriam. » Non ità planè se gerunt Probabilistæ, quoties controversiæ dubiæ de moribus occurrunt, quæ inter ipsos frequentissimæ sunt et in utramque partem rationes adducuntur; quin potiùs intrepidè affirmant, eo in casu alterutri parti unicuique liberum esse adhærere, et quæ sibi magis favet, sectari absque ullâ peccandi formidine.

Regula IV. — Qui in aliquâ nedùm fidei, sed etiam morum tradendâ doctrinâ recedit ab unanimi sanctorum Patrum sententiâ, veluti hæreticus habendus est, et à fide catholicâ alienus. Hæc regula ex iis, quæ mox dicta sunt, consequitur; sed clariùs ex verbis jam supra relatis concilii Tridentini comprobatur. Sess. quippè IV, decretum illud editum fuit « ad coercenda « petulantia ingenia; ut nemo suæ prudentiæ innixus in « rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ chri- « stianæ pertinentium interpretari audeat contra sen- « sum quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, nec etiam « contra unanimem consensum Patrum. » Cujus rei evidens ratio est, quia unanimis Patrum sensus etiam in aliquo morum dogmate, ac divina traditio ita connexa sibi sunt, ut divelli invicem ac dissociari non possint. Et si sancti omnes in rebus hujusmodi decepti fuissent, ipsa quoque Ecclesia fuisset decepta : neque enim aliunde apertiùs quàm ex sanctorum veterum testimoniis plerasque apostolicas traditiones, et quid semper Ecclesia tenuerit, agnoscimus.

Regula V. — Si pauci aliqui ex Patribus inveniantur sive in fide, sive in aliquâ morum doctrinâ ab aliorum Patrum communi consensu dissidere, his omninò adhærere debemus, nullâ habitâ illorum ratione. Hæc regula traditur à Vincentio Lirinensi, Commonit. cap. 4, dicente : « Quid si ipsâ vetustate duo- « rum aut trium error deprehendatur? Curabimus « omninò, ut paucorum inscitiæ universalis concilii « decreta præponantur. Quæ si desint, collatas inter « se majorum sententias lector consulat eorum qui « diversis licet temporibus et locis, in unius tamen « Ecclesiæ catholicæ communione ac fide permanen- « tes, magistri probabiles (seu digni approbatione) « exstiterunt : et quod non unus aut duo tantùm, sed « omnes pariter uno eodemque consensu apertè, fre- « quenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse « cognoverit; id sibi quoque intelligat absque ullâ du- « bitatione credendum. »

Regula VI. — Fides integra SS. Patribus adhibenda est, cùm loquuntur non tantùm ut doctores præscribentes quid credere quidve agere debeamus, verùm etiam ut testes rerum quæ temporibus suis in catholicâ Ecclesiâ vel credebantur, vel observabantur : affirmantque talem fidem, vel talem praxim in Ecclesiâ catholicâ viguisse, vel eam ad depositum sacræ doctrinæ à Christo aut ab Apostolis commendatæ pertinere. Non enim quisquam, nisi temerè admodùm, Patribus, qui nedùm doctrinæ, sed etiam sanctitatis laude floruerunt, fidem præstare abnuat. Nec necesse tunc est ut Patres omnes idem asserentes citentur, sed sufficit ut unus aut alter adducatur, de cujus fide nullus sit ambigendi locus.

Regula VII. — Si aliqui Patres in aliquâ doctrinâ vel fidei vel morum ab aliis æquè gravibus dissideant, probabilem quidem sententiam efficiunt, non autem omninò certam, nisi Ecclesiæ accedat definitio. Hæc regula exemplis pluribus confirmari posset. Nam quidam ex Patribus aliquid docuerunt, ut ad disciplinam pertinens, in quo postea, re accuratiùs expensâ, inventi sunt à veritate descivisse; quod subinde Patres omnes communi consensu declarârunt, et Ecclesia tanquàm fide certum definivit, ut patet in illâ controversiâ quam habuit S. Cyprianus cum Stephano papâ de rebaptizandis hæreticis. Hinc S. Hieronymus Epist. 4 ad Ctesiphontem scripsit : « Si quid in meo ingeniolo « vitii repererint (qui contrà sentiebant), proferant in « medium : aut enim bona erunt, et contradicam eorum « calumniæ : aut reprehensibilia, et confitebor erro- « rem, malens emendari quàm perseverare in pravi- « tate sententiæ. » Similia habet S. Augustinus lib. de Don. perseverant., cap. 21 : « Neminem velim sic am- « plecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus « me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio « libros in quibus opuscula mea retractanda suscepi. »

Regula VIII. — Eò solidior ac gravioris auctoritatis æstimanda est auctoritas unius aut paucorum Patrum, quo constat illos in aliquâ controversiâ fidei, vel morum magis versatos fuisse, aut majori lumine à Deo donatos. Sic auctoritas S. Augustini magni præ cæteris Patribus pendenda et in libris quos scripsit ad pro-

fligandam hæresim Pelagianorum ac Semipelagianorum, et in aliis quos edidit contra mendacium, etc. Sic etiam inter postremos Ecclesiæ doctores nemo non plurimi faciat doctrinam S. Thomæ Aquinatis, nedùm quia in suis operibus reliquorum Patrum doctrinas mirè complexus est, verùm etiam propter peculiarem existimationem quam ejus doctrina consecuta est in Ecclesiâ catholicâ, et singulares laudes quibus illam condecorârunt summi pontifices, et omnes antistites, et celebriores universitates.

## CAPUT VIII.

*Quædam in Prodromum P. Zachariæ circa usum SS. Patrum in rebus moralibus animadversiones.*

Ad majorem regularum quas dedimus, et hujusce de Patrum usu in moralibus argumenti lucem, proderit hùc corrivare animadversiones factas à viro doctissimo in Prodromum P. Zachariæ ad theologiam moralem PP. Busembaum et Lacroixii, in quibus dissipantur objecta præcipua quæ fieri solent à recentibus casuistis in favorem methodi tractandæ theologiæ moralis absque Patrum veterum testimoniis, sive auctoritatibus. Hæc scribit ille pag. 14, paucis, prout visum fuerit, immutatis, aut prætermissis, aut etiam adjectis. Quemadmodùm probabiles opinatores à sacris Scripturis, ita à sanctis Patribus, quorum doctrinà à purissimo illo divino fonte derivata est, dissentiunt; quâ in re P. Zacharia eos frustra tueri conatur. Ipsa enim eorum lectio evidenti testimonio est. Eorum theologia ab omnibus *nova* vulgò dicitur, nec sine ratione. Nec enim eo solum nomine *nova* est, quòd *novas*, sed quòd, ut ait Alexand. VII in Præf. ad theses à se proscriptas, *alienas ab Evangelicâ simplicitate sanctorumque Patrum doctrinâ* opiniones commenta sit. Quapropter Zacharia incassùm clamat : « In iis frequentius nihil, quàm aut Patrum « testimonia describere, aut locos indicare, ubi de « hâc illâve re loquantur Patres. » Quod oppido falsum esse, saltem in pluribus ipsius Busembaum et Lacroixii, quos ille illustrare suâ Prodromo molitur, lectione compertissimum est : neque enim in his plorumque invenias, nisi juniorum allata testimonia. Quòd si loca Patrum aliqui quandoque citant, aut etiam, quod rarissimum est, quandoque afferunt, eos sibi, non se illis accommodant. Ex quo fit ut, dùm Patres venditant, non Patrum, sed à Patribus longè diversam doctrinam propinent, suosque lectores aut inscitè aut ex industriâ decipiant.

Contra verò saniores theologi, ut Genetus, natalis Alexander, Besombes, Concina, aliique his similes Patres appellant, eorum sententias proferunt et verba, iisque, ut necesse est, religiosè inhærent. At, inquit Zacharia, « sexcenta quotidiè fabia enascuntur, quo- « rum qui in Patribus quærat explicationem, ridicu- « lus sit. » Post subdit : « Atqui ostendet vir eruditus « tus (P. Concina) casuisticas controversias in Pa- « trum libris reperiri? » Concina Appar. tom. 1, pag. 278, n. 7, objectionem his verbis antevertit : « Quem- « admodùm hæresum monstra, postèa invecta con- « tra fidem ab hæreticis, non occurrunt in Patribus « antiquioribus; sic laxarum opinionum portenta, quæ « excogitârunt moralistarum nonnulli, expressè non « profligârunt Patres, quia non eò laxitatis prolapsi « tunc homines erant, ut talia propugnare paradoxa « auderent. Verùm sicut in Patribus reperiuntur doctrinæ quibus prodigiosa hæreticorum deliria ad- « versùs catholica dogmata conteruntur, ita SS. Ecclesiæ Patres documenta splendidissima et regulas « sanctissimas nobis porrigunt, quibus laxarum opinionum commenta et novum opinandi modum omnium malorum fontem labefactemus. » His Patrum documentis à vero aberrare casuistas idem P. Concina in suâ Theologiâ sæpenumerò demonstrat, ita ut mirum sit P. Zachariam dicere ausum : « Errare nos, « nisi alios ab iis, quos habemus, Patrum libros pro- « ferat, non demonstrabit, ne millenos quidem si ef- « fundat theologiæ christianæ tomos. » Dùm Zacharia hæc trasonicè scriberet, non illud meditabatur ut rectè diceret, sed ut aliquid diceret. Enimverò in Patrum libris necessarias ad mores formandos doctrinas desiderari quis nisi imprudenter affirmet, et cum insigni tam venerabilium Patrum injuriâ? Quis enim dicat defuisse tunc temporis moralis theologiæ magistros? An tum Christiani, ut alibi observat, non exercebant contractus, mercaturam, emptiones, venditiones, commercia, ludos? An matrimonia non ineibant? An non et ipsi sagaces, astuti et acuti erant in excogitandis opinionibus, prætextibus, cavillationibus, ut suas honestarent usuras, pompas, choreas, comœdias, luxum, divitiarum cumulationes, opipara convivia? Ortumne vitium aliquod novum est, quod Patres non damnaverint? Cur ergo haurienda à Patribus non est morum theologia? Cur illorum doctrinà dirimi præcipuæ saltem morum quæstiones minimè possunt? Equidem concedere non abnuo casuisticas controversias in Patrum scriptis haud reperiri, ut illam, quam profert P. Zacharia de trino contractu, (quibus aliàs id genus adjicere potuisset). Sed hoc in causâ est, quòd Patrum tempore non eò laxitatis adhuc deventum erat, ut trini contractûs paradoxum excogitare, nedùm propugnare tanquàm justum homines auderent. Trinus contractus novum inventum est, luxuriantibus nostrorum temporum ingeniis reservatum. Sed cùm trinus contractus in usuræ damnatione includatur, nec nisi palliata usura sit; hoc ipso illum quoque damnârunt Patres, quòd usuram damnaverint. Fatemur etiam omnia quæ ad jus humanum positivum pertinent, quæstionesque plurimas quæ circa ipsius præceptiones agitari solent, in Patrum libris non inveniri; adeòque ex recentibus scriptoribus esse repetendas, prout animadvertit etiam sapientissimus pontifex Benedictus XIV in Litterà encyclicâ anni 1749, quoniam « hujusmodi controversiæ, ut ait, non- « nisi à modernis scriptoribus excitatæ sunt. » Verùm quæ ad juris naturalis ac divini positivi intelligentiam pertinent, luculenter evoluta deprehenduntur. Cur igitur in his saltem quæstionibus ex doctrinâ Patrum resolutio casuum occurrentium desumi nequit?

Pluribus omissis, quæ ibidem habet laudatus auctor, quibus strenuè P. Zachariam refellit, Augustinum ac Bernardum in defensionem sui systematis perperàm detorquere molientem, quæ subinde tradit adversùs ipsum pro usu SS. Patrum, describo. Tanquàm canonem proposuerat ille : « Quæ ex Patrum homiliis, « asceticis libris, et orationibus, idque genus lucu- « brationibus sumuntur, non eam Theologo fidem fa- « ciunt, quam quæ in dogmaticis instructionibus, epi- « stolis, etc., facere possunt. » Hunc canonem ad examen vocans ita scribit.

Hic verò P. Zacharia insignem SS. Patribus injuriam irrogat, perinde ac si illi minùs cautè, minùsve accuratè prioris generis documenta scripserint, quàm posterioris. Itane verò? Modus quidem doctrinæ alius, et alius pro personarum et circumstantiarum varietate esse debet. At doctrina semper eadem : eadem in suggestu, ac pœnitentiæ tribunali ; eadem apud ignobile vulgus et rudes, ac apud nobiles, delicatos et doctos. An alia via esse potest eundi in cœlum ; ac doctrina veritatis, ut eadem omnibus ubique et semper tradenda non sit? Imò verò si ad rudem populum verba facias, major in tradendis morum doctrinis cautio adhibenda est, quàm si cultos et doctos homines alloquaris. Quia hi, si quid erraveris, faciliùs corrigere possunt, quàm imperitum vulgus, quod ab homine religioso multæ auctoritatis et existimationis deceptum vix unquàm errorem deponit.

*At*, inquit Zacharia, *multa in ejusmodi libris exaggeratiùs proferuntur : neque id mirum, cùm oratoribus omnibus id solemne sit : multa quoque consilium potiùs spectant, quàm præceptiones.* Hanc oppositionem inflatis genis obtrudunt Protestantes et Calviniani omnes, quos inter Joannes Dallæus *de usu Patrum* integro cap. 5, eam amplificat. Pudeat proinde Zachariam hominem non solùm catholicum, sed sacrum et religiosum ab hæreticis cavillationes desumere, quibus Patrum auctoritatem elevet. Amplificant quidem Patres, ubi opus est, non instar præstigiatorum et sophistarum, qui fallacibus pigmentis res supra meritum attollant; sed instar gravissimorum oratorum, qui copioso dicendi genere, verborum pondere, rationum momentis, rei dignitatem vel indignitatem in auditorum animos fortiter imprimunt; adeòque Patribus sophisticam exaggerationem, quâ levia crimina cum gravibus, consilia cum præceptis confundant, adscribere nihil aliud est, nisi eos è venerando Patrum consessu graduque dejicere, ac inter garrulos, leviculos, fallaces, imperitos, sciolos detrudere.

At pergit adversarius et canone octavo scribit : « Dent tamen mihi hanc veniam casuistarum repre- « hensores, ut confidenter pronuntiem, quo magis in « diligentiâ et criticâ (in Patrum citatione) antiquio- « ribus casuistis antecellunt Natalis Alexander, Gene- « tus, aliique hujusmodi, eò magis istis illos præ- « stare testimoniorum delectu et ratiocinandi vi. » Sed appositè reponit auctor. Dùm P. Zacharia hæc scriptis consignabat, ut credulis ac imperitis lectoribus fucum faceret, in mente sanè non habebat illud Alexandri Papæ VII, quod nos non sine ratione sæpiùs inculcamus. « Modus opinandi irrepsit (hic sermo est « de casuistis ab duobus circiter sæculis obtinentibus) « alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, sancto- « rumque Patrum doctrinâ, etc. » Hic est antiquiorum casuistarum delectus in Patrum doctrinâ et citatione. Quod ad ratiocinandi vim attinet, acutissimi illi certè fuerunt; sed ingenii soliditate, ac judicii maturitate gloriari non possunt, utpote qui innumeris cavillationibus libros impleverint.

Concludamus igitur nihil esse quod moralistam theologum retrahere debeat à SS. Patrum lectione, ut sanam morum doctrinam tradat ; imò ut illam ad primævum suum splendorem, et antiquam majestatem revocet, illorum opera continuo studio verset ac legat, necesse est. Ab iis siquidem certas regulas addiscet, quibus tutò dirigat conscientias hominum, et peculiares etiam, qui in dies occurrunt, casus resolvat. Quòd si omnes in hoc studium incumbere nequeant, saltem præ manibus habeant S. Thomam, qui cæterorum omnium absolutissimum compendium est, illorumque doctrinas mirâ perspicuitate atque ordine in *secundâ parte suæ Summæ* congessit et explanavit.

## CAPUT IX.

### *De usu rationis humanæ in morum Theologiâ.*

Circa usum humanæ rationis, in rebus præsertim moralibus, duo sunt errores, quos fugere omninò debemus : alter eorum est, qui usque adeò humanæ rationi et argumentis ab eâ ductis sese addixerunt, ut, sive disputent, sive scribant de morum controversiis, Scripturam sacram, traditiones Patrum, conciliorum et Ecclesiæ decreta ne legisse quidem aut novisse videantur. Alter verò error pariter illorum est, qui solis Scripturarum testimoniis aut etiam scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis rationis haud aliter abhorrentes, quàm si essent theologiæ adversa et inimica. Quo in errore fuisse quosdam testatur Clemens Alexandrinus lib. 1 Strom. his verbis : « Non- « nulli, qui se putant esse ingeniosos, nec philoso- « phiam attingere volunt, nec dialecticam, sed nec « contemplationem discere naturalem, sed solam et « nudam fidem requirunt. » Tribuitur etiam hic error Luthero, aliisque.

Verùm quicumque sint, qui in hâc postremâ opinione versantur, quos paucos admodùm esse puto, hi profectò in errore sunt adeò evidenti, ut confutatione non egeant. Satis illud sit quod animadvertit doctissimus Cano, lib. 9 de Loc. theol. cap. 4, inquiens : « Cùm nec hu- « manarum rerum intelligentia divinarum cognitioni ob- « sit, nec divinarum cognitio humanarum intelligentiæ, « neutram debemus in alterius propriâ functione abjice- « re, nisi volumus esse stulti. Porrò qui theologiam sic « instituit, ut nihil habeat cum naturæ ratione conjun- « ctum, omniaque egregiæ disciplinæ dogmata solâ Scri- « pturarum fide metitur, hic, si in eâ opinione persistat « et non interdùm naturæ bonitate vincatur, nec theo- « logiam colere tuerique potest, nec fidem, nec hu- « manitatem. Non humanitatem ; sæpè enim dicendum

« est quia sine ratione humanitas extirpatur; qui « autem rationales disciplinas theologo auferunt, hi « suam illi rationem eripiunt. Quoniam si veritatem, « quæ in disciplinis cernitur, et hominis intelligentiam « à ratione tollas, jacebit profectò, vel nulla erit po- « tiùs. Nec fides rursùm se ipsa sola sine doctrinâ et « ratione tutari potest. Nam philosophiâ, et omni ra- « tione disputandi sublatâ, cum fide sancta rusticitas « manet, quæ, ut Hieronymus ad Paulinum scribit, « *quantùm prodest vitæ merito, tantùm simplicitate no-* « *cet, si adversariis non resistat.* Itaque vacillabit fides, « nisi fidelis, quod Petrus ait, *paratus sit reddere ra-* « *tionem;* id quod solâ fide sine ratione fieri non po- « test. Theologia denique citra naturæ rationem non « constat; cùm enim sit homo rationalis, est illi inge- « nita ratiocinatio, sive agat secum quid, sive cum « altero; sive velit humana seu divina cognoscere. « Quare ubi homines disserent, rationem naturalem « repellere non debent, nec verò possunt, nisi homi- « nes esse desierint. Ratio enim res omnes continet: « quoquo te verteris, præstò est; nullâ disputatione « excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab « usu theologiæ remotam esse volunt, ii omnem à « theologis disputationem excludunt, sine quâ tamen « quid in unâquaque re verum sit discerni et compre- « hendi non valet. » Subinde verò observat « quòd, « quamvis omnis institutio theologiæ humanæ rationis « adjumenta desideret, illa tamen inprimis, in quâ de re- « bus naturæ disseritur, disseritur autem de hujusmodi « sæpenumerò. » Ut enim alia omittam, « sacra doctrina « mores naturæ moderationi consentaneos præscribit, « vitia rationi contraria refutat: quo loco sive in scholâ « de hisce definias quidquam, sive populo in concione « persuadeas recta, prava dissuadeas, naturæ, ratio- « nis, philosophiæ opem contemnere, amentis erit. » Verum de hoc satis. Ad alium errorem profligandum pergamus, qui sanè multorum est, maximèque casuistarum, qui adeò humanæ rationi deferunt ut omnia, aut fermè omnia quæ tractant in morali theologiâ, nonnisi ab humanâ ratione ductis argumentis, definiunt atque resolvunt, neglectis omninò propriis ac præcipuis theologiæ fontibus, Scripturâ, traditione, Patribus, aliisque. De his, ut ab initio ex Cano cap. 1, ejusdem lib. 9, notavimus, qui theologiæ dogmata (sive mysteria fidei sint, sive morum præceptiones) humanis metiuntur argumentis, ne theologi quidem dicendi sunt. Nam vera et legitima theologia à fide descendat oportet, ubi hujus facultatis propria inveniuntur principia. Fides autem tota Scripturarum et Ecclesiæ auctoritate nititur. Quapropter ratione abutuntur, qui de rebus theologicis sive ad fidem sive ad mores pertinentibus sacros libros, traditiones, conciliorum dogmata, juris pontificii decreta, sanctorum veterum doctrinam prætermittunt, totosque se dedunt reperiundis rationibus humanis, quibus, quæ scribunt, adstruant atque confirment. Hos appellat ille non theologos, sed sophistas. « Sophisticè enim nihil habet « nisi argutationes vanas, quarum nullus in theologiâ « fructus est. Quin adeò nulla pernicies theologiæ ma- « jor inveniri potest, quàm in sophismatum fæce si- « mulatio theologiæ. » Errant igitur hi, ac maximo- perè errant in usu, seu potiùs abusu humanæ rationis.

Quinam ergo erit rationis humanæ ac philosophiæ legitimus usus in rebus theologicis, ac præcipuè moralibus, de quibus hìc agimus? Non alius sanè, quàm qui designatus superiùs à nobis est ex S. Thomâ, ut videlicet auctoritas divinæ revelationis, quæ habetur in verbo Dei scripto et tradito, nobisque ab Ecclesiâ communicatur per concilia, Patres, decreta summorum pontificum, et id genus alia documenta; ut hæc, inquam, auctoritas *primas partes obtineat*, ratio verò humana *postremas:* hæcque, quemadmodùm et cæteræ naturales disciplinæ, quibus instructa est, illi subserviat tanquàm dominæ suæ. Quod explicari ampliùs potest divisione rationis quam tradit idem Angelicus doctor 2-2, q. 2, art. 10, nimirùm in *antecedentem* et *consequentem*. Ratio *antecedens* ea dicitur, quæ oracula divinæ revelationis non habet tanquàm regulas, quibus dirigatur in suis actionibus, quas vel elicit, vel imperat, seque illis accommodat omninò juxta naturalem sensum, quem præferunt: sed illa potiùs ad id quod præconcepit, torquet et inflectit; sicque ea sibi subjiciat potiùs, quàm illis subjiciatur, inserviat, et ancilletur. Ratio *consequens* vocatur, quæ è contrario in oraculis verbi divini, sive præceptionum, quæ ab ipsis traduntur, fundatur, accommodaturque ad legis præscriptum; et si quas rationes ad hanc constabiliendam inveniat, iis utitur, magisque illustrat ac declarat veritates quæ in Scripturis ac Ecclesiæ documentis habentur; atque ita non sibi divina oracula, sed se, suasque rationes illis subjicit et accommodat; id quod inter cæteros Patres maximè præstitit nunquàm satis laudatus S. Thomas, qui in suis omnibus operibus, ac præsertim in suâ *Summâ Theologicâ*, divinas, quas acceperat ex Scripturâ sanctisque Patribus, veritates egregiis rationibus ex philosophiâ aliisque scientiis desumptis explanat atque confirmat: sive potiùs, ut ejusdem verbis utar, 1 p., q. 1, art. 5, ad 2: « Ad majorem eorum manifesta « tionem: et hoc ipsum, ut ait, quod utitur eis, non « est propter defectum, vel insufficientiam divinæ « scientiæ, sed propter defectum intellectûs aliorum « qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex quâ « procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, faciliùs ma- « nuducitur in ea quæ sunt supra rationem. » Quod ab omnibus observandum apprimè est, ne quis fortassis inveniat, quod culpet in methodo tradendi theologiam, quam ille persecutus est.

Hæc itaque ratio *consequens* revelationem commendanda est; sed *antecedens* jam descripta abjicienda penitùs, et eliminanda à theologiâ, sive mysteria, sive mores edoceat. Quæ tamen ratio tractandi res theologicas adoptata videtur, atque in deliciis habita à pluribus inter morales maximè theologos, ut eorum libros legentibus apertè constat. Patet namque ex ipsorum methodo, quam sequuntur, semper, aut ferè semper priùs quid sibi humana ratio dictaret, consuluisse, quàm quid Scriptura, vel traditio præscriberet,

adeòque sententias suas in ratione purè humanâ fundârunt potiùs quàm in sacrâ Scripturâ, vel acceptâ à majoribus et sanctis Patribus doctrinâ, quâ solùm aliquando utuntur ad eas, quas jam animo imbiberunt, opiniones confirmandas, sæpè illam detorquentes à nativo sensu quibusdam vanis distinctiunculis, quas nunquàm suppeditat ratio humana. Atque hinc factum est quòd non sine magno animi sui mœrore sanctissimus pontifex Alexander VII perceperit « complures « opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, et ani- « marum perniciem inferentes partim antiquatas ite- « rùm suscitari, partim noviter prodire, et summam « illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies « magis excrescere, per quam in rebus ad conscien- « tiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus « omninò ab Evangelicâ simplicitate, sanctorumque « Patrum doctrinâ. » Quibus verbis summus pontifex digito veluti monstrat fontem, unde opiniones laxæ, quas ipse damnavit, aliæque quas subindè damnaverunt summi pontifices, prodierint, ac præsertim probabilismus, qui per illa verba : *Modus opinandi irrepsit*, designatus est : nimirùm quia theologi complures summâ ingeniorum luxuriantium licentiâ humanæ rationi suæ solùm deferentes, nec Scripturas, et Patres curantes, recesserunt *ab evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ*, quâ morales controversias tractare debuerant. Neque aliud profectò contingere poterat ex hâc methodo definiendi ac statuendi morum regulas per hanc rationem antecedentem. Hoc namque modo se gerere nihil est aliud, quàm procedere inverso locorum theologicorum, atque adeò theologicæ veritatis ordine, ex quo nata est multiplex in intellectu confusio, et ex confusione intellectûs multiplex error. Quemadmodùm enim in familiis, civitatibus ac provinciis si ordine inverso dominis servi imperarent, ingens oriretur confusio, nec nisi desolatio, insolentia, divinarumque et humanarum legum subversio; ita quoque in theologicis rebus contingat necesse est, si humana ratio ac philosophica disciplina dominentur theologiæ, neque isti tanquàm dominæ subjiciantur, aut subjici detrectent. Quapropter Clemens Alexandrinus aiebat lib. 1 Strom. : « Sæcula- « rem amplector doctrinam, sed ut juniorem et con- « servam : scientiam autem tuam (Deus) ut perfectam « dominam honoro et colo. Ecce ancilla in manibus « tuis : utere eâ, ut lubet (Sara dixit Abrahamo); et « afflixit eam Sara, quod perinde est, ac correxit. » Et Melchior Canus lib. 9, cap. 9 : « Quoniam ancillas, ut « vocarent *ad arcem Sapientia misit* (ut Proverb. « cap. 9 legitur); admonuêre patres, disciplinas, « quas vocant liberales, theologiæ subservire opor- « tere, non dominari. Curaturum itaque illarum stu- « diosum, ne ancillarum amatoriis delectatus, domi- « nam, hoc est, veram sapientiam negligat. Quin « etiam curaturum, ut si Agar Ægyptia Abrahami « complexibus insolescit, ejiciatur foràs, atque exulet; « nec sinatur aut Ismael Isaaci simplicitatem irridere, « aut Agar Saræ bonitatem contemnere. Affligat an- « cillam domina, et corrigat, habeat in manibus, uta- « tur eâ, ut libitum fuerit. Sic enim modesta, erit uti- « lis, quæ cùm ei præter modum indulgetur, est etiam « perniciosa. »

## CAPUT X.

### *De scholasticâ theologiâ.*

Tametsi nonnulli sint qui scholasticam, adeòque casuisticam theologiam contemptui habeant, ac theologos scholasticos negligendos putent; si tamen quid illa reverà sit et quodnam ejus officium, probè teneamus, nec disciplinæ abusus et hominum vitia in ipsam regeramus, nedùm improbanda non est, sed commendanda potiùs, et tanquàm utilis admodùm judicanda. Quodnam enim proprium ac legitimum ejus officium est? Non aliud planè, nisi doctrinam Ecclesiæ tum fidei, tum morum in Scripturis, in conciliis, in decretis pontificum sanctisque Patribus dispersam in unum colligere, in varios tractatus distribuere, et distributam rectâ ratione atque ordine explanare; quæ in verbo Dei sive scripto sive tradito delitescunt, in lucem revocare, rationum momentis illustrare, et sophismata tum hæreticorum, tum aliorum quorumcumque dissolvere. Cæteræ, quæ à quibusdam in hâc disciplinâ intermiscentur, maximèque futiles, disputationes, et inanes verborum pugnæ tanquàm ipsi extraneæ reputandæ sunt, ac meritò à sapientioribus theologis improbantur.

Primi qui viam tractandi theologiam methodo hâc scholasticâ institêre, sunt S. Joannes Damascenus, S. Anselmus, ac Petrus Lombardus, vulgò Magister Sententiarum, qui præ cæteris tantam sibi existimationem comparavit, ut qui deinde subsecuti sunt theologi honori sibi duxerint in ejus libros commentaria edere : sed tamen, ut animadvertit Cano lib. 12 de Loc. theol. cap. 3, ipsius opus in multis peccat. Nam « in suis li- « bris multa quidem lectio apparet, et pro tempore illo « haud mediocris sanè eruditio. Sed præter distinctio- « num vocabula, in quas libri illi divisi sunt, nihil di- « stinctum ferè videtur, rectèque ordine distributum. « Testimoniorum congeriem dicas potiùs, quàm dispo- « sitionem et rationem disciplinæ.... Quapropter scho- « lasticis, qui hujus vestigiis inhæserunt, confusa etiàm « ferè ac perturbata sunt omnia, etc. »

Sed et Sententiarum Magistro et commentatoribus ejus palmam præripuit seculo 13 sanctus Thomas, qui nedùm præclara edidit in illum commentaria, verùm etiam Summam confecit theologicam, quæ omnium ejusdem operum veluti epitome est, in quâ tantùm ingenii acumen emicat, tanta Scripturarum, Patrum, conciliorum unà cum naturalis philosophiæ eruditione, ac doctrinæ copia collecta est, ut nemo sit inter doctos homines, qui illam veluti opus in hoc genere scholasticæ theologiæ absolutissimum non arbitretur. « In eâ « *Summâ*, inquit idem Melchior Canus, mirabilis est « contextus rerum, summus quæstionum et articulo- « rum ordo, et compositio disciplinæ incredibilis. Adeò « respondent extrema primis, media utrisque, omnia « omnibus. Nam de argumentorum copiâ quid attinet « dicere ? Cùm de infinitis propè quæstionibus in

« utramque partem disserendi tanta illi facilitas, et « abundantia fuerit, ut non contra omnia semper, si- « cut Archesilas, disputârit; et tamen in omnibus re- « bus, quidquid ex utrâque parte dici posset, expres- « serit. » Equidem non desunt, qui vitio vertant Angelico doctori, quòd Aristotelis philosophiâ frequentiùs utatur, quàm par esset. Sed ii planè non considerant, quo seculo ille scripserit; eo nempe seculo, quo illa summo in pretio erat apud omnes, nec philosophi audiebant, qui ejus studio haud operam navarent, nec ipsius sequerentur præcepta, atque doctrinas. Unde planè necessarium ipsi erat Aristotele uti ad profligandos præsertim errores, qui tunc obtinuerant ob ejus doctrinam perperam aut explicatam, aut intellectam; quod maximè præstitit in libris contra Gentes. Audiamus iterùm Melchiorem Cano eodem lib. 12, cap. 12: « D. Thomas, inquit, theologiæ negotium conficere « ratione debuit : quia Scripturæ testimonia (apud « Gentes) vel secundo, vel etiam nullo loco sunt. At « apud nos, qui Christianos discipulos instituimus, pri- « mas partes auctoritas habet, secundas ratio. Quia « et hunc disserendi ordinem tanquàm naturæ nostræ « consentaneum magis Augustinus probat de Morib. « Eccl. Cath. cap. 11, quamvis Manichæis sese attem- « perans id agat interdùm, quod in disputando fa- « tetur esse vitiosum. *Naturæ*, inquit, *ordo ita se « habet, ut cùm aliquid dicimus, rationem præcedat « auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui « omnia contra ordinem et sentiant, et loquantur, ni- « hilque aliud maximè discunt, nisi rationem priùs « esse reddendam; morem illis geram, et quod fateor « in disputando vitiosum esse, suscipiam.* De Verit. « Relig. cap. 34. Quo exemplo Thomas ad eumdem « modum se Gentibus accommodavit. Nam in *Summâ « theologiæ* auctoritas ferè rationi præparat hominem; « ratio deinceps ad intellectum, cognitionemque « perducit. » Sed jam proximiùs ad institutum nostrum accedamus.

## CAPUT XI.

### *De theologiâ casuisticâ, et casuistarum usu.*

Theologia, quæ *casuistica* dicitur, non in alio à *scholasticâ* differt, nisi quòd *scholastici* appellentur, qui primam theologiæ partem, in quâ de Deo, divinisque attributis, de Trinitate, aliisque similibus, sicut et tertiam, in quâ de Incarnatione agitur, explanandam suscipiunt; ii verò, qui exornandam assumunt secundam theologiæ partem, in quâ de vitiis et virtutibus, de lege naturali et positivâ, de Decalogo, de sacramentis, etc., sermo est, appellari solent *casuistæ*, quamvis convenientiùs *theologi morales* dici deberent. Unde reapsè *casuistarum* nomine non veniunt omnes, qui de morum theologiâ pertractant, uti S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, aliique complures, qui morum doctrinam exposuerunt, uti neque Suaresius, neque Vasquez, neque Valentia, etc. sed ii tantummodò qui casibus decidendis operam dedêre, aut saltem casibus moralibus sua opera impleverunt, cujusmodi sunt Sanchez uterque, Laymannus, Filliucius, Diana, Bonacina, Escobarius, Sporerius, Busembaum, Lacroixius, et alii innumeri.

Circa usum casuistarum tres sunt contrariæ sententiæ : alii namque nullos casuistas legendos et pro directione in rebus moralibus adhibendos putant : alii verò indiscriminatim et legendos et suscipiendos existimant. Extremum utrumque alii vituperantes mediam viam tenendam esse docent. Quid de hoc sentiam ego sequentibus expono. Atque inprimis si inter casuistas adnumerare velis etiam antiquos, qui de morum theologiâ disseruerunt, D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Raymundum, ac D. Antoninum præsertim cum Dissertationibus et Adnotationibus huic *Summæ morali* adnexis ab insigni viro Petro Ballerinio, absque ullo timore, et inoffenso pede legere potes. Opera namque horum toto orbe christiano nota adeò ab omnibus celebrantur, ut commendatione nostrâ non egeant. Alios deinde inferioris notæ casuistas legendos esse non crederem, nisi cum eâ cautione, quam præscripsit celeberrimus conventus cleri Gallicani habitus anno 1700, cujus hæc sunt verba : « In rebus theologicis ad « fidei et morum dogmata spectantibus theologos qui- « dem etiam modernos audiamus, si tamen consonas « sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, ut si « ab eis recedant, harum opinionum inhibeatur cur- « sus, nedùm earum ratio habeatur, aut ulla eis tri- « buatur auctoritas. Denique ut nemini liceat eam « sententiam sequi, quam non veritati magis consen- « taneam duxerit. » Quare si quis vel experientiâ propriâ compererit, vel ex communi famâ didicerit, aliquos auctores esse, qui nunc certè pauci non sunt, qui consonas sanctis Patribus sententias doceant, vel ab illis in tradendâ morali doctrinâ non recedant, quin potiùs ipsorum auctoritatibus eam muniant, atque confirment, eam tutò sequi poterit, et juxta ejusdem normam suas actiones dirigere. Quòd si contra se gerant, Patribus post habitis, aut ad sensum proprium violenter detortis, nulla horum ratio habenda est, nisi aliunde constet à veritatis tramite non aberrâsse in iis de quibus Patres mentionem non fecerunt, uti sunt potissimùm quæ pertinent ad jus humanum, sive ecclesiasticum, sive civile.

Cæterùm, cùm clerus Gallicanus in postremis decreti verbis apertè significet reprobationem, ac damnationem, quam ediderat, *Systematis Probabilistici*; idcircò de libris casuistarum qui juxta hoc systema scripsêre suam de moribus theologiam, nonnulla advertenda præcipuè sunt. Casuistas omnes plus minùsve in aliquibus de morum doctrinâ sententiis tradendis errâsse, sive propter nimium rigorem, quod perrarum est, sive propter nimiam benignitatem, quod est frequentissimum, nemo, ut quidem arbitror, in dubium verterit. Hoc enim nunquàm errandi privilegium peculiare Ecclesiæ est à Christo sponso suo ipsi concessum. Sed aliud est aliquando errare, aliud errare ex falso systemate assumpto tradendi morales resolutiones, ac decidendi casus conscientiæ. Ex hoc enim, quemadmodùm ex errore in principiis cujusque dis-

ciplinæ, innumeri alii errores in consequentiis deducti prodeant necesse est. Hoc porrò systema elegerunt, et amplexi sunt ii omnes qui *probabilistæ* vocantur. Neque enim isti in rebus non prorsùs evidentibus, sed ambiguis, aut obscuris, juxta principia sua veritatem quærunt, aut sequuntur tanquàm humanarum actionum regulam, sed probabilitatem, quæ æquè ad veritatem et falsitatem indifferens est; et ejus ope infinitos propemodùm casus morales facilè promptèque resolvunt : unde illis præsertim *casuistarum* nomen vulgò tribuitur. Hinc verò eorum aberrationes non fortuitæ dicendæ sunt, et ex humani ingenii imbecillitate profectæ, sicut in aliis theologis veritatem ubique quærentibus; sed voluntariæ, saltem in causâ, adeòque non raræ, sed frequentissimæ, quibus tota fermè morum doctrina fœdata et corrupta est, et doctissimorum hominum contemptui exposita.

« Horum igitur *casuistarum*, inquit vir prudens ac « sapiens, moralis theologia tironibus et hominibus « crassi et exigui ingenii, non solùm inutilis, sed et « valdè noxia esse potest : ideòque iis prohibenda, aut « dissuadenda. Cùm enim sinceras et sanas doctrinas « ab impuris et corruptis secernere, quod vel ipsis exi- « miis et eruditis ingeniis sæpè difficillimum est, non « possint; in magno versantur periculo, ne argutissi- « mis, et in speciem pulchris, et captiosis argumenta- « tionibus decepti, multa falsa eorum axiomata, plu- « rimasque fallaces et periculosas opiniones imbibant, « quas veluti rectas regulas non sine magno suæ, et « aliorum salutis detrimento sequantur. » Verùm cùm hocce argumentum *de usu recentium casuistarum*, qui systema probabilisticum consectati sunt, magni momenti sit, liceat mihi huc conferre ex opere, quod edidi *de Regulâ proximâ*, etc., quædam saltem summorum virorum elapsi proximè seculi, eorumque maximè, qui magistri et doctores traditionis Ecclesiæ sunt, judicia, atque sententias; ex quibus quâ cautione legendi sint ipsorum libri, luculenter apparet; quas tamen, ut nimiam prolixitatem evitem, contrahendas existimo. Itaque inprimis D. Anna de Levi de Vantadour patriarc. archiepiscopus Bituricensis et Aquit. Primas in censurâ latâ contra *Apologiam Casuistarum*; postquàm multis ostendit, quam pugnantes cum Evangelicâ doctrinâ recentes probabilistæ opiniones docuerant; sacerdotes, ac fideles suæ diœcesis ab eorum operum lectione usuque omninò avocat; prohibetque pluribus, quæ in eâ censurâ legi possunt. Item D. Ludovicus De Rechegne Voisin episcopus Tutelensis in suâ censurâ præcipit « omnibus diœcesis suæ confes- « sariis, concionatoribus, catechistis, theologiæ lecto- « ribus, et casuum conscientiæ consultoribus, ut sanc- « tum Evangelium ad suas consultationes adhibeant à « Patribus explicatum, sibique à novorum Pharisæo- « rum fermento caveant, qui tot suis legis interpreta- « tionibus totam corruperunt, et quò magis eam ad « hominum sensus, aut cupiditatem accommodare vo- « luerunt, eò magis Dei spiritum exstinxerunt. Consi- « derent semper, benignos hos interpretes Evangelio « magis, quàm apertos ejus hostes, sæpè adversari.... « Caveant ne scandalosis iis, ex quibus pravæ opinio- « nes ducuntur, principiis capiantur, etc. »

Ludovicus Henricus de Gondrin archiepiscopus Senonensis in decreto edito anno 1658, hæc ait : « Si « falsæ casuistarum opiniones divinæ legis violatores « verè à culpâ purgarent, non essemus solliciti de com- « pescendâ, quam ipsi sibi arripiunt, perveltendæ « Christianæ Ethicæ infinitâ licentiâ. At quoniam in « hoc ipso pejus, et perniciosiùs errant, divinitùs at- « tributâ nobis auctoritate non uti non possumus ad « cavendum, ne concrediti nobis homines tot perver- « sis principiis, quæ casuistæ innoxia et tuta jactitant, « miserè decipiantur. Nihil ferè his non perturbari, « aut corrumpi deprehendimus : firmissimas enim « duas agendi regulas, *æternam Dei legem et propriam* « *cujusque conscientiam* probabilitatis commento labe- « factant. » Quinque alii episcopi simul eodem anno congregati hæc inter alia in *instructione pastorali* decreverunt : « Tota doctrina (casuistica) generalibus « duobus principiis nititur, quibus constitutis nihil jam « est in Evangelicâ morali intactum et firmum, fal- « saque pax conciliatur, quæ homines naturæ cor- « ruptæ vitio in malum pronos in æternum exitium « præcipites agit. *probabilitas, et intentionis directio* in « rebus suâpte naturâ malis.... *quæ falsa esse cense-* « *mus, Spiritûs Christi simplicitati, ac sinceritati contra-* « *ria*; *falsæque securitatis promissione animas in æternæ* « *salutis dispendium impellere.* » Par quoque judicium tulit card. de Janson Diniensis primùm, dein Bellovacensis episcopus. Sed alios referamus, qui expressiùs de argumento nostro locuti sunt. Felix episcopus et comes Cabilonensis, postquàm in pastoralibus suis litteris datis anno 1659, anathemate percussit *Casuistarum Apologiam*, deplorat primò « nimiam, quam sibi « Casuistæ usurpaverant, licentiam vanas periculo- « sasque quæstiones excitandi, Evangelium in pro- « blema vertendi, Christi scholam, quæ æternæ veri- « tatis schola est, in quamdam mutandi academiam « unde tot illæ subtilitates, positiones, animi direc- « tiones, probabilitatum scientia, aliæque artes, atque « figmenta prodierunt, quæ illos ad præpostera multa « traduxerant. » Suum Clerum subinde sic instruit : « Violati officii rei nobis ipsi videremur, si post dam- « natam *Apologiam*, perniciosamque pravorum casuis- « tarum ethicen, vos per charitatem Christi enixè non « hortaremur, ut morum doctrinas ex germanis earum « fontibus hauriatis, *divinis scilicet Litteris, venerandâ* « *Patrum traditione*, et sanctarum precum frequentiâ, « quibus insistentes et vos, et alios ad beatam vitam « deducetis. Ex ipsis derivabitis omninò puras, neque « fucatas doctrinas, quæ vobis abusus, pravosque mo- « res, vanas subtilitates, et carnales indulgentias ape- « rient, quibus seculi hujus sapientia veritatem cor- « rumpere nititur. Ex ipsis Scriptura sacra prima vo- « bis principia suppeditabit, et generales vitæ Chris- « tianæ regulas, quæ aliæ non sunt à sanctissimâ ipsâ « Christi doctrinâ et exemplis. Traditio Ecclesiastica « verum vobis Scripturæ sensum, tutamque præbebit « intelligentiam; precibus verò non obtinebitis solùm,

« ut hisce regulis rectè uti scialis, sed ut et sanctè ve-
« litis..... Attenta divinæ legis meditatione percipis
« qui exagitandi sint errores, quæ corrigenda vitia,
« quæ aliis tradendæ veritates. Ad earum lectionem
« traditionis et Patrum, si vobis ad manus sunt, stu-
« dium adjungite. Iis qui eximiorum horumce docto-
« rum studio vacare nequeunt, auctores sumus, ut
« veræ ethices, legitimæ sacramentorum administra-
« tionis, rectæque aliorum dirigendorum rationis scien-
« tiam familiari, atque piâ *librorum novi Fœderis, Tri-*
« *dentini concilii, Catechismi Romani, Pastoralium D.*
« *Gregorii, pœnitentialium canonum, theologiæ mora-*
« *lis D. Thomæ, Institutionum S. Caroli, et Ritualis*
« hujus *diœceseos* lectione sibi comparent.

« Neque tamen, subdit postea, ab auctorum casuum
« conscientiæ lectione abstinere vos absolutè jubemus,
« quam vobis haud rarò nonnihil utilitatis afferre posse
« non inficiamur. Monendi duntaxat estis, in hujus-
« modi præsertim scriptoribus illud Apostoli locum
« habere : *Probate spiritus, an ex Deo sint.* Ad eorum
« delectum adhibenda sapientum sententia : legendi
« quoque cautè, et circumspectè. Consultius denique,
« semperque tutius, veras morum aliorumque mode-
« randorum regulas à Deo, ab Ecclesiâ, et ab eximiis
« iis doctoribus, quos mox judicavimus (S. Gregorio
« scilicet, S. Thomâ, et S. Carolo, etc.), quàm à pri-
« vato aliquo libro percipere, cujus auctor falsâ doc-
« trinâ suâ in errorem inducere legentes potest, in
« quem ipse priùs aut fallacibus suis præjudiciis, aut
« animi temeritate, aut aliâ de causâ inductus fuerit. »
Hæc ille.

Quido de Seve de Rocheuovart Attrebatensis epi-
scopus, in suis pastoralibus Institutionibus, ann. 1691
vulgatis, quas triginta circiter archiepiscopi et epis-
copi probavêre, parochos, et confessarios plura ad
argumentum hoc nostrum attinentia docet, quorum
pauca tantùm decerpimus. « In casibus, inquit, singu-
« laribus, ac difficilibus satagite, quantùm potestis,
« conscientiam in tuto collocare, ad Deum recurrite,
« consulite Scripturas, canones, Patres, S. Thomam.
« Si autem difficile fit fontes adire, legite auctores
« etiam hodiernos, sed probatos, qui veritatem præ
« oculis semper habent; *à prioribus illis non est me-*
« *tuendus error :* sed si satis vobis rem non dilucida-
« verint.... audite, ac sequimini doctrinam posterio-
« rum.... Sæpè utiliter quoque legi possunt auctores
« etiam recentiores moralem tractantes : nam et ho-
« rum opinionibus aliquid tribui potest, bonique du-
« ces esse possunt, dùm fideliter sequuntur mentem
« Patrum, conciliorum, et sacræ Scripturæ, etc.....
« Dùm Evangelium apertè loquitur, non est opus ca-
« suistarum libris. Quisquam ne melior, aut tutior
« ipso Christo? Memores estote post vocem Dei in
« Evangelio uti conciliis, SS. Patribus, et Ecclesiæ
« capite visibili, cujus certè mentem et sensa sequi-
« mur, dùm pro regulâ vobis offerimus sacrosanctum
« concilium Tridentinum, sacras Scripturas, et san-
« ctorum doctorum auctoritatem. Mementote post sa-
« cros illos fontes, è quibus veritatis oracula ad nos
« decurrunt, è nostro potissimùm ore et ministerio
« eam vos accipere debere.... Nemo vos seducat, fra-
« tres, neque verbo, neque scripto. Aures obturate
« incantatoribus illis qui vellent, ut indubitatæ tradi-
« tioni et certissimis regulis præferretis profanas, et
« periculosas novitates, quas frustra stabilire nituntur.
« *Doctrinis vanis et peregrinis nolite abduci*, quas falsò
« disseminat spiritus erroris... Doctoribus nimiùm
« benignis et indulgentibus opponite sanctum ri-
« gorem et austeram charitatem doctorum antiquo-
« rum.... At dùm generatim de quibusdam auctoribus
« sermo est, qui moralem Jesu Christi scriptorum suo-
« rum relaxatione infeliciter corruperunt, dùmque
« conamur pastoribus et confessariis inspirare jus-
« tam et salutarem ab eorum doctrinâ et regulis
« aversionem, aperiendo illorum errores, et cæcita-
« tem, in quam ipsos labi Deus permisit, cujus lumen,
« ut sensa sua sequerentur, abjecerunt : non existima-
« mus opus esse admonere quod non condemnare veli-
« mus *casuistas*, ut vocant, *omnes*, sed eos solùm qui
« limites à divinâ regulâ præscriptos excessere, con-
« jeceruntque se ipsos in relaxationem : quorum nu-
« merus *cùm satis ingens sit*, non potuimus non de il-
« lis loqui eo modo, quo *attentos redderemus animos*,
« ne exponantur periculo in eosdem errores inci-
« dendi. »

Ità loquuntur ii quibus animarum cura à Spiritu sancto commissa est, verique sunt testes atque custodes traditionis Ecclesiæ ab Apostolis usque ad nos propagatæ. Quorum omnium documenta, et instructiones confirmat summum Ecclesiæ caput, Benedictus XIV, dùm in suis encyclicis Litteris anni 1749, præcipit dicens : « Prudens confessarius in dubiis privatæ
« suæ opinioni non fidat, sed priusquàm respondeat,
« non unum, sed plures libros evolvat. » Sed nùm omnes indiscriminatim moralistarum libri evolvendi et legendi sunt? Minimè. Sed « probatiores : tuncque in eam sententiam concedat, cui rationem auctoritatemque magis suffragari perspexerit. Sic mentem nostram aperuimus in Encyclicis de Usurâ, etc. Idem nunc repetimus : neque enim ad usuras tantùm contrahenda est hæc doctrina, sed etiam ad omnia quæ
« ad sacramentale forum, et ad conscientiæ regulas
« pertinent, adhibenda. » Quam summi pontificis traditam regulam ità egregiè commentatur illustrissimus archiepiscopus Genuensis D. Saporiti : « Hanc sic
« confessarii viam persequantur, cautè incedent, po-
« teruntque fidenter se Deo judici sistere. Contrà con-
« tremiscant oportet ii qui vel privati scriptoris
« auctoritate, vel proprio freti judicio, aut nimiâ
« indulgentiâ, aut immodico rigore pœnitentes è cœli
« viâ deduxerint. Benigniores hos prænotavit Paulus
« 2 ad Timoth. cap. 4, scribens : *Sanam doctrinam*
« *non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi*
« *magistros prurientes auribus*, etc. Ii sibi vehementer timeant, qui satis habent aliquam opinionem referri,
« aut in libris casuistarum etiam ignobiliorum invenire,
« ut eam inconsultò deligant et sequantur, et ad eam
« pœnitentes constanter dirigant; nec perpendunt à

« multis auctoribus plura doceri à summis pontificibus « jam damnata, multa iis affinia, multa sacris cano- « nibus, pontificum constitutionibus, sacrarum con- « gregationum sanctionibus contraria, multa denique, « quæ doctiores, moderatioresque scriptores validis « rationum auctoritatisque momentis ceu omninò im- « probabilia rejecerunt; quibus qui utuntur, gravissi- « mi criminis, et alieni exitii rei apud Deum tenentur. » Hæc ille, aliaque plura quæ brevitatis studio præ- tereo.

Hic consistere decreveram. Sed in re tanti momenti cùm multi parochi, confessarii, ac animarum directo- res frequentiùs allucinantur, veniam peto, si duorum solùm, aliis benè multis prætermissis, doctissimorum hominum testimonia in eodem argumento describo. Primum est celebris Armandi Jo. Boutillier abbatis de Rancé, doctrinâ et vitæ sanctimoniâ insignis, à quo hæc *de casuistis* dicta memorat vitæ ejus scriptor : « *Casuistas* Ecclesiæ prodesse, affirmare non possum; « quùm persuasum mihi sit, eos eidem plurimùm no- « cuisse, et eorum plerosque metaphysicis subtilitati- « bus, ineptis caviliationibus, inventisque merè huma- « nis, probabilitatem conciliâsse opinionibus benè « multis, quæ morum puritati, et evangelicis veritati- « bus adversantur, prava docuisse homines, quæ igno- « rabant, artem excogitâsse (*probabilitatis* commento) « conscientiæ stimulos retundendi, et instrumenta « suppeditâsse violandarum *absque ullo scrupulo* sa- « cratiorum naturæ, religionisque legum. Horum ple- « rique mihi visi sunt homines, qui alios docendi « provinciam ipsi sibi sumpserunt, posthabitisque san- « ctioribus, quas Patres et Ecclesiæ doctores præscri- « pserunt, regulis, toti incubuerunt ad confirmandas « corruptæ naturæ cupiditates, tantùmque fovenda vi- « tia, quantùm in iis convellendis atque extirpandis, « laboris et studii veteres Ecclesiæ magistri posue- « rant. Aliquos esse posse non abnuo, quorum purio- « res sint, rectioresque sententiæ : si quis tamen à me « consilium peteret, nihil efficacius inculcarem, quàm « lectionem fugere hujusmodi scriptorum, et ab iis « diffidere, qui eorum doctrinis imbuti sunt. Experien- « tiâ edoctus loquor. Cùm enim officium ac munus « quod sustineo, me in eam necessitatem conjecerit, « ut cum plurimis cujusque statûs et conditionis ho- « minibus ad monasterium accedentibus, et religionem « ingredi postulantibus, sermonem habeam : et ante- « quàm eos admittam, eorum conscientias rimari so- « leam, et traductæ ab eis vitæ cuncta discutere; tot « in eorum confessariis, et animi moderatoribus igno- « rantias, errores, seductiones deprehendi, ut planè « exhorruerim, ac me eorum misereret, etc. »

Alter est celeberrimus vir Joan. Mabillonius, qui p. 1, cap. 16, de Stud. Monast., hæc habet : « Postquàm « Neotericorum plurimi sibi campum vendicârunt *de* « *humanis actibus et peccatis* disserendi, inconsultis « sacris Ecclesiæ canonibus, eò devenit moralium opi- « nionum relaxatio, ut nullum penè ex criminibus cen- « seatur, quin aliquo indulgenti colore calamistretur. « Tantùm abest, ut istorum *Summistarum* studium ad « Christianæ philosophiæ consecutionem quadamtenùs « dirigat, quod potiùs ex liberâ ipsos legendi facultate « non modicum sequatur detrimentum. Non sine animi « nostri dolore compertum est, ethnicorum ethicen « quorumdam theologorum *summis* aliquandò fuisse « pudori. . . Fructus longè major ex Ciceronis *de Of-* « *ficiis* lectione hauritur, quàm nonnullorum summi- « starum, qui præter amplam doctrinarum et ratiocì- « niorum farraginem, nil aliud sæpè sæpiùs ingerunt, « præterquàm molestas legentium tricas, undè difficil- « limè subindè emergunt. »

Ex quibus omnibus colligere pronum est, quonam in pretio ad veram moralem theologiam addiscendam habendi sint hujusmodi casuistæ, qui systema pro- babilisticum consectantes innumeris quidem libris bi- bliothecas, sed innumeris simul erroribus, et fallacibus opinionibus Christianam ethicen impleverunt; nimi- rùm ii qui rudiores sunt, et exigui ingenii, ac divinam hanc scientiam addiscere volunt, ab iis legendis ab- stineant, præsertim cùm tot alii modò suppetant libri, quos legere inoffenso pede possint; sequanturque prudens Lactantii Firmiani monitum lib. 1 Instit., in simili argumento dicentis : « Omissis auctoribus istis, « nihil certi asserentibus, aggrediamur viam rectam, « quos quidem, si putarem satis idoneos ad benè vi- « vendum duces esse, et ipse sequerer, et alios, ut se- « querentur, hortarer. Sed cùm inter se magnâ con- « certatione dissideant, secumque ipsi plerumque « discordent; apparet eorum iter nequaquàm esse « rectum. Siquidem sibi quisque, ut est libitum, « proprias vias impresserunt, confusionemque ma- « gnam quærentibus veritatem reliquerunt. » Cæteri autem, qui solidis doctrinis muniti jam sunt, et prin- cipia ac veluti spiritum sanæ et verè Christianæ mo- ralis ebiberunt ex purioribus theologiæ fontibus, Scri- pturâ scilicet, ac divinâ traditione in conciliis, decretis pontificum, sanctorumque Patrum scriptis contentâ, aut etiam ex eorum auctorum libris qui ex iisdem fon- tibus theologiæ morum regulas derivârunt; ii, inquam, si aliquandò occurrant resolvendi casus difficiliores et implexi, legere etiam utiliter poterunt modernos pro- babilistas, præsertim graviores. In eorum quippè libris cum paleis et zizaniis triticum permixtum est, multæ- que inveniuntur præclaræ, et ad veritatis normam editæ resolutiones, atque doctrinæ, ob quas à doctis sanctisque viris, et ab ipso summo pontifice Benedicto XIV laudati sunt. Illud tamen animadvertendum cen- seo, hos præsertim auctores hâc cautelâ et opinionum delectu legendos, vel consulendos esse, ut si quidpiam tanquàm licitum asserant, quod in controversiâ est; non ità facilè iis fides adhibeatur. Cùm enim ad in- dulgendum cupiditatibus hominum proniores sint, eorumque principia huc spectent, ut legis obligatio solvatur, dùm evidenter non constat; facilè licere docent, quod reipsà non licet : adeòque qui eos au- diunt, in periculum à veritatis tramite aberrandi con- iiciuntur. Atque hæc satis de hoc argumento, ut et de *Prodromo* nostro ad *moralem theologiam*.

# BROCARDI VITA.

Pauca admodùm de Brocardo (à S. Nicolao) suppeditant biographi. Illud tantùm nôrunt theologi, ipsum in Germaniâ, ineunte seculo 18, provincialem fuisse ac theologiæ professorem. Tractatum *de Conscientiâ* elucubravit circa annum 1730, cui haud multò post accessit *Alphabeticum morale*, permagni etiam apud omnes pretii, editum anno 1739, 2 vol. in-8°. Prius verò opus Brocardi, quod nunc ex omnium votis denuò typis mandamus, nullo magis idoneo loco potuit collocari, quippe qui materiam ad quam, juxta intentam rerum seriem devenimus, appositè lectorum oculis subjiciet, ac dilucidè explanabit.

# TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

## Præfatio.

Dùm animo concepissem luci publicæ dare Theologiam moralem per casus alphabeti ordine digestos, prævià necessarium duxi regulas et principia generalia moralitatis tradere, atque ad eorum satis implicatas difficultates superandas animum et operam admovere. Cùm enim theologia moralis, sicut et quælibet alia scientia, ex propriis principiis unicè dependeat, frustra quis adhibet operam casibus theologicè resolvendis, qui non callet principia : nam, ut Baldus ait in lege 1, ff. de Origine juris, ignoratis principiis, ignorantur principiata; cùmque universalis conditio actûs moralis sit, quòd sit humanus et voluntarius, in primâ hujus tractatûs quæstione de voluntario, eique opposito involuntario tractare convenientissimum judicavi, ac præcipuè naturam et conditiones voluntarii indirecti cujus materia per totam theologiam moralem divagatur, examinare, regulasque proponere ac eas casibus subjectis elucidare, ex quibus alii similes casus facili negotio resolvi possunt : nec minorem impendere curam in explicandâ naturâ ignorantiæ, quæ potissima est peccatorum radix.

In secundâ hujus tractatûs quæstione gradum facio ad moralitatis regulas; cùm enim actus moralis dicatur talis, quia regulatur per conformitatem, aut deformitatem ad regulas rationis, et hinc accipit bonitatem vel malitiam; quomodò agnoscere possumus ejus perfectionem et defectum, si ignoremus regulas quibustum consonet, aut discrepet ?

Ubi potissimùm mihi sermo est de recto usu opinionum probabilium, quem theologiæ moralis basim vocat Mercerus, fundamentum Gonsalez, universalissimam morum regulam Terillus; cùm eam omnibus, quæ occurrere possunt, difficultatibus, substruere oporteat,

Circa celeberrimam hanc hodiè controversiam præcipuos probabilitatis nævos aperire, et cuniculos excipere conor. Dùm scilicet ostendo primò remissiorem probabilitatis licentiam meritò impugnari vel ob solam potentiæ naturalis pro morali substitutionem et immoderatam prudentiæ christianæ subversionem, quibus tum in moribus incauti eò frequentiùs deciperentur, quò unius quæstionis nomen habens probabilitas, rebus omnibus effusa immisceatur. Secundò, opinionum diversitatem ex systemate probabilitatis noviter adinvento neminem excusare à peccato, aut obligatione legis prætextu insufficientis promulgationis, quam nequit prætexere opinio probabilis. Tertiò, ignorantiam probabilistarum, quam aliqui vitalem vocitant, falsò dici invincibilem, ideòque nedùm mortuam, sed et mortiferam. Quartò, possessio libertatis convincitur falsitatis, quotiescumque est contra obligationem legis, sicut et regula juris : *melior est conditio possidentis* extra materiam justitiæ. Quintò, reflexionem super probabilitatem, si sola sit, conscientiis illudere ostenditur. Sextò, ad alienam scientiam recursum de industriâ quæsitum propriâ reclamante conscientiâ quantùm possumus regendâ juxta æternam Dei legem pluribus modis nobis intimatam in ipsis probabilibus periculosissimum esse probatur. Ex quibus, septimò, evidenter convincitur contra scopum probabilitatis defensorum *non esse licitum in moralibus sequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, lucro, aut voluptati in concursu probabilioris pro officio, lege, præcepto, aut honestate stantis.* Ac tandem octavò, omnes protinùs probabilitatis tricæ dissolvuntur. Postremo denique hujus quæstionis paragrapho exponitur, quî non omnem prorsùs probabilitatem aversemur, sed solùm probabilitatem pro lucro, commodo temporali, libertate stantem, quæ validioribus adversæ partis rationibus vellicatur.

In omnibus tamen tractandis altâ mente repositum habeo illud Jobi 11, v. 14 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Et Eccles. 39, v. 1 : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.* Et Prov. 22, v. 28 : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Unde D. Bernardus Epist.

174 : *Novitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Quapropter circa hanc universalissimam morum regulam antiquæ sanctorum sententiæ adhærere statui, sed novitate illustratæ, variisque recentiorum rationibus locupletatæ. Crescat igitur doctrina moralis circa usum opinionum probabilium à majoribus accepta, sed ab eodem semper semine erumpat : recentes habeat flores, sed annosum agnoscat truncum, nova glorietur in fructu, sed antiqua tamen in radice vivat : unde cum Lirinense, c. 28, dicam : « Crescat, vehementerque proficiat sapientia, « sed in suo duntaxat genere. Imitetur animarum religio « rationem corporum, quæ licet annorum processu « numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, « quæ erant, permanent. Ita christianæ Religionis « dogma annis consolidetur, dilatetur tempore, su- « blimetur ætate, incorruptum tamen, illibatumque « permaneat. Addatur licet forma, species, distinc- « tio, eadem tamen cujuscumque generis natura per- « maneat. Absit, ut rosea illa catholici sensûs plan- « taria in carduos spinasque vertantur. Absit, ut in isto « spirituali paradiso de cinnamomi et balsami surculis « lolium repentè atque aconita proveniant. Fas est, ut « prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu « temporis exornentur, limentur, poliantur; sed ne- « fas est, ut commutentur, ut detruncentur, ut mu- « tilentur. »

Adducunt quidem et ipsi probabilitatis defensores quædam ex antiquitatis documentis ; verùm immensum ab illis abest antiquorum mens, uti constat ex iis quæ ex ipsismet antiquorum voluminibus à me inspectis adduco, et quanquàm antiquos theologos magnâ pompâ et longo ordine proferant, nullum tamen inveniunt, qui eorum causam quidquam juvet ; licet enim docuerint nonnulli tutiorem partem non necessariò amplectendam, si altera probabilior fuerit, nemo tamen minùs probabilem et minùs tutam sequi concessit : videbant enim contra stare perpetuam Ecclesiæ traditionem, Scripturæ oracula, monita, exempla, Patrum documenta, bonorum omnium praxim, philosophorum consensum : denique ipsius rationis ac naturæ vocem et sensum. His tam invictis nostræ sententiæ firmamentis nonnullorum recentiorum nomina vel opponere, vel æquare, et à ratione, et ab ipsorum credo voluntate ac judicio alienissimum est.

Cæterùm falletur, quem dictitare contigerit nihil admodùm me discrepare à probabilitatis defensoribus, quos impugno, dum assero, quòd aliquando liceat sequi opinionem minùs probabilem libertati faventem, *quando* scilicet *minùs probabilis ex motivo intrinseco per motivum extrinsecum redditur probabilior aut certa moraliter.* Quâ doctrinâ existimo nihil verius aut æquius : sed eâdem nihil à modernorum probabilistarum placitis magis abhorrens. Rectissimè statui existimo licere minùs probabilem amplecti licentiam, dùm adventitiâ auctoritate fit evidenter probabilior, aut moraliter certa ; tunc enim non jam minùs probabilis, sed probabilior, aut moraliter certa supponitur : nec minùs probabilis probabiliori, sed è contra probabilior aut certa minùs probabili præfertur. Judicium enim illud extremum, quo mens ad opinandum et assentiendum ducitur, et aliud alio probabilius esse decernit, non ex solâ rationum consideratione, sed ex omnium tum rationum, tum auctoritatum, aliarumque circumstantiarum comparatione pendet et exsurgit. Sæpè intellectus auctoritati rationem, sæpè rationi auctoritatem præfert, non tamen secundùm voluntatis nutum, sed ipsiusmet rationis ductu ac lumine. Nam clara ac evidens ratio meritò præfertur humanæ auctoritati, obscuræ verò rationi jure præfertur gravis multorum auctoritas, quos divinâ luce magis illuminatos, doctrinâ ac pietate magis conspicuos judicamus. Eorumque sententia, quidquid quædam ratiunculæ in contrarium reclamare pergant, meritò à nobis probabilior, et quandoque moraliter certa censetur. Itaque cùm illa sententia tantæ innixa auctoritati adhuc minùs probabilis dicitur, latet in verbis æquivocatio ; non enim absolutè jam dici potest minùs probabilis, sed tantùm secundùm quid, spectatis scilicet rationibus, quarum vis contrariæ auctoritatis pondere prorsùs infringitur. Verùm defensoribus probabilitatis alia mens est ; volunt enim licere sequi sententiam minùs probabilem faventem libertati, commodo temporali, etc., quæ consideratis tam rationum, quàm auctoritatum momentis minùs adhuc probabilis manet ; sive cujus contrariam comparatis inter se tam rationibus, quàm auctoritatibus magis evidenter probabiliorem ac tutiorem judicamus. Quo systemate sub apparenti quidem specie honesti immutari mores, laxari conscientias, pessum ire doctrinam moralem, atque *per contrarias interpretum sententias totum penè jus* divinum et ecclesiasticum *conturbari*, sicuti olim de civili Justinianus conquerebatur ( lib. 3 de veteris Jur. enucl. ) secundâ hujus tractatûs quæstione, ubi de conscientiâ probabili sermo, luculenter expono. Quem errorem, quisquis à se amovere voluerit, æternum cum eo fœdus inibo ; solius enim veritatis tuendæ studio, nullâ concertandi, aut probabilistis obtrectandi cupidine hanc disputationem ingredior. Hæc præeunte luce S. Patris Augustini, doctorum Aquilæ et S. Thomæ Aquinatis, scholarum Angeli, et assequi spero, et ab illorum sanctorum doctrinâ nunquàm recedere statuo ; illos enim illuminavit Altissimus, ut in lumine eorum videamus lumen, et talibus ducibus ad primum moralitatis principium, quod Deus est, feliciter perveniamus.

# DE CONSCIENTIA.

Actus qui procedunt, vel eliciuntur ab homine, alii sunt hominis, alii humani.

Actus hominis sunt, qui quocumque modo ab homine procedunt, eique etiam conveniunt secundùm gradum genericum animalis, ut dormire, edere, etc.; humani sunt, qui eliciuntur ab homine ut homo est, et ei conveniunt secundùm gradum differentialem rationalis. Ex his alii sunt humani in essendo tantùm, qui scilicet ab homine quidem procedunt, quatenùs in suo esse participat animam rationalem præditam intellectu et voluntate, ac ita à brutis distinguitur, non tamen plenè distinguitur à brutis quoad modum operandi, quia scilicet procedunt ab homine absque prævià deliberationis luce, uti et bruta suas operationes eliciunt: tales sunt motus primò primi voluntatis, prima cogitatio intellectûs. Alii sunt humani et quoad substantiam in essendo, et quoad modum in operando, qui scilicet ab homine procedunt secundùm proprium et peculiarem naturæ rationalis operandi modum. Subdividitur actus humanus hoc modo sumptus in eum, qui procedit ex perfectissimâ cognitione finis; sic amor et fruitio beatifica dicuntur actus humani, quia procedunt ex perfectissimâ cognitione bonitatis divinæ: et in eum, qui ab homine elicitur, in quantum præditus est libero arbitrio, sicque fundat moralitatem, hoc est, bonitatem vel malitiam actûs in genere moris, qualiter eum considerat theologus moralis, quia tamen generalis actuum humanorum sub istâ consideratione conditio est, primò ut à voluntate procedant, unde voluntarii; secundò ut aliqua vel aliquibus mensurentur regulis: hinc quæstione primâ hujus tractatûs agemus de voluntario, eique opposito involuntario; secundâ de regulis moralitatis.

# Quaestio prima.

## DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit voluntarium?*

Dari voluntarium, quod totius est moralitatis fundamentum, peræquè certum est, ac dari voluntatem, rectèque definitur, quod sit illud, *quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis.* Dicitur imò: *Quod procedit à principio intrinseco*, loco generis; licet enim per illas particulas distinguatur tum à violento et artificiali, quorum principia sunt extrinseca; principium namque artefacti est ars existens in intellectu artificis, principium violenti est agens inferens vim passo renitenti; tum à volito, quod est objectum terminans voluntatem, unde non est, nisi denominatio extrinseca petita ab actu voluntatis; voluntarium verò procedit à voluntate, vel tanquàm principio intrinseco eliciente, vel imperante, vel aliquo tandem pacto influente: convenit tamen voluntarium per has particulas primò cum pluribus actibus naturalibus, et cum actibus intellectûs. Unde dicitur secundò: *cum cognitione finis*, ut voluntarium distinguatur ab actibus merè naturalibus, qui licet procedant à principio intrinseco, et ab auctore naturæ in finem dirigantur, non tamen fiunt ex cognitione finis. Item ab actibus intellectûs, et cujuscumque potentiæ distinctæ à voluntate, qui ut eliciuntur à suis potentiis, non sunt voluntarii, sed ut imperantur à voluntate, ideòque sunt extrinsecè tantùm voluntarii; licet enim actus intellectûs prout ab intellectu procedunt cognoscant finem, imò ex cognitione finis ad cognitionem mediorum progrediantur, non tamen procedunt ex cognitione finis, ut finis est, hoc est, quòd finis moveat per modum finis ex vi cognitionis alliciendo et attrahendo appetitum: una enim cognitio, quamvis oriatur ex aliâ, solùm oritur ex illâ ut inferente, non ut alliciente, qui alliciendi modus solùm convenit fini, ut est objectum voluntatis. Atque adeò particula illa *cum cognitione finis* intelligenda est de cognitione practicâ finis, quâ finis est. Ubi tamen.

Adv. quòd cùm in definitione voluntarii dicitur: *cum cognitione finis*, id ipsum implicitè dicatur de cognitione cæterorum, quæ voluntaria censentur. Quapropter alii voluntarium definiunt quod procedit à principio intrinseco cum cognitione objecti et circumstantiarum. Si enim proprium et specificativum objectum voluntatis debet esse cognitum, debent etiam cognita esse cætera, quæ veluti secundariò voluntaria censentur, cujusmodi sunt circumstantiæ. Quorum omnium una est ratio, quia voluntas non fertur in incognitum. Quemadmodùm enim appetitus naturalis sequitur formam naturalem, et appetitus sensitivus sequitur formam apprehensam per sensum; sic appetitus rationalis sequitur formam propositam per rationem, seu intellectum. Hinc scienter occidens hominem, quem si patrem esse sciret, nullatenùs occideret, homicida est, non parricida voluntarius: et universim, si quis invincibiliter erret, quâ parte errat, non agit voluntariè, consequenter nec peccat; cùm

peccatum ita voluntarium sit malum, ut si non sit voluntarium, non sit malum.

ARTICULUS II.

*De divisione voluntarii.*

Uti in voluntario spectari possunt cognitio dirigens ex parte intellectûs, et modus procedendi ex parte voluntatis, ita ex utroque capite dividi potest. Et quidem ex diverso modo cognoscendi intellectûs dividitur in perfectum et imperfectum. Perfectum accommodatè ad actum in esse moris est : quod procedit ex plenâ ratione, deliberatione, plenoque consensu. Imperfectum, quod procedit ex semiplenâ deliberatione, etc., de quo nos agemus ubi de peccatis. Ex variis autem modis, quò voluntas in actum influit, variè dividitur voluntarium : pro quo sit

§ 1. *De voluntario actuali seu formali, habituali et virtuali.*

Voluntarium formale seu actuale est quod pendet à voluntate ut actu influente, idque vel explicitè seu in actu signato ; dùm quis se reflectens expressè advertit se velle aut agere, vel implicitè seu in actu exercito ; dùm quis advertens quid agat, volens illud agit, licet super actionem seu agendi voluntatem explicitè se non reflectat. Voluntarium habituale est ; quod ut actu volitum non est retractatum, quomodo dicitur aliqua intentio habitualiter perseverare, quamdiù non est retractata. Seu, ut alii explicant, voluntarium habituale est quædam propensio seu proclivitas ad aliquid faciendum ex præcedentibus actibus voluntariis relicta, ita ut intentio faciendi actum aliquando quidem præcesserit ; sed de facto nec in se, nec in aliquo effectu, neque in memoriâ aut cogitatione hominis existat ; quapropter et frequenter est in dormientibus, qui ex consuetudine certas actiones faciunt, quæ non sunt humanæ, v. g., dùm in somno loquuntur, orant, disputant. Voluntarium virtuale est, quod pendet ab actu præterito nondùm retractato permanente in aliquo suo effectu seu determinatione, v. g., celebratio sacri est actualiter voluntaria, quamdiù durat actualis intentio celebrantis, est verò voluntaria virtualiter, quando celebrantis intentio occasione alicujus distractionis actu quidem præteriit, non tamen fuit revocata, ac reliquit aliquem effectum à se causatum. Quod ut aliqualiter explicetur, advertendum, quòd intentio actualis sit volitio finis ; quando ergo voluntas vult finem, finis movet voluntatem ad hoc, ut assumantur media ; voluntas sic mota, vult media ; cùmque ipsa voluntas sit potentia suo modo imperativa, demandat potentiis executivis assumi media ad assequendum finem, v. g., consecrationem peragendam, et sic sacerdos exit è domo vel cubiculo, sacristiam adit, missam quærit, se induit, ad altare accedit, missam inchoat et continuat in ordine ad consecrationem. Sicque talis intentio est ab actuali relicta, cùm sit causata ab eâ mediante motione finis : est virtus in se in quantum imperativè applicat potentias ad executionem mediorum ; et ipsa motio est virtus, in quantum vi volitionis mediorum influit in ordinationem mediorum, tandemque in prolationem verborum. Ergo, inquies, si quis se inebriet, ut in ebrietate baptizet, baptismus in ebrietate collatus virtualiter procedet ex intentione ministri, adeòque erit validus, quòd nemo concesserit. Probatur illatum, quia ex priore volitione debet mansisse aliquid, tanquàm virtus dirigens istam actionem in ebrietate.

R. Neg. illatum. Ad prob. resp. quòd species phantasiæ, quæ manserunt ex actibus sæpè repetitis hoc in casu moveant appetitum sensitivum ad talem actionem, quæ non est voluntaria respectu actionis humanæ liberè antea positæ, sed solùm est effectus potentiarum sensitivarum in ebrietate operantium.

Instas. Uti in sensu explicato manet intentio in aliquo suo effectu, ita in casu posito manet intentio in ebrietate vel in somno, tanquàm in causâ.

R. Manet in ebrietate vel somno tanquàm medio proportionato ad confectionem sacramenti ; neg. improportionato, etc. Unde

Coll. ad hoc ut actus aliquis sit voluntarius virtualiter requiri primò, quòd actualis intentio seu volitio talis actûs semel posita non sit retractata. Secundò ut prima intentio maneat in aliquo effectu ab illâ imperato saltem remoto, ita ut unus effectus ex altero, et omnes ex primo profluant, uti patet in exemplo allato. Tertiò, ut operans maneat in eâ animi dispositione, ut jam talis operatio sub ejus liberum arbitrium cadere possit, aliàs quippe non erit moralis, id est, non subjecta humanæ rationis potestati, sed merè naturalis, uti dictum de baptismo in somno vel ebrietate collato.

Cæterùm non diffiteor non ita clarè explicari, quænam sit virtus primæ intentionis, quæ perseverat in applicatione mediorum, ideòque Scotus (sed non minùs obscurè) ait cum quibusdam, quòd postquàm voluntas semel imperavit potentiæ inferiori, hæc in suâ actione naturaliter pergat, quod exemplificat in horariâ ambulatione ; siquidem ambulans per horam non semper actu cogitat de ambulatione, nec proinde semper actu vult ambulationem, benè tamen virtualiter. Hæc Scotus. Verùm non minùs inintelligibile videtur, quomodò ordinata series actionum nullam inter se naturalem connexionem habentium, imò sæpè ab arte intellectuali dependentium, uti, v. g., fit in cantu, intelligatur esse absque aliâ subtili actione intellectûs eas dirigente, et volitione eas imperante ; quapropter non desunt varii et accurati recentiores, qui cum cardin. de Lugo censent tali casu remanere tenuem et remissam actualem intentionem et attentionem ad actiones, per quas applicantur media, uti et ad actionem, quâ finis intentus perficitur, quæ ob suî tenuitatem et exilitatem nequidem reflexè perpici possit. Verùm sive subtilis illa intentio sit, sive non sit in ministro sacramenti, dùm contingit in confectione sacramentali cum actuali intentione inchoatâ, mentem ejus divagari, in praxi dubitari non debet, intentionem ab initio conceptam virtualiter permanere, et influere in ea quæ facit, quamdiù ordinatè pergit in ministerio per ipsam inchoato, et ipsa nec per con-

rariam intentionem fuit revocata, nec per impedimentum superveniens interrupta. Maximè si doleat de illâ suâ mentis evagatione, dùm ad eam reflectit, ac ita sit animo constitutus, ut si interrogaretur, an velit conficere sacramentum, sincerè responderet affirmativè; uti enim aliæ actiones cum intentione actuali inchoatæ, postmodùm cum simili mentis evagatione continuatæ, verè dicuntur peractæ humano modo, ita et in præsenti confectio sacramenti. Deinde cùm minister semotâ etiam aliorum cogitatione secundùm assertores hujus sententiæ, nequidem se reflectendo percipere possit, an tenuem illam attentionem et volitionem habuerit, ad nihil serviret sollicitudo de re imperceptibili, nisi ad inanem capitis vexationem, et fomentum scrupulorum; neque etiam certitudo intentionis à ministro requisitæ pendere potest à permanentiâ actûs, de quo nulla haberi potest certitudo.

### § 2. *De voluntario physico et morali.*

Voluntarium aliud est physicum, aliud morale. Primum est quod physicè, aliud quod moraliter procedit à voluntate, vel propriâ, uti actus præteritus nondùm retractatus, ac in prudentûm judicio quoad aliquem effectum perseverans donec relaxetur ac dissolvatur, v. g., vota, promissiones, contractus moraliter manent ratione obligationis quam pariunt, priusquàm hæc relaxentur. Sic etiam peccatum præteritum non retractatum remanet in peccatore ratione maculæ quam in animâ relinquit, quæ animam denominat maculatam et inquinatam peccato. Ideòque hæc dicuntur moralia voluntate propriâ. Alia dicuntur moralia voluntate alienâ, quæ scilicet ex alterius quidem suppositi voluntate procedunt; hìc et nunc tamen reputantur pro actu propriæ voluntatis. Quæ quatuor præcipuè modis fieri possunt: primò, si quis sponte suâ voluntatem suam transferat in alium, ut quod alius nomine suo gesserit, ipse egisse censeatur; et hoc modo mandantis voluntas transfunditur in mandatarium, et voluntas constituentis procuratorem ad omnia, vel certa negotia, vel causas traducitur in constitutum procuratorem, etc. Secundò, cùm superiorum auctoritate vel juris dispositione voluntas unius censetur translata in alium. Sic tutorum voluntas est pupillorum, et curatorum consensus est minorum in administratione bonorum. Aliquando etiam auctoritate judicis datur prodigo administrator, ne res suas prodigè dissipet. Tertiò, cùm voluntas unius naturaliter subjicitur voluntati alterius. Hoc modo infantium et perpetuò amentium, cùm voluntas propria non sit, voluntas parentûm habetur voluntas eorum in iis quæ pertinent ad salutem ipsorum sive animæ sive corporis; unde filii, dùm parvuli sunt, adulti etiam perpetuò amentes, voluntate parentûm suscipiunt baptismum. Quartò, cùm quis ex pacto et sub certâ conditione quidpiam acceptat non tantùm pro se, sed et omnibus in se actu et virtute contentis. Ut si quis acceptet privilegium pro se et pro suis posteris cum pacto, quòd si certam conditionem adimpleat, privilegium omnibus conferatur; si conditionem non adimpleat, omnes privilegio priventur. Tunc violato pacto à paciscente, etiam posteri dicuntur voluntariè perdidisse illud privilegium. Hàc ratione peccatum originale est voluntarium posteris Adami. Nam ut colligitur ex concilio Tridentino, sess. 5 de Justific, protoparens Adamus, cùm, Genes. 3, acceperit justitiam originalem ex institutione Dei sibi et posteris conservandam, aut amittendam, ac deinde peccaverit, eam tam sibi, quàm posteris perdidit. Uti si non peccâsset, eam justitiam unà cum naturâ ex Dei institutione ac beneficio transmisisset in posteros, quia tunc eam sibi et posteris conservâsset.

### § 3. *De voluntario tacito et expresso.*

Ulteriùs dividitur voluntarium in tacitum et expressum, quibus addi potest præsumptum. Expressum est, quod actu expresso et formali à voluntate procedit, seu quod verbis, aut aliis signis consensum ex instituto significantibus exprimitur. Tacitum est, quod absque tali signo ex facto aliquo, vel facti omissione, pensatis circumstantiis, colligitur. Hinc regula 43, in 6: *Qui tacet, consentire videtur.* Quæ tamen regula non est universalis, sed tunc solùm procedit, quando ex circumstantiis aliisque probabilibus conjecturis sumitur argumentum istius consensûs, aut quando juris dispositione taciturnitas habetur pro consensu. Ita primo favore matrimonii et parentûm (non aliorum consanguineorum aut tutorum uti juris canonici interpretes hanc regulam communiter interpretantur) filius (idem est de filiâ) præsens et tacens obligatur sponsalibus per parentes contractis, can. *Sufficiat*, causâ 27, q. 2, c. fin. de sponsâ duorum. Item favore pupillorum fidejussores à tutoribus nominati, si præsentes fuerint, et non contradicendo nomina sua referri in acta publica passi sint, jam obligantur c. *Cùm ostendimus*, ff. de Fidejuss.

Tacens consentire videtur, si taceat dùm negare et contradicere deberet, ut dùm reus à judice legitimè interrogatus ac respondere jussus tacet, fateri præsumitur, c. *Si post*, de Confess. in 6. Similiter canonicus iniquæ electioni vel constitutioni non reclamans in ordine ad peccatum et pœnam consentire judicatur, c. 1, de his qui fiunt à majori parte capituli, secùs in ordine ad valorem electionis, neque enim in re graviter communitati præjudicante taciturnitas habetur pro consensu. Principis vel prælati scientia et patientia habetur pro consensu, si facilè et absque scandalo, vel alterius mali periculo aliquid à se dependens impedire possit, nec impediat. Ita in cap. Ephesys, dist. 43, dicitur: « Pastor, qui increpare delinquentes no-« luerit, eos procul dubio tacendo occidit. » Et in cap. Error. dist. 83, habetur: « Error, cui non resi-« stitur, approbatur: et veritas, cùm non defenditur, « opprimitur. Negligere, cùm possis perturbare per-« versos, nihil aliud est, quàm fovere: nec caret scru-« pulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desi-« nit obviare. » Quæ intellige de prælatis, qui ratione sui muneris vel officii aliquid impedire tenentur, facilè possunt et non præstant; si enim malum subdito-

rum facilè impedire nequeant, vel non expediat, nisi opportuno tempore, vel nisi res ad ipsorum judicium deducatur, excusantur : quæ ex capite non omnia, quæ summi pontifices sciunt et tolerant approbare censentur. Quia, ut dicitur in cap. *Cùm jamdudùm*, de Præb., « multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta « fuerint ad judicium, exigente justitiâ non debeant « tolerari. » Si ex duobus tibi objectis unum tantùm neges, alterum fateri censeris, nisi tales adsint circumstantiæ, quæ vim istius præsumptionis elidunt. Unde cap. *Nonne* 3, de Præsumpt., pro exemplo adducitur Christus, cui duo à Judæis objiciebantur, quòd scilicet Samaritanus esset, et dæmonium haberet ; ad secundum respondit Christus : *Ego dæmonium non habeo ;* ad primum tacendo affirmavit, quòd scilicet Samaritanus esset. Taciturnitas seu patientia censetur inducere consensum, quando præter taciturnitatem intervenit aliquis actus positivus ; sic qui scienter recipit litteras, in quibus constituitur procurator, et non protestatur, censetur eis præstare assensum. Clement. 1 de Procur. Simile quid habetur, in l. *Si filius familias* 16, ff. ad S. C. Maced., ubi paterfamilias, receptis litteris in quibus filius petit pecuniam à se mutuò acceptam solvi, continuò debet testationem contrariæ voluntatis interponere : alioqui factum approbare videtur, sicque solvere debet pecuniam à filio mutuò acceptam.

Fallit autem dicta regula in pluribus, uti 1° si tacens, id quod agitur, vel ignorat penitùs, vel non intelligit, l. *Qui vas*, 48, ff. de Furtis. 2° In illis in quibus consensus per verba aut signa æquipollentia expressus ad formam actûs requiritur. Sic adultus baptizatus, si ad prævias interrogationes tacuerit, non censetur consensisse in suî baptizationem, can. *Cùm pro parvulis*, 77, dist. 4 de Consecr. Imò generaliter taciturnitas aliis adminiculis non suffulta, neque consensum, neque dissensum significat, uti constat ex Reg. 44, immediatè sequenti : *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Siquidem taciturnitas medium quid est inter confessionem et negationem, in contrariis autem, quæ habent medium, ad exclusionem unius, non sequitur inclusio alterius. Exemplum regulæ est in l. *Filius* 29, ff. de Interrog. in jure faciendis. Ubi si quis extra judicium à creditore suo interrogatus, an non sibi debeat et ad interrogationem taceat, vi præsentis regulæ debitum nec fateri, neque negare censetur. Vide Azorium, lib. 1 Institutionum moralium, c. 4, 5 et 6. Quanquàm aliqui voluntarium præsumptum confundant cum tacito, ab eo tamen distinguitur ; quia tacitum ex dictis est, quod ex circumtantiis consensum significantibus censetur de facto existere ; præsumptum verò supponitur tantùm exstiturum, sive tantùm existeret, si conditio poneretur. Utriusque differentiam satis elucidabunt casus sequentes.

Casus 1 : Titius cujusdam Ecclesiæ cathedralis canonicus non approbatus ab episcopo ad audiendas confessiones, nihilhominùs eas audit vidente ac tacente episcopo ; censeturne hoc in casu taciturnitas episcopi tacita illius canonici approbatio ? Ante respons.,

Suppono 1° absolutiones à Titio datas, at tequàm episcopus eum vidit excipiendis confessionibus occupatum, defectu approbationis invalidas esse, ac ex parte Titii sacrilegas. 2° Absolutiones à Titio datas, postquàm episcopus eum absolventem vidit, validas esse, si hic verè consensum tacitè præbuerit : taciti enim et expressi eadem est vis, idem effectus, cùm tacitus consensus sit verus à parte rei existens. Unde solùm difficultas restat, an episcopi taciturnitas hoc in casu sit sufficiens argumentum consensûs. — Respondet Pontas in Dictionario casuum conscientiæ, v. *Approbatio*, cas. 11, taciturnitatem in casu posito nullum esse interni consensûs argumentum, sed potiùs præsumi debere tacuisse episcopum, ne diffamaret Titium manifestando delictum ejus occultum. Verùm ego è contra existimo, præsumendum potiùs esse episcopum tacitè Titium approbâsse, quàm non contradicendo, aut monendo, ut desisteret (ubi facilè contradicere ac monere etiam sine diffamatione secretò poterat et tenebatur), permisisse tot sacrilegas absolutiones, ac tot animarum periculosas deceptiones. Nam qui sic tacet non solùm consentire videtur juxta regulam juris, sed etiam ipso suo silentio, tanquàm signo sensibili externo consensum suum exprimere. Quanquàm fatear temerè ex simili consensu perrexisse Titium in excipiendis confessionibus ac impertiendis absolutionibus, cùm enim verus consensus requiratur, ad valorem absolutionis, qui consensus, quamvis ex taciturnitate aliisque conjecturis credatur adesse, equidem deesse potest, aliquali saltem nullitatis periculo sacramentum exponitur : unde pro securitate explorandum est, qualis fuerit mens episcopi tacentis ; quæ si indagari nequeat, inducendi sunt pœnitentes, ut confessiones ita factas apud confessarium legitimè approbatum repetant, ut sic animarum saluti consulatur.

Casus 2 : Sidonius vir doctrinâ et pietate conspicuus, quanquàm nondùm approbatus ad excipiendas confessiones, moraliter tamen certus quòd, si ab episcopo peteret approbationem, illam haud dubiè obtineret, hic, inquam, in magno populi concursu, volens subvenire multitudini, quorumdam confessiones excipit cum approbatione hâc præsumptâ, absolutiones ita datæ suntne validæ ? — R. Absolutiones ita datas fuisse invalidas. Ratio est, quia generalis regula est quòd, quando superioris consensus requiritur, ut causa potestatis ad validè agendum, non sufficiat consensus merè præsumptus, sed requiratur ad minimum tacitus et actualis, saltem habitualiter perseverans. Unde, licet Sidonius certus fuerit se approbandum, si petiisset approbari, non tamen potuit validè ex hâc merè præsumptâ approbatione absolvere. Ac in simili, licet quis certò sciat, episcopum, si peteretur, consensurum, ut loco proprii parochi assistat matrimonio Caii et Titiæ, non potest validè assistere. Imò licet certus quispiam foret non solùm de consensu prudenter præsumpto, sed etiam de ratihabitione secuturâ, et postea ratihaberet episcopus similes absolutiones et assistentias, non tamen fierent validæ. Ratio est, quia insti

tutio Christi et Ecclesiæ prærequirit actualem potestatem in tali ministro, quando agit, ut nobis ex communi Ecclesiæ ac theologorum consensu constat. Unde licet ratihabitio sufficiat ad effectus pendentes à voluntate et lege humanâ, non tamen ad actus pendentes à voluntate Christi, qui hìc aliter instituit. Quapropter Paludanus in 4, dist. 17, q. 3, part. *Quantùm ad tertium*, hanc ponit regulam : *Nulla ratihabitio confirmat sacramentum.* Dixi supra : *Quando consensus requiritur ad validè agendum ;* quia consensus superioris saltem in ejus absentiâ præsumptus sufficit, ut aliquis ex eo agat, quando talis consensus solùm requiritur tanquàm regula actionis licitæ, dummodò operans habeat certam cognitionem, consensum vel licentiam, si peteretur, dandam ; et proprius amor seu inordinatus affectus (prout plerùmque in inferioribus contingit) non depravet judicium, quod sibi format de dandâ licentiâ.

### § 4. *De voluntario directo et indirecto.*

Restat nunc agendum de celeberrimâ ac pro praxi summè necessariâ divisione voluntarii in directum et indirectum, circa quam, ut clarè procedamus, nota tripliciter quid à voluntate procedere. Primò tanquàm effectus à voluntate immediatè et proximè elicitus, sive positivè, sive interpretativè. Taliter voluntarii sunt actus à voluntate eliciti, liberæque eorum omissiones. Secundò tanquàm effectus à voluntate imperatus ab ipsâ immediatè non procedens, sed ab aliâ potentiâ executivâ voluntatis imperio subjectâ. Potest tamen etiam unus actus à voluntate elicitus alium imperare, imò idem actus esse elicitus et imperatus ; elicitus, quatenùs immediatè procedit à voluntate, imperatus verò, in quantum procedit vi imperii voluntatis. Ita amor proximi est actus elicitus voluntatis ; in quantum verò voluntas vi amoris Dei imperat illum actum, amoris proximi est actus imperatus. Tertiò, procedit aliquid à voluntate tanquàm effectus consequens ex actu per voluntatem imperato. Unde quia actus aliorum hominum, circa quos voluntas nostra præcisè occupatur, complacendo vel displicendo, approbando vel improbando, desiderando ut fiant, timendo ne fiant, nullo ex his modis procedunt à voluntate, non sunt voluntarii, quanquàm sint voliti. Ex quibus constat voluntarium rectè dividi in elicitum et imperatum. Rursùs in directum et indirectum. Primum est, quod procedit à voluntate in se, et secundùm se illud volente, sive in quod voluntas directè tendit. Secundum est, in quod voluntas non quidem ita tendit ; censetur tamen volitum in alio directè volito, vel tanquàm cum illo connexum, vel tanquàm effectus inde consequens, aut aliter secundùm moralem æstimationem censetur interpretativè volitum. Ut autem effectus in causâ sive positivâ, sive negativâ (ad quam consequitur) censeatur voluntarius, tria communiter requirunt doctores. 1° Quòd fuerit prævisus saltem in communi et confusè ; quia nullo modo cognitum non potest esse voluntarium, adeòque nec peccaminosum. Dixi : *Saltem in communi et confusè ;* quia non requiritur ad voluntarium, nec ad peccandum formalis et expressa cogitatio, dubium, vel scrupulus de malitiâ actûs vel effectûs peccaminosi, neque etiam expressa cogitatio de futuritione effectûs, sed sufficit virtualis, qualis est in eo qui potest et tenetur advertere ad malitiam actûs in se, vel in suâ causâ, et non advertit. 2° Quòd causam vitare possis, aut positam auferre. Si enim non possis, non peccas in eo quod ex tali causâ sequitur, cùm nemo peccet in eo, neminique moraliter imputetur illud, quod consequitur ex causâ, quam non ponere, aut positam auferre non potest. 3° Ut tenearis actionem istam omittere, sive causam non ponere, aut positam auferre ad effectum illum impediendum, aliàs effectus solùm censebitur voluntarius, permissivè. Si igitur justam habeas causam, ob quam non teneris impedire causam, effectus inde subsecutus non censetur tibi voluntarius, nisi solùm permissivè ; quemadmodùm peccata nostra Deo solùm sunt voluntaria permissivè, quamvis enim voluntatem nostram movere queat, ne peccet, verùmtamen quia peccati causam impedire non tenetur, et aliunde justam habet non impediendi causam, ideò non impediendo non censetur ea velle, nequidem indirectè, sed solùm permittere.

Ubi pro praxi, quod etiam superiùs intimavi, notandum, quòd generaliter loquendo non sufficiat ad hoc, ut effectus ex causâ proveniens alicui in culpam cedat, quòd actio aliqua sit ei prohibita, sed requiritur ulteriùs, quòd causa omitti debuerit, ne sequeretur malus ille effectus : si enim v. g., clericus, cui venatio interdicta est, adhibitâ sufficienti circumspectione, inter venandum occidat hominem, dùm putat occidere feram, non imputabitur ipsi ad reatum homicidii, siquidem non debuit tum illa venatio omitti ob periculum homicidii, sed alio titulo, v. g., quòd dedeceat clericum occisione ferarum occupari, cum avocatione mentis à divinis. Ex hucusque dictis varios quidem casus resolvunt theologi, verùmtamen quia varia adhuc exsurgunt dubia, quæ ex his decidi, non nisi cum magnâ difficultate possunt, uti ex sequentibus constabit, operæ pretium duxi, quibusdam regulis, adjunctis cuilibet casuum resolutionibus rem præsentem elucidare, quæ præcipuas circa hanc materiam difficultates exhauriant, ex quibus complures aliæ citra negotium resolvi possint, ac tandem dignosci queat, quandonam effectus indirectè seu interpretativè voluntarius censeatur in causâ, sive in actione, vel omissione, ex quâ consequitur. Prævìè autem observandum venit effectus aliquos ex actione nostrâ vel omissione tripliciter consequi posse, 1° ex purâ aliorum malitiâ absque ullo concursu nostro, ut dùm aliquis ex actione nostrâ sumit scandalum merè pharisaicum seu passivum ; 2° ex naturâ talis actionis, utpote quæ de se nata est illos effectus producere ; 3° ex aliorum fragilitate vel ignorantiâ. Circa effectum malum rursùs considerandum, 1° quanta sit gravitas malitiæ in effectu ; 2° quanta sit verisimilitudo, quòd effectus malus ex illâ causâ sit secuturus ; 3° quàm maliosè ac fœdè causa in effectum influat ; an huic personæ in particulari non incumbat specialis obligatio

vi cujus præ aliis teneatur cavere effectum malum ; 5° qualis et quanta sit ratio non prætermittendi causam.

Regula prima. — Quantò pejor est effectus, vel speciali titulo à tali personâ impediendus, tantò magis est cavendus, proindeque et cavenda ipsius causa, quapropter effectus potest esse indirectè voluntarius, quantùmvis rarò sequatur ex causâ voluntariè positâ.

Casus : Juliana à quatuor mensibus gravida, ad nuptias invitata, ibidemque excessivè saltans, sibi quidem non persuadet se per saltum nocituram proli, equidem considerans graviditatem suam aliqualiter anxiatur, paucosque post dies parit prolem mortuam; estne coram Deo culpabilis de morte prolis suæ ? Adrianus ex subito iræ motu uxorem prægnantem pede percutiens, quæ exinde abortum facit, interrogat, an hoc in casu imputandus ei veniat abortus absque ullâ suî intentione secutus, minimèque prævisus ? — R. Utrumque coram Deo reum esse. Ratio desumitur ex S. Th. 2-2, q. 64, art. 8, in O, ubi : « Contingit tamen, inquit, id, quod non est actu et « per se volitum vel intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundùm quod causa per accidens dicitur removens prohibens ; unde ille, qui non « removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodò homicidium voluntarium. » Subjungit doctor : « Hoc autem contingit dupliciter : uno modo, quando dans operam « rebus illicitis, quas vitare debeat, homicidium incurrit. » Alio modo quando (quamvis det operam licitis) « non adhibet debitam sollicitudinem. » Ex quo manifestè sequitur utrumque esse culpabilem. Juliana quidem, quia non erat ei permissum saltare eo tempore quo gestabat uterum, augetque peccatum illius, quòd excessivè cum nimiâ animi passione saltaverit, ac quòd contra lumen et remorsum conscientiæ egerit ; quapropter uti non potest excusari à peccato, ita non potest non ei imputari abortus ex saltu secutus. Nec minùs culpabilis est Adrianus, quia, ut loquitur idem S. D., l. c., ad 2 : « Ille, qui percutit mulierem « prægnantem, dat operam rei illicitæ, et ideò, si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen. » Huic conformiter utrumque casum decidit S. Antoninus in Sum. Confess. p. 1. Interrogat de 5 *Præcepto*, c. unico : « Si mulier gravida « præter intentionem abortitur, si commisisset ibi « notabilem negligentiam, puta quia nimis saltavit, vel « nimis inordinatè laboravit, vel propter inordinatas « lascivias, non esset absque peccato mortali. Idem in « viro, vel alio percutiente eam, unde hoc sequitur. »

Accedit, quòd tam homicidium, quàm abortus præsertim fœtûs animati gravissimis de causis sollicitissimè est cavendus, quia fœtui animæ et corporis mortem adfert, causatque ad minimum pœnam damni. Et ideò, etiamsi nonnisi semel vel iterùm ex viginti vicibus ex simili saltu vel percussione sequeretur, ab illis equidem abstinendum est, ne inde sequatur : ac in simili ab ebrietate abstinendum est, non solùm ad cavendam malitiam per se illi annexam, sed et ad cavendum homicidium, etiamsi non nisi semel vel iterùm sequatur ex viginti vicibus. Similiter cavendum est ne quis tabulam vel ponderosum lapidem jaciat ex alto in aliquem locum, ne sequatur homicidium vel læsio, quamvis illa non nisi semel vel iterùm ex pluribus projectionibus sequatur. Ex quo vides voluntarium indirectum non necessariò debere esse volitum, imò posse fieri, quòd expressè actu sit nolitum, quia homicidium in casu projectionis lapidis, abortus in casu positi saltûs vel percussionis possunt esse nolita, et tamen indirectè voluntaria.

Regula secunda. — Quantò propinquiùs causa nata est influere in effectum malum, tantò gravior ratio requiritur ad eam ponendam, ut effectus non reddatur voluntarius ponenti causam. Declaratur ac exemplificatur regula in motibus turpibus, qui proveniunt vel ex causis per se et propinquè eorum excitativis, vel per accidens et remotè tantùm. Per se et propinquè excitativæ censentur, quæ in hoc corruptæ naturæ statu eam habent turpitudinis speciem, ut per se ad luxuriam spectarent, nisi propriæ aut alienæ necessitatis titulo honestarentur, uti aspectus et tactus partium inhonestarum, præsertim alterius sexûs. Remotè et per accidens, quæ per se eam non habent turpitudinis speciem, sed vel per se honestæ sunt, ut confessiones audire ; vel indifferentes, uti comedere cibos calidiores in communi usu apponi solitos. Quòd si sermo sit de causis solùm remotè et per accidens excitativis, doctores honestam sufficere dicunt utilitatem ad hoc, ut homo non teneatur motuum illorum, seu etiam pollutionis causas remotas prætermittere ad effectus illos impediendos, dummodò effectus illi nec quærantur, antequàm adsint, nec amentur, cùm adsunt. Si autem sermo sit de causis per se et propinquè natis illos excitare, tantò gravior debet esse necessitas non prætermittendi ejusmodi causas, quantò graviores motus natæ sunt excitare, et ideò mortaliter peccat chyrurgus absque gravi necessitate tangens vel aspiciens secretiora feminæ. Sed de his plura regulâ tertiâ.

Casus : Adelheidis puella 18 circiter vel 20 annorum quotidiè perambulans porticum aut hortos cujusdam principis curiosè aspicit nuditates tabularum ac statuarum ibidem erectarum ; venitne propterea condemnanda peccati, si cogitationibus ac motibus inordinatis inde exsurgentibus consensum deneget ? — Resp. præsupponendo id, quod nemo prudens negaverit, nihil esse efficacius ad corrumpendas hominum mentes, ac inflammandam peccandi libidinem, quàm rerum turpium atque obscœnarum imagines ; quæ fuit ratio S. Chrysostomo in ps. 113, dicendi quòd *dæmon nudæ figuræ assideat, ut in loco sibi specialiter dedicato.* Quapropter S. Carolus in conc. Provinc. 3, habito 1573, tit. de iis quæ partim ad ordinis sacramentum... pertinent, tom. 1 : « Quoniam, inquit, christianorum « hominum mentes facilè corrumpuntur peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium atque obscœna« rum imagines : ideò istas pingi vetitum est Constan« tinopolitanæ synodi canone : itaque curet episco« pus, ut quicumque laici homines id generis imagines

« habent, vel tabulis vel parietibus expressas, pro « pietatis christianæ, cui addicti esse debent, studio, « eas abjiciant, vel planè deleant, vel ad honestatem « reconcinnent. » Ex quibus patet ad casum responsio, Adelheidi scilicet motus inordinatos indirectè in causâ fuisse non tantùm voluntarios, sed et graviter eam deliquisse ratione periculi graviùs labendi, cui se voluntariè exposuit.

Regula tertia. — Famosum effatum ex S. Th. 2-2, q. 64, art. 7, quòd scilicet dùm causa aliqua secundùm se licita habet duos effectus, unum bonum, alterum malum, possit quis tum licitè ponere causam intendendo effectum bonum, et permissivè se habendo ad malum; illud, inquam, licet aliquando sit verum, non tamen generaliter. Quòd aliquando illud subsistat, patet primò ex eo quòd inde deducat S. Th. voluntariam non censeri occisionem injusti invasoris propriæ vitæ, dùm contingit, non intendendo ipsius occisionem, sed propriæ duntaxat vitæ defensionem; quia, inquit, « non est necessarium ad salutem, ut « homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evi- « tandam occisionem alterius. Sed quia occidere ho- « minem non licet, nisi publicâ auctoritate..... illici- « tum est, quòd homo intendat occidere hominem, « ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam « auctoritatem. » Declaratur id ipsum secundò, exemplo medici præscribentis ægroto potionem ad restituendam ipsi sanitatem; ex quâ potione, tametsi per se physicè duo sequantur effectus, scilicet restitutio sanitatis, et debilitas ægroti, ista medico non censetur voluntaria, sed illa tantùm, quia illius causâ medicus potionem præscribit. Tertiò, exemplo principis hostilem turrim tormentis bellicis dejicientis, in quâ cum hostibus innocens scienter occiditur; neque enim innocentis occisio censetur ipsi voluntaria, etiamsi per se physicè tam sequatur ex illâ turris dejectione, quàm hostium occisio, quia justa necessitas istam dejectionem excusat, ex intentione capiendi civitatem, non occidendi innocentem. Quartò, exemplo medici et chyrurgi curantium secretiora mulierum; ex quorum necessario aspectu aut tactu, etiamsi prævideant in se secuturos carnis motus, vel etiam pollutionem, non censentur effectus illos moraliter velle, quia justam habent aspiciendi tangendique necessitatem. Idem est de confessario similes in se effectus ex auditis in confessione, turpibus experiente; ratio est, quia, quamvis homo inferiorem appetitum teneatur regere, ipsiusque adversùs spiritum rebellionem coercere, solùm tamen eatenùs ad id tenetur, quatenùs inordinatis motibus, carnisque concupiscentiis consensum denegare, eorumque causas inutiles, ac minimè necessarias amovere tenetur; uti est communis SS. et theologorum sensus, docetque timoratorum praxis. Neque in casu posito medicus, chyrurgus, confessarius censentur amare periculum, sed solùm illud ingens bonum, ad quod sine periculo pollutionis, vel motuum turpium perveniri nequit. Quare curatio infirmi respectu medici est finis per se intentus; expositio verò illa se habet concomitanter et ex consequenti, cùm nullo modo per se intendatur ab agente, nec primariò includatur in actione, præterea cùm præceptum fugiendi periculum, totaque prohibitio sese periculo exponendi se teneat ex parte periculi formalis et voluntarii; periculum, de quo casus, habet se tantùm materialiter. Neque etiam medicus, chyrurgus, confessarius censentur quærere occasionem peccandi proximam; quia duo hìc concurrunt objecta, unum incumbendi proprio muneri; alterum se tuendi ex vi multiplicis propositi adversùs formale periculum, repetendo dissensum circa omnia quæ occurrere possunt, et per hos actus omninò extenuare periculum formale; in quo casu, exercendo munus suum, etiam cum periculo materialis lapsùs, quispiam non peccat ex eo quòd adierit occasionem, quanquàm peccare potuerit omittendo actus internos, quibus se contra periculum formale munire potuit. Vides quomodò famosum D. Th. effatum his ac similibus casibus legitimè applicetur.

Verumtamen, ne nimiam laxitatem inducat, intelligendum est cum multiplici limitatione. 1° Quia manifestum est quòd, si causa illa directè et immediatè habeat effectum malum, et non, nisi indirectè, maloque illo effectu mediante effectum bonum, causam illam non liceat ponere ex intentione effectûs boni: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, v. g., non licet mentiri ad salvandam vitam patris, etc. 2° Etiamsi causa æquè, directè et immediatè habeat effectum bonum, quàm malum, si tamen nulla sit comparatio bonitatis unius effectûs cum malitiâ alterius; sed malitia hujus superet bonitatem illius, talem causam ponere non licet, v. g., incendere locum, ubi æquè directè exurendus est homo, et lupus. 3° Etiamsi causa illa æquè directè habeat effectum bonum, quàm malum, et bonitas unius effectûs non sit minor, imò major, quàm malitia alterius, si tamen causa illa ex se mala sit, causam illam non licet ponere ex intentione effectûs boni: sic nequit se occidere virgo, ut servet virginitatis florem, etc.

Casus: Caiæ gravidæ, ægræ, ac jam in mortis periculo constitutæ medicinam præscribit medicus, quæ quidem valdè probabiliter ei vitam salvabit, moraliter tamen certò causabit abortum; licetne hoc in casu præscriptam ei medicinam sumere? — Pro resp. observandum 1° an fœtus sit animatus, vel non animatus; 2° an medicina directè tendat ad nocumentum vel occisionem fœtûs, an solùm indirectè; 3° quo fine, seu quâ intentione mater illam sumat. Nunc resp. 1° quòd si Caia sciat, aut putet fœtum esse animatum, non potest sumere medicinam directè tendentem ad occisionem fœtûs, etiamsi alioqui versaretur in certo mortis periculo. Ratio est, quia hoc esset directè occidere innocentem, quod per se malum est. Resp. 2° Nunquàm licet directè procurare abortum fœtûs etiam inanimati, qualiscumque demùm effectus bo ex procuratione abortûs exspectari valeat. Ratio est quia per se et directè procurare abortum etiam ante animationem est peccatum mortale, juri naturæ contrarium: prolis enim conceptionem, quæ nata est se-

qui ex copulâ carnali, impedire est contra naturam, naturalemque finem generationis, quod proinde nullo bono fine honestari potest. Unde licet procurans abortum propriè hominem non occidat, futurum equidem hominem impedit, atque ideò contra quintum Decalogi præceptum peccat; uti contra septimum Decalogi præceptum peccat, non solùm qui aliena aufert, sed etiam qui alteri est injusto impedimento, ne lucrum faciat; hinc procurantes abortum quandoque homicidæ vocantur. « Quia, uti loquitur S. Augusti- « nus, crudeli libidine, seu libidinosâ crudelitate con- « ceptam prolem priùs volunt interire, quàm vivere. » Ponderanda hìc quoque veniunt Tertulliani verba Apolog. c. 9, à D. Th. variis in locis et ab omnibus passim theologis adoptata, ubi : « Nobis, inquit, ho- « micidio semper interdicto, etiam conceptum utero, « dùm adhuc sanguis in hominem delibatur, dissol- « vere non licet. Homicidii festinatio est prohibere « nasci » ( hoc est, dùm adhuc dubitatur, an concepta utero feminæ coibunt in fœtum uti hunc locum interpretatur Nicolaus Rigaltius); « nec refert, natam quis « eripiat animam, an nascentem disturbet. »

Conf. Resp. ex Joanne Cabassutio Jur. Can. Theor. et praxi l. 5, c. 20, n. 8, ubi relatâ auctorum contra sentientium opinione, « sed, inquit, obsistit Aposto- « lus dicens, non esse facienda mala ad bonum finem : « et aliunde consentiunt catholici doctores non posse « intendi aut procurari pollutionem etiam ad conser- « vandam vitam, utendo pharmaco, aut talibus cibis, « ex quibus futura putetur. At verò abortus procura- « tus majorem habet mali speciem, quàm pollutio, « quæ est destructio unius tantùm seminis; abortus « autem destruit duorum seminum conjunctionem, « quæ propterea propiùs ordinatur ad hominis pro- « ductionem, quàm simplex semen; igitur sollicitior « debet esse cautio circa abortum, quàm circa pollu- « tionem. » Resp. Sanch. lib. 9 de Matrim., disp. 20, n. 12, causam, ob quam pollutio nunquàm liceat, non esse damnum generationis, sed quia natura omnimodam seminis administrationem negavit extra coitum ad generationem propter periculum imminens ob nimiam delectationem quæ in ejus effusione sentitur. Sed contra est primò. Pollutio non solùm est prohibita, quia adfert voluptatem (in quo posset dici differre ab expulsione fœtûs, quæ non habet conjunctam voluptatem) ; sed etiam quia præcisâ voluptate opponitur fini generationis; atqui huic fini non minùs, imò magis opponitur expulsio fœtûs, ut constat ex iis quæ ex Cabassutio adduximus; ergo. Contra est secundò. Quia, ut rectè expendit cardin. de Lugo de J. et J. tom. 1, disp. 10, sect. 5, n. 131, eadem planè ratio convincit, quòd nunquàm licita sit procuratio abortûs, seu expulsio fœtûs; uti enim natura nunquàm permisit effusionem seminis extra coitum ad generationem, quia, si aliquando extra coitum possit procurari licitè, periculum esset, quòd homines eâ delectatione extra coitum contenti, minùs de prole generandâ curarent; ita à fortiori prohibita censeri debet procuratio abortûs, quia, si aliquando liceret, etiam foret periculum, quòd homines delectationem copulæ quærerent, ec animo, et spe, quòd postmodùm ex superveniente quâdam causâ, puta imaginariâ quâdam, aut verâ feminæ ægritudine abortus procurari possit, sicque partus impediretur, ac daretur occasio fornicationibus et stupris, à quibus sæpè absterret timor prolis, futurique partûs. Concludendum igitur, quòd uti natura, seminis, ita et fœtûs administrationem sibi reservaverit, negatâ parentibus facultate disponendi de semine vel fœtu, nisi ad finem generationis ab ipsâ naturâ intentum, quia omnis alia administratio ipsis concessa nata est inducere plurima inconvenientia contra finem generationis : ergo sicuti nunquàm potest directè procurari pollutio, aut acceleratio mortis infirmi, etiamsi non intendatur propter se, sed propter alium finem, ac uti actio, quæ non aliter utilis esse potest ad occidendum hostem nisi quatenùs directè occidit innocentem, est illicita, ita et procuratio abortûs, quamvis illa per se non intendatur, sed sola matris salus.

Dices : Amputari potest membrum pro salute totius hominis periclitantis, ergo et in casu posito expelli fœtus, quâ pars matris periclitantis. — Resp. Nego suppositum, quòd fœtus respectu matris se habeat uti membrum respectu totius corporis, quia uti semen terræ mandatum respectu terræ, non est pars terræ, nec ideò terræ injicitur, ut pars terræ fiat, sed ut inde planta generetur; ita hominum semen in matrem non derivatur, ut sit pars ejus, sed ut ipsa proles generetur; unde fœtus etiam nondùm animatus ordinem dicit ad inchoativè distinctum suppositum, et est quasi in semine alter homo. — Resp. 3° ad casum. Quòd si fœtus necdùm sit animatus, potest mater sumere medicinam ex se salutiferam, ac ad curationem morbi, non verò ad abortum procurandum ordinatam, si aliâ viâ non possit succurri matri. Ratio est, quia tunc per accidens et præter intentionem sequitur abortus : nec in hoc casu jure suo uti prohibetur, ac proinde, quamvis abortus possit dici non impeditus, nequit tamen dici procuratus, uti potest quis sumere remedium directè tendens ad sanitatem, licet indirectè sequatur seminis effusio. Ex quo probata manet responsio à pari de expulsione seminis; eadem enim est ratio de expulsione fœtûs, et neutra procurari potest; utraque verò indirectè permitti propter sanitatem. — Resp. 4° ad casum. Quòd si fœtus putetur esse animatus, non est licitum matri, alioqui certò etiam morituræ, cum evidenti fœtûs periculo sumere medicinam, ex se quidem salutiferam, sed hìc et nunc proli manifestè nocivam, si spes fit, quòd fœtus edetur vivus, ac editus baptizari queat. Quia tunc vita spiritualis infantis præferenda est vitæ corporali matris. Quæ spes si non supersit, verùm putetur non adhibito remedio tam matrem, quàm infantem perituros, eo autem adhibito salvari posse matrem, adhiberi potest remedium per se ordinatum ad salutem matris, modò illud non tendat directè in mortem prolis. Quòd si illud æquè ex se sit tam mortiferum prolis, quàm sanativum matris, nequidem in extremâ necessitate mater id sumere po-

test, quia nunquàm licet directè agere occisionem innocentis : sumere autem medicinam ex se tam ordinatam ad occisionem fœtûs, quàm ad servationem matris, est directè agere ad occisionem innocentis; unde meritò hìc applicatur illud S. Ambrosii in can. denique 10, 14, q. 5 : « Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quàm gravari alterum. » Circa tempus autem, quo animatur fœtus, communior quidem est Aristotelis sententia, mares animari die 40 à conceptu, feminas verò die 80; nihilominùs legimus apud Harpocratem l. de Naturâ fœtûs c. 10, marem animari die 30 à conceptu, feminas verò 42. De hoc verò ita scrupulosè tractat S. August. Enchiryd. c. 86, ut ibidem dicat : « Quòd utrùm ab homine inveniri possit, nescio, « quando incipiat homo vivere : utrùm sit vita quædam « et occulta, quæ nondùm motibus viventis appareat. » Quòd si in praxi dubium sit, an fœtus in utero conceptus sit vel fuerit mas vel femina, censetur esse vel fuisse maculus, et ita observari in sacrâ pœnitentiâ Romanâ ex pluribus auctoribus testatur N. Sylveira in variis opusculis v. *Abortus*. Unde et in dubio, an medium adhibitum fuerit vel non fuerit causa abortûs, procurans et præbens auxilium, vel consilium secuto effectu abortûs animati primò incurrunt excommunicationem ipso facto juxta Const. Greg. XIV, quæ incipit : *Sedis Apostolicæ*. A quâ absolvi possunt ab ordinario, et quovis confessario ad hoc ab ordinario specialiter deputato : dubium tamen restat, an sufficiat generalis facultas absolvendi à casibus episcopo reservatis, an præterea requiratur specialis episcopi ad hoc deputatio. Ultimum requirunt N. Andr. aliique ab eo citati, hâc ducti ratione, quòd ille casus speciali modo sit reservatus episcopis, ergo pro eo requiri videtur specialis episcopi deputatio. Attamen tota hæc res dependet à mente ac intentione episcoporum. Ad quam pro hâc archidiœcesi Coloniensi investigandam requisitus an. 1711, tunc temporis vicarius generalis illustrissimus D. de Reux respondit, omnes confessarios habentes facultatem absolvendi à casibus episcopo reservatis, posse et ab hoc casu et excommunicatione annexâ absolvere. Rationem generalem dabat, quia hic casus est episcopo (quamvis generaliter et in Constit. Gregor. XIV) reservatus; ergo qui habet facultatem absolvendi à casibus episcopo reservatis, potest, et ab hoc casu absolvere, uti et ab excommunicatione annexâ, quia excommunicatio, aiebat, est propter reservationem; ergo, etc.

Dubitant adhuc auctores circa hanc excommunicationem, an eam quoque incurrat mulier gravida sibi mortem procurans, verùm, quidquid sit de speculativâ probabilitate id negantis : sententia affirmativa (quem tenent Dicast. Bonac. aliique apud N. Andræam cit.) est usu recepta; quia in Bullâ Sixti V, quæ incipit : *Effrœnata* (quam reliquit Greg. XIV, solam reservationem papalem tollens) excommunicantur, *qui, vel quæ uti principales vel sociæ ad tale facinus committendum concurrunt*. Solentque propterea tales mulieres ad cautelam absolvi. Procurantes vel consilium aut auxilium præbentes incurrunt irregularitatem papæ reservatam, sicut omnis irregularitas orta ex homicidio voluntario etiam occulto (qualis est in præsenti) reservatur Sedi Apostolicæ per Trid. sess. 24, cap. 6, de Reform. 3; incurrunt privationem beneficii et dignitatis, si quam habeant, quod tamen intellige, post sententiam declaratoriam criminis, uti dicemus de legibus 4, inhabilitatem ad dignitates et beneficia in posterum obtinenda, idque ante omnem sententiam; quia, ut docetur in tract. de Legibus, pœnæ, quæ impediunt jus acquirendum, non sunt propriè pœnæ, sed quædam inhabilitates ad actus vel beneficia, quæ incurruntur non exspectatâ judicis sententiâ; cùm enim respublica ecclesiastica sit domina suorum bonorum, ea justissimè potest non donare iis qui suas leges non servant.

Casus 2 : Fulgentius Caupo expertus est pluries, quòd duo homines se inebriare soleant, dùm bibunt quatuor lagenas vini; potestne, ut lucro solito potiatur, ad eorum instantiam promere quartam lagenam? — Resp. non posse absque gravi peccato. Ratio est, quia in illis circumstantiis quartam lagenam promere, est actio ex naturâ suâ tendens ad ebrietatem ipsorum; cùm enim vendens et tradens mercem aliquam ordinariè vendat et tradat ad principalem usum ipsius; vendens et promens seu tradens vinum, vendit illud ad potationem, sive ut illud bibat, cui in hisce circumstantiis promitur et propinatur. Si ergo illi quibus traditur, hìc et nunc sciantur esse in eo statu fixo, in quo bibere nequeant, nisi se inebriando, traditio illa ex naturâ suâ comparata ad statum fixum illorum quibus traditur non verò ex solâ alienâ malitiâ habet, quòd ex ipsâ exspectanda sit ebrietas. Unde S. Antoninus Summæ Theol. 2 parte, tit. 6, c. 3, § 2 : « Tabernarii, inquit, si perpendunt aliquos ex nimio vino « sumpto inebriari, quod experti sunt pluries, ut in « ebriosis, et non curant propter avaritiam, graviter « peccant. »

Regula quarta. — De effectibus malis actionem nostram consequentibus non per se, sed ex communi hominum infirmitate, vel ignorantiâ pariter philosophandum, ac de illis qui sequuntur per se, ex naturali conditione actionis nostræ : ac ideò eorumdem causas pariter vitare debemus, uti constat ex sacro textu frequenter ac vehementer inculcante vitanda pusillorum scandala, pœnasque gravissimas iis comminante, per quos scandalum venit. Uti ergo effectus mali actionem nostram consequentes ex naturali conditione ipsius, nobis censentur voluntarii indirectè, cùm formido mali, quod inde natum est sequi, plus movere nos debet ad eam prætermittendam, quàm spes boni ad eam ponendam : ita pariformiter loquendum est de effectibus, actionem nostram consequentibus ex communi fragilitate, seu infirmitate, et de obligatione vitandi causas eorum.

Casus : Lydia nobilis femina, ut se conformet consuetudini respectu omnium suæ conditionis feminarum introductæ, vestes defert versùs collum ita scissas et apertas, ut sinum planè nudum ostentet eâ solùm

intentione, ut marito placeat, ac ut aliis suæ conditionis feminis se conformet; estne causa hæc sufficiens compensans pusillorum scandala exinde oriri nata? — Ante resp. observa 1° morem esse libertinorum prætexere consuetudinem ad excusandas excusationes in transgressionibus legum divinarum ac humanarum; quasi verò consuetudo prævaleret veritati, ac eam vinceret, ubi tamen, asserente S. Cypriano in can. *Consuetudo* 8, dist. 8 : *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Et in can. *Si solus*, fin., eâdem dist : *Neque enim* inquit, *hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* 2° Quòd « nulla consuetudo (verba sunt « S. Antonini 1 p. Summæ tit. 16, § 6) quantùmcumque generalis vel antiqua sit, potest præjudicare vel « tollere id, quod est de lege naturali vel etiam divinâ, « quoad moralia præcepta. » Quamvis secundùm dicenda alibi, si sit legitimè introducta, legi positivæ humanæ derogare possit. Iis positis, ad casum resp. quòd Lydia, cæteræque puellæ et feminæ à peccato excusari nequeant, dùm prætextu consuetudinis nudos sinus ostentant, ipsisque indirectè voluntaria esse scandala, in quæ pusilli ex humanâ fragilitate labuntur, ex intuitu nuditatis earum. Ratio est, quia nullam habent causam sufficientem, quæ compenset scandala illa pusillorum, quæ prudenter timere debent, ita ut ipsis applicari possit illud Isaiæ 42 : *Laqueus juvenum omnes vos.* Neque ulla consuetudo efficere potest, ut transgrediantur inculpatè regulas pudoris et modestiæ christianæ, quibus similis consuetudo planè est contraria : quapropter Clemens Alexandrinus, Pædagog. lib. 2, c. 2 : « Nullo modo, inquit, permittendum est « mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur, hi quidem, ut qui « ad videndum incitentur; illæ'verò, ut quæ virorum « intuitum attrahant. » Et S. Antoninus 2 p. Summæ tit. 4, c. 5, § 3 : « Si enim de usu patriæ est, inquit, « ut mulieres deferant vestes, versùs collum scissas « et apertas usque ad ostentationem pectoris et mamillarum.... valdè turpis et impudicus est talis usus; « et ideò non servandus.... *Non sequaris turbam ad « malum,* ait Dominus in veteri lege, » Neque etiam Lydiam in casu posito excusare potest, quòd non aliis, sed soli marito placere intendat. Quia, ut docet S. Th. 2-2, q. 43, art. 1, ad 4, et in 4, dist. 38, q. 2, art. 2, q. 3, quamvis quispiam aliquem ad peccatum inducere « non intendat, » ipsum tamen « factum est tale, « quod de suî ratione habet, quòd sit inductivum ad « peccandum.... vel quod habet similitudinem peccati; « tunc ille, qui hujusmodi actum facit, propriè dat occasionem ruinæ. Unde vocatur scandalum activum. » Cùm igitur ostentatio mamillarum et pectoris non tantùm habeat similitudinem peccati, sed et quantùm est de se sit inductiva peccati consideratâ præsertim seculi præsentis corruptione, sequitur manifestè pusillorum scandala puellis in casu posito indirectè esse voluntaria.

Regula quinta. Requiritur causa rationabilis non prætermittendi actionem, ex quâ effectus malus ex alienâ malitiâ secuturus prævidetur, ut non consecutur ponenti causam indirectè voluntarius. Patet hæc regula, illiusque veritas illustratur exemplis; primum ex conditione, quam S. Th. postulat ad licitam petitionem mutui, ab eo, qui daturus cognoscitur sub usuris : *Si videlicet indigeat;* adeòque postulat, ut *petitio fiat propter aliquod bonum*, utile vel necessarium, 2-2, q. 64, art. 4. Deinde secundum S. D. q. 98, art. 4, ubi quoque citat S. August., personæ privatæ illicita est petitio juramenti ab eo qui cognoscitur pejeraturus, quia hæc nullam ad id rationem sufficientem habet; licitum tamen id est personæ publicæ, quæ vi officii tenetur satisfacere id postulanti secundùm ordinem juris. Ratio autem regulæ desumitur ex D. Th. 2-2, q. 79, art. 1; quia absque utilitate facere aliquid, cum præviso periculo, quòd proximus ex suâ malitiâ inde ruat in peccatum, nil aliud esse videtur, nisi experimentum sumere de malitiâ proximi.

Casus : Aloysia puella singularis prudentiæ et decoris, scit quòd à Caio juvene perdito ametur, ac quòd totics quoties Ecclesiam aliaque loca sola, aut cum aliis honestæ recreationis vel simili causâ accedit, hic eò se conferat, concupiscentiæ motibus agitetur, iisque assentiatur; teneturne Aloysia se continere domi, ut effectus illos pravos, quos prævidet à perdito juvene absque ullâ suî intentione ponendos, præveniat? — Resp. negativè. Non enim ideò honesta puella domi manere compellitur, quòd ab aliquo perditè ametur; si enim ex intuitu puellæ quispiam occasionem sumat spiritualis ruinæ, id imputet suæ malitiæ; ob quam justum non est honestam puellam ad domesticum veluti carcerem obligare, quin ipsa potiùs apostolicum illud usurpare potest : *Non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujuscemodi.* Pulchrè in rem S. Ambros. lib. 3 Epist., ubi : « Nihil enim ad « nos, inquit, si petulantibus oculis aut ætas appetitur, aut pulchritudo. Arsit, nullum est crimen decoris; illecebra facessat, inoffensa est species et « formæ et gratiæ. »

§ 5. *Quomodò omissio censeatur indirectè voluntaria, item effectus eam omissionem consequens.*

Certum est ut omissio aliqua non sit tantùm voluntaria, sed et culpabilis, non sufficere, quòd voluntas potuerit agere, sed requiri agendi debitum, non tantùm remotum, sed et proximum : hinc vovens intra annum emittere professionem religionis, vel sacros ordines suscipere, illo expleto, professionem non emittendo, sacrorum ordinum susceptionem omittendo, votum quidem violat, non tamen peccati reus est ex hoc, quòd horas non recitet, aliasque illorum statuum leges non servet, quia illis proximè non adstringitur. Hinc circa omissionem solùm restat quæstio, an ad hoc, ut omissio sit physicè voluntaria indirectè, requiratur obligatio ponendi actum omissioni oppositum?

Dico 1° : Omissio secuta ex causâ voluntariâ est voluntaria indirectè et in causâ, etiamsi nullum sit præceptum de actu opposito. Ratio est, quia qui vult causam, virtualiter ac interpretativè vult effectum, quem prævidet inde secuturum : hinc qui diebus feria

libus vult manere domi, voluntariè vult omittere sacrum, licet non obligetur illis diebus audire sacrum : cur enim, supposità eâdem intellectûs ad sacrum advertentiâ, et voluntatis ad aliud opus applicatione, non erit eodem modo, physicè loquendo, voluntaria sacri omissio die feriali, et festo? Notandum tamen, quòd illorum solùm actuum, cum somno, v. g., incompossibilium omissiones censeantur voluntariæ, quorum, ut mox possibilium, adest in intellectu practica, confusa vel explicita advertentia; quod enim nullo modo est cognitum, nec est voluntarium; unde qui voluntariè se dat somno, indirectè vult omissiones illorum actuum, quos, saltem confusè, cognoscit hìc et nunc somno impediendos : advertentia enim intellectûs cum actuali impedimento, puta somno voluntario, facit, ut omissio studii sit indirectè à principio intrinseco, nempè voluntate, et cum cognitione finis, itemque cum advertentiâ rationis. Dico 2° : Effectus etiam positivus, qui per se ex voluntariâ omissione sequitur, est voluntarius, si ab omittente futurus prævideatur, etiam præcisâ quâcumque obligatione ac debito omittentis, evitandi talem effectum. Ratio est, quia in hoc casu valet regula illa juristarum : *Connexorum eadem est ratio;* et illa philosophorum : *Qui est causa causæ, est causa causati.* Unde friget quispiam voluntariè, qui omittit accedere ad ignem, independenter ab omni obligatione vitandi frigus. Dico 3° : Ut effectus per accidens consequens omissionem indirectè voluntariam sit voluntarius, et consequenter culpabilis, requiritur quòd omittens illum effectum non impedierit, et impedire debuerit. Ratio est, quia sine obligatione impediendi talem effectum, nec physicè, nec moraliter effectus ille procedit à voluntate, non physicè, quia causa physica non influit in effectus positivos, nisi influxu positivo, et ad quem per se sequitur effectus, uti patet discurrendo per omnes causas physicas : in hoc autem casu voluntas non influeret nisi mediâ omissione, ad quam effectus solùm sequitur casualiter aut contingenter. Neque etiam procedit moraliter à voluntate, quia, seclusâ obligatione illum impediendi, nihil est in quo fundetur causalitas moralis. Unde licet omissio possit esse voluntaria absque obligatione, in quantum scilicet voluntas est causa physica ejus directè vel indirectè volendo non agere; non tamen est causa physica eventûs, qui merè per accidens omissionem sequitur, sed, si sit causa, est tantùm moralis, quapropter aliquid intervenire debet, ratione cujus moraliter imputetur voluntati, quod non est aliud, quàm obligatio impediendi talem effectum. Hinc qui omittit separare duos inter se rixantes, quos quidem separare posset, sed non sine gravissimo vitæ suæ periculo; mors, vel vulneratio inde secuta non est ei voluntaria, quia cum tanto periculo non tenebatur eos separare, et consequenter non tenebatur impedire mortem ex omissione separationis consecutam.

### Articulus III.

*De violentiâ, qualiter causet involuntarium.*

Quatuor sunt, quæ voluntarium vel perimunt, vel saltem aliqualiter lædunt : scilicet violentia, metus, concupiscentia et ignorantia : sicut enim voluntarium procedit à principio intrinseco operante, et cognitione dirigente, ita ejus oppositum, scilicet involuntarium provenire potest vel ex eo quòd causa operationis sit ab extrinseco, ut contingit in iis quæ ex violentiâ vel metu fiunt; vel quia tollitur aut turbatur cognitio, sicut in illis quæ ex ignorantiâ et concupiscentiâ procedunt; atque ex hoc duplici capite quatuor distinctæ involuntarii causæ eliciuntur, scilicet violentia, metus, concupiscentia et ignorantia. De primâ igitur in præsenti articulo, de aliis in sequentibus.

Violentum autem est, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim, seu positivè renitente. Circa modum autem quo voluntati violentia inferri potest, distinguendum est inter actus voluntatis elicitos, imperatos, et imperabiles. Quoad actus à voluntate elicitos non potest ei violentia inferri; invitus enim nemo potest velle aliquid, quia non potest velle, nolens velle; nam omnis volens omne suum velle necessariò vult : ideò si Deus voluntatem ad amorem vehementem inclinatam ad odium objecti pertraheret, simpliciter violentiam non inferret; et in promptu causa est : cùm enim Deus immutat voluntatem, facit ut præcedenti inclinationi succedat alia, et illud ad quod inducit non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi, quæ priùs erat, adeoque non est violentia. Plura circa hæc ad theologos speculativos remittimus. Similiter quoad actus imperatos à voluntate ei violentia inferri non potest, quia dùm actus supponitur imperatus, supponitur procedere ex imperio voluntatis, adeòque secundùm ejus inclinationem. Quoad actus verò à voluntate imperabiles, seu qui aliàs solent imperari à voluntate, ac mediante aliâ potentiâ eliciuntur, voluntas violentiam pati potest, in quantum scilicet potentiæ, quæ imperio voluntatis subjacent, contra nitente voluntate ab aliquo intrinseco agente applicari possunt ad agendum; sic reluctanti aperiri possunt oculi, ut videat ea quæ videre nolit. His suppositis, dico : Violentia, cùm absoluta fuerit, reddit actum absolutè et simpliciter involuntarium. Tunc autem censetur absoluta, dùm patiens omnibus viribus, quibus potest, juxta materiæ qualitatem resistit. Ratio conclusionis est, quia violentia facit ut actus sit à principio extrinseco, et non ab intrinseco, seu voluntate, à quâ debet provenire omne voluntarium. Ex quibus colliges, eum qui habet se merè passivè ad id quod ipsi infertur, neque illud approbando, neque reprobando, non pati violentiam; imò illud, quod patitur, si tenebatur impedire, est ipsi voluntarium : non quidem directè et positivè, sed indirectè et moraliter, et ideò culpabilis est, qui actu externo, ex inductione alterius veneratur idola, eò quòd non juxta materiæ qualitatem resistat, licet etiam internâ voluntate dissentiat : secùs judica, si ipsis externis membris vis inferatur. Similiter non censetur puella per violentiam oppressa, etiamsi interiùs non consentiat, si exteriùs non resistat cla-

mando, aggressorem repellendo, percutiendo, omnia corporis membra ad resistendum applicando. Sed quid, si ex vociferatione immineat puellæ periculum evidens perdendæ vitæ, aut honoris? nihilominùs clamare debet, si adsit periculum consensûs.

Pro quo observa, ad discernendum quanta sit adhibenda resistentia ad impediendum aliquem actum intentatum violenter, attendi debere, an ad illum impediendum obligemur præcepto negativo, vel affirmativo. Uti sapienter monet N. Corneio in 1-2, tract. 4, disp. 2, dub. ult. Nam si quis teneatur præcepto solùm affirmativo, non statim imputatur ad culpam, quanquàm non adhibeat omnem possibilem resistentiam, sed sufficit adhibere convenientem juxta mensuram rationis et modo morali, habitâ ratione damni, aut periculi, quod aliàs incurreret: siquidem præcepta affirmativa ordinariè non obligant cum gravi periculo vitæ aut famæ. Si verò præcepto negativo obligetur vitare aut impedire actum intentatum, cùm tale præceptum obliget semper et pro semper, tenetur adhibere omnia media possibilia ad impediendum talem actum: unde quia actus exterior idololatriæ est prohibitus præcepto negativo, si quis compellatur adorare idolum, aut illi sacrificare, non sufficit contra protestari, et internè dissentire, verùm etiam tenetur cum vitæ amittendæ et honoris evidenti periculo externis membris resistere. Similiter si mulier in casu pudicitiæ per vim violandæ timeat in se periculum consentiendi stupro, tenetur resistere, non solùm internè dissentiendo, sed etiam vociferando omnique modo possibili aggressorem repellendo, quanquàm adsit evidens periculum mortis et infamiæ; quòd si non fecerit, jam talis omissio et ejus effectus erunt illi voluntaria, cùm possit et teneatur facere, et non faciat ea, ad quæ tenetur præcepto negativo non fornicandi. Si verò prudenter existimet se consensum non præbituram, tenetur viribus corporis aggressorem repellere, quantùm potest, sine vitæ suæ tamen aut famæ gravi detrimento, quia tunc obligatur præcepto affirmativo custodiendi suam integritatem. Hinc mulieri, quæ in tali constituta periculo non clamat, dùm opprimitur, ipsa omissio clamoris est voluntaria, sed non ipsa violatio, quia effectus ex omissione voluntariâ secutus non censetur voluntarius, nisi id quod omittitur, poterat ac debebat fieri, uti dictum est. Mulier autem non tenebatur cum periculo mortis clamare, modò periculum consensûs in actum et delectationem abfuerit, unde illa omissio clamoris, licet sit voluntaria, non est tamen culpabilis. Quia tamen in similibus circumstantiis spectatâ materiæ lubricitate, rarissimum est in feminis, quòd se non exponant consentiendi periculo, induci debent, ut viriliter et quantùm possunt resistant, et cum manifesto mortis periculo castitatem et Dei amicitiam corruptibili vitæ famæque præponant. Clamare igitur ordinariè tenetur, quando scilicet spes est, aggressorem per clamorem repellendum. Quapropter dicitur Deuteron. 22, vers. 23, quòd si virgo in civitate fuerit oppressa à viro, est rea mortis, et ad portam civitatis lapidibus obruetur; et tradit rationem ibi sacer textus: *quia non clamavit, cùm esset in civitate*; secùs verò, si id acciderit in agro; quia ibi erat sola, et si clamaret, quis liberaret eam. Et S. Ambrosius l. de Lapsu virginis consecratæ, c. 5, excusationem ipsius refellens: « Sed dices, inquit: Nolui hoc ma-« lum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortis-« sima illa Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: « Ego inter duos presbyteros posita, inter duos utique « judices populi, sola inter sylvas paradisi constituta « vinci non potui, quia nec volui. Tu ab ineptissimo « adolescente, et in mediâ civitate, quomodò vim « potuisti perferre, nisi quia ultrò vitiari voluisti? « quis denique tuas voces audivit? quis obluctationes « sensit? »

Coll. ex dictis: Quòd non obstante, quòd voluntas frequenter physicè renitatur, nihilominùs moraliter actus possit esse voluntarius, ac imputabilis ad culpam. Patet hoc in allegato exemplo puellæ per vim stupratæ, quæ interno quidem actu dissentit, quia tamen externis membris, quantùm hìc et nunc potest ac debet, non resistit, fornicatio censetur ei voluntaria. Patet hoc similiter in illo, qui pravis carnis motibus internè quidem renititur, causam tamen illorum, quantùm hìc et nunc potest, ac debet, non tollit.

### Articulus IV.

*De metu, qualiter causet involuntarium.*

Nota 1°: Metum communiter definiri quod sit instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio. Dividitur autem 1° in eum qui ab intrinseco provenit, scilicet à causâ naturali vel infortunio, ut morbo, tempestate, etc.; et in eum qui incutitur à causâ extrinsecâ liberâ, creatâ scilicet ab homine. Quod dupliciter fieri potest, scilicet justè et injustè. Justè quidem ab eo qui jus inferendi talem metum habet, ut si judex per pœnas impellat nolentem implere contractum. Injustè, si injuriosè et directè ab aliquo metus inferatur ad actionem aliquam extorquendam. 2° Dividitur metus, præsertim qui ab extrinseco injustè incussus est, in gravem et levem. Metus gravis, qui potest movere virum constantem, est timor majoris mali, qualis est metus mortis, mutilationis, gravis infamiæ, amissionis notabilis partis bonorum, etc. Metus levis est, qui non in constantem, sed in abjectum vecordemque hominem cadit, qui facilè movetur, et non timenda timet: talis est metus levis infamiæ, etc. Ut autem metus sit gravis, requiritur 1° ut grave malum à timente apprehendatur futurum, non ex ratione levi, sed valdè probabili; 2° ut is qui malum illud minatur, sit potens illud exequi; 3° ut malum illud non possit à timente aliâ vitâ evitari; 4° ut metus incutiatur vel propriæ personæ, vel aliis valdè conjunctis, puta liberis, uxori, vel parentibus, quorum mala nostra reputamus; 5° consideranda est qualitas personæ timentis, nam respectu pueri vel mulieris potest esse metus gravis, qui respectu viri est levis.

Nota 2°: Operari ex metu, et operari cum metu multùm inter se distingui; quia τὸ *ex* designat metum an-

tecedenter se habere ut causam; τὸ verò *cum* solam concomitantiam. Siquidem Christus Dominus cum metu est mortuus, non tamen ex metu mortis, et ideò metus purè concomitans non causat involuntarium, quia ab alio motivo omnis repugnantia vincitur et absorbetur; uti Redemptor noster pavidus et tristis ibat ad mortem, mortem tamen non ex metu, sed ex ingenti charitate foras mittente timorem subiit; et sancti cum metu et timore salutem suam operantur, et tamen sacrificant Deo plenè voluntariè, quoniam bonum est.

Nota 3° : Ut explicetur, qualiter causetur involuntarietas in actu qui fit ex metu, observandum tres præcipuè actus intercurrere in projectione, v. g., mercium in mare ob imminens periculum mortis. Primus est timor seu metus mortis. Secundus est efficax volitio projiciendi merces ad evitandam mortem, unde hic actus respicit projectionem non secundùm se consideratam, sed cum tali circumstantiâ, quòd merces sint impedimentum ad salvandam vitam. Tertius actus est inefficax displicentia de projectione illâ mercium, unde hic actus respicit projectionem secundùm se consideratam, ortumque ducit ab affectu seu amore, quem projiciens retinet ad merces. His notatis, dico : Ea quæ fiunt ex metu, etiam quantùmcumque gravi sunt voluntaria simpliciter, et involuntaria plerùmque secundùm quid. Probatur : Voluntarium dicitur illud, quod est à principio intrinseco cum cognitione finis; et involuntarium (intellige positivum et propriè) dicitur illud, quod est contra inclinationem elicitam, seu renitentiam positivam voluntatis : sed projectio mercium in mare ob metum mortis est à principio intrinseco scilicet voluntate causante illam medio secundo actu assignato, et cum cognitione finis, ut suppono; deinde est contra inclinationem illam elicitam inefficacem, seu actum positivum voluntatis tertio loco assignatum, quo displicet talis projectio, ergo talis projectio est simpliciter voluntaria, quatenùs omnibus consideratis ex imperio efficaci voluntatis exercetur, et involuntaria secundùm quid, quatenùs est contra inclinationem inefficacem, quæ ortum ducit ab affectu, quem retinet ad merces; quo si careret (uti ille philosophus qui pecunias submergebat, ne ab iis submergeretur), talis projectio absque mixtione involuntarii esset plenè voluntaria. Ex quo vides metum non esse causam, quòd actio hinc et nunc involuntariè fiat, imò potiùs est causa totius voluntarii in actu : involuntarietas autem provenit ex amore ad merces. Dùm igitur dicitur metus causare involuntarium, intelligendum de actu involuntario materialiter in quantum scilicet est causa, ut illa actio simpliciter fiat, quæ aliunde est involuntaria.

Dices : Si quæ fiunt ex metu sint secundùm quid involuntaria propter inefficacem renisum voluntatis, ille, qui de suis peccatis doleret propter metum gehennæ, aut metu pœnarum infernalium legem observaret, peccaret propter adjunctam voluntatem conditionatam : *Si infernus non esset, non dolerem de peccatis, vel : non observarem mandata.* Uti projiciens merces in mare adjunctam habet nolleitatem : si non esset periculum mortis, non projicerem merces in mare. — Resp. 1° quòd metus non semper causet involuntarium secundùm quid, sed plerùmque, ut dixi in conclusione. Causat illud, quando objectum, quod occasione metûs eligitur, est et manet operanti malum, uti projectio mercium secundùm se spectata est, et supponitur continuò repræsentari mercatori ut mala, sicque non eligitur à mercatore; sed in quantum hìc et nunc ex mercibus in navi conservatis imminet mortis periculum; quod si non immineret, ita animo constitutus est mercator, ut eas in flumen non projiceret. Ubi vides, in hoc similibusque casibus voluntario, seu actioni hìc et nunc voluntariè simpliciter exercitæ admixtam involuntarietatem secundùm quid. Cæterùm quando objectum seu actus, qui occasione metûs eligitur, est secundùm se bonus, honestus, ac simul consideratur utilis ad malum evitandum, uti observatio legis divinæ, ac detestatio peccati ex motivo gehennæ ex se bona est, et utilis ad evitandam gehennam, in his non admiscetur involuntarium, nec remanet in attrito affectus ad peccatum, utpote, quod tunc sub ratione objecti delectabilis non apprehenditur, sed in quantum est inductivum gehennæ, et in quantum aversio ab illo est medium evitandi gehennam, uti et observatio legis divinæ secundùm se bona, occasione metûs eligitur ut medium pœnas gehennæ devitandi. Unde in hisce casibus non sola ratio agendi semper est metus, sed simul bonitas aut honestas actionis vel objecti. Explicatur : Debitor, v. g., solvens pecuniam metu pœnæ comminatæ à judice, non necessariò habet mixturam involuntarii, nec necessariò datur præsens nolitio secundùm se inefficax, quia potest illa pecunia solvi etiam amore justitiæ, ergo similiter potest eligi attritio, uti et observantia mandatorum Dei, quæ non tantùm est secundùm se bona, sed est et medium ad evadendam pœnam gehennæ intentatam. — Resp. 2° ea quæ fiunt ex metu, plerùmque esse involuntaria secundùm quid, ac habere adjunctam nolleitatem, quando malum, ex cujus metu quis operatur, non causatur ex ipso affectu et voluntate operantis, ut contingit in projiciente merces in mare, ubi periculum amittendi vitam non causatur ab affectu, quem projiciens habet erga merces, sed à ventis et tempestate provenit. E contra, si malum, ex cujus metu quis operatur, causetur ex ipso affectu operantis, impossibile est ut quis ex talis mali metu efficaciter operetur, quin simul deponat talem affectum, ex quo infallibiliter causatur illud malum, et ita contingit in attrito : is enim, quia cognoscit sibi periculum gehennæ imminere causatum ex ipso peccaminoso affectu ad bonum creatum, non potest ex ipsius metu efficaciter operari, quin hoc ipso deserat affectum suum erga illud objectum peccaminosum, tanquàm radicem et infallibilem causam istius mali, sicque talis dolor erit simpliciter voluntarius absque admixtione ullius involuntarii; siquidem voluntas efficax evitandi gehennam repugnat complacentiæ peccati inefficaci etiam, et conditionatæ; at verò voluntas efficax salvandi vitam tempora-

lem non repugnat simplici complacentiæ mercium.

Contra dicunt aliqui, quòd, quamvis attritus detestetur peccatum voluntate consequenti, in quantum peccatum hìc et nunc est inductivum gehennæ, non tamen voluntate antecedente, quâ peccatum adhuc placet secundùm se, unde voluntas illa antecedens non est effectus timoris, sed præcedentis amoris ad peccatum, non sufficienter retractatum. Sed contra illos auctores est: qui efficaciter detestatur aliquid, quatenùs sibi nocens, efficaciter detestatur illud sub omni formalitate, quâ est nocens, maximè si ratio nocens imbibatur seu transcendat omnem formalitatem: atqui attritus detestatur efficaciter peccatum, quatenùs est inductivum gehennæ, ergo detestatur omnem formalitatem, in quâ imbibitur ratio inductiva gehennæ. Subsumo: atqui omnis complacentia peccati secundùm se (loquor de peccato mortali) est inductiva gehennæ; ergo uti intellectus cognoscendo verum, bonum, cognoscit formaliter rationem entis in veri, ac boni ratione imbibitam secundùm philosophiam Thomisticam, ita à fortiori voluntas detestans peccatum sub ratione inductivi gehennæ, detestatur omnem affectum ad peccatum, qui verè est inductivus gehennæ. Inordinatus et inefficax foret hic actus, si alia motiva detestandi peccatum positivè excluderet, dicendo, v. g.: *Non volo dolere de peccato propter Dei bonitatem, sed tantùm quia timeo infernum:* talis enim actus seu dispositio dolentis et attritionem vitiaret, et manifestum foret indicium atterentem non velle efficaciter vitare gehennam, quam per similem affectum se scit incursurum; secùs dicendum, si peccatum solùm considerans, secundùm quod est demeritorium gehennæ, illud sub tali formalitate detestetur, præscindendo ab aliis motivis, ex quibus peccatum detestari posset, sed hìc et nunc non detestatur, eò quòd vel non occurrant, vel non sufficienter moveant.

Quæres an in eo qui observat legem, qui dolet de peccato propter metum gehennæ, affectus ad rem prohibitam, vel disaffectus ad rem præceptam secundùm se semper sit peccaminosus? — Resp. sub distinctione: Vel enim loquimur de re malâ, quia prohibita est, vel de re intrinsecè malâ, seu prohibitâ, quia mala est. Si de primâ sit sermo, inculpabilis est affectus ad rem secundùm se seu materialiter acceptam, secùs ad rem prohibitam formaliter, seu ut prohibita est, et inductiva gehennæ; sic non tantùm ei qui dolet de peccato, qui observat legem ex metu gehennæ, sed et ei, qui dolet de peccato ex motivo charitatis, placere potest peccatum secundùm se, quia secundùm se habere potest aliquam delectabilitatem aut utilitatem aliundè licitam; quam dolens lubenter amplecteretur, nisi esset conjuncta cum offensâ Dei. Similiter adimpleti legem ex motivo charitatis potest res præcepta secundùm se displicere, quia secundùm se potest esse difficilis et disconveniens voluntati: in quibus tamen casibus potest affectus ad peccatum secundùm se deponi; v. g., affectus ad comestionem carnium potest deponi ex præponderante motivo temperantiæ, religionis, vel charitatis. Si autem loquamur de re intrinsecè malâ, potest in observante legem, dolente de peccato, non tantùm ex motivo gehennæ, sed et ex motivo charitatis suboriri affectus ad peccatum secundùm se, et displicentia in adimpletione rei præceptæ, vel naturaliter, seu quæ sit motus subitus et indeliberatus; quo casu affectus ille et displicentia non imputantur ad peccatum, quin potiùs augent meritum, ratione majoris difficultatis, quæ in observatione legis, vel efficaci detestatione peccati reperitur. Vel potest affectus ille ad rem prohibitam et displicentia in observatione legis suboriri non merè naturaliter, sed advertenter; atque in hoc casu, si voluntas non obstante propositâ delectabilitate rei prohibitæ, aut displicentiâ in observatione legis, equidem efficaciter detestetur peccatum, vel legem adimpleat ex motivo vel charitatis, vel ex metu gehennæ, affectus ille non potest dolenti imputari, uti nec displicentia legis eamdem observanti. Ita quispiam ex timore pœnarum inferni dolens de commisso peccato fornicationis, vel abstinens ab illicitis carnibus, si timor efficaciter moveat, omnem affectum ad peccatum secundùm se vel indeliberatè, vel cum aliquâ deliberatione exurgentem amovet; licet enim timor secundùm se non impellat ad repellenda objecta amabilia, et delectabilia, nihilominùs præsente passione timoris seu metûs, terribilitas ita rapit, ut omnem delectabilitatem vincat, et omnem affectum ad illum absorbeat: quem effectum facillimè facit seria apprehensio pœnæ æternæ, propter excessivam infinities mali magnitudinem supra quodcumque malum temporale, et voluptatem creatam. Idque vel maximè, ubi lumine fidei illustratus cognoscit per affectum ad delectabilitatem objecti retentam, incurri pœnas, quas aversatur.

Verùm, inquies, quidquid dicatur de gehennæ metu, constans semper manet, eum oriri unicè ex amore suî propter se. Ex D. Th. 1-2, q. 43, art. 1, ubi: « Ex « hoc enim, quod aliquis amat aliquod bonum, sequi- « tur, quòd privativum talis boni sit ei malum, per « consequens timeat ipsum, tanquàm malum. » Atqui amor suî propter se nequit positivè excludere omnem voluntatem peccandi; ergo. Ante resp. neg. τὸ *propter se* posse sumi negativè et privativè. Negativè sumitur, quatenùs dicit objectum proximum amoris, et motivum proximum secundùm se acceptum absque positivâ exclusione ulterioris respectûs sive formaliter, sive interpretativè, quamvis hìc et nunc non consideretur ulterior illa relatio; privativè sumitur τὸ *propter se* quatenùs dicit objectum omninò ultimum, excluditque saltem interpretativè ulteriorem relationem. Similiter τὸ *unicè* primò potest sumi ita, quòd nullum in re sit motivum aliud, quo moveri possimus, vel positivè nolimus. Secundò ita, quòd proximè hìc et nunc non attendamus ad aliud motivum, sed ex modo agendi præscindamus. Hoc notato, resp.: Dist maj.: Timor, de quo in præsenti, oritur ab amore suî negativè propter se, hoc est, hìc et nunc movetur timens à pœnarum terribilitate, ut tamen non excludat alia motiva, nec excludat positivè ulteriorem relationem, conc.; oritur ex amore suî privativè, quæ-

tantùs bonum proprium induit rationem ultimi finis, neg.; uti ergo intellectus affirmans unam formalitatem objecti, non negat propterea etiam virtualiter alteram, à quâ præscindit, ita voluntas, dùm efficitur circa aliquid sub unâ ratione formali, non tamen illud odio habet, vel amat etiam virtualiter sub aliâ ratione formali, à quâ præscindit. Unde licet attritus fugam pœnæ et amorem boni proprii habeat pro immediato et proximo motivo, non tamen excludit amorem ultimi finis nempe Dei, quin potiùs eo ipso quòd actus hic sit bonus, supernaturalis et utilis ad salutem, implicitè et ex naturâ suâ, quâ conferens et habens rationem medii ordinatur ad ultimum finem. Sed de his plura in Alphabeto, v. *Absolutio*, cas. 3.

Coll. 1° nullum metum, quantùmcumque gravem excusare à totâ culpâ in iis quæ sunt intrinsecè mala, seu prohibita, quia mala sunt; neque enim sic potest excusare, quasi opus, quod ex metu fit, desinat esse malum, cùm id quod est intrinsecè malum nullâ circumstantiâ possit honestari. Neque etiam metus potest excusare, quasi opus sit involuntarium, cùm maneat simpliciter voluntarium. Dixi : *à totâ culpâ*, quia metus aliquando excusat à culpâ, non quidem, quasi de peccato mortali fiat veniale, sed sic, quòd relinquendo peccata intra limites mortalis vel venialis, si fiant occasione metûs, erunt leviora inter primos limites mortalis vel venialis; quamvis enim illa quæ fiunt ex metu sint voluntaria simpliciter, diminuitur tamen ratio voluntarii, ac etiam libertas ejus, qui ex metu id agit, quod nequaquàm alioquin esset facturus. Coll. 2° metum nunquàm per se, aliquando tamen per accidens excusare à peccato. Non excusat per se, quia, uti non tollit voluntarium, ita nec liberum : per accidens tamen quandoque excusat, vel quia turbando rationem non relinquit locum perfectæ deliberationi, vel quia ob gravitatem mali imminentis, hìc et nunc cessat alicujus præcepti obligatio. Coll. 3° quòd licet præcepta naturalia negativa stante metu gravi nos obligent ad suî observantiam, quia ad nullum periculum evadendum licet desperare, mentiri, etc., tamen præcepta quævis affirmativa, quæ non obligant pro semper, etiam non obligant accedente metu gravi, neque enim legislator præsumitur tantum onus subditis imponere voluisse. Excipe, nisi fortè malum, quod imminet, justus legislator ipse præviderit, aut ex neglectu legis majus reipublicæ timeatur incommodum, quàm æstimari debeat jactura privata; item, nisi transgressio cessura sit in contemptum potestatis legislatricis, fidei, aut religionis detrimentum : nam ubi illa occurrunt, ex naturæ, seu præceptum negativum de non inhonorandâ religione aut lege tunc requirit, ut legis positivæ observatio damno proprio anteferatur. Cum periculo igitur mortis, mutilationis, etc., non tenetur catholicus in die festo sacrum audire, benè tamen stationem servare, si sit miles in bello justo; similiter et in die jejunii à carnibus abstinere, si in ecclesiasticæ legis contemptum, aut religionis opprobrium esus carnium ab hæreticis exigatur. Quid verò operetur metus circa contractus, vota, matrimonium, suis locis dicetur.

### Articulus V.

*De concupiscentiâ, quomodò causet voluntarium, vel involuntarium.*

Nota 1° per concupiscentiam hìc intelligi actum vel passionem appetitûs sensitivi bonum sensibile prosequentis, sive sit actus appetitûs concupiscibilis ut amor, desiderium, gaudium; sive irascibilis, ut ira, spes, audacia. Et ideò hìc excluditur metus, qui est actus appetitûs sensitivi, versans circa malum. Concupiscentia autem alia est antecedens, alia consequens. Antecedens est, quæ prævenit actum voluntatis eam trahendo, et est causa ipsius actûs; ut cùm visâ formosâ muliere accenditur libido, et movetur voluntas ad desiderium ac delectationem circa illam. Consequens est, quæ sequitur actum voluntatis, quo fertur in objectum, qui suâ vehementiâ excitat in appetitu sensitivo passionem, seu motum circa idem objectum. De concupiscentiâ hâc consequente hìc non loquimur; cùm enim sit posterior ipso actu, non potest facere, quòd actus quem supponit sit, vel non sit voluntarius. Quòd si concupiscentia consequens aliquando à voluntate excitata magis accendat ipsam voluntatem, ut actum jam inchoatum ardentiùs ac intensiùs prosequatur, vel ad alium actum ipsam moveat, respectu istius voluntatis ita accensæ jam non habet rationem concupiscentiæ consequentis, sed antecedentis, de quâ hìc est quæstio.

Nota 2° sæpè voluntatem per eumdem actum tendere in diversa objecta : in unum quidem directè, in aliud indirectè et interpretativè. Sic qui adulteratur, directè vult delectationem illius actûs : peccatum verò annexum, pœnam æternam, etc., solùm indirectè et interpretativè. His notatis,

Dico 1° : Concupiscentia respectu objecti, ad quod directè movet voluntatem, non causat ordinariè loquendo involuntarium, nequidem secundùm quid, sed potiùs auget. Probatur prima pars. Quia cùm concupiscentia, de quâ hìc, nullo modo versetur circa malum, sed tantùm circa bonum sensibile sive delectabile, nullatenùs inclinat voluntatem ad aliquid ipsi contrarium; ergo non est unde petatur involuntarietas etiam secundùm quid. Probatur secunda pars : quia (supposità cognitione) eò magis voluntarius est actus, quò fit cum majori propensione voluntatis, sed concupiscentia sæpè ita suaviter inescat voluntatem, ut ardentissimè et toto impetu feratur in objectum oblatum, ita ut quantò major est passio, tantò majori conatu voluntas feratur in objectum, uti patet in iis qui concupiscentiâ victi feruntur violentissimè in ultionem inimicorum, oblectamenta carnis : ergo concupiscentia potiùs auget voluntarium, quantùm ad id, quod est esse à principio intrinseco secundùm dicenda concl. 3. Dixi in concl. *ordinariè*, quia concupiscentia antecedens adeò subinde vehemens est, ut tollat voluntarium, et hoc sensu causet involuntarium negativè, seu non voluntarium, ut patet in iis qui tam

forti abripiuntur passione libidinis vel iræ, ut passio in ipsis absorbat rationem ac ad quamdam insaniam hominem redigat.

Dices : Concupiscentia aut ira plerùmque movet voluntatem ad prosequendum bonum delectabile per media difficilia et molesta, v. g., per vigilias, per pericula, effusionem pecuniæ, etc., quæ secundùm se displicent voluntati, quia avaro, v. g., magnam pecuniæ summam expendenti, ut fruatur bono delectabili, illa profusio pecuniæ non videtur minùs displicere, quàm displiceat projectio mercium mercatori naufragium vitare volenti ; ergo causat involuntarium secundùm quid uti metus. — Resp.: Dist. cons. ; ergo causat involuntarium secundùm quid respectu objecti ad quod indirectè movet voluntatem, conc., ad quod directè movet voluntatem, neg. Cùm enim concupiscentia directè solùm moveat voluntatem ad amorem boni delectabilis, si quæ sit molestia, malitia, amaritudo in illo bono, aut in mediis necessariis ad illius consecutionem, illa non tangitur à concupiscentiâ saltem directè. Ergo ex parte illius, ad quod concupiscentia directè movet voluntatem, nulla excitatur displicentia, consequenter neque involuntarium in voluntate ; hæc enim non potest displicere in bono delectabili, nisi proponatur de novo sub aliquâ ratione malitiæ, aut molestiæ, ad quam directè voluntatem non movet concupiscentia, sed solùm indirectè. Unde patet disparitas inter operantem ex metu et concupiscentiâ : quòd scilicet metus per se et directè sit inductiva voluntatis ad electionem minoris mali præ majori malo ; unde cùm malum per se displiceat voluntati, etiam ipsa causat (in sensu art. præcedentis) displicentiam illius mali, quod eligitur, uti patet in projectione mercium, quæ mercatori displicet, etiam sub actu voluntatis projectionem imperante : è contra concupiscentia est inductiva voluntatis ad electionem boni, quatenùs suâ bonitate et suavitate allicientis, quæ per se non est apta fundare nolleitatem, aut tristitiam, sed tantùm ratione alicujus mali conjuncti, quod indirectè vult voluntas, et quod concupiscentia superare nec potest, nec debet, utpote extra sphæram suæ virtutis.

Dico 2° : Concupiscentia respectu objecti, ad quod indirectè movet voluntatem, quandoque minuit voluntarium. Ratio est, quia sublatâ cognitione tollitur voluntarium, ergò minutâ cognitione minuitur voluntarium : atqui concupiscentia aliquando (nempe quando est vehemens) minuit cognitionem objecti, ad quod indirectè movet voluntatem. Nam forti illectus concupiscentiâ ita quandoque inescatur, ut nonnisi confusè ad turpitudinem actùs et Dei offensam advertat.

Dico 3° : Concupiscentia in actu, qui fit ex concupiscentiâ, minuit rationem voluntarii perfecti seu liberi. Probatur. Ratio voluntarii perfecti seu liberi radicatur in indifferentiâ judicii ad utramque partem, sed concupiscentia minuit illam indifferentiam, faciendo ut intellectus præponderet, et magis æstimet rationes, seu motiva occurrentia pro eâ parte, ad quam inclinat appetitus sensitivus : idque ob naturalem sympathiam, quæ est inter potentias sensitivas inferiores, et potentias rationales superiores ; impellente enim concupiscentiâ intellectus majori efficaciâ proponit objectum concupiscibile voluntati, et consequenter voluntas majori impetu in illud fertur. Undè S. Th. 1-2, q. 77, art. 6, ad 3, postquàm dixisset : « Motus voluntatis est intensior ex passione incitatus, » subjungit : « Non tamen ita est voluntatis proprius, « sicut si solâ ratione moveretur ad peccandum. » Quod est dicere, non esse intensiorem, in quantum voluntas agit ut voluntas prævià deliberatione rationis, sed in quantum agit ut natura, id est, in quantum ad agendum magis aliundè agitur, quàm seipsam ex ratione agit : in quantum enim voluntas agitur : à concupiscentiâ antecedente, agitur aliundè, modo quasi brutali, non à seipsâ modo humano ; et ideò concupiscentia antecedens minuit voluntarium perfectum, utpote, quod tantò perfectius est, quantò ex perfectiori judicio, rationeque magis prædominante ac imperturbatâ procedit. *Concupiscentia* autem (uti ex Philos. ait S. Th. q. 142, art. 2) non audit rationem. Et propterea cit. art. 6, in c. docet : concupiscentiam antecedentem diminuere peccatum : « Si igitur accipiatur « passio, secundùm quod præcedit actum peccati, sic « necesse est, quòd diminuat peccatum : actus enim in « tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, « et in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis di- « citur per rationem et voluntatem ; unde quando ra- « tio et voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu « passionis, magis est voluntarium et in nobis existens. « Et secundùm hoc passio minuit peccatum, in quan- « tum minuit voluntarium. Passio autem consequens « voluntatem non diminuit peccatum, sed magis auget, « vel potiùs est signum magnitudinis ejus, in quantum « scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum « peccati. Et sic verum est, quòd, quantò aliquis ma- « jori libidine vel concupiscentiâ consequente peccat, « tantò magis peccat. »

Cæterùm benè observat Neessen Tr. 6, q. 3, dub. 2, quòd etiamsi concupiscentia et passio aliquando extorqueant actum internum carentem libertate, rarò tamen extorqueant talem externum : hinc rarum est, quòd externa verba inde procedentia ab omni culpâ excusentur ; et rariùs, ut excusentur facta, puta in homine sanæ mentis et vigilante ; secùs dicendum de delirante aut somniante.

### Articulus VI.

*De ignorantiâ ; an et quomodò causet involuntarium.*

Ignorantia ut sic dividi potest in positivam, negativam et privativam : 1° Positiva (quæ etiam dicitur *ignorantia pravæ dispositionis*) est contrarius veritati error, seu assensus intellectûs assentientis falso quod putat verum, vel dissentientis vero quod putat falsum. Ignorantia negativa, seu puræ negationis, est carentia scientiæ in subjecto ad sciendum inepto, vel simpliciter, ut in lapide, vel pro eò tempore et statu, ut in amente et infante, vel in subjecto quidem capaci, cui tamen non debet inesse scientia ; talis

est ignorantia juris canonici vel theologiæ in rustico. Ignorantia privativa est carentia scientiæ in subjecto pro eo tempore et statu ad sciendum apto, et cui scientiæ debet inesse; talis est ignorantia eorum quæ homo adultus et rationis compos scire tenetur. De quâ tantùm hìc agitur. 2° Dividitur ignorantia ratione objecti in ignorantiam juris, facti et pœnæ. Prima est, quâ ignoratur jus seu lex, præceptum, vel consuetudo vim legis obtinens; v. g., si quis ignoret tali vel tali die impositum esse jejunium. Et hæc pro diversitate legum alia est ignorantia juris naturalis, alia juris positivi divini, vel humani. Secunda est, quâ ignoratur substantia, vel aliqua circumstantia ejus quod fit, et ratione cujus factum præcipitur, vel prohibetur; ut si quis ignoret esse hominem quem percutit, vel si quidem sciat esse hominem et percussioni clericorum esse annexam censuram, ignorat tamen esse clericum. Tertia est, quâ ignoratur pœna annexa facto, ut si quis sciat percussionem clerici ab Ecclesiâ specialiter esse prohibitam, ignorat tamen censuram excommunicationis annexam. Dividitur 3° ignorantia ratione subjecti in invincibilem et vincibilem. Invincibilis est, quæ adhibitâ necessariâ diligentiâ secundùm prudens judicium pro qualitate negotii vinci non potest. Vincibilis, quæ studio et diligentiâ necessariâ et debitâ juxta arbitrium prudentis vinci potest. Hæc subdividitur in affectatam et crassam, seu supinam. Affectata est ignorantia directè volita, quando scilicet quis vult expressè ignorare id quod scire poterat et tenebatur. Talis reperitur in homine, qui non vult inquirere de rei veritate, ut, obligatione legis ignoratâ, vel excusationem aliquam mereatur, vel liberiùs peccare possit: v. g., si expressè omittat mercator inquirere de suis debitis, ut, illis ignoratis, non solvat creditoribus; vel qui datâ operâ non vult petere consilium super re, circa quam dubitat, ne fortè ab eâ abstinere debeat; vel qui monenti de consuetudine blasphemandi aut pronitate ad libidinem, quam quis habet in ebrietate, oggerit: *Non facias mihi hâc de re scrupulum.* Ignorantia crassa et supina parùm inter se differunt, cùm illa sit, quando aliquis maximâ desidiâ detentus ferè nullam diligentiam apponit in addiscendo ea ad quæ tenetur, ad modum quo homines crassi desides sunt ad discendum; ista verò dicitur supina ob modicam curam ad eam depellendam, uti qui supinus in lecto jacet, nihil curans de rebus.

Difficultas hìc est inter doctores, an præter ignorantiam crassam aut supinam, detur alia ignorantia purè vincibilis, quæ sit mortaliter culpabilis, non tamen sit ignorantia crassa aut supina. Negant Suar. de Cens. disp. 4, sect. 10, n. 10; Palaus tract. 2, disp. 2, punct. 15, n. 3. Verùm meliùs affirmant Salmanticenses N. scholastici tract. 13, tom. 4, disp. 13, dub. 1, n. 5. Idque probant ex cap. *Ut animarum de constitutionibus* in 6, ibi: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dummodò illorum ignorantia non sit crassa aut supina. » Ubi manifestè decernit pontifex aliquam ignorantiam excusare à censuris: atqui non potest intelligi de ignorantiâ invincibili, quia illa citra illum dubium, sicut excusat à culpâ, à fortiori excusat à pœnâ et censuris. Unde non magis obviaretur periculis per illud decretum, quàm sine illo, si loqueretur de solâ ignorantiâ invincibili. Loquitur ergo de ignorantiâ vincibili: cùmque excludat crassam seu supinam, ac à fortiori affectatam, sequitur clarè dari tertium membrum, scilicet ignorantiam jure vincibilem, quæ non est crassa, aut supina. Exemplo res clarior fiet. Ponamus, pensatâ rei gravitate secundùm arbitrium prudentis, diligentiam necessariam ad non peccandum debere esse ut decem: si quis tunc apponat diligentiam ut duo, aliquam quidem diligentiam apponit, sed adeò exiguam, ut quasi pro nullâ reputetur, et sic peccabit ex ignorantiâ crassâ aut supinâ: alter verò apponat diligentiam ut octo; et ille peccabit mortaliter, non tamen ex summâ ignorantiâ, quia propiùs accedit ad diligentiam necessariam ad non peccandum: ergo hic licet peccet, non tamen peccat ex ignorantiâ crassâ aut supinâ, sed ignorantiâ purè vincibili, quæ tamen est mortaliter culpabilis. Ex quo vides ignorantiam vincibilem ex parte subjecti subdividi in affectatam, crassam seu supinam, et purè vincibilem.

Dividitur 4° ignorantia in ordine ad opus in antecedentem et in concomitantem. Antecedens est, quæ est causa operis per modum removentis prohibens, in quantum scilicet removet scientiam, quæ si adesset, opus non fieret. Ignorantia concomitans (quæ si sit purè talis, est antecedens respectu voluntatis) dicitur illa quæ nec directè nec indirectè est voluntaria, neque causa operis, utpote, quod equidem factum fuisset, etiamsi ignorantia illa non adfuisset. Talis est in eo qui factâ sufficienti diligentiâ in venatione configit latentem inimicum, quem equidem occidisset, si scivisset eum ibidem latere. Aut in eo respectu incestûs, qui violat feminam, quam invincibiliter ignoravit esse consanguineam, ita tamen est animo constitutus, ut equidem eam violàsset, si scivisset esse consanguineam.

5° Dividitur ignorantia in ordine ad voluntatem in antecedentem et consequentem. Prima est, quæ nec directè nec indirectè est volita, unde coincidit cum ignorantiâ invincibili. Secunda est, quæ vel directè est volita, qualis est affectata; vel indirectè, qualis est crassa seu supina, et quælibet alia ignorantia vincibilis.

### § 2. *Qualiter enumeratæ species ignorantiæ causent voluntarium vel involuntarium.*

Dico 1°: Ignorantia antecedens tam respectu operis, quàm respectu voluntatis causat involuntarium simpliciter, quantùm ad id quod ignoratur. Ratio est, quia, cùm illa nullatenùs causetur à voluntate, ipsa est *causa volendi* et agendi, quod aliàs non vellet, nec ageret (ait S. Th. 1-2, q. 6); facit ergo voluntatem velle et agere contra efficacem dispositionem, quâ virtualiter, vel saltem habitualiter sic affecta est, ut non compatiatur voluntatem ejus, quod de facto vult, nisi per accidens, ob defectum scientiæ, quâ præsente, eam non compateretur, sed prorsùs excluderet; sicque me-

ritò dicitur causare involuntarium simpliciter, per modum removentis prohibens, causando voluntarium secundùm rationem scitam, quod simpliciter est involuntarium secundùm id quod ignoratur. Sic comestio carnium facta ab eo qui invincibiliter ignorat esse diem jejunii, est voluntaria in ratione comestionis carnium, hancque causat ignorantia, in quantum removet scientiam diei prohibitæ, quæ si adesset, non poneretur illa comestio; quatenùs autem illa comestio fit die prohibito, est involuntaria, quia ponitur sine cognitione, et contra inclinationem saltem habitualem voluntatis, cùm censeatur comedens virtualiter, aut saltem habitualiter ita dispositus, ut, si ignorantia abesset, carnes non comederet.

Dico 2° : Ignorantia antecedens respectu operis, si sit consequens respectu voluntatis, causat voluntarium simpliciter, et involuntarium secundùm quid, dùm scilicet operans ita est animo dispositus, ut opus non fieret, si ignorantia abesset : v. g., confessarius ignorat casus reservatos, quos potest et tenetur scire, et ex illorum ignorantiâ absolvit aliquem à casu reservato, non habens ad id facultatem, quem non absolveret, si casum esse reservatum sciret; absolutio ita impensa est voluntaria simpliciter, et involuntaria secundùm quid. Ratio primæ partis est, quia, quando causa talis est simpliciter voluntaria, effectus etiam, qui ex tali causâ sequitur, ita est voluntarius : qui enim est causa causæ est causa causati, quod ex causâ natum est sequi. Atqui ignorantia consequens respectu voluntatis est vel directè vel indirectè voluntaria, uti constat ex dictis § præc.; ergo et id, quod fit ex illâ ignorantiâ. Ratio secundæ partis est, quia ignorantia hoc ipso supponitur causare opus contra inclinationem aliquam voluntatis, quo supponitur causare opus, quod sine ipsâ non fuisset, ob contrariam utique voluntatis dispositionem; cujus tamen inefficacia se prodit ex eo, quòd intellectum non applicet ad comparandam mediis necessariis scientiam, quâ præsente opus non fieret.

Dico 3° : Ignorantia concomitans nec causat positivè voluntarium, nec positivè seu contrariè involuntarium, sed causat voluntarium negativum, seu non voluntarium. Ratio est, quia, quod est positivè voluntarium, debet esse ab intrinseco cum cognitione; sed quod fit ex ignorantiâ concomitante non fit cum cognitione; ergo. Neque etiam causat positivè involuntarium, cùm opus sine ipsâ adhuc equidem fieret, nec proinde hìc adsit voluntatis inclinatio, contra quam opus fiat : restat igitur, ut sit non voluntarium.

Quæres 1° : An, qui inimicum concomitanter ignoratum occidit, non peccet peccato homicidii ratione affectûs interni? Resp. cum N. N. Lez. tract. 5, disp. 9, q. 3, et Henrico lib. 1, c. 15, distinguendo, vel enim ita occidens est affectus habitualiter, ut si sciret inimicum latere, equidem occideret, vel actualiter. Si primum, habitualis ille affectus neque in occisionem hìc et nunc influit, neque sufficit ad hoc, ut ei occisio moraliter imputetur; aliàs simili ratione innumera nobis peccata hìc et nunc imputarentur, ad quæ animum sic habitualiter affectum gerimus, quòd ea committeremus, si in tali vel tali circumstantiâ essemus, in quâ de facto non sumus. Si autem affectus ille internus sit actualis, ut si actu diceret : *Vellem occidere inimicum meum, si scirem eum ibi latere*, reum se reddit homicidii interni propter affectum illum actualem ad occisionem inimici, quamvis solùm exequendum sub conditione scientiæ hìc et nunc non habitæ : quia tamen pravus ille affectus non influit hìc et nunc in occisionem inimici, sed sola voluntas occidendi feram; utpote quam solam, non inimicum hìc et nunc existimat præsentem, non incurrit reatum homicidii externi, nec censuras ei annexas, nec irregularitatem nec obligationem restituendi ex injustâ damnificatione, utpote, quæ non incurruntur propter actum merè internum et inefficacem, sed ex effectu externo voluntariè posito. Quòd si tamen in casu raro ita esset animo comparatus, ut ejaculans æquivalenter diceret : *Volo quidem occidere feram, quam hìc et nunc existimo præsentem; si tamen ibi sit inimicus meus, volo illum occidere;* tali casu reus foret homicidii externi, uti rectè advertit Suar., quia actualis ille affectus internus in actum externum influeret, et haberet se per modum imperii hìc et nunc efficacis sub conditione purificatâ de præsenti. Idem videtur dicendum si voluntatem hanc actualem haberet : *Volo inimicum occidere quocumque tempore, et ubilibet existentem*, cùm implicitè videatur involvere hanc voluntatem : *Volo hìc et nunc occidere, si ibi sit.*

Quæres 2° : Quænam diligentia requiratur ad hoc, ut legis vel præcepti alicujus ignorantia sit invincibilis? Ante resp. neg. diligentiam debere mensurari penes negligentiam, cui opponitur negligentia. Negligentia autem (quam *culpæ* nomine jurisperiti indigitant, dividuntque) est triplex, lata, levis, et levissima lata est, dùm omittitur diligentia, quam homines istius statûs et conditionis adhibere solent. Levis est omissio diligentiæ, quam prudentiores communiter adhibent. Levissima dicitur, quando omittitur diligentia, quam vigilantissimi præstant. Eodem modo dividi potest diligentia, scilicet in *latam, exactam, et exactissimam*, quarum expositio liquet ex jam dictis circa negligentiam diligentiæ oppositam. His notatis, resp. : Ut in casu posito censeatur esse ignorantia invincibilis, non requiritur diligentia exactissima, sed sufficit adhibuisse diligentiam communem et ordinariam. Ratio primæ partis est, quia adhibere semper diligentiam exactissimam, quasi impossibile, et positu difficillimum videtur. Ratio secundæ partis est, quia saltem aliqua diligentia præstari debet, atqui non alia, quàm communis et ordinaria, ergo. Quæ autem diligentia communis sit et ordinaria ad pellendam ignorantiam vincibilem, id arbitrio prudentis pro qualitate materiæ et subjecti dijudicandum venit. *Materiæ* quidem, quia juxta rerum discendarum gravitatem et difficultatem, majorem utique vel minorem, prout magis momentosæ, difficilesque fuerint, humano modo adhibere solent prudentes. Majorem adhibent, ubi agitur, quàm ubi non agitur de notabili damno tertii; majo-

rem ubi de vitâ, quàm de fortunæ bonis agitur; majorem ubi de re spirituali, et ex cujus notitiâ salus animæ pendet, quàm ubi de re temporali, etc.; ex quo infert Sanch. lib. 1 Summæ, cap. 16, n. 59, quòd, ut ignorantia sit invincibilis in rebus fidei, teneatur homo priùs adhibere pœnitentias, orationes et jejunia, lucem à Deo expostulando, quia hic modus operandi, maximè in rebus tanti momenti, non est supra captum hominum et diligentiam morum. *Subjecti* quoque qualitas attendi debet : cùm enim plura ad episcopi, item ad munus doctoris, pastoris, confessarii, religiosi, quàm ad officium simplicis laici, civis vel rustici pertineant, sequitur ejusmodi personas ad plura scienda obligari, ideòque ad ampliorem diligentiam adhibendam, pro obtinendâ scientiâ muneri respectivè debitâ et proportionatâ. Unde advocati, medici, pharmacopolæ, etc., si ordinariam juxta suij muneris conditionem diligentiam adhibuerint, ac juxta gravitatem negotii, hìc et nunc occurrentis requisitam adhibeant circumspectionem, in conscientiâ possunt esse securi : aliàs et magni peccati rei erunt, et restitutioni obnoxii, si suâ vel nescitiâ, aut in agendo incuriâ, clientibus suis alicujus fuerint causa damni. Idoneis rem exemplis illustrat N. Sebast. tr. 20, cap. 14, punct. 2, n. 16, ubi : « Qui emit aliquam rem à venditore, non tenetur sci- « scitari ab eo, an res sua sit, quia viri prudentes hoc « facere non solent, nisi sit vehemens suspicio esse « furatam, ut accidit in vase aureo, calice, et simili- « bus, quæ ab ignotis hominibus solent vendi artifi- « cibus. » Nec similiter comesturus oblatum cibum, tenetur consulere medicum, an sit venenosus, quia nullus prudens, sed fortè aliquis maniâ laborans id facit. Quare hâc diligentiâ communi adhibitâ, non imputantur ei effectus ex ignorantiâ provenientes. Hâc eâdem ignorantiâ invincibili sæpiùs laborat communis laicus, nec peccat exequendo ea quæ parochus, quem sufficienter instructum existimat, docet, eò quòd adhibuerit diligentiam, quam juxta conditionem sui statûs tenetur adhibere pro indagandâ veritate; unde et excusatur à culpâ rusticus non servans jejunia aut festa in hebdomadâ occurrentia, si dubitans veritatem inquisierit ab eis qui interfuerint concioni vel majori missæ, in quâ jejunia et festa solent publicari, à quibus accepit nullum in hebdomadâ occurrere festum, aut jejunium : eò quòd adhibuerit diligentiam, quam prudentes in simili negotio, juxta facti qualitatem et circumstantias solent adhibere. Deinde Jacob, quando accessit ad Liam, ignorans fuit invincibiliter et inculpabiliter in facto, et tamen nec lumen adhibuit, nec ad loquendum eam provocavit; non enim ea media debuit adhibere : id enim non solet à viris prudentibus et probis in simili casu observari, sed sufficit eis quòd nullam habentes suspicionem vel causam suspicandi de alienâ, suam petant, ac nuptiis cum eâ celebratis oblatam suscipiunt : sufficit igitur generatim, quòd ea adhibeatur cautela et diligentia, quam viri probi et prudentes in ejusmodi casibus adhibere solent.

Quæres 3° : An possit dari ignorantia mortaliter culpabilis, quæ excuset à mortali transgressione in præceptis humanis? — Resp. negativè cum N. Sebast. cit. tr. 20, cap. 14, puncto 5, n. 41, contra auctores, n. 40, ab eo citatos. Ratio est primò, quia ignorantia mortaliter culpabilis non tollit voluntarium, quod sufficit ut actus eam subsequens sit peccatum; nam, ut ait S. D. p. 1, q. 76, art. 6, ignorantia, *quæ non causat involuntarium, non excusat à peccato.* Ergo actus contra præcepta ecclesiastica subsequentes ignorantiam vincibilem mortaliter culpabilem, non excusantur à peccato. Secundò, inconceptibile est quòd causa sit mortaliter culpabilis, et quòd effectus illius, etiam non sit mortaliter culpabilis : ergo pariter est inconceptibile quòd ignorantia supponatur mortaliter culpabilis, et transgressio præcepti ecclesiastici non sit mortaliter culpabilis. Tertiò, impossibile est quòd peccatum contra jus naturæ subsequens ignorantiam mortaliter culpabilem non sit mortale. Ergo est impossibile quòd transgressio præcepti humani subsequens ignorantiam mortaliter culpabilem non sit culpa mortalis.

Damus equidem auctoribus contrariæ sententiæ, quòd ignorantia, quæ respectu juris divini vel naturalis est mortaliter culpabilis, non statim sit talis respectu juris humani. Unde contingere potest quòd ignorantia, quæ respectu juris naturalis est mortaliter culpabilis, respectu præcepti ecclesiastici sit tantùm culpa venialis. Positis conditionibus apud Neesen, tr. 6, quæst. 4, dub. 4, 1° quòd ignorantia illa non sit crassa aut supina, qualis est illorum, qui nullam, vel modicam adhibent diligentiam in examinandâ causâ excusante; 2° quòd transgrediens ejusmodi præceptum sit in bonâ fide se habere justam causam; 3° ut ita sit constitutus, ut si sciret causam non esse sufficientem, præceptum illud non transgrederetur. Ratio hujus est, quia ex virtute epikeiæ interpretari possumus legislatoris humani voluntatem non esse, quòd semper tanta diligentia adhiberi debeat in examinandâ causâ excusante à suâ lege, quanta requiritur ad indagandam causam excusantem à lege divinâ vel naturali : ideòque leges humanæ quandoque benigniorem interpretationem admittunt in favorem animæ, quàm leges divinæ. Et hæc ratio est quòd doctores sæpè excusent à mortali violantem præceptum jejunii, audiendi missam, legendi horas, etc., dùm is bonâ intentione existimans se habere causam sufficienter excusantem, ejusmodi præceptum transgreditur, et est timoratæ conscientiæ. Ubi tamen, si ignorantia sit venialiter vincibilis, transgressio præcepti erit venialiter culpabilis, et nullo modo peccatum, si ignorantia sit invincibilis, uti constat ex dictis.

Casus :—Vitalis confessarius cum ignorantiâ vincibili eorum quæ ad munus suum ritè obeundum scire tenetur, committit se audiendis confessionibus, prævidens quòd ratione ignorantiæ exponat se periculo damnificationis pœnitentium, tam circa temporalia, quàm spiritualia, quæ ex indebitâ hujus sacramenti administratione consequitur. Circa quem casum quæritur 1°, an ignorantia ista sit peccatum? 2° an sit speciale peccatum? 3° an et quoties peccet peccato ignorantiæ?

4° quot peccata ex illâ ignorantiâ vincibili orta ei imputentur ad culpam? an omnia, quæ sequi possunt, et sequuntur ex illâ, an tantùm ea quæ possunt prævideri? Et idem dicendum de quocumque alio judice, aut superiore, qui sine debitâ scientiâ munus suum obiit.

— Resp. ad 1 ignorantiam actualem in se esse peccatum. Ratio est, quia ignorantia actualis est omissio voluntaria in actu secundo actûs debiti, scilicet scientiæ actualis. Dixi : *Actualis*, quia ignorantia *habitualis* non est peccatum, sed effectus et terminus peccati, cùm in se non sit in actu secundo voluntaria. Ubi adhuc benè notat Boudart, tract. 5, p. 28, quòd, quando dicitur quòd ignorantia sit peccatum, id non intelligatur de privatione scientiæ præcisè secundùm se, sed ut comparatur ad negligentiam admissam pro acquirendâ scientiâ debitâ, aliàs enim ignorantia non esset voluntaria : id tamen non ita intelligendum est, quasi *sola negligentia* sit peccatum, sed utrumque simul est peccatum, non duo tamen, sed unicum, sicut actus internus et externus simul constituunt unum peccatum : est quidem verum, quòd privatio scientiæ sit effectus negligentiæ, si sumatur pro negatione scientiæ, sed non, si sumatur *pro non acquisitione* scientiæ; sic enim constituit unum totale peccatum cum negligentiâ admissâ in adhibendis mediis necessariis ad acquisitionem scientiæ. Eodem modo, uti docet S. Th. 1-2, q. 76, art. 2, ad 2, privatio gratiæ, etsi secundùm se non sit peccatum, *tamen ratione negligentiæ præparandi se ad gratiam potest habere rationem peccati, sicut et ignorantia.*

Resp. ad 2 : Ignorantia in casu posito est speciale peccatum, sive malitiæ specie distinctæ ab eo quod per illam causatur. Dupliciter enim quis obligatur ad scientiam : primò, quia tenetur quippiam facere vel omittere, ita ut obligatio ponendi vel omittendi actum sit unica ratio acquirendi vel habendi scientiam. Secundo modo præcipitur scientia per se et ratione sui, præcisè ex eo quòd quis in tali sit constitutus gradu, munere, aut dignitate. Priori modo ignorantia non habet malitiam distinctam ab eâ quæ derivatur ex opere vel omissione : unde si quis ex ignorantiâ vincibili omittat sacrum, ignorantia hujus præcepti non est distinctum peccatum ab omissione illius. Posteriore modo in se peccatum est malitiæ specie distinctæ ab eo quòd ab illâ causatur. Confessarius igitur in casu posito ignorans vincibiliter ea quæ sui sunt muneris, independenter ab alio effectu pravo inde orto, committit speciale peccatum ignorantiæ oppositum virtuti studiositatis, pertinensque ad vitium negligentiæ oppositum per defectum prædictæ virtuti. — Resp. ad 3, quòd cùm ignorantia habeat rationem peccati ratione omissionis debitæ diligentiæ, « sicut « in aliis peccatis omissionis solùm in illo tempore « homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum « obligat. Ita etiam est de peccato ignorantiæ. Non « enim continuò ignorans actu peccat, sed solùm « quando est tempus acquirendi scientiam, quam ha- « bere tenetur lege studiositatis. » S. Th. art. cit. ad 5. Ante resp. ad 4,

Not. 1° ad hoc, ut peccata quæ ex ignorantiâ vincibili oriuntur, ad culpam imputentur, debent esse aliquo modo prævisa ab ignorante, dùm scire neglexit; verùm hæc prævisio non debet esse peccati, ut metaphysicè, sed ut moraliter possibilis ; hoc est, cujus periculum sit proximum. Censetur autem esse *periculum proximum*, quando effectus prohibitus, supposità ignorantiâ, aliâ viâ humano et morali modo vitari non possit, et sic communiter non vitatur : si namque possit adhuc sufficienter vitari, periculum erit tantùm remotum : ideòque effectus ipse non erit sufficienter prævisus, ut ad culpam imputetur. Rem exemplo illustrat N. Sebast. cit. tr. 20, cap. 14, p. 5, n. 44, in theologo, qui ex professo studet casibus conscientiæ in ordine ad excipiendas post ea confessiones, ast negligi culpabiliter addiscere ea quæ ei scitu sunt necessaria ad munus hoc obeundum, prævidens ex tali ignorantiâ periculum plurium errorum et peccatorum : hoc in casu periculum prævisum est proximum, et non remotum : quia licet illud possit vitari novo et diligenti studio, moraliter tamen loquendo rarò illud contingit. Experientia enim docet quòd, postquam sacerdotes semel ad confessiones approbati sunt, potiùs obliviscantur eorum quæ ante didicerunt, quàm defectum commissum diligentiori studio scientiam debitam comparando suppleant.

Not. 2° ex NN. Salm. Scholast. tr. 13, disp. 13, dub. 3, p. 5, n. 82, ad formandum prudens judicium, quandonam censeatur esse in ignorante *periculum proximum*, de quo not. præc., ita ut effectus pravi ex ignorantiâ orti imputentur ad culpam, plurimùm conducere, ut attendatur 1° modus operandi ignorantis, 2° habitualis ejus, notitia. Ratio primi est, quia prudens in ferendo judicio non præcisè debet attendere ea quæ ex naturâ ei prædictum periculum parient, sed qualiter modus operandi ignoranter illi sit expositus : fieri enim potest, ut omnibus pensatis, nullum periculum immineat, et nihilominùs ignorans peccati reus sit propter temerarium ac inattentum agendi modum; quia malitia in agendo non desumitur ab eo quod hìc et nunc fit, sed quod hìc et nunc moraliter fieri posse judicatur. Ratio secundi est, quia cum notitiâ habituali, et cum certitudine et securitate habituali ex ipsâ ortâ non videtur saltem permanenter cohærere contrarius timor vel formido : sicut cum scientiâ habituali alicujus objecti non compatitur permanenter judicium erroneum, aut formidolosum contrarium respectu ejusdem propositionis. Ubi autem non est possibilis timor alicujus periculi, neque etiam potest esse obligatio attendendi illud periculum, cò quòd solus timor periculi inducat obligationem attendendi periculum : quâ proinde obligatione cessante carentia attentionis non erit privativa, atque adeò non efficit modum operandi temerarium et culpabilem. Sed quoniam tractemus moralia, rem moralibus exemplis dilucidemus. Sit eremita degens in vastissimâ solitudine, certusque habitualiter, nunquàm illuc pertransire homines, mittat lapidem per fenestram cellulæ, non considerans an homo transeat, vel non; quis, quæso, prudens temerarium di-

cet hunc operandi modum, aut ex eo periculum homicidii, aut mutilationis hominis pertimescet? quia scilicet habitualis notitia operantis, quâ certus est neminem transiturum, tollit obligationem actu id attendendi, eximitque operandi modum à temeritate, cui, seclusâ prædictâ notitiâ, maneret obnoxius. Unde licet in casu posito timeri posset occisio aut mutilatio bruti, quorum aliquod ibi transiturum habitualiter cognoscit, non tamen occisio hominis. Contrarium foret, si quis habitualiter sciret, ibi promiscuè transituros homines; tunc enim prudenter timeretur læsio hominis, etiamsi hìc et nunc nullus hominum pertransiret. Ac ita cum proportione loquendum de aliis casibus, attendendo tempus, locum et alias circumstantias; præcipuè verò, quid operans noverit habitualiter, quidquid actu secundùm qualitatem materiæ attendere debeat et omittat: indeque prudens judicium formando circa quæ objecta vel circumstantias, sive effectus modus operandi dici debeat temerarius et inattentus privativè, adeòque illorum periculo expositus. His notatis, —Resp: In quot peccatorum periculum proximum incidat, quotque culparum causa sit confessarius promiscuè cum ignorantiâ mortaliter culpabili munus suum exercens, colligi debet ex loco, tempore, personarum qualitate, etc., quibus ad munus illud arduum obeundum aut sponte sese ingerit, aut à prælatis applicatur, aut aliquando se applicandum prudenter judicare potest ac debet. Hinc solus Deus, cui sigillum confessionis patet, testis et judex erit, reddens unicuique secundùm opera sua. Cùm enim confessarius de omnium conscientiis judicare debeat, omnium respectivè statuum, et officiorum fraudes et errores callere debet, ut discernat quæ agenda et fugienda ab unoquoque sint. Sed quis hominum hìc statuet, quot ex horum culpabili mortaliter ignorantiâ culpæ lethales ortum ducant? sed hìc inquit N. Sebast. l. c., punct. 2, n. 13, « deploranda est aliquorum stupiditas, vel audacia, qui vix limina theologiæ moralis salutantes, intrepidè se exponunt etiam in civitatibus audiendis confessionibus, sine discrimine cogniti et incogniti, dextrorsùm, sinistrorsùmque absque ullo scrupulo, imò et cum jactantiâ omnibus absolutionem impendentes, relinquentesque conscientias eisdem, imò et majoribus vinculis irretitas. Sed numquid sanguis pœnitentium non exquiretur de manu illorum, terribileque fiet judicium, non tantùm eis, verùm et prælatis id non ignorantibus, et fortassè permittentibus? Absit hoc suspicari; quin potiùs postea, etsi inviti, prælatus et confessarius sibi videbunt, et sanguineis plangent lacrymis, quando nullus jam erit medicinæ locus. »

# Quaestio secunda.

## DE REGULIS MORALITATIS.

Angelicè resolvit doctor Angelicus 1-2, q. 71, a. 6, in o, actum humanum, « quòd sit malus, (habere) ex « eo quòd caret debitâ commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per « comparationem ad aliquam regulam, à quâ si divertat, incommensurata erit. » Unde sicut in ordine artificiali artefactum dicitur rectum vel obliquum per comparationem ad regulas artis, ita in ordine morali actus dicitur bonus vel malus per comparationem ad regulas morum. Notandum autem quòd tota rectitudo tam in regulis artis, quàm regulis morum desumitur per ordinem ad finem proprium uniuscujusque: finis autem ordinis et regulæ artificialis est, quem artifex intendit: finis verò ordinis moralis est finis ultimus totius vitæ humanæ, quia omnis moralitas totius vitæ humanæ dirigitur ad consequendum Deum, qui est finis ultimus. Docet hoc D. Th. 1-2, q. 21, art. 2, ad 2, ubi: « Ad secundum dicendum quòd ratio aliter se « habet in artificialibus, aliter in moralibus. In artificialibus enim ratio ordinatur ad finem particularem, « quod est aliquid per rationem excogitatum. In moralibus autem ordinatur ad finem communem totius « humanæ vitæ. » Undè cùm finis et principium sibi mutuò correspondeant, et finis ordinis moralis sit Deus, necesse est quòd regulæ moralitatis illi correspondeant: quæ verò sint hæ regulæ, dabit

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quæ sint regulæ moralitatis?*

Dico cum D. Thomâ 1-2, q. 71, art. 6: « Regula « voluntatis humanæ est duplex. Una propinqua et « homogenea, scilicet ipsa humana ratio, seu dictamen rationis practicum. Alia verò est prima regula; « scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. »

Quòd lex æterna seu dictamen intellectûs divini sit prima heterogenea et exterior voluntatis regula, probatur: regula prima moralitatis debet esse indefectibilis in dirigendo actus morales in proprium finem, seu Deum; atqui sola lex æterna in mente divinâ existens est talis. Ergo. Prima pars etiam probatur: illa est proxima moralitatis regula, per quam lex æterna hominibus intimatur, et proponitur ut adimplenda: sed talis est conscientia, seu dictamen practicum rationis humanæ. Ergo. Prob. ant. Diverso modo lex æterna communicatur irrationalibus et hominibus, quia ex doctrinâ D. Th. 1-2, q. 21, art. 1, in o: « In his quæ secundùm naturam aguut, est « ipsa virtus naturæ, quæ inclinat in talem finem.

« Quando ergo actus procedit à virtute naturali, se-
« cundùm naturalem inclinationem in finem, tunc ser-
« vatur rectitudo in actu, etc. » ; hominibus verò com-
municatur lex naturalis non per modum inclinationis naturalis, sed per directionem moralem, quâ mediante liberè tendant in finem ultimum : jam sic ; atqui solo dictamine rationis practicæ proponuntur hominibus ea quæ per legem æternam agenda vel fugienda sunt absque præjudicio suæ libertatis. Prout clarè exprimit D. Th. 1-2, q. 19, art. 4, in o, his verbis : « Quòd au-
« tem ratio humana sit regula voluntatis humanæ,
« ex quâ ejus bonitas mensuretur, habet ex lege
« æternâ, quæ est ratio divina. Unde in Psalm. 4, di-
« citur : *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signa-*
« *tum est super nos lumen vultûs tui, Domine;* quasi di-
« ceret : Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum
« potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem
« regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est,
« à vultu tuo derivatum. »

Colliges 1° : Quòd sicut in naturalibus et artificialibus nihil est defectuosum, nisi quod deficit à regulis naturæ et artis, ita in moralibus, nihil erit malum, nisi quod deficit à regulis morum. Constat id ex D. Augustino lib. 2 de peccatorum Meritis et Remiss. cap. 1, ubi loquens de malitiâ morali sic ait : *Sed nec peccatum erit, si quid erit, nisi divinitùs jubeatur, ut non sit;* et D. Dionysius de divinis Nominibus, cap. 4, ait : *Bonum hominis est secundùm rationem esse; malum autem, quod est præter rationem.* Hoc est juxta vel contra legem æternam, prout nobis intimatur per dictamen rationis. Clariùs S. Th. cit. quæst. 21, art. 1, ita concludit : « Quandocumque ergo actus
« hominis procedit in finem secundùm ordinem ratio-
« nis et legis æternæ, tunc actus est rectus : quando
« autem ab hâc rectitudine obliquatur, tunc dicitur
« peccatum. »

Obj. 1° : Quæ sunt intrinsecè mala, sunt prohibita, quia mala sunt; ergo prævièad quamcumque prohibitionem sunt peccata. — Resp. cum S. Th. 1-2, q. 71, art. 6, ad 4 : « Dicendum, quòd cùm dicitur, non
« omne peccatum ideò est malum, quia est prohibitum,
« intelligitur de prohibitione factâ per jus positivum;
« si autem referatur ad jus naturale, quod continetur
« primò sub lege æternâ, secundariò verò in judicato-
« rio rationis humanæ, tunc omne peccatum est ma-
« lum, quia prohibitum ; ex hoc enim quòd est in-
« ordinatum, juri naturali repugnat. » Unde vides quòd jus naturale nihil prohibet, quia malum, sed ideò est malum, quia illud jus naturale prohibet; undè absque aliquâ lege nihil esset *formaliter* bonum vel malum. Dico *formaliter*, quia mendacium, v. g., vel furtum, sunt *radicaliter* mala antè prohibitionem, quæ radicalis malitia consistit in eo quòd repugnent alicui ex prædicatis divinis; mendacium quidem summæ Dei veracitati, furtum verò summæ ejus æquitati, adeòque dignissima sunt, ut per legem æternam prohibeantur, cui prohibitioni, in quantum subsunt, sunt mala formaliter.

Obj. 2° : Opera consilii et supererogationis sunt moraliter bona, nec tamen aliquâ lege præcepta; ergo datur moralitas in actibus humanis independenter à quâcumque lege præcipiente vel prohibente. — Resp. : Dist. secund. partem antec. ; nec tamen sunt aliquâ lege præcepta absolutè conc. ; ex suppositione quòd fiant, neg. ; ex suppositione enim, quòd aliquis opera supererogationis velit elicere, lex naturæ præcipit, ut apponat omnes debitas circumstantias. Uti non datur lex determinata, quæ præcipiat quotidiè audire sacrum, datur tamen lex religionis, quæ ex supposito, quòd velit quis audire sacrum præcipit ut devotè et cum debitâ ad tantum mysterium et sacrificium attentione audiatur.

Coll. 2° : Quòd sicut ad legem æternam spectat divina ratio per modum regulæ dirigentis, ita quoque ad eamdem spectat divina voluntas, quæ est prima regula per modum primi exemplaris et imitabilis, cui voluntati divinæ nostra debet conformari : unumquodque enim bonum et rectum est, in quantum attingit ad propriam mensuram ; ergo ad hoc quòd voluntas hominis sit bona, requiritur quòd conformetur voluntati divinæ. Quoad modum autem conformitatis S. Thom. 1-2, q. 19, art. 10, duo distinguit in objecto voluntatis consideranda : unum, quod est quasi materiale, scilicet ipsa res volita ; aliud, quod est quasi formale, scilicet ratio volendi, quæ est finis, et sic ex parte objecti voluntatis divinæ duplex conformitas inveniri potest : una ex parte voliti, ut quando homo vult aliquid quod Deus vult ; alia ex parte rationis volendi, sive ex parte finis, ut cùm aliquis propter hoc vult aliquid, propter quod Deus, et hæc conformitas est secundùm causam finalem, sive in volito formali : hoc posteriori modo tenetur se homo conformare voluntati divinæ, ut non peccet ; non primo, quod ex eo patet, quòd Deus voluntate generali plura velit, ut bella, pestes, etc., quæ nos nec laudabiliter, nec licitè velle possemus. Undè S. August. quando bonâ voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, tanquàm si bonus filius vult patrem vivere, quem Deus bonâ voluntate vult mori : ut autem omnis circa hanc conformitatem tollatur anxietas.

Adverte primò, neminem teneri se conformare voluntati divinæ, secundùm appetitum sensitivum, sive secundùm voluntatem, ut natura est : sed posse per appetitum et naturalem voluntatem prorumpere in actum contrarium, quoniam appetitus naturalis naturaliter refugit nocivum et destructivum suppositi, et hâc ratione Christus Dominus voluntate determinatâ voluit passionem, quamvis voluntas naturalis dissentiret. Adverte secundò, quòd sicut Deus multa vult voluntate consequente, quæ non vult voluntate antecedente, ita nos debere affectu, quasi antecedente sæpiùs optare oppositum, quamvis supposità voluntate Dei consequente, nos ejus voluntatem tanquàm justam approbemus, illique nos conformemus : et ita voluntate antecedente debet filius dolere, parentem in mortali mortuum, damnatum ; sed voluntate consequente, suppositis nempe ejus demeritis se conformare voluntati divinæ. Ita quoque viri sancti ac boni

lugent præmaturam mortem eorum quorum vitam putant fore utilem ad gloriam Dei, idque dolore non tantùm sensibili, sed et rationali, quanquàm voluntate consequenti sanctissimæ Dei voluntati ceu perfectissimæ actionum nostrarum regulæ se conformenti.

ARTICULUS II.

*Quid et quotuplex sit conscientia.*

Dico 1° : Conscientia est actus, seu dictamen intellectûs practici dictantis, quidpiam licitum esse, vel illicitum, quod hìc et nunc agendum est, vel omittendum. Dicitur 1° *actus*, non habitus ; nam dictare, ligare, quæ intransitivè conscientiam constituunt actum, non habitum denotant. Dicitur 2° actus *intellectûs*, non voluntatis ; dictare enim et dirigere ad intellectum, non ad voluntatem pertinent. Undè conscientia quidem dicitur bona vel mala, non tamen bonitate formali, quæ soli competit voluntati ; sed regulativa, seu regulativè, in quantum dirigit opera bona vel mala. Habet etiam conscientia pro objecto bonum, non tamen sub ratione boni, sub quâ consideratur à voluntate, sed sub ratione veri practici, sub quâ ratione pertinet ad intellectum, uti docet D. Th. p. 1, q. 78, art. 11, ad 2. Dicitur 3° intellectûs *practici*, quia conscientia versatur circa actiones humanas, non solùm ut eas cognoscat, sed etiam ut regulet et dirigat. Dicitur 4° *dictantis esse licitum vel illicitum, quod hìc et nunc*, etc., ut distinguatur à synderesi, quæ est habitus versans quidem circa principia practica, sed universalia, et indeterminata, ut quòd virtus sit amplectenda, vitium fugiendum, parentes honorandi, suum cuique tribuendum, etc. Sicque non potest immediatè et proximè actus nostros regulare. At conscientia applicat illa principia ad materiam determinatam. Dictamen ergo conscientiæ discursivum est, nitens, non quidem semper formali, sed sæpè virtuali et implicito tantùm discursu seu syllogismo ; cujus majorem ponit synderesis, minorem subsumit ratio, conclusionem universalem infert scientia moralis ; particularem verò seu de hìc et nunc prudentia et conscientia. Exemplum sit de temperantiâ : dictat synderesis : *Convenienter naturæ vivendum est ;* subsumit ratio : *Convenienter naturæ vivere est vivere temperatè*, non plus sumendo, vel minùs quàm ad naturæ necessitatem et sustentationem satis sit (quod judicium secundùm se quidem est speculativum, cùm præcisè consideret veritatem objecti, prout tamen conjunctum cum alterâ præmissâ in ordine ad conclusionem mediatè ponendam dici potest practicum) ; concludit universaliter ethica : *Ergo temperatè vivendum est.* Quia autem actiones in particulari temperatè vivendi habent diversissimas circumstantias ; quod enim uni satis, alteri non satis vel nimium est. Ideò prudentia et conscientia omnibus consideratis applicat in particulari ; v. g., mihi in his circumstantiis ætatis, complexionis, valetudinis, occupationis, ad conservandam naturam tantùm cibi ac potûs necesse est, et sufficit : *Ergo tantùm possum et debeo sumere.* Ergo tanto jam sumpto cessandum est. Et hâc de causâ dicitur conscientia, quasi concludens scientia. « Et secundùm hunc modum patet (inquit « D. Th. in 2 sent., dist. 24, quæst. 2, art. 4, in c.) « qualiter differant synderesis, lex naturalis, et con- « scientia : quia lex naturalis nominat ipsa principia « universalia juris ; synderesis verò nominat habitum « eorum, seu potentiam cum habitu ; conscientia « verò nominat applicationem quamdam legis natu- « ralis ad aliquid faciendum per modum conclusionis « cujusdam. » Ubi adhuc adverte quòd, sicut datur actus, seu dictamen intellectûs circa ea quæ hìc et nunc agenda sunt, vel omittenda, secundùm quod dicitur conscientia *ligare* voluntatem, ut contra ejus dictamen sine peccato operari non possit ; ita datur actus seu dictamen circa ea quæ fecimus vel omisimus, secundùm quod dicitur conscientia *testificari* juxta illud ad Rom. 2 : *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum ;* et Eccles. 7 : *Scit conscientia tua, te crebrò maledixisse aliis.* Similiter datur actus seu dictamen judicans, quòd aliquid quod est factum sit benè vel non benè factum, et secundùm hoc dicitur conscientia *excusare*, vel *accusare*, seu remordere : juxtà illud ad Rom. 2 : *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus.* Videri potest D. Th. p. 1, q. 79, art. 13, et 1-2, quæstion. 19, art. 13, in corp.

Dico 2° : Conscientia ex parte objecti dividitur in rectam et erroneam. Recta est dictamen, quo intellectus ex veris principiis verum judicat et concludit. Dico *veris*, non semper *speculativè* talibus, sed *practicè*, quia, ut communiter loquuntur auctores, potest principium aliquod *speculativè* falsum practicè esse verum ; quod tamen intelligendum hoc modo, quòd judicium speculativè falsum possit esse fundamentum alterius judicii practicè veri : ut patet in judicio speculativè falso, quod formabat Jacob de hâc propositione : *Hæc est mea uxor ;* quod judicium ideò practicè dicitur fuisse verum, quia erat fundamentum alterius judicii veri, nempe quo judicabatur vera conclusio hujus argumenti practici : *Licitum est marito uxori debitum reddere ; hæc est mea uxor, prout prudenter præsumo ; ergo licitum est mihi, ut marito, illi reddere debitum.* Proinde quando judicium aliquod dicitur speculativè falsum, et practicè verum, necessariò debet fieri comparatio ad diversa objecta, respectu quorum sit verum et falsum. Hoc igitur judicium Jacobi : *Hæc est mea uxor*, erat falsum speculativè, quia erat difforme objecto à parte rei ; et practicè verum, in quantum conjunctum cum judicio, quod in dato syllogismo tenet locum majoris, respiciebat objectum conclusionis, scilicet hìc et nunc licitam redditionem debiti. Conscientia erronea est, quâ intellectus ex falso principio practico falsam deducit conclusionem, ut liquet in hoc exemplo : omne illicitum non est faciendum ; sed jurare est illicitum juxta illud Matth. 5 : *Ego autem dico vobis, non jurare omninò.* Ergo non est jurandum Ubi ex falsâ intelligentiâ illius textûs deducit conscientiam falsam. Dividitur hæc conscientia erronea in vincibilem et invincibilem. Vincibilis in crassam, affectatam, etc., planè sicut ignorantia. De quo vide dicta de ignorantiâ.

Dico 3° : Conscientia ex parte actûs, seu modi tendendi seu dirigendi, dividitur in certam, probabilem, dubiam et scrupulosam. Certa est quæ sine ullâ hæsitatione, et cum firmâ ad objectum adhæsione dictat aliquid faciendum vel omittendum ; et hæc invenitur tam in rectâ quàm erroneâ ; unde non constituit speciem distinctam. Conscientia probabilis seu opinativa est illa quæ deducitur ex principiis tantùm probabilibus ; et ideò sic uni parti assentitur, ut tamen adjunctam habeat formidinem de contrariâ. Conscientia dubia est hæsitatio seu suspensio intellectûs, inter utramque contradictionis partem, ita ut neutri detur assensus, vel dissensus, sicque patet non esse propriè conscientiam, cùm non præscribat quid hìc et nunc determinatè sit agendum, sed ambigua hæret inter utrumque. Conscientia scrupulosa est illa quæ formatur ex principiis futilibus et infundatis : ordinariè tamen non est judicium, sed tantùm apprehensio mali mirabiliter excruciens mentem scrupulosi. Ex quibus colliges : scientiam hìc esse judicium moraliter certum de re aliquâ, excludens omnem formidinem. Dubium esse fluctuationem intellectûs inter utramque contradictionis partem. Quòd si intellectus ita fluctuet, ut tamen magis flectatur in unam quàm in alteram, erit suspicio. Errorem esse judicium falsum putans bonum aut malum, prohibitum, aut non prohibitum, quod reverà non est tale. Opinionem esse judicium formidolosum. Scrupulum infundatam apprehensionem aut formidinem de peccato, ubi non est.

### ARTICULUS III.

*De obligatione sequendi conscientiam rectam seu veram.*

Dico 1° : Semper tenemur sequi conscientiam rectam seu veram, quando aliquid præcipit vel prohibet. Ratio est, quia bonitas nostrarum operationum pendet non tantùm à fine et circumstantiis, sed etiam et maximè ab objecto, quod sit conforme legi æternæ, ceu primæ morum regulæ, quæ cùm per conscientiam rectam ceu proximam regulam nobis applicetur seu intimetur, sequitur quòd voluntas (quæ cùm sit potentia cæca dirigi et regulari debet per rationem et conscientiam) ab hàc regulâ discordans peccet. Dixi tamen : *Quando aliquid præcipit vel prohibet.* Si enim conscientia recta dictet solùm *per modum consilii* aliquid esse bonum, non obligamur illam sequi, cùm consilium solùm respiciat ea quæ in viâ salutis perfectionem dicunt, non verò ea quæ ad illam absolutè necessaria sunt. Quare in hoc differunt bonum et malum in ordine ad conscientiam, quòd bonum ab eâ dictari queat et sub præcepto, et sub concilio, malum verò ab eâ tantùm prohiberi.

Dico 2° : Agere contra conscientiam rectam ordinariè non est speciale peccatum distinctum ab eo quod contra legem vel præceptum committitur. Ratio est, quia promulgatio et intimatio legis non est lex diversa ab eâ quæ intimatur, sed conditio solùm necessaria, ut lex habeat vim obligandi ; quia nulla lex obligat nisi ut cognita : conscientia autem non est tam lex, quàm legis divinæ vel humanæ promulgatio ; ergo qui peccat contra conscientiam, non peccat contra duas, sed unicam legem.

Dices : Qui furatur, violat duo præcepta specie distincta : ergo dupliciter peccat. Prob. ant. Violat enim inprimis præceptum non furandi, deinde violat præceptum naturale non agendi contra conscientiam ; licet enim illa conscientia non sit præceptum, sed intimatio præcepti, datur tamen aliquod naturale præceptum non agendi contra conscientiam, quod est specie distinctum à præcepto non furandi.—R. : Dist. ant. : Violat duo præcepta, quorum unum est generale inclusum in quocumque particulari cognito et voluntati proposito, conc. ; violat duo præcepta particularia sibi non subordinata, neg. ; ex quibus patet responsio ad consequentiam. Sic ergo causa universalis et particularis unum producit effectum, ita et duo illa præcepta unam producunt obligationem, unde eadem est obligatio non furandi, non mentiendi et non agendi contra conscientiam. Ex quibus inferes, non esse semper idem spêcie peccatum, dùm conscientiæ contravenitur in quâlibet materiâ, quia, ut docet D. Th. 1-2, q. 19, art. 5, ad 3, « dicendum quòd ratio, quando apprehendit « aliquid ut malum, semper apprehendit illud sub ali- « quâ ratione mali ; puta, quia contrariatur divino præ- « cepto, vel quia est scandalum, vel propter aliquod « hujusmodi, et tunc ad talem speciem malitiæ redu- « citur talis voluntas. » Unde qui operatur contra conscientiam dictantem non furandum, peccat peccato opposito virtuti justitiæ, et sic de reliquis. Ratio, quam supra tetigimus, est, quia agere contra propriam conscientiam est ratio generalis imbibita in omnibus peccatis, non constituens distinctam specie malitiam ab eâ quæ peccato, ut virtuti particulari, opposito inest. Dixi tamen in conclusione *ordinariè*, quia si ratio illa generalis esset per se volita ex parte objecti, uti si quis agat contra conscientiam, ut paulatim illam exstinguat, sicque impediat ipsius remorsum, qualiter traditur fecisse Lutherum per decem circiter annos, licet fuerit spe frustratus, tunc ultra peccatum contra virtutem castitatis, legem jejunii, etc., peccat specialiter contra obedientiam, suæ conscientiæ tanquàm honestarum actionum regulæ debitam : et certè cùm agens contra superioris præceptum, ut illum contemnat, peccet speciali peccato inobedientiæ, quidni et agens contra conscientiam, omnis honestatis mensuram, ut illam exstinguat et destruat?

Dico 3° : Ubi conscientia dictat aliquid esse peccatum mortale, ei contraveniens peccat mortaliter ; si veniale, peccat venialiter. Ratio constat ex dictis. Sed quid, si conscientia sic proponat malum esse, quod agitur, ut non determinet an mortale sit, an veniale, sed ab eo prorsùs abstrahat?—Resp. simili conscientiæ contravenientem peccare mortaliter. Ratio est primò, quia si nulla ipsi tunc occurrat cogitatio vel dubitatio de mortali, culpa est, seu negligentia, aut imprudentia ipsius. Cùm enim cognoscat malum esse, quod operari vult, ad operandum imprudenter procedit, si procedat absque debito examine de quantitate malitiæ, seque culpabiliter exponat periculo operandi

id quod graviter est malum. Unde non videtur practicè fieri posse, quin defectus cogitationis vel dubitationis de gravitate malitiæ ipsius negligentiæ vel imprudentiæ tribuatur. Ratio est, 2° quòd qui ita operatur, saltem virtualiter, et ex vi modi operandi amplectitur non solùm eam malitiam quæ de facto in illo objecto sit, sed omnem eam quæ attentâ tali cognitione esse potest, quæque per ipsam positivè non excluditur : ergo cùm non excludatur malitia mortalis, sed quantùm est ex vi cognitionis, possit ibi reperiri, fit ut voluntas hanc malitiam saltem virtualiter amplectatur, ac proinde mortaliter peccet.

Dices cum Navarro l. 1, ff. de Senator., ait Baldus, « in causato non potest esse plus virtutis, quàm in id « potentia causæ infundat. » Pro quo facit cap. *Licet ex quâdam de testibus*. Ergo conscientia, dictans quòd aliquid simpliciter sit peccatum, non infundit in id gravitatem lethalem, quam non habet.—Resp. sub malitiâ in communi non minùs contineri mortalem malitiam, quàm venialem; ergo nulla est ratio, cur potiùs actus tendens in illam sit præcisè venialis et non mortalis; imò potior est ratio, ut sit mortalis, tam ratione periculi, cui se exponit taliter operans, quàm ratione affectûs, quo virtualiter amplectitur malitiam mortalem, uti et ob defectum debiti examinis secundùm dicta.

Quæres an conscientia propria magis obliget, quàm quodlibet præceptum humanum? — Resp. cum D. Th. in 2, dist. 39, quæst. 3, art. 3: « Ad tertium, dicendum « quòd conscientia obligat non virtute præcepti divini; « non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum « hâc ratione, quia sibi videtur, sed hâc ratione, quia « à Deo præceptum est. Unde per accidens ex virtute « divini præcepti obligat, in quantum dictat hoc, ut « præceptum à Deo, et ideò dictamen conscientiæ plus « obligat, quàm præceptum prælati, sicut et præceptum « divinum, in cujus virtute ligat. » Sive igitur conscientia propria dictet aliquid esse contra legem naturalem, divinam, vel humanam, et hoc dictet vel rectè, aut erroneè, semper illicitum est operari contra illam, quia, ut ait div. Thomas, operaretur contra Dei præceptum, quod majorem vim habet, quàm quodcumque aliud superioris mandatum. Nec obstat, quòd *mandatum prælati haud secùs accipiendum sit, ac si præcipiat Deus*, ut ait S. Bern. lib. de Præcep. et disp., c. 12. Quo enim sensu id intelligendum sit, significat paulò supra dicens : *Ubi tamen Deo contraria non præcipit homo* saltem judicio *subditi*. Verùm quidem est, quòd subditus teneatur deponere conscientiam erroneam vincibilem, quando prælatus, qui est vir bonus et prudens, ei oppositum mandat : si tamen illam non deponat, non potest agere contra illam. Si verò habens conscientiam erroneam existimet, se magis obligari præcepto superioris, quàm dictamini propriæ conscientiæ, jam practicè deponit conscientiam, quâ existimat opus sibi illicitum, ac proinde non agit contra propriam conscientiam.

### ARTICULUS IV.

### *De conscientiâ erroneâ.*

Dico 1° : Quilibet tenetur sequi conscientiam invincibiliter erroneam. Ratio est, quia illud quod dictat conscientia erronea, accipitur ab errante, ut ipsa lex Dei; ergo si ab hoc recedat, recedit à lege Dei : obligatio igitur oritur non virtute rationis humanæ, sed virtute præcepti divini, cùm ratio errans judicium suum proponat, ut à Deo derivatum. Exemplificat hoc S. Thomas 1-2, q. 19, art. 5, ad 2, inquiens : « Si « præceptum imperatoris ad aliquem pervenire con- « tingeret mediante proconsule, tunc idem esset con- « temnere imperatoris præceptum et proconsulis, sive « proconsul verum diceret, sive falsum : » eodem modo, quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, ac Dei præceptum. Unde licet aliquando contingat dictamen rationis esse erroneum, propterea tamen non amittit rationem regulæ, ut docet D. Th. 1-2, q. 91, art. 3, ad 3: « Quia, inquit, non oportet ut omnis men- « sura sit omninò infallibilis et certa, sed secundùm « quod possibile est in suo genere. » Sicut igitur rex prudenter præcipit militibus, ut in omnibus tribuno obtemperent, quamvis posse aliquando errare tribunum ipse prævideat; quia majus est bonum quod ex tali obedientiâ ut plurimùm provenit, quàm malum quod ex opposito nonnisi rarò contingit : ita convenientiùs divinæ providentiæ visum est, præcipere voluntati nostræ, ut in omnibus sequatur dictamen rationis deductum ex principiis moralibus; quamvis enim Deus prævideat intellectum hominis ex imbecillitate suâ aliquando erraturum, consequenter voluntatem teneri ad exequendum id quod verè est contra legem Dei, tamen hoc summæ ejus bonitati non est inconveniens, quia majus est bonum quod ex dicto præcepto universali resultat, quàm peccatum materiale quod aliquando ex errore provenit.

Dices 1° : Conscientia nostra, utpote Deo inferior et subjecta, non potest aliquid præcipere quod est contra legem Dei; ergo, quamvis erroneè invincibiliter dictet esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, ei non est parendum, eò quòd lege Dei prohibeatur. — Resp.: Neg. cons., quia in tali casu præceptum divinum est sequi conscientiam, ac consequenter tunc non obligat ad contrarium ejus quod lex divina prohibet; et licet non teneamur obedire præcepto inferioris, dùm ille aliquid præcipit quod scimus esse prohibitum à superiore, tenemur tamen obedire, dùm id quod præcipit inferior putamus esse conforme præcepto superioris. Dices 2° : Non tenemur ad legem, nisi prout est promulgata à legislatore; atqui conscientia etiam invincibiliter erronea illam nobis aliter proponit; ergo.—Resp. dist. ant. : Non tenemur per se loquendo, conc.; per accidens, quando sic per conscientiam proponitur, neg. Deus ergo voluit ut obediremus legi, non nudè sumptæ, sed prout nobis per dictamen practicum intellectûs, seu per conscientiam applicatur. Dices 3° : Deus nequit esse auctor alicujus conscientiæ erroneæ, ergo nec eam tenemur sequi. Consequentia patet, quia conscientia in tantum potest nos obligare, in quantum est lex particularis à Deo derivata, et ab illo accipiens vim obligandi. —

Resp. cum nostris Salmanticensibus scholasticis, tr. 17 de Fide, disput. 2, n. 48, et moralibus tom. 3, tr. 22, c. 5, punct. 1, n. 4, quòd, quando obligat conscientia erronea, duplex distingui debeat judicium : primum quasi speculativum, quo judicamus aliquid lege prohiberi, vel præcipi, quod reverà non prohibetur, vel præcipitur. Aliud practicum, dictans aliquid faciendum, aut omittendum esse conformiter ad legem falsò et erroneè apprehensam. Primum est simpliciter falsum, nec est à Deo, nec habet rationem legis. Secundum est verum veritate practicâ dictante conveniens esse facere quod judicamus bonum, et omittere quod judicamus malum. Illud est à Deo, illiusque dictaminis practici veritas non consistit in commensuratione ad objectum, prout est in se, sed prout est in judicio operantis, sive per conformitatem ad regulas rationis. Unde in dicto casu conscientia non præcipit mendacium, ut importat falsitatem, sed ut importat conformitatem cùm ratione, et operationis rectitudinem; et consequenter falsitas mendacii non est à Deo, nec conscientia, sed hæc reducitur ad solam creaturæ defectibilitatem; ad Deum verò et conscientiam reducitur, quòd mendacium benè fiat, seu conformiter ad legem divinam et naturalem dictantem sequendum esse dictamen conscientiæ.

Dico 2° : Si conscientia vincibiliter erronea dictet actionem in se peccaminosam hìc et nunc esse præceptam, v. g., esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, homo, quantùm in se est, tenetur conscientiam erroneam deponere; quod si non faciat, sive illam sequatur, sive agat contra illam, peccabit. Ratio primæ partis est quia, cùm quilibet teneatur scire ea quæ ad non peccandum sunt necessaria, post dubium et animadversum periculum peccandi, tenetur inquirere in rei veritatem, ne periculum peccandi, et peccatum ipsum, saltem moraliter interpretativè amplecti censeatur. Ratio secundæ partis est : si enim sequatur conscientiam vincibiliter erroneam, peccat, cùm saltem indirectè et in causâ illud malum sit volitum, cùm volita sit ipsa ignorantia illius mali causa, quæ, cùm sit vincibilis, non excusat à peccato. Si non sequatur, sed contra illam agat, etiam peccat, quia agit contra dictamen conscientiæ. At hinc suboritur quæstio, qualiter in casu posito conscientia erronea obliget? Ad quam cum aliis respondet Vasq. disp. 60, cap. 2, n. 4, eam non obligare positivè ut mentiamur, sed solùm *negativè*, ne eâ manente contra illam faciamus; verùm, uti advertunt NN. Salmant, morales l. c., n. 6, hæc doctrina, licet sit acuta, est tamen falsa. Nam qui habet conscientiam erroneam dictantem esse mentiendum ob salutem proximi, tenetur non agere contra illam; ergo tenetur agere secundùm quod illa dictat, quod est mentiri. Patet consequentia, quia teneri non agere contra illam, est intransitivè teneri non omittere mendacium. Quod etiam constat ex illo Pauli ad Galat. 5 : *Testificor omni homini circumcidenti se, quòd debitor sit universæ legis faciendæ*. Ergo tenetur positivè agere secundum conscientiam erroneam vincibilem : de hâc enim loquitur Apostolus, ut explicatur à D. Th. ibi lect. 1. Cùm loquatur de illis fidelibus, qui post susceptum Evangelium, per conscientiam erroneam judicabant, se teneri circumcidi ad salutem consequendam. Quibus præcepit, quòd nisi deponant illam conscientiam erroneam, tenentur sequi ejus dictamen de circumcisione. Nam, ut benè notat Lorca, aliud est ad quid teneatur qui habet conscientiam erroneam, aliud ad quid ipsa obliget : certum est hominem teneri deponere illam conscientiam erroneam; sed conscientia non obligat ad illam deponendam, sed ad eam positivè sequendam; quare, quamdiù perseverat, positivè obligat, ut eam sequamur.

Dices : Nemo potest positivè obligari ad peccandum, ergo nec ad mentiendum. — Resp. dist. ant. : Nemo potest obligari ad peccandum, absolutè loquendo, conc.; ex aliquâ suppositione, neg., quia, ut inquit D. Th. 1-2, q. 19, art. 6, ad 3 : « Sicut in syllogismis, uno inconvenienti dato, necesse est alia sequi, ita in moralibus, uno « inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur. « Sicut supposito quòd aliquis quærat inanem gloriam, « sive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, sive dimittat, peccabit. Nec tamen est (simpliciter) perplexus, quia potest intentionem malam dimittere. » Et similiter supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantiâ « non excusante, necesse est quòd sequatur malum in volun « tate : nec tamen homo est perplexus, quia potest ab « errore recedere, cùm ignorantia sit vincibilis et vo « luntaria. »

Dico 3° : Qui ex conscientiâ erroneâ vincibili judicat utramque contradictionis partem esse peccatum, v. g., in die festo assistens moribundo existimat se peccare, sive ægrum deserat, sive sacrum omittat, tenetur primò perplexitatem deponere, sicque ab errore se expedire, vel per se, aut per virum doctum, quem debet consulere. Ratio est, quia tenetur vitare peccatum, adeòque medium ad hoc necessarium adhibere, quod est depositio perplexitatis : utpotè quâ non depositâ peccat, utramvis partem elegerit secundùm dicta. Si autem nec per se, nec per alium possit se à tali errore expedire, quia scilicet nullum habet virum doctum, quem consulat, tunc debet eligere quod minùs malum apparet, secundùm quod dicitur can. Nervi, dist. 13 : « Cùm in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis « sine veniâ peccemus. » Et idem can. præcedenti : « Duo mala, licet sint omninò cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas, vel conscientiæ « perplexitas ex his unum perpetrare compulerit, id « debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his leviùs, quidve sit gravius, « puræ (aliàs piæ) rationis acumine investigemus. » Sed quid, si aliquis adeò sit perplexus, ut post sufficientem adhibitam diligentiam discernere nequeat, quid magis, minùsve malum sit? — Resp. cum Bonac. de Pecc. disp. 2, quæst. 4, punct. 7, n. 27, illum, antequàm operetur, teneri tunc pœnitere de ignorantiâ culpabili seu vincibili, ut ita per pœnitentiam illa reddatur invincibilis, quia peccatum, si retractetur,

ad alia peccata nequit compellere, neque imputari potest ad culpam, quod invitus ignoras; unde licet in casu posito ille actus ex ignorantiâ sequatur quasi physicè, non tamen moraliter; unde tunc idem dicendum est, quod in casu conclusionis sequentis.

Dico 4° : Qui ex conscientiâ erroneâ invincibili judicat utramque contradictionis partem esse æquè peccaminosam, non peccat, eligendo quamcumque contradictionis partem. Ratio est, tum quia aliàs daretur perplexitas simpliciter, sive casus, in quo hominem peccare foret necesse, quod nullus admittit. Tum quia licet ille actus sit liber libertate physicâ, utpote tendens in objectum cognitum ut malum, non tamen est liber libertate morali, seu tendens in objectum malum, ut possibile vitari, quod ad peccandum requiritur.

Quæres 1° : an sit gravius peccatum agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, quàm agere juxta illam? Resp. id certâ regulâ non posse præscribi; sed ex diversitate materiæ, nunc unum, nunc aliud est majus. Declaratur exemplis. Constat de facto mendacium esse solùm peccatum veniale; putat quis ex ignorantiâ culpabili, quòd ad salvandam innocentis vitam, non tantùm sibi liceat, sed et quòd teneatur mentiri, tali casu minùs peccabis mentiendo, quàm contra conscientiam mendacium omittendo; mentiendo enim officiosè solùm peccas venialiter, non mentiendo mortaliter. E contra si judices ex ignorantiâ vincibili furandum esse ex bonis avari, ut subvenias pauperi in communi necessitate constituto, juxta dictamen conscientiæ furando (in re gravi, ut suppono) peccas mortaliter, non furando solùm venialiter. Ratio horum est, quia obligatio conscientiæ non est alia ab obligatione præcepti, quod apprehendit: cùm conscientia nil aliud sit, quàm intimatio legis, seu præcepti divini existimati; ergo quò gravius fuerit præceptum, gravior erit obligatio conscientiæ; sed quò gravius est præceptum, gravior est illius transgressio; ergo tunc erit gravius peccatum agere contra conscientiam, quando præceptum ab ipsâ falsò propositum erit gravius, et tunc levius, quando fuerit leve. Cæteris autem paribus videtur gravius peccatum agere contra conscientiam vincibiliter errantem, quàm agere juxta illam. Ratio est, quia gravius est peccatum agere ex scientiâ, quàm agere ex ignorantiâ, licet vincibili, cùm hæc aliqualiter culpam minuat; sed qui agit contra conscientiam agit ex scientiâ, ut patet; agens verò secundùm conscientiam agit ex ignorantiâ, ergo. Quæres 2° : Unde colliget quis sibi inesse conscientiam erroneam? — Resp.: Si dubitet aut suspicetur de malitiâ suæ actionis, vel omissionis, et tamen sine sufficienti fundamento se resolvat esse licitam, aut etiam, si interiùs moneatur de rei veritate accuratiùs examinandâ; tunc enim timere debet, ne conscientia sua sit erronea vincibiliter, et ideò, nec statim ponere debet actum quem illa præcipit, nec statim omittere quem prohibet; sed, si sit sufficiens, debet rem diligentiùs examinare, si insufficiens, doctiores interrogare. Quæres 3° : Quomodò deponenda sit conscientia erronea? — Resp. 1° Si temerè absque ullo fundamento concepta sit, sufficit quòd eâ laborans temeritatem agnoscat, varietque judicium de malitiâ operationis, in judicium moraliter certum de ejus honestate. Nam res per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur; consequenter cùm illa temerè absque ratione concepta sit, absque ratione potest dissolvi. — Resp. 2° : Si concepta sit ex fundamento apparenter vero, ad hoc ut illa deponatur, debet etiam vel rationis vel auctoritatis fundamentum intervenire, ratione cujus prudenter judicetur contrarium; *rationis* quidem, ubi quis potest studendo, examinando, libros revolvendo, ac simul humiliter orando, veritatem obtinere, vel saltem majorem probabilitatem. Dico : *majorem probabilitatem*, quia ubi conscientia erronea concepta est ex ratione probabili, debet deponi aliâ efficaciori, nam (ut benè cum Cordubensi inquit Vasq. in 1-2, q. 19, art. 6, disp. 67, cap. 1, n. 4; et nos infra fusè probabimus, ubi agemus de conscientiâ probabili) si sit minùs, vel æquè efficax, non erit sufficiens ad generandum assensum contrarium. Si verò laborans conscientiâ erroneâ vincibili sit incapax examinandi rationes, ad eam deponendam debet intervenire fundamentum auctoritatis, præsertim doctiores, ac præsertim parochum aut directorem virum utique probum, prudentem ac doctum consulendo, quod facere debent illiterati, et maximè scrupulosi, de quo fusè infra.

Quæri hîc potest, qualiter se gerere debeat confessarius cum eo qui laborat conscientiâ erroneâ. Responsio ad hanc quæstionem pro praxi apprimè necessaria constabit ex resolutione casuum sequentium.

Casus 1: — Anselmus confessarius religiosorum, audiens cujusdam religiosi confessionem, intelligit erroneâ eum conscientiâ laborare, quòd quotidiè sub peccato mortali teneatur recitare officium B. Virginis; deberetne talem docere veritatem, supposito, quòd prudenter existimet, pœnitentem ex tali doctrinâ in posterum omissurum recitationem talis officii? — Resp.. Anselmum omninò tum spontè, tum requisitum teneri docere veritatem, non obstante damno spirituali omissionis, quod ex eo potest oriri. Ratio est, quia majoris ponderis est damnum spirituale, scilicet culpæ mortalis, quod posset timeri, si aliquando quis ex conscientiâ erroneâ non monitus de veritate omitteret officium ex debito, quàm si monitus idem officium omitteret, ad quod recitandum solùm tenetur ex devotione. Addo : Etiamsi nullus esset timor, religiosum illum ex conscientiâ erroneâ, nec semel omissurum officium, adhuc ei esset aperienda veritas, quia docere ignorantes est per se actus charitatis, nec minùs aberrat à viâ virtutis, qui ex errore peccat, quàm qui ex errore existimat se agere virtuosè : estque magis consonum rationi ex verâ virtute operari modicum, quàm ex errore cumulare plura.

Casus 2: — Antonius confessarius ex notitiâ confessionis animadvertit religiosos cujusdam monasterii à suo superiore frequenter gravari, eosque judicare, in-

hibitum sibi esse sub culpâ lethali appellationis refugium; teneturne Antonius, aut potest manifestare religiosis, quòd in casu injusti gravaminis licitè ad superiorem majorem appellare queant? — Resp. Antonium non requisitum ordinariè nec teneri nec posse eis manifestare, quòd licitè appellare possint. Ratio est, quia ex veritate non agnità nullum damnum ignorantibus de præsenti timeri potest, uti damnum communitati ex veritate manifestatâ forsan posset timeri; eò quòd plurimi imaginantes sibi, quodcumque à suo superiore impositum gravamen esse injustum, abuti possent jure appellationis. Dico *ordinariè*, quia si Antonius certò et evidenter sciret, subditum ignorantem jus appellationis injustè gravari à superiore, insuper judicet communitatem per similem appellationem non fore perturbandam, teneretur ex lege charitatis monere subditum de jure appellationis, non tamen debet eidem appellationem persuadere.

Casus 3: — Wilhelmus post multam instructionem, circa illum à confessario impensam, deprehenditur adeò rudis, et hebes, ut mysteria *necessitate medii* credenda addiscere nequeat; quodnam est munus confessarii cum illo? Ante resp., suppono ignorantem mysteria necessitate medii ad salutem necessaria, uti et erroneè existimantem non requiri dolorem ad confessionem peccati mortalis, tali ignorantiâ vel conscientiâ durante esse incapacem absolutionis, uti constat ex hâc sexaginta inter damnatas ab Innocent XI propositiones : « Absolutionis capax est homo, quan- « tùmvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, et « etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat « mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis « Domini nostri JESU Christi. » Cujus ratio est, quòd actualis illorum mysteriorum fides, uti indispensabiliter requiritur ad vitam æternam, ita et ad justificationem, quæ confert jus ad vitam æternam, est necessaria. Ex quo sequitur omnes confessiones factas illâ ignorantiâ durante esse reiterandas, eò quòd invalidæ fuerint defectu requisiti legitimi doloris seu contritionis, quæ nequit concipi sine explicitâ illorum mysteriorum fide. Cujus ratio est, ex P. Du Jardin, quia contritio, cùm debeat esse supernaturalis, nequit concipi absque speciali auxilio divinæ gratiæ, quod Deus ex suo decreto non confert, absque priùs collatâ gratiâ fidei explicitæ eorum quæ ad justificationem et salutem æternam adipiscendam necessitate medii sunt credenda; si enim conferret gratiam contritionis, antequàm confert gratiam fidei explicitæ ita credendorum, cùm sacramentum pœnitentiæ in subjecto ritè disposito infallibiliter producat suum effectum, posset obtineri justificatio ex vitâ æternâ absque fide explicitâ eorum quæ in adultis ex Dei decreto ad illam obtinendam necessitate medii sunt credenda, quod implicat. Unde in his et similibus casibus est obligatio in confessario instruendi pœnitentem, ab eoque removendi illam ignorantiam, antequàm absolutionis ei beneficium impertiatur. Difficultas ergo restat, quid in casu posito sit faciendum confessario?

— R. Cùm illa hebetudo quandoque oriatur ex peccato, cui addicti sunt illi ignorantes, subinde ex eo quòd animus talis rudis plenè immersus sit terrenis, in aliis ex complexione naturali, in aliis ex senio, prout diversa radix, diversa quoque est danda resolutio. Unde si primò rudes et hebetes, gravioribus quibusdam peccatis implicati, non discant ea, quæ concernunt dicta mysteria, præsumi debet, quòd cæci et obtusi sint per peccata. Et hæc mentis cæcitas præcipuè oritur ex vitio luxuriæ, hebetudo autem ex vitio intemperantiæ et aliis. Utraque verò generatur ex immoderato amore rerum terrenarum. Dùm enim mens plenè immersa est corporalibus et terrenis, nequit attendere ad spiritualia et cœlestia. Confessarius igitur talem rudem volens instruere evellat primùm radicem ruditatis, priùs scilicet à vitiis eum abstrahendo, energicè, v. g., proponendo peccati fœditatem, pericula, et corporis, animæque damna, quæ indè sequuntur; adhibitis ad hoc efficacibus sacræ Scripturæ, vel Patrum sententiis : deinde paulatim mysteriis fidei eum imbuat. Si secundò rudis quispiam deprehendatur industrius in rebus corporalibus et sensibilibus et post diligens examen circa peccata luxuriæ, intemperantiæ, etc., nullus ad peccatum speciale detegatur affectus, attendat confessarius, an mens tota non inhæreat terrenis; sic enim quandòque contingit in agricolis, qui non ultra agrum et ligonem mentis suæ intentionem protendunt. Sic etiam in mechanicis et pauperibus, qui cùm miseriam indigentiæ suæ sentiant, et nimiùm ruminent, toti circa victum quotidianum occupantur; his ostendere debet, quòd non tantùm damnentur, qui in graviora peccata labuntur; sed et illi, qui nimiùm solliciti de terrenis, de cœlestibus vix, aut rarò cogitant. Si tertiò ruditas et hebetudo oriatur ex naturali complexione, quod colligi potest ex eo quòd etiam in aliis rebus cogitandis, retinendis, atque agendis rudis sit et hebes; hoc in casu, si rudis ille inveniatur timoratæ conscientiæ, horrorem habeat à peccato, et paratum se exhibeat, ut instruatur, adhuc tamen post instructionem hebes maneat, poterit illi confessarius absolutionem impendere, et sacram communionem concedere : prævià tamen ad absolutionem requiritur et sufficit, ut confessarius illi præformet actus fidei, moneatque ut ille rudis eisdem verbis, quibus confessarius præivit, cum attentione illos efformet, et sic fidem illorum mysteriorum profiteatur. Cujus ratio est, quia ipsa credendorum scientia non est necessaria necessitate medii ad salutem, sed fides actualis : ideò requiritur et sufficit confessariis, proponere ejusmodi pœnitenti adeò rudi, omnes articulos fidei credendos necessitate medii sub uno motivo fidei formali, ut pœnitens illis simul assentiatur, et ita actum fidei circa illos eliciat. Si demùm quartò ruditas illa oriatur ex senio, confessarius satagat investigare, an priùs illa fidei mysteria sciverit, et christianè vixerit : quòd si ita sit, sine anxietate potest illi (si nil aliud obstet) sacramenta administrare, præformando ipsi actus fidei, etc., juxta methodum jam datam : si verò nec ante satis ista sciverit, nec satis christianè vixerit, laborandum est, ut jam saltem illa addiscat, priusquàm

sacramenta administrentur; sed si non speretur fore, ut cum senio hebetudo ista minuatur, timeatur verò ne crescat, tempori providendum est, ne factus sensim hebetior, postea cum minoris dispositionis verisimilitudine sacramenta suscipere cogatur.

Casus 4 : Petrus pœnitens ex motivo probabili, sed falsò judicat, se non esse obligatum ad restituendum ; confessarius verò cognoscit cognitione certâ, eum verè obligatum ; teneturne pœnitentem monere de tali obligatione, si timeat, ne etiam admonitus non restituat? Ante resp., suppono primò, quòd si pœnitens ignoret ea vincibiliter quæ tenetur scire, confessarium teneri eum monere. Ratio est : 1° quia quilibet confessarius subit vices proprii pastoris in pœnitentem : obligatio autem pastoris est tollere ignorantiam subditi, eum instruendo, dùm instructione et admonitione indiget. 2° Quia in casu posito pœnitens est malè dispositus ad sacramentum pœnitentiæ, et aliunde prudenter judicare potest confessarius, pœnitentem monitum, ac conscientiæ stimulis agitatum, ad meliorem frugem re versurum. Suppono secundò, confessarium teneri mo nere pœnitentem laborantem ignorantiâ invincibili, quando sperat fructum emendationis. Ratio est : quòd confessarius hoc in casu silens, et pœnitentem in eâ, quâ laborat ignorantiâ relinquens, ageret contra propriam suam conscientiam, quâ bonum ejus spirituale se monito suo curaturum cognosceret. Suppono tertiò, confessarium teneri aperire veritatem, quando pœnitens antea ignorans invincibiliter, postea in confessione dubius interrogat, an teneatur restituere, vel an contractus, quem bonâ fide aliquoties exercuit, sit usurarius. Idque verum est, quamvis credat se nihil profuturum manifestando veritatem, Ratio est 1° quia pœnitens non dicitur eo casu laborare ignorantiâ invincibili, sed potiùs vincibili, cùm dubitet ; 2° Quia eo casu pœnitens taciturnitatem et dissimulationem confessarii prudenter posset interpretari in favorem sui erroris. Suppono quartò, confessarium ad idem teneri, quando imminet damnum boni communis, etiamsi nullus ex admonitione speretur fructus. Quia bonum publicum est anteponendum bono privato. His suppositis. — Resp. Confessarius in casu posito Petrum monere tenetur, antequàm eum absolvat, etiamsi timeat nullum ex monitione suâ fructum secuturum. Ita Conz. in Fund. Theol. moral. dissert. 14, cap. ult.; Pontas V, confessarius, cas. 4; N. Henricus de Sacr. Pœn. c. 255; N. Sebaldus de Minist. confess. n. 481, contra plures. Ratio est : 1° quia confessarius nequit absolvere pœnitentem, nisi eum prudenter judicet ritè dispositum ad absolutionem : atqui non potest prudenter judicare Petrum esse ad absolutionem ritè dispositum, quem ita addictum lucro, et commodo censet ut quamvis admoneatur de obligatione restituendi, non sit restituturus, nec concepturus ex animo propositum efficax restituendi. Qui enim ita est affectus, ut etiamsi sciret se esse obligatum ad restitutionem, nihilominùs non restitueret, non est immunis à culpâ, neque legem Dei habet in medio cordis sui, nec habet virtualem (imò nec habitualem) voluntatem subeundi potiùs quævis mala hujus vitæ, quàm committendi peccatum mortale. Ratio est : 2° quia, ut notat Pontas, falsò videtur supponi, quòd pœnitens confessarii monita sit contempturus : quis enim dicat Petrum, qui ex sincero animo se cum Deo reconciliandi sacrum tribunal accedit, adjutum divinæ gratiæ auxilio ignorantiam aut pertinaciam suam non esse superaturum? ambiguo igitur confessarius tantùm nitetur dubio, quod ex regulis charitatis pro futurâ sui pœnitentis emendatione debet interpretari.

Dices 1° : Præceptum correctionis fraternæ non obligat, cùm nullus fructus speratur, prout docet S. Thomas post S. Augustinum relatum cap. *Si quis autem de pœn. dist.* 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te monerem.* Ergo nec in præsenti casu pœnitentem monere obligatur confessarius. — Resp. : Neg. cons., quia licet is, qui solùm ex communi lege charitatis et fraternæ correctionis, tenetur proximum instruere, potiùs dissimulare debeat, quando prævidet ex monitione suâ potiùs secuturum scandalum, quàm fructum ; alia tamen est ratio de confessario, qui prohibetur absolutionem impendere indigno et indisposito ; quales sunt omnes qui de veritate scandalum sumunt, nec volunt intelligere, ut benè agant. Debet igitur in dicto casu confessarius pœnitentem de errore suo admonere, et illi patefacere obligationem, quam habet restituendi, et abstinendi à tali vel tali contractu, quem ipse per errorem licitum esse existimabat, et sine ullo scrupulo exercebat. Quòd si audire et obedire paratus sit, illi absolutionem impertiatur, sin autem, illum sine absolutione à se dimittat, ejusque duritiem increpet. Illud autem, quod velut ex Augustino lib. 50 Homiliar. homil. 41, dicitur cap. *Si quis autem*, non habetur in Augustino, ut videbit quisquis ibi Augustinum legerit. Agit enim, ut benè notat Gonz. de iis qui pœnitentiam differunt usque ad mortem ; de quibus dicit, se prorsùs nescire an agant veram pœnitentiam et salventur, an fucatam et damnentur, et hoc timet. Quia « si tunc, inquit, « vis agere pœnitentiam ipsam, quando peccare non « potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. » Quia verò certus non est pœnitentiam tunc factam non profuturam, dat pœnitentiam moribundo, id est, docet admittendum etiam tunc ad sacramentum pœnitentiæ, eique confitenti in extremis peccata, de quibus antea non pœnituit, impertiendam esse absolutionem. Nam « si scirem, inquit, nihil tibi prodesse, « non tibi darem. » Item si scirem tibi prodesse (hìc ergo non habet non tibi prodesse) non te admonerem, non te terrerem, id est si scirem tibi nihil prodesse pœnitentiam usque ad extremum vitæ dilatam, non tibi darem absolutionem sacramentalem ; item si scirem pœnitentiam tunc autem prodesse, *non te monerem*, *non te terrerem*, id est tot argumentis non exaggerarem pericula dilatæ ad extremum pœnitentiæ. Subdit immeditatè : « Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur? » et quia valdè incertum, an pœnitentia tam sera sit vera et prosit, ut Deus ignoscat, ideò summi periculi est, usque ad

finem vitæ differre pœnitentiam; et ideò de tanto æternæ salutis discrimine te moneo, te terreo, quò persuadeam, ut non procrastines, sed agas pœnitentiam dùm sanus es, et pœnitere potes. Ex quibus patet S. Augustini verba nihil facere ad intentum adversariorum.

Dices 2° : Monitio in casu posito esset nociva, et laqueus, seu causa scandali; nam pœnitens, qui ante monitionem solùm materialiter et ignoranter peccabat, hàc factà formaliter et scienter peccabit : atqui nulli debemus laqueum injicere, cap. *Si quis autem*, dist. 7. Ergo. — Resp. quòd in casu dicto non ipsa monitio confessarii injiciat laqueum, vel causet nocumentum et scandalum, sed sola malitia et prava pœnitentis dispositio, de veritate scandalum, laqueum et nocumentum accipientis, et nolentis intelligere ut benè agat.

Coll. nimis laxam ac repudiandam esse opinionem Gobati de Sacram. tr. 7, n. 316, aientis confessarium non debere monere pœnitentem de malitià mollitiei, cui ex invincibili (ut loquitur) ignorantià est obnoxius, si omninò putet, non obstante monitione, scelus nihilò rariùs patraturum. Ratio est quia minùs apparet probabile in materià adeò absonà et crassà (qualis est mollities, tactus impudici, etc.) talem ignorantiam dari. Ratio est 2°, dato, etiam in similibus ignorantiam invincibilem et involuntariam quandoque intervenire posse, ex quo capite quis moraliter et practicè certus erit, quòd talem ignorantiam vincere nullo modo potuerit; quòd ad divinas illuminationes, ipsumque rationis lumen debitè semper attenderit; quòd gratiæ divinæ illustrationem satis implorârit, nullumque medium, quo ignorantiæ hujus caligo depelli poterat, neglexerit? Unde 3°, falsò supponit Gobat, cognosci posse ignorantiam in pœnitente esse invincibilem, licet eum non interroget confessarius; nec consequenter de qualitate ipsius ignorantiæ certus esse potest. Similiter quà nimis laxum repudiandum est id, quod habet idem Gobat n. 318, non debere moneri eum, qui ignorat esse mortale, rem falsam vel levem confirmare juramento; supponit quippe et in hoc casu, consequenter et præcepti Decalogi de non assumendo nomine Domini Dei sui in vanum posse dari ignorantiam invincibilem, quod perabsurdum videtur.

Casus 5° : Publius confessarius ex confessione generali Lubillæ cognoscit, ipsam ante contractum matrimonium habuisse copulam cum fratre mariti sui, adeóque irretitam impedimento dirimente matrimonii; teneturne Publius monere Lubillam de nullitate matrimonii, supposito quòd nullum monitionis fructum prudenter prævideat, partim ex infamià Plautillæ imminente, partim ob scandala, quæ nata sunt sequi ex dimissione mariti, vel denegatione debiti, partim ob multas proles, quæ provenerunt ex putativo matrimonio? Ante resp., supp. 1° quòd si in pœnitente detegatur impedimentum matrimonii, antequàm contraxit matrimonium, et res adhuc sit in statu integro, teneatur confessarius monere pœnitentem, quia si tunc nullus sequatur fructus, hoc provenit ex merà malitià contrahentis, quæ peccatori non debet suffragari. Dixi : *Si res adhuc sit in statu integro.* Quia si pœnitens, v. g., esset filia honesta jam gravida, putat N. Stephanus tract. 1, disput. 1, n. 31, confessarium posse permittere, ut cum impedimento invincibiliter ignorato contrahatur matrimonium (non deberet tamen interim omittere occultè impetrare dispensationem), quia ex monitione de simili impedimento vix fructus posset prudenter exspectari, et tamen in meram pœnitentis malitiam non posset refundi, quamvis interim confessarius diligenter attendere debeat, an nulla spes fructûs affulgeat, cùm reverà hæc spes in casibus etiam difficillimis semper non absit : et, si pœnitens pro nunc quidem non videatur satis dispositus ad faciendum fructum, speretur tamen in futurum meliùs disponendus; tantisper monitio differatur, utique ad tempus, quo speratur fructum habitura. Suppono 2° quòd si ponatur casus, quo post contractum bonà fide matrimonium cum impedimento dirimente, ex monitione de nullitate matrimonii et ex divortio vel denegatione debiti nulla sequuntur incommoda, quæ proveniunt in casu, prout à nobis proponitur, sed penès meram pœnitentis malitiam stat quominùs ex monitione fructus sequatur, confessarium teneri monere pœnitentem. Ratio est : quia tunc confessarius non habet rationabile fundamentum prævidendi, seu judicandi, nullum fore fructum admonitionis suæ, nisi rationabiliter judicet, ipsum ob humanas aliquas considerationes ita addictum illi statui materialiter malo, ut quamvis moneatur de obligatione illum dimittendi, non sit dimissurus; imò scienter in eo contra legem Dei permansurus. Si autem rationabiliter judicet, ipsum taliter addictum isti statui, judicat ipsum non esse rectè dispositum ad absolutionem, prout diximus in responsione ad casum præcedentem. Unde in casu sic posito verum puto, quod docet N. Henr., quòd debeat scilicet confessarius monere pœnitentem de errore suo, et obligatione procurandi dispensationem, si obtineri possit, seque etiam ad eam procurandam offerre. Quòd si pœnitens nolit, debet ipsum monere de obligatione dimittendi statum illum, et cohabitationem, nisi malint continentiam vovere, simulque vivere tanquàm frater et soror. Si pœnitens audire et obedire nolit, debet ipsius duritiem increpare inabsolutumque dimittere. Suppono 3° quòd si in casu, etiam prout in initio ponitur, Lubilla confiteretur scrupulum suum sub dubio, an ille esset suus maritus, non licet confessario tacere, sed debet veritatem explicare. Ratio est : « quia (ut sapienter ait Dominicus Soto in « 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4) suum silentium illa « acciperet ceu responsum, quòd suum matrimonium « erat juridicum, et hoc est verum de quâcumque « ignorantiâ sive juris divini, aut humani, sive facti. » His suppositis, resp. : Publius in casu posito nec tenetur nec debet monere Lubillam. Prob. 1° ex Decretali Innoc. III in cap. *Quia circa* 3, de consang. et affin. l. 4, tit. 14, in quâ summus hic pontifex, loquens de

matrimonio invalido duorum propter cognationem eorum in quinto gradu, tunc impedimento dirimente, de quo invalidè fuerant dispensati, sic dicit : « Dissi- « mulare poterit, ut remaneat (vir nobilis N.) in co- « pulâ sic contractâ, cùm ex separatione, sicut asse- « ris, grave videas scandalum imminere. » Respondet N. Henr. Innocent. III, ibi non loqui de confessario in ordine ad absolutionem impertiendam in foro interno, sed de episcopo et parocho instruens, quomodò se gerere possit et debeat in foro externo. Sed contra est, si episcopus et parochus, quorum præcipua cura est providere bono communi et urgere observantiam legum, dissimulare possit ac debeat in foro externo, ob imminens grave scandalum ex separatione; multò magis confessarius, cujus præcipuè curæ incumbit providere bono spirituali sui pœnitentis, ob imminens periculum peccati formalis, infamiæ, graviumque scandalorum, dissimulare poterit ac debebit. Neque ex hoc semper argui potest indispositio animi in pœnitente; quia potest pœnitentis animus ita esse dispositus, ut quandocumque bonum creatum menti occurrerit, illud bonitati divinæ postponeret, et si quodcumque malum menti occurreret, magis aversaretur malum culpæ, quam quodlibet aliud malum. Et nihilominùs prudenter timeri, ne, si explicita fieret comparatio mali culpæ, cum malo gravissimæ infamiæ, scandalorum, etc., pœnitens ex humanâ fragilitate exponatur evidenti periculo formalis peccati. Cujus ratio est, quòd mala infamiæ, etc., utpote sensibus nostris propiora vehementiùs moveant phantasiam, quàm malum culpæ, ideòque voluntatem facilè in periculum traherent. Ideòque advertunt et monent doctores non semper esse consultum, præsertim apud homines scrupulosos, vel ad lapsum pronos, ut instituantur comparationes explicitæ malorum culpæ cum malis pœnæ.

Prob. 2° ex iis quæ habet laudatus Soto loco cit., ubi affert exemplum mulieris, quæ ante concilii Tridentini tempus, clandestinum, sed non consummatum matrimonium iniisset cum uno homine, et quæ alteri postea publicè nupsisset : « Exempli gratiâ, inquit, « est mulier, quæ clandestinè nupsit uni, cum quo « copulam non consummavit, et postea in publico « alteri matrimonio conjungitur, ex quo filios susce- « pit, putat secundum illud matrimonium esse vali- « dum, cùm tamen omni procul dubio non sit, nisi « primum; utrum teneatur confessarius illam admo- « nere; nam quòd non teneatur, est hoc maximum « argumentum : id, quod non prodesse, sed obesse « potest, sub præceptò charitatis non cadit; sed ad- « monitio illa est ejusmodi; nam quamvis mulier illa « in judicio juret illum non esse suum, sed alienum, « nulla ei adhibetur fides, sed cogetur manere cum « secundo, cui in facie Ecclesiæ conjuncta est. Imò « si separarentur, manerent filii matrimonio desti- « tuti, quia haberentur illegitimi, nullus ergo erit « talis admonitionis fructus. » Huic quæstioni sequentem solutionem subjicit Soto, quæ benè intellecta apprimè deservit ad resolvendum casum propositum. « Si autem ignorantia, inquit, sit eorum, quæ non « omnes tenentur scire, sive sit juris divini, sive hu- « mani, tunc distinguendum est. Si sacerdos viderit, « quòd possit prodesse, idque sine gravi scandalo, « tunc tenetur rem detegere : si verò videt, quòd « nullatenùs prodesse potest, aut sine gravi scandalo, « tunc tenetur tacere et dissimulare, si non interro- « gatur, aut si alter non confitetur de illo, tanquàm « de re scrupulosâ. Verbi gratiâ, in exemplo præ- « senti, ignorantia est divini juris, nescire quòd ma- « trimonium primum sit validum, et secundum irri- « tum; sed tamen non omnes tenentur scire : imò « inter sacerdotes id plurimi ignorant. Videt tamen « sacerdos, quòd maritus non credet uxori dicenti, « quòd primò fuerat alii nupta : imò à judice com- « pelletur manere cum illo. Quare tunc nihil aliud « sacerdos, si diceret, ageret, quàm cogere miseram « mulierem, ut nunquàm possit debitum petere, imò « neque reddere, nam cum sciat illum non esse suum, « scit subinde, quòd ad illum quomodòcumque acce- « dere est fornicari : quod priusquàm faciat, mori « debet. In hoc ergo casu tacendum est... præterea « etiam est attendendum, si magnum scandalum se- « queretur ex separatione; quia sunt personæ nobiles, « aut aliàs aliquod nomen habentes in Republicâ, et « habentes liberos. Et idem est de ignorantiâ humani « juris, ut si ignorans putet, matrimonium in quarto « gradu esse licitum : aut ignorantiâ facti, ut si igno- « ret maritum suum sibi esse consanguineum, cùm « tamen sit. » Hæc doctissimus Soto, ex quibus resoluta manet præsens difficultas. Pro quâ tamen ulteriùs

Not. 1° quòd cùm ignorantia aliqua possit esse uni invincibilis quæ alteri est vincibilis et culpabilis, prudentiâ opus est confessario, ut ex qualitate personæ quæ confitetur, et ex aliis conjecturis perpendat, utrùm ignorantia in illâ sit vincibilis; tunc enim, etiamsi sit ignorantia facti, tenetur pœnitentem admonere. Cognoscet autem illam ignorantiam esse invincibilem, si pœnitens interrogatus, an credat se esse in bono statu, respondeat affirmativè, aut, an nihil sit quod conscientiam gravet, vel scrupulum moveat, respondeat nihil sibi occurrere. Ubi tamen benè monet Bonacina prudenter hoc faciendum esse, ne confessarius pœnitenti ingerat dubium aliquod malæ fidei, quando non sperat admonitionem profuturam. Not. 2° cum Pontazio ex Ludov. Bail. de Exam. confess. q. 45, monendum esse à confessario pœnitentem, qui laborat ignorantiâ invincibili, quando eum prævidet, brevi ab alio esse monendum, qui non ita prudenter moneret, sicut ipse poterit. Sed quæritur an, si in casu posito mulier sit ita actualiter affecta, ut nolit reddere debitum marito ob iram, indignationem, aut aliam causam injustam, supposito etiam, quòd confessarius non speret fructum admonitionis suæ de invaliditate matrimonii, an, inquam, tunc possit confessarius præcipere vel monere mulierem, ut reddat debitum? — Resp. cum Soto loco cit. ad 2, et Bonac. tr. de Matrim., quæst. 3, punct. ult., non posse; tum quia confessarius mentiretur

dicendo mulieri, illum, cui illa non vult reddere debitum, esse suum maritum; tum quia incitaret illam ad peccatum, id est, ad copulam quæ est intrinsecè mala, cùm non intercedat verum matrimonium propter impedimentum dirimens invincibiliter ignoratum. Quare in eo casu confessarius non poterit monere pœnitentem ut reddat, sed poterit in genere admonere ut firmiter proponat non offendere Deum in ullo casu, aut poterit dicere in genere conjuges teneri debitum reddere.

ARTICULUS V.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

§ 1. *An liceat agere contra scrupulos, et conscientiam scrupulosam.*

Nota quòd scrupulus frequenter quidem sit judicium aliquod imperfectum ad unam partem determinatum, ex inani aliquâ et frivolâ ratione, quâ quis inquietatur suspicans, vel timens ibi esse peccatum, ubi reverà non est, et propterea suspicio vel credulitas levis à doctoribus dicitur, omneque judicium ex levibus conjecturis animum inquietans scrupulus dicitur. Sæpè tamen vel non est, nisi quædam formido voluntatis, quâ timetur peccatum ubi non est, vel quædam eâ de re imaginatio, uti benè advertunt Lez. hîc disp. 12, q. 7, et post ipsum N. Henricus tom. 1, lib. 11, cap. 8; quapropter diligenter notanda est differentia inter conscientiam scrupulosam et scrupulum. « Conscientia enim scrupulosa (inquit Valer. « Regin. Praxi fori pœn. lib. 13, c. 1, n. 107) est, « quando judicium de agendo vel non agendo firmatum est in unam potiùs partem, quàm in alteram « oppositam. Scrupulus verò non est judicium, sed « potiùs apparentia et argumentum contra judicium. » Vel, ut ait Mart. Wigandt. in Tribun. tr. 2, procem. exam. 2, q. 1, resp. 2, conscientia scrupulosa, seu ex scrupulis formata, est tale judicium, quo quis levibus motivis inductus censet se hoc vel illud non posse facere, vel non fecisse : Scrupulus verò « non « est judicium rationis, sed solùm levis anxietas, et « molesta suspicio, conscientiam absque sufficiente « ratione perturbans et inquietans. » Et, ut inquit Joannes Niderus in lib. cui titulus *Consolatorium timoratæ conscientiæ* p. 3, c. 1 : « Scrupulus idem videtur esse, quod apud alios dicitur pusillanimitas, « quæ est tædiosa rerum adversarum iners, ac inconsiderata fracti animi dejectio. »

Ad efficiendum scrupulum tria potissimùm concurrunt, et primò quidem defectus rationabilis fundamenti, quod scrupulosus nequit discernere à legitimo : 2° Metus, quo quis sine causâ torquetur, ne incidat, vel inciderit in aliquod peccatum, aut aliquâ ratione desit, vel defuerit suo officio. Ex quibus tertiò consequitur agitatio, perturbatio, atque stimulus conscientiæ. Scrupulus actum ipsum, circa quem versatur, potest vel præcedere, vel subsequi, vel concomitari : unde potest esse scrupulus vel de præteritis, ut si quis angatur, an officium canonicum integrè vel debitè persolverit; vel de futuris, si nimirùm angatur de eo quod facere intendit, an non sit peccatum : vel de præsenti, ut si angatur de eo quod actu agit. Hoc notato, Dico 1° cum Wigandt l. c., q. 2, r. 1: non peccat, qui agit contra scrupulos cognitos ut tales; 2° imò aliquando est consilii; 3° aliquando præcepti est eos contemnere. Præsertim ubi accedit confessarii alteriusve probi ac prudentis viri judicium. Ratio primi puncti est : qui agit secundùm judicium moraliter certum de honestate suæ actionis non peccat : atqui ille qui agit contra scrupulos taliter adhuc operatur, quia scrupulus non tollit determinatum assensum de honestate actionis; nam scrupulus consistit in eo, v. g., quòd aliquis determinatè judicans se officium divinum ritè persolvisse, tamen formidat ex levi fundamento, an rectà intentione, vel an integrè illud persolverit, *illic* trepidans *timore, ubi non erat timor*. Ratio secundi puncti est : formidines infundatas corpori et animæ plurimùm nocivas expellere, saltem est consilii, sed hoc fit agendo contra scrupulos, quos quis judicat esse tales, uti constabit ex mox dicendis; ergo expedit illos expellere, idque vel maximè, quia usu contrario solet inanis timor et imaginatio superari. Ratio tertii puncti est : quisque tenetur, dùm commodè potest, vitare notabile corporis et animæ damnum, atqui fovendo scrupulos incurritur notabile corporis et animæ damnum, cùm scrupulosus ob vehementiam illarum inanium apprehensionum spiritus vitales atterentium, periculo amentiæ se exponat, ad proprium munus obeundum se inhabilem reddat, tædium et alienationem à bonis operibus experiatur, eaque negligat, et subinde contemnat, et denique à confessione et communione etiam præcepta ob passionis impetum se retrahat. Ergo qui scrupulorum pertinaciam aliter nequit vincere, tenetur ob hæc incommoda vitanda eos abigere conformando se conscientiæ certæ de honestate actûs, licet scrupuli moveant actu in contrarium. Addunt tamen NN. Salmant. Mor. sive N. Sebastianus à S. Joach. tom. 5, tr. 26, cap. 7, punct. 2, n. 12, ubi : « Attamen credo, inquit, plerùmque excusandos esse à « culpâ scrupulosos, qui abigere scrupulos non nimis « curant, quia impetus hujus spiritualis ægritudinis « adeò vehemens esse solet, ut discursum obnubilet, « et libertatem adimere aliquibus videatur; et sic cum « illis agendum est, tanquàm cum gravi morbo laborantibus. »

Obj. 1° pro scrupulosis. S. Gregorius ad Augustinum, Anglorum episcopum, uti refertur cap. 4, dist. 5, scribit : « Bonarum mentium esse ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. » Ergo monendus non est scrupulosus, ut scrupulos contemnat.—Resp. 1° : Quòd si intelligatur illa auctoritas de præteritis, uti intelligunt eam scrupulosi, qui peccata etiam non commissa confitentur, replicat illam S. Th. p. 3, q. 6, a. 4, ad 1, dicens : « Agnoscere culpam, ubi culpa non est, potest esse dupliciter. Uno modo, ut intelligatur « quantùm ad substantiam actûs, et sic non est vèrum; « non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se aliquem actum commisisse agnoscat,

« quem non commisit. Alio modo quantùm ad condi-
« tionem actûs, et sic verum est quod Gregorius dicit,
« quia justus in actu qui de se bonus videtur, formi-
« dat ne aliquis defectus ex parte suâ fuerit. Et sic
« dicitur Job. 19 : *Verebar omnia opera mea :* et ideò
« ad bonam mentem etiam pertinet, ut habeat formi-
« dinem, et quam corde tenet, lingua accuset. » — Resp. 2° cum Nidero l. c. cap. 16 : « Videndum, qua-
« tenùs sic agnoscatur culpa, ut non indiscretè im-
« pediatur operatio justa, » qualiter indiscretè ageret religiosus, qui ex nimiùm scrupulosâ præteritæ vitæ memoriâ perturbatus animo, se à sacrâ communione subduceret eo tempore, quo ex suarum constitutionum aut superioris præscripto communicandum foret.

Quòd si auctoritas illa extendatur ad futura, sive ad hîc et nunc agenda, — resp. 1° cum S. Th. et Gersone, τὸ *agnoscere* ibi non sumi propriè, sed impropriè pro *formidare*, prout formidabat Job dicens : *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.* Sed, ut notat Boudart, differt scrupulosus ab hujusmodi prudenter timorato, quòd hic ad omnia sua opera attendat, in quantùm prudentiæ ratio postulat; scrupulosus verò prudentiæ metas transgrediatur, ac proinde, quamvis conscientiæ teneritudo bona sit, tamen in hoc deficit scrupulosus, quòd eâ imprudenter abutatur. — Resp. 2° cum Navar.: Quòd *illic culpam agnoscere, ubi culpa non est,* sit quidem signum animi ad bonum propensi, per se tamen bonum non esse, sed scientiæ atque judicii defectum. — Resp. 3° S. Gregorium ibidem non loqui de culpâ peccati propriè dictâ, sed de miseriâ, seu infirmitate humanâ, quæ ortum ducit ex peccato maximè originali; sed peccatum non est, quam quisque in se agnoscit, et ratione cujus salutari pudore suffundi potest. Quærebat enim Augustinus, Anglorum episcopus, inter cæteras quæstiones, quas à S. Gregorio petebat resolvi quæst. 10, an mulier, dùm menstruata est, ad sacram synaxim possit accedere? Respondet S. Greg.: « Si ex veneratione magnâ percipere non præsumit,
« laudanda est, sed si percipiat, non judicanda. Bona-
« rum enim mentium est, etc., quia sæpè sine culpâ agi-
« tur, quod venit ex culpâ; unde etiam cùm esurimus,
« sine culpâ comedimus quibus ex culpâ primi ho-
« minis factum est ut esuriamus. »

Obj. 2° nomine scrupulosorum. Periculosissimum est in eo statu vivere, in quo quis non auderet mori; sed si essem morti proximus, nollem agere contra scrupulum etc. Ergo. — Resp. cum Sanch. l. 1 in Decal., cap. 10 : Neg. min., quia etiam in mortis articulo consultius est scrupulosis, ut scrupulos contemnant, de quo eos non arguet justus judex. Addit Sylv. v. *Scrupulus*, q. 2, quòd in articulo mortis multa faceret homo, quæ non essent necessaria, nec expediret ea facere in totâ vitâ, quia cogerent infatuari vel desperare, nisi scilicet obtemperaretur præscripto pii ac prudentis directoris.

Dico 2° : Non licet agere contra conscientiam scrupulosam, eâ manente, seu non explosâ. Prob. 1° ex cap. *Inquisitioni* de Sent. excom. ubi : « Ad sui pa-
« storis consilium conscientia levis et temerariæ cre-
« dulitatis explosa licitè potest, etc. » ubi observandum est verbum *explosa :* quo clarè innuitur (ait Fagn. ad cap. *Ne innitaris* de Const. n. 96), quòd habens conscientiam ex credulitate levi seu scrupulosâ, de nullitate matrimonii, minimè possit absque peccato debitum exigere, nisi priùs conscientiam illam explodat, id est, deponat. Prob. 2° ex cap. *Per tuas* 35, de Simoniâ, ubi deciditur esse peccatum, operari contra conscientiam scrupulosam, nisi priùs deponatur. De religioso namque carthusiensi ordinato ab episcopo, quem simoniacum esse, ei fuerat renuntiatum, et propterea formidante ad diaconatûs ordinem ab eo promoveri, et functiones subdiaconatûs, ad quem promotus erat, exercere, ita scribit Innoc. III, respondens Carthusianorum priori : « Respondemus, ut in
« ordine suscepto securè ministret; sed contra con-
« scientiam ad superiores ordines non ascendat, ne
« fortè ædificet ad gehennam; sicut ex eo, quòd con-
« scientiam habuerit nimis scrupulosam, in difficul-
« tatem hujusmodi sit collapsus, quam utique non
« evadet, nisi deponat errorem, » seu conscientiam erroneam. Prob. 3° ratione, vel enim scrupulosus advertit scrupulos suos esse leves, temerarios et infundatos, vel non advertit. Si non advertit, et nihilominùs judicium determinatum sibi format de malitiâ actûs, haud magis agere potest contra conscientiam scrupulosam non depositam, quàm contra erroneam non depositam : quamdiù enim judicium scrupulosum apprehenditur ut fundatum, non differt ab erroneo, nisi per anxietatem et inquietudinem quam causat in animâ; si advertit, illique solùm permaneant in imaginatione, vel apprehensione, non in judicio, iis non credit, sed fidem seu assensum negat, tanquàm assensu indignis et irrationabilibus terriculamentis, sicque licitè contra eos agit.

Ex quibus facilè conciliari possunt, quæ videntur contrariæ auctorum opiniones : illi enim qui dicunt, quòd liceat agere contra conscientiam scrupulosam, per conscientiam scrupulosam nil aliud intelligunt, nisi levem suspicionem de malitiâ actûs, quæ licet aliqualiter obnubilet judicium determinatum de honestate actûs, illud tamen non explodit; qui verò sustinent quòd illicitum sit agere contra conscientiam scrupulosam de malitiâ actûs, per conscientiam scrupulosam intelligunt judicium determinatum de actionis malitiâ, contra quod, antequàm deponatur, non esse permissum agere fatentur et ipsi primæ opinionis auctores, prout clarè se explicat N. Sebast., qui postquàm loco cit. n. 10, affirmat licitum esse operari contra conscientiam scrupulosam, et eâ non depositâ, n. 11, in fine notandum monet, quòd scrupulus converti soleat in judicium erroneum determinatum, et tunc, si sit vincibile, est illicitum eo non deposito operari; at si invincibile est, poterit licitè cum illo operari, ut supra diximus de conscientiâ invincibili, erroneâ, perplexâ.

§ 2. *Ex quibus cognoscere valeat animarum director, quòd pœnitens suus sit scrupulosus.*

Cùm, uti diximus, scrupulus converti soleat in conscientiam erroneam, distinguenda est duplex conscientia erronea cum Nidero in suo Consolat. 3, p. cap. 1, circa finem. Primò eorum qui nimis latam habent conscientiam, dicentes illud quod malum est esse bonum, et bonum vice versâ malum, de quibus Isaias cap. 5, ait : Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Ponentes amarum dulce, et dulce amarum. Tales, inquit Niderus, sunt similes illi qui transire volens lignum transversum super ripam positum, ut latius iter appareat, berillos oculis superponit, sicque latitudinem fictam pede calcare volens, in aquam cadit. Alia proinde conscientia erronea est illorum qui nimis arctam sibi formant conscientiam, aut scrupulos nimios : sicut Machabæi putantes se transgredi præceptum de sanctificatione Sabbati, committendo bellum in necessitate in die Sabbati, et mortui sunt mille homines à gentibus occisi, 1 Machab. 2. « Tales sunt « frequenter illi (inquit laudatus auctor antiquus) qui « de novo ad Deum sunt conversi de peccatis ; similes « illis qui per pontem satis latum habent ire. » *Jugum enim Domini suave est, et onus ejus leve*, Matth. 20, et Psalm. : *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et latum mandatum tuum nimis.* « Quem tamen « pontem mandatorum Dei magus aliquis ad parvitatem similitudinis fili aut calami apparere facit : qua« lis magus est diabolus, qui hoc moraliter quibusdam « solet facere, præsertim quando viam morum per « purius medium respiciunt, scilicet stantibus eis in « tali proposito, et puritate, quo nec pro toto mun« do, nec pro vitâ suâ Deum vellent offendere. » Hæc Niderus.

Unde ad benè dignoscendum quis sit scrupulosus, juvat expendere discrimen inter laxum et scrupulosum; laxus itaque est primò, qui contemnit, et absque scrupulo perpetrat ea quæ alii communiter dicunt esse peccata. E contra scrupulosus, qui in rebus certis frequenter hallucinatur, et inquietatur ex levibus conjecturis peccati suspicionem aut formidinem frequenter concipiendo, ubi docti et timorati nullam peccati speciem agnoscunt. Laxus est secundò, qui varios adit casuistas, donec inveniat qui lucro temporali, libertati, vel cupiditati favens responsum det, sicque securè operatur. E contra scrupulosus, qui post consilium à viris doctis petitum, equidem iisdem quibus antea discinditur mentis anxietatibus, ac licet consilium sibi datum sequatur, eodem tamen metu agitatur, ne fortè in eo aliquod peccatum committat. Tertiò laxus est, qui proprio confisus judicio procedere solet, nemine consulto. E contra scrupulosus est, qui super virorum doctorum, quos consulit, resolutionibus nimiùm reflectit, iisque nescit acquiscere, quamvis eos credat esse omni exceptione majores. Quartò laxus est, qui absque consideratione et præcipitanter agit quidlibet. E contra scrupulosus circa actus suos nimiùm solet reflectere, et esse anxius, an sibi liceat quod aliis licere judicat, vel quod ab aliis timoratis absque formidine practicatur. Quintò laxus est, qui in probabilismo, velut in pulvino molliter quiescens, eo ipso se securum existimat, quòd in praxi secutus sit opinionem faventem libertati, quam tenet aliquis auctor contra communem, quem ipse operans virum probum et doctum existimat. E contra scrupulosus est, qui postquàm ex opinione evidenter probabiliore, aut moraliter certâ, conscientiam sibi ethicè certam formavit, nihilominùs veretur, ne aliquod sibi in operando peccatum contigerit. Sextò laxus est, qui in examine conscientiæ et confessione parùm vel nihil sollicitus est de investigandis et exprimendis specie et numero peccatorum. E contra scrupulosus est, qui leves aliquas culpas veniales pro consueto suo more confitetur tanquàm horrenda peccata, quanquàm rem non ita se habere fuerit à confessario sæpiùs admonitus. Septimò laxus est, qui præscriptas preces velociter vel vagè deproperat, sine causâ interrumpit, inter orandum circumspicit, vel fabulatur, etc. E contra scrupulosus est, qui ex levibus apparentiis judicium frequenter mutat, v. g., circa lectum, vel non lectum aliquem versiculum vel Psalmum, frequenter et anxiè subsistit pro habendâ intentione, eademque sæpiùs repetit, et sic de aliis materiis.

Quæritur an quispiam, qui meticulosæ est conscientiæ, semetipsum judicare possit scrupulosum. — Resp. neminem meticulosum suo circa hoc judicio posse confidere, tametsi aliàs sit vir doctus, sed debere hoc judicium relinquere probo, prudenti, ac docto directori, vel confessario, qui in dirigendis conscientiis experientiam habeat. Ratio est 1° quia cùm tales meticulosi per continuas anxietates turbatum habeant cerebrum, minùs rectè judicare possunt, maximè in rebus propriis, in quibus homines plerùmque cœcutiunt. 2° Quia scrupulosus rarò vel nunquàm se credit scrupulosum, si proprio judicio stet, nec levia credit indicia et conjecturas, quibus inquietatur, aliàs non sineret se iis inquietari. Imò, ut addit N. Henr. lib. 11, cap. 8, n. 48, frequenter accidit nonnullos (sive ex directoris monitione, sive ex propriâ monitione experientiâ convictos) agnoscere se habitualiter scrupulosos, in singularibus tamen actibus, ubi hîc et nunc operandum est, non credere esse scrupulum, vel vanum timorem, quo inquietantur. Ipsis proinde faciliùs est alienos, quàm proprios scrupulos discernere; unde potiùs debent credere alteri, cui conscientiam suam, modumque operandi sincerè aperuerunt.

§ 3. *De causis conscientiæ scrupulosæ.*

Causæ conscientiæ scrupulosæ se tenent, vel ex parte hominis, vel ex parte Dei, vel ex parte diaboli. Prima causa se tenens ex parte hominis est complexio ad timorem idonea. Experimur enim, inquit Nider. p. 3, cap. 4, frequenter frigidæ complexionis homines, ut putà fœminas, vetulas, et malancholicos plurimùm esse timoratos. « In mulieribus (inquit Albertus « Magnus in 4 sent. dist. 30) est multùm timida com-

« plexio propter debile calidum, et vincens humidum. « In quo citò perfundantur terribilia; et calidum debile « non sufficit calefacere cor et sanguinem. » Cujus rationem reddit S. Th. apud Nid. l. c. : « Quia secundùm Damascenum timor naturaliter cor constringit, « sicut et frigida constringunt, et congelationem faciunt : ad quem motum contractionis imaginatio « movetur ad timoris dispositionem, ita ut concipiat « quis aliquod esse futurum malum, et per consequens « fugiendum. » Secunda causa, uti docent S. Anton. et Nid., est aliquando ægritudo maniaca et melancholica, quia quemadmodùm complexionis defectus timorem augere potest scrupulosæ conscientiæ, sic pariformiter infirmitas aliqua capitis, præsertim mania vel melancholia : per quas quandoque læditur imaginatio, quandoque ratio, quandoque memoria, ut tradunt Galienus et Avicenna. « Est enim, ut inquiunt, mania « infectio anterioris cellæ capitis, cum diminutione « imaginationis : sed melancholia est infectio mediæ « cellæ cum diminutione rationis. » Tertia causa ex parte hominis est « regiminis corporalis negligentia, « scilicet per nimiam abstinentiam, vigilias, et ejus« modi, » uti docet S. Anton. p. 1 Summæ, tit. 3, cap. 10, § 9; rationem hujus dat N. Sebaldus parte 1 Quæstionum moralium, cap. 2, § 5, n. 139; quia scilicet per nimias vigilias exsiccantur in cerebro alacriores sanguinis spiritus, et relinquuntur solùm fæces grossiores; per nimium jejunium verò in corpus inducitur frigus, et cerebrum spiritibus vitalibus destituitur; et sic homo fit debilis judicii. Quarta causa est nimia cum scrupulosis familiaritas et conversatio. Nam unus timidus et scrupulosus alium facit scrupulosum in cujus figurâ bellaturis Israelitis sic Deus exercitui proclamare jussit : *Quis est homo formidolosus et corde pavidus, vadat et revertatur in domum suam, ne faciat pavere cor fratrum suorum, sicut ille perterritus est timore.* Sic etiam Gedeoni præliaturo Dominus ait : *Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica : et qui formidolosus est et timidus, revertatur.* Ubi Glossa : *Formidolosus est, qui adolescentis vitio, antequàm videat mala, solâ cogitatione terretur, gelidam per membra formidinem volvens, ut non tam conspectu malorum, quàm auditu et exspectatione solvatur.* Imò juxta litteram formidolosus corde dicitur, in corde enim et in interioribus animi defixum est hoc vitium. Quinta demùm causa se tenens ex parte scrupulosi, est lectio quorumdam librorum, qui in certis materiis aut ejus captum superant, aut eum horrore perfundunt. Quales sunt quidam Scripturæ libri, uti et libri qui de gratiâ et prædestinatione tractant, vel etiam tractantes de conscientiæ casibus, conscripti à severæ nimiùm moralis buccinatoribus. Sexta scrupulorum causa est aliquando Deus, qui aut in præteritorum peccatorum pœnam, aut ad magis elaborandam justorum coronam scrupulos solet ingerere. « Causatur « et aliquando scrupulus ex tentatione diabolicâ, ait « iterùm S. Antoninus cit. § 9; potest enim diabolus, « Deo permittente, movere melancholicos humores « in homine, per quos imaginatio vel errare potest, « aut turbari ad timorem inordinatum. Unde et Avicenna dicit, quod quibusdam medicis visum est, « quòd melancholia contingat à dæmonio : » quod, qualiter diabolus perficiat, eleganter explicat Pontazius in suo Dictionario, v. *Scrupulus*, cas. 1, ubi : « Tertia denique causa, inquit, sæpè sæpiùs est diabolus, « qui nihil non tentat, et quàquâ ratione agit, ut timidiores animas inducat ad peccandum, aut conscientiæ quiete saltem defraudet, et quod bonum operantur, ipse aliquâ labe imperfectionis inficiat; aut « iisdem denique desperationem salutis afferat : atque « in eo feliciter aliquando procedit, movendo jactandoque melancholicos humores, ac species imaginationis, et imbecilli intellectui speciem rebus inductam omninò contrariam offerendo; unde timidior « animæ metus incutitur ex horribili nimiùm illâ cogitatione, quam ei injicit propria imaginatio, et videtur ei ex eâdem grande nimis accessisse peccatum, quoniam non novit ex æquo metiri plurimam « illam distantiam, quâ dirimuntur et consensus et « simplex cogitatio; atque ex ignorantiâ utrumque « habuit promiscuum animum inducendo, eo ipsó « quo ei cogitationis aliquid perversæ vis imaginandi « expressit, eidem consensum et culpâ suâ superve« nisse, quanquàm reipsà toto in pectore, omnique « ope atque operâ eam abhorruerit. »

### § 4. *De remediis contra conscientiam scrupulosam.*

Uti prudens medicus corporalis, antequàm infirmo medicinam præscribat, causas morbi omni studio investigat, ita spiritualis animæ medicus, antequàm scrupuloso remedia adhibeat, naturam morbi et causas considerat. Si itaque scrupuli oriantur vel ex complexione ad timorem aptâ, vel ex maniâ et melancholiâ, magis indiget, ut ait D. Hieronymus in Epistolâ ad Rust., remediis Hippocratis et Galeni, quàm theologorum consiliis. Si à scrupulosorum societate, seu ab eorum doctrinâ incautâ, *cavendum est* (inquit Nid. l. c, cap. 6), *pro tanto ab eis, velut ab errantibus in hoc*, sequendumque Senecæ monitum in quâdam epistolâ : « Cum « his conversare, qui te meliorem facturi sunt. Illos « admitte, quos tu poteris facere meliores. » Si à regiminis corporalis negligentiâ, puta ex inordinatis vigiliis, jejunio, studio, sollicitudine, seu solitudine, ac cogitatione profundâ, hæc non minùs auferenda sunt ab eis qui talia irrationabiliter exercent. Volunt hoc, inquit Nider, cap. 5, verba discretissimi et abstinentissimi Hieronymi, quibus sic dicit : « Non mediocriter « errat, qui magno bono præfert mediocre bonum. « Nonne rationalis homo perdit dignitatem suam qui « vel jejunium charitati, aut vigilias profert sensûs integritati, quando per immoderatam abstinentiam aut « indiscretam psalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ aut tristitiæ, id est, melancholiæ, quæ tristitiam inducit, incurrit notam? Audiant « itaque, qui necessaria quoque corpori subtrahunt, « illud quod per prophetam Dominus loquitur : *Ego « Dominus odiens rapinam in holocausto.* De rapinâ « holocaustum offerunt, qui vel temporalium bonorum,

« sive ciborum nimiâ egestate corpus suum affligunt. » Si à sacrarum Scripturarum lectione proveniant scrupuli, confessarius scrupulosum moneat verbis S. Hier. in Epist. ad Paul., ubi : « Intellige, inquit, te in sacris « Scripturis sine prævio et monstrante semitam non « posse ingredi. » Ipse verò circa lectionem sacræ Scripturæ pœnitentibus permittendam attendat ad ea quæ sapientissimè statuit regula quarta, quam ex mandato concilii Tridentini concinnârunt deputati diversarum nationum episcopi : « In hâc parte standum « judicio episcopi, ut cum consilio parochi vel confes- « sarii sacra Bibliorum lectio eis solùm concedatur, « quos intellexerint ex hujusmodi lectione non dam- « num, sed fidei atque pietatis augmentum capere « posse. » Si à librorum lectione de gratiâ et prædestinatione tractantium (quâ quidem in materiâ videantur scrupuloso parùm docto, nimisque timido plurima quasi præter modum rigidiora, atque ab ipsâ doctrinâ tum Jesu Christi, tum ipsius Ecclesiæ prorsùs aliena) moneatur pœnitens, ut cum humili confidentiâ per bona opera vocationem suam certam facere satagat, non nimis altè velit sapere, sed sapere ad sobrietatem neque velit cum salutis suæ periculo nimiùm perscrutari ea quæ doctissimorum etiam mirum in modum torquent ingenia. Si à doctrinâ nimis rigidâ, vel consilio eorum qui judicant, se magis discretè procedere, ac animabus benè consulere, si magis rigorosam opinionem suis pœnitentibus, ac iis qui se consulunt, persuadeant; si, inquam, ex hoc capite profluant scrupuli, confessarius scrupulosum minùs doctum, qui in legendis casibus se vi muneris occupat, instruat, quòd quidem in moralibus diligenter inquirenda sit veritas, utraque tamen vitanda sit extremitas, nimius scilicet rigor et laxitas, cùm nimius rigor non minùs quàm laxitas periculum contineat : cavenda igitur doctrina nimis laxa, cavenda etiam nimis stricta, excessus enim et defectus vitii est, mediocritas virtutis. Aliis verò scrupulosis, qui ex occultâ quâdam superbiâ sæpè ad resolvendos conscientiæ casus absque instructione aliorum se capaces arbitrantur, solos casuum conscientiæ libros pervolvendo, ac ita si in rigidiorum quorumdam lucubrationes incidant, infinitis propemodum scrupulis obruuntur; illis, inquam, suadendum, ut relictis casuum libris unius confessarii spiritualis et docti (de quo infra) directioni humiliter, promptè et cæcè se submittant.

Si ex divinâ dispositione ingerantur scrupuli, doceat confessarius scrupulosos (uti piè ac eruditè docet N. Hen. tom. 1, lib. 11, c. 8, n. 69), ut animi sui molestias anxietatesque cum submissâ resignatione patiendo, ac de manu Domini acceptando, in virtutis materiam eas convertant, humiliter confidentes se indignos internis illis pacati animi consolationibus, quibus fruuntur puriores fidelioresque animæ, filialem nihilominùs fiduciam concipientes, quòd per Dei misericordiam redibit aliquando post nubila phœbus, implebitque mensurâ panis lacrymarum, optata conscientiæ quies et serenitas à Domino restituetur, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum; *qui et cibat nos pane lacrymarum, et potum dat nobis in lacrymis in mensurâ;* interim cum pientissimo Thomâ à Kempis lib. de Imit. Christi dicendo : « Si me digneris consolari, sis bene « dictus, et si me vis tribulari, sis æquè benedictus. »

Si demùm scrupulus oriatur ex tentatione diabolicâ, succurrendum est per devotam orationem et per sollicitam cautelam, ne complexio, aut naturalis corporis morbus dæmoni cedat in instrumentum tentandi. Nam, ut advertit S. Isid. lib. 3 de summo Bono, « diabolus, quando quempiam decipere quæ- « rit, priùs, naturam uniuscujusque attendit, et inde « applicat, unde aptum hominem ad peccandum in- « spexerit. » Vel, ut ait S. Greg. lib. 29 Moral., « vi- « cinas complexionibus deceptiones parat. Quorum « enim lætitiæ voluptas insita, lætis moribus luxu- « riam propinat : et quia tristitia in iram facilè labi- « tur, tristibus poculum discordiæ porrigit. Et quia « timidi supplicia formidant, paventibus terrores in- « tentat; et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos, « ad quodcumque voluerint, blandis favoribus trahit. » Ob hoc etiam Phil. 2 Eth., inter regulas quas pro virtutum insertione statuit, conari jubet, ut quisque contra illud vitium vigorosiùs pugnet, ad quod se plus, aut complexione aut consuetudine titubari experitur. Quòd autem dæmonem debilitet oratio, perspicua est SS. PP. omniumque mysticorum sententia. Oratio siquidem est Augustino animæ sanctæ præsidium, angelo sancto solatium, diabolo supplicium, Deo gratum obsequium, etc. Hæc virtus orationis est, quæ Matth. 25 facta pro Chananææ filiâ dæmonium ab eâ expulit. Præcipuum autem, imò unicum, quod requiritur, et sufficit ad evellendos scrupulos remedium est obedientia humilis, prompta et cæca erga animæ suæ directorem spiritualem et doctum. Dixi erga directorem animæ spiritualem et doctum, quia talis esse debet spiritualis Pater, uti eruditè exponunt NN. Salmant. Mor., sive N. Sebast. tract. 20, cap. 7, punct. 1, n. 4, qui enim spiritui accuratè non student, spiritu Dei non aguntur, nec spirituales filios generant, sed potiùs prioribus suæ ignorantiæ desideriis configurant; conjungat etiam spiritualis Pater cum spiritu sapientiam, ut sit in doctrinâ verax, et viam Dei in veritate doceat; confessarii enim vix limina sapientiæ salutantes, ait seraphica S. Theresia, multùm animæ obsunt. Requirat ergo scrupulosus rectorem conscientiæ spiritualem et doctum, et huic unicè fidem præstet, et vocem ejus audiat : non cursitet diversos medicos, quia, experientiâ teste, multiplicitas medicorum occidit infirmos; non adeat varios casuistas, donec inveniat qui ad libitum respondeat, proferatque ex probabilismi thesauro sententias cupiditatibus suis congruentes, non verò conscientiæ scrupulis oppositas; sed quærat talem animæ suæ rectorem, ut magistrum suum Christum in omnibus redoleat et imitetur. Hæc Sebast., quibus addo talem confessarium eligendum, qui meminerit se judicis et medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul et misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse; partes igitur

judicis partibus medici obtemperet. Unde sicut à directione conscientiæ scrupulosæ arcendi sunt laxitatum patroni, ita et nimii rigoris fautores, quia hi, unde putant peccatis ponere majus obstaculum, inde vehementiùs ministrant incentivum, redduntque conscientias magis adhuc timidas, inconstantes, pusillanimes, frequentiùs quàm ante, de peccato in peccatum ruentes, imò, quod caput est, tot ac tantas causant angustias, ut tandem cerebro magis turbato vel vacuo in deliria ac fatuitates scrupulosos deducant, adeòque sine fine confitentes frangunt capita confessariorum, ac sæpè ab omni opere amoris ac aliarum virtutum impediuntur.

Quisquis igitur ad dirigendam conscientiam scrupulosi eligitur, ac ad id munus cum fructu obeundum sese idoneum existimat, postquàm ad instar prudentis medici scrupulorum causas examinaverit, inculcet scrupuloso absolutam necessitatem obediendi omnimodè et cæcè directioni sui confessarii vel prælati in omnibus iis quæ certè et manifestè divinæ legi non repugnant; siquidem hoc unicum, sufficiens, necessarium, ac ita efficax remedium est, ut sine eo alia non sint profutura. Ideòque si scrupulosus id præstare renuat, dimitti debet tanquàm incurabilis, cùm hoc solo remedio curari debeat; ut autem hanc ei necessitatem inculcet, sequentia proponat motiva : 1° Quòd scrupulosus in statu scrupulositatis non sit idoneus, qui, seipsum dirigat, cùm mentis oculos habeat obnubilatos, ac levi de causâ frequenter pertubetur. 2° Quòd, in quantum scrupulosus, sit quodammodò fatuus et cerebro læsus. 3° Quòd sicut qui corporis medicum non sequitur, se mortis periculo committit, sic qui scrupulosus est, si discretum ac sapientem directorem vel prælatum non sequitur, se discrimini multorum peccatorum trahere non ambigitur. 4° Quòd sibi præ cæteris, utpote in mente tenebris obvoluto et cerebro læso specialiter dictum credere debeat. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, et ne sis sapiens apud temetipsum*, Prov. 3. Propriæ prudentiæ innititur, qui ejus, quem providentia Dei sibi proposuit pastorem, confessarium, vel aliàs directorem decretis quæ sibi agenda sunt vel omittenda, proprium judicium præponit. 5° Quòd manifestum superbi animi sit indicium, neglecto spiritualis et docti directoris judicio, proprium, quasi quoddam suum idolum adorare. Ideòque Tob. 4 dicitur : *Consilium semper à sapiente require.* 6° In S. Bernardi legendâ refertur, quòd inter ejusdem sancti discipulos erat quidam tantis inquietatus scrupulis, ut ad celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei S. Bern. postquàm, ista percepit : *Vade, frater, et in fide meâ celebres*, obedierit discipulus, et scrupulus ille omnis perpetuò discessit. 7° Quòd, docente eodem S. Bernardo, lib. de Præc. et Disp., cap. 12 : « Quidquid vice Dei præcipit homo, quod « non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs « omninò accipiendum est, ac si Deus præciperet. » Quare, non obstantibus rationibus in contrarium occurrentibus, et quidquid reclamet conscientia in contrarium, scrupulosus tutè se submittit judicio seu directoris vel superioris, quamvis hunc errare contingeret; faciendo enim quod est in se, et quod ab ipso Deus exigit, certum est quòd contra conscientiam non peccet, quamvis fortè materialiter peccet contra legem. De quo vide dicenda infra de conscien. prob. § 11, sect. 4.

2° Sive regula secunda, desumpta ex Rossel in tract. seu praxi depon. consci. Dub. et Scrup. Præf. ad lectorem, scrupulosum est, ut director scrupuloso pro viribus persuadeat, illum esse verè scrupulosum, ubi enim convictus fuerit scrupulosus, animi sui anxietates meros esse scrupulos; præscripta remedia faciliùs ac lubentiùs admittet, eo planè modo, quo infirmus persuasus mortis sibi periculum imminere, lubens acquiescit medicorum consiliis. E contra verò, si sibi persuadeat scrupulosus rationem anxietatis suæ esse fundatam, parvipendet confessarii consilia. Cognoscet autem se esse scrupulosum ex iis quæ § 2 attuli. 3° Sive regula tertia juxta diversam scrupulosorum causam, diversa suggerat media conformiter ad hoc §. Regulæ quartæ loco deserviat monitum Sylvii, quo suadetur, ut parci sint scrupulosi in meditandis et cogitandis illis quæ tristitiam causare, vel augere possunt, et propterea terroribus mortis, inferni, vel extremi judicii cogitandis non indulgeant, nisi juxta præscriptum illorum qui periti sunt, et qualitatem ipsorum benè nôrunt; magis autem ad Deum corde hilari laudandum se excitent, cœlestiaque gaudia justis promissa sæpiùs recogitent. Regula quinta dùm aliquis est vehementer scrupulosus, in ipsius directione utatur director epikeiâ seu discretâ legum vel præceptorum interpretatione vel declaratione. Æquitas enim (quam nominat philosophus epikeiam ) præponderat juris rigore, ut inquiunt jurisperiti. Est autem æquitas justitia, pensatis omnibus circumstantiis particularibus, dulcore misericordiæ temperata, inquit Nid. l. c, cap. 20. Est igitur epikeiæ virtutis considerare non nudum præceptum, sed circumstantias omnes particulariter ipsum vestientes. Esto enim, ut dicit Joannes de Lambaco lib. 14 de Consolatione theologiæ, citatus à Nidero l. c, quòd in foro causarum interpretatio non sufficiat, nisi quæ fieret à principe, vel à legislatore : benè tamen sufficit virtus epikeiæ in foro conscientiæ non solùm circa præcepta humana, sed etiam circa præcepta divina, et tantò magis circa divina, quantò Deus rationabilior est, magisque benignus, quàm quicumque alius legislator. Unde per virtutem epikeiæ quintuplicem doctrinam conscientiæ vehementer scrupulosæ admodùm proficuam colligere possumus. Prima est, quòd inter duram et benignam circa præcepta sententiam, pro benignâ est potiùs cæteris paribus interpretatio facienda. Cujus ratio est ex Gersone : « Quòd præcepta Dei non sunt ad tollendam omnem « spiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando « quis nimis scrupulosè et timidè præcepta interpre- « tatur. » Quæ autem dicenda sit sententia benigna, vide infr. de conscien. prob. § 11, sect. 7. Secunda doctrina secundùm virtutem epikeiæ est, quòd nec Deus, nec Ecclesia intendit per sua præcepta obligare

ad vix possibile. Ratio ex D. Th. in 4, dist. 17, est, quia præcepta juris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis; quæ est finis præcepti; hæc autem est charitas, cui vel maximè in lege novâ, quæ est perfectæ libertatis, contrariatur præceptum obligans ad impossibile, vel vix possibile, seu nimiam habens difficultatem. Tertia doctrina est : nec Deus nec Ecclesia intendit suis præceptis aliquem obligare ad hoc, quòd sit fatuus, id est, talia præcepta loco et tempore non obligant quemlibet, ubi eorum observantia foret ridiculosa, saltem apud discretos et bonos viros. Ratio est, quia, ut supra dixi, finis præceptorum est charitas, sed, *quod ex charitate statutum est, non debet contra charitatem militare*, ut ait S. Bern. lib. de Præc. et Dispens.; militarent autem præcepta Ecclesiæ contra charitatem, si obligarent ad suî observantiam in casibus quibus ea observando fatuum aliquem judicarent observantem viri boni et discreti, ac deriderent. Quarta doctrina est, quòd in dubiis bonorum vita debet aliis esse vivendi regula. Ratio est, quia tales ex virtute epikeiæ præsumi debent habere rectum judicium, de quo vide dicenda infra cit. sect. 7. Quinta doctrina est, in his quæ solùm sunt mala quia prohibita multùm excusat, vel in toto, vel in tanto consuetudo. Ratio est, quia sicut epikeia est moderativa et interpretativa legum, sic et consuetudo est optima legum interpres, si de positivis legibus sermo fiat. Plura alia contra scrupulos remedia adferunt Rossel, Lacroix et N. Sebaldus. Verùm puto quòd ea quæ toto hoc articulo diximus, et ad casus particulares infra proponemus, sufficiant et confessariis et omni scrupuloso ad tollendam hanc morbi speciem.

Quæritur an licitum sit deponere conscientiam scrupulosam per usum opinionis minùs probabilis. — Respond. cum N. Sebast. l. c., punct. 2, n. 13, ubi hæc habet formalia : « Quòd resolutio hujus difficultatis dependet ab illâ quæstione, an liceat sequi opinionem minùs probabilem in concursu æquè probabilis, seu probabilioris? Si ergo affirmativam partem teneas, ut docent gravissimi doctores, poteris deponere scrupulum per usum opinionis minùs probabilis; si verò negativam sequaris, negativè etiam quæstioni præsenti respondere teneris, cùm usus opinionis probabilis juxta hanc gravissimam sententiam, quam defendunt non minùs classici doctores, sit illicitus et peccaminosus. » Hoc ille, unde conformiter ad dicenda de conscientiâ probabili cum S. Antonino et Nidero ( quorum verba ad longum infra referemus ) dico, quòd inter duas opiniones sibi oppositas possit scrupulosus sequi opinionem probabilem, « dummodò ex contrarietate opinionum non inducatur quis ad dubitandum : sed bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliore parte. » Ratio quam adducit Nid. ex Monaldo in prologo Summæ suæ breviter est; quia « non generatur aliquod præjudicium erga veritatis sententiam, cùm inter diversas opiniones à magistris, et approbatis doctoribus scriptis authenticis annotatas; illam opinionem quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. »

Casus 1 : Philippina mulier eximiæ pietatis, sed vehementer scrupulosa, nonnunquàm cogitationibus blasphemiæ, odii erga Deum, vel fornicationis, ita divexatur, ut vix sciat quid agat, imò quoad partem inferiorem superare non potest; hinc dubitat, an similibus cogitationibus aut tentationibus præbuerit consensum; quid hìc censendum confessario, et quæ ei præscribenda remedia? — Resp. Si Philippina antecedenter, concomitanter et consequenter, sive post habitos similes motus, vel postquàm tentatio evanuerit, horrorem, tristitiam et aversionem à peccato blasphemiæ, motibus carnis, etc., habuerit, signum est, eam non consensisse, saltem perfectè, imò potiùs totum in imaginatione peractum, absque rationis deliberatione, et consensu voluntatis, adeòque Philippinæ nihil prorsùs accedere peccati ex horrendis illis cogitationibus, quibus invita mens illius agitatur, modò easdem detestetur, uti detestari reipsâ supponitur. Ratio est primò, quia consensus, sine quo non potest nocere sensus, pendet ab arbitrio voluntatis, non ab impetu imaginationis, quæ cæca quædam est facultas, nullo libertatis saltem perfectæ arbitrio flecti possibilis; secundò, quia cùm Philippina supponatur esse timoratæ conscientiæ, ac ita horrens mortale peccatum, ut illud rarò vel nunquàm admittat, animoque ita affecta sit, ut mori mallet, quàm illud plenâ libertate admittere, in dubio de consensu, à communiter accidentibus judicari debet, eam consensum non dedisse : nam in dubiis fortissima præsumptio desumitur ab assuetis. Sedulò quoque advertendum monet Neesen prudenti confessario circa animas pias, quæ nonnunquàm interiùs patiuntur internas collocutiones, quibus sibi videntur interiùs de consensu respondere, quæ in imaginativâ à spiritu melancholico aut dæmone aliquando excitantur, quòd scilicet similes collocutiones vel consensus non efformentur ab ipsis voluntariè et perfectè, sed fieri in phantasiâ seu imaginativâ; v. g., inveniuntur complures animæ agitatæ spiritu blasphemiæ, crudelitatis, vel fornicationis, quibus continua quasi colloquia interiùs in phantasiâ excitantur, et sibi ipsis interiùs videntur respondere : *Deus est injustus : ita. Occidas te : ego faciam.* Et ad aspectum alicujus viri vel feminæ : *Velles peccare cum illo vel illâ :* et respondet sibi imaginativa, *ita.* In his et similibus prudens confessarius, attentâ animæ timoratæ conscientiâ, judicare debet, non intervenisse deliberatum consensum.

Quod autem concernit remedium in præsenti Philippinæ præscribendum, putem nullum esse salubrius, quàm contemptum perversarum cogitationum, quando iis se sentit agitatam; atque diligens ab animo suo exclusio idearum, ex quibus oriri possunt cogitationes perversæ. Remedium hoc præscribit Gerson tract. de diversis Tentationibus diaboli, ubi : « Frequenter autem, inquit, hæ impiæ cogitationes meliùs vincuntur, si eas nihil pendimus, vel curamus, sed in aliis rebus occupamus animum, quàm si eas nitamur vi propellere. Intendant scrupulosi, quòd talia non

« curent, nequè multùm eum his litigent, sed potiùs « irrideant, dicentes cum illo Patre in vitis Patrum : « *Immunditia tua super te, dæmon; Dominus mihi ad-* « *jutor, non te timebo.* » Quam Gersonii sententiam laudat comprobatque S. Antoninus p. 1, tom. 3, cap. 30, § 10, et sequentia Gersonii verba referens subdit : « Mille surgunt apud aliquos scrupuli, more canum « oblatrantes, et lacerare minantes ipsos qui volunt « ire per viam Dei, quos convincere et compescere « meliùs, quàm per contemptum » nequimus. Opportunè etiam Lacr. lib. 1, n. 553, et cum eo N. Sebaldus n. 165, monent eos qui timidæ sunt conscientiæ, quòd nunquàm in æstu tentationis, qualiscumque illa sit, examinare debeant, an consensum præbuerint, necne, sed in aliud tempus, quo deferbuerit tentatio, ipsique pacato erunt animo, examen illud rejiciendum sit. Quia in æstu tentationis, turbatâ mente ad judicandum minimè sunt idonei. Oggeret quidem scrupulosus, se postquam deferbuerit tentatio, non recordaturum quomodò se illâ durante habuerit. Verùm securitatem det ei confessarius suggerendo consultius ei fore, quòd qualecumque oblivionis periculum admittat, quàm quòd sine spe fructûs tam graviter se divexet, aut etiam se consensûs periculo exponat.

Casus 2 : Lotharius, presbyter pietate conspicuus, sed valdè scrupulosus, confitetur Theodoro, seque accusat de pluribus actibus, de quibus dubitat an sint peccata; interrogatus autem, an et qualem, cùm ad actum procederet, sibi formaverit conscientiam, respondet se non posse scire, eo quòd modò sibi persuadebat, illud malum esse quod agebat, modò verò ingruentem cogitationem tanquàm scrupulum excutiebat quid hìc judicandum confessario, et quomodò juvandus Lotharius?—Resp.: Ad resolvendam hanc difficultatem summè intricatam, cujus solutio plerùmque confessariis plurimùm facessit negotii, notandum est cum Dom Habert, doctore Sorbonico in lib. cui titulus : *Praxis Sacramenti pœnitentiæ*, quem citat Pont., v. *Scrupulus*, casu 4, magnum esse discrimen inter rationem et vim imaginandi. Potest namque contingere, quòd ratio judicet nullam hìc et nunc esse timoris vel horroris causam, nihilominùs vis imaginativa perturbetur, gravissimoque perfundatur horrore; rem totam citatus non infimi nominis auctor dilucidat duobus, quæ adducit, exemplis : primò, si, v. g., locus aliquis præceps ope alicujus tabulæ sit transeundus, quanquàm ratio judicet tabulam sat fortem esse et largam, ut absque periculo per eam transiri queat, nihilominùs vis imaginativa tantos excitat terroris ac periculi motus, ut ratio cogatur ei cedere, eò quòd imaginandi vis non absolutè et despoticè, sed politicè tantùm subdatur rationis imperio. Exemplum secundum adfert inclytus ille auctor de iis qui spectris terrentur in obscurâ noctis caligine; quamvis enim cognoscant se panico timore concuti, ideòque infirmitatem suam studeant premere ad evitandum aliorum ludibrium, vix tamen jam suscitatos ab imaginatione motus possunt superare, imò nec semper superant, nec nisi plurimis animi anxietatibus exagitati sustinent : quòd si contingat, ut, adhibitâ multâ rationis contentione, soli sine comite noctu remaneant, nihilominùs propriæ suæ imaginationis impetu correpti, singulis momentis jactantur ac perturbantur, quasi reipsà spectrum aliquod eorum se sisteret conspectui. Hoc est, quamvis ipsimet judicent nullam esse timoris causam, imaginatio tamen tales excitat motus, ut ne momento quidem, agitatione et metu sint vacui, donec tandem ratio vincat imaginationis infirmitatem.

En verum scrupulosi prototypon, prosequitur laudatus auctor, qui verè Deum timet et amat. Hunc enim sua certiorem fecit ratio, nullum subesse peccati periculum in faciendo seu prætermittendo hoc vel illo opere, eoque innixus fundamento facit illud, vel omittit; nihilominùs timore percellitur, ne quidpiam peccati sibi in eâ re excidat, quoniam ipsius imaginatio perturbatur, ac quodam horrore gehennæ perfunditur, cujus imaginem ad vivum expressam ipsius constitutio ex insitâ naturâ in timorem propensior, quasi sub oculos ejus indesinenter subjicit; adeò ut nihil obstante eâ quam sibi certò persuasam habet, conscientiæ securitate, timor aliquis futilis infundatè conceptus, ei adimat tranquillitatem animi, quâcum vitam agere deberet. Ex hoc igitur prototypo tam expressè adumbrato cognoscere debet Theodorus, illas, quas Lotharius exponit, animi anxietates non provenire ex defectu amoris divini, sed ex infirmitate ipsius imaginationis, atque ex constitutione, quæ ex naturâ suâ ad timorem est propensior, præsertim verò cùm deprehendit Lotharium iisdem scrupulis et mentis angoribus circa alias etiam diversas materias agitari; conetur igitur confessarius ei restituere conscientiæ tranquillitatem, caveat ne quidquam ejus dubitandi motivis obsecundet, aut assentiatur, moneatque ne judicet quidquam, sive jam actum, sive agendum, esse peccatum, vel esse mortale, nisi certissimè sciat esse tale, idque primo aspectu; ne se in examine detineat, et non sit finis inquietudinis. Unde hoc ipso, quòd de eo scrupulosus dubitat, credere debet non esse tale. Cujus ratio est primò, quia cùm scrupulosi dubitent etiam de rebus clarissimis, sibique imaginentur peccatum, ubi revera nulla est peccati, etiam venialis, umbra, in perpetuâ forent gehennâ, eâque intolerabili, si practicè pro peccato habere deberent quidquid sub dubio ipsis proponitur tale, cùm de omnibus ipsi dubitent; secundò, quia in dubio, quamdiù de opposito non constat, formare debent judicium à communiter accidentibus. Cùm ergo communiter imaginari soleant peccata esse, vel esse mortalia, quæ reverà non sunt talia, in dubio præsumere debent non esse talia, dubiumque suum esse imprudens, quia tale communiter esse solet. Ita N. Henr. lib. 11, cap. 7, n. 60.

Casus 3 : Theresia virgo singulari prædita pietate, vehementer angitur scrupulis circa præteritas confessiones, timens 1° ne aliquid omiserit, vel circumstantias debitè non expresserit; 2° an semper debitum conscientiæ examen instituerit, vel etiamnum instituat. Ideòque 3° instanter petit admitti ad confessionem generalem, quam tamen adhibitâ diligentiâ pro rei gra-

vitate necessariâ aliquoties fecit. Quid hîc agendum confessario?

Resp. Circa primum sequatur confessarius doctrinam doctissimi cardin. Cajetani in Summâ, v. *Scrupulus*, n. 3, ubi : « Medicina autem particularis, inquit, « contra peccatorum præteritorum reconfessionem, « est habere credulitatem propriam, quòd de illo pec- « cato confessus sit pro certitudine, ita, quòd non am- « pliùs confiteatur, et in hoc acquiescant consilio meo « omnes scrupulosi timorem Dei habentes, qui confes- « sionem suam diligenter perfecerunt. » Ratio est, cùm enim, ut ex pietate Theresiæ licet colligere, omnimodam quam potuit adhibuerit diligentiam in præcedentibus confessionibus, iisque bonâ fide perfuncta fuerit, ut suppono, sufficiens fundamentum est judicandi, quòd peccata, quorum ratione angitur, ritè exposuerit; quia si essent mortalia, vix credibile est, illa in mentem non venisse, adeòque nec in sacramentali confessione declarata. Quòd si tamen recordaretur Theresia se pro eo tempore, quo actum perpetravit, cujus occasione angitur, planè ignorâsse an esset peccatum mortale, aut an in confessionibus necessarium fuerit exponere circumstantias speciem mutantes, aut intra eamdem speciem notabiliter aggravantes; deinde, si hoc postea cognito dubitaret an teneretur de iisdem habere confessionem explicitam; certum est dubium hoc sufficiens præbere fundamentum judicandi, quòd de illo vel illis peccatis sese in proximâ confessione accusare debeat; neque tamen idcircò teneretur repetere confessiones, quas habuit durante tali ignorantiâ invincibili, neque confessionem generalem instituere.

Circa secundum, seu circa conscientiæ examen, confessarius moneat pœnitentem suam, quæ timorata supponitur, et frequenter confiteri solita, ut omninò abstineat à nimis anxio conscientiæ examine, et non instituat exactissimum, sed valdè mediocre, quia et præceptum integritatis confessionis, et præceptum faciendi examinis ad ea non obligant, quæ præstari non possunt sine nimiâ difficultate et anxietate magnâ. Neque enim Deus totum ab ægris animis exigit, quod exigit à sanis. Præceptum proinde faciendi confessionem omninò integram, vel examen plusquàm mediocre saltem tunc cessat, ubi id justissima causa exigit, ad evitandas utique molestissimas anxietates, quibus animus aliàs valdè scrupulosus foret expositus. Igitur ab anxio nimis examine scrupulosus abstineat, si quod enim haberet grave peccatum, illud spontè et frequenter mentis oculis se ingereret. Nec refert, quod aliqua fortè peccata hinc omitti contingat, quia vehementer scrupulosi ad materialem confessionis integritatem tanto cum incommodo non tenentur, cùm ab eâ doctores communiter excusent eos qui eam absque notabili incommodo, confessioni extrinseco, nequeunt observare; et peccata quæ post mediocre examen scrupuloso non occurrunt, non minùs ei ignoscuntur in sacramento pœnitentiæ, quàm alia quorum confessionem habuit explicitam, juxta doctrinam conc. Trident. sess. 14, cap. 5, ubi : « Reliqua autem peccata quæ « diligenter cogitanti non occurrunt, in universum « eâdem confessione inclusa esse intelliguntur. »

Circa tertium, seu generalem confessionem, ad quam se instanter admitti petit Theresia, confessarius eâ utatur prudentiâ, quam hoc et simili in casu necessariam in praxi à 55 annorum experientiâ se edoctum asserit Pontas v. *Scrupulus*, in resp. ad casum 7; confessarium scilicet Theresiæ non debere se ullatenùs præbere lenem precibus quibus urgetur, ut eam admittat ad iterandam generalem confessionem, cùm certissimum sit eâ ratione non minui, sed potiùs augeri scrupulos, ac perpetuari. Demus enim illam ad iteratam confessionem generalem admitti, non propterea cessabunt scrupuli, sed è contra magis importunis quàm antea precibus pœnitens sollicitabit confessarium, ut admittatur ad novam generalem confessionem, ita, ut quando permitteret decies eamdem repeti confessionem, nullam morbo medelam adferret, qui è contrario magis ingravesceret atque in pejus augeretur. Igitur confessarius Theresiæ petitam ab eo facultatem deneget, sed tantùm 1° ei permittat, ut prosequatur suas confessiones ordinarias; 2° ei injungat, ut desistat à nimis anxio et longiori conscientiæ examine; prudenter etiam tempus faciendi examinis ei præfiniet, ipseque, si ita expedire videatur, longioris examinis supplebit vices, interrogando de peccatis, in quæ eam incidere potuisse judicabit, ut ita reddatur secura et persuasa de charitativâ confessarii erga ejus animam sollicitudine; 3° ei severiùs interdicat occupationem animi in volvendis ac recognoscendis anteactæ vitæ peccatis, cùm illa sæpè implere soleat scrupulosi mentem mille ideis conturbantibus ac impedientibus, ne studeat præsenti vitæ rationi, ut par est, recognoscendæ, eamque confessario exponendæ. « Re- « fert enim, inquit Pontas l. c., scrupulosa conscien- « tia similitudinem canalis alicujus ex imâ suî parte « admodùm lutulenti, cujus aquæ superficies, quam- « diù lutum non movetur, limpida, lucidaque decur- « rit, sed cujus aqua, eo ipso quòd lutum agitatur, « putrida fit, atque omninò turbulenta : sic etiam, « quando quis scrupulosus eò usque pervenit, ut ani- « mo deliberaverit abstinere jam ab importunis et « anxiis illis inquisitionibus in propriam suam vitam, « quæ præcessit, eò purior ac tranquillior est ipsius « conscientia; atque contrariò, quando præteritarum « suarum sordium lutum vel paululùm quis exagitat, « eò magis eadem fædatur atque perturbatur. » Hæc Pontas. Ubi tamen observandum monet, quòd si Theresia, aut alia quævis persona scrupulosa foret in peccata quædam mortalia propensior, et ab ultimâ confessione generali retinuisset eorumdem perseverantiam, hoc in casu posse ei concedere facultatem novam repetendi confessionem ad vitium præcedentis abstergendum, si judicaret eam defectu sinceri propositi potuisse esse nullam : at nequidem eam facultatem ei debere concedi, nisi postquàm edidisset emendationis signa, atque iisdem per dignos et sinceros pœnitentiæ fructus satisfacere inchoâsset. De cætero cæcè obediat scrupulosa pœnitens confessarii imperio, sibique dictum existimet illud Gersonis tract. de

Præpar. ad Missam, consid. 3 : « Caveas ad extremum, « ne, dùm quæris securitatem, nec illam adipiscaris, « in gravem ruas dijudicationis et præsumptionis fo- « veam. »

Casus 4 : Cornelius, vir religiosus ac timens Deum, circa recitationem breviarii scrupulosè angitur, 1° an debitè in recitando intentionem adhibuerit ; 2° an prætermiserit hos vel illos versiculos, psalmos, vel hymnos, hinc easdem horas iteratà recitatione repetit, tantùmque insumit temporis, ut cæteris religionis muniis satisfacere non valeat ; quodnam hoc in casu circa illum confessarii munus ?—Resp. : Circa primum, eum confessarius moneat 1° ut nihil repetat, nisi certò, et sine ullâ hæsitatione affirmare possit se voluntariè et cum plenâ advertentiâ fuisse distractum in officio, vel notabili ejus parte, uti docent DD. communiter ; 2° ne inter recitandum hæreat, nec sollicitus sit de attentione ; nam hæc sollicitudo est distractio. Hinc præmissâ intentione uno tractu decurrat nullibi hærendo, et ne verbum quidem repetendo. Circa secundum similiter, si Cornelius in lectione horarum magnas patiatur anxietates, perpetuasque vexationes seu continuas formidines de non lectâ tali horâ, psalmo vel versiculo, repetere non debet, nisi certissimè constet quòd non legerit. Quia præceptum ecclesiasticum horarum non obligat cum tanto incommodo, cùm enim secundùm communem doctorum sententiam ab ejus observantiâ notabilis excuset difficultas, quidni et magna animi anxietas, et molestia, quæ difficultas sine dubio magna est ? Sed et Bresserus lib. 6 de Conscien. scrup., c. 13, n. 177, censet quòd, dùm in lectione sacri vel horarum etiam non scrupulosus invenit se in medio vel fine alicujus horæ, sive legendo, sive memoriter recitando, in dubio, non debeat anteriora repetere, quia probabiliter credere potest se non transiliisse morem et ordinem solitum, dùmque constat de lecto principio et fine, non omisisse medium, quia *medium præsumitur probatis extremis*.

Aliud adhuc huic malo suggerit remedium Samborius tom. 2, cas. 151, superiorissam monialium instruens, quomodò se gerere debeat cum scrupulosâ moniali in propositâ specie, quòd scilicet scrupulosæ omninò prohibere debeat, ne quidquam etiam submissâ voce repetat, dùm officium cum choro persolvit. Quòd si eam eò adducere nequeat, ut in recitando officio divino sequatur chorum, et superiorissa expediens judicaverit, ut ei concedatur licentia privatim recitandi officium, comitem ei adjungat aliam monialem, cui scrupulosa in omnibus obedire debeat, et cui cura incumbat nunquàm permittendi quidquam à scrupulosâ repeti. Declaretque superiorissa cum scrupulosâ in omni aliâ breviarii recitatione dispensari. Quòd si hoc non juvet, et propter violentiam scrupulorum ad alia religionis munia ritè obeunda reddatur inhabilis, aut inde notabilem corporis, sive animi alterationem incurrat, potest ac debet superiorissa, accedente tum consilio tum consensu superioris cujus interest, cum scrupulosâ in officii recitatione dispensare, donec ab hâc animi anxietate et molestiâ liberetur, atque in eum statum redacta fuerit, quâ possit cum requisitâ mentis tranquillitate officii divini pensum persolvere. Circa scrupulosum in sacrificio Missæ, vide Lac. lib. 6, p. 2, n. 191 et seqq. et n. Sebaldum. p. 1, n. 168 et seqq.

Agendum hîc ordine foret de conscientiâ dubiâ ; verùm, quid circa eam dicendum vel statuendum sit, constabit ex dicendis art. sequenti.

## Articulus VI.

### de conscientia probabili.

#### § 1. *Quid sit probabile, opinio probabilis, probabilior, etc.*

Pro resolutione quæstionis propositæ observandum est ex D. Th. q. 14 de Verit., a. 1, quòd cùm intellectus sit de se indifferens ad assentiendum potiùs uni vel alteri parti contradictionis, ad hoc determinari debeat vel ab objecto, ut à formâ intelligibili, vel à voluntate prout movet omnes alias potentias. Diversitas autem specifica actuum, quibus intellectus tendere potest in idem objectum, desumitur à diversitate specificâ motivorum se tenentium ex parte objecti. Itaque probabilia motiva specificant opinionem, quæ dicit assensum uni parti contradictionis determinatè, sed cum formidine partis oppositæ. Motiva evidentia specificant scientiam, quæ dicit assensum certum et evidentem exclusâ formidine partis oppositæ. Quòd si nulla intellectui reluceant motiva ex parte objecti, neutri parti assentietur, et erit dispositio dubitantis, quod quidem dubium dici solet negativum denominatione desumptâ ex carentiâ motivorum repertâ ex parte objecti ; si autem motiva reluceant æqualia, vel, ut loquitur S. D. apparenter æqualia, quantùm ad vim movendi et inclinandi, intellectus neutri parti assentietur, eritque in dispositione fluctuantis, et tunc erit dubium, quod dici solet positivum, quod licet conveniat cum negativo in eo quòd intellectus in utra neutri parti assentiatur, differt tamen in eo quòd positivum dicat ex parte objecti motiva, seu æqualia, apparenter æqualia, quantùm ad vim movendi et inclinandi intellectum pro utrâque parte ; negativum verò nulla dicat motiva ex parte objecti, unde carentia motivorum ponit intellectum in statu dubitantis negativè ; æquilibrium apparens motivorum in statu fluctuantis, et dubii positivè. Loquitur etiam S. Th. l. cit. de actu fidei, qui nullum habet motivum intrinsecum ex parte objecti, sed solùm innititur testimonio extrinseco dicentis ; et si res credenda sit obscura, quale est objectum fidei divinæ, ad talem assensum determinatur intellectus à voluntate, prout motâ ad illum eliciendum ex bonitate actûs credendi, quatenùs actus ille est sibi ab intellectu propositus, ut bonus et ut conveniens, utpote, quia est illi actui promissa vita æterna. Si verò res credenda non sit obscura, erit actus fidei humanæ innixus testimonio humano, quod est extrinsecum objecto. Ex quibus vides differre actum fidei divinæ ab actu scientiæ et opinionis, quòd intellectus de se indifferens ad actum credendi, nullo recente motivo, ex parte objecti ad credendum determi-

netur à voluntate, ad actum verò scientiæ et opinionis eliciendum determinetur à motivo se tenente ex parte objecti; ita quidem, quod, posito quòd intellectus liberè applicatus à voluntate ad considerandum motivum probabile, positoque quòd assentiatur, non possit assentiri, nisi per actum opinionis : si motivum fuerit certum et evidens, necessariò assentietur actu scientiæ. His ex D. Th. prælibatis, ex eodem S. D. videndum restat quid sit probabile, ut ex objecto specificativo quidditas opinionis probabilis, probabilioris, etc., di gnoscatur.

S. Th. in c. 1, l. 1 Ethic., exponens verba ista philosophi : *Oportet veritatem figuraliter ostendere*, explicat τὸ *figuraliter, id est* (inquiens), *verisimiliter et probabiliter ; quia probabile est, quod est simile vero*. Unde probabilitas, prout hìc sumitur, est tantùm *verisimilitudo ;* itaque opinari nihil aliud erit, quàm ex verisimilibus conjecturis et apparentibus argumentis quidpiam judicare cum formidine partis oppositæ. Seu, ut ait D. Bernard., l. 5 de Consid. c. 2, opinio est : *Pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias*. Nam utpote præmiserat : *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potiùs, quàm apprehendit :* quæ omnia, ut per se patet, verisimilitudinis rationem minimè excedunt. Ex quibus licet colligere sensum definitionis, quam de opinione affert D. Th. 2-2, q. 1, a. 5, ubi : *Opinio*, inquit, *est actus intellectûs, qui fertur in unam contradictionis partem cum formidine alterius*. Cùm enim intellectus sit indifferens, ut assentiatur uni potiùs parti contradictionis, quàm alteri, determinatur à motivo probabili seu verisimili, ut uni potiùs quàm alteri assensum præbeat : illud autem motivum, cùm non sit convincens, sed fallibile, et respectu opinantis non tanquàm infallibiliter verum, sed tantùm quà verisimile proponatur ; intellectus illi non assentitur assensu firmo, sed formidoloso, seu cum formidine partis oppositæ.

Opinionem probabilem dividit Lacroix l. 1, n. 116, in probabilem quoad se et quoad nos. *Probabilis quoad se*, inquit, *est, quæ à parte rei nititur motivo gravi, licet fortè ejus gravitas à nobis non agnoscatur. Probabilis quoad nos, quæ invincibiliter à nobis judicatur niti motivo gravi, quamvis reipsù grave non sit*. Hæc P. Lacroix ; verùm videtur per hæc potiùs distingui opinio vera, ab opinione quæ in se falsa est, ac invincibiliter judicatur vera, quàm opinio probabilis bipartiri. Niti namque motivo gravi, quod à parte rei tale est, omni, soli, et semper propositioni veræ competit, uti niti motivo solùm apparenter gravi competit opinioni falsæ. Constat id ex definitione probabilitatis ut sic, quam adducit idem Lacroix n. 132, ubi : *Probabilitas*, inquit, *est fallibilis et magna apparentia veritatis circa aliquod objectum ;* quæ debet competere omni opinioni probabili, ergo et probabili quoad se ; sed quomodò potest esse quoad se, seu ex parte objecti fallibilitas, ubi est vera solidaque motivi gravitas ; ni velit dicere fallibilitatem se tenere ex parte intellectûs opinantis, gravitatem motivi ex parte objecti? Sed, ut ante dixi, potiùs sic distinguitur objectiva veritas ab illâ quæ solùm apparenter talis est, quàm probabilitas in eam quæ est talis quoad se, et in eam quæ est talis quoad nos; uti ergo fallibilitas, ita et motivi gravitas, adeòque adæquata probabilitas desumi debet penès ordinem ad intellectum opinantis. Res enim in se non dicuntur obscuræ, probabiles, aut dubiæ, cùm id accipiendum sit ex parte intellectûs, qui dicitur et est obscurus respectu rei, circa quam caret lumine, et probabilis circa eam de quâ nullam habet rationem convincentam sed tantùm verisimilem ; nam res quælibet unam habet veritatem, sicut et entitatem certam et determinatam, magis aut minùs nobis manifestam. Perperàm ergo propositiones dicuntur probabiles *absolutè*, seu *quoad se*, cùm sint tantùm *relativè* tales, seu *quoad nos :* propositiones quippe absolutè, seu quoad se spectatæ vel veræ sunt, vel falsæ, nullæ probabiles. Nam falsum in se absolutè probabile non est, sed improbabile ; verum autem plus quàm probabile est, utpote certum Deo omnia, ut in se sunt, videnti. At relatè ad intellectum nostrum, res, ut in se sunt, non videntem, magnisque ignorantiæ tenebris circumsessum, uti plures sunt propositiones, quarum nec veritas, nec falsitas certò cognoscitur, sic plures sunt opiniones, quarum nec veritas nec falsitas certò cognoscitur, sed verisimiliter tantùm ob offusas humanæ menti ignorantiæ tenebras, atque hinc sicut opinionum varietas, sic opinionum probabilitas ex mentis humanæ tenebris proficiscitur ; ita ut verissimè dixerit Tertullianus de Nat. l. 2 : *Varietas opinionum venit ex ignorantiâ veritatis*. Quia verò variæ et inæquales sunt istæ mentis tenebræ (ob ingeniorum, doctrinæ, cœlitùsque illapsi luminis diversitatem), hinc fit, ut quod probabile est uni, vel certò verum, vel certò falsum alteri persæpè videatur, et rectè videatur ; vixque ullæ propositiones probabiles sunt universè omnibus, cùm eas etiam quæ passim haberi solent probabiles, plurimi vel ut certò veras amplectantur, vel ut certò falsas repudient, respectu quorum proinde non sunt probabiles.

Ex hucusque dictis opinio probabilis definitur quòd sit opinio quæ nititur motivo verisimili intrinseco, aut extrinseco, quod tale appareat opinanti citra prævention em, post sufficiens examen veritatis. Dicitur 1° *quæ nititur motivo verisimili*, id est tali, quod etsi non constet omnimodè esse verum à parte rei, maximè tamen ad veritatem appropinquare credatur, de quo plura § seq. Dicitur 2° *intrinseco aut extrinseco*. Motivum intrinsecum sunt rationes, extrinsecum sunt auctoritates, quibus innititur opinio probabilis ; hoc tamen discrimine, quòd proprium et intrinsecum opinionis fundamentum est ratio seu esse rei probabiliter cognitæ ; auctoritas verò est extrinsecum et minoris ponderis argumentum, propter quod non magis credimus huic, quàm illi opinioni, nisi quia existimamus rem magis perspectam, magisque notam illi, quàm alteri : veritas enim intellectûs creati càusatur à rebus, et ex eo quòd res est, vel non est, opinio dicitur vera, vel falsa. Quare omnis opinio ex propriâ et intrinsecâ ratione semper est incerta, utpote argumento convincenti destituta, sed solo medio apparenti, et formido-

loso innixa. Dicitur 3° *quòd tale appareat opinanti citra prævententionem;* quia nonnulli suis rationibus ita præoccupatum gerunt intellectum, ut, quidquid eis in contrarium, licet magis urgens proponatur, nullatenùs moveantur : uti quidam ita afficiuntur, et nescio quâ propensione ad certos auctores, ut unum aut alterum præferant quatuor aut sex ejusdem imò majoris auctoritatis. Dicitur 4° *post sufficiens veritatis examen;* quia debet opinans non tantùm suæ, sed et alterius partis rationes expendere, imò et solvere, adeòque imprudenter agit, qui necdùm expensis ac solutis alterius partis rationibus statim pro unâ parte concludit.

Opinio probabilior est quæ, spectatis rationum pondere et auctoritatis gravitate, apparet verisimilior, cùm enim probabilitas nil aliud sit, quàm verisimilitudo ; nonnullæ autem sunt rerum similitudines magis aut minùs perfectæ : hinc fit quòd inter opiniones aliquæ, etiam dicantur magis aut minùs probabiles, magisque probabiles sint illæ, quæ vel auctoritatibus gravioribus suffultæ videntur, vel verisimilioribus innituntur rationibus. Opinio tutior in materiâ morum est, in cujus sequelâ minus est peccandi periculum. Unde aliud est, quòd opinio sit probabilior, aliud quòd tutior; major enim probabilitas desumitur ex ordine ad veritatem magis vel minùs ostensam rationibus et auctoritatibus ; quæ major probabilitas æquè potest esse in eâ opinione, quæ dicit actum esse licitum, et in eâ quæ dicit illicitum; major verò securitas sumitur ex ordine ad observantiam legis, et sic semper est major in eâ opinione, quæ affirmat actum esse prohibitum, etiamsi hæc sit minùs probabilis, quàm opposita, quæ dicit hunc actum esse licitum, quia sequendo illam nunquàm malè agemus.

§ 2. *An dùm pensatis utrinque rationum et auctoritatis pondere una opinionum contradictoriarum est probabilior alterâ, vel utraque est æquè probabilis, utraque respectu opinantis sit subjectivè probabilis.*

Nota 1° probabilitatem esse duplicem, unam non impeditam, quam alii quietam vocant, aliam impeditam, seu inquietam. Prima est quæ nullâ ratione partis oppositæ vellicatur : nec ullâ in contrarium auctoritate extrinsecâ agitatur, cui proinde nil deest, nisi evidentia medii intellectum convincentis. Altera est, quæ præter hoc quòd careat medio seu motivo intellectum convincente, insuper agitatur rationibus partis contrariæ, vel magis vel minùs efficacibus, vel æqualibus. De primâ agemus alibi ; de secundâ hìc est quæstio.

Nota 2° quòd implicet in eodem intellectu dari simul duas opiniones contrarias, quia, cùm de ratione opinionis sit assensus et adhæsio uni parti contradictionis, quanquàm non sine formidine alterius, fieri non potest, ut idem intellectus assentiatur simul duabus contradictoriis ut veris, videlicet istis : *Illicitum est mihi hìc et nunc facere hoc : illicitum non est mihi hìc et nunc facere hoc.* Præterquàm quòd assensus uni parti contradictionis includat dissensum alteri, et sic simul esset assensus et dissensus ejusdem propositionis, quod est impossibile. Quamvis enìm quis simul possit assentiri uni parti, et habere formidinem de contrariâ propter aliquam rationem inclinantem ad illam, ac etiam possit propter rationes utriusque æqualiter pugnantes neutri parti determinatè assentiri, sed assensum suspendere, et manere dubius, quòd tamen assentiatur determinatè uni parti, simulque determinatè assentiatur parti contrariæ, omninò est impossibile, et consequenter quòd sint in eodem intellectu simul duo actus opinionum contrariarum.

Nota 3° aliud esse cognoscere et judicare de probabilitate alicujus propositionis, aliud verò opinari de veritate illius, seu assentiri illi probabiliter ; sicut aliud est veritas propositionis, et aliud probabilitas veritatis illius. Nam qui opinatur determinatè, assentitur uni parti tanquàm veræ, licet cum formidine alterius partis; qui autem cognoscit probabilitatem propositionis, non ideò assentitur illi determinatè ut veræ, sed solùm assentitur illius probabilitati, judicans illam esse probabilem, seu probabilitatem tanquàm prædicatum convenire propositioni tanquàm subjecto; assensus autem qui judicat probabilitatem convenire propositioni, non semper est opinativus et formidolosus, sed sæpissimè est certus et evidens. Hinc card. de Lugo, disp. 10 de Fide, sect. 1, n. 14, concludit contra Coninck : « Æquivocationem pati, qui confundit hæc duo, credere conclusionem illam esse probabilem, et credere probabiliter illam : quæ sunt valdè diversa ; nam qui tenent aliquam propositionem probabilem, concedunt simul contrariam esse probabilem, non tamen credunt veram etiam assensu probabili, alioquin haberet assensus duos probabiles de objectis contradictoriis. » Similiter impugnans Sanchez, p. 1, disp. 2 : « Sanchez, inquit, facit transitum manifestâ æquivocatione ab objecto probabili ad probabile judicium ; potest enim, inquit, de objectò probabili in contrarium movente formari judicium tale objectum esse utrâque parte probabile ; sed hoc est judicium evidens de probabilitate honestatis, quod est insufficiens ad honestè agendum : et non est judicium illud probabile de veritate honestatis, quod tanquàm necessarium ad honestè agendum requiritur ab omnibus. Quod cum haberi non possit, nisi de unâ parte contradictionis, manifestum est non invenisse Sanchez, quomodò utramque possit quis operari et utramque sequi. » Ex quibus in antecessum colligo opiniones probabiles non posse deservire ad hoc, ut ex iis formetur conscientia ethicè recta, nisi habeamus judicium ad minùs probabile de honestate et veritate rei, neque ad hoc sufficere habere judicium certum de illius probabilitate.

Nota 4° cum P. Lacroix n. 17, quòd, dùm una opinio dicitur probabilior, videatur quidem innui, quòd opposita sit probabilis, eò quòd comparativum connotet positivum, hoc tamen legitimè ex eo non inferri : sic enim à pari verè dico S. Paulum esse sanctiorem divite Epulone, non tamen ex eo sequitur, quòd hic sit sanctus; deinde quando dicitur, quòd comparativum connotet positivum, sensus est quòd positivum sup-

ponat in illo esse, cui competit comparativum, sed non ideò semper est in illo comparativè oppositò. Unde in præsenti supponi non debet, neque cum Cardenâ in Crisi theologicâ, tom. 1, disp. 10, cap. 6, ex hoc quòd opinio aliqua in concursu probabilioris oppositæ dicatur minùs probabilis inferri, quòd sit respectu opinantis verè et solidè probabilis, sed aliunde constare an positivum hoc, quod est esse verè et solidè probabile respectu opinantis competat propositioni minùs probabili in concursu oppositæ probabilioris, uti et quoad quæsiti secundam partem, an in concursu duarum opinionum contradictoriarum æquè probabilium, utraque sit respectu opinantis probabilis. Dico *respectu opinantis*, quia stat quòd cum opinione verè subjectivè et physicè probabili respectu opinantis versetur simul in mente ejusdem objectiva quædam probabilitas seu verisimilitudo, quatenùs cognoscit motivum opinioni suæ contrarium movere intellectum oppositum judicantis, si illud sumatur vel solitariè, absque comparatione ad motivum oppositum, vel in comparatione motivi oppositi ipsi videatur magis urgens, seu magis accedere ad veritatem.

Dico 1° : In concursu opinionum contradictoriarum, quarum una est simpliciter alterâ probabilior, minùs probabilis respectu opinantis non est verè probabilis, seu, ut scholæ terminis loquar, non est probabilis comparativè, sed solùm adversativè.

Probatur 1°. Per probabile hìc intelligitur, *quod ab intellectu est approbabile tanquàm verum;* atqui ab intellectu opinantis nequit approbari tanquàm vera sententia illa, quæ eidem repræsentatur ut minùs verisimilis, quàm opposita; ergo. Majorem post Esparsam et Terillum in terminis habet Lacroix n. 103, *min. prob.* ex Paulo Layman l. 1, t. 1, c. 5, § 2, n. 5, ubi : « Si « tibi, inquit, pars opposita quæstionis probabilior « videatur, seu majora rationum momenta in illâ parte « perspicias, licet assensum omnem cohibere tunc pos- « sis, tamen ex hypothesi quòd alteri parti assentiri « velis, necesse est ut probabiliori assentiaris; alteri « autem quæ minùs probabilis tibi apparet, assentiri « tunc non potes. Si enim minùs probabili assentiaris, « seu veram judices, hoc ipso oppositam falsam æsti- « mas : quod fieri non potest, dùm ea tibi probabilior, « seu verisimilior apparet, propterea quòd intellectus « judicativus secundùm specificationem non omninò « liber sit, sed à rationibus et motivis objecti propositi « determinetur. » Hæc Layman, et meritò, cùm enim intellectus tendat sub ratione veri, naturaliter refugit falsitatem; unde debet dissentiri ut falsæ parti illi, quæ in actu primo illi apparet potiùs falsa quàm vera, et assentiri illi, quæ ipsi apparet potiùs vera quàm falsa, si alterutri assentiri velit. Unde subjungit Layman in fine n. cit., quòd, « dùm una pars contradictionis ve- « risimilior apparet, non potest intellectus illi dissen- « tire, et huic assentiri : quia id fieret sine ratione, « imò contra rationem. » Et ideò eminentissimus card. de Laurea, tom. 2, in 3 sent. disp. 11, art. 4, n. 241 : Non debere vocari probabilem « opinionem illam in « verò ac proprio sensu Aristotelico, aut etiam scri- « pturali sententiam illam, quæ operanti minùs veri- « similis apparet, quàm contraria : nam probabile idem « importat, ac dignum ut approbetur; non est autem « digna approbari sententia, quæ repræsentatur ut mi- « nùs verisimilis. » Probatur 2°. Conclusio ex definitione opinionis probabilis, quam post Esparsam et Terillum tradit Lacroix n. 106, ubi opinio probabilis, inquit, est « judicium incertum nitens motivo absolutè « gravi, id est, quamvis attendantur etiam opposita « motiva, sive motivo magni momenti, quod per se lo- « quendo aptum sit virum prudentem determinare ad « assensum. » Vel, ut loquitur Terillus de Reg. morum, q. 1, n. 7 : « Motivo tali, quod aptum est ad « assensum ab homine perito et probo irreprehensi- « biliter judicante impetrandum. » Ubi certum est quòd magnitudo motivi, quem dicunt esse de ratione opinionis probabilis, non debeat sumi in ordine ad omnes viros prudentes, aliàs quippe nemo certificari posset de probabilitate suæ opinionis, cùm certus esse nequeat, quòd motivum suum omnibus magnum apparere debeat : quæ enim uni apparent magna, aliis videntur exigua. Deindè si deberet sumi ut magnum respectu omnium, opinio plurium doctorum primæ etiam classis non esset probabilis, si ejus fundamenta apparerent levia et frivola alicui doctori, sicque improbabiles essent opiniones Suarez et Cajet., quarum motiva sæpè appellantur levia et frivola à P. Vasquez. Unde esse magnum, vel urgens respectu omnium est privilegium motivi evidentis, quod omnes intellectus rapit. Sumi ergo debet magnitudo motivi in ordine ad intellectum proprium ipsius opinantis : atqui respectu opinantis motivum non potest apparere magnum, dùm comparatur et concurrit cum motivis partis oppositæ, quæ ipsi apparent fortiora et urgentiora; nam, ut rectè Gonzales in Fundam. theol. mor. dissert. 1, § 3, n. 18, non est magnum comparativè quod vincitur à contrario; uti in staterâ non est comparativè magnum pondus positum in unâ lance, dùm vincitur à pondere existente in oppositâ et bilancem deprimente : sic enim se habent pondera motivorum ad flectendum intellectum, sicut pondera materialia, ad inclinandam seu deprimandam bilancem. Et teste Philos. Rhet. 7, *magnum* comparativè *dicitur, quod est excedens.* Deinde motivum opinionis non habet vim magnam pertrahendi ad assensum irreprehensibiliter præstandum ab homine prudente, dùm concurrit et occurrit cum motivo fortiùs impellente ad dissensum, quia, ut idem auctor rursùm benè arguit, n. 19, vir prudens, seu peritus et probus, nequit irreprehensibiliter judicare actionem aliquam esse licitam, quando sentit et reperitur fortius motivum ad judicandum esse illicitam, nec intellectus flecti nequit ad ita judicandum, nisi avertat oculos considerationis à motivis impellentibus ad judicandum esse illicitam : quod irreprehensibiliter fieri nequit, cùm hoc sit voluntariè claudere oculos, et nolle intelligere ut benè agat.

Dico 2° : Dùm utraque pars contradictionis omnibus diligenter examinatis apparet æquè probabilis, neutra in talibus circumstantiis est simpliciter, et

absolutè probabilis. Probatur. Probabile simpliciter propriè et expeditè respectu alicujus est illud solùm quod ab ipso merito approbari potest ut verum, uti constat ex dictis : atqui dùm utraque pars contradictionis post diligentem veritatis inquisitionem alicui apparet æquè probabilis, neutram in istis circumstantiis rationabiliter approbare potest ut veram; ergo. Min. prob. In talibus circumstantiis intellectus est verè dubius, cùm rationum et auctoritatum æqualitas sit causa veri dubii et propriè dicti (quod ideò ab Aristotele et D. Th. definitur *contrariarum rationum æqualitas*), manetque tamdiù dubius et fluctuans inter duas contradictionis partes (uti loquitur S. Th. q. 13 de Verit. art. 1), quamdiù utriusque partis rationes ipsi apparent æquè probabiles; atqui intellectus ita suspensus et fluctuans neutram contradictionis partem approbare potest ut veram; cùm enim intellectus sit facultas animi nullo modo in judicando libera, sed ab objecti momentis seu motivis dependens, ut licet non necessitetur ad assentiendum objecto, nisi evidenter verò approbare equidem non potest quod non apparet ipsi magis verum quàm falsum; ideòque apprehensio apertæ æqualitatis inter duas partes contradictionis per se tam determinat intellectum ad suspendendum assensum, sive ad non judicandam unam partem præ alterâ veram, quàm apprehensio alicujus è primis principiis per se determinat intellectum ad assensum illius. « Ut enim lancem in librâ ponderibus impositis « deprimi, sic animum perspicuis cedere, » ait Tullius l. 4, qq. Academ.; « à naturâ quippe comparatum « est, ait Epictetus apud Arrianum lib. 3, c. 3, ut qui« vis animus, quemadmodùm veris annuit, et falsis « abnuit, ita et in incertis assensum sustinet. » Neque enim fieri potest, ait idem apud eumdem lib. 1, c. 2, « ut assentiamur, nisi verum aliquid esse videatur. « Quamobrem? quia hæc ipsa natura est mentis, ut et « veris annuat, et falsa aversetur, et in obscuris cohi« beat assensum. »

§ 3. *An dùm opposita sunt dissimilia habeant sufficientem vim ad impetrandum assensum circa utramque partem contradictionis, non obstante, quòd sint æqualia in vi movendi, aut etiam pro unâ parte sint simpliciter validiora?*

Suppono cum Esparsa, Terillo, P. Lacroix, quòd dùm motiva sibi opposita sunt similia et æqualia, motiva minùs probabilia non retineant vim movendi intellectum in concursu probabiliorum; v. gr., si unus testetur Caium priore anno esse mortuum, et tres alii fide digniores testentur se hoc anno vidisse vivum, testimonium primi eliditur. Quòd si ex duobus æquali fide dignis unus dicat se vidisse mortuum, alter vivum, neutrum retinet vim simpliciter permovendi intellectum, quia quidquid affertur pro unâ parte, cognoscitur habere aliud æquale prorsùs simile contrarium; ergo intellectus fiet immotus, sicut si duo pondera planè similia in lancibus, aut si duo equi æquè fortes trahant in oppositas partes, reddunt libram vel currum immotum; secùs dicendum, inquiunt, dùm motiva sunt dissimilia : illorum enim unum habet aliam specie vim et rationem movendi, quam non habet, et cui directè non opponitur alterum; ideò enim dicuntur dissimilia. Ita P. Lacroix, n. 262, 63 et 65; contra quos

Dico motiva opposita in vi movendi æqualia non retinent vim trahendi intellectum ad unam contradictionis partem; multò minùs motiva minùs solida in concursu solidiorum. Supponit conclusio posse concurrere in eodem intellectu motiva rationis ad assensum et dissensum omninò æqualia in vi et efficaciâ movendi ad actus sibi proportionatos, quamvis in se sint dissimilia et diversæ speciei; aliàs enim in nostro intellectu nunquàm daretur dubium propriè dictum, dùm pro utràque parte contradictionis occurrunt fundamenta æqualia rationis, sed solùm quandò concurrunt fundamenta æqualia auctoritatis : nunquàm enim rationes pro utràque parte contradictionis similes sunt, sed semper dissimiles, cùm ratio omninò similis rationi moventi ad assensum unius partis, simul movere non possit ad dissensum ejusdem. Unde cùm negari non possit, quod detur dubium propriè dictum (quod à S. Th. S. Antonino. Sylv., etc., definitur : *Contrariarum æqualitas rationum*), etiam negari non potest tam motiva dissimilia, quàm similia esse et videri posse æqualia; idque expressè agnoscit Augustinus relatus Can. *in Canonicis* dist. 19, dùm de canonicis Scripturis ait : « In eis quæ non accipiuntur ab omnibus « (Ecclesiis) proponat eas, quas plures, gravioresque « accipiunt eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis « Ecclesiæ tenent; si autem alias invenerit à pluribus, « alias à gravioribus haberi... æqualis tamen auctori« tatis esse habendas puto. » Ubi manifesta inter majorem multitudinem ex unâ parte, majoremque dignitatem ex alterâ, non obstante istâ dissimilitudine seu diversâ ratione auctoritatis, æqualitatem agnoscendam putat. Nec certè ulla est ratio negandi similium æqualitatem cùm aliud sit æqualitas, aliud similitudo, tresque divinæ personalitates æquales sint, licet dissimiles. Neque enim Pater in paternitate est similis Filio; est tamen æqualis, cùm filio major non sit, nec minor, nec è contra.

Hoc supposito, probatur conclusio : tam ex qualitate fundamentorum similium quàm dissimilium inducitur dubium propriè dictum uti ex S. Thomâ, S. Antonino Sylvestro vidimus; et ratio est, quia eo ipso quòd motiva sint æqualia in vi et efficaciâ movendi intellectum, intellectus ab iis æqualiter movetur in utramque partem; ergo intellectus neutram contradictionis partem prudenter approbare potest ut veram eò quòd tam utriusque partis veritas quàm falsitas æqualis illi appareat. Conf. 1° : Ideò (inquit Terillus de Consc. q. 5, n. 21) motiva æqualia auctoritatis se elidunt, quia evidens est, alteram partem testium mentiri; atqui non minùs evidens est, alteram partem motivorum inducere ad assensum falsum, omnique ratione destitui ad judicandum id, ad quod intellectum movent; cùmque (uti de motivis æqualis auctoritatis discurrit Terill.) non constet quæ pars ratione destituatur, nec potior præsumptio sit pro unâ quàm pro alterâ parte, nulla est ratio prudens, cur uni potiùs quàm alteri intellectus nitatur. Conf. 2° : Ideò motiva æqualia aucto-

ritatis se elidunt, quia æqualiter movent in utramque oppositam partem, atqui non minùs hoc faciunt motiva opposita à ratione desumpta : neque enim in motivis æqualis auctoritatis hoc fit ob similitudinem, sed ob æqualitatem motivorum, utpote quam solam sequitur æqualis efficacia movendi, quæ sola hìc formaliter et per se attenditur, et ad quam similitudo vel dissimilitudo motivorum per accidens et materialiter se habet, utpote per se formaliter nihil faciens, quòd una pars appareat magis vera quàm altera. Conf. 3° : Ex Arist. 3 Metaph. c. 1, ubi comparat intellectum dubium homini vinculis mancipato : « Posterior enim, inquit, « investigatio priorum est solutio dubitatorum; solvere « enim ignorantis vinculum, sed mentis dubitatio, hoc « de re demonstrat; in quantum enim dubitat, in tan- « tum similiter ligatis est passus, impossibile enim « utrisque procedere, ad quod est ante. » Ubi S. Th. : « Dubitatio autem de aliquâ re hoc modo se habet ad « mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, et eum- « dem effectum demonstrat; in quantum enim aliquis « dubitat, in tantum patitur aliquid simile his qui sunt « strictè ligati : sicut enim ille qui habet pedes ligatos, « non potest in anteriore procedere secundùm viam « corporalem, ita ille qui dubitat, quasi habens men- « tem ligatam, non potest in anteriora procedere se- « cundùm viam speculationis. » Ex quibus infertur : 1° Posterior investigatio veritatis est solutio dubitatorum; ergo inventa de novâ veritas, non sola voluntas determinat, et à dubitationis vinculo intellectum solvit. 2° Si non est ignorantis solvere vinculum dubitationis, ergo qui adhuc ignorat veritatem, quandò utraque pars æquè apparet vera, non potest ad libitum vinculum dubitationis solvere. 3° Si dubius intellectus sit à dubio strictè ligatus, uti loquitur S. Thom., ergo non est liber, ut ex solo voluntatis imperio se eximat à vinculo dubietatis, uti neque, qui est ligatus corporaliter. 4° Si qui dubitat in viâ speculationis, non potest ad anteriora procedere, uti nec ille qui est ligatus corporaliter; ergo intellectus qui fluctuat inter duas partes contradictionis, quando sunt æquè probabiles, non potest à statu dubietatis procedere ad opinionem, quia opinio est quoddam speculari. Ubi adverte Phil. non loqui de dubio negativo, ratione cujus « intellectus « non inclinatur ad unum magis quàm ad aliud, propter « defectum moventium, » uti docet S. Th. de Verit. q. 13, art. 1; neque loquitur de dubio orto ex motivis similis et æqualis auctoritatis, sed de dubio ortum habente « ex apparenti æqualitate eorum, quæ movent ad « utramque partem, » ratione cujus intellectus « flu- « ctuat inter duas partes contradictionis, » quæ utique sunt dissimilia : ait enim : « Ampliùs autem meliùs ne- « cesse est se habere ad judicandum eum qui audivit « velut adversariorum et dubitantium omnes rationes; » ubi S. Th. : « Sicut autem in judiciis nullus potest « judicare, nisi audiat rationes utriusque partis, ita « necesse est eum qui debet audire philosophiam, me- « liùs se habere in judicando, si audierit omnes ratio- « nes quasi adversariorum dubitantium. »

Coll. Quod cùm intellectûs neutri partium potest assentiri, quando utrinque motiva sunt æqualia, multò minùs poterit opinari de parte minùs probabili, relictâ eâ quæ habet motiva probabiliora. Deinde opinari est judicare unam partem contradictionis esse veram cum solâ formidine. Rursùs, qui judicat unam contradictionis partem esse veram cum formidine, alteram eodem modo judicat esse falsam, quia ex propositionibus contradictoriis si una est vera, altera est falsa, ut ait S. Th. quod lib. 8, art. 13, et Arist. 2 de Animâ, tex. 157. Si ergo intellectus opinatur de parte minùs probabili, eam judicans esse veram cum solâ formidine, oppositam partem, quæ simpliciter probabilior et verisimilior apparet, judicabit falsam; sed quis hoc sibi in mentem inducat?

Obj. 1° cum Lacroix, n. 263 : S. Augustinus Epist. 117, c. 3, ubi disputat, an quotidiè est communicandum, pro parte negativâ adducit, quòd magis expediat se certis tantùm diebus tantò meliùs disponere; pro affirmativâ, quòd quotidiè peccemus, hinc quotidiè indigeamus medicinâ, concludit, ut faciat quisque quod piè credit faciendum; ergo agnoscit pro utràque parte manere motivum sufficiens ad operandum, et consequenter unum non elidi ab altero. — Resp. hanc auctoritatem planè nihil facere ad rem; hìc enim solùm agimus de rebus æqualibus sibi contradictoriis, ac ita inter se connexis, ut unum dicat negationem alterius, uti si verum sit, hìc et nunc hunc actum esse illicitum, verum esse non potest, quòd hìc et nunc sit licitus. Non autem agimus de rebus æqualibus disparatis, quarum utraque honesta est, ac neutra circa illas opinio exposita erroris periculo, qualis est quæstio de quotidianâ communione, an sit licita vel illicita, cujus affirmativa pars respectu unius est per se honesta ac vera, negativa respectu alterius. Audiatur S. Augustinus Epist. *mihi* 118, ad Januarium, c. 3, ubi : « Dixe- « rit quispiam, inquit, non quotidiè accipiendam « Eucharistiam, alius affirmet quotidiè : faciat unus- « quisque quod secundùm fidem suam piè credit esse « faciendum; neuter enim horum exhonorat corpus et « sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum « certatim honorare contendunt : neque enim litigave- « runt inter se, aut quispiam eorum se alteri præposuit, « Zachæus et ille centurio, cùm alter eorum gaudens « in domum suam susceperit Dominum; alter dixit : « *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*, ambo ho- « norificantes Salvatorem diverso et quasi contrario « modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam « consecuti. » Rem hanc post S. Augustinum angelicè elucidat S. Thom. in 4, dist. 12, q. 3, a. 1, in resp. ad 2, ubi : « Dicendum, inquit, quòd in hoc Sacra- « mento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet « desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit « amor, et reverentia sacramenti, quæ ad donum ti- « moris pertinet; primum quidem incitat ad frequen- « tationem hujus sacramenti quotidianam; sed se- « cundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter « cognosceret, et quotidianâ fervore communionem « amoris augeri, et reverentiam non minui, talis de- « beret quotidiè communicare. Si autem sentiret, per

« quotidianam frequentationem reverentiam minui, et « fervorem non multùm augeri, talis deberet interdùm « abstinere, ut cum majori reverentiâ et devotione « postmodùm accederet. Unde quantùm ad hoc, unus- « quisque relinquendus est judicio suo. » Ex quibus manifestum fit P. Lacroix argumentari à rebus disparatis ad res sibi contradictoriè oppositas; à rebus quarum neutra nullâ lege aut præcepto est vetita aut præcepta, ad res quarum una determinatè est licita vel illicita; ab eo quod prudenter judicari potest à diversis intellectibus, ad id quod respectu ejusdem opinantis repugnat; et sanè si quid probaret, probaret etiam, quòd sicut unus potest judicare quotidianam communionem sibi expedire, alter è contra, ita simul eumdem intellectum respectu contradictoriorum assensum et dissensum posse elicere, et sic simul stare posse probabilitatem de simultaneâ utriusque partis veritate, quod repugnat; simili vitio laborat argumentum, quo idem auctor, n. 240, probat ex eo quòd idem homo respectu meæ voluntatis possit esse amabilis propter justitiam et odibilis propter luxuriam, similiter respectu ejusdem intellectûs possint esse motiva moventia ad assensum, ac alia motiva moventia ad dissensum : quis enim non videt à rebus disparatis argumentum sumi ad res sibi contradictoriè oppositas?

Obj. 2° cum eodem cap. in Canonicis cit. : Idem S. Augustinus manifestè docet quòd motiva auctoritatis, unum propter plures numero, sed non ita graves, alterum propter graviores, sed numero pauciores se mutuò non elidant, sed maneant æqualiter fortia.— Resp. : Si maneant æqualiter fortia respectu ejusdem intellectûs ac respectu duorum sibi contradictoriorum, ergo æqualiter movebunt intellectum; ergo in quantum unum motivum in concursu sui oppositi vi suâ urget, et quantùm est de se trahit intellectum ad assensum, in tantum alterum ex actuali consideratione æqualiter urget, et non minùs trahit intellectum ad dissensum, ac consequenter vis movendi unius impedietur à vi movendi alterius, quod est elidi : ergo motiva etiam dissimilia se elidunt, ac intellectum ancipitem ac hærentem seu fluctuantem reddunt. Uti duo pondera posita in utrâque lancis parte, si æqualiter moveant, libram immotam reddunt; sanè non similitudo, sed æqualis vis movendi in utrâque lancis parte causa est quòd immota consistat libra : sicut non ex eo quòd similes sint equi in trahendo, sed ex eo quòd æquè fortiter trahant in oppositas partes, currus immotus consistit.

Ubi notandum ex Mercero in Basi totius theologiæ moralis, parte 2, art. 3, proportionem stateræ et intellectûs consistere, ut quemadmodùm non potest statera contemnere vim ponderis quod est in utrâque parte, quia naturaliter ponderat, ita intellectus non potest dissimulare vim motivi probabilis, quod naturaliter urget ex utrâque parte; ex quo sequitur aliqua proportio, ut sicut statera durante tali dispositione, scilicet æqualis gravitatis utriusque ponderis, in neutram partem præponderat, ita et intellectus manet anceps durante æqualitate probabilitatis in utrâque parte. Unde concesso stateram cum intellectu non convenire in libertate exercitii respectu motivi probabilis, quia eo posito intellectus adhuc potest suspendere assensum, tamen non est liber, ut possit contemnere ejus vim; hoc sufficit, ut motiva opposita mutuò se impediant, sicut æqualia pondera stateræ.

Obj. 3° cum eodem : Qui tentatur in fide, experitur se trahi motivis, tum ad assensum, tum ad dissensum, et licet agnoscat motivum fidei censeri majus, tamen etiam experitur se propter motivum oppositum posse motivo fidei dissentire, fierique positivè infidelem. — Resp. tentatum in fide posse motivo fidei dissentire, fierique positivè infidelem, non ex eo quòd motivum oppositum fidei vim habeat ad exprimendum assensum falso dogmati, quando concurrit cum motivo fidei fortiùs trahente ad oppositum, sed quòd non amittat vim movendi, quam in aliis circumstantiis potest exprimere.

Inst. : Talis liberè resistit tentationi; ergo potest errori præbere assensum, sicque fieri infidelis. — Resp. talem non tentari, ut assentiatur oppositis erroribus; hoc enim est impossibile stante positâ motivorum dispositione; sed ei tentator suggereret, ut suspenderet actum fidei hæsitando; non minùs enim hoc modo peccaret contra fidem; nam dubius in fide, infidelis est, ut habetur ex Gregorio de Hæreticis, c. 1.

Obj. 4°. Motivum probabile pro alterâ parte contradictionis, quæ sit in concursu partis æquè probabilis, vel etiam probabilioris, urget intellectum qui propterea naturaliter inclinat ad assensum istius partis; sed ubicumque est naturalis inclinatio alicujus potentiæ ad aliquem terminum, etiam possibilis est ille terminus, quia nulla naturalis inclinatio est frustra; ergo. Lacroix, n. 415.—Resp. 1° argumentum nimis probare : cùm enim motiva æqualia æqualiter urgeant, sequitur intellectum habere inclinationem simul ad assentiendum utrique parti, et ne hæc naturalis inclinatio sit frustra, poterit opinari simul de utrâque parte; sicque dari non tantùm simultatem duarum probabilitatum, sed etiam probabilitatem de simultaneâ utriusque partis veritate, quod manifestè repugnat, inquit Lacroix, n. 240. — Resp. 2° negando intellectum qui ab oppositis motivis urgetur, inclinare ad assensum alicujus ex dictis partibus, quia in quantum vi unius motivi trahitur ad assensum unius partis, in tantum retrahitur vi motivi oppositæ partis. Unde S. Th. loc. cit. de Verit.: « Intellectus, inquit, non inclinatur magis ad « unam quàm ad aliam, vel propter defectum moven- « tium, vel propter apparentem æqualitatem quæ mo- « vet ad utramque partem. »

Inst. : Intellectus inclinat in objectum quod apparet verum; atqui utraque contradictionis pars apparet vera, quia est probabilis. Ergo. — Resp. : Dist. maj. : Inclinat in objectum quod apparet verum simpliciter, conc.; quod ex motivo partis oppositæ æqualiter apparet falsum, neg. — Resp. 2° ad obj. : Dato quòd intellectus inclinet ad assensum, non ideò sequitur; ergo stante æqualitate motivorum poterit assentiri, uti grave, dùm sursùm detinetur, inclinat esse deorsùm, non tamen sequitur; ergo durante tali impedimento potest esse

deorsùm. Potentia loco motiva, dùm externa membra vinculis alligantur, inclinat ad ambulandum; ergo manentibus vinculis potest ambulare. Ita à pari ex eo quòd intellectus fluctuans inter duas partes contradictionis inclinat ad assensum, non sequitur quòd possit assentiri cum manente eâdem motivorum dispositione; sit quasi *ligatus passus*, uti supra ex Aristotele et D. Th. vidimus.

Obj. 5° : Experimur nos judicare, et passim legimus apud auctores quòd, postquàm conclusiones suas posuerunt, vel ut probabiliores, vel ut absolutè veras, nihilominùs sæpè fatentur oppositas etiam suo judicio esse probabiles. Ergo posito assensu directo circa unam partem contradictionis, intellectus potest reflexè judicare, alteram quoque partem esse probabilem. Lacroix, n. 241. — Resp. : Qui opinatur de unâ parte contradictionis, adhuc ejus oppositam judicat probabilem, non sibi, sed alteri; ac eatenùs judicat probabilem, quia habet tale motivum, quod, si seorsim ab aliquo intellectu apprehenderetur, qui solutiones non penetraret, aut ad opposita motiva non animadverteret, sufficeret causare opinionem, et si quis ita opinaretur, non esset temerarius, et in hoc sensu non implicat opinari de unâ parte, et simul judicare oppositam esse probabilem, prout colligitur ex dictis.

Inst. : Innocentius III, c. *Litteras* de Restitutione spoliat., relatis duabus extremis sententiis, et suam referens, de aliis dicit : « Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostrâ responsione volumus generari. » Ergo non obstante suâ sententiâ, quam utique veram judicabat, existimabat sententiam oppositam posse judicari veram. — Respondet optimè Fagnanus post butrium, id esse speciale, quando eligitur opinio media duas extremas concilians, ut facit hic Innocentius III; hoc enim ipso quòd quis duas opiniones ad concordiam revocat, nullam reprobat, et utramque in aliquo veram putat. Ratio est, quia medium non opponitur extremis, sed aliquod de utroque tenet. Innocentius itaque duas extremas sententias sapientissimè sic conciliat, ut una ad possessorium, altera ad petitorium referatur; quia illæ opiniones duobus juris textibus nitebantur, qui, ne contrarii viderentur, meritò conciliari debebant.

Obj. 6° : Voluntas ex duobus bonis æqualibus sibi propositis potest eligere alterutrum, imò relicto meliori eligere minùs bonum; ergo et intellectus ex duobus sibi æquè verisimiliter oppositis approbare alterutrum, Lacroix, n. 399. — Resp. : Nego conseq.; ideò enim voluntas ferri potest ad quodcumque bonum, quia bona inter se sub eodem genere non opponuntur, uti verum falso; unde si una pars est vera, altera est falsa; non autem ex eo quòd aliquid sit bonum, sequitur quòd aliud non sit bonum, quod æqualiter ut tale proponitur, eò quòd sint tantùm disparata; et tunc voluntas est certa, quòd si alterum ipsorum est bonum à parte rei, non repugnat alterum esse pariter tale : unde similiter concedimus, quòd intellectus de duabus opinionibus disparatis, cui voluerit, possit assentire; sed conclusio nostra est de duabus opinionibus contrariis, quarum si una est vera, altera est falsa, et probabilitas unius pugnat cum probabilitate alterius, sicque neutri potest assentiri.

Obj. 7° : Innocentius XI damnavit hanc 19 propositionem : *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium;* ergo intellectus potest à voluntate determinari, ut aliter assentiatur, quàm mereantur præcisè motiva rationum. Lacroix, n. 399. — Resp. : Nego, cons., quia propositio damnata non dicebat voluntatem efficere non posse ut assensus fidei sit magis certus, sive magis certò verus, quàm mereatur pondus rationum, quia certitudo actûs fidei divinæ semper est summa, utpote innitens summæ Dei in cognoscendo veritati et in dicendo veracitati : sed dicebat voluntatem non posse efficere, ut assensus fidei sit magis firmus quàm mereatur pondus rationum, quod voluntas præstare potest, quia ad actum fidei, cujus objectum obscurum est, ac inevidens, requirunt theologi cum S. Th. ex parte voluntatis piam motionem, quæ, quò intellectum magis ad assensum inclinat et impellit, eò magis firmus est actus fidei, sive eo firmius objecto fidei adhæret intellectus. Vide dicta n. 85.

§ 4. *An in concursu duarum opinionum contradictoriarum, quarum una probabilior stat pro lege, alia minùs probabilis stat pro hominis libertate, intellectus à voluntate determinari possit, ut assensu prudenti in minus probabilem feratur?*

Discussimus hucusque, an et qualiter ex meritis causæ in concursu duarum partium contradictionis circa unam versari possit intellectus. Vidimus quòd intellectus inter æqualia suspensus consistat, uti statera in æquilibrio posita; cui, nisi quid ponderis adjiciatur, non magis in unam quàm in aliam partem flectetur. Et quia in rebus contingentibus et futuris ex se obscuris, in quibus potissimùm opiniones exercentur, non potest intellectus per evidentiam rationum determinari, superest ut in æqualibus ad electionem per voluntatis imperium determinetur. Unde S. Thom. 1 - 2, q. 13, art. 6, ad 3 : *Nihil prohibet*, inquit, *si aliquando æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quàm in illud.* Et l. 2, q. 1, art. 4 : *Alio modo*, inquit, *assentitur intellectus alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem declinans magis in unam quàm in aliam*, cujus rationem dat de Verit. q. 14, art. 1, ubi : *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit, assentiri uni parti determinatæ propter aliquid quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non intellectum.* Hæc S. Th., quâ tamen in re semper servari debet tam respectu intellectûs quàm voluntatis debita ac proportionata moventium dispositio, ita ut potiori ratione intellectûs magis moveatur, magisque meliori bono voluntas afficiatur; si secùs fiat, ordo pervertitur; unde ait D. Th. de Verit. q. 19, art. 6 : *Semper contingit inordinatio, quando aliquid*

*movetur à non propri. motivo, sicut si voluntas movetur à delectabili sensùs, cùm debeat tantummodo moveri ab honesto.*

Quapropter dùm quæritur an in inevidentibus ac incertis intellectus per voluntatem determinari possit, ut uni determinatè ex partibus contradictionis assentiatur, necessariò distinguenda est potentia naturalis in voluntate, à potentiâ morali seu licitâ; potentia enim naturalis est contrariorum, id est, prona ac potens ad bonum et malum; potentia verò moralis est tantùm respectu eorum quæ benè, prudenter ac licitè secundùm rationem fieri possunt. Secundùm naturalem potentiam fieri potest, ut quanquàm proponantur intellectui mysteria nostræ fidei ut evidenter credibilia, seu digna, ut fide divinâ et certâ credantur, voluntas equidem propriâ malitiâ excæcata intellectum moveat, ut oculos considerationis avertat à credibilitate et veritate mysteriorum nostræ fidei, pravisque dogmatibus, ut omninò certis adhæreat. Ut pulchrè ostendit Valentia tom. 3, disp. 1, q. 1, punct. 4, ad finem, ubi : *Communiter*, inquit, *ii, qui fidem non admittunt, et malitiâ aut affectu erga se aut erga magistros suos impediuntur, quominùs possint rationes et motiva fidei perspicere; atque ita mirum non est, ut non habeant evidentiam de credibilitate fidei nostræ.* Et hanc doctrinam probat ex Apost. 2 ad Cor. 4, ubi causam infidelitatis rejicit in cæcitatem mentis : *Deus*, inquit, *hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat in eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Item confirmat testimonio sapientis, qui agens de infidelitate Judæorum circa Divinitatem inquit : *Excæcavit eos malitia eorum.* Sapientiæ 2, eodem modo, dùm quis temerè judicat de proximo ex motivis de se insufficientibus ad judicium firmum, deberet quidem intellectus judicare motiva, quibus inducitur esse levia; verùm determinatur intellectus per voluntatem, ut oculos mentis unicè conjiciat in indicia seu motiva, quæ eum inducunt ad temerè judicandum, eaque judicii temeritas secundùm S. Thom. 2 - 2, q. 60, art. 3, *contingit* vel *ex hoc, quòd aliquis ex se ipso malus est, et ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ faciliùs de aliis malum opinatur, secundùm illud Ecclesiast. :* In viâ stultus ambulans, cùm sit ipse insipiens, omnes stultos existimat. Vel *provenit ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum; cùm enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisque faciliter credit quod appetit.* Hæc et alia secundùm potentiam naturalem circa intellectum potest voluntas : verùm, dùm hìc inquirimus utrùm voluntas possit movere intellectum ad assentiendum parti contradictionis minùs probabili stanti pro libertate, relictâ probabiliori oppositâ stante pro lege, non loquimur, an voluntas id possit secundùm potentiam naturalem mali et inordinationis capacem, sed de potentiâ morali; juxta quam si moveat, rectè et secundùm regulas prudentiæ movere censeatur. Quomodò autem possit aut debeat istud fieri, seu intellectum in hujusmodi rebus determinari, ex certis prudentiæ christianæ regulis deduci debet.

Unde nota prudentiam definiri quòd sit : *Habitus verè cum ratione activus, circa ea quæ vera sunt et conformia, sin in rebus ut in se sunt, saltem per ordinem ad appetitum rectum circa finem ultimum.* Unde inter se comparari possunt ars et prudentia, quòd uti ars est recta ratio factibilium, ita et prudentia agibilium, seu rectrix actionum humanarum ad debitum finem contendentium; unde vetus illud adagium : *Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem.* Ex quo licet inferre relationem, seu respectum ad finem esse prudentiæ non minùs intrinsecum et essentialem, quàm sit proprium justitiæ reddere unicuique quod suum est; ars verò non curat de fine, sed tantùm de artefacto seu opere; unde ait S. Th. 1 - 2, q. 57, art. 3 : *Dummodò verum geometra demonstret, non refert qualiter se habeat secundùm appetitivam partem, utrùm sit lætus, vel iratus, sicut nec in artifice refert.* Quod fusiùs explicat ibidem art. 4, ubi : *Ars*, inquit, *facit solùm facultatem boni operis, quia non respicit appetitum; secùs prudentia, quæ etiam respicit usum.* Ratio fundamentalis hujus diversitatis est, quòd theoricæ virtutes intellectui solùm conferant rectè operandi facultatem secundùm proprias cujusque regulas, non verò studium, sed virtutes morales; et præcipuè prudentia, quæ facit hominem sui studiosum, eidem conferre debet rectè agendi affectum, in quo præeminet finis, qui est prima causarum, et à quâ in actibus humanis movetur causa efficiens : *Unde magis laudatur artifex*, inquit D. Th., *qui volens peccat, quàm qui peccat nolens;* magis autem contra prudentiam est, quòd aliquis peccet volens, quàm quòd nolens, quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ. Hæc autem voluntatis rectitudo fit per ordinem ad debitum finem, unde ut quis dicatur prudens in uno genere : v. gr., medicus debet de fine, scilicet sanitate præ cæteris curam habere, ac ab omninò imprudens judicabitur, si utatur medicamentis aut alimentis ad sanitatem recuperandam ac conservandam minùs aptis et efficacibus; idem dicendum de aliis professionibus, v. gr., de arte militari; nam in bello nunquàm dicetur dux prudenter disposuisse exercitum, nisi id fecerit secundùm regulas artis militaris ad victoriam reportandam (quæ est finis belli) aptiores; nec excusatur ex hoc quòd sibi persuaserit se posse secùs facere. De aliis item virtutibus non aliter est sentiendum. Etenim quia prudentia est illarum rectrix, semper finem intuetur, mediaque ad hunc consequendum aptiora eligit, fugitque à contrariis. Sic prudentia temperantiam dirigit, imperatque, v. gr., moderatè comedendum, vel propter sanitatem tanquàm finem, vel propter bonum rationis; item quatenùs prudentia est custos castitatis, ahhorret non solùm ab omni re certò malâ, quales sunt tactus et oscula, sed etiam ab omni aliâ vel probabiliter castitati periculosâ, quales sunt nimia familiaritas, colloquia, intenti mulierum aspectus : *Noli intendere in faciem virginis, ne ipsa scandalizet te.* Et sic dicendum de omnibus aliis, in quibus si sit prudentiæ locus, semper convenientiora media ad finem eliguntur. Ex quibus vides duas esse dotes prudentiæ, in quibus

vera illius essentia salvatur; 1° ex recto circa finem ultimum appetitu; 2° ex conformitate actûs ad rem verè in se sic existentem, quia, ut inquit D. Th. 1-2, q. 64, art. 3, in o : *Bonum virtutis intellectualis* (qualis secundùm essentiam est prudentia, ut docet idem S. Doctor, q. 58, art. 3, ad 1) *est verum.... verum autem intellectûs nostri absolutè consideratum est sicut mensuratum à re; res enim est mensura intellectûs nostri, ut dicitur in* 10 *Metaph.; ex eo enim quòd res est vel non est, veritas est in opinione et oratione.*

Dico : Voluntas non potest secundùm regulas prudentiæ movere intellectum, ut assentiatur parti minùs probabili stanti pro libertate relictâ magis probabili stante pro lege vel præcepto.

Probatur conclusio : Secundùm D. Th. 2-2, q. 49, art. 7, in o : « Ad prudentiam præcipuè pertinet rectè « ordinare aliquem in finem, quod non fit, inquit, nisi « et finis bonus sit, et id quod ordinatur ad finem, « sit etiam bonum et conveniens fini. » Itaque prudentia supponit appetitum rectum finis, id est, intentionem finis honesti; ejusque munus est ordinare media convenientia ad illius finis consecutionem ; et ideò Arist. 6 Eth. c. 2, dixit : « Quòd bonitas intellectûs « practici (id est, veritas, cùm finis intellectûs sit veri- « tas) est verum conforme appetitui recto; » et huic conformiter D. Th. 1-2, q. 19, art. 3, ad 3 : « Ve- « rum, inquit, intellectûs practici accipitur per con- « formitatem ad appetitum rectum, » sive, uti ait Lac. tom. 1, n. 23, « ad voluntatem benè dispositam ad « implenda omnia Dei præcepta. » Ergo ut voluntas secundùm regulas prudentiæ moveat intellectum ad assensum alicujus, motio illa oriri debet ex intentione finis honesti, seu ex voluntate benè dispositâ ad observanda omnia Dei mandata ; atqui motio, quâ voluntas intellectum movet, ad assentiendum parti minùs probabili et minùs tutæ non fit ex intentione finis honesti, et voluntate benè dispositâ ad observanda omnia mandata Dei; ergo. Prob. min.: Finis quem intendere debet Christianus est æterna felicitas, ad quem consequendum voluntas ejus disponi debet ad observanda omnia mandata Dei : atqui motio, quâ voluntas movet intellectum, ut assentiatur parti minùs tutæ et minùs probabili in concursu probabilioris et tutioris, non potest oriri ex intentione æternæ salutis procurandæ, nec à voluntate dispositâ ad implenda omnia mandata Dei; implicat enim quòd voluntas ex intentione alicujus finis moveat intellectum ad assentiendum ei in ordine ad electionem, de quo verisimilius est, quòd sit impediturum, quàm quòd inducturum vel promoturum consecutionem finis, quale est minùs tutum et minùs probabile in concursu probabilioris et tutioris, nec potest dici benè disposita voluntas in ordine ad observanda omnia mandata Dei, quæ movet intellectum, ut assentiatur ei de quo verisimilius est periculum faciendi aliquid contra legem Dei, præ illo in quo nullum est ejusmodi periculum.

Conf.: « Ad debitum finem homo convenienter dis- « ponitur per virtutem, quæ perficit partem animæ « appetitivam, cujus objectum est bonum seu finis, » S. Th. 1-2, q. 57, a. 5, in o. Ergo motio, quâ voluntas intellectum movet ad assensum alicujus debet procedere à voluntate per virtutem aliquam moralem circa finem, seu bonum istius virtutis benè dispositâ; atqui motio voluntatis in casu posito non procedit à voluntate sic dispositâ; ergo non procedit ex intentione debiti finis, qualiter deberet procedere secundùm regulas prudentiæ. Probo minorem : Vel motio in casu posito procederet à voluntate benè dispositâ per charitatem, per quam voluntas benè disponitur circa finem ultimum, qui est immediatum objectum charitatis, quæque est primum mobile omnium virtutum ; vel per aliam virtutem peculiarem, quæ pro objecto habet peculiarem bonitatem habentem rationem medii in ordine ad objectum charitatis; vel demùm ex honestate, quæ relucet in eo quòd intellectus assequatur suam bonitatem, scilicet veritatem; atqui nihil ex his dici potest; ergo. Prob. min. In tantum voluntas benè disposita per virtutem aliquam movet intellectum unam contradictionis partem præ aliâ imperando, in quantum priùs mota amat bonitatem seu honestatem talis virtutis, seu, ut loquitur S. Th. 2-2, q. 47, art. 1, ad 1 , « amor (honestatis) movet rationem ad dis- « cernendum ea quibus adjuvetur ad tendendum in « Deum, ab his quibus prudentia impediri potest. » Atqui nec amor Dei seu charitatis, nec amor honestatis seu bonitatis, quæ est objectum peculiaris virtutis, nec amor honestatis, quæ elucet in eo quòd intellectus assequatur veritatem, movere potest intellectum, ut assentiatur parti minùs verisimili et minùs tutæ, relictâ verisimiliore et tutiore. Non primum, quia certum est quòd amor Dei non moveat intellectum ad assentiendum ei de quo verisimilius est quòd offendatur Deus. Nec secundum, quia ob individuam societatem et connexionem virtutum, nullus amor honestatis particularis inducit intellectum, ut assensum præbeat ei parti de quâ verisimilius est quòd sit contraria omnium virtutum legi, quâ vetatur, ne licitam judicemus deviationem ab observantiâ talis vel talis legis; quando (pensatis omnibus) apparet nobis majus fundamentum eam illicitam judicandi, quàm licitam; nec denique oriri potest ejusmodi motio ex amore honestatis, quæ resplendet in eo quòd intellectus assequatur veritatem, quia implicat, quòd voluntas ex amore veritatis moveat ad assensum partis minùs verisimilis, cùm impossibile sit, ut ex amore assequendi veritatem se moveat intellectus ad assentiendum opinioni quæ magis est falsi, quàm verisimilis, ac proinde magis cognoscitur impedire quàm inducere ad assensum veritatis. Respondet P. Lacroix, n. 400, posito quòd intellectus à voluntate determinetur ad assentiendum parti minùs probabili, eum equidem invenire suum finem; finis enim intellectûs est veritas vel realis vel tantùm apparens, quæ reperitur etiam in falsâ parte contradictionis, pro quâ supponitur esse motivum grave. Sed contra est : finis intellectûs cognoscentis abstractivè per cognitionem naturalem non est veritas tantùm apparens, sed veritas absoluta seu conformi-

tas sui actûs cum objecto; intendit enim elicere cognitionem conformem objecto, seu ita se habentem in judicando, sicut se habet objectum inessendo, et perquam objectum ita se habeat in mente, sicut se habet à parte rei; quod constat ex D. Th. 2-2, q. 60, art. 4, ad 2, ubi cùm præmisisset aliud esse judicare de rebus, aliud de hominibus, subdit : « In judicio, in quo de « rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum « ex parte ipsius rei, de quâ judicamus, cui nihil no- « cet, qualitercumque judicemus de ipsâ, sed attenditur ibi solùm bonum judicantis, si verè judicet, « vel malum si falsò; quia verum est bonum intellectûs, falsum est malum illius ut dicitur 6 Eth. » Quodnam autem verum sit bonum intellectûs colligitur ex illatione quam immediatè facit : « Et ideò unus « quisque debet niti ad hoc ut de rebus judicet prout « sunt. Clariùs id exprimit S. doctor q. 18 de Verit. art. 6, in O, ubi : « Bonum ipsius intellectûs, inquit, « est cognitio veritatis, et ideò habitus illi, quibus in- « tellectus perficitur ad cognoscendum verum, virtutes dicuntur, ut dicitur 6 Ethic., utpote intellectûs « actum bonum reddentes... Unde semper contingit « inordinatio, quando aliquid movetur à non proprio « motivo, sicut si voluntas moveatur à delectabili sensûs, cùm debeat tantummodò moveri ab honesto, « proprium autem motivum intellectûs est verum id « quod habet infallibilem veritatem, unde quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo, « est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sive « imperfectè moveatur. » Ex quâ S. Th. doctrinâ habes 1° quòd verum, quod est intellectûs finis, sit idem quod est objectum virtutum intellectualium; atqui objectum illarum non est verum tantùm apparens; ergo; 2° quòd sicut inordinata est voluntas, dùm movetur à proprio commodo, propriâ libertate, relictâ honestate virtutis, quæ movere illam deberet, cùm illa ex motivis verisimilioribus ei proponitur, ita et inordinatus sit adeòque imprudenter judicet intellectus sequens motum inordinatum voluntatis; 3° finem seu bonum intellectûs esse id quod habet infallibilem veritatem, qualem profectò non habet verum tantùm apparens. Assertio proinde P. Lacroix est contra philos. et S. Th.; est etiam contra communem omnium sensum, quia omnes ut malum reputant decipi, sive de rebus aliter quàm sunt judicare : « Et in eo falli nolunt, etiam « quicumque amant fallere, » ait S. August. Enchirid. c. 10. Pars igitur falsa contradictionis apparenter vera, non est bonum seu finis et objectum intellectûs, ac motivum cui innititur non est grave et prudens; non enim potest esse grave seu justum motivum judicandi operationem esse honestam, quando judicans habet et cognoscit se habere majus et fortius motivum judicandi eam inhonestam, quia non est comparativè justum seu grave, quo non solùm non habet pondus æquale, sed adeò deficit ab æqualitate, ut à motivo contrario superetur, et longè superetur; nec tunc est justum secundùm illud judicare, quia justum non est ferre judicium non secundùm, sed contra meritum causæ, ac ex solo voluntatis arbitrio de veritate ferre sententiam. Quibus rationibus convictus Esparsa in Appendice, a. 112, 123, 124, 151 et 152, fatetur illicitum esse usum opinionis minùs probabilis de licito, dùm opinio de illicito apparet manifestè probabilior, quod est fateri illicitum esse usum opinionis de licito simpliciter minùs probabilis, quia opinio de licito non censetur simpliciter minùs probabilis, quando dubium et incertum est, an sit vel non sit talis, sed solùm ea quæ certò est talis; dùm enim quæritur de viribus alicujus rei, illa vis rei tribuenda est, quæ illi rei convenit, quam certò constat esse talem, ac inde de eâ statui debet regula ac proferri judicium. Imò ipsemet Terillus probabilistarum hujus temporis facilè princeps, quæst. 22, de Consc. n. 3 : « Qui absolutè, inquit, credit aliquid esse licitum, eo ipso fertur in « illud, ut in partem prævalentem » probabiliorem et unicè veram. Itaque in hoc casu dicimus, eum non « aliter posse licitè sectari partem minùs tutam, quàm « si ex vi motivi, quod in actu primo ante affectum « uni parti alligatum vel non excedebat, vel non « æquabat motivum oppositum per imperium voluntatis in actu secundo feratur in illud, ut in motivum unicè verum, et multò prævalens motivo oppo- « sito. » Hæc Terillus. Cujus quidem doctrina vera est 1° quoad hoc quòd dicat nemini licere sequi sententiam minùs tutam, nisi eam in actu secundo et absolutè veram judicet; quod enim intellectus nequit approbare ut verum, hoc voluntas nequit amplecti ut honestum. 2° Vera est Terilli doctrina quoad hoc quòd dicat judicium hoc absolutum de veritate sententiæ formari non posse, nisi motiva ejus in actu secundo videantur verisimiliora; nequit enim intellectus approbare ut verum in iis, quæ sunt incerta ac inevidentia, nisi hìc et nunc, pensatis omnibus, magis ad veritatem quàm ad falsitatem accedere existimet; cæterùm capere ego ne queo, quomodò intellectus, qui ante affectum voluntatis uni alligatus partem de illicito evidenter verisimiliorem existimabat, per imperium voluntatis moveri queat, ut prudenter assentiatur parti minùs verisimili de licito, et quomodò ex solo affectu voluntatis, nullo adveniente (ut supponitur) rationum pondere reddatur verisimilior. Affectus namque et inclinatio voluntatis erga partem minùs tutam et minùs probabilem in tantum facit, ut motiva ipsius appareant fortiora et urgentiora, in quantum facit, ut intellectus magis ponderet fundamenta istius quàm oppositæ partis, excogitetque novas et novas rationes in favorem ipsius, ac avertatur ab excogitandis novis rationibus pro parte oppositâ, nec nisi leviter inspiciat fundamenta ipsius; in quo et imprudenter agit voluntas imperando, et intellectus secundùm affectum voluntatis judicando; ut enim voluntas sit in imperando prudens et rationalis, debet sequi, non antecedere ductum rationis dirigentis; ratio quippe data est voluntati, ut lux, dux et regula, cujus est prælucere, ducere et dirigere, non subsequi ductum voluntatis; atqui voluntas non subsequitur, sed antecedit directionem intellectûs, dùm ei imperat, relicto verisimiliori, judicare secundùm falsi similius cognitum ut tale, quod

est contra dictamen rationis, quæ dictat, quòd, cùm intellectus naturâ suâ tendat in verum, velut in finem, scopum et centrum suum, voluntas ipsum retrahere non debeat à proximiori quàm potest, accessu ad veritatem, ut ipsum conjiciat in proximum probabilius periculum falsitatis. Ut enim ex Philos. 1 Eth. 4, dicitur : « Veritas est quid divinum, propter quod sa- « piens et prudens voluntas debet et sua destruere, et « affectus suos potiùs deponere quàm intellectum à « veritate avertere. » Quod facere censetur, dùm avertit ipsum à proximo quàm potest ad veritatem accessu, et potiùs accedere facit ad falsitatem, quàm ad veritatem; hoc autem facit, dùm ex industriâ avertit ipsum à consideratione motivorum opinionis de illicito (quæ antecedenter ad affectum voluntatis ritè considerata et comparata cum motivis opinionis de licito, longè urgentiora ac verisimiliora videbantur), ad unicè consideranda motiva opinionis de licito, ut sic opinio de licito (cui afficitur voluntas) jam appareat probabilior, quæ antea minùs probabilis apparebat, jamque illi intellectus assentiat, cui antecedenter ob motiva in contrarium urgentiora assentiri non poterat. Igitur imprudens et irrationabilis est tam assensus istius opinionis, quàm imperium, quo voluntas illum imperat, siquidem, ut ait Arnobius lib. 4 cont. Gent., *cùm homines utrinque, et qui hæc et illa commentati sunt, fuerint, et de rebus incertis, ab utràque parte sit disputatum, non prudentis, sed arrogantis est dicere, id quod tibi placeat esse verum; quod verò animum lædit, falsitatis arguere.* Vitiosumque dicit Bernardus l. 3 de Consid., *velut rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere, nec judicio agi, sed appetitu.* Vera quoque est sententia Senecæ : *Perit omne judicium, cùm res transierit in affectum.* Respondet P. La Croix, n. 416, præter motivum ex parte intellectûs, etiam ex parte voluntatis esse motiva sufficientia, quibus intellectus à voluntate in casu posito determinari possit ad prudentem assensum parti contradictionis minùs verisimili, minùsque tutæ. Motiva autem sunt, *ut sibi vel aliis non inferat nimis gravem molestiam, ut servet conscientiæ suæ libertatem, ut ostendat suave esse Christi jugum, etc.* Hæc Lacroix. Ex quibus tandem colligitur, ex quâ intentione voluntas opinionem minùs probabilem de licito præferat opinioni magis probabili de illicito; cùm enim id facere nequeat ex amore veritatis, nec ex amore charitatis vel alterius virtutis, nil aliud superest, quàm amor proprius, quo ductus (relictâ veritate, relictâ virtutum honestate, quibus verisimiliùs repugnat opinio, ad quam determinat), refugit sibi vel aliis inferre molestiam, præfert exercitium libertatis, etc., sicque ex solo se determinat arbitrio, non ex rationum pondere.

Expendamus singula per casus singulos. Sitque casus 1 : Dubitas an hìc et nunc obligeris ad jejunium : consulis doctores, qui in diversas abeunt sententias; librato auctoritatum rationumque pondere verisimilius tibi videtur, quòd tenearis lege jejunii, per quod non tollitur, sed augetur circa jejunii obligationem formido. Quid hìc facto opus, ut prudens judicium de exemptione tuâ à lege jejunii formes, aut formare valeas? — Respondet probabilista : Solus affectus voluntatis ad opinionem etiam minùs verisimiliter te eximentem à lege jejunii sufficit, ut à dubietatis vinculo te exsolvat; eo ipso quippe quo ad hanc partem afficeris ex eo quòd observantiæ jejunii gravem molestiam inesse agnoscas, prudenter moveri potest intellectus, ut huic tantùm parti assensum præbeas; sed qualis sit hic amor discernens, quæ prudentia intellectum dirigens, judicet veritatis et æquitatis amans lector ex iis quæ toto hoc § diximus.

Sit casus 2, quo dubitanti, an licitum sit venari in die festo, verisimilius est non licere; hic ex affectu voluntatis ad propriam libertatem determinabitur, ut judicet sibi licere venari; itaque ex libertate physicâ seu naturali, et potestate quam habet voluntas inclinandi mentem, in quamcumque opinionem voluerit, sive opiniones illæ inter se pugnantes sint æquales, sive magis aut minùs probabiles, rectè infertur, quòd voluntas ex amore propriæ libertatis determinare queat intellectum ad prudentem assensum parti minùs verisimili faventi hominis libertati, ubi tamen si amor divinæ legis seu honestatis discerneret, judicaret intellectus secundùm causæ merita, eam esse divinæ legi difformem seu illicitam; qualis iterùm hìc prudentia intellectum dirigat, intelligere renuunt libertini, dùm oculos considerationis avertunt ab iis quæ libertati sunt contraria, ac considerant solùm ea quæ illam fovent ac nutriunt, quasi inconsideratio illa ad motiva verisimiliora pro illicito militantia à culpâ immunis foret; alia est profectò mens S. Th. 2-2, q. 53, art. 4, in O, ubi : « Consideratio, inquit, est actus intellectûs « intuentis veritatem rei, et ad eumdem intellec- « tum pertinet judicium de re; per hoc enim distin- « guitur intellectus à ratione, quia ad rationem perti- « net inquisitio, et ad intellectum pertinet judi- « cium..... ad intellectum igitur pertinet re- « ctum judicium ferre; quod tamen efficere non po- « test, nisi præcedente consideratione de veritate rei, « de quâ debet ferre judicium; » unde patet, quòd consideratio maximè pertinet ad rectitudinem judicii. « Ex quo evidenter sequitur, quòd defectus recti ju- « dicii ad inconsiderationem pertineat, prout scilicet « in rectè judicando deficit ex hoc, quòd contemnit vel « negligit attendere ea ex quibus rectum judicium pro- « cedit. Unde manifestum est, concludit S. Doctor, « quòd inconsideratio sit peccatum; » idque vel maximè in casu posito, quo inconsideratio nihil aliud est quàm voluntaria suspensio considerationis motivorum magis ad veritatem impellentium, et ab oppositâ opinione, quâ veritati ac honestati evidenter magis contrariâ retrahentium, nisi hæreticorum inconsiderationem à peccato excusare velis, dùm ex affectu ad libertatem, vel ut servent conscientiæ suæ libertatem, mentem avertunt à consideratione credibilitatis mysteriorum fidei, solùm considerantes motiva suæ doctrinæ, cui propterea inhærere pergunt. Ex quibus tandem vides, quòd judicium, quod in casu posito formatur de licitâ venatione in die festo, provenat tam ab affectu

inordinato ad libertatem, seu exercitium libertatis propriæ (semper enim contingit inordinatio inquit S. Th. sup. cit. de Verit.) « quando aliquid movetur à motivo « non proprio, sicut dùm voluntas movetur à delectabili sensûs, cùm tantùm debeat moveri ab honesto, » tum ex inconsideratione peccaminosâ motivorum; quapropter si in judicio ita formato cujusdam sit prudentiæ directio, non alterius profectò erit, quàm prudentiæ carnis, in quantum per eam, secundùm doctrinam S. Th., q. 54, art. 1, ad 3, *res mundi* (exercitium libertatis in venatione exercendum) *propter carnem appetimus*.

Sit casus 3 : Dubitas an tenearis in quadragesimâ abstinere à comestione carnium, eò quòd timeas ne pisces sint noxii sanitati; consulis proinde duos medicos, quos peritos et probos judicas; hi ambo asserunt comestionem piscium nocituram sanitati; alii quatuor desuper consulti, quos magis peritos probioresque existimas unanimiter asseverant, pisces minimè nocivos sanitati, adeòque nihil esse quod te ab obligatione abstinendi à carnibus deobligare queat. Hæres proinde utriusque partis sibi contradicentis rationes ponderans, magisque juxta causæ merita inclinaris, ut judices inhibitum tibi carnium esum; sed quid hæres? Probabilistam consule : suggeret ille medium à prudenti te formidine extricandi. Motivum prudens est ex parte intellectûs, auctoritas simul et rationes duorum medicorum, quæ quanquàm ab auctoritate quatuor medicorum magis peritorum, eorumque validioribus rationibus impugnentur, prudentia equidem esse non desinunt, eò quòd duos viros in arte peritos et probos moveant, ac quamvis contrariæ partis rationes tibi videantur urgentiores, te tamen non convincunt, adeòque locus superest determinationi voluntatis, ex cujus parte non desunt motiva movendi intellectum, ut parti minùs verisimili assentiaris ut scilicet « tibi non inferas « gravem molestiam, ut serves conscientiæ tuæ libertatem, ut ostendas suave esse Christi jugum. » Ecce tibi tria, quorum vel unum sufficeret ad imperandum prudentem assensum parti minùs verisimili, carni ac libertati tuæ faventi. Quod igitur rationes nequeunt, affectus voluntatis potest. Dùm è contra tota clamat antiquitas dubietatem pro solâ voluntate irreprehensibiliter deponi non posse, sed solùm ex motivo homini sincerè veritatem quærenti magis probabiliter suadente veritatem quàm falsitatem, vincente proinde rationem dubitandi. Nam, ut optimè Cajet. verbo *Opinio*, æmulatores opinionum reprehensibiles habentur, dùm opinio ipsorum est voluntaria. Nam « in omni genere scibilium (opinio) voluntaria est illicita, quia non ex eo, quòd magis placet, sed eo « quòd rationabilior est; non ex voluntate, sed ratione amplectenda est opinio. » Imprudens igitur est judicium, quod formatur pro affectu, per quem fit, ut motiva partis magis verisimilis, quæ favet legi, et est contraria libertati (cui proinde distorta voluntas non afficitur) jam non considerentur, vel minùs considerentur, quàm motiva partis quæ transiit in affectum. S. August. lib. 19 de Civit. c. 24, inquirit, « quid illa virtus, inquiens, « quæ prudentia dicitur? nonne totâ vigilantiâ suâ bona « discernit à malis, ut illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat! » Imprudenter igitur secundùm Augustinum procedit intellectus, qui ex ductu voluntatis judicat licitum, quod pro priori ad affectum voluntatis videbatur probabiliùs illicitum; quia totâ vigilantiâ suâ non cavet errorem, nec bona discernit à malis, dùm probabilioris erroris periculo se exponit, illud, quod probabilius malum est, bonum judicando; et ideò lib. 22 de Verit. c. 23, graviter monet, « solicitè excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat; « ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus « erroris offundant; ne quod bonum est, malum, aut « quod malum est, bonum esse credatur..... nè in ea « quæ agenda non sunt, cupido præcipitet. » Cur sic excubare debemus? quia ut ait serm. 12 de Temp., « voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit, et « quod malum est bonum, et bono proximum esse « suadet. » Quisquis verò judicat opinionem minùs probabilem de licito esse veram, aut eam eligit, cognoscens probabiliorem de illicito, minùs profectò instanter veritatem quærit, nec ei inveniendæ tantùm quantùm potest et debet, dat operam, nec sollicitè excubat, ne opinio verisimilis fallat; imò falli vult et in illicitâ cupiditate præcipitatur, cùm opinioni probabiliùs falsæ in ordine ad electionem non assentiatur amore veritatis, sed suæ libertatis, cujus proinde amor et voluntatis propensio auctoritatem seu probabilitatem vitiis seu illicitis quærit, dùm id quod illicitum est, licitum esse suadet. Quod autem affertur de suavitate jugi Christi à La Croix et aliis probabilistis : « Fit injuria divinæ « gratiæ, quam habemus per Christum, ait Mercorus, « reducere facilitatem observandi divina mandata et « ferendi Christi jugum in usum probabilitatum, et « non potius in ipsam gratiam Spiritûs sancti, per « quem diffunditur charitas in cordibus nostris; siquidem, ut S. Th. 1-2, q. 48 et 89, a. 1, ad 3, suavitas « jugi Christi oritur ex charitate et gratiâ Christi illud « emolliente; » et S. Aug. Serm. 47 de Divers.: « *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve;* quid « quid enim durum est in præceptis, ut sit leve charitas facit. » Vel dicendum cum Boudart, jugum Christi ita esse suave, ut tamen adhuc sit jugum, de cujus ratione est, quòd cervicem aliqualiter premat, ne homo quasi jumentum effrene erecto colle à recto exorbitet. Cætera motiva ex parte voluntatis se tenentia inferiùs suis locis commodiùs discutiemus.

Dices : Homines probi, qui malas suspiciones fugiunt, etiamsi majora motiva habeant pro asserendâ improbitate proximi, attamen per voluntatem determinant intellectum, ut quamdiù certò non probatur esse improbus, judicent esse probum, sicque interpretantur omnia in bonam partem, inquit S. Th. 2-2, q. 60, art. 4. Ergo quamvis motiva ex unâ parte sint probabiliora, potest intellectus per voluntatem prudenter applicari ad assentiendum parti minùs probabili. Lacroix, n. 415; Terill. in Reg. q. 55, à n. 36. — Resp. : Dist. consequens : Ergo potest intellectus prudenter applicari ad assentiendum parti minùs probabili

in judicio quod formatur de personis, concedo; quod formatur de rebus, nego. Explicatur ex S. Th. loco à P. La Croix cit. in quo quærit, « utrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda? » et resolvit « quòd dubia indicia de malitiâ alterius semper sint in meliorem partem interpretanda. » Rationem hujus dat in corp. quia, « hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de aliquo, injuriatur ei, et contemnit ipsum; nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causâ cogente. Et ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est. » Unde major probabilitas de malitiâ seu delicto non sufficit, ut proximus judicetur malus, seu commisisse delictum, quia non est causa cogens. Rationem autem disparitatis inter judicium de personis et de rebus adfert S. doctor ibid. ad 1, ubi : « Dicendum, inquit, quòd aliud est judicare de rebus, aliud de hominibus; in judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei, de quâ judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsâ, sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si verè judicet, vel malum, si falsò, quia verum est bonum intellectûs, falsum autem malum ipsius, ut dicitur in 6 Ethic. Et ideò unusquisque niti debet ad hoc, quòd de rebus judicet, secundùm quod sunt. Sed in judicio, quo judicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum vel malum ex parte ejus, de quo judicatur, qui in hoc ipso honorabilis habetur, quòd bonus judicetur; et contemptibilis, si judicetur malus. Et ideò ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio, quòd hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. Ipsi autem homini judicanti, falsum judicium, quo benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectûs ipsius (sicut nec ad ejus perfectionem pertinet, secundùm se cognoscere veritatem singulorum contingentium), sed magis pertinet ad bonum affectum. » Ex quibus S. Th. verbis rectè infert Gon. dissert. 10, § 11, n. 56, quòd quamvis periculum sit, quòd homo fallatur, dùm judicat proximum suum esse bonum, de quo verisimilius est esse malum, hoc periculum contemni debet ad evitandum aliud majus, cùm ratio dictet, ex duobus malis minus esse eligendum. Dùm enim sumus in dubio, an proximus sit malus, seu an hoc vel illud crimen commiserit, sumus in periculo erroris vel injustitiæ; erroris quidem in non pertinentibus ad perfectionem essentialem nec principalem intellectûs, scilicet in singularibus contingentibus uti loquitur S. Th. Rursùs in periculo vel habendi nocentem pro innocente, vel è contra, in hoc autem periculo minus malum et tutior pars est falli, et nocentem fortè habere pro innocente, quàm injuriam facere alteri habendo innocentem pro nocente et criminoso; et ideò quamvis in melius interpretans fortè fallatur, tamen, ut ait D. Th. eo art. 4 ad 1, « melius est quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rariùs fallatur habens malam opinionem de aliquo bono homine, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo. » Alia itaque est ratio in judicio ferendo de personis, habendo illas pro bonis vel malis, ac in judicio ferendo de rebus an sint veræ vel falsæ : in hoc enim potest voluntas prudenter imperare assensum de parte illâ quæ post diligentem veritatis inquisitionem apparet absolutè et simpliciter verisimilior, nec potest prudenter imperare assensum de parte minùs verisimili; uti dùm quæritur an aliquis contractus sit illicitus vel honestus, agitur de rebus, an sint veræ vel falsæ; ideòque si post diligentem inquisitionem veritatis probabilius appareat, quòd contractus sit honestus, potest voluntas prudenter imperare intellectui, ut judicet eum esse honestum, quia tunc solum attenditur bonum vel malum judicantis, bonum autem ejus est non falli, in judicando de contractu, an sit licitus vel illicitus. E contra in judicio de personis, quia, ut diximus, proximus habet jus, ne judicetur malus, nisi probationes malitiæ sint convincentes propter evidentiam indiciorum; in casu quo probabilius est, proximum commisisse crimen, saltem tenetur tunc quispiam suspendere assensum, et externè se gerere cum proximo, ac si nullam habuisset notitiam de crimine illius; sicque dubium de militiâ proximi interpretari in bonam partem.

Colliges ex hucusque dictis, imprudens quoque esse judicium, quo in concursu duarum opinionum sibi contradictoriarum intellectus determinatus per voluntatem ex motivo, ut « sibi vel aliis non inferat nimis gravem molestiam, ut exerceat libertatem, » etc., judicat opinionem æquè probabilem faventem libertati esse veram. Cùm enim, juxta S. Th. cit. 2-2, q. 47, art. 1 ad 1, prudentia in tantum dicatur amor, in quantum « amor honestatis movet rationem ad discernendum ea quibus prudentia impediri potest, » nullusque hìc sit assignabilis honestatis amor, qui intellectum moveat, quin potiùs solus amor proprius seu cupiditas ad prudentiam carnis pertinens intellectum moveat ad præferendum id in quo subest inhonestatis periculum, relicto eo in quo nullum est ejusmodi periculum, sequitur manifestè nec voluntatem secundùm prudentiæ leges determinare, neque intellectum voluntatis determinationem sequi.

Dices : Ponamus S. Hieronymum et S. Augustinum esse paris apud me auctoritatis et sibi contradicere in aliquâ opinione, auctoritas S. Hieronymi faciet, ut in opinione ejus sit apparentia veritatis sufficiens ad determinationem mei intellectûs, saltem accedente piâ affectione voluntatis erga S. Hieronymum, et similiter auctoritas S. Augustini. Ergo. Lacroix, n. 400. — Resp. : In illo casu intellectum neutri opinioni posse prudenter assentiri; cùm enim constet et Augustini et Hieronymi opinionem simul non posse esse veram, sed alteram necessariò esse falsam, ac utrinque supponatur æqualis auctoritas movens, suspensus hæret intellectus, non quia magni non facit auctoritatem, v. g., S. Augustini, sed quia et ipsius, et S. Hieronymi auctoritatem contrarium asserentis æqualiter æstimat :

« Hinc reverentia erga S. Augustinum postulat (in-« quit Gon. Dissert. 7, § 7, n. 48), ne assentiatur « Hieronymo ei contradicenti, et reverentia erga Hiero-« nymum, ne assentiatur Augustino oppositum opi-« nanti; et reverentia erga utrumque postulat, ut om-« ninò suspendat assensum. Si enim quis amplectatur « sententiam Augustini, judicat opinionem Hieronymi « esse falsam, illiusque auctoritatem quoad hanc asser-« tionem contemnit: è contra verò, si adhæreat opi-« nioni Hieronymi, contemnit auctoritatem Augustini; « dùm autem suspendit judicium, utrumque æqualiter « reveretur. » Quòd si in hoc casu, ex motivo, ut evi-tet damnum temporale, ut sibi non inferat gravem molestiam, ut conservet conscientiæ libertatem, ut procuret notabile lucrum secundùm principia Lacroix voluntas intellectum inflectat, ut assentiatur opinioni Hieronymi faventi libertati, tunc non pia affectio erga S. Hieronymum, sed inordinatus affectus voluntatis erga commodum aliquod temporale ac terrenum de-terminabit intellectum, ut illi parti assensum præbeat. Neque hoc aliter secundùm regulas prudentiæ fieri po-test, nisi agnoscat notabilem aliquam prærogativam sanctitatis et doctrinæ seu scientiæ circa materiam, de quâ tractatur in Hieronymo potiùs quàm Augu-stino.

§. 4. *An aliquis possit licitè sequi sententiam minùs tu-tam seu faventem libertati adversùs legem, quin priùs judicet esse veram?*

Quæstio hìc est an, v. g., ad hoc, ut me licitè resolvam ad pingendum die festo, necesse sit me judi-care, quòd pingere non sit servile; an verò è contra satis sit, quòd sciam, et tantùm reflexè judicem, pro-babile esse, quòd pingere die festo non sit servile? in quâ quidem quæstione et ipsi probabilitatis patroni sunt divisi; sententiam enim affirmativam tenent Car-den, Terill. in Reg. (qui tamen in tom. de Consc. prob. q. 22, n. 1, contrarium tenuit) Lacroix. Negativæ subscribunt Laym. Castrop. Corn. Joannes à S. Th. aliique cit. apud Gon. Dissert. 8, n. 14; antequam au-tem concludam, quid in hâc parte sentiam, necessa-rium duxi fundamenta sententiæ affirmantis adducere, quibus discussis constabit lectori, conscientiam ethicè rectam ex solâ ad probabilitatem reflexione formari non posse. Rationem igitur à priori hujus sententiæ adfert Lacroix n. 387, ex P. Esparsâ his verbis « Quia motivum intellectûs ad opinandum est idem, « et cognoscitur æqualiter, dùm sumus in actu primo « opinandi, et cùm jam opinamur de facto; opinamur « enim ex eodem motivo, quo constituimur potentes « opinari, nec cognoscimus illud magis, dùm opina-« mur actu, quàm jam præcognosceretur ab opinatu-« ris; » infero, inquit Lacroix, ergo sive eliciam actum opinionis, sive non, idem æquivalenter est ex parte intellectûs. « Necesse igitur est, ut discrimen « inter opinandum et opinantem revocetur tanquàm « ad primam radicem ad actum voluntatis, quo præ-« eligitur, præamatur opinio, in quam erumpimus de « facto. » Hoc autem semper est, prosequitur Lacroix, in potestate voluntatis, ergo sive eliciam actu opinio-nem, sive non, nihil facit ad rem. Hoc autem judicium reflexum sufficienter practicè et virtualiter habet ex P. Lacroix, n. 308, hoc ipso, quo scit se operari se-cundùm sententiam probabilem.

Dico: Ex judicio in sensu P. Lacroix supra proba-bilitatem sententiæ benignæ reflexo non potest for-mari conscientia ethicè recta requisita ad honestatem actûs, sed præter hoc requiritur judicium prudens di-rectum de rei veritate. — Probatur prima pars: Si pro-babilitas reflexa excluderet periculum peccati, nullus unquàm peccaret, aut operaretur ex conscientiâ dubiâ, ortâ ex eo quòd pro utrâque parte contradictionis sint opiniones probabiles; consequens est contra communem opinionem theologorum; ergo. Probatur maj.: Si satis sit reflecti supra cujusque partis probabilitatem ad evi-tanda peccata dubiæ conscientiæ, cùm ea reflexio sit in promptu et arbitraria, nemo nisi ineptus et impru-dens laborabit aut peccabit conscientiâ dubiâ, cùm remedium sit ad manum, non minùs tutum quàm fa-cile; imò omnis ex contrarietate opinionum dubitans, eo ipso, quo scit sententiam esse probabilem, virtua-liter habet omnia ad rectitudinem conscientiæ requi-sita, si fides adhibenda sit adversariis.

Conf. 1° S. Th. quodl. 8, art. 13, de habente plures præbendas inquit: « Si quis in quamdam dubitationem « (circa polygamiam beneficiorum) inducitur ex con-« trarietate opinionum (quæ sibi videntur æquè pro-« babiles), et sic si manente tali dubitatione (id est, « apparentiâ æqualis probabilitatis), plures præben-« das habet, periculo se committit, et sic procul dubio « peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, « quàm æternam salutem. » Atqui secundùm principia adversariorum talis periculo se non committeret, nec consequenter peccaret. Ergo. Probatur min.: Ubi vo-luntas intellectum prudenter determinat, ut parti be-nignæ de retentione plurium præbendarum pruden-tem assensum præbeat, non est periculum peccati in retentione plurium præbendarum; atqui in casu po-sito voluntas taliter intellectum determinat, cùm, juxta principia P. Lacroix, n. 416, ex parte objecti adsit motivum grave, quo moti sunt plures graves magistri, qui parti benignæ adhæserunt; ex parte voluntatis etiam sint motiva sufficientia, nempe, « ut sibi vel aliis « non inferat nimis gravem molestiam, ut servet con-« scientiæ libertatem, ut ostendat suave esse Christi « jugum (in sequelâ partis benignæ); ipsum commo-dum vel incommodum notabile vicem et pondus ratio-« nis habet. » Neque requiritur, ut formet judicium reflexum de veritate suæ opinionis, sed sufficit judi cium de probabilitate, quod semper habet, quando scit, sententiam quam sequitur esse probabilem; dummodò *igitur adsit actus voluntatis quo præeligitur, præamatur, ac imperatur opinio* (de licitâ retentione plurium) *in quam erumpimus de facto;* adsunt omnia, quibus super-veniunt ea quæ requiruntur pro formando ultimo dic-tamine practico. Atqui in casu posito retinens plures præbendas cognoscit se operari ex motivo, quo mo-ventur prudentes magistri, quod secundùm doctrinam

adversariorum non elidlitur per motivum æquè urgens pro parte oppositâ; deinde est in actu primo opinandi, uti non minùs manifestè constat, neque deest actus voluntatis, quo præeligitur, præamatur ac imperatur opinio de licitâ retentione plurium præbendarum ex amore lucri temporalis (quod vicem et pondus rationis habet), in quam erumpit de facto. Ergo *habebit virtualiter, et sufficienter formabit sibi hoc dictamen practicè judicando sibi hìc et nunc licere* retentionem plurium præbendarum. Lacroix, n. 308. Virtualiter igitur sic discurrit: *Quamvis sit et maneat tantùm probabile* (quòd retinere plures præbendas) *sit illicitum, tamen quia etiam probabile est esse licitum, lex prohibens* (retinere plures præbendas) *non est certa, nec nobis satis promulgata, hinc eam invincibiliter ignoro, et ideò contra eam certò possidet libertas mea, maximè cùm probabilius sit licere sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori; ergo hìc et nunc prudenter judico mihi licere* retinere plures præbendas. Lacroix, n. 312. Ex quibus adversariorum principiis vides, nunquàm posse dare casum, ut quis operetur ex conscientiâ positivè et propriè dubiâ; dubium enim positivum et proprium formale solùm tunc est, quando rationes probabiles utrinque pugnant, uti probatum est, n. 99, ex S. Th. ac aliis auctoribus classicis; nam quando pro unâ parte sunt rationes probabiles, seu in casu probabilitatis quietæ, de quâ n. 93, intellectus non est dubius; credit enim veram hanc partem, quam judicat probabilem, et oppositam contemnit tanquàm improbabilem et falsam; non ergo datur conscientia dubia, nisi quando motiva ex utrâque parte sunt probabilia: atqui secundùm principia P. Lacroix eo ipso, quo sequitur opinionem, quam cognoscit probabilem, non operatur ex conscientiâ dubiâ: ergo nunquàm operabitur quispiam ex conscientiâ dubiâ, quod utinam verum esset. Deinde falsum est, quod assumunt adversarii, scilicet intellectum in dubio ex imperio voluntatis prudenter posse determinari ad assentiendum parti minùs tutæ, uti constat ex dictis § 4.

Conf. 2°: Qui dubitat ob contrarietatem rationum probabilium, periculosè se determinaret; ergo, si operaretur cum tali determinatione, peccaret. Probatur Ans. ex S. Th. quodl. 9, artic. 15, ubi dicit, *quæstionem de pluribus præbendis absque dispensatione periculosè determinari*, quia ambigua est, dùm *theologi theologis, et juristæ juristis inveniantur contraria sentire*, et hoc absque dubio ob probabilitatem rationum ex utrâque parte; ergo dubius ex contrarietate opinionum periculosè se determinaret.

Probatur secunda pars ex Esparsâ, Terillo et Castrop.; ex primo quidem in Append. art. 140, ubi, *quia nemo*, inquit, *potest, uti opinione, quam non habet, unde ut quis utatur opinione asserente aliquid esse licitum, eamque in praxi sequatur, debet priùs illam facere suam per assensum.* Ex Terillo tom. de Consc. prob. q. 22, n. 1, ubi tanquàm principium statuit, ad rectè operandum non sufficere, quòd quis sciat sententiam benignam esse probabilem, imò probabiliorem oppositâ. *Nam stante toto illo*, inquit, *omne absolutum judicium de rei veritate suspendi, et homo dubitare potest, an sit licita, necne? jam si quis in tali dubio sectetur minùs tutam, indubitanter peccabit, non obstante majori probabilitate partis quam sequitur; ut ergo excusetur, debet formare judicium, quo absolutè credat opus illud esse licitum.* Nam, ut inquit Castrop. p. 1, disp. 2, punto 2, n. 4: *Potes judicare tuam opinionem esse probabiliorem alterâ, et alteram esse probabilem; at hoc judicium nec dirigit opus se solo, neque est judicium probabile, de quo loquimur, sed est judicium evidens: evidenter enim judicas tibi probabiliùs apparere: te, v. gr., obligatum esse ad restitutionem, et aliorum sententiam deobligantem probabilem apparere; quòd autem insufficiens sit ad regulandam actionem probo,* subjungit Castrop.; *nam si probabiliùs judicabas te esse obligatum restituere, ut ab hâc obligatione eximaris, debes judicare te non esse obligatum; non enim sufficit, si judices alios sentire te non esse obligatum, nisi tu sentias te obligatum non esse; aliàs contra propriam conscientiam faceres ex aliorum opinione operando.* Hæc Castrop.; hancque doctrinam Navarrus in manuali c. 27, n. 288, ut principium statuit his verbis: *Judex, consultor, aut agens, qui de re dubiâ judicaturus, consulturus aut facturus est aliquid, antequàm id faciat, debet, ut non peccet, expellere ex animo illam dubietatem, et credere, aut certè opinari opinionem dicto modo electam esse veram, et secundùm eam debere in eo casu judicare, quia si priusquàm id faceret, judicaret, consuleret, aut faceret, peccaret contraveniendo conscientiæ dubiæ.*

Confirmatur: Non potest certò assentiri intellectus propositioni particulari: *Mihi possidenti plures præbendas licet hìc et nunc illas retinere*, si dubia tantùm sit et probabilis propositio universalis: *Licitum est possidenti plures præbendas illas retinere.* Nec satis est, quod respondent Bardi et Lacroix, illam certitudinem moralem constare propositione singulari, dummodò intellectus certò judicet propositionem universalem non carere probabilitate; laborat enim responsio æquivocatione, quam n. 95, ex Lugone contra Sanch. detexímus. Aliud enim est censere utramque partem probabilem, cum quâ stat dubium de utrâque, aliud est adhærere alteri parti probabiliter, quo solvitur dubii animi suspensio; ergo judicium de probabilitate utriusque vel alterius partis non potest conferre certitudinem moralem necessariam ad honestatem operationis. Aliud item est (uti etiam alibi notavimus, et sapienter monet N. Corneio in 1-2, tract. 8, circa quæst. 19, dubio 3, n. 4); *aliud*, inquam, *est, quòd opinio sit* (objectivè) *probabilis, et aliud quòd sit probabilis* (subjectivè), *respectu ipsius opinantis, stat enim opinionem aliquam attentis ejus rationibus et auctoritatibus esse* (objectivè) *probabilem* (seu quòd auctores qui eam sustinent, prudenter ei assentiantur, et quòd illam judicent esse veram), *et quòd ego, v. g., in actu signato cognoscam ejus probabilitatem*, et nihilominùs non *sit mihi probabilis, vel saltem sit minùs probabilis quàm opposita, quia habeo aliquam rationem, quæ meo judicio evidenter probat illam opinionem esse falsam aut minùs probabilem; ad formandam autem propriam conscientiam ex aliquâ*

*opinione*, prosequitur Corneio, *non tam est attendenda probabilitas* (objectiva), *vel quoad alios, quàm probabilitas illius* (subjectiva), *seu in ordine ad ipsum operantem*. Hæc Corneio. Ex quibus vides doctissimum hunc auctorem (uti et alios, quos pro se citant adversarii), in alio planè sensu docere, quòd liceat sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori, quam doceant moderni Probabilistæ pro quorum majori elucidatione

Nota defensores probabilitatis abuti distinctione judicii speculativi, quod est circa propositionem universalem, et practici, quod versatur circa propositionem particularem de actione hìc et nunc licitè exercendâ vel omittendâ, vel, ut alii, subdistinguunt practicè practici. Unde existimant, quòd per judicium practicum vel practicè practicum possit quis judicare actionem honestam et bonam, quam per judicium speculativum condemnat ut malam. Differunt quidem inter se judicium speculativum et practicum, sed non per hoc, quòd sint judicia formaliter diversa, sed penès hoc quòd judicium dicatur speculativum ex eo quòd res in se ipsis consideret, non dirigendo cognitionem ad actum; practicum verò appellatur, quando præhabitam alicui rei cognitionem applicat ad agendum; unde propriè judicium practicum nihil aliud est quàm usus judicii speculativi. Audiatur scholarum Angelus. 1, p. q. 79, art. 11, ubi : « Accidit, inquit, « alicui apprehenso per intellectum, quòd ordinetur « vel non ordinetur ad opus, et secundùm hoc diffe- « runt intellectus speculativus et practicus. Specula- « tivus, id quod apprehendit, non ordinat ad opus, « sed ad solam considerationem veritatis. Practicus « verò dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat « ad opus. Et hoc est, quod Philosophus dicit in tertio « de Animâ, quòd speculativus differt fine à practi- « co. » Ex quâ B. Thomæ doctrinâ vides, quòd illa judicia non differant in re et ex parte cognitionis, sed ex fine, quatenùs in judicio practico cognitio ordinatur ad finem actionis, quod non fit in speculativo. Unde idem S. Thom. *de Verit.* q. 17, art. 1, definit judicium practicum sive conscientiam : *applicationem scientiæ ad aliquid*. Dicant igitur, cujus cognitionis applicatio erit judicium practicum, si per illud bonum judicetur, quod per speculativum condemnatur? quòmodò unum erit applicatio alterius? an ne solo fine different, ut ait Aristoteles; an non ex parte principii cognoscentis, et deliberantis magnam habebunt diversitatem? verum quidem est, quòd judicium practicum aliquando discordet à judicio speculativo, quod præsupponit; sed in eo casu judicium practicum non sequitur ex illo speculativo, quod præsupponit, neque in eo fundatur, sed sequitur ex aliis principiis, circumstantiis, ratione quorum judicii speculativi influxus in practicum per accidens impeditur, et tollitur : v. g., medicus cum dubio speculativo, num medicina sit profutura, dùm non adest melior; parochus cum simili dubio, num materia baptismi sit valida, uterque certò judicat sibi hìc et nunc licere applicare materiam dubiam, emergente speciali circumstantiâ necessitatis, præbente novum et certum fundamentum discursui practico in casu necessitatis potius adhibendum probabile et dubium medium quàm negligendam proximi salutem. Similiter parochus dubitans de debitâ dispositione pœnitentis, ex quo exsurgit dubium, an sit absolvendus, in praxi hìc et nunc, scilicet in articulo mortis judicat impertiendam esse absolutionem sub conditione, eò quòd in extremis extrema tentanda sint, et potiùs Sacramentum, quod pro salute hominum institutum est, exponendum periculo nullitatis, quàm anima peccatoris, defectu absolutionis Sacramentalis, periculo æternæ damnationis; tuncque Confessarius sequitur judicium prudens, non quidem de legitimâ dispositione pœnitentis, sed de honestate suæ actionis, judicando in casu posito honestam et licitam esse absolutionem sub conditione verumtamen omnibus remanentibus in *statu quo*, et nullâ adveniente circumstantiâ, seu ratione novâ ex parte objecti, judicium practicum sequitur judicium speculativum, et est usus et applicatio illius, ut loquuntur Aristoteles et D. Thomas; ac ita, si judicium speculativum sit dubium, practicum quoque, quod ex speculativo oritur tanquàm effectus ex causâ, dubium sit oportet. Uti, si dubites speculativè, an liceat molere in die festo, etiam practicè, per se loquendo, dubitabis, an in hâc festivâ die molere liceat.

§ 6. *An ex eo, quòd in pari utrinque probabilitate de licito et illicito, lex prohibens seu de illicito non sit certa, rectè inferatur, posse quemviam sequi in praxi opinionem faventem libertati?*

Affirmant probabilistæ, non solùm in casu quæstionis propositæ, verùm etiam in casu, quo opinio de licito probabiliùs falsa est, quàm vera; quanquàm enim sit probabilius falsa, non tamen est evidenter falsa, inquiunt, sed manet probabilis. Negat verò unicè tuta antiprobabilistarum sententia. Vel enim reverà existit lex prohibens, vel non; si non existit, ille qui ex pari utrinque probabilitate dubio suspensus hæret, ne assentiatur uni vel alteri contradictionis parti, abstinere debet ab actione dubiæ honestatis, non quidem ex vi legis seu prohibitionis dubiæ, sed ex vi certæ ac indubitatæ legis prudentiæ, quæ vetat 1° ne quis se exponat periculo peccati; 2° ne quis faciat, quod dubitat æquumne sit an iniquum; 3° ad ista præcavenda semitam eligere jubet tutiorem. Dùm verò lex prohibens reverà existit, et certò existit, solumque dubium est, an istam vel illam actionem comprehendat, si judicio virorum sapientûm eam comprehendat, adsuntque motiva gravia ad ita judicandum, quamvis insufficientia ad impetrandum hìc et nunc dubitantis assensum, eò quòd concurrat cum æquè gravibus et probabilibus in contrarium, adeòque æquè moventibus ad dissensum, lex ista, utpote obligans ad cavendam transgressionem sui, non solùm certam, sed et rationabiliter dubiam, videtur obligare ad abstinendum à tali actione in tali dubio; v. gr., lex prohibens usuram ad abstinendum à contractu non solùm certò sed et dubiè usurario, adeòque videtur obligare ad abstinendum ab illo, quando ra-

tionabiliter judicas (licet judicio solùm opinativo et incerto) esse usurarium. Ita lex servandæ castitatis prohibet non solùm ea quæ illi certò adversa sunt, verùm etiam ea, quæ dubiè vel probabiliter eidem adversantur; ita etiam lex jubens omnia mortalia confiteri, obligat ad confitendum mortalia non solùm certa, sed et rationabiliter dubia; quamvis enim lex non obliget, nisi applicetur, talis applicatio fit per hoc, quòd in notitiam sic deveniat, ut invincibiliter non ignoretur; per rationabile verò dubium de legis talem actionem comprehendentis existentiâ, tollitur invincibilis ignorantia ipsius, prout constat ex eo quòd actio facta cum rationabili dubio ejusmodi, non sit tantùm transgressio materialis, sicut actio facta cum ignorantiâ invincibili legis, sed et formalis. Quod et adversarii concedunt, si manens in dubio quis operetur. Cæterùm sive lex (v. gr., prohibens usuram) obliget directè et vi suâ ad abstinendum à contractu dubiè usurario, sive indirectè et vi reflexæ legis prudentiæ, ut supra, certa equidem obligatio est abstinendi à contractu dubiè usurario saltem ex dictâ lege reflexâ, utpote quæ haud dubiè vim habet obligandi, sive legis directè existentia in dubio præsumatur, sive non præsumatur. Quòd autem per reflexionem ad probabilitatem de licito dubium non possit rationabiliter deponi, constat ex dictis hucusque. De aliis principiis reflexis dicemus inferiùs. Quòd demùm in concursu probabilioris aut etiam æquè probabilis de illicito, cum opinione probabili de licito, intellectus secundùm prudentiæ regulas nequeat inflecti ad assentiendum opinioni de licito tanquàm veræ, quoad honestatem operationis fusè probavimus, § 4.

Obj. 1° cum Terillo et Lacroix n. 272, verba Lact. l. 3 Inst., c. 27 : « Stultissimi est hominis præceptis « eorum velle parere, quæ utrùm vera an falsa sint, « dubitatur et ideò nemo paret, quia nemo ad incer- « tum vult laborare; » ergo nisi certa sit lex, non tenemur ad ejus observantiam. — Resp. scopum Lactantii longè aliò collimâsse, quàm ad intentum Probabilistarum; siquidem explicans verba ps. 118 : *Locuti sunt mihi iniquitates, sed non ut lex tua*, loquitur de præceptis philosophorum gentilium, qui quidem auctoritatem leges condendi sibi arrogabant, sed nullam habebant. De his igitur disserens 1° ideò nemo credit : « Quia tam se hominem putat esse, qui audivit, quàm « ille qui præcipit. » 2° « Quòd nihil apud eos (philoso- « phos gentiles) certum esset, nihil ad scientiam veni- « ret, sed cùm omnia conjecturis agerent, multa etiam « diversa et varia proferrent. » Quæ duæ exceptiones planè nihil ad rem nostram faciunt; dubia siquidem, de quibus hìc sermo est, non sunt de præceptis philosophorum auctoritate leges condendi carentium, omnaque conjecturis ac variabiliter agi asserentium, sed de Dei ac Ecclesiæ præceptis, quorum indubia est, manebitque semper auctoritas, ac quorum, si aliquando incerta et obscura sit voluntas, eam per principia jure naturæ nota cognoscimus, in dubiis, ad vitandum peccati periculum, semitam tutiorem fore eligendam; non igitur *stultissimi*, sed prudentissimi *est hominis* in pari utrinque probabilitate tutiorem partem eligere.

Obj. 2° cum eodem Lacroix, textum ex c. 31, de Off. et Pot. jud. deleg, ubi Pontifex inquit : « Nisi « de mandato certus exstiteris, exequi non cogeris, « quod mandatur : » ergo nisi quis de lege, mandato certus extiterit, non tenebitur ad id, quod lege præcipitur. — Resp. et hanc auctoritatem perperàm extra rem allegari, uti supra verba Lactantii. Casum siquidem hujus decretalis ita ponit abbas : aliquis delegatus mandat alicui sic : Auctoritate quâ fungor, tibi injungo, ut Titium denunties excommunicatum; iste, cui hoc mandatur, de jurisdictione illius dubitat, nec super hoc fidem facit eidem, quæritur an teneatur exequi mandatum illius? — Respondet Pontifex, quòd nisi de mandato apostolico fiat fides, non tenetur exequi, quod mandatur. Quid verius etiam independenter à probabilitate, et judicio super illam reflexo? Rationem dat Eng. ad eumdem Tit., cùm enim jurisdictio delegati à Pontifice non sit in jure fundata, sed per specialem delegationem, neminem arctat, nisi priùs judex delegatus copiam saltem authenticam suæ commissionis ei tribuerit, ac petenti originale exhibuerit, nam aliquem esse delegatum est quid facti; facta autem non præsumuntur, nisi probentur. Sed quid hoc ad rem præsentem? ubi non agitur de mandato ortum habente à dubiâ auctoritate mandantis, sed de lege Dei et Ecclesiæ, quorum auctoritas est certissima et perpetua. Deinde in casu cit. cap. agebatur de denuntiando aliquem incurrisse excommunicationem; tutius proinde erat mandatum ab auctoritate dubiâ promanans non exequi, quàm temerè proximum denuntiare excommunicatum : « Nullus enim, inquit « D. Th. 2-2, q. 60, art. 4, debet alium contemnere, « nec nocumentum quodcumque inferre absque causâ « cogente; » verùm in quæst., de quâ hìc, agitur de causâ, quæ vertitur inter Deum et hominem in ordine ad quærendum malis remedium, in ordine ad vitandum peccati periculum, in ordine ad divini cultûs reverentiam, quo in casu unicè tutum est sequi partem faventem legi, mandato, etc., « quia circa seipsum « (prosequitur doctor Angelicus) homo debet dubia « interpretari in pejorem partem secundùm illud Job. « 9 : *Verebar omnia opera mea*, eò quòd cùm debemus « malis nostris adhibere remedium, » expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, ut supponatur id quod est deterius. Nec solùm cùm debemus malis nostris remedium apponere, sed generaliter in obligationibus, quæ concernunt Deum vel animæ salutem, pars tutior est eligenda, quia pars ista, supposità pronitate hominis in malum, reverà ipsi magis utilis ac necessaria est : uti hominem ligari ei maximè utile ac necessarium est, supposito quòd vexetur furore, ne se in flumen præcipitet. Propterea namque lex appellatur vinculum salutare, Eccles. 6 : *Vincula ejus alligatura salutaris*. Et ideò gl. in c. unic. de Scrut. dixit, in conscientiæ foro, ubi vertitur animæ periculum, præsumendum in partem deteriorem, quia licet deterior videatur, tamen melior et tutior est. Et Petrus de

Anchorano (apud Fagnan. in c. *Ne innitaris*, *n.* 200), licet in aliis facienda sit benigna interpretatio ne sit quis obligatus in dubio, ut L. *Arrianus* de Act. et Oblig. etc. Ex. *litteris* de Prob., tamen in obligationibus quæ concernunt Deum, tutius est præsumere quem ligatum, quàm solutum. Et Panorm. ad c. *juvenis* de Spons.: « In concernentibus animæ periculum, debe « mus in dubiis semper tenere, quod tutius est. »

Obj. 3° cum P. Lacroix : Si lex sequendi partem tutiorem daretur, esset lex naturæ, et quidem gravissima; ergo non deberet latere viros doctos, eam non agnoscentes.—Resp. retorquendo : Si vis principiorum reflexorum, super probabilitatem, insufficientem legis promulgationem, possessionem libertatis in æquali utrinque probabilitate ab adversariis prætensâ daretur, aut esset consona veritati, non debuisset latere per tot secula sanctissimos, illuminatissimosque doctores, præsertim cùm probabilitas super hæc principia fundata secundùm Lacroix, n. 93, sit universalissima regula circa omnes conclusiones practicas, aliisque sit præcipuus ethices christianæ, seu philosophiæ christianæ cardo non solùm securissimus ac tutissimus, sed et summè necessarius ad conscientiarum tranquillitatem, scrupulorum extirpationem, facilitandamque salutem. Nec præsumi debet, inquit Lacroix, n. 270, Deum in materiâ morum universali et necessariâ permisisse tandiù errare tot viros sapientissimos ac probissimos. Rectè S. Aug. Epist. 119: « Ecclesia Dei multa tole- « rat, et tamen, quæ contra fidem sunt, vel bonam vi- « tam, nec approbat, nec tacet, nec facit. » Cur ergo tantam principiorum reflexorum efficaciam, tam expeditum conscientiæ assecurandæ compendium Ecclesiæ suæ tanto tempore invidit Deus? Cur ne quidem minima tantæ vis mentio exstat in S. Scripturæ oraculis, Pontificum decretis, Patrum effatis, sed passim documenta contraria de tutiori viâ in dubio eligendâ? « Cur, inquit Hieronymus in Epist. apologeticâ contra « Origenem, post quadringentos (imò mille et ferè sex- « centos) annos dicere niteris, quod ante nescivimus?... : Usque ad hanc diem (usque ad annum 1577) sine hâc « doctrinâ mundus christianus stetit. » Imò teste ipsomet Terillo, q. 22, de Conscientiâ, n. 40, et alibi, antiqui theologi duas conditiones postulârunt ad usum licitum partis minùs tutæ : *Una est, eam esse probabiliorem;* altera est, eam judicare veram; et idcircò, quanquàm sit solertissimus in quærendis patronis sententiæ benignæ, et q. 23, longissimum texuit catalogum doctorum, nullum tamen invenire potuit, qui ante annum 1576 vel 1577, docuerit licitum esse sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore et tutiore. Falsum item est, quòd omnes auctores, quos tam præfidenter pro se citant adversarii, faverint probabilitati in adversariorum sensu; alio longè sensu acceperunt τὸ *probabile*, dùm docuerunt licitum esse sequi sententiam probabilem, prout scilicet importat probabilitatem quietam, nullis adversæ partis rationibus agitatam, vel prout dicit probabilitatem subjectivam respectu opinantis, non merè objectivam respectu alieni intellectûs, prout latè ostendit Gon. dissert. 2; vel si aliquis quidpiam bonâ fide, vel ad removendos scrupulos, vel ad consulendos pusillanimes probabili tati favens scripserit, id immeritò benignæ sententiæ patroni sic defendendum suscipiunt, ut quod tantummodò pro præfatis tanquàm pro infirmis scripserunt, velint absolutè et pro omnibus usurpare, prout probat Jacobus à S. Dominico in Compendiariâ theologiæ moralis Explicatione lib. 1, c. 7, quanquàm fatear ante damnatas à diversis pontificibus diversas propositiones, numerum Probabilistarum admodùm accrevisse, sed hoc mirum nulli esse debet, uti inquit Taberna insignis S. J. Theologus in Synopsi theol. pract. tr. 2, cap. 4, q. 3; cùm enim sententia illa faveat libertati sitque benignior et in praxi commodior, hinc aliquantò plures patronos et defensores invenit. Nec imprudenter secundùm ipsorum principia adhæserunt etiam ii qui nostram sententiam urgentioribus niti fundamentis judicârunt; nam, ut ait Lacroix n. 416, ex parte intellectûs erit motivum grave et prudens, scilicet probabile, pro sententiâ benignâ, quamvis pro sententiâ oppositâ sint motiva graviora; ex parte voluntatis etiam sunt motiva sufficientia; v. gr., ut mihi vel aliis sequendo sententiam antiprobabilistarum non inferam nimis gravem molestiam, ut servem meæ aliorumque conscientiæ libertatem, ut ostendam grave non esse Christi jugum, etc.; quòd si jam positus sit assensus ad partem benignam, notat Terill. in Reg. q. 51, assert. 4, hanc nunc dici posse probabiliorem in actu secundo, quia cùm omnis assensus sit accessus vel adhæsio ad unam partem objecti, et recessus à parte oppositâ, et intellectus non ita facilè abducatur à ratione semel per judicium acceptatâ et approbatâ, hoc ipso objectum se aliter habet respectu intellectûs, et ratio etiam ipsi aliter apparet, et inde etiam natum est illud adagium : *Suum opinatum cuique videtur probabilius.* Hæc Terillus. Ex quibus vides, quomodò crescere potuerit sententiæ benignæ major probabilitas, scilicet non ex rationum pondere, quæ pro priori ad affectum voluntatis magis urgebant pro sententiâ oppositâ, sed ex voluntatis affectu erga bonum temporale, libertatem propriam propensione, quâ positâ contemnuntur motiva fortiora pro parte contrariâ libertati, ac ex motu voluntatis intellectus considerans tantùm ea quæ libertati, lucro temporali ablandiuntur, sententiam fert pro parte benignâ. Quantùmcumque autem creverit Probabilistarum numerus, semper suscitavit divina providentia viros sapientes et probos, præsertim in Galliâ, Belgio et Italiâ, qui illi eorum doctrinæ se opponerent ut patet legenti Contenson. dissert. 6 de novello Probabilistarum commento; Merbesium in Summâ christianâ, tom. 1; Henr. à S. Ign. in Theol. SS., tom. 1, lib. 11, citantes tot episcopos, qui tum in Epistolis pastoralibus, tum in synodis diœcesanis magno zelo rejecerunt periculosum hunc modum dirigendi conscientiam per opinionem probabilem faventem libertati præscindendo ab ipsius veritate, qui modus teste P. Lacroix et Moyâ, quem hic, n. 587, citat, est communis inter Probabilistas hujus seculi, qui communiter consentiunt, inquit Moya in App. ad tract. 1 de Opin. prob. q. 7 n. 38 et 39.

non requiri judicium directum de veritate opinionis, sed sufficere judicium reflexum de ejus probabilitate. Unde non dereliquit Deus Ecclesiam suam, sed ei sufficienter providit, tot doctos ac pios antistites, aliosque doctores suscitando, qui modo huic dirigendi conscientias se opponerent; tùm etiam quia Ecclesiæ suæ reliquit, à quibus omnes discere possent regulam rectè operandi et evitandi peccatum mortale, nempe SS. Thomam, Antoninum, uti et Scot. Cajet. Sylvestrum, etc., quorum doctrinam infra referemus.

Obj. 3°, cum eodem P. Lacroix : Non inventio legis post tot virorum examen, sufficiens est fundamentum judicandi, quòd non detur talis lex, scilicet sequendi probabiliora pro lege stantia; ergo. — Resp. satis notam esse in casu posito naturæ legem, eamque constare ex SS. Canonibus, Patrum effatis, Antiquorum documentis, etc., de sequendâ parte magis probabili pro lege stante.

Obj. 4° : Motiva utrinque probabilia se mutuò elidunt secundùm antiprobabilistas; ergo tunc idem erit, ac si nulla essent motiva pro sententiâ prohibente operari.—Resp. : Se mutuò elidunt, hoc sensu, quòd neutrum habeat vim inducendi assensum circa unam contradictionis partem, atque adeò propter æqualem vim movendi in contrarium intellectum reddant fluctuantem, concedo; se mutuò elidunt hoc sensu, quòd motiva pro lege æquè probabilia ante affectum voluntatis, accedente illius affectu ad commodum proprium, exercitium libertatis, etc., prudenter contemni possint, nego.

Obj. 5°, cum Fabri : Non teneor illud credere, quod certò mihi non constat fuisse revelatum à Deo, et ab Ecclesiâ propositum; ergo nec teneor servare legem, quam certò non constat à Deo vel Ecclesiâ esse latam. —Resp.: Nego consequens; disparitas est, quòd fides pertineat ad virtutes speculativas, ideòque illarum more debemus habere evidentiam et certitudinem revelationis à Deo factæ, et ab Ecclesiâ propositæ, antequàm credere teneamur; aliud est in agendis et practicis, in quibus sufficit veritas practica judicii consentientis cum recto appetitu circa finem, officium et legem, et præcipuè in re de quâ majorem non possumus habere evidentiam; sic filius tenetur honorare patrem, eique obtemperare, licet non habeat omninò certam et evidentem suorum natalium notitiam. Ita quivis Catholicus tenetur adorare hostiam in sacrificio Missæ publicæ venerationi expositam, quanquàm non habeat evidentem consecrationis notitiam, sed solùm probabilem; ita et servare legem, quanquàm non habeat omninò evidentem illius existentiæ cognitionem.

§ 7. *An positivè dubius in æquali hinc inde probabilitate, aut etiam dùm opinio probabilior stat pro lege, actionem dubiæ honestatis ponere queat sub prætextu quòd lex prohibens eam non detur, aut si detur non sit sufficienter promulgata?*

Affirmat Lacroix, n. 274, ex communi Probabilistarum sententiâ asserens, ad hoc, ut lex sit satis promulgata, requiri externam publicationem, per quam lex subdito fiat certa et manifesta, qualis non est, dùm pro sententiâ favente libertati est opinio probabilis, quamvis pro sententiâ favente legi stent rationes æquè probabiles, imò etiam probabiliores; adeòque non teneatur quispiam abstinere ab actione per legem prohibitâ, quamdiù lex eam directè prohibens post adhibitam diligentiam manifestè non innotescit. Ex quo etiam sequitur, quòd, quamvis alicui probabilius sit, quòd non liceat sequi sententiam probabilem faventem libertati, relictâ probabiliori stante pro lege, nihilominùs quia hoc non est certum, et auctores facientes sententiam probabilem id negent, in praxi, occurrente sententiâ probabiliori pro lege illam possint deserere, ac animum applicare ex impulsu voluntatis moto à commodo vel incommodo temporali, bono, quod relucet in exercitio voluntatis, ad consideranda motiva, quæ stant pro libertate, sicque me practicè resolvere, quòd hìc et nunc liceat exercere actionem, quamvis in actu primo judicare prudenter valeam eam esse illi citam ob motiva urgentiora pro lege pugnantia. Quod an prudenter possit fieri, fusè diximus, § 4, ex quibus quidem, ac aliis in hâc materiâ dictis, constat, quòd principia reflexa nihil juvare possint operantem in casu à nobis posito (nihil enim faciunt principia reflexa, si per principia directa opinionem aliquam ut veram judicare quispiam nequeat, quod fieri non posse hucusque monstravimus), verumtamen ut nihil in hâc materiâ tam gravi indecisum relinquatur, principia reflexa adversariorum speciatim examinanda suscipimus. Cùm autem in hoc § quæstio esse possit, tam de lege naturali quàm divinâ positivâ et humanâ, quatuor conclusionibus mentem nostram explicabimus.

Dico 1° : Si agatur de lege naturali positivâ, dubius in æquali hinc inde probabilitate, actionem dubiæ honestatis ponere nequit, sub prætextu quòd lex eam prohibens, si detur, non sit sufficienter promulgata. Ante probationem, nota quòd, quando disputatur an aliquid sit intrinsecè illicitum, non disputatur an detur præceptum id explicitè prohibens; si enim daretur, Deus illud hominibus manifestaret. *Lex* enim, juxta S. Th. 1-2, q. 90, art. 5, in fine corp., *est quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata;* ac proinde illius præcepti existentia esset communitati Ecclesiæ manifesta; quia, ut inquit D. Th. eâ quæst. 90, art. 4, *ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in eorum notitiam deducitur ex ipsâ promulgatione. Unde promulgatio necessaria est ad hoc ut lex habeat suam virtutem.* Ergo hoc ipso quòd Deus aliquam legem condiderit, ac per eam obligare voluerit homines, necesse fuit ut illam manifestaret communitati hominum, ut manifestavit præcepta decalogi; dùm ergo disputatur inter theologos an aliquis contractus sit usurarius, aut simoniacus, supponitur dari certam legem prohibentem usuram, vel simoniam, et solùm disputatur an illa lex prohibens comprehendat contractum, de quo est quæstio. Hoc notato,

Prob. concl.: Quando certum est dari legem, v. gr., prohibentem usuram, eamque satis esse promulgatam, ac solùm dubium est an hic in specie contractus sit usurarius, aut contineatur sub lege prohibente usuras, data sunt nobis syndereseos principia, ex quibus cognoscere possumus, quid hìc et nunc agere possimus, vel omittere debeamus, eaque satis promulgata esse nemo ibit inficias; atqui secundùm principia syndereseos, nemo potest celebrare contractum, de quo dubitat, propter æqualem hinc inde probabilitatem an contineatur sub certâ lege ac satis promulgatâ, quæ usuras prohibet. Maj. patet, quia secundùm D. Th. 1-2, q. 90, art. 4, ad 1, lex naturalis promulgatur per naturale dictamen rectæ rationis, ita quidem, ut Deus censeatur promulgare legem naturalem *ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam*; inseruit, inquam, quoad universalissima syndereseos et morum principia, uti et quoad conclusiones facili negotio ex iis deducendas, uti sunt decem Decalogi præcepta. Quoad conclusiones verò remotiores, si dubia circa eas exoriantur, quæ post diligentem veritatis inquisitionem superari nequeunt, *cognoscendam naturaliter* per communissima syndereseos principia. Prob. min. Suprema et communissima syndereseos principia sunt: *ne aliis facias quod tibi fieri nolis*, ne ex conscientiâ dubiâ quidquam agas, cùm incertus es rem jure naturali prohibitam; atqui in casu posito celebrans contractum nollet secum contrahi, cum periculo damni sibi per contractum inferendi, hæretque suspensus inter utramque contradictionis partem, quam animi suspensionem prudenter non potest tollere, neque per voluntatis imperium ex motivo proprii commodi, exercitii libertatis, etc., intellectus prudenter trahi nequit in partem faventem libertati, uti constat ex dictis § 4. Ergo.

Conf.: Secundùm Lacroix, n. 367, opinio, de quâ dubitatur an sit damnata, non est tuta in praxi, quamvis non possit absolutè dici damnata; ergo à pari opinio, de quâ dubitatur, an sit jure naturæ prohibita seu damnata, non est tuta in praxi, quamvis absolutè non possit dici jure naturæ prohibita seu damnata. Prob. conseq.: Ideò opinio dubiè damnata non est tuta in praxi, quia, *quamvis sit in anteriore possessione non damnationis*, superveniente tamen dubio de damnatione redditur *dubiæ probabilitatis, et dubium est an non sit perniciosa in praxi;* atqui idem est de contractu, de quo dubito propter æqualitatem contrariarum rationum: Ergo. Prob. min.: Dubia damnatio Pontificis facit quòd opinio aliàs non damnata fiat dubiæ probabilitatis et perniciosa in praxi; ergo dubia naturæ lex similiter facere poterit quòd opinio, quam ante dubium certò probabilem agnoscebam, eo superveniente fiat dubiæ probabilitatis ac perniciosa in praxi; uti enim si opinio aliqua certò damnata esset, pro certo habenda esset improbabilis; ita si intellectus rationibus evidentibus convinceretur prohibitum esse jure naturæ aliquem contractum, respectu sic judicantis opinio de licito pro improbabili habenda foret. Ergo sicuti non obstante quòd damnatio aliqua non sit evidens et certa, sed solùm dubia, opinio de quâ dubitatur, fit dubiæ probabilitatis et perniciosa in praxi, ita opinio, de quâ dubitatur an sit jure naturæ prohibita, fit dubiæ probabilitatis per dubiam naturæ legem. In utroque igitur casu, juxta dubitantium leges et syndereseos principia, pars tutior est eligenda.

Dico. 3°: Positivè dubius an actio aliqua sit lege divinâ positivâ prohibita, actionem dubiæ honestatis ponere nequit eo prætextu quòd si detur lex, non sit sufficienter promulgata. Antè prob. nota, legem divinam positivam promulgari posse vel per revelationem internam, vel per externam expositionem cum vel sine solemnitate; cùm enim Deus sit supremus Dominus, potest modo, quo voluerit, intimare legem, et obligare ad ejus orbservantiam; posito autem, quòd condiderit legem, de quâ dubitatur an sit satis promulgata, tunc in conflictu opinionum, quarum una stat pro legis obligatione, adeòque et pro ejus sufficienti promulgatione probabilis, altera pro hominis libertate æquè probabilis, consulendæ sunt conscientiæ ac prudentiæ regulæ, ac secundùm eas pro praxi dijudicandum, quid hìc et nunc fieri oporteat. Hoc notato,

Prob. conclus.: Si detur lex divina positiva, illa sufficienter est promulgata, ergo eo prætextu quòd lex illa non sit sufficienter promulgata, nemo potest ponere actum, de quo dubitat an sit lege divinâ prohibitus. Prob. antecedens ex Gon. diss. 6, § 8, n. 37; vel Deus condens legem præcisè eam voluit condere, et non voluit illam satis promulgare, vel id facere non potuit; non primum, quia cùm de ratione legis sit subditos obligare ad aliquid faciendum vel omittendum, et cùm sufficiens promulgatio sit essentialiter requisita ad obligandum, frustra condidisset legem, si non voluisset eam sufficienter obligare. Nec secundum, quia, cùm sit omnipotens, potest, modo quo vult voluntatem suam subditis vel per revelationem internam, vel alio modo hominibus manifestare. Conf. et explicatur: In æquali utrinque probabilitate vel dubium est de lege divinâ positivâ, an sit sufficienter promulgata; vel dubitatur an hìc in specie actus sub lege prohibente vel præcipiente comprehendatur; si primum, constat ex dictis legem, si detur, esse sufficienter promulgatam, esseque impossibile legem à Deo condi et non sufficienter promulgari, atque adeò falsum esse legem non satis esse promulgatam per hoc quòd aliqui auctores graves affirment legem non dari, eorumque opinio censeatur probabilis. Si secundum, certa sunt conscientiæ et syndereseos principia in simili dubio, quod probavimus prudenter deponi non posse, ideòque tutiorem partem esse eligendam. Unde, uti imprudens ab hominibus haberetur faciens aliquid, quod prudenter dubitaret, et probabiliter (etsi non certò) crederet sub pœnâ capitis à rege esse prohibitum; sic imprudens haberi debet faciens aliquid, quod prudenter dubitat, et probabiliter (etsi non certò) credit, sub pœnâ damnationis æternæ esse prohibitum, cùm iste de imprudentiâ, peccato ac obligatione abstinendi æquè sufficienter convincatur per generales regulas prudentiæ quàm ille.

Conf. 2° : Si lex divina sive positiva, sive naturalis, supposito quòd detur, non sit sufficienter promulgata per hoc quòd aliqui graves auctores affirment legem non dari, ergo transgrediens illam nequidem peccabit materialiter; consequens est contra communem Theologorum, etiam Probabilistarum opinionem; ergo. Prob. maj. : Lex non promulgata nullam habet virtutem obligandi, cùm conditio essentialiter requisita ad hoc ut habeat virtutem obligandi, sit promulgatio, ac in hoc sensu Gratianus in c. *In istis dist.* 4 ait : *Leges instituuntur cùm promulgantur* ; ergo agere contra illam nequidem erit transgressio materialis. — Respondet P. Lacroix quòd agere contra illam, si detur, sit transgressio materialis, inprimis prout existentis in mente legislatoris, deinde etiam prout satis promulgatæ aliquibus, v. g, Adamo, B. Virgini, etc.

Contra est : Ex D. Th. supra cit. 1-2, q. 90, art. 4, ex quo textu intentum suum probat La Croix, n. 274 : « Ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, « quod est proprium legis, oportet quòd applicetur « hominibus, qui secundùm eam regulari debent; ta- « lis autem applicatio fit, per hoc quòd in eorum no- « titiam deducitur ex ipsâ promulgatione, unde pro- « mulgatio ipsa necessaria est ad hoc ut lex habeat « suam virtutem. » Ex quibus sic argumentor : Vel leges, de quibus exstant opiniones probabiles, sunt satis promulgatæ iis *qui secundùm eas regulari debent*, ut loquitur S. Th. vel non : si secundum, agere contra illam nequidem erit transgressio materialis, quia lex eo casu non habebit virtutem obligandi; si primum, concedis quod contendimus.

Dico 3° : Dubius positivè, an detur lex positiva, v. g., jejunii, non potest agere contra illam eo prætextu quòd quamvis detur lex, et sit sufficienter promulgata, non sit sufficienter promulgata dubitanti. Ante prob. nota 1°, ex S. Thom. 1-2, q. 96, art. 4, legem humanam ab æternâ per naturalem derivare juxta illud Prov. 8 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ex quâ vim obligandi depromit lex humana; ecclesiastica quidem (ut definitum est in conc. Constantiensi sess. 8) ex illo Luc. 10 : *Qui vos audit, me audit.* Et : *Qui vos spernit, me spernit.* Ex illo Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Civilis verò ex illo ad Rom. 13 : *Qui potestati resistunt, damnationem sibi acquirunt.* Neque ad obligandum in conscientiâ requiritur potestas spiritualis in principe, sed sufficit per suam legem aliquid posuisse in genere virtutis et obedientiæ, cujus proinde contrarium sit peccatum. Nota 2°, ex dictis legem quamcumque non habere virtutem obligandi, nisi sit promulgata. Lex autem humana semper debet promulgari per signa externa cum solemnitate quâdam. Cujus ratio est, quia cùm legislator humanus agat duplicem personam, publicam scilicet et privatam, debet ita proponere legem, ut ex modo proponendi constet, se proponere illam ut principem et personam publicam, non ut privatam; hoc autem non fit, nisi aliquâ solemnitate publicâ id significante. Nota 3°, multùm differre legis promulgationem ab ejus divulgatione; nam hæc fit per simplicem communicationem notitiæ, promulgatio verò per auctoritativam intimationem, seu solemnem et publicam legis propositionem; ideò licet per notitiam privatim comparatam alicui tertiò constaret quòd lex, v. g., de frumento extra provinciam non vehendo, esset conscripta, à principe subscripta, et cras publicanda, hoc frumentum hodiè licitè efferret, eò quòd lex hodiè defectu promulgationis non habeat vim obligandi, neque divulgatio ad solemnem publicationem sufficiat, teste communi doctorum apud Castrop. His notatis,

Probatur concl. : Supposito, quòd detur lex et sufficienter sit promulgata, sufficienter est promulgata omnibus, quibus præscribitur; ergo positivè dubitans de existentiâ legis, non potest agere contra legem eo prætextu, quòd non sit ei sufficienter promulgata; consequentia patet; antecedens etiam constat ex dictis : uti enim lex ad bonum commune, seu ad omnium regimen pertinet, ita etiam promulgatio, quæ sequitur naturam legis, non enim potest promulgari lex nisi ad subditos referatur.

Dico 4° : Si probabilius alicui sit dari legem, v. g., prohibitivam contractûs, quæ reverà datur, respectu illius lex est sufficienter promulgata, adeòque tenetur abstinere à celebratione talis contractûs. Prob. : Illi sufficienter est promulgata lex, qui prudenter potest judicare dari talem legem, et non potest prudenter judicare oppositum; atqui cui probabilius est dari legem, potest prudenter judicare eam dari, ac prudenter non potest judicare eam non dari; ergo. Maj. constat, quia ad honestatem operationis requiritur judicium prudens quòd res sit licita, uti constat ex § 5. Min. etiam patet ex § 2. Conf. : Lex sufficienter est promulgata, quando constat de mente legislatoris; potest autem constare de mente legislatoris vel expressè ex verbis legis, vel præsumptivè ex aliquâ regulâ generali; quia ergo mens legislatoris quoad omnes casus inopinatos et omnes circumstantias non potest verbis explicari, si contingat aliquando dubitari circa modum aliquem observandi legem, de quo expressè ex verbis legis certa interpretatio haberi non potest, tunc ex præsumptione et regulâ generali constabit de mente legislatoris, et erit : Quod ipse vult et intendit, quòd nullus ponat actum, de quo non potest formare prudens judicium, quòd non comprehendatur sub lege prohibente, quod de legibus divinis videtur certum; cùm enim Deus voluerit quòd non sit patens et clarum, an hic vel ille actus contineatur sub præceptis Decalogi (aliàs quippe præcepta decalogi non haberent finem et terminum, si deberet in singulis exprimi distinctèque, explicitè et in specie recenseri, ac prohiberi hic et ille casus particularis implicitè in illis contentus, vel de quo potest dubitari, an contineatur in lege à Deo promulgatâ), frustra comprehendisset sub lege suâ prohibente hunc vel illum actum in particulari, si non voluisset obligare illos qui post diligentem veritatis inquisitionem judicant verisimilius esse, quòd hic, v. g., actus contineatur sub lege prohibente usuras, quia inveniunt majus fundamen-

tum auctoritatis et rationis ad judicandum actum hunc sub lege prohibente comprehendi. Et non possunt prudenter judicare oppositum. Durissimum autem est dicere, inquit Gonz. dissert. 6, § 8, quòd non sit sufficienter promulgata lex prohibens actum respectu illius qui potest prudenter judicare dari talem legem, et non potest prudenter judicare oppositum; unde eo casu lex certò obligat ad abstinendum ab executione rei, de quâ prudenter judicari potest comprehendi sub tali lege. Neque aliter de mente legislatoris humani prudenter præsumi potest; cùm enim nulla lex tam clarè possit concipi, quàm non subtilium ingeniorum fœcunditas variis limitationibus, interpretationibus ac distinctionibus adoriri possit, si mens legislatorum foret, quòd probabilitas tollat promulgationem legum, omnis lex, omne præceptum morale successu temporis à novis semper succrescentibus opinionibus omninò everti posset, ac ita *totum jus conturbari*, prout olim circa jus civile factum deplorabat Justinianus imperator lib. 3, *de Vet. jur. enucl.*; id verò constit. 44, in nimiam rejicit subtilitatem, quâ fit, *ut nihil in rebus humanis adeò semotum sit ab omni controversiâ, tametsi maximam cum justitiâ, seu rectæ rationis dictamine connexionem habeat, quod dubitationem ac controversiam non recipiat, si subtiliter animi curas intendas.* Quod idem de mandatis Dei ac Ecclesiæ conqueritur card. Bona in lib. aureo de Princ. vitæ christ. p. 2, § 46, ubi : *Benignos illos*, ait, *seu potiùs magistros prurientes auribus, ut noxiæ faveant libertati, mandata Dei et Ecclesiæ tot limitationibus et interpretationibus convellere, ut vix remaneat præcepto locus.*

Convellitur denique adversariorum doctrina circa insufficientem legis promulgationem ex inconvenientiis quæ ex eâ sequuntur; imò namque si nulla lex prohibens foret sufficienter promulgata et obligatoria, nisi certò et evidenter cognita, sequitur quòd quisque sequi poterit minùs tutam aliorum opinionem, quam actu judicat falsam, si id non judicet certò et evidenter, nec proinde judicium ipsius sit contra legem certam et evidentem; consequens non potest admitti; qui enim actu falsam judicat opinionem minùs tutam, seu faventem libertati contra legem, actu judicat eam egi æternæ contrariam (quia actu judicat, eam approbare ut licitum, quod lex æterna judicio ipsius reprobat ut illicitum); ergo actu judicat se non posse sequi opinionem illam velut operationis suæ regulam.

Respondet Lacroix, n. 377, quòd quamvis in casu posito spectatis principiis directis, usus illius opinionis videatur illicitus, si tamen de hoc certus non sit, valdè probabile est quòd ex principiis reflexis possit sibi formare prudens dictamen, et secundùm eam opinionem operari dicendo : « Judico quidem opinionem istam esse falsam; quia tamen hoc mihi incertum est, et auctores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere certò probabilem, dicunt illam esse veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo illis, et interea præscindam à directâ opinione meâ. » Ratio nostra est, inquit Lacroix, quia nulla lex prohibet mihi operationem, quam judico esse probabiliter bonam, quia scio illam à viris gravibus doceri esse absolutè bonam, quorum ego judico opinionem esse absolutè probabilem; ergo nulla lex eam mihi prohibet; ergo mihi est licita. Hæc Lacroix, cujus auctoris ac aliorum Probabilistarum doctrinam ex suo sensu exprimit et describit Estrix soc. J. secretarius generalis in Logisticâ probabilitatum, ubi : « Homo « Deum timens non tam doctus, quàm bono præditus « intellectu, invitatur ad ineundum contractum, qui « ipsi est suspectus de vitio usuræ ac simoniæ; de hoc « igitur inquirit pro captu suo, expendens momenta « rationum, ut potest, et consulens doctores. Consultor comperit multò plures damnare contractum, et « horum rationes ipsi videntur fortiores. Judicat igitur « et ipse contractum esse usurarium ac simoniacum, « adeòque renuit contrahere. Theologus benignus ipsi « dicit : Quid times, an nescis septem esse doctorum « opinionem, quòd contractus non sit simoniacus? — « Scio, inquit ille, sed viginti doctores dicunt esse simoniacum, et horum rationes videntur mihi validiores. Nihil refert, ait theologus, quia licet tibi sequi opinionem minùs probabilem.—At ille : Etiamne « opinionem, quam judico esse falsam? — Etiam, inquit, theologus, modò nitaris probabilitate opinionis « contrariæ, quamvis minore. — Ergone, inquit ille, « ut ineam contractum, quem judico simoniacum? — « Non est, cur timeas, ait theologus, quia illud tuum « judicium nascitur ex principiis directis de contractu « secundùm se, cum quo benè stat aliud judicium ex « principiis reflexis de licito contractu, ut substat probabilitati, quamvis minori. — Ille verò : Ego reflexiones illas non novi, neque curo nôsse : nimis certum habeo, non esse mihi licitum contractum, quem « judico esse simoniacum. — Age, age, inquit theologus, eximam omnem scrupulum. Illud tuum judicium cùm sit opinativum, est tibi liberum; illud « igitur suspende tantisper, dùm absolveris contractum. — Sed ille : Quæso, quid hoc me juvabit, si « rationem et auctoritatem pro simoniâ contractûs « clarè videam prævalere? — Ad hæc theologus : Ad « plenam, ait, securitatem, tantisper etiam animum « averte à consideratione istius rationis et auctoritatis « intentus in solam probabilitatem opinionis contrariæ; quid facilius? Abrumpo hoc filum, ne satyra « scripta videatur; *verùm sic res est, si objiciatur oculis sine fuco?* » Hæc doctissimus Estrix, ut ostenderet quàm periculosa in praxi sit doctrina partis adversæ, ubi, addit : « Hanc sententiam esse velut animam omnium opinionum laxarum, quæ hactenùs tolerantur. « Hæc, inquit, sine illâ non magnoperè nocerent in « praxi; nulli enim auderent uti in praxi, nisi qui judicarent esse veras, qui essent pauci; at animatæ « animæ illæ expeditæ sunt ad praxin, etiam apud illos, qui judicant esse falsas. » Unde, ut periculum « sequelæ illius sententiæ detegam, omnes prætextus « quibus se excusare potest ita operans, accuratâ trutinâ pensemus.

Interrogatur igitur à supremo judice, cur secutus sit

opinionem legi adversantem, libertati faventem, quam ipse operans judicabat esse falsam, quid respondebit? Domine, inquiet, secutus sum opinionem illam, quia viri pii ac eruditi illam esse veram judicabant, adeòque et ego judicavi eam inniti gravi motivo. —Verùm, opponet judex, illud motivum ideò fuit grave viris piis ac eruditis, quia illis apparuit verisimilius motivo sententiæ contrariæ; tu autem motivis utrinque pensatis non obstante pietate ac doctrinâ illorum virorum judicabas equidem eos falli. Nihil igitur te juvare potest, quòd alii judicarent opinionem illam esse veram; siquidem in operando non secundùm alienam, sed secundùm tuam conscientiam regulare te debebas; adeòque secundùm judicium tuum, non secundùm alienum, quod judicabas esse falsum. Scire quippe debebas non ex alienâ, sed ex tuâ judicandum te conscientiâ, secundùm illud Pauli Rom. 2 : *Testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum*, ubi non dicit Apostolus : *Conscientiâ aliorum*. Reprobari itaque meretur excusatio tua, quia aliena sententia, quam non judicâsti dignam approbatione intellectûs tui, indigna esse debuit approbatione voluntatis tuæ, quæ in operando honestè non potuit se conformare cum opinione, cui intellectus in judicando non potuit se conformare. — Si judici respondeas, te, ne contra conscientiam tuam operareris, judicium tuum suspendisse, neque aliorum opinionem secutum te fuisse, in sensu composito judicii tui de falsitate ipsius, sed in sensu diviso, atque animum te avertisse à consideratione istius motivi, ratione cujus opinionem adversam legi falsam judicabas, solumque intendisse in probabilitatem opinionis contrariæ; justissimè reponet judex, in eo te rationabilis judicii fuisse proditorem, illud suspendendo, ac animum avertisse à consideratione motivorum urgentium observantiam legis non ex ductu rationis, sed affectu voluntatis, ut scilicet liberum haberes voluntatis tuæ exercitium, sicque à legis observatione te eximeres : « Ut tibi, vel aliis non inferres nimis gravem « molestiam, commodum ac incommodum temporale « pondus apud te rationis habuit; » atque adeò non amore legis, nec amore Dei motum, sed amore boni proprii motum, intellectum flexisse, ut non veritatem, sed solam probabilitatem opinionis contrariæ intenderet, quam pensato rationum et auctoritatis pondere falsam judicabas. Quid ultra respondere poteris? *An non hìc iniquitas oppilabit os suum?* Manet itaque clarum nemini licere sequi regulam secundariam, qui eam prudenter judicat contrariam regulæ primariæ, nec aliquem sequi posse opinionem hominum contra legem Dei errantium, qui prudenter judicat opinionem illorum esse falsam, et non potest judicare prudenter eam esse veram : quamdiù enim non potest prudenter judicare eam esse veram, eorum auctoritas et eruditio non sufficiunt ad excusandum operantem coram Deo, cùm auctoritas vel opinio hominum, quantùmlibet sanctorum ac eruditorum eatenùs tantùm excusare nos queat, quatenùs præsumimus ipsos non falli in eo quod judicant, seu in quantum præsumimus ipsos habere rationem sufficientem, quâ nobis persuadeant verum esse quod dicunt, prout S. Aug. Epist. 19 ad Hier. : « Ego, inquit, solis iis Scripturæ libris, qui « canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, et « nullum eorum auctorum scribendo aliquid errâsse, « firmissimè credo. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque polleant, non ideò verum « putem, quia illi ista sentiunt » (consequenter non propter reflexionem ad probabilitatem in sensu adversariorum), « sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione (prudenter ab intellecto approbabili) quod à verò non abhorreat, persuadere potuerunt. »

Inhæremus itaque S. Aug. ac doctoris Angelici principiis, qui ultimus lect. 4 in cap. 1, 2, ad Cor. in hæc verba : *Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*, inquit : « Non dicit, conscientiæ aliorum, sed *nostræ*, « quia semper homo plus debet stare testimonio con- « scientiæ suæ de se, quàm testimonio aliorum. » Item 2-2, q. 67, a. 2 ad 4 : « Homo, inquit, in his « quæ ad personam propriam pertinent, debet infor- « mare conscientiam suam ex propriâ scientiâ. » Respondet quidem Lacroix, n. 580, per hoc hominem formare conscientiam à propriâ scientiâ, quòd sciens opinionem alienam esse probabilem, inde sibi formet dictamen ultimum reflexum de licito usu illius opinionis. Verùm quomodò sibi formare poterit conscientiam à propriâ scientiâ ex opinione quam prudenter, ut supponitur, librato rationum ac auctoritatum pondere falsam esse judicat? Siquidem probabilitas seu auctoritas aliena, ut docet Lacroix, n. 113, « non « movet nisi in quantum præsumitur cum hâc esse « conjunctam rationem intrinsecam; » tota igitur vis movendi, quæ inesse potest probabilitati alienæ, revolvitur ad rationes saltem præsumptas directè suadentes contractum, v. g., non esse in se usurarium; atqui rationes illæ non possunt me movere ita ut earum gratiâ prudenter deponam judicium, quo judico prudenter contractum esse in se usurarium (quod requiritur ad hoc ut informem conscientiam meam ex propriâ scientiâ); cùm enim judicium hoc sit prudens, susceptum est à me libratis maturè momentis veri hinc et hinc, adeòque expensis etiam rationibus illis præsumptis, et post omnia notabiliter præponderantibus motivis pro usurâ contractûs; quare, uti non potui rationibus illis præsumptis tribuere prudenter, ut non susciperem judicium de usurâ contractûs, ita neque possum illis tribuere prudenter, ut judicium deponam, ac ex alienâ probabilitate ex propriâ scientiâ conscientiam informem.

Secundum inconveniens : Si sola illa actio cavenda sit, cujus inhonestas et prohibitio certa est, omnis actio licita erit, cujus honestas est probabilis, quantùmvis tenui probabilitate, dummodò à probabilitatis finibus non exeat, etiamsi de eâ probabilitate non nisi probabiliter constet; consequens probabiliter admitti nequit; aliàs quippe sustineri posset propositio, quæ tanquàm scandalosa et in praxi perniciosa proscripta est ab Innoc. XI, et sub pœnâ excommunicationis defendi prohibita, et sic sonat : « Generatim dùm pro-

« babilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantùmvis « tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, « confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Sequelam maj. prob., quia hoc ipso quòd honestas actionis probabilis est, quantùmvis tenui probabilitate, et non nisi probabiliter cognità, inhonestas ipsius et prohibitio non est evidens et certa ; consequenter lex ipsam specialiter prohibens non est certò et evidenter cognita; non enim potest esse certa et evidens inhonestas, ubi probabiliter probabilis est honestas, quia, ut discurrit Lacroix, n. 368, « dicere aliquam sen- « tentiam esse probabiliter probabilem, idem est, ac « dicere, quòd pro veritate ejus sit grave motivum; ac « ubi opinio est probabiliter probabilis, potest judicari « probabile esse quòd sit probabilis ; quod sufficit, in- « quit, ad formandum judicium practicè certum. » Quibus subjungit : *Hæc opinio est probabilis ;* consequenter lex de sequendâ opinione certò probabili non est evidens ac manifesta ; ex quibus et ego infero : Ergo nec lex sequendi solidè probabilem, prout opponitur tenuiter probabili ; quidni enim si dubia probabilitas sit secura morum regula, eccur non tenuis probabilitas manens intra probabilitatis limites?

Responderi potest ex doctrinâ ejusdem P. Laroix, n. 126, damnatam meritò propositionem ab Innoc. XI, eò quòd opinio tenuiter probabilis habeat quidem motivum, sed ita leve, ut censeatur imprudens, qui illi assentitur, uti tenuiter prudens, non est absolutè prudens. Contra est : Propositio damnata dicit licere sequi sententiam tenuiter probabilem, *modò à probabilitatis finibus non exeatur ;* quamdiù autem opinio non exit à finibus probabilitatis, retinet essentiam definitionemque probabilitatis ; consequenter nititur ratione vel auctoritate gravi et solidâ ( licet tenui in lineâ gravitatis et soliditatis), nec quidquam est convincens pro oppositâ parte ; id namque est de essentiâ et definitione opinionis probabilis in genere, intra cujus proinde limites non manet opinio, cui hoc non convenit ; igitur intra fines probabilitatis moralis non manet opinio, quæ non nititur ratione et auctoritate moraliter gravi, de quâ morali probabilitate haud dubiè locuti sunt auctores, ex quibus deprompta est damnata propositiô. Locuti sunt, inquam, de probabilitate nixâ ratione vel auctoritate moraliter gravi cùm nullus auctor unquam docuerit ( neque illud de Tamburino, qui propositionem damnatam tenet l. 1 in Decal. c. 3, præsumi potest ), eum prudenter agere, qui agit *ex motivo ita levi, ut imprudens censeatur, qui illi assentitur*, quale probabilitatis tenuis motivum esse dicit Lacroix. De propositionibus verò à se damnatis Innoc. XI testatur eas partim ex diversis libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, partim noviter adinventas. Uti ergo *tenuiter prudens*, ut utar exemplo P. Lacroix, *modò intra limites prudentiæ maneat*, ex motivo prudentiæ operatur, ita et operatur ex motivo probabili, qui operatur ex motivo tenuiter probabili, modò illud non exeat limites probabilitatis.

§ 8. *An positivè dubius in æquali hinc inde probabilitate, aut etiam, dùm opinio probabilior stat pro lege, actionem dubiæ honestatis ponere queat, eo prætextu quòd lex, si detur, ignoretur invincibiliter ?*

Quæritur hìc, an is, qui post debitam diligentiam non potest certam habere notitiam, utrùm, v. gr., hic contractus sit à Deo prohibitus tanquàm usurarius et simoniacus, ejusque legi æternæ, cui omne malum repugnat, contrarius, possit tamen illum contractum efficere, ex eo solo quòd pro illo efficiendo suppetant rationes aliquæ, vel auctoritates, quæ partem faventem lucro, aut commodo temporali efficiunt probabilem ; et an ignorantia in hâc opinionum diversitate reperta sit invincibilis, quæ excuset à peccato formali. Affirmant Probabilistæ, asserentes, ignorantiam eo ipso esse invincibilem, quo certâ nequit cognitione depelli ; contra quos antequàm concludamus,

Nota 1°, aliud esse ignorare invincibiliter aliquam veritatem; aliud habere ejus inevidentiam. Nam primò qui laborat ignorantiâ invincibili, an contractus sit lege divinâ prohibitus, hoc ipsum etiam nescit se ignorare, et nullo modo prævidet errorem, in quem prolabitur ; ille verò, qui opinatur, nec habet evidentiam veritatis, certâ experientiâ scit se illâ carere, et prævidet errorem ; hinc timet, ne actus, quem putat esse licitum, reverà sit malus. Secundò inevidentia veritatis potest stare cum actu fidei ; credens autem aliquod mysterium fidei, non potest dici laborare illius ignorantiâ invincibili. Tertiò, si quis post omnem adhibitam diligentiam certior fieri nequeat, utrùm, quod sub densâ sylvâ movetur, homo sit, an fera, et si æquè probabiliter utrumque reputans, aut verisimiliùs esse feram, sagittâ interficiat hominem, talis non potest excusari ab homicidio, nec dici errâsse ex invincibili ignorantiâ, quæ in illo casu per hoc resolvitur, et fit imputabilis, quòd dubium aliquod maneat, an lateat ibidem fera vel homo ; et tamen certum est adfuisse tunc inevidentiam ; malè igitur confunditur inevidentia veritatis cum invincibili ejus ignorantiâ. Nota 2°, scientiam dupliciter posse sumi, primò, communi acceptione, prout scilicet importat quamcumque intellectûs cognitionem, quæ non sit apertè falsa ; et hoc sensu, qui opinatur vel credit, dicitur rem scire, seu non ignorare, unde sic sumpta opponitur ignorantiæ; secundò scientia potest sumi strictè, prout dicit cognitionem certam et evidentem rei per causam ; sicque opponitur non præcisè ignorantiæ, sed opinioni et fidei, quæ cognitiones carent evidentiâ. His notatis,

Dico : Positivè dubius de honestate ac inhonestate actionis, nequit illam ponere eo prætextu quòd lex prohibens, si detur, ignoretur invincibiliter. Prob. : Ut ignorantia possit excusare à peccato, debet esse omninò imprævisa ; atqui in opinionibus utrinque probabilibus, quarum una stat pro libertate, altera pro lege, ignorantia de non existentiâ legis non est omninò imprævisa ; ergo. Maj. constat, quia si ignorantia aliquo modo prævisa fuerit, vel potuerit prævideri, potuit vinci ; consequenter non est invincibilis. Min. prob. Ita operans jam cogitat de malitiâ objecti, et videt illam probabiliter actioni esse annexam ; ergo malitia peccati aut erroris ipsi apparet, et tum vel

maximè quando quis illud sequitur, quod probabiliùs legi aut præcepto adversatur; neque potest talis comparari cum eo, cui nihil unquàm venit in mentem de peccati, aut erroris periculo, ideòque laborat ignorantiâ invincibili, cùm non tantùm evidenti cognitione, verùm etiam opinione et ipsâmet dubitatione, quâ fit ad minus reflexio in ipsam ignorantiam, illa reddatur voluntaria, et ad culpam imputabilis.

Confirm. : Quisquis agit cum rationabili dubio de malitiâ, quod vel habet, vel habere potest et debet, non agit cum invincibili ignorantiâ malitiæ, imò virtualiter agit cum rationabili dubitatione; atqui ille, qui habet magnam prudentemque rationem dubitandi de malitiâ actionis, eò quòd post diligentem inquisitionem veritatis æquale habeat fundamentum ad judicandum actionem esse malam quàm non esse malam, eamque nihilominùs exercet, agit cum rationabili dubio de malitiâ, quod vel habet, vel prudenter habere potest et debet; ergo. Maj. patet; uti enim scire et debere scire æquiparantur in jure, ita et rationabiliter dubitare et rationabiliter debere dubitare. Min. non minùs est evidens : sive enim ob æqualitatem motivorum de facto dubitet, sive dubitationem suspendat, idem est; si enim tunc non dubitet esse malam, intellectus ipsius non procedit secundùm merita causæ, sed sic judicat, quia vult sic judicare, ac mediante illo judicio obligationem abstinendi ab istâ actione vult excutere; proinde non ignorat invincibiliter malitiam, cùm antecedenter ad irrationabilem istam voluntatem potentiam habeat proximam ad ignorantiam deponendam per prudentem de malitiâ dubitationem; unde, uti benè notat Gonz., licet defectus scientiæ seu notitiæ certæ in tali homine, post debitam veritatis inquisitionem sit invincibilis, eò quòd, faciendo quod in se est, assequi non potuerit notitiam certam de malitiâ suæ actionis, non tamen ignorantia istius malitiæ est invincibilis, cùm ignorantia invincibilis malitiæ plus importet, quàm defectum certæ cognitionis et scientiæ ipsius; ille enim solus invincibiliter malitiam ignorat, cui inculpabiliter non venit in mentem cogitatio, vel saltem prudens dubitatio de malitiâ; unde taliter operans est reprehensibilis in hoc quòd certam non habens scientiam de malitiâ suæ operationis, ac de eâ prudenter dubitans, vel proximè dubitare potens ob rationes hinc inde æquè fortiter moventes, ab actione non abstineat, quia agit contra præceptum naturale sibi certò notum non exponendi se periculo violandi legem Dei, ac in ejusmodi dubio tutiorem partem eligendi. Quod à fortiori procedit, si operans post diligentem veritatis inquisitionem majus habeat fundamentum judicandi actionem suam lege esse prohibitam, sive id de facto judicet, sive non; si enim id non judicet, sed contrarium judicet, judicat quia vult, non quia merita objecti hoc postulant; atque ideò ignorantia imbibita in isto judicio censetur ipsi omninò voluntaria, eò quòd ipsam deponere possit ac debeat judicando secundùm merita causæ, et deponendo contrarium judicium conceptum pro solo affectu voluntatis.

Confirm. 2° : In electione partis faventis libertati, ubi pro parte favente legi sunt motiva æquè fortia, semper intercurrit voluntaria inordinatio voluntatis; ergo non est invincibilis ignorantia malitiæ. Consequentia patet; ant. prob. Secundùm D. Th. de Verit. q. 18, a. 6, « semper contingit inordinatio, quando « aliquid movetur à non proprio motivo, sicut si voluntas moveatur à delectabili sensûs, cùm debeat « tantùm moveri ab honesto; » vel, ut discurrit idem S. doctor 1-2, q. 78, a. 1, O : « Inordinata est voluntas, quando aliquod bonum temporale plus amat « (puta divitias, vel voluptatem) quàm ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid hujusmodi. » Atqui in electione partis faventis libertati, ubi opinio æquè probabilis pro lege concurrit, à voluntate plus amatur bonum aliquod temporale, quàm ordo rationis, lex divina, etc. Ergo. Prob. min. Cùm enim ex parte intellectûs motiva sint æqualia, tota discretio desumitur ex parte voluntatis quâ præeligitur, præamatur opinio favens libertati, in quam erumpimus de facto, uti loquitur P. Lacroix, n. 587, movet igitur voluntas intellectum, ut assentiatur opinioni faventi libertati, quia in eâ invenit commodum et incommodum notabile, quod pondus rationis habet, lucrum temporale, conscientiæ libertatem, etc., secundùm La Croix, relicto ordine rationis, qui est judicare secundùm merita causæ, relicto item bono honesto, quod reperitur in parte favente legi, etc. Quod iterùm à fortiori contingit, dùm intellectus inveniens solidiora motiva in parte stante pro lege, movetur à voluntate ductâ amore lucri temporalis, ut assentiatur ei, quod judicat hìc et nunc magis recedere tam à veritate, quàm ab honestate; non potest igitur non esse voluntaria voluntatis inordinatio, ac consequenter imprudentia et error tam in judicio imperante electionem, quàm in electione ipsâ, *et sic ex deordinatione appetitûs* (verba sunt S. Th. cit. a. 6, ad 2) *sequitur postmodùm error electionis.*

§ 9. *An positivè dubius in æquali probabilitate circa honestatem et inhonestatem actionis ponere licitè valeat actionem dubiæ honestatis sub eo præcisè prætextu quòd in tali dubio possessio stet pro hominis libertate?*

Celebre est axioma juris utriusque : *In dubio melior est conditio possidentis*, quod in jure canonico Reg. jur. 65, in 6, exprimitur his verbis : *In pari delicto, vel causâ potior est conditio possidentis.* Iisdemque ferè verbis traditur in jure civili ff. de Reg. jur. reg. 128, ubi : *In pari causâ possessor potior haberi debet.* Hoc axioma, inquit P. Lacroix, n. 496, fundatur in jure naturæ.... Sic enim, etiam præscindendo à legibus humanis, foret contra jus naturæ possessorem spoliare suâ re propter superveniens jus dubium; asseritque cum communi Probabilistarum illud valere, non tantùm in materiâ justitiæ, sed etiam in aliis quibuscumque; quapropter Ter. in fund. Th. Mor. vocat illud : *Effatum naturæ per quod homines diriguntur in lege naturali antecedenter ad omnem legem positivam.* Unde ex eo varias inferunt decisiones libertati volun-

statis creatæ heu nimiùm faventes, uti videre est apud Fagnanum ad cap. *Ne innitaris* de Constit. n. 174· verùm an benè dabunt sectiones sequentes.

SECTIO PRIMA. — *An axioma hoc in materiâ justitiæ sit de jure naturæ?*

Dico : Positivè dubius in æquali utrinque probabilitate, an res quam possidet sit sua, vel alterius, non potest eam rem, saltem integram, sibi retinere, sub hoc prætextu præcisè quòd de jure naturæ melior sit conditio possidentis. Ante probationem, nota possessionem se solâ nullum conferre jus possidenti, si aliunde illud non habeat; quia æquè possidet malæ fidei, quam bonæ fidei possessor. Dùm igitur possessio definitur quòd sit *detentio rei corporis et animi, et juris adminiculo*, per hoc non datur intelligi, quòd omnis facti possessio sit justa; fur enim possidet rem furtivam, quam sibi applicuit animo sibi retinendi; nec tamen justè possidet; quando ergo dicitur : *juris adminiculo*, hoc sensu intelligi, quòd jura statuant certum talem modum apprehendendi et detinendi rem sufficere ad constituendam possessionem facti, neque eam impediunt. Deinde dominium non fundatur in possessione, sed magis possessio ex naturâ rei fundatur in dominio; dominium autem in reali, ac vero aliquo titulo. Hoc notato,

Prob. conclusio : Ut aliquis licitè retineat aliquam rem, debet prudenter sibi persuadere, vel saltem posse sibi persuadere rem esse suam, seu ad se pertinere; atqui rem possidens in concursu motivorum æquè vel magis suadentium eam ad alium, quàm ad ipsum possidentem pertinere, non potest prudenter judicare rem esse suam; ergo non potest eam licitè sibi retinere, quamvis possideat. Máj. constat, quia, uti ad licitè, seu conformiter ad legem operandum, requiritur judicium prudens, quòd actio non sit lege prohibita, vel lege permissa, ita ad licitè retinendum aliquam rem requiritur judicium prudens, quòd res non sit alterius, sed sua, seu ad se pertineat. Min. etiam constat ex dictis pluribus locis.

Confirm. 1° : Si priùs quis bonâ fide possidebat, postea verò cum fundamento incipiat dubitare, an res illa sit sua, vel alterius, ponderatis autem utrinque motivis invenit fundamentum æquè vel magis urgens, quòd sit alterius quàm sua; quâ justâ ratione, aut naturæ dictamine poterit constitutus in tali dubio rem illam sibi adjudicare potiùs quàm alteri, ad quem æquè verisimiliter pertinet? Titulo possessionis, inquis : verùm quàm caducus sit ille titulus constat ex iis quæ iam ante prob. notavimus. Nulla enim possessio facti secundùm se creat jus in re possessâ, sed illud supponit. Nullus enim justè possidet, spectato jure naturali, nisi, qui verum jus habet, aut saltem, qui bonâ fide putat illud se habere : jus illud naturâ prævium est possessioni, ejusque fundamentum; quo proinde corruente, ipsa etiam corruit; atqui dùm quis rationabiliter dubitat, an res sit sua, necessariò dubitat, an sibi competat jus possidendi illam, et retinendi; dubitat enim de legitimitate tituli, ideòque dubitare debet de dominio legitimo, ac per consequens de legitimitate possessionis, seu de jure possidendi. Cùm ergo possessio juris vacillet, ac sit incerta, quomodò possessionis titulo rem de quâ dubito, licitè retinere potero, ac judicare rem esse meam potiùs quàm alterius?

Confirm. 2° ex Ter. in Reg. q. 56, à n. 15 usque ad 20, ubi, n. 17 : « Generalis regula est, inquit, quòd « prædicatum ex se prorsùs indifferens ad utramque « contradictionis partem, nihil conferat ad quæstionis « decisionem : sicut si quæramus, utrùm Petrus sit in « foro, ad hoc nihil confert, quòd sit armatus, quia esse « armatum ex se nullam habet connexionem cum esse, « vel non esse in foro. » Hæc Ter. Subsumo ego; atqui prædicatum possidentis ex se est *indifferens ad jus et non jus*, cùm jus possit esse sine possessione, et possessio sine jure, uti loquitur et docet ipsemet P. Lacroix, n. 500; ergo in dubio orto ex pari utrinque probabilitate, an res sit mea vel alterius ex eo quòd ego possideam, nullum mihi jure naturæ majus jus acquiritur quàm non possidenti.

Confirm. 3° : Si possessionis privilegium esset de jure naturali, nihil contra illud posset statui jure humano; atqui jus humanum huic contrarium statuit, et quidem in materiâ sibi subjectâ, etiam justitiæ; primò quidem in dubio de facto, dùm uni favet possessio, alteri juris præsumptio, hæc illi prævalet, cùm hæc habeat vim plenæ probationis, quæ prævalet possessioni. Quapropter præsumptio, quòd proles sit legitima facit quòd hæreditas alteri auferatur, licet eam possideat. C. *Lator., qui filii sint legitimi.* Similiter parochus vindicare potest decimas ab alio possessas, in dubio, an decimæ in parochiâ suâ sitæ ad Ecclesiam parochialem pertineant, nisi possessor evidenter docuerit de legitimâ possessione : Cap. *Ad decimas, de Rest. spoliat.*; eodem modo, quanquàm hæredes clerici defuncti possideant ejus bona, ab iis nihilominùs auferri debent, nisi probent alio, quàm beneficii titulo, à defuncto fuisse acquisita. Cap. *Ut unusquisque, de* Pecul. cleric. cap. 7 de Testam. Deinde in dubio, quis ex duobus titulum dominii priùs acceperit, præferendus est possessori non ostendenti certum tempus acquisiti dominii, qui ostendit se certo tempore illud acquisivisse, uti probat Menoch. l. 2 de Arbitr. cas. 48, ex l. 13. cod. *de Donat. ante nupt.* Denique in dubio jus favet ei qui futurus est in damno contra eum qui futurus est in lucro, quamvis possessorem, l. *non debet.* 41, ff. de Reg. jur. Sicque de aliis multis; profectò leges illæ injustæ forent, si regula de meliori conditione possidentis esset de jure naturali, vel divino, utpote contra quæ jura nihil potest humana potestas.

Responderi potest primò cum P. Lacroix, n. 509, quòd in casibus enumeratis pro illo sit possessio pro quo est præsumptio juris. Ex quibus ego infero : Ergo non facti possessio, sed juris præsumptio, uti in casibus dictis facit possessores; ita meliorem faciet possidentium conditionem, quæ juris præsumptio, seu favor Ecclesiæ, etc., non à jure naturali, sed à lege positivà id statuente nascitur, uti docet ipsemet Lacroix, n. 503. — Responderi potest secundò cum eo-

dem n. 500, quòd « licet possessio ratione suî præ- « cisè non reddat jus in se, nequidem probabile, causet « tamen quandoque titulum, scilicet usucapionem seu « præscriptionem, si diuturna sit. » Verùm ex his instauro factum argumentum quòd uti favor præscriptionis et usucapionis secundùm omnes habet originem ex solo jure positivo, sic et favor possessionis, quam solo jure positivo causat; ac aliunde nulla apparet ratio, cur possessionis favor potiùs oriatur ex jure naturali, vel divino, quàm favor præscriptionis et usucapionis.

Cæterùm non diffiteor, quòd bonæ fidei possessio in materiâ justitiæ circa temporalia bona prodesse queat ad formandam conscientiam in tantum, in quantum ex illâ tanquàm ex signo posteriori præsumi potest, quòd proprietas rei potiùs sit penès eum, qui possidet, quàm penès alium, qui non possidet; illa autem præsumptio non fundatur in solâ ac nudâ possessione, sed in aliis circumstantiis, quæ debent attendi, v. g., quòd quilibet solet diligenter custodire bona fortunæ, quæ possidet, nec ea in alium transferre sine titulo; ex aliâ denique parte non solet vir timoratus possidere aliquam rem, sine justo titulo; hinc fit quod in materiâ justitiæ ex possessione bonæ fidei præsumatur jus et proprietas penès possessorem, dùm nihil concurrit illam præsumptionem elidens; verùm dùm occurrunt motiva in contrarium pugnantia, quò illa fuerint fortiora, eò magis debilitabitur præsumptio, quæ in possessione fundatur, aut quandoque etiam totaliter tolletur. Ut si aliquandiù agrum bonâ fide possederim, superveniat autem clarus ac incontestabilis titulus, quo ager ille ad alium pertinere evincitur, prorsùs eliditur ex possessione desumptâ præsumptio, vi cujus antea judicabam agrum ad me pertinere. Similiter, si mihi possidenti bonâ fide, ac verisimiliter judicanti agrum esse meum, eò quòd nullum habeam dubium fundatum judicandi, quin sit meus, superveniat verisimilior titulus judicandi agrum ad alium pertinere, quomodò stantibus hisce motivis prudenter judicare potero agrum illum esse meum potiùs quàm alterius, adeòque quâ ratione ex solo possessionis titulo eum mihi adjudicare? Hæc de jure naturæ. Quale autem privilegium competat possèssori bonæ fidei in pari utrinque probabilitate jure positivo docebit sectio sequens.

Sectio II. *Quale sit regulariter privilegium bonæ fidei possessoris in materiâ justitiæ, et an favor ille extendatur universatiter ad alias materias.*

Dico 1° : In materiâ justitiæ humanæ potestati subjectâ melior est conditio possidentis. Explicatur conclusio. Sensus conclus. est : sint, v. g., Petrus et Paulus, qui litigant de proprietate agri; judex pensatis utrinque adductis rationibus, æquales eas reputat; Paulus autem ultra has rationes pro se allegat possessionem agri, hoc in casu possessio, si sit manifesta ac legitima, cæteris paribus, est sufficiens titulus, ad judicandum pro Paulo potiùs, quàm pro Petro. Ratio est, quia Paulus possidens (bonâ fide ut supp.) ultra jus dubium proprietatis, in quo ambo sunt pares habet etiam jus possessionis, quo aiter caret, quod jus, cùm ex naturâ suâ sit quoddam exercitium ac complementum dominii, parit pro possessore præsumptionem juris, quòd sit dominus agri : cùm enim jura ipsa in se sint cognitu difficillima, ad finiendas lites, impediendos sumptus, ac ob tranquillitatem publicam, jure gentium dispositum est, ductuque luminis naturæ omnes nationes inter se convenerunt, ut, dùm jura sunt paria, examinatisque utrinque rationibus secundùm causæ meritum veritas non potest deprehendi, ille præferatur, qui, cùm sit æqualis jure, potior est possessione : sicque disponi conveniebat, tum ne dominia manerent incerta; ac ut homines securi essent in rerum suarum pacificâ possessione; tum ob publicam tranquillitatem, quæ plurimùm perturbaretur, si ordo, in quo res externæ sunt constitutæ, mutaretur absque consensu partium, nisi id cederet in majus bonum; majus autem bonum non esset, agrum hactenùs bonâ fide à Paulo possessum, transferre in Petrum in pari utrinque causâ. Has igitur ob causas jure gentium, communique nationum consensu respublica, licet possidenti in materiâ justitiæ non tribuat dominium rei, de quo est æquale dubium, an ad possidentem, an ad alium pertineat, tribuit tamen jus, ne privetur re bonâ fide semel certò possessâ, donec satis appareat rem illam ad alium pertinere; ratione cujus potest retinere eò usque rem in conscientiâ, et si bonâ fide rem ita possidere continuet, usque post evolutum tempus ad præscriptionem requisitum, tribuit etiam rei dominium. Dico 2° : Favor competens possessori in materiâ justitiæ, non extenditur ad alias materias. Ante. prob. nota juxta adversariorum principia duplicem distingui possessorem, legem scilicet, et hominem, seu libertatem hominis. Lex in dubio possidere dicitur contra hominem, quando dubitatur de eo, per quod tollitur legis obligatio, quæ supponitur fuisse; è contra homo possidere dicitur contra legem, quando dubitatur de eo, per quod incipit legis obligatio. Exemplo vulgari res clarior fiet : dubius an sonuerit duodecima noctis inter diem Jovis et diem Veneris, non tenetur abstinere à carnibus, quia dubium est an sonuerit duodecima noctis, à quâ incipit obligatio abstinendi : È contra dubius an sonuerit duodecima noctis inter diem Veneris et Sabbati (supposito, quòd in Sabbato liceat comedere carnes) tenetur abstinere, quia dubitatur an sonuerit hora duodecima à quâ incipit quis deobligari à lege abstinentiæ, sicque in postremo dubio melior est conditio possidentis legis contra hominem; in primo autem melior est conditio hominis, seu libertatis contra legem, idque ita disponente jure tam naturæ, quàm positivo juxta adversarios. Contra quos :

Ita probo nostram concl. Si in sensu adversariorum melior sit conditio possidentis jure naturæ etiam extra materiam justitiæ, contra illud nihil posset statuere lex ecclesiastica; atqui statuit, et statuendo declaravit in materiis externis extra materiam justitiæ meliorem non esse conditionem possidentis, ergo nec jure na-

turæ, nec positivo favor possessionis extenditur extra materiam justitiæ. Prob. min. 1° Namque dubius de copulâ habitâ cum consobrinâ Bertæ, consequenter dubius de eo, per quod constringitur libertas ducendi eam, declaratur illam non posse ducere, etiamsi ante dubium exortum fuerit in possessione ducendi illam, cap. *Juvenis de spons.* 2° Dubius de validitate matrimonii cum aliquâ contracti, ac exinde dubius, an teneatur comparti bonâ fide petenti reddere debitum, declaratur ad id obligatus, quanquàm dubitet de valore, ex quo ortum ducit obligatio reddendi debitum, cap. *Cùm Dominus de secundis nuptiis.* 3° Episcopus dubiè excommunicatus, adeòque dubius de excommunicatione, vi cujus incipit obligatio non communicandi cum aliis, sub pœnâ depositionis jubetur se habere pro excommunicato, ac abstinere à communicatione cum aliis fidelibus, cap. *Illud, de cler. Excomm.* 4° Sacerdos in dubio an proximus interierit ex ictu à se, an ab aliis inflicto, jubetur se gerere pro homicidâ et irregulari, ac à sacerdotali ministerio abstinere, nullâ habitâ ratione possessionis, quam ex adversariorum doctrinâ habet in contrarium. cap., *Significàsti*, de Homic. Et sic de aliis multis. Si igitur axioma de meliori in dubio, conditione possidentis sit de jure naturæ in omni materiâ, vel, ut loquitur Terillus, « sit « effatum naturæ, per quod homines diriguntur in lege « naturali antecedenter ad omnem legem positivam; » si inquam hoc ita sit, ac ex materiâ justitiæ ritè argumentum deduci possit ad alias materias, uti deducunt adversarii, cur in hisce materiis, certa, juxta adversariorum principia, pro libertate possessio in ordine ad abstergendum morale peccati periculum, non prævalet omni dubio in contrarium? Nam bonæ fidei possessor post debitam suî, alienique juris discussionem inveniens motiva æquè fortia pro se, quàm contra se (licet aut eam restituere debeat, propter regulam: *In dubio via tutior est eligenda*, uti vult Adrian. aut propter juris æqualitatem eam debeat dividere, uti vult Sotus) secundùm communem sententiam rem totam retinere potest; et quanquàm aliqui auctores negent possessorem bonæ fidei in casu supervenientis similis dubii rem illam alienare posse, vel consumere, alii tamen docent, illum eam posse alienare, vel consumere sub onere recompensandi, si constiterit rem alienam esse: item sub onere monendi emptorem, vel donatarium de dubio, an sua sit, si eam alicui vendat, vel donet. Profectò sanctissimi horum canonum conditores respondentes dubiis ipsis propositis circa res morales extra materiam justitiæ, regulam illam de meliori conditione possidentis in omni materiâ vel ignorârunt, vel quia non ignorârunt, per canonicas in contrarium decisiones declarârunt regulam illam ad alias extra materiam justitiæ res morales non extendi.

SECTIO III. *An, et qualis possessio stet pro libertate, qualis pro lege, in æquali utrinque dubio ex æqualitate rationum contrariarum orto?*

Nota 1° regulam de meliori conditione possidentis etiam in materiâ justitiæ non habere locum, nisi ubi est par jus, et similis causa, unde si probabilius sit, quòd jus non sit possessoris, neque judex rem de quâ est controversia, possessori adjudicare, neque privatus eam sibi titulo possessionis vendicare potest. Uti docet ipsemet Ter. in Reg. 56, n. 27. Cùmque adversarii à materiâ justitiæ argumententur ad alias materias, manifestum videtur contra ipsos, quòd in casu, ubi probabilius est dari legem, minùs probabile eam non dari, operans partem libertati faventem amplecti licitè non possit, quòd in dubio melior sit conditio libertatis possidentis.

Nota 2°: Quòd, ut in materiâ justitiæ melior sit conditio possidentis, possessio debeat esse certa et manifesta, unde in casu, quo dubitaretur de proprietate rei, ac pro utrâque litigantium parte rationes forent æquales, et insuper possessio esset dubia, deberet res dividi inter litigantes, nec posset tota alteri partium adjudicari, ut docet Less. lib. 2, cap. 6, dubit 3, n. 10. « Si dubium, inquit, versetur inter duos quo- « rum neuter bonâ fide possidebat, res est dividenda, « quia par est jus utriusque, nec ulla est ratio, cur « alteri potiùs, quàm alteri adjudicetur. » Clariùs Lugo, Tit. 1, de Just. et Jure disp. 7, sect. 3, n. 21, ubi: « Quando jus inter litigantes est dubium, inquit, et « possessio item dubia, rem esse dividendam inter « utrumque, magis, vel minùs, pro ratione majoris « dubii. » Idem docet latè Tambur. lib. 1 in Decal. cap. 3, § 4, citans Salas, Villalobos, Coninck, Sanch. Castrop. et Laym., idque supponunt leges, dùm aiunt, « quòd possessor bonæ fidei sine plenâ et evidenti ra- « tione removeri non debet. » Atqui jura non requirunt plenam et evidentem probationem ad removendum possessorem dubium et incertum, sed ad removendum possessorem certum, ac indubitatum, ubicumque enim possessio incerta ac dubia est, incertum etiam est, ac dubium, an hæc regula: *In pari causâ melior est conditio possidentis*, non sit de subjecto non supponente; ideòque possessio dubia nihil facit ad deponendum dubium, nec ad faciendam conditionem possidentis meliorem, nisi pro possessione ipsius sit præsumptio juris utpote quâ deficiente possessio in dubio non præsumitur, nisi probetur certo facto præsenti, vel præterito, cum animo sibi detinendi rem possideri non prohibitam possidere; cùm tale factum in possessione involvatur. Ac ideò dubius, an possideat, non potest se gerere pro possidente, sed ita se debet gerere, ac si non esset possessor, nisi pro possessione ipsius sit præsumptio juris, ut ante dixi.

Nota 3° quæstionem hìc procedere tam de lege æternâ, naturali, et positivâ divinâ, quàm de lege positivâ humanâ, sive ecclesiastica sit, sive civilis. Item de libertate hominis tam physicâ, quàm morali. Libertas physica seu naturalis est vis electiva voluntatis, quæ eligere potest ad libitum partem sive faventem legi, sive faventem libertati. Libertas verò moralis est illa, quæ in eligendo sequitur ductum rationis, ac præscriptum sibi ab auctore naturæ bonitatis ordinem et gradum. Unde hæc duo maximè differunt: *Vis electiva cujuscumque partis; et jus morale eligendi quamcumque partem*: His notatis,

Dico 1° : Sive in dubio, an detur lex qualiscunque, dicatur possessio stare pro libertate physicâ hominis, sive non; possessio non facit meliorem conditionem possidentis contra legem. Secunda pars concl. constat. Prima prob. Ideò ex convenientiâ, seu ex æquitate, non ex præcepto juris naturæ, jure positivo in materiâ justitiæ melior est conditio possidentis, 1° « quia « ad bonum commune et publicam quietem spectat res « non facilè immutari, sed manere in statu, in quo in- « venientur; quæ publica quies per rerum mutationem « perturbaretur. » Lacroix n. 500. Atqui ad bonum commune non spectat, nec publica quies perturbatur per hoc, quòd in dubio, an detur lex à supremo legislatore, aut à legislatore humano potestate ab æternâ lege derivatâ, secundùm prudentiæ regulas, ac communes dubitantium leges sequatur partem tutiorem, ne se exponat peccandi periculo, etc., uti manifestum est, ergo. 2° : Ideò hoc fit in materiâ justitiæ, quia, *quamvis possessio sit quid indifferens ad jus et non jus, tamen possessio causat quandoque titulum;* Lacroix ibid. nempe præscriptionis, atqui in dubio de legibus quibuscunque, possessio nunquàm causat titulum præscriptionis; quod vel maximè patet de legibus naturalibus, et positivis divinis, quarum materia non potest mutari per præscriptionem quæ est juris merè positivi. Quod et patet de legibus humanis; licet enim abrogari hæc possit per consuetudinem, illa tamen non introducitur, nisi intercurrente consensu saltem legali legislatoris, qui præsumi non potest, dùm subditi in dubio de obligatione legis æquè sese exponunt periculo violandi legem, ac si eis sufficeret sors agere contra illam, ac agere juxta illam, non sine contemptu legis et legislatoris. 3° : Ideò jure humano ex convenientiâ juris naturæ in materiâ justitiæ melior est conditio possidentis in pari dubio, quia *ubi est possessio, est aliqua præsumptio antecedentis tituli, sive juris, ideòque formari potest conscientia de licitâ retentione rei possessæ.* Lacroix ibid. uti etiam dixi, sect. primâ. Atqui in aliarum virtutum materiis, in dubio, an detur lex, ex eo, quòd aliquis possideat libertatem physicam, non est præsumptio, quòd lex potiùs non sit lata, quàm quòd sit lata, ergo. Prob. min. Ille qui dubitat, an hodiè sit jejunium, festum, etc., propter æqualem hinc inde probabilitatem, ille, inquam, ex eo, quòd possideat suam libertatem, nullo modo potest præsumere, quòd potiùs hodiè non sit festum, quàm festum; potiùs non jejunium, quàm jejunium; cùm libertatis possessio sit circumstantia merè impertinens ad majorem, vel minorem veritatis agnitionem : quæ enim, et quàm ridicula consequentia : Ego sum physicè liber ad celebrandum festum, vel non : ergo potiùs præsumo, quòd potiùs hodiè non sit festum, quàm quòd sit festum! et sic de aliis. Sanè quasi ridiculus explodi mereretur, qui in dubio ob æqualem utrinque probabilitatem, interrogatus cur crederet potius hodiè non esse festum, quàm festum, responderet se hoc ideò credere, quia possidet, vel quia reflexit se possidere suam libertatem.

Ast, inquis, licet reflexio ad possessionem libertatis non det præsumptionem ad veritatem remotam, v. g., quod potiùs non sit jejunium, quàm jejunium; benè tamen de veritate proximâ, v. g., quòd potiùs hìc et nunc non tenear jejunare, quàm jejunare; eo quòd probabile sit non esse diem festum. Contra est : ergo reflexio supra possessionem libertatis dat securitatem probabilitati; et è contra reflexio suprà probabilitatem securam facit possessionem physicam, seu vim electivam voluntatis, qui est circulus manifestè vitiosus. Contra est 2° : Non potest dari præsumptio de veritate proximâ, nisi etiam detur de veritate remotâ, nullus enim potest prudenter judicare se non teneri hìc et nunc jejunare, nisi credat priùs hìc et nunc non esse indictum jejunium; uti præsumptio in materiâ justitiæ non dat præsumptionem de veritate proximâ, quòd, v. g., hìc et nunc licitè rem retinere possim, nisi in quantum dat præsumptionem de veritate remotâ, scilicet quòd res sit potiùs mea, quàm alterius, secundùm dicta supra.

Dico 2° : Extra materiam justitiæ nunquàm possessio stat pro libertate morali, in casu dubii, an detur lex, vel non detur. Adeòque nunquàm in aliarum virtutum materiis melior est conditio possidentis. Conclusionem nostram quoad legem æternam Dei, naturalem et positivam non minùs eleganter, quàm solidè probat Jacobus à S. Dominico in Append. primâ ad Compend. Theol. Mor. explic. cuniculo 1, sect. 1, in fine ubi : lex æterna dicitur summa ratio in mente divinâ ab æterno existens : seu effectivus rerum omnium præconceptus, quo Deus singulis rebus suos indidit stimulos et instinctus, quibus suos in fines agerentur; et præcipuè homini in cujus mente impressit agendi normam, quâ secundùm rationem ageret (quæ ei naturalis est) quamque non potest præterire, nisi conscientiâ reclamante, et synderes exprobante. Et quia ad finem non tantùm naturalem, sed ad supernaturalem homo conditus est, duplicem aliam legem Deus concessit eidem, mosaicam scilicet, et evangelicam; et in has leges nihil omninò potest reipublicæ auctoritas, vel hominis voluntas, propter supremum Dei dominium in voluntatem creatam. Ubi ergo prætensa libertatis possessio adversùs hujusmodi leges, non solùm tempore priores, sed et dignitate, à peccato immunitatem et securitatem faciens? Etenim legis æternæ promulgatio cœpit in nobis à primo usûs rationis momento; ac proinde lex æterna antiquior voluntate creaturæ, jusque obtinet dominii supra voluntatem creatam. At quodnam dominium magis justum, quàm conditoris, et conservatoris? Inter quem, et creaturam, si per impossibile aliqua reperiretur juris et libertatis æqualitas, adhùc meritò jure præsumendum esset pro superiore, prout cæteris paribus bonum commune præferendum est privato, divinum creato, et jus altioris ordinis juri inferioris; nisi velis per summam rerum subversionem, bellum ex utrâque parte justum esse, et jus divinæ legis, quæ non prioritate, sed et honestate, et indubitatâ æquitate semper vincit, justè etiam vinci libertate voluntatis creatæ capacis tam mali, quàm boni : et hoc argumentum de-

beret apud adversarios esse invictum, apud quos tantùm valet falsa possessio libertatis vel ob solam dierum et horarum prioritatem; nunquàm ergo præsumendum pro possessione libertatis creatæ, nisi fortè cùm res sunt indifferentes : quod desinit esse, ubi prudens oritur controversia, an res aliqua sit mala, vel à superiore prohibita. Hæc doctissimus ille theologus; cujus argumentum brevibus verbis ante hunc auctorem complectens N. Franciscus Bonæ Spei in Apolog. retorto dub. 7, n. 107, loco regulæ statuit : Ubi possessiones sunt æquales aut dubiæ, præsumendum est pro superiore, seu pro lege; prout cæteris paribus bonum commune præferendum est privato, et jus altioris ordinis juri inferioris, ne *sequatur bellum utrinque justum; ideòque ridiculum esse*, inquit Vasq. allegare possessionem libertatis contra Deum, quasi verò possit quis imaginari Deum litigare nobiscum de libertate. Respondet quidem *Lacroix* n. 503, quòd lex naturalis et divina, si detur, non possit dici antecedere libertatem nostram, quæ est certa; illa autem, cùm sit dubia, et invincibiliter ignoretur, non habet proximè rationem legis defectu sufficientis promulgationis. Verùm cùm hæc § 8, examinaverim, hìc ea non repeto, de quibus adhuc infra redibit sermo.

Prob. concl. quoad leges humanas, modò justæ sint, quamvis recens institutæ. Omnes leges justæ sunt libertate nostrâ semper priores in radice; sunt enim legis æternæ, naturalis ac divinæ participationes, seu in quantum habent rationem legis, derivantur à lege æternâ, cujus ratio est : quia sicut virtus secundi moventis derivatur à virtute primi moventis, sic omnes rationes gubernandi, quæ sunt in inferioribus gubernatoribus, derivantur à ratione gubernandi, quæ est in primo gubernatore, ergo ab illâ derivantur omnes leges, quæ sunt in inferioribus gubernatoribus, juxta illud Sapientiæ : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Et ad Rom. 13 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo :* ergo nullus potest etiam respectu novæ legis justæ, possessionem suæ libertatis moralis prætexere : quomodò enim esset, aut esse posset justa possessio libertatis moralis respectu justæ legis institutæ aut instituendæ à potestatem habente; cui si subditus restitit, teste Apostolo, damnationem sibi acquirit? Confirm. 1° : Dubia possessio meliorem in dubio non facit conditionem possidentis nequidem in materiâ justitiæ humanæ voluntati subjectâ; atqui eo ipso, quo dubia est legis prohibitio, possessio libertatis moralis vel est certò nulla, vel ad summum incerta ac dubia : ergo ex regulâ illâ juris : *In pari causâ potior est conditio possidentis*, perperàm arguunt adversarii meliorem esse conditionem libertatis in dubio de prohibitione legis. Min. prob. Eo ipso nulla est existentia libertatis moralis, quo certa est prohibitio legis, ergo eo ipso dubia est existentia libertatis moralis, et consequenter possessio ejus, quò dubia est prohibitio legis. Confirm. 2° : Quia, quanquàm antequàm esset lex præcipiens, v. g., festum for' in festo S. Ursulæ, homo habere t jus ad laborandum, vel non laborandum serviliter, sacrum audiendum, vel non audiendum; eo ipso tamen, quo dubitat, an sit talis lex, etiam dubitare debet de suo jure, cùm dubitet de legis obligatione, per quam tollitur jus, quod ante dubium habebat, adeòque et de possessione libertatis moralis quæ non potest in alio consistere, quàm in illo jure... Confirm. 3° : Dubius an actio aliqua sit peccaminosa, dubius est, an habeat libertatem illam ponendi sine peccato : sed dubius, an sit hodiè lex prohibens comestionem carnium, dubitat, an illa comestio sit hodiè peccaminosa, cùm dubitet de formâ, aut quasi formâ, per quam redditur de indifferenti peccaminosa. Ex quibus confirmatur et utraque conclusio : dùm dicis, quòd in dubio de existentiâ legis melior sit conditio libertatis, vel loqueris de libertate tuâ physicâ, vel morali; non de physicâ, hæc enim maneret, quamvis lex contraria evidenter agnosceretur; nec tamen tunc possideret contra legem : nec de morali, nam de hâc ipsâ dubitatur an adsit quando dubitatur de lege, ergo hæc non est in certâ possessione contra legem. Hoc argumentum sibi objicit P. *Lacroix* n. 507, et respondet *se loqui de libertate physicâ, cui propter ignorantiam invincibilem bona fides ab initio conjuncta fuit, hæc autem libertas*, inquit, *est incertâ possessione, et non fuisset, si lex contraria agnita fuisset : ista autem possessio libertatis physicæ*, prosequitur idem auctor, *prout conjuncta cum bonâ fide et ignorantiâ invincibili fundat in nobis certam possessionem libertatis moralis ad operandum non obstante dubio, quod supervenit de existentiâ legis.*

Contra est, ut certa foret libertatis moralis possessio, non debet tantùm ante dubium fuisse, sed adveniente dubio certò continuari bona fides; atqui hæc non continuatur accedente dubio, cùm dubium superveniens non minùs faciat dubiam fidem, quàm scientia legis faciat malam fidem, uti colliges ex dictis, confirm. primâ, secundâ et tertiâ, ergo. Deinde deberet esse certum in ejusmodi dubio dari invincibilem ignorantiam legis tam directæ, de quâ dubium est, an existat, quàm reflexæ se non esse exponendum periculo peccati : atqui non est certum utramque legem in casu dubii invincibiliter ignorari. Major constat; quia bona fides cum ignorantiâ invincibili fundat moralem certitudinem, quæ proinde, si utraque non sit certa, corruit et illa. Minor constat ex dictis § 8, per totum. Ac aliunde : quia eo ipso, quo rationabiliter dubia est legis prohibitio, innotescit nobis luminis naturalis obligatio servandi leges dubitantium : abstinendi scilicet ab eo, de quo dubitas, æquumne sit an iniquum, cavendique peccata, seu prævaricationis legis periculum, contra quas leges ceu communissima morum principia non potest stare libertatis moralis possessio. Exemplis rem elucidemus. 1° : Episcopus habet libertatem physicam cum bonâ fide conjunctam communicandi cum aliis fidelibus : adveniente autem dubio rationabili, an sit excommunicatus, retinet quidem libertatem physicam, non tamen moralem, elideturque bona fides communicandi cum aliis, uti ante exortum de excommunicatione

dubium poterat, quia cap. *Illud, de cler. excomm.*, sub pœnâ depositionis jubetur se habere pro excommunicato, adeòque inhibetur ei communicatio cum aliis. 2° Sacerdos legitimè ordinatus habet libertatem et physicam et moralem celebrandi, cæteraque altaris ministeria peragendi : superveniente autem dubio, an proximus interierit ictu à se, an ab aliis causato, manet quidem libertas physica obeundi altaris munia, non tamen manet bona fides, ac in eâ fundata libertas moralis; quia cap. *Significâsti* de *homicid.* jubetur hoc in casu habere se pro homicidâ et irregulari, ac à sacerdotali ministerio abstinere. 3° Habet quis secundùm adversariorum principia libertatem physicam conjunctam cum bonâ fide et ignorantiâ invincibili, sequendi sententiam probabilem faventem libertati, etiamsi concurrat cum sententiâ æquè probabili, aut etiam probabiliori stante pro lege; si tamen superveniat dubium, an sententia libertati favens sit damnata, manente libertate physicâ non manet bona fides, nec ignorantia invincibilis, nec moralis libertas eam sequendi; quia ut Docet *Lacroix* n. 367: *Opinio, de quâ dubitatur, an sit damnata, non est tuta in praxi, quia, quamvis sit in anteriore possessione non damnationis, ideòque non possit dici absolutè damnata, tamen nunc est dubiæ probabilitatis, et dubium est, an non sit perniciosa in praxi.* Ergo à pari, opinio, de quâ dubitatur an sit jure naturæ, adeòque intrinsecè mala, et prohibita, vel an potestate derivatâ à lege æternâ eam prohibuerit legislator, fiet dubiæ probabilitatis, etc. Non enim plus efficaciæ habet ad reddendam opinionem dubiè probabilem, dubia summi pontificis damnatio, quàm dubia supremi legislatoris, naturæ legis, aut aliæ à Deo ordinatæ potestatis inhibitio, seu æquivalenter damnatio. Uti ergo perniciosa in praxi est opinio, de quâ dubitatur, an sit damnata, ita perniciosa in praxi est opinio, de quâ dubitatur, an sit à Deo jure naturæ, aut etiam à potestate humanâ lege justâ inhibita. Pro solutione objectionum sint casus sequentes.

Casus primus.—Sempronius alicujus communitatis religiosæ superior Titio subdito suo rem aliquam præcipit, de quâ ille dubitat, an sit peccatum, necne, teneturne hoc in casu superiori mandanti obtemperare? Affirmant Probabilistæ hoc ducti fundamento, quòd superior hoc in casu sit in possessione potestatis imperandi. Similiter ego affirmativè respondeo, sed aliunde hujus rationes desumo, quas, ut non sit opus à longè quærere, adduco eas, quas habet *Lacroix* n. 433: *Quia, scilicet, rectus ordo, et necessaria subditi ad superiorem subordinatio ita postulat, es setque majus malum turbari illum ordinem, quàm fortè peccari materialiter, nam posset quivis subditus facilè obtendere, aut etiam judicare rem præceptam esse illicitam, unde sequerentur discordiæ superiorem inter et subditum, scandala, perturbationes, etc. Quæ sunt mala certa : ubi è contra malum, quod ex obedientiâ timeretur nempe materialis transgressio legis divinæ, non esset certum, sed solummodò dubium, malum autem certum vitari debet pro dubio. Ergo Conf. Nam uti officium judicis à Deo institutum est tanquàm absolutè bonum, licet per illud quandoque fiat materialis injuria innocenti, ita etiam ordo subjectionis inter homines, licet quandoque per ignorantiam humanam intervenire debeant errores, estque minus malum hos errores esse, quàm everti ordinem illum.* Ratio horum à priori desumitur ex Deut. cap. 17, et 2 Paralip. c. 19, et Ezech. 34. Ubi præcipitur, quòd in difficilibus et ambiguis judiciis stetur judicio sacerdotis; hæc enim continent legem naturalem in hoc fundatam, quòd, cùm res humanæ circa particularia sæpiùs ambiguitate plena sint, et quid justitia exigat, et postulet honestas, sit cognitu difficile et incertum, plerumque fieret, quod pro ingeniorum diversitate et affectuum contrarietate implacabiles orrientur dissensiones, ac interminabiles lites, si non darentur superiores, quibus commissa esset cura dirigendi alios in bonum, lites dirimendo, dissipando ambiguitates, contrarietates tollendo, quod fieri minimè potuisset, nisi isti superiores haberent facultatem determinandi, quid in dubiis esset agendum, et decernendum pro bono subditorum. Ideò veritas responsionis ad casum propositum non tam concluditur ex vi possessionis præcipendi, quam certam, non dubiam habet superior, quàm ex naturâ facultatis superioris, et jurisdictionis illius, quæ ad dubia se extendit ex vi suâ, et est ex suâ naturâ, et ex naturali jure potestas decernendi, quid in dubiis sit pro communi bono, pacis conservatione, et felicitate reipublicæ agendum. Quod vel maximè verum est in religioso, qui dubius est, an præceptum superioris sit de re illicitâ : licet enim votum religionis liberum sit, quoad exercitium actûs (potest enim quis non vovere statum religionis si nolit) non est tamen liberum quoad specificationem. Si enim quis religionem vovere velit, tenetur vovere obedientiam secundùm regulam talem, qualem exigit perfectum gubernium communitatis, ad vitandas dissensiones, lites, scandala, et ad conservandam unitatem subjectionis in uno capite in vinculo pacis. Obedientia autem consona communitati ex naturâ suâ exigit extensionem ad materiam dubiam, imò una ex præcipuis causis, ob quas obedientia est necessaria, est, ut in dubiis superior possit discernere, quid sit agendum, et sic finire lites, et pacem conservare. Cùm igitur superioris conditio hoc postulet, ut sit in ambiguis director; talem superiorem exigunt religiosæ communitates : et quidem eò magis, quò ad hoc, ut subditi quietè, et sine impedimento possint tendere ad perfectionem, necesse est, ut adsit superior, qui scrupulos abigat, et dissipet ambiguitates, et in casu dissensionum lites decernat, et pacet foveat. Consonat hisce aurea S. Bernardi doctrina, L. *De præcepto et dispens.* cap. 12 : *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus... sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ, et in præcipiendo fallere possunt.* Ad quam objectionem respondet : *Sed enim, quid hoc refert tuâ, qui conscius non es? præsertim cùm teneas de Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex*

*ore ejus requirunt.* Non de certis sanè et indubitatis, sed de dubiis, unde subjungit : *Requirunt, dixerim, non quam authentica ulla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit ( de hujusmodi enim nec præceptor exspectandus, nec prohibitor auscultandus est ) sed quòd ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit... ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquàm Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, habere debemus.* Hìc ergo verum est, quòd obedientia debeat esse cæca, et habet locum illud Christi Matth. 23 : *Omnia, quæ dixerint vobis, servate, et facite.* Quia et in dubio præceptum superioris præsumendum est justum, *eò quòd tanta sit judicialis auctoritas, ut semper pro ipso* ( judice seu superiore ) *præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur.* Cap. *in præsentiâ de Renunt.*

Verùm quàm frivolè ex his deducatur, quod in aliis etiam dubiis relictâ parte tutiori quispiam sequi valeat partem faventem libertati, manifestum est : 1° quia in materiâ obedientiæ obedire superiori, cujus certa est auctoritas, unicè tutum est, ut constat ex dictis : in aliis autem materiis pars favens legi certò est tuta, pars autem favens libertati dubiè tuta et periculosa. 2° In materiâ obedientiæ pejus malum esset turbari rectum ordinem, et necessariam subordinationem superiorem inter et subditum, quàm fortè peccare materialiter exequendo præceptum superioris, de quo est dubium, an sit illicitum : in aliis verò materiis, v. g., dùm quis dubius, an contractus sit licitus, vel illicitus, abstinendo à contractu sequitur communes à synderesi præscriptas dubitantium leges, scilicet : neminem in dubio se posse exponere periculo peccati : procul exulat materialis legis transgressio, neque ullus rerum ordo et subordinatio superiorem inter et subditum evertitur. 3° Si in materiâ obedientiæ possit subditus non obedire, sequi facilè possent discordiæ superiorem inter et subditum, scandala, perturbationes, quæ sunt mala certa; sed quale, quæso, discordiarum, scandalorum, perturbationis periculum ex eo, quòd subditus sequatur partem faventem legi, quam etsi adversarii negent esse de præcepto, affirmant tamen esse de consilio. 4° Uti officium judicis absolutè à Deo institutum est, tanquàm absolutè bonum, licet per illud quandoque fiat materialis injuria innocenti, ita etiam ordo subjectionis inter homines, licet quandoque per ignorantiam humanam intervenire debeant errores, estque minus malum hos errores esse, quàm everti ordinem illum; sed quæ connexio illorum cum dubio in aliis materiis, circa quas in sequelâ partis tutioris nec error materialis timendus, nec debitæ subordinationis eversio. 5° In materiâ obedientiæ vice Dei loquitur prælatus; anne similiter in aliis vice Dei loquuntur auctores (quâcumque demùm auctoritate polleant) qui docent in dubiis quempiam sequi posse partem faventem libertati, relictâ eâ, quæ stat pro lege? aut quisque sibi constitutus est judex, quisque loquitur vice Dei ut sequatur partem stantem pro libertate?

Colliges ex dictis, quòd, quanquàm subdito probabilius sit rem præceptam esse illicitam, teneatur equidem obedire prælato præcipienti. Ratio est, quia major probabilitas manens intra limites probabilitatis non adfert certitudinem, sed semper objectum relinquit dubium; cùm igitur ex sententiâ S. Augustini relatâ in cap. *quod culpatur* 23, q. 1, ad casum sequentem adducendâ, et ex S. Bernardo supra cit. imò secundùm canonistarum et theologorum sententiam superiori sit obediendum; ubi evidenter non constat rem præceptam esse illicitam, ei quoque parendum est, quanquàm subdito probabilius sit rem præceptam esse illicitam. 2° Licet objectum secundùm se sumptum sit probabilius, tamen ut vestitum circumstantiâ præcepti est minùs probabile : quia, ut inquit eximius Suar. tom. 4, de Relig. tract. 10, l. 4, c. 15, n. 21, moraliter loquendo « non potest ille excessus probabilitatis tantus esse, respectu subditi, quin meritò « ad rem præceptam teneatur propter virtutem obedientiæ; præsertim, quia ipsa auctoritas superioris « probabilitatem alterius partis multùm auget; » cùm enim major probabilitas sæpè sit incognita, et falsa, quandoque etiam doctis hominibus falsa sint probabiliora veris, judicium autem de majori probabilitate in iis, quæ spectant ad regulam tam in individuo, quàm secundùm se, non sit commissum ipsi subdito, cujus est duci et regi, sequitur, quòd adveniente judicio ejus, ad quem spectat judicare de majore vel minore probabilitate, et de quo præsumi debet, quod omnibus spectatis est verè melius, id de quo subditus non habet jus, ut decernat, an sit, vel non sit melius, sequitur, inquam, quòd objecto secundùm se sumpto inferiori minùs probabili, ex vi præcepti adveniat major probabilitas, ac proinde tutò rem præceptam exequi valeat, et teneatur. Aliud foret, si subditus cognosceret superiorem præcipere rem (quam subditus judicat illicitam) ex conscientiâ erroneâ, vel dubiâ; tunc enim, uti superior injustè præcipit, ita subditus nec tenetur, nec potest obtemperare.

Sed quid in casu, quo uti prælatus doctus eligit partem probabilem faventem suæ auctoritati, et respuit oppositam ut improbabilem; ita subditus æqualiter aut magis doctus tenet tanquàm certam partem, quæ favet ejus libertati, an tunc tenetur subditus obedire? — Resp. cum Mercoro 3 p. a. 21, in fine affirmativè; ratio est : quia tunc ignorantia magis præsumeretur ex parte subditi, quia si renuit obedire, est ob proprium commodum : præceptum verò prælati præsumitur esse ob bonum publicum. Præterea ex inobedientiâ nullum damnum alicui imminet, imò esset actus perfectæ virtutis, at ex inobedientiâ nullum bonum sequitur, sed potiùs perturbatio, et scandalum.

Casus II. — Caius intendit dare nomen militiæ; dubitat autem an princeps, sub quo militare cupit, justam habeat bellandi causam; potestne hoc in casu bellare? — Resp. distinguendo : vel enim Caius est subjectus principi, sub quo militare intendit, vel non : Si non sit subjectus, nec potest se curare conscribi, nec bellare. Ratio est, quia ut constat ex Reg. 19, juris, *non est sine culpâ, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se ingerit.* Sed tale bellum non pertinet ad ejusmodi mi-

Item, ergo. Deinde talis miles pugnando exponit se periculo faciendi injuriam alteri principi, contra quem est bellum, si contingat bellum esse injustum; non pugnando autem nulli facit injuriam : in dubiis autem, maximè ubi agitur de præjudicio tertii, tutior pars est eligenda. Unde milites qui sunt parati ire ad quodcunque bellum, non attendentes justitiam, vel injustitiam causæ, dummodò tantùm habeant bona stipendia, sunt in statu peccati mortalis, nec illi ita possunt à confessariis absolvi : eo modo quo meretrix est in statu peccati mortalis, etiamsi actu non fornicetur, quatenùs parata est ad se prostituendum quocunque tempore. Secùs dico de militibus qui tantùm parati sunt bellare in bello justo ; illi enim militare possunt principi, quem sciunt hominem christianum, et de quo prudenter præsumunt, quòd nemini velit facere injuriam, justamque habeat bellandi causam. Si demùm Caius sit subjectus principi, sub quo militare intendit; et non dubitet positivè de justitiâ belli; nec tamen sciat causas de justitiâ belli, non tenetur eas inquirere, quia potest præsumere principem suum esse virum timoratum et christianum, adeòque justas habere bellandi causas. Imò quanquàm positivè dubitet de justitiâ belli, potest equidem militare. Ratio est : quia non pertinet ad subditos, vel milites examinare causas, sed ad aulæ proceres, et eos, qui illi sunt à consilio; eo modo quo lictor potest exequi sententiam judicis, quamvis dubitet de justitiâ illius, deponendo dubium, et cogitando ad se non pertinere, examinare, an sententia sit justa, sed ad judicem : neque enim princeps tenetur omnibus suis subditis in particulari reddere rationem publicorum suorum negotiorum : quia ut dicit Innoc. III. cap. *Ad aures* de temp. ordin. *Vani capitis est superiorem non posse præcipere sine causæ cognitione factâ subdito.* Idcircò subditis, et gregariis sufficere debet, quòd bellum publico concilio et principis auctoritate sit indictum. Quòd si tamen milites forent certi, quòd princeps sit dubius de justitiâ belli, non liceret illis pugnare, quantumvis essent subditi, quia illud bellum foret injustum, eo modo, quo lictor non potest exequi sententiam judicis, quam scit esse injustam.

Confirmantur dicta pro hâc secundâ responsionis parte ex S. August. l. 22, contra Faust. cap. 74 et 75, et refertur cap. *Quod culpatur* 23, q. 1, ubi inter alia hæc habet : « *Ergo vir justus, si fortè etiam sub « rege, et homine sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cùm, quod « sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum « est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortassè reum « faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem « militem ostendat ordo serviendi.* » Rationem autem hujus paulò ante præmiserat ubi : « *Ordo autem naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut sus- « cipiendi belli auctoritas, atque consilium penes princi- « pes sit.* » Verùm, inquis, ex his solùm sequi, quòd subditus possit, non verò quòd teneatur in casu posito bellare.

Contra est 1° Si subditus miles sine peccato bellare possit, ergo mandante principe tenetur, quia subditus tenetur obedire, si sine peccato certo, securè, et sine dubio possit exequi, quod præcipitur. 2° Ratio, cur non teneretur, esset, quia bellando exponeret se periculo peccati, sed hoc periculum omninò tollitur ex mente S. Augustini, quia sine peccato subditus exequitur, quidquid sibi jubetur, et non est manifestum esse peccatum; ergo nulla est ratio, quæ in eo casu subditum ab obediendo excuset. 3° Quia ex S. Augustini mente lex naturæ exigit, ut suscipiendi belli auctoritas et consilium spectet ad principem; ergo jubente principe non est, unde velit subditus ipse de bello consilium sumere ; si autem non teneretur obedire, non solius principis, sed etiam subditorum esset bellandi auctoritas, et consilium, et sine subditorum consilio inaniter princeps bellum indiceret. 4° Quod excusat subditum in bello forsan injusto bellantem, secundùm S. Augustinum est ordo serviendi ; atqui hìc ordo non importat solam potentiam, sed et obligationem serviendi; servus enim non tantùm potest, sed et tenetur domino obedire. Ergo. 5° Quia Augustinus utitur verbo *potest* quia quæstio sua erat de potestate agendi sine peccato, et ideò inquit, quòd subditus in eo casu rectè potest bellare, quo tamen stante benè sequitur, quòd si potest, etiam teneatur facere jubente principe.

Casus III. — Caius prudenter dubitat, an votum emiserit jejunandi, teneturne ad jejunium? Negant Probabilistæ : quia libertas inquit Lacroix n. 502, quæ secundùm Reg. 122, ff. de Reg. *Jur. omnibus rebus est favorabilior*, in possessione est : ergo uti in materiâ justitiæ melior est conditio possidentis, ita hìc melior est conditio libertatis possidentis. Verùm à possessione in materiâ justitiæ nunquàm benè argui ad legem humanam, et votum, quod est lex quædam particularis, quam homo sibi imponit, supra demonstravimus. Quia scilicet possessio certa rei in materiâ justitiæ conservatur simul cum dubio juris; dùm enim Petrus possidens litigat cum Paulo de proprietate agri, et uterque allegat pro se fundamenta æquè similia, vi quorum pares sunt in jure, conservatur possessio certa apud Petrum : quæ possessio, cùm fundet præsumptionem, quòd ager potiùs pertineat ad Petrum, quàm ad Paulum, facit ut Petrus possidens prævaleat adversùs Paulum. At in casu voti et similium ; licet ante emissionem voti homo habeat jus ad comedendum carnes impunè sine peccato die aliàs non prohibitâ, eo ipso tamen quo prudenter incipit dubitare de voto, incipit quoque dubitare de jure, seu libertate morali ad comedendum carnes : nunquàm enim habuit jus ad comedendum carnes post emissum votum abstinendi ab illis, ac proinde libertas physica non potest esse sufficiens ad tollendam obligationem voti, quando de illâ dubitatur. Quæ, quanquàm ita sint, sæpè tamen in dubio voti non erit obligatio adimplendi votum, quia poterit aliunde dari ratio ad deponendum dubium; uti benè notat Gonz. Dissert. 7, § 13, n. 75. Si quis enim habeat experientiam dè se ipso, quòd non facilè obliviscatur rerum, quas maturo consilio, et deliberatâ voluntate fecit

hoc ipso, quo dubitat de emissione voti, potest formare hunc discursum : Si emisissem votum, meminissem modò, me illud emisisse, uti reminisci soleo aliarum rerum, quas maturè deliberavi ; atqui non recordor ; ergo non emisi. Sicque prudenter potest deponi dubium. Quòd verò possessio nihil faciat ad deponendum dubium in materiâ voti, probatur : possessio potest stare pro voto, et tamen quispiam non teneri voto. Ergo. Prob. ant. exemplo desumpto ex Mercoro p. 2, a. 24. Ponamus casum, quo quis emisit votum jejunandi quotannis in vigiliâ cujusdam sancti, et in casu transgressionis solvendi duos imperiales ad ornamentum altaris ejusdem sancti, ac deinde dubitet, an jejunaverit, certa stat possessio pro voto : Si equidem taliter dubitans sciret, se nunquàm hactenùs citra impedimentum in istâ vigiliâ jejunium violâsse, neque hâc dubiâ vice impedimentum adfuisse, per regulam à communiter accidentibus : *Inspicimus in obscuris*, etc., præsumendus esset satisfecisse voto, nec proinde obligandus esset ad solutionem mulctæ, non obstante prætensâ illâ voti possessione. Vanum igitur est argumentum Probabilistarum desumptum à meliori conditione possidentis in materiâ voti. Hinc colliges quòd, quando præsumptio veritatis stat pro libertate, hæc sit titulus verus et sufficiens ad deponendam conscientiam dubiam in quâlibet materiâ : quia, cùm non possimus in omnibus omnimodam veritatem assequi, ille prudenter agit, qui in dubiis occurrentibus illam partem amplectitur, pro quâ sincerè existimat stare præsumptionem veritatis ; aliàs esset onus intolerabile, si ubique et in omnibus pars tutior esset eligenda. Unde, si quis certus de voto, dubitet de quantitate. v. g., an voverit quatuor, aut sex missas audiendas, tenetur ad tutius ; quia non potest prudenter præsumere, quòd potiùs quatuor, quàm sex voverit : aliud esset, si ex circumstantiis posset haberi præsumptio veritatis pro parte mitiori : sic Carmelita certus, quòd voverit recitare Rosarium, dubius autem, an sex, an verò quindecim decadum, satisfacit recitando Rosarium sex decadum, seu coronam, ut vocant B. V. quia solet ordinariè tale Rosarium recitare ; illudque ei in constitutionibus suis præscribitur.

Dices cum Terillo cap. *ex parte* de Censib., archiepiscopo Compostellano dubitanti quâ in mensurâ, majore an minore, solvere deberent qui ecclesiæ S. Jacobi voverant dare aliquot sextarios frumenti (cùm in isto loco darentur sextarii majores et minores) pontifex respondit solvendam esse usitatam mensuram, si ad unam eamdemque vota hujusmodi hactenùs persoluta fuissent : sin minùs : « Volentes solvere minorem, non « esse cogendos, ut majorem persolvant. Quia cùm « ejusmodi vota gratuita sint ab initio, benigniùs sunt « à viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquàm exactores « videantur lucris temporalibus inhærere. » Ergo manifestum est quòd pontifex ibidem faveat libertati.

Resp. 1° : Manifestum esse quòd pontifex in illo dubio non faverit libertati, sed honori Ecclesiæ, ne scilicet *ecclesiastici tanquàm exactores*, etc. ; imò etiam quodammodò ecclesiæ utilitati, ne scilicet duriori exactione (ut glossa ait ibidem) fidelium munificentia erga ecclesiam illam retardaretur. — Resp. 2° : Ex illo canone potiùs confirmari ea quæ hìc diximus. Quia ibi pontifex distinguit, utrùm incolæ illius regionis ad unam eamdemque mensuram ejusmodi vota persolverint, an ad diversas. In primo casu ad eamdem et illi solvere sunt cogendi. In secundo verò casu volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant. Quia scilicet in primo casu uniformis consuetudo solvendi ad majorem mensuram, facit præsumptionem, quòd ei conformis fuerit intentio voventis. In secundo verò casu multiformis, et alternativa consuetudo solvendi modò ad majorem, modò ad minorem, facit similiter præsumptionem, quòd intentio voventis fuerit pariter alternativa, solvendi scilicet, vel mensuram majorem vel minorem, cujusmodi votum non obligat ad majorem determinatè sed ad alterutrum indeterminatè, cap. *Si pater* ff. *de jure dotis*.

Casus IV. — Sempronius bonâ fide iniit matrimonium cum Bertâ, postmodùm autem dubitare incipit de valore matrimonii, eò quòd dubitet an subsit aliquod impedimentum dirimens ; potestne comparti bonâ fide petenti conjugale debitum reddere ? Affirmant Probabilistæ : quia, ut inquit Lacroix n. 502 : *Pro altero conjuge bonâ fide petente debitum est possessio.* Verùm ego non video quomodò hæc cohæreant cum doctrinâ, quam ex Terillo adducit Lacroix n. 500, ubi reddens rationem cur conjux dubius de valore matrimonii non possit petere debitum, quia lex absolutè vetans copulam, nisi resciatur de valore matrimonii est in anteriori possessione. Sanè si hæc lex sit in anteriori possessione, illa possessio certa faciet, quòd nequidem possit reddere debitum. Neque excusat reddentem, quòd compars non dubitans bonâ fide petat debitum, quia bona fides compartis non potest efficere, quòd dubius non transgrediatur legem de vitandâ copulâ, quæ est in anteriori possessione, quam non vitat tam reddendo, quàm petendo debitum. Quòd igitur conjux dubius possit reddere debitum, hoc non facit possessio, neque canones se fundant in titulo possessionis, dùm declarant conjugem dubium obligari ad reddendum debitum ; sed in alio titulo *tutioris* scilicet *partis in dubio sequendæ*, uti manifestè colligitur ex verbis Innoc. III, cit. c. *Inquisitioni* ubi inquit, quòd si dubius « impedimentum subesse credat ex « credulitate probabili et discretâ, quamvis non evi- « denti et manifestâ, debitum quidem reddere potest, « imò reddere debet, ne contra naturalem et divinam « legem conjugii commtitat offensam, sed postulare « non potest, ne peccet contra judicium conscientiæ. » Proinde Innoc. III, in dicto cap. (uti et Lucius Papa in cap. *Cùm Dominus de secundis nupt.*) definitionem suam fundat in regulâ de sequendâ tutiori parte in ejusmodi dubio, reverà enim tutiùs est reddere, ne peccetur contra jus, quod compars bonâ fide putat se habere ; tutiùs item non exigere, ne peccetur contra propriæ conscientiæ judicium, maximè cùm conjugii lex neminem obliget ad exigendum ; unde si poneretur casus, in quo majoris peccati periculum esset in reddendo,

quàm non reddendo debitum, nequidem posset debitum reddere, juxta illud concil. Tolet. in c. *Relatum* d. 13 : « Duo mala, licet sint omninò tutissimè « præcavenda, tamen si periculi metus ex his unum « perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod « minori nexu noscitur obligare. » Quod istius concilii Patres desumpserunt ex S. Gregorio in can. *Nervi* 2, § 4, eâd. distinct.; ubi : « est tamen, quod ad de- « struendas Beemoth versutias subtiliter fiat, ut dùm « mens inter minora et maxima peccata constringitur, « si omninò nullus sine peccato evadendi aditus patet, « minora semper eligantur. »

Ubi adhuc advertendum, 1° conjugem posse reddere debitum, si sit verè dubius; nam si sit certus de impedimento, nec debitum petere, nec reddere potest, etiamsi per sententiam excommunicationis compellatur, quam « debet potiùs humiliter sustinere, quàm « per carnale commercium peccatum operari mortale, « cit. cap. Inquisitioni. » 2° Hìc dicta intelligenda esse, quando tantùm unus conjugum dubitat; si enim dubitet uterque, nullus potest reddere, quia nullus habet jus exigendi. 3° Quandò dubitans non debet dubium alteri parti manifestare, vel quia nulla est spes, quòd alter conjugum abstinebit ab usu matrimonii, vel quia est periculum notabile gravis scandali, etc. 4° Quando dubium est de valore matrimonii antequàm consummetur, potest et debet dubitans tempore primi bimestris, etiam petenti debitum denegare, quamdiù matrimonium non est consummatum, quia nullam facit injuriam alteri parti, cùm sit cuilibet matrimonium ineunti liberum reddere, aut negare debitum illo tempore, hocque ex ordinatione Ecclesiæ, ut quilibet perpendere possit, an in matrimonio manere, vel ad religionem transvolare velit; bimestri autem transacto, debet vel conjugem monere de dubio, si expediat; vel petenti debitum reddere, si non expediat propter rationes ante dictas.

Casus V. — Sempronius bonâ fide iniit matrimonium cum Caiâ, quod dùm vult consummare, Caiam ad copulam impotentem reperit, quapropter dubitare incipit an impotentia Caiæ sit perpetua, an verò solùm temporalis, adeòque de valore matrimonii; potestne hoc in casu uterque conjux licitè petere debitum? Affirmant Probabilistæ trito nixi principio de meliori conditione possidentis, ego autem et hoc in casu titulum hunc quà insufficientem rejiciendum ratus, de impedimento impotentiæ non eodem modo, quo de aliis matrimonii impedimentis loquendum ostendo. 1° Quia dubius de aliquo alio impedimento matrimonium inire non potest : dubius tamen de impotentiâ, si nunquàm expertus, sed semper continens fuerit, matrimonium inire potest. Cùm Deus, seu auctor legis naturæ permittat matrimonium hominibus, qui semper hactenùs continuerunt, adeòque incerti sunt, an non sint respectivè vel absolutè impotentes; si spes probabilis affulgeat potentiæ post temporalem impotentiam affuturæ. 2° Quia dubius de aliquo alio impedimento, post matrimonium bonâ fide contractum æquè est in possessione, ac dubius de impedimento impotentiæ; si ergo conditio possidentis licitam faciat petitionem debiti in dubio impotentiæ, æquè licitam faciet in dubio de alio impedimento; sed non est ita : qui enim bonâ fide cum alio impedimento matrimonium contraxit, postmodùm probabiliter dubitare incipiens de valore, non potest, etiam post examen, debitum petere; prout ad casum præcedentem diximus. Uti cum D. Th. in 4, d. 38, in fine in expos. litt. d. 41, a. 6, quæstiunc. 1, ad 3; et cum D Bonav. in 4, d. 38, in expos. litt. docet sanior theologorum pars. Quòd ergo dubius de impotentiâ id possit hoc non facit possessio, sed Dei seu auctoris legis naturæ concessio nobis notificata per Ecclesiam cap. *Laudabilem de frigidis*. Ob rectam quippe generis humani propagationem et gravissimorum incommodorum passim inter homines alioqui secuturorum vitationem, petitio illa debuit ex naturâ rei conjugibus de impotentiâ dubitantibus ad tempus concedi. 1° Ne maxima sæpissimè in conjugiis foret perplexitas et incertitudo, si conjuges abstinere deberent à petendo ob dubium de impotentiâ, etiam quandò spes probabilis adest, post temporalem experientiam copulam perficiendi; cùm de impotentiâ saltem respectivâ sæpissimè dubium aliquod sit, an non sit in utroque, vel alterutro. 2° Ne innumeri alioqui passim allicerentur ad fornicandum sub prætextu certificandi se ante initum matrimonium cum hâc vel illâ, ne eo inito, sine facto experimento in perplexitatem tunc inciderent, dùm recedere ab invicem ob matrimonium fortè validum non possunt; neque ob dubium de impotentiâ matrimonio uti possent.

### § 10. *An veteres doctores ex Probabilistarum principiis dubia circa mores resolverint.*

Sectio prima.

*Quinam potissimùm doctores in hâc universalissimâ morum regulâ de conscientiâ sint consulendi?*

Tametsi in reliquis disciplinis omnibus (verba sunt Melchioris Cano l. 1, de locis cap. 2,) primum locum ratio teneat, postremum auctoritas; at theologia tamen una est in quâ non tam rationis in disputando, quàm auctoritatis momenta quærenda sunt : quod non tantùm in dubiis circa fidei materiam, sed in dubiis circa mores procedere manifestè docet S. Augustinus l. de Moribus Ecclesiæ cap. 12, ubi ait : « Quàmlibet rationis « acumine polleamus, naturæ ordo ita se habet, ut « cùm aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas, » et cap. 25 : « Nihil in Ecclesiâ salubrius fit, quàm ut « rationem præcedat auctoritas, et intelligentiam au- « scultatio seniorum. » Auctoritas autem ex duobus fontibus emanat, nempè ex scientiâ, vel peritiâ, seu doctrinæ excellentiâ; et ex morum honestate ac animi probitate. Nam cùm auctoritas doctoris nil aliud sit, quàm opinio, quâ quis putatur imitatione dignus (uti eam definit Lancelottus in disput. an et quandò attend. sit com. opin.) oritur 1° : Ex doctrinâ; statim enim ubi apparet scientia vel doctrina in aliquo, rapimur et trahimur quodam naturæ instinctu ad illum amandum, colendum ac imitandum juxta dictum Platonis relatum à Cicerone lib. 1, de Ofl., quod tamen intellige,

si doctrina comitem habeat morum honestatem ac animi probitatem; si enim illa desit, doctrinæ excellentia non modò non concitat desiderium et amorem imitationis, sed potiùs odium et abjectionem quamdam : scientia enim in homine malo est tanquàm gladius in manu furiosi. Proficiscitur igitur auctoritas ex doctrinâ simul et animi probitate : nam si cesset scientia, deficit fundamentum auctoritatis; si verò absit animi probitas, non oritur opinio, unde utroque casu sequitur auctoritatis destructio.

Dico : Circa universalissimam morum regulam de conscientiâ doctores antiqui longè præferendi sunt junioribus. Ratio est 1° : Quia antiqui simul cum pietate adjunctam habebant eximiam doctrinam, quia hauserunt conclusiones suas ex Scripturâ solùm et traditione, quæ secundùm Trid. sess. 4 : *Fons est omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ;* hodiè verò, cùm sit tanta librorum copia, ut labori parcatur, datur opera libris facillimis, in quorum lectione parùm addiscitur. Unde ubi ex bonis cibis bona fit digestio, ita ex bonis libris optima fit intelligentia. Ratio est 2° : Quòd opinio antiquorum fuerit visa semel ac pluries, ac à posterioribus diutiùs ruminata, steteritque ad supplicium impugnationum eorumdem tanquàm aurum in fornace; hinc urgens et clara elicitur conjectura, ut vera, bona et æqua sit et meritò præferenda. Supposito igitur, non concesso, quòd ex S. Scripturæ auctoritate non possit manifestè colligi, quomodò formanda sit in non evidentibus conscientia, observari deberet Regula Innocentii I, relati in c. « de quibus causis nulla sol- « vendi ligandique auctoritas in libris veteris Testa- « menti, quatuor Evangeliorum, cùm totis scriptis « Apostolorum appareat, ad divina recurre scripta « græca. Si neque in illis, ad Ecclesiæ Catholicæ ca- « tholicas historias à catholicis doctoribus scriptas « manum mitte. Si nec in illis, sanctorum exempla « perspicaciter recordare. Quòd si omnibus his inspe- « ctis hujus quæstionis qualitas non lucidè investigatur, « seniores provinciæ congrega et eos interroga, faci- « liùs namque invenitur, quod à pluribus senioribus « quæritur. Verus enim repromissor Dominus ait : *Si « duo ex vobis vel tres conveniunt in nomine meo, de « omni re quamcumque petierint* (adde docuerint) *fiet « illis à Patre meo.* » Matth. 18. Ex quibus vides, quòd ad veritatem inquirendam, aut id, quod est veritati proximius, velit pontifex interrogari et consuli seniores, et meritò; nam *Gloria senum canities*, Prov. 20. Hæc verò canities sapientiam designat, inquit Anacletus in cap. Porrò, dist. 8 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Eccles. 39. Et *sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens*, Eccles. 8. Quapropter et Jeremias cap. 6 præcipit : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in eâ*, et Apostolus Timotheo ita scribit : *O Timothee, depositum custodi, devita profanas vocum novitates.* Unde iis, qui nimiùm prudentiæ suæ innituntur, novarum opinionum circa fidei morumque materiam inventoribus improperant, Hormisda Epist. 22 : « Quid recentia canitis et prisca deseritis? » Cælestinus 1, Epist. 1 : « Desinat incessere novitas ve- « tustatem. » Zozimus : « Apud nos inconvulsis radi- « cibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxêre « reverentiam; » monetque Leo IV episcopos Britanniæ Epist. 2, cap. 6 : « Si tale emerserit, inquit, vel con- « tigerit inusitatum negotium, quod minimè posset « per istos (canones) finiri, tunc si illorum, quorum « meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori vel « cæterorum similiter sanctorum doctorum, similium « reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac « promulganda. » Conformiter igitur ad summorum pontificum documenta in moralium quæstionum enodatione, ac præcipuè in hâc, quæ totius theologiæ basis est et fundamentum, maxima sanctorum Patrum, veterumque theologorum est habenda ratio, ideòque non omnium, sed præcipuorum, quorum apud theologos summa est auctoritas, non tantùm verba seu testimonia, sed et rationes adducemus, quibus adductis et constabit, qualiter in ambiguis conscientiæ dictamen formari debeat, et quid de præsenti controversiâ senserint.

Sectio II. *Mens sancti Augustini discutitur.*

Quòd S. Augustini tempore Academicorum secta docuerit humanum intellectum nulli rei posse assentiri tanquàm veræ, sed omnia cum formidine et dubitanter cognosci; ideòque à sapiente nihil approbari testatur idem S. P. lib. 1 Retract. cap. 1, ubi de academicis loquens inquit : *Cùm illi nihil approbarent, et affirmarent, nihil approbare sapientem.* Rationem, quâ aliquando ipsemet S. Augustinus et academici movebantur, adfert S. Aug. l. 3, contra academicos, quia scilicet existimabant, quòd « veritas sive propter na- « turæ tenebras quasdam, sive propter similitudinem « rerum vel obruta vel confusa latitaret. Cùm verò ex « hoc videretur esse consequens, ut nihil ageret, qui « nihil approbaret; hinc illi (verba sunt Aug. loc. cit.) « inducto quodam probabili, quod etiam verisimile « nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis « asserebant, cùm haberet, quid sequeretur. » Ex quibus vides impingi academicis, quòd dixerint satis esse hoc agere, ad quod agendum invitarent sensus, vel objecta menti proposita, et ita eos confutâsse Augustinum. Nam academici ad prudenter agendum prærequirebant, ac sufficere dicebant judicium certum de probabilitate opinionis. Quia ut patet ex Augustino eod. lib. 3, cap. 15 et 16, dicebant quidem « turpe « esse errare; et ideò nulli rei consentire nos debere, « sed tamem cùm agit quisque, quod ei videtur pro- « babile, nec errat, nec peccat. » Requirebant ergo judicium certum non quidem de veritate, sed de probabilitate opinionis, quod habebant ex doctrinâ. P. Lacroix n. 308, hoc ipso, quòd sciebant se operari juxta opinionem probabilem, neque enim dici potest, quòd absque examine veritatis in agendo processerint, uti de ipsis dicit Lacroix n. 321, cùm de ipsis testetur Augustinus dicens loc. cit. : « Ipsi dicunt nihil se in « agendo sequi, nisi probabile, et quærunt magnoperè « veritatem, cùm eis sit probabile non posse inveniri. » Sicque eos confutat Augustinus. Comparanda restat

modernorum Probabilistarum doctrina cum doctrinâ veterum academicorum. Probabilistæ contra probabilioristas ita argumentantur : « Si sit obligatio sequendi « probabiliorem.... quisque tenebitur ante operatio- « nem inquirere, quænam opinio sit probabilior, quia « in debito faciendi includitur debitum sciendi.... Quid « autem semper sit probabilius, hoc moraliter est « impossibile aut invenire aut decernere. Lacroix « n. 293. » Ex quo sequitur, quòd 1° cum Academicis doceant impossibile esse, saltem moraliter, inveniri veritatem. Ex quo ulterius sequitur, quòd 2° cum Academicis doceant, quòd ad honestatem operationis non requiratur judicium de rei veritate. Contra utrosque autem ita insurgit August. l. 3 : « Faciam igitur vali- « dissimum telum, qui nihil approbat, nihil agit. » Respondet academicus, 1°, se habere quod agat, scilicet « ad agendam vitam id eum sequi, quod proba- « bile, et verisimile occurreret ; cùm autem agit quis- « que, quod sibi videtur probabile, nec errat, nec « peccat. » Respondent Probabilistæ : Qui operatur secundùm opinionem probabilem, operatur secundùm rationem gravem, et prudenter, consequenter nec errat, nec peccat. Lacroix n. 289; quid quæso aliud voluerunt academici? unde Esparsa in Append. art. 69, citatus à Baron. in Eth. disp. 2, loco 17, § 15, candidè fatetur, quod *formale attinet, utrosque* (academicos scilicet et Probabilistas) *unanimiter sentire, unumquemque sapienter* atque adeò honestè amplecti, quidquid verisimile cognosceret quisque post longissimas disputationes non posse evidenter falsitatis aut malitiæ convinci. Contra utrosque replicat Augustinus « quomodò « potest istud probabile ac verisimile actus nostros « ab errore defendere? » Ac si diceret : probabile istud non sufficit, cujus rationem subdit : « Non enim « solùm puto eum errare, qui falsam vitam sequitur, « sed etiam eum, qui veram non sequitur. » Ex quo manifestum non solùm errare eum, qui opinionem seu vitam sequitur, quam judicat falsam, sed etiam, qui opinionem eligit, quam non veram judicat. Ac infra subjungit Augustinus : « Illud, inquiens, est ca- « pitale, est formidolosum, illud optimè cuique me- « tuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis « erit, cùm probabile cuique fuerit esse faciendum, « tantùm nulli, quasi vero assentiatur, non solùm sine « sceleris, sed etiam erroris vituperatione committa- « tur. » Disparitas quidem aliqua est 1° inter academicos et Probabilistas, quòd illi ob errandi periculum, sibi suisque inhibuerint, omnem assensum circa veritatem objecti probabilis ac dubii, non autem hi, sed disparitas illa nihil planè facit ad rem præsentem, quanquàm enim illum assensum permittat Lacroix, eum tamen cum communi, ut inquit n. 387, inter auctores benignos minimè ad honestatem operationis requirit, sed solùm judicium certum de probabilitate, quod judicium secundùm eumdem n. 308, virtualiter et sufficienter habet quilibet, quòd sciat se operari juxta opinionem probabilem ; atqui Academici sciebant se operari juxta opinionem probabilem, nam *si à Zenone*, inquit Mercorus, *aut ab aliquæ academicorum quosivisses*, an licitum et honestum sit matrimonium? respondisset se nescire, nec velle id affirmare, vel negare, ne uni parti assentiendo incurrat periculum erroris : sibi tamen videri probabile, honestum esse matrimonium ; si ulteriùs ursisses, quid censeret de honestate conjugii, stante utrinque dubio et probabilitate? an certus esset, qui uxorem duceret, se non peccaturum? Responderet, se ita certò putare, quia ad vitandum peccatum sufficit Probabilitas, quæ certum facit judicium aut conceptum formalem, licet incerta sit honestas objecti, an scilicet conjugium sit licitum. Ita et non aliter responderet Probabilista, qui dubius propter æqualem utrinque probabilitatem de honestate contractûs, interrogaretur, an licitum sit contractum celebrare ; cum hoc solo discrimine, quòd academicus judicium directum de veritate rei prohibeat, probabilista illud permittat, uterque autem illud impertinens esse ad salvandam honestatem operationis asserat.

Non tantùm Probabilistas refellit loc. cit. Augustinus, sed et alibi doctrinam eorum impugnat, ubi l. 22, cont. Faustum cap. 27, rectè operandi modum docet inquiens : « Secundùm naturalem lêgem, quâ natura- « lis ordo servatur, justè vivimus, si vivamus ex fide « non fictâ, quæ per dilectionem operatur : habentes « in conscientiâ bonam spem repositam in Cœlis.... « Quapropter hominis actio serviens fidei servienti « Deo refrænat omnes mortales delectationes et eas « coercet ad naturalem modum. » Meliora inferioribus ordinatâ dilectione præponens : « Si enim nihil delec- « taret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui de- « lectationem illiciti relaxat potiùs quàm refrænat ; est « autem illicitum, quod lex illa prohibet, quâ natu- « ralis ordo servatur. » Hæc ille, quam doctrinam explicans Shguanin in anatomiâ probabilitatis quæst. 3, § 7, non minùs clarè quàm doctè inquit : Quâ doctrinâ vult (S. Augustinus) quòd hominis actio serviens fidei, hoc est conscientiæ secundùm primam honestatis regulam ordinatæ non debeat elici secundùm inclinationem passionum, seu secundùm libertatem, commoditatem, cupiditatem, etc., sed ad modum naturalem ex ordinatâ dilectione, ita ut, quomodò inferior homo subditur superiori, sic et homo superior subdatur et obtemperet primæ rationi indefectibili seu primæ morum regulæ : nam sicut homo inferior *ad modum naturalem*, hoc est ex naturali inclinatione, in quantum ei ut subditus homini superiori obtemperat, *meliora inferioribus ordinatâ dilectione non potest non præponere*. Ita et homo superior ut subditus et conformatus primæ morum regulæ debet *meliora inferioribus ordinatâ dilectione* præponere. Restat et huic S. P. doctrinæ comparanda doctrina Probabilistarum. A quibus, si quæras, an voluntas possit movere intellectum, ut motivis minùs probabilibus libertati faventibus in ordine ad electionem prudenter assentiatur, etiam in concursu probabiliorum stantium pro lege? Respondet Lacroix n. 416, affirmativè. Nam inprimis, inquit, ex parte intellectûs adest motivum grave, scilicet probabile, etiamsi concurrat aliud pro lege probabilius ; deinde ex parte voluntatis etiam sunt motiva suffi-

cientia, v. g., ut sibi vel aliis non inferat nimis gravem molestiam, ut servet conscientiæ suæ libertatem, etc. Hæc Lacroix: atqui voluntas ita intellectum applicans meliora inferioribus ordinatâ dilectione non præponit, quia ita inclinando intellectum operatur secundùm instinctum potiùs hominis inferioris quàm superioris, et quærit potiùs quæ sua sunt, proprium scilicet commodum, libertatem, etc., quàm quæ sunt Dei; ordinata autem dilectio exigeret, ut voluntas hoc minùs probabiliter licitum tanquàm aliquod inferius, imò probabilius malum negligeret; amplecteretur verò ac intellectum applicaret ad assentiendum opinioni probabiliori pro lege stanti, remque prohibenti. Sequitur ergo, quòd juxta Probabilistarum principia voluntas intellectum ad assensum minùs probabilis opinionis libertati faventis *delectationem illiciti* relaxet, *potiùs quàm* refrænet, consequenter operatio actualis non reguletur secundùm primam regulam honestatis, sed quod potiùs respiciat commoditatem, libertatem, etc., et vel ideò sit peccaminosa; *Si enim nihil delectaret illicitum, non peccaret.*

Demùm non solùm ex S. Augustino sententia Probabilistarum refutatur, sed et quibusdam eorum argumentis satisfit. Dicunt illi, ex eo quòd liceat sequi sententiam magis tutam seu tutiorem et magis probabilem : seu probabiliorem, sequatur, quòd etiam liceat sequi minùs probabilem et minùs tutam, non enim teneamur semper sequi tutiora et probabiliora, sed sufficit sequi tuta et probabilia, qualia sunt minùs probabilia et minùs tuta, comparativum enim probabilius infert, positivum scilicet probabile, uti τὸ tutius infert tutum. Eodem argumento S. Augustini tempore utebatur Cresconius hæreticus pro stabiliendâ suâ hæresi contra Augustinum. Quod ita refutat idem. S. P. lib. 3, cap. 74, ubi : « Considera tamen diligentiùs, in- « quit, ne fortè invenies in latinæ locutionis auctoribus, « quibus grammaticorum artificialia serviunt, non sem- « per istum gradum, quod ante positum est, augere, « sed aliquando contrario superferri, cujus interim lo- « cutionis exemplum mihi ex Apostoli Epistolâ occur- « rit ad Hebræos : *confidimus*, inquit, *de vobis, fratres « charissimi, meliora*, etc.; attendis certè, quomodò hîc « meliora dixerit, non quia bona erant, quæ supra « dixerat, etc. ; quid si et ergo dixerim probabilius, « comparativum pro positivo ponens, non quia vos pro- « babiliter, sed magis, quia improbabiliter, sicut ille « meliora, non quia bona, sed magis quia mala. » Et cap. 75, concludit : « Sic et ego potero dicere Tradi- « tionem probabiliùs vobis objicimus, quamvis eam « vos nobis non probabiliter objiceretis, » Ex quâ S. Augustini doctrinâ, uti et ex doctrinâ D. Th. infra adducendâ colligitur sensus illius axiomatis : *In obscuris et dubiis tutius est eligendum.* Si enim τὸ *tutius* comparativè sumatur, ita ut positivum illius sit tutum, sicut et bonum est positivum illius comparativi, quod dicitur *melius* ; jam non tenemur ex præcepto eligere *tutius*, sed tantùm ex consilio : v. g., ingredi religionem et profiteri. Si verò tutius *adversativè* sumatur, ita ut, quod ei loco positivi correspondet, sit malum aliquod, jam ex præcepto tenemur eligere *tutius*, non minùs, quàm sequi id, quod est *probabilius*, si minùs probabili oppositè appareat aliqua peccati species, vel erroris occasio, uti apparet in minùs probabili stanti pro libertate lucro temporali, commoditate, etc., ubi concurrit cum magis probabili stanti pro lege, quod proindè minùs probabile, nec est tutum, nec probabile ; Si ly *probabile* sumatur pro eo, quod est prudenter ab intellectu opinantis approbabile, qualiter teste Cardin. Laureo tom. 2, in 3 Sentent. disp. 12, art. 4, sancti Patres « illud existimârunt probabile, quod ca- « rens evidentiâ haberet omnia alia motiva, quæ inve- « niri possunt ad illud suadendum : idemque est apud « illos probabile, quod nos dicimus probabilius. » Plura circa mentem Augustini vide n. 117, circa finem, et dicenda n. ne eadem sæpiùs repetam.

### Sectio III. *Examinatur mens S. Thomæ.*

Cùm contraria opposita contrariis magis elucescant, hinc adversariorum doctrinam circa præsentem controversiam cum angelicâ doctrinâ comparabimus, ex quâ comparatione liquidò constabit, quàm procul discrepent doctoris angelici principia à probabilistarum principiis. 1° Permittunt probabilistæ sequi opinionem eorum, qui probabiliùs à veritate recesserunt, quàm ad eam pervenerunt; sanctus doctor verò lib. 9 Metaph. lect. 9 : « In eligendis, inquit opinionibus... « Oportet NB. nos suaderi à certioribus, id est sequi « opinionem eorum, qui certiùs (id est longè probabi- « liùs) ad veritatem pervenerunt. » 2° Intellectus fluctuans inter duas partes contradictionis propter æqualem hinc inde vim motivorum ex solo voluntatis imperio determinari potest, ut assentiatur parti, quam maluerit. E contra secundùm S. Th. 3 Metaph. cap. 1 : Sicut ille, qui habet pedes ligatos non potest in anteriora procedere secundùm viam corporalem; ita et ille, qui dubitat quasi habens mentem ligatam non potest ad anteriora procedere secundùm viam speculationis. Ergo non est liber, ut ex solo voluntatis imperio se eximat à vinculo dubietatis. 3° Amor boni, seu commodi proprii, lucri temporalis, libertatis physicæ secundùm probabilistas determinare potest intellectum ad prudentem assensum partis minùs verisimilis faventis libertati, relictâ longè probabiliori favente legi et honestati. E contra S. Th. 2-2, q. 47, art. 1 ad 1 : « Amor honestatis, inquit, movet rationem ad discer- « nendum ea, quibus adjuvetur ad tenendum in Deum, « ab his, quibus prudentia impediri potest. » Nam *ad prudentiam* pertinet præferre majus bonum minùs bono. 2-2, q. 53, art. 5 : « Semper enim contingit « inordinatio, quando aliquid movetur à non proprio « motivo, sicut si voluntas moveatur à delectabili sen- « sûs, cùm debeat tantùmmodò moveri ab honesto. » S. D. q. 18, de Verit. art. 6, in opere. 4° Secundùm probabilistas finis intellectûs est veritas vel realis vel tantùm apparens, quæ reperitur etiam in falsâ parte contradictionis. Unde nulla est inordinatio in intellectu ex eo, quòd veritati tantùm apparenti assensum præbeat. E contra S. Th. loc. cit. de Verit. : Proprium,

« inquit, motivum intellectûs est verum id, quod ha-
« bet infallibilem veritatem, unde quandocunque in
« tellectus movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua
« inordinatio in ipso, sive perfectè sive imperfectè
« moveatur. » 5° Difficile et periculosum non est Probabilistis determinare in ordine ad praxim, an aliqua actio sit peccatum mortale, nec ne, dummodò enim certi sint de probabilitate sententiæ negantis eam esse peccatum mortale, seu illam doceri à quibusdam viris prudentibus, certum est eam inniti motivo gravi, consequenter actionem, de quâ agitur, non esse peccatum mortale. E contra S. Th. quodlib. 9, q. 7, art. 13, ubi quærit : « Utrùm habere plures præbendas sine
« curâ animarum absque dispensatione sit peccatum
« mortale? dicendum, inquit, quòd omnis quæstio, in
« quâ de peccato mortali quæritur, nisi veritas ex-
« pressè habeatur; » id est, nisi omnibus ritè pensatis ex argumentis probabilibus longè magis ad unam quàm ad aliam partem se habentibus, prout se alibi S. D. explicat : « Periculosè determinatur... Præcipuè
« autem periculosum est, ubi veritas ambigua est :
« quod in hâc quæstione accidit, cùm enim hæc quæ-
« stio ad theologos pertineat, in quantum dependet
« ex jure divino, vel ex jure naturali; et ad juristas,
« in quantum dependet ex jure positivo; inveniuntur
« in eâ theologi theologis, juristæ juristis contraria
« sentire. » Luculentiùs illud periculum insinuat opus 73, de Usuris in procemio, ubi : « Omnis homo à naturâ
« suâ non degenerans, veritatem amat, et eam scire
« super omnia desiderat, quam si quis concupiscit
« vero corde, et eam quæsierit in simplicitate cordis
« sui, ipsa seipsam manifestabit... Invoco ergo ipsam,
« ne me errare permittat in periculum animæ meæ, et
« in laqueum aliorum... Quoniam verò in dubiis, quo-
« rum veritas agnita salutaris est, et incognita pericu-
« lum ingerit humanæ saluti, admodùm utile est veri-
« tatem investigare. Et temporibus nostris audivimus
« multas controversias inter doctores non solùm in
« naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus,
« in quibus periculum est diversa sentire, et præcipuè
« in illâ parte justitiæ, quæ commutativa dicitur à phi-
« losophis, et istâ parte, quæ vitium usuræ cohibet :
« idcircò, etc. » Ecce timebat scholarum angelus periculum animæ suæ et laqueum aliorum in resolvendis quæstionibus ad forum animæ spectantibus : non timent Probabilistæ pro libitu consulentium in ordine ad praxin resolvere quæstiones morales, dummodò pro se habeant opinionem aliquorum gravium doctorum. Ad evitandum periculum animæ suæ et laqueum aliorum, non esse satis sequi aliquos viros probos et doctos censebat S. Th.; id sufficere censent ipsi. Hoc quoque periculum, etc., posse incurri in resolvendis quæstionibus moralibus, quando, v. g., in materiâ usurarum sunt doctores contraria opinantes, censet S. Thomas; illi verò securissimam omnium quæstionum moralium etiam difficillimarum regulam dicunt esse probabilitatem, gravium doctorum auctoritate suffultam. Probabile quodcumque (modò verè tale, hoc est nixum motivo), quo moveri potest vir prudens, pro excusandis actionibus humanis tanquàm principium tradunt Probabilistæ : non credidit id S. Th. ipsius tempore, in illis doctorum diversa sentientium controversiis, utraque pars sine alterius censurâ et notâ à viris doctis defendebatur et defendi permittebatur. 6° Secundùm Probabilistas Bivius inter utramque contradictionis partem ex contrarietate motivorum prudenter se ad unam partem determinat per hoc, quòd præter motiva ex parte intellectûs adsint motiva ex parte voluntatis, scilicet commodum proprium, exercitium voluntatis, vi quorum voluntas præamat, præeligit opinionem, in quam erumpimus de facto; circa quæ vide § 5. E contra secundùm S. D. quodl. 8, art. 13, si quis in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum (an scilicet liceat habere plures præbendas, circa quam opinionem inveniebantur theologi theologis, juristæ juristis contrarii) et sic si, manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccat : utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Ubi vides præter motiva dubitandi ex parte intellectûs in casu posito, adesse motivum scilicet beneficium temporale, vi cujus præamatur, præeligitur opinio de licitâ retentione plurium præbendarum, agnoscit nihilominùs S. D. in illâ retentione periculum, et peccatum. Secundùm Probabilistas ad formandum judicium prudens de honestate operationis sufficit reflexio ad probabilitatem, et non requiritur consideratio veritatis rei; è contra secundùm S. Th. 2-2, q. 58, art. 4, intellectus non potest ferre rectum judicium, *nisi præcedente consideratione de veritate rei, de quâ debet ferre judicium.* 8° Secundùm Probabilistas intellectus prudenter abstrahit à motivis verisimilioribus de malitiâ operationis, considerans solùm motiva minùs probabilia de ejus honestate; è contra secundùm S. Th. cit. art. 4 : « Intellectus deficit in re-
« ctè judicando ex hoc, quòd contemnit vel negligit
« attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit de
« veritate rei. »

Audivimus S. Th. doctrinæ Probabilistarum adversantem, audiamus et eum argumenta eorum saltem aliqua solventem. Primò itaque dicunt : Christus inquit Matth. 11 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* : ergo non est obligatio sententiam probabiliorem et tutiorem sequendi, illud quippe non esset leve, sed nimis laboriosum et grave onus. Respondet S. Th. in 2 Sent. dist. 40, art. 4, ubi explicans jugum Christi suave, inquit : Non ideò Dominus hoc dixit, quia se-
« cundùm se non laboriosum, et asperum, sed quia lex
« evangelica ad mandata implenda, inducit etiam
« amorem, qui omnia levia facit, et quia virtus ea,
« quæ ad virtutem pertinent, delectabiliter exequitur. »
Vide dicta n. 118... Arguunt 2° : Quanquàm probabilius mihi sit, proximum commisisse aliquod crimen, possum tamen prudenter judicare, eum esse innocentem; ergo quamvis probabilius mihi sit contractum esse illicitum, possum tamen prudenter judicare eum esse licitum. Respondet S. Th. 2-2, q. 60, art. 4, ad 1, *aliud esse judicium de rebus, aliud de hominibus,* prout

fusè § 4, n. 119, ex S. Th. explicavi. Quorum ibi dictorum summa est : quòd in primo casu inveniatur ratio rectificans et imperium voluntatis, et judicium intellectûs : nempe, quòd proximus sit habendus bonus, donec probetur malus, si nullum inde detrimentum patiatur : in secundo autem casu nihil sit, quod rectificet voluntatis imperium et intellectûs judicium. E contra amor libertatis, boni proprii, etc., voluntatis affectum ac evidens peccandi periculum vitiet intellectûs judicium. Arguunt denique : opinio minùs probabilis, licet sit minùs tuta, est tamen tuta ; ergo cùm non teneamur eligere partem tutiorem, sed sufficiat eligere tutam, possumus eligere minùs probabilem. Consequentia patet. Ant prob. ex celebri illâ regulâ juris (quæ secundùm Probabilistas tantùm est consilii, non præcepti) : *In dubiis tutior pars est eligenda ;* cùm enim comparativum supponat positivum, si sententia probabilior sit tutior, minùs probabilis debet esse tuta. Responsio desumitur ex S. Th. lect. 2, in cap. 2 Epistolæ 2. Divi Petri, loquens de his, qui liberi à coinquinationibus mundi, superantur : ait D. Petrus : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti*, etc., quod explicans S. Th. ait : *Melius erat...* « id est minus malum; cum « sit comparatio abusiva, non propria : propria « quando utrumque extremum comparationis par- « ticipat æqualitatem, in quâ fit comparatio, abu- « siva, quando alterum tantùm : magis abusiva, « quando neutrum ut Matth. 29, *melius ei erat, si natus « non fuisset.* » Hæc D. Th. ex quibus verbis uti supra ex S. Augustino respondetur ad positum probabilistarum argumentum, quòd scilicet ubi fit aliqua disceptatio pro opinione, quæ opinanti est probabilior, ac stat pro officio, lege, præcepto et honestate : hæc unicè sit tuta, adeòque præferenda opinioni huic oppositæ faventi voluptati, lucro, libertati, commodo, etc., minùs probabili, quæ non est tuta, nisi abusivè.

### Sectio iv. *Quid S. Bonaventura circa præsentem materiam senserit?*

Dùm doctoris hujus seraphici auctoritas ac doctrina contra sententiam Probabilistarum opponitur, respondent S. Bonaventuram semper suadere tutiora; eos verò arguit, qui procedunt vel sine examine veritatis, vel sine dictamine practico certo. Lacroix n. 322, quod an verum sit, ostendet unicus solùm textus, quem ex hoc S. doctore adducemus. Et quidem ex tom. 2, opusc. de Processu religioso, processu 5, c. 3, ubi : « Dubia interpretatio præcepti est periculosa, si- « cut pons semiputridus aquæ præcipitis et profundæ, « de quo dubium est, an sub transeunte corruat, an « subsistat; velut si is, qui pro Christo majora certa- « mina subire decrevit, et omnia reliquit in seculo, « se periculo committeret pro modico motu propriæ « voluntatis, vel pro parvo commodo, in incertâ opi- « nione suâ vel alterius; ut si Deus approbet illam « opinionem, evadat sine lucro meriti, si autem re- « probet eam, damnetur; maximè cùm tales opinio- « nes quandoque periculosiores sint, quam apertæ « transgressiones; quia ubi scit homo se delinquere, « inde facilè corrigitur : ubi tamen nescit se peccare, « et insuper credit, sibi licere, inde nec in morte « purè convertitur propter falsam spem, quòd fortè « licuerit, vel minùs in eo peccaverit, baculo arundi- « neo et confracto innitens; voluntas bona et plana « viâ regiâ et securâ debet incedere, relictis dubieta- « tum diverticulis quasi suspectis latronum semitis. » Ex quibus verbis liquidò constat secundùm S. Bonav. opinionem minùs tutam de licito in æquali hinc inde probabilitate in praxi eligi non posse; quia opinio illa in æquali utrinque probabilitate utpote dubiæ veritatis est *dubia interpretatio præcepti*, adeòque *periculosa, sicut pons semiputridus*, etc.; et ideò sicut imprudens est, qui sine necessitate tali ponti se committit, ita et, qui *pro modico motu propriæ voluntatis*, vel pro temporali commodo, vel libertate conscientiæ, sequitur dubiam opinionem suam, vel alterius. Unde in 4, dist. 17, docet idem S. D. quòd is, « qui dubitat pro- « babiliter, utrùm sit peccatum mortale vel veniale, « quod fecit, si non pœnitet, sicut de mortali, discri- « mini se committit, et ideò debet confiteri. »

### Sectio v. *Ex auctoritate et doctrinâ S. Antonini, sana circà hìc agitatam universalem morum Regulam documenta eruuntur.*

Mirum, quantùm se ex S. præsule Antonino subsidii pro sententiâ suâ habere glorientur passim Probabilistæ, cùm tamen ex eodemmet loco, quem pro se citant, eruatur contrarium : neque video, quomodò hunc S. P. in causæ suæ patrocinium advocare queat Probabilista, qui ejusdem doctrinam et verba animo non præoccupato ac maturè legit. Audiatur ipsemet S. præsul in p. 1 summæ Tit. 3, c. 10, § 10. Ubi agens de conscientiâ scrupulosâ septem tradit regulas, quarum adminiculo conscientia scrupulosa deponi potest ac debet. Inter quas quarta est : *opinionis alicujus tuta electio;* quam, quia prolixa est, ponit in fine. Sexta est, animosa pugnatio, seu repulsio scrupulorum. Circa hanc regulam, quoad id, quod concernit præsentem materiam, inquit : « Solet autem impedire remotio- « nem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum « non benè intellectarum, et ideò declaranda sunt, ut « illa, quæ habetur extra de sponsalibus scilicet : *in « dubiis tutior via est eligenda*. Propter quod scrupu- « losus eligit viam rigidiorem : sed ad hoc responde- « tur quòd eligere viam tutiorem, consilii est, non « præcepti; aliàs oporteret multos ingredi religionem, « in quâ tutiùs vivitur, quàm in seculo, non ergo de « necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam « alia via potest eligi tuta. » Quibus verbis nullatenùs S. præsul favere voluit Probabilistis, sed solùm innuere, quòd cùm scrupulosi bona quæque in comparatione aliorum minora reputent esse mala, illud axioma : *In dubiis tutior pars est eligenda*, ad scrupulosos non pertinere, ut præceptum, sed ut consilium, quia scilicet omne tutius comparativè tale confunditur cum tali adversativè, timendo minora bona quasi mala, et ab illis sibi cavent quasi à peccatis : quare in illos convenit

exemplum cælibatûs collatum cum matrimonio, cui præferendus est ex consilio, non ex præcepto, quia matrimonium per se licitum est status cælibatu imperfectior, ideò illi postponi potest ex consilio, non autem debet ex præcepto. Item (prosequitur S. Antoninus detegendo aliam scrupulorum causam) quia dicitur Ecclesiastici 30 : *Qui amat periculum peribit in illo.* « Hinc est, quod D. Th. et alii dicunt, quòd « ille, qui agit de quo est dubium, utrùm sit mortale « vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit « peccati mortalis : cùm ergo in aliquâ materiâ mora- « li sunt variæ et contrariæ opiniones, ille, qui ad- « hæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere pe- « riculo mortalis : cùm possit opinio illa esse falsa, et « contraria vera : sed ad hoc respondetur, quòd uti- « que ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse « mortale permanente dubitatione, mortaliter peccat, « etiamsi illud in se non esset mortale : sumendo pro- « priè et strictè dubitationem, videlicet prout ratio- « nes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, « nec magis quis declinat ad unam, quàm ad aliam : « sed si quis dubitet leviter, et per modum scrupuli, « sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de « aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ : quod tamen « formidat de opposito, sic agendo contra tale dubium « non peccatur, dùm adhæret opinioni alicujus docto- « ris et habet *rationes probabiles pro ipsâ magis, quàm* « *oppositâ opinione :* ..... Talis enim non operatur in « dubio, sed secundùm opinionem probabilem » Ex hoc illustri testimonio sincerè, et ex integro relato, quo truncato aliis illudunt, et abutuntur quidam Probabilistarum, habes 1° axioma illud Eccles. *Qui amat periculum, peribit in illo* : esse verum, dùm est periculum grave ex dubio strictè et propriè dicto, ortum ducente ex contrarietate opinionum æquè probabilium, non autem in periculo levi, qualia sunt, quæ scrupulosos distinent et torquent. 2° Alio modo operari eum, qui operatur in dubio ex pari utrinque probabilitate, quàm qui operatur ex opinione. 3° Ut ex opinione quis licitè operetur, requiri, quòd habeat rationes probabiles magis pro ipsâ, quàm pro oppositâ opinione. 4° Eum tantùm operari secundùm opinionem verè probabilem (subjectivè) qui operatur ex opinione probabiliori.

Circa regulam septimam (quæ est *præceptorum discreta interpretatio et declaratio*) septuplex, inquit, doctrina per virtutem epikeiæ scrupulosæ conscientiæ proficua dari potest. « Quarum prima est inter duram « et benignam circa præcepta sententiam; quòd be- « nigna est potiùs cæteris paribus interpretatio facien- « da. Hujus ratio est : quia præcepta Dei et Ecclesiæ « non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedi- « nem, qualis certè tollitur quando nimis scrupulosè « et timidè præcepta interpretantur. » Vides agere hìc S. Antoninum de dubiis infundatis ac levibus scrupulis de juris divini apicibus, quæ dubiola scrupulosum tuto posse deponere docet. Oriuntur autem hi scrupuli *ex pertinaciâ timoratæ conscientiæ*, quam tertiam scrupulorum causam hìc nominat Antoninus, hancque re-

secari posse addit ex Alberti magni regulâ, sentientis posse fratrem simplicem sequi *alicujus doctoris magni nominis opinionem*, dummodò tamen, ut supra ex eodem Antonino retuli, habeat rationes probabiles magis pro ipsâ quàm pro oppositâ opinione. Uti luculentiùs patet ex iis, quæ circa eamdem quartam regulam subjungit idem S. præsul : *Dico*, inquit, *quòd ipsa est opinionis alicujus tuta electio : sunt enim aliquando de aliquibus materiis moralibus doctores opinionum contrariarum, et tunc scrupulosi dubitant, quam partem possunt cum bonâ conscientiâ eligere, pro cujus enodatione difficultatis notandum, quòd cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, et secundùm eam operari, secluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles doctores : dummodò talis opinio non sit contra auctoritatem expressam S. Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ : et quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam formet, de eo, quod credit tanquàm de probabiliori parte.* Hìc et lectoris sinceritatem agnosco et adversariorum obtestor conscientiam, an quidpiam potuisset efficacius dicere S. præsul ad confutandum id, quod ipsi falsò à Probabilistis affingitur. Cæterùm quæ hìc scrupulosis quasi pueris et infirmis præscribit S. Antoninus, ea si permittantur libertinis ac seculi prudentibus, non remedia iis, sed venena erunt. Uti ergo diversis ac imparibus remediis utendum est erga juvenes et senes, sanos et infirmos, macilentos et obesos, ita et erga pusillanimes et scrupulosos ex unâ parte, ac ex aliâ parte eos, qui intuitu proprii commodi, lucri acquirendi, aut incommodi aut damni evitandi in pari utrinque probabilitate malunt libertati, commodo temporali, etc., se addicere; ubi tamen ipsemet S. Antoninus non ita indulget scrupulosis, quin velit illos et gravioribus et probabilioribus argumentis suas res peragere, quæ adversùs scrupulos invalescant, et dubia levia, quibus torquentur, elidantur. Veriùs igitur ex hoc loco Thomas Sanchez asserit S. Antoninum esse patronum sententiæ in pari utrinque probabilitate stantis pro lege, quàm alii cum Lacroix, n. 325, eum vocant in patrocinium sententiæ minùs etiam probabilis stantis pro libertate, cùm non excuset à peccato, etiam scrupulosum, nisi quatenùs *rationes habet pro opinione, quam sequitur, magis, quàm pro oppositâ, probabiles.*

### Sectio VI. *Qualiter in dubiis procedendum docuerint veteres doctores scholastici?*

Agmen ducat Gulielmus Altissiodorensis, qui floruit circa annum 1220, eumque mortuum esse refert Pontas 1223. Præclarus hic antistes, quem Vincentius Beluacensis *libertatis Ecclesiasticæ defensorem venerabilem* nuncupat, Summam composuit, in quâ, cùm dixisset, *quòd quilibet tenetur scire de quolibet mortali quòd sit mortale* sibi objicit : ponatur instantia in subtilissimis laqueis usuræ vel simoniæ, de quibus etiam dubitant maximi magistri, iste laicus non potest scire, de hoc mortali quòd sit mortale, quid ergo hìc faciendum? « Respondent Probabilistæ, quòd cùm de iis du-

« bitent maximi magistri, utraque opinio sit probabi-
« lis, dubium prudenter deponi possit, ac ita amplecti
« pars favens libertati : ita quidem probabilistæ. Aliter
« tamen Altissiodorensis, qui ita solvit propositam
« quæstionem : reverà inquiens, ex peccato primi pa-
« rentis obscurata fuit prima ratio, ita quod non potest
« homo perspicaciter intueri, quid faciendum sit, et
« quid non, et propter talem pœnam contingit,
« quod non potest homo scire de quolibet mortali,
« quod sit mortale, sed tenetur scire, vel dubitare,
« et per hoc vitare : est enim regula quòd si quis
« dubitat de aliquo, an sit peccatum mortale, et
« facit illud, peccat quia discrimini se committit. »
Hæc Altissiod. profectò per hoc, quòd homo in dubio constitutus an aliquid sit peccatum mortale, ex eo quòd utrinque concurrunt magnorum magistrorum contrariæ opiniones, *tenetur scire et dubitare, et per hoc vitare* actum, de quo dubitatur, an sit peccatum mortale, sequitur manifestè dubium prudenter deponi non posse; aliàs quippe non teneretur vitare, sed per principia probabilistarum reflexa dubium posset deponere, sicque actum faventem libertati, etc., operari.

Quomodò intelligenda sit hæc regula : *dubitans de aliquo, an sit illicitum, et stante dubio, illud agens peccat, quia discrimini se scienter objicit :* resolvit Joannes Gerson cancellarius Parisiensis mortuus Lugduni 1439, cujus tractatus de Dogmatibus, de Moralibus, de Mysticis à 30, et plus diversis ritualibus regulæ instar propositos testatur Pontas. Hic insignis eruditionis auctor in tract. de Præpar. ad Missam et Pollut. noct. consi. 3 : « Respondeo, inquit, cum Altissiodorensi re-
« gulam hanc magistralem intelligendam esse de du-
« bio tali quod est vehemens, et magis aut saltem
« æquè inducit mentem credere, quod est mortaliter
« illicitum, sicut quod est licitum. Secùs, ubi mens
« plus inclinatur et judicat, quod est licitum, quàm
« sit illicitum, quamvis non habeat usquequàque cer-
« titudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipsum
« requiritur. » Non permittit ergo sequi minùs tutam, nisi probabilior appareat operanti.

Clariùs de hâc regulâ loquitur Dionysius Carthusianus, qui floruit circa annum 1450, ac teste Pontas *doctoris extatici* nomen meruit. Hic igitur contra plural. Benef. art. 8 : « Nunc, inquit, tangenda sunt
« verba Gulielmi Parisiensis, doctoris profundi et
« uncti, quem etiam multi magni doctores audent
« S. Thomæ seu Bonaventuræ in sapientiæ eminentiâ
« parem asserere, itaque lib. de collat. Benef. sic ait :
« Post hæc aggrediamur disputare an liceat uni per-
« sonæ plura beneficia habere, quorum unum suffi-
« cit ad competentem ei sustentationem? inprimis
« ergo si videatur alicui de hoc dubitandum, quia à
« multis et magnis videtur, quod sic, atque à multis
« et magnis, quod non, unde temerarium videri pos-
« sit de hoc aliquid definire : ad hoc dicimus, quia si
« dubium est, utrùm liceat hoc, an non; ipsa dubie-
« tas certitudo est, et determinatio, id est, certitudi-
« nem facit : quia procul dubio non licet alicui se
« committere discrimini; discrimini autem se com-
« mittit, qui præsumit aliquid facere, de quo dubitat,
« an peccatum sit : cùm ergo, ut diximus, dubietas fa-
« ciat discriminosum, hoc idcircò vitandum ex neces-
« sitate salutis tanquàm illicitum et mortale. » Hæc ille. Vident adversarii dubietatem facere certitudinem; et quia dubietas facit discriminosum, ideò actum, de quo est dubium, an sit peccatum mortale, esse *vitandum ex necessitate salutis :* nihil igitur ad securitatem in sequelà partis minùs tutæ contribuere possunt principia illorum reflexa.

Alexander de Ales S. Bonaventuræ, non verò S. Thomæ professor, ut ostendit Graveson in Hist. eccl. ad secul. IV, qui, ut idem ait, adeò in theologiâ sholasticâ excelluit, ut vulgò à suis fons vitæ, doctor doctorum, et irrefragabilis nuncuparetur; hic Summam composuit, ad instantiam Innocentii Papæ IV, ut testatur Pontas : quam Bellarminus egregiam et copiosissimam vocat. In hâc p. 2, q. 129, membro 8, casu ult., quæritur, inquit, « de illo qui dubitat de
« aliquo, utrùm sit simonia, vel non, ex eo quòd
« quidam juris periti dicunt esse simoniam, quidam
« non. Quid ergo faciendum, cùm ignorat? » Respondet Lacroix in casu posito præter motivum grave ex parte intellectûs pro parte benignâ esse motiva sufficientia ex parte voluntatis, vi quorum operans prudenter judicare possit, actum non esse simoniacum, scilicet, ut sibi vel aliis non inferat nimis gravem molestiam, ut servet conscientiæ suæ libertatem, etc., sed non sic Alensis : è contra « respondendum, in-
« quit, quòd abstinendum est ab hujusmodi contractu,
« ne se committat discrimini. Meliùs enim est, ut in-
« cidat in damnum temporale, quàm in damnum spi-
« rituale. » Abstinendum igitur est à tali actu ratione periculi, cui aliàs se committeret; eo modo, quo supra ex D. Th. diximus, qui ex contrarietate opinionum dubius est, an liceat simul habere plura beneficia, eligit beneficiorum polygamiam, periculo se committit, magis æstimans commodum temporale, quàm propriam salutem.

Henricus Gandavensis, cui teste Pontas titulus, *Doctor solemnis*, mortuus 1293, quodlib. 4, q. 33, manifestè docet in contrarietate opinionum *conferenda, seu comparanda* esse *motiva illorum, quorum rationes sunt validiores et efficaciores, ac auctoritates magis expressæ.* Aliàs sequens partem periculosam *procul dubio mortaliter peccat, exponens se illi periculo : quia quod agit, non est ex fide, seu conscientiâ, sed contrà dictamen scientiæ rationis rectæ.*

Florebat circa annum 1330, Paludanus, sive Petrus de Palude, qui in doctissimo Commentario super libros Sent. in 4, dist. 37, q. 2, art. 3 : *Si aliquid sit ita dubium,* inquit, *quod una pars est certa, quòd est sine peccato; altera est dubia, an sit peccatum, debet tenere certum. Quia quandocumque potest se liberare à periculo peccati, tenetur. Unde manifesta est ratio, quare* (conjux *dubius de valore* matrimonii) *non debet petere debitum, quia certum est, quòd non petere est licitum, est autem dubium, utrùm petere sit peccatum.*

Scotus, quem ducem scholæ suæ sequitur ac veneratur ordo seraphicus, floruit circa annum 1333, dicit que expressè q. 2, prologi in fine : *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum; et tamen dubia non est via salutis, quia à talibus, tanquàm periculosis debet homo sibi cavere, et abstinere se ne homo dùm se exponit periculo, incidat in peccatum.* Respondent probabilistæ Scotum loqui de operante non deposito dubio.

Contra est, si doctor subtilis judicavit prudenter deponi posse dubium, non dixisset, quòd à talibus, quæ manent dubia etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum, *tanquàm periculosis* debeat *homo sibi cavere, et abstinere se*, sed potiùs dixisset non teneri sibi cavere, et ab actu dubiè peccaminoso abstinere (uti discurrunt probabilistæ), eò quòd per judicia reflexa dubium possit deponi. Subterfugit igitur subtilissimum Scoti ingenium principiorum reflexorum subtilitas, Scotumque pro probabilistarum sententiâ citant nobiliores Scotistæ : Corduba in suo Quæstionario l. 2, q. 3, assert. 3; Philippus Faber in 4, dist. 14, q. 1, disp. 6, n. 45, ubi testatur, opiniones antiquorum videri in hoc convenire : cùm utraque opinio, tam tutior, quàm minùs tuta, sunt æquè probabiles, tutiorem esse amplectendam. Pro quo n. 43, citat S. Th. Cajetanum, Scotum, quem ipse sequitur. Numero verò 41, citaverat summistas Sylvestrum, Navarrum, etc., oppositamque vocat recentiorem; ex quo patet, non adeò bonâ fide eum pro se citari à probabilistis. Item Scotum sequuntur, eumque pro suâ probabilioristarum sententiâ citant Card. Laurea, in 3, disp. 11, art. 4, n. 242; Antonius Cotonius controvers. 5, q. 15; Nicolaus de Orbellis, nobilis et ipse Scotista in 4, dist. 17, q. 1, § 4 : *Est tamen veniale secundùm Bonaventuram et Richardum, necessariò confitendum, si dubitetur probabiliter illud esse mortale, aliàs homo exponeret se periculo.* Quod sanè confitendum non foret, si verus esset probabilismus. Quos novissimè sequuntur, fusèque probabilismum propugnant Henno in suâ Theol. de consc. prob. et Matthæucci in Cautelâ confessarii lib. 1, cap. 20, à n. 27 usque ad 44.

Joannes Nider, inquit Lacroix n. 326, ante ducentos et plures annos expressè tenuit probabilismum. Verùm si inspiciatur Nideri liber editus Romæ anno 1604, manifestè constabit, eum non favere probabilitati in sensu adversariorum, sed cum S. Antonino providisse scrupulorum infirmioti, quibus septem tradidit regulas deponendi conscientiam, quod satis indicabat vel solus operis titulus, scilicet *Consolatorium timoratæ conscientiæ*. In quo p. 3, cap. 11, ita incipit : *Quarta regula principalis est opinionis alicujus tuta electio. Sunt enim aliquando de aliquibus materiis moralibus doctores opinionum contrariarum. Et tunc scrupulosi dubitant, quam partem possunt bonâ conscientiâ eligere. Pro enodatione hujus difficultatis, notandum inprimis, quod cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, et secundùm eam operari saltem excluso scandalo, quæ pars habet pro se notabiles, seu notabiliores doctores... dummodò ex contrarietate talium opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliore parte.* Requirit ergo bonam fidem de probabiliori parte, ut tollatur dubium, quod necessariò inducitur ex opinionum contrarietate, vel maximè relictâ probabiliore opinione. Sed et idem auctor eod. cap. solvens illud ex hostiensi, quod ex cap. *Sed vir* extra *de Cog. spirit.* pro se allegant probabilistæ, quòd *ubi sunt diversæ opiniones et diversa jura, semper humanior est præferenda*, per *tò humanior* probabilistæ intelligunt partem libertati faventem, ille verò cum hostiensi, *humanior*, inquit, *id est, rationabilior*, pluribus innixa rationibus, ideòque magis appropinquans veritati, quam unicè quærit ratio : *Ubi verò utraque humana est, parti majori standum est et saniori;* quia hæc supra æqualitatem rationum addit majoris auctoritatis pondus. Vides quàm dispares pro dirigendis conscientiis præscribant regulas ex unâ parte probabilistæ, ex aliâ ille, de quo in præsenti (quem tamen nescio quâ fide pro se citant) doctissimus Nider. Volunt illi in concursu duarum opinionum oppositarum, quarum una æquè probabilis, aut etiam probabilior militat pro lege, alia minùs probabilis pro libertate, sufficere, si ex amore commodi temporalis, exercitii libertatis, etc., intellectum avertat à consideratione motivorum opinionis stantis pro lege, solùm considerando motiva opinionis stantis pro libertate; sicque partem benignam amplectenti securitatem dant ex eo, *quòd qui probabiliter operatur, prudenter operatur :* hic verò, scilicet Nider, nequidem hoc permittit scrupulosis, sed vult, ut in dubiis conscientiam sibi forment de parte probabiliori. Constat id clarius ex eodem auctore in Præceptorio divinæ legis ad præceptum 1, cap. 5, litt. F., ubi tradens tredecim regulas, ex quibus desumi debet certitudo moralis ad honestatem operationis requisita, *octava est*, inquit, *certitudo moralis non semper scrupulos omnes abjicit :* sufficit ut contemnat vel superet sic operando, quasi non sint. Est autem scrupulus in proposito vacillatio, seu dubitatio quædam consurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus et incertis. *Alioqui si ex vehementibus argumentis et probabilioribus pro hâc parte dubitatio consurgeret, jam non scrupulus solus, vel levis dubitatio cum trepidatione dici oportet, sed moralis de transgressione certitudo.* Si consurgat ex dubio *moralis de transgressione certitudo*, quid quæso faciet ad probabilitatem partis benignæ reflexio? quod repetens regulâ undecimâ quæ est : *exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale*, subjungit : « Vel sic « agere incertum et dimittere certum in materiâ mo- « rali est peccatum mortale, si tale sit incertum, « quòd sit mortale, non solùm per leves conjectu- « ras..... sed intelligitur, dùm tale est vehementer « et probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel « non magis. Tunc enim illud, quod agitur, non ca- « rebit mortali culpâ. »

Panormitanus, aliàs Nicolaus de Tudeschis creatus

cardin. à Fel. V, in conc. Basil. anno 1440, quem Trithemius appellat *Lucernam juris* in cap. *Juvenis* de spons. hanc regulam magistralem tradit : *In concernentibus periculum animæ, debemus in dubiis semper tenere, quod est certius, et.... sine periculo animæ.... unde in istis illa pars est tutior, quæ est mitior.* Debemus, inquit, ergo non solùm de consilio, sed de præcepto.

Panormitanus, inquit Terillus cap. *Capellanus de feriis*, approbat Innoc. IV sententiam, nimirùm eum non peccare, *qui prætermisit servare jus, ubi sunt variæ opiniones licet postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, et quam secutus est, non fuisse satis subtiliter investigatam.* R. 1° Panormitanum agere de his, quæ spectant ad solemnitates juris, ex quibus diversa sentientes verè inde excusat à peccato, *quia*, inquit, *unaquæque provincia abundat in suo sensu :* et quis dubitat juris positivi diversas posse servari formulas sine læsione conscientiæ? Resp. 2° sermonem esse de eo, qui secutus est opinionem circa jus positivum, cujus habuit ignorantiam invincibilem, eò quòd post diligentem veritatis inquisitionem prudenter existimârit, à nullo se jure prohiberi exercere actum, de quo variæ erant doctorum opiniones, quæ inter se dissidentes utrinque legis præsidio destituebantur.

Angelus de Clavasio, vicarius generalis ordinis S. Francisci, floruit circa annum 1490; in Summâ suâ, quam illius nomine vocant angelicam, v. *Opinio* cum Panormitano docet quòd in dubiis, ubi versatur animæ periculum, tutior pars est eligenda, et quod certius est, tenendum. Permittit quidem sequi opinionem doctorum non omninò certam, sed moralem requirit certitudinem, hanc autem desumi non ex judicio supra probabilitatem reflexo, uti volunt probabilistæ, sed ex majori probabilitate : « Non enim (inquit) consurgit certitudo moralis ex evidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis... magis ad unam, quàm ad aliam partem se habentibus. »

Gabriel Biel, celeberrimus ex nominalium scholâ theologus ord. canonic. Regularium S. Augustini (circa annum 1491), in 4, dist. 15, q. 8, art. 13, dub. 2 : « Agere incertum, et dimittere certum in materiâ morali est peccatum mortale... dùm tale est vehementer et probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis. Unde ex hoc, quòd sententia dicens, quòd habere plura beneficia... sit peccatum mortale, est sententia plurium sanctorum, et famosorum doctorum, plus concordans S. Scripturæ, et Patrum canonibus, quàm ejus oppositum, concludit : Ergo posse habere sine peccato plura, est valdè incertum, et longè minùs probabile quàm ejus oppositum. » Ex quo tandem concludit, quòd plura retinens beneficia committat se incerto mortalis peccati periculo, adeòque peccet mortaliter.

Major (qui floruit anno 1500) in prologo 4 Sententiarum in resp. rad 1, contra ult. part. quintæ conclus. « Auctoritates similes, tene certum, dimitte incertum, sunt consilii, quando tenuior est apparentia de certo; sed quando sunt æquales apparentiæ vel plures, pro parte certâ, stultum est partem certam relinquere, Eccles. 3 : *Qui amat pericula, peribit in illis.* » Quod ad conf. 4 argum. contra 6 conclus. explificans, « octo viri reputati, inquit, dicunt B. contractum vitiosum, quem facit Titius cum octo rationibus; rursùs octo tantæ auctoritatis, cum totidem apparentiis, scilicet contractum Titii esse licitum; quæstio est, utrùm Titius tenetur ad restitutionem et detestationem? Et mihi apparet hæc conclusio concedenda : Titius de necessitate salutis tenetur restituere. »

Adrianus inter sui temporis theologos primus ob eximiam pietatem, ac doctrinam ad summi Pontificatûs apicem evectus anno 1522, 6 Jan. in 4 Sent. pro Sacram. Pœnit., de Rest. quærit : « An doctoribus contrariantibus circa aliquod agibilium, et agere secundùm unam opinionem est periculum peccati, agere verò secundùm aliam est in dubio peccati mortalis, mortaliter peccet, qui agit illud, de quo est dubium, an sit peccatum mortale? » Quæstionem ita propositam resolvit Adrianus distinguendo : « Vel enim, inquit, ex contrarietate opinionum movetur ad dubitandum, vel non? Si ita, peccat partem dubiam amplectens. Si non, et dubium conscientiæ temerè deponat, interpretativè dicitur quis se exponere periculo, quoniam debet æstimare periculum vel discrimen esse in eo quod nihilominùs agit. » Censet igitur dubium in casu posito, deponi non posse, nisi temerè; suspendendo judicium à consideratione motivorum pro lege stantium, quæ æstimare deberet, quæ non æstimando, sicque temerè dubium deponendo, interpretativè quis se periculo exponit. Quia, ut subjungit infra eodem loco, *interpretativè se exponit periculo, quando scilicet disparitas talis ac tanta est, quòd meritò deberet aliis credere.* Quod contingit, dùm major est probabilitas pro parte favente legi; vel propter eorum auctoritatem ad minus de facti honestate et an liceat dubitare, quod fit, dùm æqualis est utrobique probabilitas. Ex hoc doctissimo pontifice plura adducemus § sequenti.

Circa idem tempus Sylvester de Prierio Ord. Præd. Generalis in Summâ summarum, quæ Sylvestrina dicitur, quærit § 2, quomodò intelligenda sit hæc regula : *In dubiis tutior pars est eligenda.* Et resolvit : *Quòd si probabilitas hinc inde esset æqualis, tutior est eligenda necessariò, quando ex electione alterius immineret periculum peccati mortalis, quia tunc verum est illud Eccle.* 3 : *Amans periculum peribit in illo.* § 4, quærit, *utrùm in dubio de irregularitate vel delicto interpretandum sit affirmativè aut negativè?* et resolvit interpretandum esse generaliter negativè, dùm in foro contentioso purè agitur ad pœnam, *quia in pœnis mitior interpretatio est facienda, in foro autem animæ debemus interpretari affirmativè, quòd sit irregularis; quia in foro conscientiæ pars tutior est eligenda, licet durior : quia in illâ parte nullum subest periculum.* Cap. *Significàsti de homicidio.* Et *idem dixit* (Panormitanus) *ubicumque dubitatur de aliquo delicto : ad quod vide gl. in cap.*

*unic. de Scrut.* Ergo non in solo casu homicidii, uti cap. illud de homicidio interpretantur probabilistæ. Pergit Sylvester : *Similiter dicendum est in foro quasi pœnitentiali : puta quando non agitur ad pœnam propriè, sed ut ab altaris ministerio abstineat, vel ab aliquo exercendo, in quo exercendo subest peccatum : quia etiam tunc in securiorem partem debemus interpretari, licet sit durior. dict. C. Significâsti de homicid. C. Juvenis de spons.* Extenditur ergo ex Sylvestri mente regula de viâ tutiore in dubiis eligendâ ad quæcumque delicta (excepto dùm in delictis propriè ad pœnam agitur), quoscumque contractus, ac generaliter quascumque materias in foro animæ; quandocumque in amplexu partis minùs tutæ subest peccandi periculum.

Ne in hâc parte sim longior, duos tantùm adhuc theologos Cajetanum scilicet et Conradum, quos importunè sententiæ probabilioristarum adversari objiciunt probabilistæ. Cajetanus (inquit Lacroix, n. 323), v. *Opinio*, est pro sententiâ benignâ. Ait quidem loc. cit. Catejanus : *Opinione uti ut regulâ operum interiorum et exteriorum* esse *quandoque licitum.* Sed prosequere quæ ait ibidem : et *quandoque illicitum, nisi submittendo opinionem regulæ superiori, scilicet S. Matris Ecclesiæ et apostolicæ Sedis, quoniam ambiguitatis aliquid habens regula, qualis est opinio, resolvenda est in regulam certam, ne error possit inveniri. In operandis verò, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuscumque assumere ut regulam operis : quoniam eo ipso, quòd operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis.* Dùm igitur ex contrarietate opinionum prudens exsurgit ambiguitas seu dubitatio, nisi tutiorem partem eligas, operando peccas. Deindè quàm procul doctrina eruditissimi cardinalis à doctrinâ probabilistarum colliges ex iis quæ habet in Summâ, v. *Periculum*, ubi : *Periculo peccandi* (inquit) *se exponere dupliciter evenit*; 1° *faciendo scienter opus dubium, an sit licitum vel illicitum : et hoc modo se exponere periculo peccandi est peccatum, et si agitur de licito aut illicito, mortaliter est peccatum mortale. Et ratio est, quia voluntas ex hoc ipso exorbitat à rectâ ratione et divino amore, quod mavult opus illud cum dubio incurrendi transgressionem divini præcepti, quàm abstinere ab opere illo cum certitudine non errandi, ac per hoc voluntas magis amat opus illud, quàm Deum in suo præcepto; et sic verificatur sententia illa : Exponens se periculo peccati mortalis, peccat mortaliter;* in casu ergo, quo intellectus propter æqualitatem hinc inde rationum redditur fluctuans inter utramque contradictionis partem, si voluntas juxta doctrinam Lacroix, n. 416, ex amore commodi proprii, lucri captandi, exercitii libertatis, etc., ducta intellectui imperet, eumque determinet ut parti minus aut æquè probabili faventi libertati assensum præbeat, *per hoc voluntas magis amat opus illud, quàm Deum in suo præcepto; et sic* (secundùm doctrinam Cajetani) *verificatur sententia illa : Exponens se periculo peccati mortalis, peccat mortaliter.*

Superest Conradus Tummenhart., qui in septipartito opere de Contractibus anno 1515 impresso, q. 100, conclus. 1, *in septem casibus*, inquit, *contingit, quòd agens talem actum, de quo doctores tenent contrarias sententias, peccat mortaliter.* Præmissisque 2 casibus subjungit : *Quartus est, quando habens eumdem actum habet probabilem conscientiam, quòd sit mortalis, et dicitur probabilis, ubi plus declinat ad credendum quòd sit mortalis, quam quòd non sit mortalis.* Ubi vident probabilistæ non esse solidam probabilitatem pro aliquâ opinione, nisi pro quâ major est verisimilitudo. *Quintus, quando agens habet æquilibrem conscientiam, quòd sit mortalis : hoc est, æquè credit, quòd sit mortalis, quàm quòd non sit mortalis.* Respondebunt adversarii Conradum agere de operante cum dubio, non verò de eo, qui ita operatur, ut intellectus per voluntatis imperium motus tantùm consideret motiva probabilia se tenentia ex parte opinionis benignæ, ac suspendatur à consideratione motivorum se tenentium ex parte oppositâ. Hoc est ipsissima adversariorum doctrina, de quâ vide dicta § 4. Contra quam Conradus : *Septimus*, inquiens, casus est, *quando actus ille à parte rei non est illicitus, et agens eum est litteratus et scientificus, qui novit ponderare causas adhærendi potiùs uni opinioni, quàm alteri : et tales causæ adhærentiæ sunt notabiliter magis prægnantes circa opinionem damnantem eumdem actum, quàm sint causæ adhærendi opinioni justificandi eumdem : et nihilominùs (non obstante illâ prævalentiâ) ipse adhæsit opinioni justificanti eum, et egit eumdem : ratio hujus est, quia talis non caret temeritate in suâ actione, et agit contra probabiliorem conscientiam. Nam si causæ adhærendi opinioni damnanti actum sunt magis prægnantes, tunc sunt natæ inducere eum ad magis credendum, quòd sit illicitus, quàm quòd sit licitus : quoniam intellectus est potentia naturalis non potens credere id quod sibi ostenditur ut magis credibile, igitur talis magis credit, quòd sit damnatus actus, quàm quòd sit licitus; et nihilominùs (illâ credulitate non obstante) agit eumdem actum : non obstante reclamatione conscientiæ, quam aut non audit nec advertit, aut eamdem N. B. per imperium voluntatis compescit, suspendendo intellectum à conversione talium per aversionem ejus.*

Colliges 1° SS. PP. doctoresque scholasticos hic adductos non solùm statuere regulas pro dirigendâ in dubiis conscientiâ, sed et doctrinam regulis et doctrinæ probabilistarum è diametro oppositam, uti constat ex dictis hoc et præcedenti §, adeoque probabilistarum opinio circa hanc universalissimam morum regulam hoc sensu est nova *quòd opponatur antiquorum doctorum opinioni*, ac proinde juxta doctrinam P. Lacroix, n. 446, « non præferenda antiquæ, sive « in practicando, sive in docendo, quia si opinio antiqua « tamdiù sustinuerit probam, et examen theologorum, « meritò illi plus fidimus. Addit Eliz. l. 7, q. 10 et 11, § « 2, antiquos ex dispositione divinæ providentiæ debuis- « se in materiis fidei et morum (maximè in fundamentis « totius theologiæ moralis) esse minùs obnoxios er- « rori, quàm recentiores; nam si antiqui errâssent,

« fideles non habuissent, à quibus veritatem discerent, « nunc autem licet errarent recentiores, superesse sent antiqui, quos legendo, considerando, et sequendo possent errores suos deponere. » Hæc Lacroix. Quam doctrinam quasi è cœlo delapsam suscipio, sed simul contra adversarios concludo, quod, quamvis concedatur communem aliquo tempore fuisse sententiam probabilistarum, eosque errâsse, non ideo Deum deseruisse Ecclesiam, sed fideles habuisse SS. PP. aliosque adductos doctores scholasticos, secundùm quorum placita conscientias suas dirigere poterant. « Colliges 2° : Divinâ quâdam providentiâ factum « (verba sunt Baronii in Ethicâ christianâ disp. 1, « loco 14), antiquos theologos, qui ante Bartholomæum Medinam de usu probabilitatum generatim « scripserunt, ita cautè se gessisse, ut vix aliquam « adversariis præbuerint causam vel occasionem, ad « suam ipsos mentem pertrahendi : et si quid illis « liberius exciderit circa singulares quæstiones, id « correxisse regulis generatim constitutis. » Hæc Baronius. Quæ ibidem probat exemplo Majoris, qui, quanquàm circa unam, alteramve quæstionem satis sit laxus, tamen de communi doctrinâ ad singulas partes deducenda docet ea, quæ supra ex eo adduximus. Unde quæst 2, sancit : « *Teneatur pro doctrinâ* « *tanquàm esset celte in silice sculpta : quod in viâ mo-* « *rum, quando sunt æquales apparentiæ, vel plures pro* « *parte certâ, modus certior* (id est tutior) *est tenendus,* « *qui enim se exponit periculo peccati, peccat.* »

Cæterùm quòd antiqui theologi et Patres probabilistarum principiis et regulis contraria docuerint, non tantùm ex illorum scriptis, sed ex illorum testimoniis constat, quorum auctoritate pro se stante gloriantur probabilistæ, eisque propterea minimè suspecti esse possunt, quod in probabilioristarum favorem veritatem prodiderint. 1° itaque Lopez qui ex primis probabilistis fuit, instructor, Consci. edito anno 1583, p. 1, c. 20 : « Scio, inquit, communem esse sententiam Soti, « Cordubæ, Cajetani, Conradi et Navarri, non satis esse « probabilem opinionem sequi, sed probabiliorem esse « sectandam. » Quam sententiam Lopez fatetur esse veram in rebus magni momenti et salutis. Gabriel Vasq. tom. 1, in 1-2 disp. 62, cap. 1, citat pro assertione nostrâ S. Th. Henr. Cajet. Armillam. et cap. 2, n. 7 : « Videtur, inquit, in eâ sententiâ Navarrum fuisse, « cæterosque summistas, ut assererent probabiliorem « opinionem esse amplectendam.... cum quibus in hoc « expressè sentit S. Antoninus. Undè etiam fit, ut si « opiniones sint æquè probabiles, illa sequenda sit, quæ « tutior est. » Pro quâ (præter ante relatos) citat Cordubam, Adrianum, Conradum, Sotum, Majorem; in contrarium verò, n. 14, citat unicum Bartholomæum Medinam.

Lessius 1-2, q. 19, in dubio 7 : « Multi, inquit, doctores videntur existimare semper sequendam esse « sententiam probabiliorem, nisi fortè ea quæ minùs « probabilis est, sit tutior. » Hanc doctrinam sequitur Angelus, Sylvester, Adrianus, Navarrus, Cajetanus. In contrarium, n. 45, citat solum Medinam.

Pesantius 1-2, q. 19, art. 6, de Consc. opin. disp. 2, n. 1, ait, Angelum, Tabienam, Rosellam, Sylvestrum, Navarrum docere, probabiliorem esse sequendam. Idem quoque, inquit, docere videtur Antoninus. Et tandem omnes affirmant tutiorem partem esse sequendam, quamvis contingat plures opiniones esse æquè probabiles. Q. 18, art. 6, solum etiam Medinam citat in contrarium. — Azor l. 2, Instit. c. 16, q. 2, citat Cajet., Almainum, S. Th., Alensem, Adrianum, Armillam, docentes in contrarietate opinionum tutiorem esse sequendam. — Gregorius Martinez, 1-2, q. 19, art. 6, dub. 6, dicit Cajet., Armillam, Sylvestrum, Navarrum, Henricum, et canonistas omnes communiter negare, quòd licitum sit ex duabus opinionibus æquè probabilibus eligere, quam malueris.

Franciscus Amicus, tom. 3, disp. 15, n. 75, affirmat, « omnes ferè antiquos theologos negare, licitum « esse operari secundùm sententiam minùs tutam, et « simul minùs probabilem, semperque ad licitè operandum ex sententiâ minùs tutâ exigere, ut illa sit probabilior. » Ad tam candidum Amici testimonium respondet Lacroix, n. 327 : « quod Amicus dicit, meritò « negant alii viri sapientissimi. » Sed contra, quod Amicus contra se affirmat, cum eo contra se affirmant alii viri sapientissimi apertâ veritate convicti, partim ii, quos citavimus, ex quibus Lacroix, n. 166, Vasq., Less., Azor connumerat inter auctores omni exceptione majores, quibus proinde in hâc quæstione facti fidem non adhibere, idem est ac dicere, quòd vel auctores à se citatos non inspexerint, vel eorum mentem non intellexerint, quæ præsumi non possunt de tantæ auctoritatis auctoribus, maximè ubi contra Ise testimonium perhibent et doctrinam, locaque, ex quibus hæc desumpta est, allegant. Quibus accedunt citandi non contemnendæ auctoritatis viri.

Franciscus de Oviedo 1-2, tr. 5, controv. 3, puncto 2, contra opinionem probabilistarum profert Adrianum, Glossam, Cajetanum, Angelum, Armillam, Sylvestrum, Majorem, Conradum Tann. tom. 2, disp. 2, de Act. hum. q. 4, n. 19; pro opinione dicendâ, è duabus opinionibus æquè probabilibus, sequendam probabiliorem, nisi altera tutior sit, recenset Henricum, Adrianum, Conradum, Sylvestrum, Sotum, Cordubam et multos summistas. — Paulus Layman lib. 1, tract. 1, c. 5, § 2, pro eâdem refert Glossam, Sylvestrum, Cajetanum, Conradum, Majorem. — Garcias de Beneficiis p. 11, c. 5, n. 361, pro eâdem refert Sylvestrum, Cajetanum, Conradum, Adrianum, Sotum, Navarrum, Cordubam, Antoninum, Surezo. — Noster Petrus Corneio (quem verè dignum Ecclesiæ Dei doctorem vocat Paulus V, teste Gonz.) pro sententiâ asserente, nemini licere sequi opinionem minùs probabilem, et minùs tutam, relicta probabiliori et tutiori 1, in. 1-2, tr. 8, disp. 3, dub. 6, n. 8, citat Sotum, Conrad., Cordub., Hen., Gonet., Burgos de Paz., Cajet., Sylv., eamque sententiam vocat satis probabilem. — Castrop. p. 1, disp. 2, punct. 2, n. 1, pro eâdem citat Conrad., Cordub., Armill., Sylv., eamque n. 2, vocat satis probabilem. — Tandem Diana tr. 13 de Opin. prob. res. 1, opinione negante esse ti-

citum, relictà opinione probabiliori, et magis tutâ, sequi opinionem minùs probabilem, et minùs tutam, citat multos veteres, S. Antoninum, Sylvestrum, Gabrielem, Cajetanum, Conradum, Sotum, et alios.

Inspectis igitur doctrinâ et regulis, quæ ex veteribus scholasticis supra adduxi, consideratâ itidem sincerâ confessione tot probabilistarum, moraliter certò verum judico esse id, quod Amicus dicit, omnes scilicet ferè theologos sentire, quod in opinionum contrarietate non liceat sequi opinionem faventem libertati, nisi illa sit probabilior, adeòque circa hanc universalem morum regulam præferendam esse probabilioristarum opinioni recentiorum, antiquorum sententiæ contrariam, uti constat ex doctrinâ P. Lacroix cit. n. 446; cogitet autem apud se, quisquis in re omnium gravissimâ falli non vult (inquit Wendrochius apud Gonet. de Opinionum probab. § 6, n. 57), an aliquid verisimilitudinis habeat, præcipuum cardinem theologiæ moralis, ab omnibus Patribus ignoratum esse, et his postremis temporibus retectum, omninò probabilitatis doctrinâ; siquidem vera esset, et non infidam securitatem afferret, nil commodius, nil ad evellendos scrupulos aptius, nil ad complanandum salutis iter expeditius. Magnum salutis præsidium nactus esset, qui eam didicit, magno adminiculo privaretur, qui eam nescit. Hinc fit ut in recentiorum casuistarum scriptis singulis penè versibus inculcetur. Cur igitur tantum arcanum vel Patribus invidit Deus, vel nobis Patres inviderunt? Cur ipsi probabilitatibus istis nihil utuntur? Cur sic ubi in rebus agendis non est ipsis explorata veritas, tantùm timoris præ se ferunt ne fortè, quod eis videtur rectum, iniquum et pravum à Deo judicetur? Quis non videat, ut in re tanti momenti, quod Patribus ignoratum fuit, his postremis temporibus patuerit? Majori sanè jure, quàm Caram. in theol. Fundam. n. 307, contra eximium Suar. contendentem attritionem cognitam ut talem non sufficere in articulo mortis ad Sacramentum Pœnitentiæ Contra probabilistas ita argumentor : *Incredibile est annis integris mille sexcentis rem tam necessariam, si esset vera, fuisse in Ecclesiâ Romanâ ignoratam. Altius de Dei misericordiâ est præsumendum, non enim admittendum est ab illo totam Ecclesiam deseri, ut in re tanti momenti semper fuerit deceptâ ; quæ ratio* (subdit Caramuel) *tametsi moralis sit, et non metaphysica, fortis interim est, et sufficiens, ut Suaris* (dico ego probabilistarum) *opinio reiiciatur.*

Concludo ergo gravissimis verbis Vincentii Lirinensis in Commonit. novellum probabilistam alloquens : Depositum custodi. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitâsti; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; in quâ non auctor debes esse, sed custos : non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens... O Timothee! ô Sacerdos! ô Tractator! Doctor! si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ.... intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur.... eadem tamen, quæ didicisti, doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.

§ 11. *Quibus potissimùm motivis innitatur sententia probabilioristarum sustinens in concursu duarum opinionum, quarum una est æquè, vel magis probabilis stans pro lege; altera minùs æquè probabilis favens libertati, sequendam in praxi sententiam tutiorem.*

Rationes præcipuas et fundamentales colligere luculenter licet ex iis quæ hucusque dixi. Unde eas solùm breviter hìc insinuo revidendas locis debitis, aliasque pro majori dictorum elucidatione superaddo.

Primò, ad hoc ut licita et honesta sit operantis actio, requiritur, ut operans saltem possit formare judicium prudens de actionis honestate; atqui operans in concursu opinionum, de quo est controversia, non potest tale judicium prudens formare : ergo. Major est certa etiam apud probabilistas : Min. constat ex dictis toto § 2. Secundò, ad honestè operandum debet dictamen ultimum et practicum esse moraliter certum : atqui in concursu opinionum, de quo in tit. § non potest formari dictamen ultimum et practicum moraliter certum : ergo. Maj. prob. ex P. Lacroix, n. 48, 1 : « Quia « qui operatur ex judicio practico tantùm probabili, « scit judicium quo nititur posse esse falsum ; ergo « non est certus se non peccare formaliter, ergo sic « operando exponit se periculo peccandi formaliter, « et virtualiter contemnit legem, ergo peccat. *Neque « dicas* cum Eliz. q. 2, § 5, esse tantùm periculum remotum, quod vitare non tenemur. *Nam* reverà est « proximum, cum omnes sic operando semper agnoscant periculum, quod semper est conjunctum adeòque semper formidare debeant, ne peccent. *Conf.* « quia ultimum dictamen conscientiæ debet esse tribunal irrefragabile, coram quo homo sine dubitatione vel condemnetur ut nocens, vel absolvatur ut « innocens; sed dictamen tantùm probabile non est « irrefragabile, cum possimus illud negare, utpote non « convincens, nec necessitans intellectum. » Ergo, qui habet suspicionem vel scrupulum peccati, debet priùs se resolvere saltem exercitè; sic enim cap. *per tuas* 2, *de Simon.*, dicitur esse peccatum operari contra conscientiam scrupulosam, nisi priùs scrupulus deponatur, sive contemnatur; item cap. *Inquisit.* 44, *de sent. excomm.*, dicitur, quòd conjux habens conscientiam ex credulitate levi et temerariâ de impedimento dirimente possit exigere debitum, si tamen ad pastoris sui consilium, vel aliter explodat credulitatem illam levem ac temerariam, atqui opinans tantùm probabiliter esse licitum; meritò habet plus, quàm suspicionem, scrupulum, vel credulitatem vanam de eo, quòd idem sit illicitum; agnoscit enim pro hoc esse motiva gravia, hinc prudenter formidat, ne sit illicitum, ergo nisi aliunde se certificet de honestate operationis, sic operando peccat. Majori sic probatâ, min. quoque probo. Si in concursu opinionum, quarum una æquè vel magis probabilis stat pro lege, altera æquè aut minùs probabilis pro libertate posset formari ultimum judicium dirigens moraliter certum, posset id fieri vel per principia directa, vel per principia reflexa; atqui neutro modo id potest fieri. Maj. est certa, min. etiam quo ad primam partem conceditur ab adversariis. Quoad

secundam igitur partem probatur. Prætensam suam certitudinem probabilistæ fundant in hisce principiis : « 1° Omne probabile licitum est ac tutum ; 2° quisquis « secundùm probabilem agit opinonem, agit prudenter, « vel agit secundùm rectam rationem. » Quorum insufficientiam fusè ac luculenter probavimus § 2, 3, 4 et 5, solutis etiam argumentis in contrarium afferri solitis. 3° « Quandocumque non est evidens, actionem « non esse prohibitam, seu dari legem illam prohibentem, lex illa, si quæ sit, non obligat. 4° Si probabile « sit legem non dari, hæc, si detur, non est sufficienter « promulgata, et ignoratur invincibiliter, quanquàm « probabilius sit legem illam dari. » Quæ solidè refutata vide § 6, 7 et 8, tam à rationibus, quàm inconvenientibus ex iis consectariis. 5° « Quandocumque lex « prohibens incerta est, ex eò quòd dubitetur an sit « lata, vel sufficienter promulgata, homo est in pos- « sessione suæ libertatis. » Circa quæ revidenda, quæ § 9, dixi. Et mirum quod plerique hoc ultimum pro principio moraliter certificante adducant, quod ex eorummet principiis manifestè convincitur non esse tale. « Nam, ut argumentatur P. Lacroix, n. 305, dictamen ultimum non potest deduci ex opinione probabili veluti ex unâ præmissâ, sed deduci debet ex « duabus præmissis certis, quia conclusio deducta ex « unâ tantùm probabili est etiam tantùm probabilis, « cùm debeat sequi debiliorem partem. » Unde nec sufficit ob eamdem rationem, quòd opinio, ex quâ deducitur dictamen ultimum moraliter certum, sit tantùm probabilior, sed necessariò requiritur ut sit moraliter certa. Subsumo. Atqui regula de meliori conditione possidentis in dubio extra materiam justitiæ non est moraliter certa, ergo non potest deservire pro principio moraliter certificante ultimum dictamen moraliter certum de actione, circa cujus honestatem est dubium, exercendâ. Prob. min. ex P. Lacroix, n. 180 : « Universaliter valet, si hæc sententia sit certa « moraliter, opposita non est probabilis ; et si ista sit « probabilis opposita non est certa. » Atqui sententia opposita opinioni de meliori conditione possidentis est probabilis, ergo sententia affirmans non est moraliter certa. Prob. min. Opinio certò probabilis est, inquit Lacroix, n. 122, quam omnibus diligenter expensis tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, judicio et scientiâ præstantes, si de probabilitate non dubitent, etiamsi alii communiùs rejiciant ut falsam : si enim isti priores ita absolutè teneant, dubitari non potest, quin habeant rationem gravem. Atqui sententiam negantem regulam de meliori conditione possidentis se non extendere extra materiam justitiæ tenent ut veram quinque aut sex theologi, de quorum probitate, judicio et scientiâ nemo dubitaverit, ergo. Prob. min. quia teste P. Lacroix, n. 502, sententiam negantem tenent Azor, Vasquez, Salas, Turrianus, Perez, Sayrus, Veriuys, Mercerus, Gonet, Gonz., etc., quorum duo primi (cùm ex mente P. Lacroix sint omni exceptione majores, aliorum quoque probitas ac eruditio satis manifesta sit ex eorum libris), minimè suspectam fidem habere censentur. Citat præterea Azor. tom. 1, l. 2, cap. 18, q. 4, l. 11, c. 15, q. 2, pro eâdem sent. Angelum, Sylvestr., Archidiac., Vasquez, 1-2, q. 19, a. 6, disp. 65, c. 3; et disp. 26, c. 5, n. 1, pro eâ citat Sylvestr., Navar., Armil., Angel., Adrian. Quibus n. 2, addit Hostiens. et Panorm. Salas in doctissimo tract. de Legibus præter relatos à Vasquez citat tract. 14, disp. 10, lect. 4, Archidiac., Fel., Medinam l. de Jejunio q. 7, de necessitate jejunii ecclesiastici, ubi ait : *Si quis omnibus perspectis et consideratis, adhuc maneat dubius, an præceptum humanum obligat sub mortali, aut veniali, tum ipsa conscientia dubia, quæ temerè deponi non debet, facit ipsi dubitanti legem : tunc enim id agat, et teneat, quod tutius esse cognoverit, ne conscientiæ propriæ contraveniendo ædificet ad gehennam.* Et Ledesm. 2-4, q. 17, a. 2, dub. 2, ait : *Tunc ipsa conscientia dubia, quæ temerè deponi non debet, faciet ipsi dubitanti legem, et quid sit agendum ostendet : nam tunc id agat ille dubitans, si nec per se, nec per doctorem potest vincere illud dubium, quod tutius esse bonâ fide judicaverit, ne conscientiæ propriæ contraveniendo ædificet ad gehennam.* Sayrus in Clavi regiâ l. 1, c. 13, n. 36, pro eâdem adducit Angel., Tabien., Sylv., Navarr., tom. 1 Consil., consilio 26, in novis, aliàs 18, in antiquis num. 2, vers. sic 3, ubi expressè ait : *Quòd qui dubitat an voverit non solùm religionem intrare, sed etiam profiteri, quærere debet sibi idem remedium, quod quæreret, si sciret : quia in dubio certiorem partem tenetur eligere, saltem quoad forum conscientiæ.* Ex quibus verbis, inquit Sayrus, constat Zerulam, aliosque probabilistas, falsò ac malè Navarrum pro contrariâ sententiâ citâsse ; hisce addit Corbud. et Sebast. Medices. Imò sententiam negantem tradi ab ultra triginta doctoribus testatur Thom. Sanch. in Summâ, quibus si addas theologos scholasticos veteres § præc. relatos, aliosque infra referendos, constabit sententiam negantem longè esse communiorem, ac à majoris notæ doctoribus sustineri, ex quibus ulterius inferes, quanta sit contrariæ sententiæ incertitudo, eaque convincatur ex adversæ partis fundamentis.

Prob. 3° Ratione desumptâ ex Adriano VI, quodlib. q. 2, litt. E, ubi regulæ loco statuit : *Nulli licet agere, de quo dubitat, an sit mortale peccatum, si certus sit, quod oppositum agendo, non peccabit ;* quam sic probat : « Nulli licet magis servare amorem creaturæ, quàm « Dei, ut patet ex præcepto diligendi Deum super « omnia; sed qui propter amicum agit illud, de quo « dubitat (à fortiori, si propter rationes fortiores plus « quàm dubitet) an sit mortale, vult magis servare « amorem illius, quàm Dei, ex quo exponit se periculo displicendi mortaliter Deo, ut amico placeat, « aut sibi ipsi, quod exemplariter deduci potest, si « quis velit operari, ut complaceat Petro, de quo dubitat, an displicebit Joanni, cùm cessando ab operatione posset in utriusque gratiâ permanere, indubiè diligit Petrum supra Joannem. *Conf.* Si medicus « propter delectationem velit sumere cibum, de quo « dubitat, an sibi mortem inferet, indubiè peccat : « præferens delectationem sanitati propriæ, ergo similiter in proposito, cùm exponit charitatem Dei

« discrimini interitûs, agendo, de quo dubitat, an « Deum constituet sibi inimicum. Unde August. : *Amor « meus, pondus meum; eo feror, quocumque feror.* Ergo « censebitur amor creaturæ dominari, ubi fortiùs im- « pellit, quàm amor Dei. » Unde pulchrè in rem card. de Aguirre in Præfat. ad tomos consiliorum Hispaniæ : *Certè*, inquit, *nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo, aut pharmaco solùm probabiliter sano, quod tamen æquè, aut magis probabiliter censeatur noxium, et exitiale futurum.* Quare ne *exponat se probabili, aut probabiliori mortis periculo, eligit aliud certò innoxium, aut salutiferum. Idem ferè accidit circa rem familiarem servandam, et honores assequendos. Cur ergo vita animæ, et salus æterna longè pretiosior passim exponatur probabili periculo opinionum liberiorum? nec reflexiones aliquæ seu judicia reflexa ad auctoritatem alienam videntur prodesse, aut sufficere, ad formandum judicium moraliter certum, et necessarium de usu licito opinionis benignæ, quo ad bona animi potiùs, quàm corporis, vel fortunæ, ubi opinio severior æquè, aut magis urget; non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, ut judicio reflexo censeat verum, aut certum moraliter id, quod directo judicio æstimat falsum, aut dubium, aut minùs probabile. Quare reflexiones illæ ad summum possunt habere locum, et prodesse, ubi vir doctus et prudens, rectâ ratione placendi Deo, aut ipsum non offendendi, et nullo præjudicio, passione, aut utilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, et debitis circumstantiis, quando concurrunt invicem contrariæ opiniones inter scriptores catholicos, doctos et pios. Si post rem examinatam inveniat benignam longè ac palam prævalere opinioni austeriori, tum auctoritate et numero patronorum, tum rationibus, et plenè respondere argumentis contrariis, videtur posse formare judicium moraliter certum de illius veritate, et licito usu, aut nihil curare rigidiorem aliorum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani scrupulo. Dato enim, aut permisso, quòd sententia illa benigna esset falsa in re, agens excusaretur à peccato, saltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, et ignorantiam venialem ex infirmitate humanâ. Si autem post diligentem inquisitionem inveniat opinionem austeriorem æquale pondus habere, aut etiam majus, ac proinde veritatem rei esse speculativè dubiam, non poterit ullâ reflexione formare sibi judicium moraliter certum de illius veritate, aut usu licito : quare abstinendum erit ab opinione benigniore, et adhærendum tutiori, sive stanti pro præcepto.* Hæc, aliaque card. Aquirre, exponens motiva, quibus inductus fuit ad retractandam opinionem benignam, quam antea fuerat secutus.

Prob. 4° auctoritate simul et motivis, quibus celeberrimus Cleri Gallicani conventus anno 1700 in palatio regio San-Germano convocatus per modum concilii provincialis mentem suam declarat ac explanat. « Absit (inquiunt sapientissimi præsules) ut probe- « mus eorum errorem, qui negant licere sequi opinio- « nem vel inter probabiles probabilissimam; sed ad « rectum usum probabilium opinionum, has regulas à « jure præscriptas agnoscimus. Primum, ut in dubio « de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese « offerunt rationum momenta, sequamur quod tutius, « sive quod est in eo casu unicè tutum : neque id con- « silii, sed præcepti loco habemus, dicente Scripturâ : « *Qui amat periculum, in illo peribit.* Hæc prima re- « gula. Altera, ut circa probabiles de doctrinâ senten- « tias sequamur id quod Viennense œcumenicum « concilium circa infusas tam parvulis, quàm adultis « in Baptismo virtutes decrevit his verbis : *Nos hanc « opinionem tanquàm probabiliorem, et dictis sanctorum « et doctorum theologiæ magis consonam et concordem « duximus eligendam.* Quod concilii judicium eo magis « ad regendos mores pertinere constat, quo magis ex « ipso fidelium sanctitas ac salus pendet. Ex hâc igi- « tur regulâ sit consequens; primum, ut in rebus theo- « logicis ad fidei et morum dogmata spectantibus theo- « logos quidem etiam modernos audiamus, si tamen « consonas sanctis Patribus tradant sententias. Deinde, « ut, si ab eis recedant, harum opinionem inhibeatur « cursus, nedùm earum aliqua ratio habeatur, aut « ulla eis tribuatur auctoritas. Denique ut nemini li- « ceat eligere eam sententiam, quam non veritati ma- « gis consentaneam duxerit; quòd ergo in praxi eam « nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi proba- « biliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc in- « auditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo « demum seculo proditum, vel ab iisdem pro regulâ « morum positum, repugnat huic effato à Patribus ce- « lebrato : *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus.* « Nec habere potest Christianæ regulæ securitatem, « hoc initium malorum esse, atque omnium antedi- « ctarum corruptelarum (propositionum scilicet nimis « laxarum, antea ab eodem clero damnatarum) caput, « et doctrinæ consecutio, et series temporum ostendit, « hoc ab antecessoribus nostris, viris fortibus ac religio- « sis censoriè notatum. Hoc sæpè reprehensum, hodiè- « que reprehendi nullo incusante, imò bonis probantibus « diffiteri nemo potest.... placeat autem illa prudentia, « ut ante omnia custodiamus, et in tuto collocemus « id quod *unum est necessarium*, Lucæ c. 10, fiatque « illud Dominicum cap. 10 Matth. : *Estote prudentes, « sicut serpentes*, qui protecto, quod præcipuum est, « capite, sibi consulunt; neque quisquam in dubio sa- « lutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nu- « tum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex « rectâ ratione deposito dicente Scripturâ : *Rationabile « obsequium vestrum*, Epist. ad Rom. cap. 12, et ite- « rùm : *Sapiens timet, et declinat à malo, stultus tran- « silit, et confidit*, Prov. cap. 19. Postremò audiatur Apostolicum illud : *Omnia probate, quod bonum est « tenete*, Epist. 1 ad Thess. cap. 5; et iterum : *Omne « quod non est ex fide*, id est, ex conscientiâ, sive ex « persuasione, *peccatum est*, Epist. ad Rom. cap. 14. « Denique, ut ait idem Apostolus Paulus : *Testimonium « reddente illis conscientiâ ipsorum*, non aliorum, sed « ipsorum, vel suâ. »

Probatur 5° ratione, quam innuit, ac eruditè prosequitur Vasquez 1-2, disp. 43, q. 13, a 6, cap. 2; S. Th. 1-2, q. 13, a. 1 ad 1 : *Electio*, inquit, *importat collationem unamdam præcedentem.* Scilicet mediorum,

ut unum præeligatur alteri, ut ubi idem S. D. a. 2 : *Cùm electio sit præacceptio unius respectu alterius.* Hæc autem mediorum collatio, seu consultatio, nil aliud est, quàm duo, aut plura media inter se, et cum fine conferre, ut iis ita collatis intellectus judicet, quodnam medium sit præ altero eligendum in ordine ad assecutionem finis intenti. Idem ante S. Th. docuit Arist. 3 de Animâ, cap. 11, textu 58 : « At deliberativa, inquit, iis inest tantùm, quibus ratio inest; « nam, hoc agat, an hoc, rationis jam opus atque officium est, ac necesse est uno quodam metiri : majus enim prosequitur. » Ac si dicat : In deliberatione, quâ inquiritur, utrùm hoc potiùs, an illud agendum sit, esse debet una regula, quæ metiatur, et expendat singula quæ proponuntur ; quod autem hâc regulâ judicatum est majus, prosequitur, ac elegit voluntas. Unde idem Arist. 3 Eth. cap. 3 sic definit eligibile : *Quod enim cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est.* Seu, ut alia translatio habet : *Quod enim ex consilio præjudicatum est, eligibile est.* Hujus enim sensus est : Quod consilio prælatum est cæteris, tanquàm meliùs seu ad finem intentum magis conducens, eligibile est. Consonat hisce D. Damasceni doctrina l. 2 de Fide, cap. 22. Ubi post medium definiens consilium, quod præcedit electionem, inquit : « Deliberat « enim quispiam rem aliquam aggredi debeat, nec ne; « mox id, quod melius, conducibiliusque futurum sit, « expendit, et judicium dicitur, postea afficitur ad id « quod consilium censuit, comprobat, et amplectitur, « etc. » In eumdem sensum S. Greg. Nyssen. l. 5. Phil. cap. 4, dixit : « Quia verò non omnia, quæ opinamur, nobis placent, nec in opus deducere cupimus, « tunc electio, et eligibile sit id, quod ex consilio præjudicatum. » Seu consultatione et sententiâ, vel judicio alteri antepositum est. His ita positis subsumo : atqui in concursu opinionum sibi contrariarum intellectus inclinat efficaciter ad veritatem tanquàm ad finem et centrum suum, quia, ut inquit Arist. 1, Metaph. cap. 1 : *Omnes homines naturaliter desiderant scire;* et ut S. Aug. tract. 26 in Joann. ait : *Quid fortiùs desiderat anima, quàm veritatem ?* Unde juxta eumdem philosophum 6 Ethic. cap. 2 : *Contemplationis bonum et malum est verum et falsum,* finis igitur, seu bonum intellectûs est verum, non apparens, sed, ut supra ex D. Thomâ, q. 18 de Verit. a. 6, O. vidimus, *verum id, quod habet infallibilem veritatem,* seu quod, ut alibi loquitur, mensuratur à rebus; desiderat enim intellectus clarè cognoscere veritatem, et, ubi non assequitur claritatem, studet quàm proximè accedere ad eam per verisimilitudinem, cùm ejus, qui non potest quod vult, sit velle quod potest, unde teste Arist. 1 Rhetor. cap. 1 : « Verum et verisimile « ejusdem videtur esse facultatis, homines autem ad « veritatem naturâ compositi sunt, et eam plerumque « consequuntur » (quatenùs judicant verisimilihora, in quibus plerumque est veritas), « et ille ad probabilia « sectanda benè se habet, qui similiter se habet ad veritatem, » quia nimirùm idem est modus investigandi veritatem et majorem verisimilitudinem. Ergo inclinationi naturæ rationalis (cui soli ex Philosopho supra *deliberativa* inest) ac lumini rectæ rationis contrarium est intellectum per voluntatem averti ab eo, ad quod naturaliter inclinat, et tanquàm in centrum ac finem suum tendit, et ad id, quod refugit, determinari, nempe à majori evidenter verisimilitudine repertâ in opinione probabiliore, ad majorem falsi similitudinem, quam cognoscit inesse opinioni minùs probabili.

Confirmatur et explicatur breviter hæc ratio ex reverendissimo Gonz. dissert. 8, § 2, n. 19 : « Naturæ « lumen et sapientum consensus cum Arist. ac D. Th. « nos edocet, eam esse prudentiæ legem, ut in rebus « non certis priùs deliberemus, quàm judicemus; « priùs judicemus, quàm agamus; consultamus enim « ut prudenter judicemus, non tam voluntatis impetu, « quàm rationis ductu, seu, ut veritatem certò, vel « saltem quàm proximè attingamus : deinde maturè « judicamus, ut prudenter, cordatè et rationabiliter « agamus. Ergo palmariæ legi prudentiæ omninò contrarium est, verum judicare id, quod magis falsum, « quàm verùm videtur. Si secùs, quorsùm deliberemus ? quorsùm prudentes et peritos consulimus ?

§ 12. *Exemplo judicis externi probatur non licere in operando sequi sententiam minùs probabilem faventem libertati, relictâ probabiliore stante pro lege.*

Judici licitum non esse in judicando sequi opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem de injusto, constat ex declaratione Ecclesiæ, quæ per Innocent. XI damnavit hanc propositionem secundam inter 65 : *Probabiliter existimo, posse judicem judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Hoc equidem non obstante posse judicem, si vellet, parti minùs probabili prudenter assentiri, docet P. Lacroix, l. 1, n. 415, et l. 4, n. 1480. Verùm non video, quâ consequentiâ dici queat posse judicem parti minùs probabili prudenter assentiri, et quod equidem peccet, si secundùm partem, cui prudenter assentitur, sententiam ferat : quia manifestum est licitum esse, unicuique tribuere suum, id est, quod creditur, et prudenter cognoscitur illius esse. Siquidem prudentia virtus generalis est de cujus ratione, ut inquit D. Th., est rectitudo voluntatis, quæ nihil iniquum moliri, nec imperare potest. Ac aliunde, quis culpet judicem, si sententiam ferat conformiter ei virtuti, à quâ scientia juris præcipuo quodam honore *jurisprudentia* dicitur ? Quid est, quod probabilistæ judicem excipiant à communi regulâ, quam infallibilem esse autumant, insinuatam à P. Lacroix in hoc syllogismo, n. 289 : *Qui prudenter operatur non peccat; sed qui operatur secundùm opinionem probabilem, ille prudenter operatur, quia operatur secundùm rationem firmam et gravem, adeòque agit conformiter rationi rectæ.* Cur, inquam, non peccat prudenter judicans opinionem faventem libertati sibi licere, eique judicio in praxi se conformans ; peccat verò judex prudenter judicans rem (de quâ in judicio controvertitur) esse sui amici, eamque propterea ei adjudicans ? Cur prudenter, secundùm opinionem probabilem etiam in concursu probabilioris oppositæ operans agit, conformiter

rationi rectæ, judex verò prudenter, seu secundùm opinionem probabilem sententiam ferens non judicat conformiter rationi rectæ, cur peccat?

Respondet Lacroix cit. n. 1480, speciales rationes, cur judex non possit judicare secundùm opinionem probabilem relictâ probabiliore, esse sequentes, quas, ibidem adducit ex Terillo. Prima est : quia Judex tanquàm persona publica tenetur unicuique jus suum dicere pro æquitate. Secunda : Judex habet se ut arbiter, qui tenetur dicere quod sentit. Tertia est tacitus contractus cum republicâ, ut sententiam ferat secundùm æquitatem, et majora motiva rationum. Quarta : aliàs pateret semper janua acceptioni personarum ; posset enim, uti vellet, favere amicis, vel dantibus munera. Quinta : princeps non teneretur statuere peritos judices, quia quivis ferè sufficiet, ex advocatorum relationibus, aut deductionibus judicare probabilitatem esse utrinque, tumque procedet licitè, prout volet. Sexta : aliàs melius foret constituere sortes ad terminandas lites, sors enim faveret æqualiter omnibus, nec requireret tantas expensas. Propter has rationes, Ecclesiæque declarationem adversarii sustinent hodiè probabile non esse, judicem licitè sententiam ferre secundùm opinionem sibi visam minùs probabilem ; verùm, si hæ rationes benè expendantur, manifestè constabit ex eis deduci, quòd vel operans ex opinione minùs probabili favente libertati similiter peccet, vel quòd judex minùs probabili in judicando se conformans non peccet.

Ex primâ igitur sic argumentor : Uti in judice, ut justè judicet, residere debet æquitas et justitia ; ita in agente, ut honestè agat, residere debet honestas ; ergo si justitia desit judicio facto secundùm opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem de injusto, pariformiter honestas deerit actioni factæ secundùm opinionem minùs probabilem de honesto contra agnitam probabiliorem de inhonesto.

Ex secundâ : Uti arbiter tenetur dicere, quod sentit de justo, ita operans tenetur agere secundùm quod sentit de honesto : ergo sicut ille non dicit quod sentit, judicando secundùm opinionem sibi visam minùs probabilem de justo, ita nec hic agit secundùm id quod sentit operando secundùm opinionem minùs probabilem de honesto. Confirm. : Quemadmodùm ut judex et arbiter dicat, quod sentit, debet pronuntiare secundùm veritatem de justo, quantùm scit, et valet ; ita operans, ut agat secundùm quod sentit de honesto, debet conscientiam suam formare secundùm veritatem, quantùm scit et valet ; secundùm illud : *Verbum verax præcedat te. Servite Domino in veritate.* Ergo uti arbiter non pronuntiat secundùm veritatem, quantùm scit et valet, dùm pronuntiat secundùm opinionem sibi visam verisimiliùs falsam, quàm veram, ita nec operans format conscientiam suam secundùm veritatem, quantùm scit et valet, dùm eam format secundùm opinionem de honesto sibi visam verisimiliùs falsam, quàm veram.

Ex tertiâ sic arguo 1° : Uti officio judicis annexa est tacita obligatio judicandi secundùm æquitatem, et majora motiva rationum, ita officio honesti viri et boni Christiani, ex vi promissionis factæ in Baptismate de servandis Dei mandatis, annexa est tacita obligatio conscientiam de honesto formandi secundùm honestatem et majora motiva rationum : imò ideò magis debet præsumi, quò negotium animæ, de quo agitur, est majoris momenti. Ergo uti judex non judicat secundùm dictamen æquitatis et justitiæ, nisi sententiam ferat secundùm majora motiva rationum de justo, ita agens non operatur secundùm dictamen honestatis, nisi conscientiam formet secundùm majora motiva rationum de honesto. 2° Argumentor è contrario. Secundùm principia Lacroix et Terilli, agens format conscientiam secundùm honestatem et majora motiva rationum in actu secundo, dùm eam format secundùm opinionem in actu primo, minùs vel æquè probabilem, verè tamen in illorum sensu probabilem : ergo et judex sententiam fert secundùm æquitatem et majora motiva rationum in actu secundo, dùm eam profert secundùm opinionem in actu primo minùs vel æquè probabilem, verè tamen probabilem. Consequentia patet, non enim potest dari disparitas, cur potiùs in actu secundo et prudenter ita conscientiam formet agens, quàm in actu secundo ita procedat, et sententiam formet judex. Antecedens probatur ex doctrinâ Terilli in Reg. q. 51, assert. 4, et adducitur à P. Lacroix n. 410, ubi sic discurrunt : Si jam positus sit assensus secundùm partem A (faventem amicæ libertati), hanc nunc dici posse probabiliorem in actu secundo, quia cùm omnis assensus et adhæsio ad unam partem objecti sit recessus à parte oppositâ, et intellectus non ita facilè abducatur à ratione per judicium semel acceptatâ et approbatâ, hoc ipso objectum se aliter habet respectu intellectûs, et ratio etiam ipsi aliter apparet, et inde etiam natum est illud adagium : *Suum opinatum cuique videtur probabilius.* Hæc illi de operante secundùm opinionem minùs probabilem, quæ applicata judici judicanti secundùm opinionem minùs probabilem, cui secundùm illos auctores judex prudenter assentiri potest, manifestam facient inter utrumque paritatem. Ex quibus ita à contrario argumentor 3° : Officium honesti viri nihil aliud exigit, quàm ut operetur secundùm opinionem de honesto, cui prudenter assentiri potest : ergo officium justi judicis nihil aliud expostulat, quàm ut sententiam ferat juxta opinionem de justo, cui prudenter assentiri potest, qualiter uti honestus vir seu bonus Christianus prudenter assentiri potest opinioni minùs probabili de honesto, ita justus judex assentiri potest minùs probabili de justo.

Ex quartâ ratione similiter ita arguo : Si ex eo quòd judices in litibus et quæstionibus juris pro libitu judicare possent secundùm opinionem quamcumque probabilem sive magis, sive minùs, sive æquè talem, sequeretur, quòd in omnibus ferè ejusmodi litibus possent, cui vellent, causam adjudicare ; similiter ex eo quòd in controversiis juris, sive de lege et obligatione, agens pro libitu agere posset secundùm opinionem quamcumque probabilem, sive magis, sive minùs, sive æquè talem, sequeretur quòd in omnibus ferè controversis casibus

juris tam naturalis, quàm divini et humani, ratio humana, quæ est judex in foro conscientiæ, posset vel libertati, vel legi, cui mallet, causam adjudicare, sicque uti judex amicis, vel dantibus munera favere, ita ratio humana amicæ libertati, vel commodo proprio favere. Ergo uti judex non censeretur dare parti ea quæ sua sunt, si amico partem minùs probabilem foventi causam adjudicaret, ita ratio humana non censeretur dare ea Deo quæ Deo sunt, si libertati foventi partem minùs probabilem, in concursu probabilioris stantis pro lege Dei, causam adjudicaret amicæ libertati.

Ex quintâ : Si ex eo quòd in arbitrio judicis esset, in omnibus casibus utrinque probabilibus, causam, cui mallet, adjudicare, consectarium foret quòd princeps non teneretur statuere peritos judices, quia quivis ferè sufficiet, ex advocatorum relationibus, aut deductionibus judicare probabilitatem esse utrinque, tùmque procedet licitè, prout volet ; similiter ex eo quòd in arbitrio agentis foret, ut in omnibus controversiis utrinque probabilibus pro libitu conscientiam formare posset, consectarium foret quod necesse non foret doctores et scriptores casuum esse doctissimos, sed sufficerent mediocriter docti dummodò capaces distinguere inter probabile et non probabile. Quod non minùs facile est in controversiis morum, quàm juris.

Denique ex sextâ ratione simile deduco argumentum : Sicut supposità utrinque probabilitate melius foret constituere sortes ad terminandas lites, sors enim æqualiter faveret omnibus ; ita supposità utrinque probabilitate, melius foret loco consultationis doctorum probabilistarum constituere sortes ad dirimendas controversias morum ; eo quòd periculum non esset, ne sors uni parti contradictionis potiùs faveret, quàm alteri, sive potiùs parti falsi similiori, quàm verisimiliori, potiùs libertati, quàm legi ; quod periculum esset in istâ consultatione, eo quòd probabilistæ juxta sua principia potiùs faveant libertati, quàm legi, parti minùs probabili, adeòque falsi similiori, quàm verisimiliori. Omnes igitur rationes probantes judicem non posse ferre sententiam secundùm opinionem sibi visam minùs probabilem, pariter probant operantem non posse agere secundùm opinionem sibi visam minùs probabilem faventem libertati. Et 1° ex eo quòd in praxi injusta censeretur sententia ita lata, ita in praxi inhonesta censeri debet operatio secundùm opinionem minùs probabilem de honesto, cognitam ut talem. 2° Falsum redditur illud probabilistarum principium : *Qui operatur secundùm opinionem probabilem, operatur prudenter*, seu secundùm rectam rationem. 3° Nec operantem secundùm opinionem minùs probabilem de honesto, nec judicantem secundùm similem opinionem de justo, agere ex ignorantiâ invincibili juris, sive legis. 4° Falsum quoque esse, quòd nihil censeri debeat illicitum et injustum, nisi quod est evidenter vel certò tale. 5° Demùm sequitur, quòd sicuti lex de adjudicando agrum Paulo, satis est promulgata quando probabilius est illum esse Pauli, quanquàm occurrat opinio probabilis illum non esse Pauli, sed Petri collitigantis ; ita lex de abstinendo in die festo ab operibus servilibus in ordine ad abstinendum à pingendo satis sit promulgata, quando probabilius est, quod pingere in die festo sit opus servile, quamvis concurrat opinio minùs probabilis, quod pingere non sit opus servile.

Respondet Terillus in regulâ p. 1, q. 20, n. 25, disparem esse causam inter judicem et agentem, quia ubi causa de licito vertitur inter Deum et libertatem hominis, Deus non damnificatur, nec per hoc inhonoratur, quòd operans agat juxta minùs probabilem opinionem de licito contra agnitam probabiliorem de illicito, quamvis enim sit ibi probabilius periculum violationis legis divinæ ac offensæ Dei, violatio tamen illa est solùm materialis, non formalis, quæ nec nocet Deo, nec Deum inhonorat, quia operans optimè erga Deum afficitur, et ex prudenti judicio de placito divino ad operandum, illique complacendum movetur. Ubi verò causa de justo vertitur inter hominem et hominem, homo damnificatur, nec judex sibi potest formare prudens dictamen sibi licere adjudicare agrum controversum Petro, ubi probabilius est pertinere ad Paulum. Unde practicè probabile non est, quòd, ubi agitur de damno tertii, licitum sit sequi opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem de injusto : licet practicè probabile sit licere sequi minùs probabilem, ubi non agitur de damno tertii. Sed, contra est quid est petere principium, si hoc non sit petere principium ? Probabilistæ sustinent, illud esse practicè probabile respectu agentis, quod nos practicè improbabile esse probamus iisdem argumentis, quibus illi practicam improbabilitatem probant respectu judicis ; eodemque modo probamus violationem legis formalem in operante, quo ipsi damnificationem formalem in judicante. Nec verum est, quòd optimè affectus esse possit erga Deum, ac ex prudenti judicio de placito divino ad operandum, eique complacendum moveatur, qui ex solo affectu voluntatis erga libertatem propriam, commodum temporale (quo præamatur, præeligitur, etc., opinio, in quam erumpit de facto, uti loquitur Lacroix) movetur ad operandum juxta opinionem minùs probabilem de non violandâ lege, amittendâque Dei amicitiâ, relictâ opinione, per quam judicat, vel proximè judicare potest, Deum offensum Deique legem violatam iri : uti judex in judicando non potest esse optimè affectus ad Petrum, nec judicare ex prudenti dictamine de placito Petri, ac moveri ad ei complacendum, ubi ex solo voluntatis affectu erga Paulum, agrum eidem adjudicat contra probabilius jus, quod in eumdem agrum habet Petrus. Et numquid usum opinionis minùs probabilis admittunt etiam, dùm agitur de damno tertii ? Dùm concurrunt duæ opiniones oppositæ de justitiâ contractûs, quarum una minùs probabilis dicit non esse usurarium, alia magis probabilis affirmat esse usurarium, nullo habito respectu ad damnum tertii probabilistæ sustinent, quòd liceat celebrare contractum quanquàm probabilius sit esse usurarium. Inconsequenter ergo negatur judicem non posse judicare secundùm opinionem minùs probabilem, eò quòd agatur

de damno tertii. Vel ergo agens eam sequi non potest, vel judex potest, idque vel maximè, cùm juxta probabilistarum principia, uti agens potest prudenter assentiri parti minùs probabili de licito, ita judex potest prudenter assentiri parti minùs probabili de justo. Cùm igitur juxta Ecclesiæ declarationem judex nequeat in judicando sequi opinionem minùs probabilem, nec agens id licitè poterit in agendo.

Resumo itaque argumentum, illudque breviori formâ propono ac corroboro ex doctrinâ S. Th. 2-2, q. 60, a. 2, ubi : *Ad hoc*, inquit, *quòd judicium sit actus justitiæ tria requiruntur* : 1° *ut procedat ex inclinatione justitiæ ;* 2° *ut procedat ex auctoritate;* 3° *quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ; tunc deest hæc tertia conditio, quando deest certitudo rationis, puta cum aliquis judicat de his quæ sunt dubia.*

Formatur ergo prima ratio sic : Uti ad hoc ut judex judicet justè, judicium debet procedere ex inclinatione justitiæ, ita ad hoc ut agens operetur honestè, debet operatio procedere ex inclinatione honestatis, cùm agens in operando dirigi debeat à conscientiâ ethicè rectâ; quæ definitur à P. Lacroix l. 1, n. 5, quòd sit illa quæ est conformis appetitui recto, id est, benè ordinato et disposito ad implendam omnem Dei legem, ideòque dicitur ethicè seu quoad mores recta; hinc etiam Arist. 6 Ethi. cap. 2, ait : *Activæ mentis veritas est quæ appetitui recto consentanea sit.* Subsumo : atqui judicium non procederet ex inclinatione justitiæ, si ferretur secundùm opinionem minùs probabilem de justo, ergo nec operatio procedet ex inclinatione honestatis, dùm fit secundùm opinionem minùs probabilem de honesto. Secunda : Uti judicium, ut sit justum, debet procedere ex auctoritate, ita operatio, ut sit honesta, debet procedere ex libertate non tantùm physicâ ad bonum et malum indifferenti, sed et morali, quæ est tantùm secundùm ea quæ sunt bonis moribus seu honestati conformia ; atqui judex non habet auctoritatem judicandi secundùm opinionem legibus positivis probabiliùs difformem, ergo nec agens prudenter censeri potest accepisse à Deo potestatem seu libertatem moralem operandi juxta opinionem, quæ est legi naturali ac divinæ probabiliùs adversa. Tertia : Uti ad hoc, ut judicium sit justum, requiritur, quòd proferatur secundùm rectam rationem prudentiæ, et tunc deest hæc tertia conditio, quando deest certitudo rationis, puta cùm aliquis judicat de his, quæ sunt dubia ; ita operatio, ut sit honesta, debet fieri secundùm rectam rationem prudentiæ, tuncque deerit hæc tertia conditio, quando deest certitudo rationis, puta cùm aliquis judicium de licito format de his quæ sunt dubia : atqui judicium de justo formatur de his quæ sunt dubia, dùm par est utriusque litigantis probabilitas, uti ex D. Th. monstratum est. Similiter judicium de honesto formatur de his quæ sunt dubia, ubi concurrunt rationes æquè pugnantes pro honesto ac inhonesto, quod à fortiori verum est, dùm rationes pro injustitiâ ac inhonestate sunt urgentiores. Ergo uti, in casu posito, judicio seu sententiæ deest certitudo rationis requisita ad hoc ut judicium sit justum; ita operationi agentis deest certitudo rationis, requisita ad hoc ut operatio sit honesta. Quarta : Nullum principium reflexum juvare potest judicem ad formandum dictamen ultimum practicè certum de justitiâ sententiæ secundùm opinionem ex principiis directis minùs probabilem de justo. Ergo nullum principium reflexum juvare potest operantem ad formandum dictamen ultimum practicè certum de honestate actûs eliciti secundùm opinionem ex principiis directis minùs probabilem de honesto. Quinta : Damnificatio materialis transit in formalem, ubi judex sententiam profert secundùm opinionem minùs probabilem de justo : ergo violatio legis materialis transit in formalem, ubi agens operatur secundùm opinionem minùs probabilem de licito. Ergo violatio illa est damnificatio Dei, non quidem effectiva, sed affectiva, seu quantùm est ex parte violantis Dei legem sub mortali obligantem cùm ita peccans, quantùm in se est, Deum destruat.

Cæterùm hìc dicta (quod scilicet judex debeat ferre sententiam secundùm opinionem magis probabilem) locum habent in judice sententiam ferente in causâ et judicio civili, quod principaliter respicit commodum privatum litigantium, non verò in causâ et judicio criminali, quod principaliter respicit bonum commune et vindictam publicam : in hoc enim præcipuè attendenda est hæc juris regula : in dubiis reo est favendum. Ipsa namque jura in criminalibus gravioribus præcipiunt, ut nullus ad gravissimam pœnam ordinariam condemnetur, nisi probationes sint omninò claræ. 1° Quia *satius est impunitum esse facinus nocentis, quàm innocentem condemnari.* l. *Si absentem*, ff. *de Pœnis.* Mulctatio enim insontis per se mala est ; neque ullo casu insons pœnis plecti potest ; venia verò nocenti concessa, aliquando honesta. 2° In dubiis minùs malum est reum dimittere, quàm insontem mulctari.

13. *An ex hâc propositione :* Licitum est sequi sententiam minùs probabilem faventem libertati in concursu magis probabilis stantis pro lege, *tanquàm ex unâ præmissâ possit formari dictamen practicum moraliter certum, vi cujus, in praxi tutò celebrare quis potest contractum probabilius injustum ?*

Quòd dictamen ultimum non debeat esse necessariò metaphysicè aut physicè certum, est sententia communissima. Ratio est 1° quia impossibile est in omnibus agibilibus habere dictamina metaphysicè, aut physicè certa, ad impossibile autem Deus non obligat nos; 2° quia ubi adest moralis certitudo, non manet locus prudenti dubio, vel probabilitati in oppositum ; ergò tum verè *operor ex fide*, adeòque secundùm conscientiam. Ita Lacroix, lib. 1, n. 50. Quòd verò ad honestè operandum debeat dictamen ultimum et practicum esse moraliter certum, docet idem Lacroix n. 46, cum communi contra paucos. Quorum tamen aliqui, si ritè explicentur, differunt solùm in modo loquendi, uti probat Lacroix n. 66. Ut autem aliqua sententia sit moraliter certa, non sufficit, inquit idem n. 180, quòd sit longè probabilior, aut etiam *probabilissima;* per hoc enim non excedit terminos probabilitatis, neque opposita est improbabilis... ideòque universaliter valet : *Si hæc sen-*

*tentia sit certa, opposita non est probabilis, et si ista sit probabilis, opposita non est certa:* ut igitur hæc propositio: *Licitum est sequi opinionem minùs probabilem de licito in concursu opinionis magis probabilis de illicito*, deservire posset ad formandum dictamen ultimum moraliter certum, deberet et ipsa esse moraliter certa, et contraria improbabilis; quia dictamen illud ultimum non potest deduci ex opinione probabili, vel probabiliori, vel probabilissimâ veluti ex unâ præmissâ, sed deduci debet ex duabus præmissis certis, quia conclusio deducta ex unâ tantùm probabili, vel probabiliori, vel probabilissimâ, est etiam tantùm probabilis, vel probabilior, vel probabilissima, consequenter non est moraliter certa. Rationem horum dat Lacroix n. 305, quia conclusio debet sequi debiliorem partem. Proinde non constat sibi doctrina P. Lacroix, 344, dùm ex eo quòd ad prudenter operandum sufficiat judicium directum probabilius, vel probabilissimum, concludit quòd etiam sufficiat judicium reflexum, quod est probabilissimum. Unde licet daremus adversariis sententiam ipsorum esse nostrâ probabiliorem, vel etiam probabilissimam (quod falsum esse demonstrant ea quæ hucusque adducta sunt), hoc nihil ipsos juvat, quousque probent sententiam esse moraliter certam, ac ex consequenti nostram esse improbabilem, cujus contrarium evinco ex ipsorum principiis. Quapropter dico: Sententia benigna probabilistarum, quæ asserit: licitum est sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in concursu probabilioris et magis tutæ, non est moraliter certa. Probatur: illa sententia non est moraliter certa, cujus opposita est probabilis; atqui sententia opposita, quòd scilicet non liceat sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliori et tutiori est probabilis. Maj. est adversariorum. Min. probatur. Sententia quæ tantis suffulta motivis, si faveret libertati, ab omnibus probabilistis acclamaretur ut verè practicè probabilis, censenda etiam est talis, dùm favet legi (non enim majorem vim habere potest probabilitas stans pro libertate, quàm ea quæ stat pro divinæ, naturalis et humanæ legis auctoritate); atqui sententia probabilioristarum est talis; ergo. Min. prob. multipliciter. Si sententia favens libertati subjiceretur examini sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac universalis inquisitionis, ac examinata approbaretur, ac intrepidè prædicari, doceri, calamo defendi, et contraria viriliter impugnari à sacrâ inquisitione juberetur, omnes haud dubiè probabilistæ acclamarent eam esse practicè probabilem, ac contrarium sentientes malè audirent: atqui sententia probabilioristarum est talis; ergo. Maj. const.; cùm enim hæc sacra congregatio sit præcipuæ inter alias congregationes auctoritatis, nihil in eâ, nisi post seriam deliberationem ac consultationem deciditur, cujus decisioni, dùm accedit summi pontificis approbatio, hæc summum auctoritatis pondus addit. Min. probatur ex sequenti declaratione.

Feriâ quartâ, die 20 junii anno 1680, in congregatione generali sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et universalis inquisitionis factâ relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Thyrsi Gonzalez Societatis Jesu S. D. N. directis Emin. DD. dixerunt ut scribatur per secretarium statûs nuntio apost. Hispaniarum, ut significet dicto Patri, quòd Sanctitas Sua benignè, et non sine laude perlectis ejus litteris, mandavit ut ipse liberè et intrepidè prædicet, doceat, et calamo defendat opiniones magis probabiles, nec non viriliter impugnet sententiam eorum qui asserunt, quòd in concursu minùs probabilis opinionis, vel probabiliori sic cognitâ et judicatâ, licitum sit sequi minùs probabilem, eumque certum faciat, quod quidquid in favorem opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suæ. Injungatur P. generali Societatis Jesu de ordine Sanctitatis Suæ, ut non modò permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili, et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minùs probabilis opinionis, vel probabiliori sic cognitâ et judicatâ licitum sit sequi minùs probabilem; verùm etiam omnibus universitatibus significet, mentem Sanctitatis Suæ esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, liberè scribat pro opinione magis probabili, et impugnet contrariam prædictam, eisque jubeat, ut mandato Sanctitatis Suæ se submittant. Die 8 julii denuntiato prædicto ordine Sanctitatis Suæ P. generali Societatis Jesu per D. assessorem, respondit se in omnibus quantociùs pariturum, licet nec per ipsum, nec per suos prædecessores fuerit unquàm interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

Probatur 2°: Probabilitas sententiæ probabilioristarum. Probabilis est sententia, quam pro regulâ generali directivâ morum toti Galliarum regno magnæ catholici orbis parti præscribit, ac ut unicè veram amplectitur illius regni archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, præpositorum cœtus universum clerum repræsentans, per modum concilii provincialis congregatus; atqui talis est sententia de eligendâ in dubiis opinione tutiori; ergo. Maj. constat. Si enim sententia favens libertati certò probabilis sit *quam omnibus diligenter expensis tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, judicio et scientiâ præstantes, sic de probabilitate non dubitent, etiamsi alii communius rejiciant ut falsam.* (Lacroix n. 122), quidni probabilis sit, quam ut unicè veram, ac pro universali morum regulâ præscribunt, sectandamque mandant florentissimi alicujus regni præstantissimi scientiâ ac pietate præsules, quos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, de quibus dubitari non potest, quin habeant rationem gravem. Min. etiam constat ex n. 212, ubi ex conventu generali Cleri Gallicani anno 1700, congregati per modum concilii provincialis universo clero præscriptum vidimus: 1° præcepti loco habendum, quod in dubiis ortis ex æqualitate rationum sequendum sit tutius, sive quod est in eo casu unicè tutum. 2° Quòd nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit. Respondet Lacroix n. 323: Episcopi aliqui Galliæ *quandoque faverunt Jansenistis.* Hic majorem modestiam desiderarem in adversariis, qui teste cardin. Aguirre eamdem Jansenismi *notam ex eodem doctrinæ morum severioris capite avsi sunt pluribus aliis catholicissimis episcopis,*

*prælatis, doctoribus et scriptoribus, licet nullo fermento hæreseos, vel doctrinæ erroneæ aspersis, et palam rejicientibus illas quinque famosas theses ab Innoc. X et Alex. VII fulguritas... sed calumnia ejusmodi* (censuras refero, non fero), *dum linguario oribus quorumdam injecto coerceri nequit, contemptu aut risu exsibilanda erit;* juxta illud vetus adversùs convicia injusta : *spreta exolescunt.* Quòd verò in conventu illo congregati cardinales, archiepiscopi, episcopi nullatenùs faverint Jansenistis, manifestum est ex eo quòd non tam zelo contra probabilismum, quàm contra Jansenismum insurrexerint, dùm in eâdem congregatione quatuor propositiones, quibus eo tempore decreta pontificia contra Jansenismum edita impetebantur, sequenti censurâ perstrinxerint : *Hæ quatuor propositiones,* inquiunt sapientissimi præsules, *quibus inquieti homines Innocentii X et Alexandri VII constitutiones, Innocentii quoque XII brevia æquissima, et ab omnibus approbata apertè contemnunt episcopos Gallicanos, rebus judicatis adhærentes, incessunt, maledictis, et causam hanc de integro retractari postulant, tanquàm tot constitutionibus apostolicis, etiam accedente Ecclesiarum consensione, causa nondùm finita fuerit, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, contumeliosæ in clerum Gallicanum, summos pontifices, et in universam Ecclesiam, schismaticæ, et erroribus condemnatis faventes.* Durius est, quod Lacroix n. 293, considerandum monet ex Terillo in præf. ad Reg. morum; scilicet *Jansenismum esse matrem sententiæ probabilioris.* Filia igitur partu imaginario prodiit ante matrem, cùm ex dictis § 10, constet longè ante Jansenii tempora à sanctissimis, antiquissimis ac præstantissimis Patribus ac theologis probabiliorismum et agnitum, ac in terminis fuisse defensum, idque simul constat ex sincerâ confessione doctissimorum probabilistarum n. 206, adductorum; nisi velis eos omnes supra allegatos fuisse Jansenistas. Nec minùs injuriosum est doctissimis theologis, cardinalibus, episcopis, etc., qui post Jansenii tempora probabilitatis dogmati se opposuêre, ac probabiliorismo adhæsêre, quòd filiæ à turpissimâ matre prodeunti se conjunxerint. Respondet quidem auctor apologiæ contra P. Schweitzer : *Matrem posse esse veneficam, etsi filia non sit.* Ex quo deducit Jansenismum posse esse hæreticum, etsi filia, sententia scilicet probabilior non sit, verùm longè aliud probat Terilli assertio : mater quidem potest esse venefica, ut filia non sit, quia non omnis filia sagæ est filia ipsius, quatenùs saga est, uti notat N. Henricus. Omnis verò filia hæreseos Jansenianæ, pergit idem (in abstracto ut Terillus loquitur), est filia hæretici Janseniani, quâ talis est, sicut omnis filia superstitionis sortiariæ (in abstracto) est sortiaria seu saga. Plus enim est esse filiam superstitionis sortiariæ (in abstracto) quàm superstitionis in concreto : et similiter plus est esse filium, vel filiam hæreseos Jansenianæ (in abstracto) quàm hæretici Janseniani in concreto. Nam uti ex falsitate nihil sequi potest, nisi falsum, sic ex hæretico nihil nasci potest, nisi hæreticum : etiamsi aliquis non hæreticus possit nasci ex hæretico. Nolim equidem in doctissimos viros retorquere, quod in aliquos sententiæ probabilioris patronos torquet Lacroix ex card. in Præf. ad 3 p. Crisis, *nimirùm debiles sunt argumentationes, quæ ad sui conformationem indigent maledictis.* Et ex Caram. in Sever. argum. meth. p. 1, D. 4, ubi ait : *Ad dicteria recurritur, cùm de principali causâ desperatur.* Cæterùm, quòd non magis ex probabiliorismo quàm ex probabilismo inferatur aliqua Dei præcepta esse hominibus observatu impossibilia ostendetur n. 242 et seqq.

Conf. : 1° Probabile est, quod fidelibus proponendum, et à quo minimè S. Theologiæ candidatis deflectendum tanquàm doctrinam suam genuinam in comitiis generalibus ducit S. Facultas theologica Coloniensis: ergo probabile est, quod simili modo proponit, et cui S. Theologiæ candidatis unicè incumbendum præcipit S. Facultas theologica Parisiensis. Atqui hæc S. Facultas ita proponit sententiam probabilistarum, ergo. De antecedentis veritate nemo dubitaverit præsertim, qui innititur adductis probabilistarum principiis, consequentiam quoque, nemo, nisi temerarius, negaverit. Minoris subsumpti veritas constat ex corpore doctrinæ illius Sacræ Facultatis, in quo corpore articuli à 17 magistris prævio maturo examine et studio collecti, et toti Sacræ Facultati in comitiis generalibus die 11 augusti 1717, propositi, postquàm de illis prævièque in pluribus congregationibus tam generalibus quàm particularibus deliberatum fuisset, die et anno citatis à toto sacro ordine probati fuêre, et typis mandari et publicari jussi. Articulus autem 7 ita habet : « Inter opiniones æquè probabiles, ubi de præcepto agi- « tur, tutior pars eligenda. » Articulus 8: « Non licet agere « juxta sententiam minùs probabilem, relictâ probabi- « liori, nisi ea quæ est minùs probabilis sit tutior. » Articulus 9 : « Peccat qui agit ex probabilitate extrin- « secâ, seu ex sententiâ unius aut multorum auctorum, « quam ipse falsam aut minùs probabilem existimat. »

Conf.: 2° Si opinio verè probabilis sit, quam docent quinque aut sex theologi judicio, scientiâ ac pietate præstantes, ergo et probabilis à fortiori est, quam non tantùm ut veram docent, sed et lege latâ docendam præcipiunt in capitulis generalibus, aut in suis constitutionibus celeberrimi in Ecclesiâ ordines, maximè ubi de summâ rei seu universali morum regulâ agitur; talium quippe causarum discussio non committitur, nisi viris pietate, ac scientiâ conspicuis; atqui in capitulis generalibus opinionem probabiliorem docendam suis professoribus præcipiunt decreta ordinum prædicatorum, Theatinorum, SS. Trinitatis, uti videre est apud N. Henricum : ergo ordinum illorum sapientissimi consultores non tantùm eam ut probabilem, et veram docuerunt, sed et pro animarum directione unicè necessariam agnoverunt. 3° Similiter ex doctrinâ P. Lacroix probabilis erit opinio, in quâ veram probabilitatem invenerunt sapientissimi congreg. S. J. censores et consultores; atqui sententia majorem probabilitatem requirens, dùm contraria est minùs tuta, est talis; siquidem S. J. in congreg. 15, decreto 18, lege sancitâ, permisit illam doceri : nec præsumendum est, quod sapientissimi Patres positivè

(quidquid sit de permissione negativâ) permisissent doceri decreto ad omnes Societatis professores dato, nisi post maturum examen seriamque deliberationem, in eâ veram probabilitatem agnovissent (docere quippe et sequi tenuem probabilitatis opinionem decreto Ecclesiæ prohibetur omnibus), ac aliunde dùm aliquam opinionem examinandam suscipiunt, ac in eâ nullam, aut solùm tenuem probabilitatem inveniunt, eam à suis doceri inhibent. 4° Si verè probabilis est opinio, quam docent quinque aut sex theologi judicio, scientiâ ac pietate præstantes, ergo à fortiori verè probabilis est opinio, quam docent innumeri, de quibus nemo jure dubitare potest, quòd judicio, scientiâ, ac pietate præstent; atqui sententia, quam vocant rigidam, est talis, è quibus paucos numerâsse sufficiat, qui controversiam hanc ex professo examinârunt et tractârunt. 1° Quidem ex cardinalibus insigni pietate ac eruditione conspicuis eam docuerunt præter Cajetanum (de quo supra) cardinalis Paleotus archiepiscopus Bononiensis in præclaro, quem scripsit, libro de Sacri Consistorii consultationibus p. 5, q. 13; cardinalis de Laurea probabilismum copiosè et nervosè confutat t. 2, in 3 Sentent. disp. 11, art. 4, sicut et cardin. Fondratus in disp. jurid. de lege in præsumptione fundatâ p. 15 et seqq. Card. de Aguirre, qui priùs probabilismo adhæserat, re meliùs examinatâ, falsam esse probabilitatis doctrinam comperit, ac oppositam probabiliorismi doctrinam ut sibi certam est amplexus tom. 1 Theol. S. Anselmi disp. 2, sect. 6, uti et in præf. ad tomos conciliorum Hispan. Ex episcopis, qui lucubrationes suas luci publicæ dederunt, ac probabilitatis doctrinam doctissimis scriptis confutârunt, sunt Aravio episcopus Segobiensis in Decision. mor. disp. 9, assert. 3; Crispinus à Borgia episcopus Placentinus in Anti-Caramuele; Antonius Marinarius episcopus Tagastensis opusc. de prob.; Franciscus de Genet episcopus Vasionensis tom. 1 Theol. mor. c. 32; Daniel episcopus Petrocorensis in Theol. mor. tom. 1, lib. 2, c. 4, quibus meritò addendus Antonius Godeau episcopus Venciensis in mandato, seu edicto solidâ eruditione pleno contra probabilitatis errores. Ex aliis auctoribus, quos longum foret recensere, ad evincendam sententiæ rigidæ probabilitatem sufficiant sequentes : Julius Mercerus inquisitor Mantuanus in libro, cui titulus : *Basis totius Theologiæ moralis*. Ex cujus lectione, postquàm sapientissimi auctoris perpicax ingenium, peracre judicium, dicendi claritatem, disputandi methodum, doctrinæ soliditatem, rationum ubertatem ac robur se demiratum asseruisset Hieronymus Placentia S. J., in academiâ Parmensi S. Theol. professor, de libro ipso subdit : « Sentiet Christiana respublica plurimùm se « lucubrationibus hisce debere, quod, dùm ex lege « opinandi licentiam multiplici solidarum rationum « vallo coercent, avitæ morum integritati aureas mo- « liuntur compedes in protectionem, et bases virtu- « tis. » Huic succedunt Ludovicus de Scildere Princ. consc. tr. 2; Joannes Martinez de Prado t. 2, qq. mor. tr. 1, q. 4; Petrus Labat tract. de Consc. Leo à S. Joanne in opusc. de Probabil.; Carolus ab Assumptione in opusc. de Opin. prob.; Benedictus à Jesu in simili opusc., Augustinus de Angelis in lib. de Recto usu opin. prob.; Cabassutius in Theoriâ et praxi juris cant. l. 3, c. 13, n. 7; Nicolaus Josephus de La Verdure tract. de Opin. prob. n. 4; Jacobus Boudart, Manual. theol. tom. 2, tr. 3, § 13; Merbesius in Sum. Christ. p. 1, q. 28; Steyartius in Aphor. p. 1, disp. 3; Academia Lovaniensis in articulis Innoc. XI, ad examen oblatis; Alexander Natalis theol. dogmaticâ et mor. tract. 11, q. 2, dub. 4, apud quem et tom. 7, lib. 3, c. 4, Reg. 13. Facultas theologica Parisiensis sequentem propositionem condemnavit : « In quæstio- « nibus de bono et malo, licito, vel illicito, jure di- « vino, vel humano, potest quis sequi opinionem « minùs probabilem, minùsque tutam relictâ proba- « biliore magis tutâ, etiam sibi notâ ut tali. » Eamdem propositionem facultas Pictaviensis apud Jacobum à S. Dominico declaravit *falsam, temerariam, et in varias morum corruptelas inducentem*. Neesen Theol. mor. tr. 11, q. 2, dub. 4; Thyrsus Gonz. Gener. S. J. qui, quanquàm (uti testatur in Introduct. operis, cui titulus : Fundam. totius Theologiæ moralis) fuisset contrariæ sententiæ principiis assuetus, post exactam totius controversiæ discussionem, probabiliorismum solidissimè propugnavit. Ægidius Estrix in append. adjectâ ad librum laudati Gener. Dominicus Nunez ejusdem Societ. in brevi Compendio doctrinæ sui generalis. Joannes Franciscus Malatra S. J. in Specim. Theol. mor. l. 1, q. 7, n. 407; ibid. q. 8, n. 602. Antonius Charlas in disp. Theol. de opinionum delectu Romæ editâ anno 1695. Christian. Lup. in Dissert. de Opin. prob.; Franciscus Fervacq. in Disquisit. Theol. de peccat. dub. cap. 8, aliique permulti cit. à P. Lacroix. Et N. Henricus in Ethicâ amotis l. 11, n. 587. Consultò omisi quatuor doctissimos theologos : nimirùm Vincentium Baron. In Theol. mor. et in Ethicâ Christianâ per totum. Joannem Bapt. Gonet in Dissert. theol. de prob. Contenson in Theol. mentis et cordis tom. 3, Dissert. 6, c. 1 et 2. Jacobum à S. Dominico in Compendiar. totius theol. mor. explic.; hos, inquam, citare distuli, quia eos exiguæ auctoritatis habendos esse asserit, eo quòd nimiâ amaritie in probabilitatem et auctores benignæ sententiæ fuerint rapti : quibus tamen doctissimis viris videtur fieri injuria, cùm in solum probabilitatis abusum ac probabilitatem, prout in Apologemate Caramuelis *pro antiquissimâ doctrinâ de probabilitate* à sacrâ inquisitione Romanâ die 15 januar. 1684, et ab omnibus ferè Galliæ et Belgii episcopis condemnato, exponitur, invexerint, probabilitatem solidam agnoscentes, nam (ut inquit Jacob à S. Dominico sect. 1) quamdiu erimus in hâc caligine, non poterimus omninò probabilitatem devitare. Neque amaritie feruntur nisi in solos vagæ probabilitatis defensores, qui, ut inquit Paulus Oliva S. J. Gener. in Epist. ad Honor. Fabri, *Theologiæ moralis placita, benignorum opinionum obtentu, plus æquo molliunt*. De quibus itidem conqueritur Neu tius Vitelleschus alter ejusdem Societ generalis in

Epist. ad omnes provincias missâ his verbis : *Nonnullorum ex societate sententiæ, in rebus præsertim moralibus plus nimiò liberæ, non modò periculum est ne ipsam evertant, sed ne Ecclesiæ Dei universæ insignia adferant detrimenta.* Quapropter monens superiores : *Omni itaque,* inquit, *studio perspiciant, ut qui docent, scribuntve, minimè hâc regulâ in opinionum delectu utantur. Tueri quis potest probabile est. Auctore non caret. Verùm ad eas sententias accedant, quæ graviorum, majorisve momenti auctorum suffragiis sunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducant magis; quæ denique pietatem alere, et prodesse possunt, non vastare, non perdere.* Citat hanc Epist. Gonet tr. 1, cap. 5, q. 3 in fine. Et sanè si horum trium gravissimorum theologorum ideò suspecta sit fides, quòd vagæ probabilitatis defensores nimiæ laxitatis insimulent, quid, quæso de iis cernendum, qui solidæ probabilitatis seu probabiliorismi defensores, viros utique probos et doctos nimii rigorismi, et quod pejus est, Jansenismi insimulant, ut eorum auctoritatem minuant? Reflexionem quoque merentur, solidamque sententiæ probabilioristarum probabilitatem ex adversariorum principiis evincunt ea quæ habet Henno tract. de Consc. disp. 3, q. 3, a. 4, in fine, ubi : Probari etiam potest, inquit, sententia nostra auctoritate omnium ferè episcoporum, et Universitatum totius orbis christiani, qui eò majori impetu probabilismum deserunt, quò eidem à seculo circiter adhæserunt plurimi apparentiâ delusi : unde vix hoc tempore è 20 theologis unum reperies, qui doceat aut teneat sententiam nostræ oppositam, et inde certò concludat probabilista nullatenùs sibi favere auctoritatem; quòd si adferat pro se auctores seculi præteriti, opponam ipsi auctores sexdecim circiter seculorum, quibus ne unum reperiet sibi faventem. Imò possem ex seculo præterito plus quàm centum auctores graves nobis adhærentes in medium proferre.

« 5° Communiter prudenter præsumi potest, quod « adsit probabilitas intrinseca, ubi multi auctores etiam « nunc aliquam opinionem tenent, hi enim non asserent « temerè, sed ob rationes inventas. » Ita Lacroix, n. 369; sed opinionem rigidam etiam nunc multi auctores nec pietate, nec sapientiâ minores probabilistis tenent. Scilicet Joannes Pontas in Diction. casuum conscient. v. *Opinio.* Martinus Wigandt in Tribun. Confess. Henno tract. de Consc. Franciscus van Runst ad propos. damn. circa materiam moralem de probabilibus. Augustinus Matthæucci in Cautelâ confessarii lib. 1, cap. 20, ac novissimè Shguanin in Anatomiâ probabilitatis per totam, ex nostris Eadmundus à S. Cyrillo in libro cui titulus : Electio seu usus opinionum probabilium. Columbanus à S. Spiridione in theologiâ actionativâ actione legis Aquiliæ contra probabilistas, ac novissimè Sebaldus à S. Christophoro in Quæstionibus moralibus p. 1, cap. 2, § 6, de Conscientiâ probabili. Aliique qui post materiam circa probabilia damnatam scripserunt, quorum quotidiè crescit numerus, decrescitque scriptorum pro adversâ parte.

Dices fortè cum Lacroix, quòd plurimi auctores pro sententiâ rigidâ citati planè inter se dissentiant, ex eo proinde minui eorum auctoritatem. Contra est : auctores citati omnes quoad hanc controversiam in substantiâ conveniunt, quod scilicet iisdem nisi principiis probabilismum in sensu adversariorum oppugnent. Omnes siquidem cum card. de Laurea docent opinionem minùs verisimilem non posse in vero sensu dici probabilem, quia probabile idem importat, quod approbabile; non est autem digna approbari sententia, quæ repræsentatur ut minùs verisimilis. Omnes 2° cum S. Th. docent, quòd sicut rationum æqualitas pro utrâque contradictionis parte intellectum ligat, ita nova ratio superveniens intellectum à dubietatis ligamine debeat exsolvere. Omnes 3° cum eodem S. D. docent, quòd finis intellectûs sit veritas, non apparens, quæ reperitur etiam in falsâ parte contradictionis, sed quòd sit veritas quæ mensuratur à rebus, seu quod motivum intellectûs sit verùm id quod habet infallibilem veritatem. Omnes 4° cum eodem docent, quòd sicut contingit inordinatio in voluntate, quando movetur à delectabili sensûs, commodo proprio, exercitio libertatis, cùm debeat tantùm moveri ab honesto : ita sit inordinatio in intellectu, quando movetur ab aliquo fallibili signo. Omnes 5° cum Cajetan. docent, quòd in omni genere scibilium opinio voluntaria sit illicita : quia non ex eo, quod magis placet, sed ex eo quod rationabilior est, non ex voluntate, sed ratione amplectenda sit opinio. Item cum Conrado peccatum committi, dùm judicium de probabiliori parte pro lege stante per imperium voluntatis compescitur, suspendendo intellectum à consideratione motivorum magis probabilium per aversionem ejus. Omnes 6° sustinent ad operationis honestatem non sufficere judicium reflexum de probabilitate honestatis, sed requiri judicium directum de rei veritate. Omnes 7° uniformiter impugnant judicia reflexa probabilistarum, illudque palmare eorum principium in sensu eorum : *Qui operatur secundùm opinionem probabilem, prudenter operatur.* Omnes denique in hoc conspirant, quòd si opinio sit probabilior, simul et tutior, hæc sit amplectenda relictâ minùs probabili, et minùs tutâ. Quòd si paucissimi non contenti majori probabilitate requirant simul tutiorismum, nihil facit ad rei substantiam.

Qualiter autem in principiis, quibus probabilismum stabiliunt probabilistæ, et in substantiâ conveniant discere ex sequentibus : 1° an dùm motiva utrinque sunt æquè probabilia, possit in materiâ juris per voluntatem applicari intellectus ad assentiendum huic potiùs, quàm illi parti. Affirmant, Suar., Sanch., Oviedo., Carden., Lacroix. È contra negant Azor., Castrop., teste Lacroix n. 399; an idem possit voluntas, dùm motiva pro unâ parte sunt probabiliora, affirmant cum Terillo auctores citati. Contradicunt cum Azor., Castrop., Layman et Esparsa apud Lacroix n. 415, ad quæstionem an requiratur judicium de veritate rei ad honestatem actûs, an verò sufficiat reflexum de ejus probabilitate? secundum sufficere docent plurimi; primum præterea requirunt Esparsa apud Lacroix n. 383; item Terillus, Suar., Valentia, Castrop., Th. Sanch., Bardi

apud Gonz. dissert. 8, cap. 2, § 1, palmare plerorumque Probabilistarum principium de meliori conditione possidentis extra materiam justitiæ negant doctissimi Probabilistæ Azor. Vasq. Salas, Turrian. Sayr. Perez. Veriuys, teste Lacroix n. 502; quòd liceat operari secundùm opinionem tenuiter tantùm probabilem docet Tambur. in Decal. l. 1, cap. 3, sect. 3, n. 3. Pasqual. decis. 18, n. 2, quod post damnatam ab Innoc. XI. tertiam propositionem hodiè negant omnes. Negant Terillus Lumbier. Filg. aliique apud Carden. in 2 Cris. dissert. 4, cap. 2, quòd liceat sequi sententiam, quæ probabiliter tantùm est probabilis. E contra affirmant Tambur. Ils. Banhoh. Arsdekin. quorum sententiam tanquàm probabilem amplectitur Lacroix, n. 868. Doctoris junioris et moderni censendam esse probabilem opinionem, dùm non constat esse rejectam ab Apostolicâ sede docet Rocasull. in Praxi tom. 2, p. 3, cap. 2. n. 20, quæ propositio est inter damnatas ab Alexandro VII, vigesima septima; quòd liceat operari secundùm opinionem alienam ex principiis reflexis, quam operans ex principiis directis judicat re ipsâ esse falsam, docent Azor. Vasq., etc. apud Lacroix n. 377, quibus contradicit Esparsa in App. a. 143; quòd peccet mortaliter minister contra reverentiam debitam Sacramento, quoties utitur opinione minùs tutâ circa valorem Sacramenti, docent Suar., Valencia, Henriq. aliique apud Carden. in 2 Cris. dissert. 2, cap. 3, n. 16. E contra quòd non peccet, dummodò utatur opinione probabili, docent Sayr. Basil. Ponz. Thom. Sanch. Vasq. aliique apud eumdem n. 17, secundùm Castrop. tr. 1, disp. 2, puncto 10, aliosque ab eodem citatos, uti et Escobar. tom. 1 Theol. moral. l. 2, sect. 2, cap. 6, problem. 14. Caram. Theol. moral. l. 3, n. 1467; potest judex judicare secundùm opinionem minùs probabilem, et in æquali utrinque probabilitate rem adjudicare cui maluerit. Imò secundùm Fagundez in Decal. l. 8, cap. 26, potest judex in æquali causâ ab unâ parte pecuniam accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat, saltem ubi non est lex positivè in contrarium. Imò Diana part. 2, tract. 13, res. 3, pro sententiâ, posse judicem sequi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliore circa jus refert sedecim auctores. Et p. 11, tr. 2, res. 60, refert 25, inter quos plures sunt majoris notæ probabilismi defensores, qui conformiter ad principia probabilismi idem docent, quanquàm Tamburin. l. 1, in Decal. cap. 3, § 4, certum esse putet, non posse judicem in pari cóllitigantium probabilitate rem adjudicare cui maluerit, sed debeat eam dividere; subjungit equidem quòd « propter extrinsecam bonorum doctorum auctoritatem « asserentium, in hoc casu posse judicem pro suo « amico, si maluerit, sententiam pronuntiare; potes id « ut probabile, si velis, amplecti. » Quibus tamen hodiè propter declarationem Ecclesiæ contradiceret omnis. Quòd infidelis in casu quo nostra fides videtur ei probabilior, dùm sua secta adhuc probabilis apparet, possit in suâ sectâ permanere, docent Sancius in Selectis Disp. 19, n. 9. Spinula disp. 3, sect. 2, quos sequuntur Escobar, Diana Caramuel, Herardus Billius, idque ex principiis probabilismi, quod hodiè post damnatas ab Innoc. XI, 65 propositiones ex probabilismo deduci omnes negant. Licitum esse operari secundùm opinionem probabilem, licet evidens sit oppositam esse probabilem, habet communis Probabilistarum teste Lacroix n. 301, cujus contrarium docent accuratissimi circa probabilitatem scriptores Esparsa et Terill. apud Lacroix loc. cit., quod licitum sit sequi minùs probabilem non tantùm in materiâ juris positivi humani, sed etiam juris divini et naturalis docet Lacroix cum aliis, quod tamen aliqui non admittunt teste eodem, n. 302, ideòque N. N. Fran. Bon. Spei qui in suo Apologemate retorto, et Casp. à S. Mar. Magdal. Depaz. qui in tract. brevi de opinione probabili docent licere sequi sententiam minùs probabilem in materiâ juris positivi humani, non autem juris naturalis et positivi divini, simpliciter Probabilistarum calculo non sunt adscribendi. Si demùm quæras, an sententia Probabilistarum sit saltem probabilis, à quâ quæstione vel maximè dependet hujus controversiæ solida decisio; respondent 1° Corneio et Castrop. illam esse valdè probabilem, adeòque implicitè dicunt, opinionem, quæ apud ipsos benigna dicitur, non esse moraliter certam, consequenter non posse deservire ad formandum dictamen ultimum practicè certum, de quo V. dicta suprà. Respondet 2° Terill. in Reg. q. 2, n. 190, sententiam rigidam in materiis justitiæ et obedientiæ esse improbabilem, in aliis materiis habere aliquam probabilitatem. Verùm hunc auctorem non loqui simpliciter secundùm communem Probabilistarum mentem constat ex eo, quòd, ut supra diximus, contra communem eorum doceat cum Esparsâ, non licere sequi sententiam minùs probabilem, ubi pro contrariâ parte stat major evidenter probabilitas. Respondent 3° Moya, Ilsung, Cardenas, etc., benignam esse evidentem et moraliter certam, adeòque rigidam esse improbabilem, in hoc similes stoicis, qui eos solos sapientes ac prudentes existimabant, qui ex Stoicorum scholà prodibant; illos autem seque metipsum redarguit Georgius de Rhodes disp. 2, de Act. hum. q. 2, sect. 3, § quòd *imprudenter* se gerant, eo quòd *suo solo judicio* tot præclarissimorum doctorum sententias judicent *improbabiles*. Resp. 4° P. Lacroix, n. 344, saltem sufficere, quòd sententia benigna sit probabilior, vel probabilissima; hæc ille immemor, quod n. 305, doceat dictamen ultimum practicè certum deduci debere ex duabus præmissis moraliter certis; opinio autem etiam probabilissima inter probabiles, uti docet n. 484, est tantùm probabilis, cùm non excedat fines probabilitatis. Ex quibus ita concludo cum Mercero 2 p. Basis art. 26, cùm igitur citati doctores non sint uniformes in explicandâ hâc sententiâ de sequendâ minùs probabili, non faciunt tantam auctoritatem, ac si uniformiter loquerentur; consequenter pro unâ sententiâ univocâ simul omnes tot ac tanti superiùs numerati citari non possunt.

Prob. 2° ex absurdis, quòd ex opinione probabili tanquàm ex unâ præmissâ non possit deduci ultimum dictamen conscientiæ moraliter certum. Si probabili-

tas opinionis possit deservire ad formandum judicium moraliter certum de honestate operationis, in quantum opinans de opinione probabili, *debet dicere, non quòd illa sit vera, sed quòd sit probabilis et existat, aut saltem existere possit in intellectu alicujus viri prudentis et periti*, uti explicat Lacroix n. 306, ergo et probabilitas hujus opinionis : *quòd finis adæquatus legis cessare possit in particulari, consequenter et in co cesset legis obligatio*, ad idem poterit deservire. Atqui ex hoc multa sequuntur absurda. Ergo. Sequela majoris constat, dummodò constet illius suppositum, quòd opinio illa sit probabilis. Quod probatur : de illâ dici potest *quòd sit probabilis, et existat aut saltem existere possit in intellectu*, non alicujus tantùm, sed multorum virorum prudentium et doctorum. Eam namque ut veram sustinet Diana p. 1, tr. 10. — Resp. 26, et apud eum citati Scaccia Nav. Mexia. Henriq. Comit. Abbas, Angelus, Sora, Megalagran. quibus p. 7, tr. 10. resp. 23, addit Caram. in Comment. ad Reg. D. Bened. disp. 5, n. 50; Machadum de perfecto Confess. tom. 1, lib. 3, parte 40, tr. 4, docum. 4, n. 2. Præter hos teste Lacroix lib. 1 de Legibus, n. 865, eamdem sententiam tenent Arriaga, aliique apud Pennaf. de Fide d. 16, n. 46, *quibus ex parte* (inquit Lacroix) favet Carden. in 1 Crisi d. 62, n. 74. Quis igitur dubitet de ejus probabilitate, et quòd existat, aut existere possit in intellectu alicujus viri prudentis et periti? Quod secundùm probabilistas sufficit, quòd aliqua opinio ut una præmissa assumi possit, ad deducendum ultimum dictamen conscientiæ moraliter certum, et quidem, quòd opinio illa sit probabilis non obscurè innuere videtur ipsemet Lacroix, dùm cit. lib. 1, n. 865, contrariam dicit non moraliter certam, sed solùm videri probabiliorem; cùm enim major probabilitas non elidat minorem probabilitatem, si opinio asserens non posse cessare finem adæquatum legis in particulari, quin etiam cesset in universali solùm *videatur probabilior*, hæc visa major probabilitas non adimit opinionis oppositæ probabilitatem. Probatur itaque minor. Si data propositio ad hoc deservire valeat, sequitur 1° fornicationem in aliquo particulari aliquando posse esse licitam. Quod probo : Nam finis adæquatus legis prohibentis fornicationem ex D. Th. 2-2, q. 154, art. 2, et secundùm D. D. communiter est, quòd sit *contra bonum prolis educandæ*. Atqui si finis adæquatus legis in particulari aliquo cessare possit (uti ex adversariorum principiis probabiliter cessare potest) cessabit hujus legis finis adæquatus in casu quo contingit, uti sæpè contingere potest, prolem fornicariè conceptam benè enutriri ac educari, imò meliùs, quàm alias multas per conjugalem copulam conceptas; ergo hoc in casu respectu particularis prolem fornicariam meliùs educare valentis et volentis cessabit obligatio legis, consequenter licita erit pro casu aliquo particulari fornicatio.

Sequitur 2° legitimum matrimonium inter fideles aliquando dissolvi posse, quod probatur : indissolubilitas conjugii sive sit de jure naturæ, sive divino, sive ecclesiastico, secundùm DD communiter adæquatè petitur ex eo quòd solubilitas ex D. Th. in Supple. q. 67, art. 1, sit contra bonum prolis perfectè educandæ, atqui si finis adæquatus legis respectu alicujus particularis cessare possit, etiam cessabit hujus legis finis adæquatus in casu quo nulla est occasio de præsenti, nec spes de futuro educandi prolem, et ex opposito si conjuges separarentur, et vir alteri uxori, et uxor alteri viro copularetur, verisimiliùs speraretur proles perfectiùs educanda; ergo et cessabit lex indissolubilitatis conjugii, licitaque erit ejus dissolutio.

Sequitur 3° : Quòd si detur lex prohibens die Veneris carnes, ut sic maceretur corpus, particularis aliquis, qui magis delectatur et nutritur piscibus, possit die Veneris comedere carnes, quia respectu hujus cessabit finis legis adæquatus, uti secundùm principia adversariorum probabiliter cessare potest. Item si lex præcipiat noctu manere domi propter rixas vitandas, ille, qui certus est non orituras, nocte exire possit. Quæ quidem renuunt Probabilistæ admittere, attamen manifestè sequuntur ex eorum principiis. Proindè illud sibi, cui hæc displicent, Probabilista dictum putet, quod dicit Augustinus ad Pollent. lib. 2 de Adult. et conj. cap. 4 : « Hoc tu quidem non sentis, sed hoc sequitur illa, quæ sentis, muta ergo antecedentia, si vis cavere consequentia. »

### § 14. *Solvuntur objectiones Probabilistarum.*

Obj. 1° ex SS. Canonibus cap. *Ego solis*, dist. 9, dicitur ex S. Augustino rationes probabiles sufficere ad regulandum judicium prudens. C. *Sicut quædam*, dist. 14, ex S. Leone dicitur : « In his, quæ vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum, « quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec « decretis SS. PP. inveniatur adversum. » Cap. *Inquisitioni* de sent. excomm. De conjuge credente matrimonium esse invalidum ait Innoc. III : « Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et « discretâ, quamvis non evidenti, reddere potest, sed « petere non potest debitum. » Ergo argumenta probabilia sufficiunt ad decidendum. Lacroix n. 268. Fagnanus (qui si in materiâ morali parùm fuerit versatus, uti parùm modestè de eo loquuntur Probabilistæ, nemo tamen negaverit, quòd in SS. canonibus fuerit versatissimus), in cap. *Ne innitaris* n. 100 et seqq. ad leges et canones, qui pro licito usu probabilismi adferri solent, generatim sic in substantiâ respondet : Leges et canones, cùm decidunt quæstiones et causas, ex argumentis probabilibus et conjecturis, non intendunt, quòd ad decidendum sufficiat judicium probabile, sed tantùm, quòd ex probabilibus rationibus simul junctis possit judex formare judicium moraliter certum de rei veritate quia etsi talia argumenta seorsim non omninò concludant, tamen si simul jungantur, apta sunt generare certitudinem moralem. Hoc innuitur cap. *Judicantem* 30, q. 5. Item cap. *Affertur* de *præsumptionibus*, ubi proponitur exemplum Salomonis, qui ex violentâ præsumptione certò moraliter pronuntiavit pro verâ matre; sic in judiciis plures probationes

imperfectæ ac semiplenæ simul junctæ sufficiunt sæpè ad faciendam plenam et perfectam probationem juxta hoc vulgatum : *ea quæ non prosunt singula, collecta juvant.* Sic unus testis, qui facit semiplenam, et confessio facta absente parte, quæ facit aliam semiplenam probationem, simul juncta plenè probant, ut dicitur cap. *Cùm dilectus de success. ab intestato.* Idem est de uno teste et famâ publicâ, uti cap. 1 de Appell.; pariformiter sic in moralibus plures conjecturæ, et argumenta probabilia, quamvis per se singula non generent certum assensum, sed solùm cum formali formidine de opposito; tamen ex omnibus junctis potest consurgere moralis certitudo, et ita hoc sensu admitti potest, quòd in moralibus sufficiat moralis certitudo deducta ex probabilibus. Insuper ad 1, ex can. *sicut quædam*, Resp. negando suppositum rationes minùs probabiles in occursu probabiliorum esse probabiles de quo § 2 per totum. In formâ : Dist. : Ratio probabilis quieta nullis adversæ partis rationibus agitata, aut etiam ratio probabilis evidenter magis valida, quæ sola est subjectivè probabilis sufficit ad formandum judicium prudens de rei veritate, concedo; ratio probabilis fortioribus adversæ partis motivis agitata, nego; colligitur hæc responsio ex ipsomet contextu.

Ad secundum ex S. Leone desumptum, cui multùm confidunt adversarii, resp. 1° : Nimiùm probare, si quid probet, cùm enim dicat : *id noverimus sequendum*, idem est, ac si diceret : id sequendum esse, aut debemus sequi; ergo sicut adversarii ex eo deducunt, posse quempiam sequi probabilem minùs tutam seu faventem legi, relinquendo probabiliorem magis tutam ; pari ratione deduci potest obligationem esse eam sequendi, quod probabilistæ nec intendunt, nec intendere possunt. — Resp. 2° : Ex Glossâ ad cit. distinctionem, ubi sic loquitur : Quæsitum fuit à S. Leone papâ, utrùm consuetudines et constitutiones possint dispensari? Qui respondet dicens; quòd *sicut sunt quædam, contra quæ non potest dispensari, ut jus naturæ* ; sic quædam sunt, ut consuetudines et constitutiones, contrà quas ratione temporum et ætatum possit dispensari, hâc habitâ discretione, ut in dubiis nihil fiat *contra Evangelium, vel decreta SS. Patrum.* Quod totum cum Probabilistis admittimus, sed impertinenter se habet ad rem præsentem. — Resp. 3° : Quod uti peccant ii, qui veritatem evidenter cognitam impugnant, ita peccant ii, qui quidpiam affirmant aut faciunt, contrarium Scripturæ, Ecclesiæ definitioni, ac receptis SS. Patrum decretis : verùm quia sub his membris non continetur adæquata peccatorum causa, non semper licitum est sequi, quidquid ipsis non est adversum : nam et ob bonam aliam rationem verè poterit esse fugiendum quidpiam, utpote alicui alteri legi vel præcepto contrarium. Imò peccare quis etiam potest contra conscientiam ut ait D. Th. quodl. 9, art. 15, et quodl. 8, art. 13, malè igitur et perperàm pro benignâ sententiâ hoc S. Leonis testimonium adducitur. Ad 3, ex Innoc. I, constat ex dictis § 8, sect. 5, casu. 4.

Objic. 2° : Varii pontifices narrantur processisse juxta sententias minùs probabiles. Imò aliqui juxtà illas, quas ipsi judicabant esse falsas. Quomodò Adrianus vi dicitur dispensâsse in matrimonio rato propter solam Cajetani auctoritatem, etsi existimaret se non posse. Aliqui narrantur in voto solemni dispensâsse in ordine ad contrahendum matrimonium, quod ex D. Th. probant Thomistæ pontificem non posse. — Resp. Varia de diversis pontificibus narrari, quæ certò falsa sunt, et, si vera essent, illis pontificibus planè forent indecora; sequeretur enim eos in praxi secutos fuisse sententiam minùs probabilem circa Sacramenti valorem, sicque practicâsse quod postmodùm Innoc. XI propositione primâ, inter damnatas 65, *ut perniciosum in praxi proscribit.* In specie de Adriano, verisimile non est, quòd immemor eorum, quæ ex doctissimis ejus commentariis § 7, adduxi, contra propriam mentem in matrimonio rato dispensârit solâ Cajetani ductus auctoritate; quomodò enim solâ illius auctoritate ductus dispensavit, ubi constat, quòd illo tempore communior fuerit doctorum sententia, quòd pontifex in matrimonio rato dispensare possit, quod profectò non latuit Adrianum virum in jure et Theologiâ doctissimum? Vel ergo absolutè non dispensavit, (nec illud quod dispensando dixisse fertur : *se* scilicet *dare quod posset, sed tamen credere nihil posse*, significat eum absolutè dispensâsse ; cùm sensus naturalis illius dicti esse videatur : *do si possum, sed credo non posse)* vel si absolutè dispensavit, id non fecit contra opinionem sibi visam probabiliorem spectatis omnibus, sed ob Cajetani, aliorumque graviorum doctorum auctoritatem ex christianâ humilitate sententiam suam correxit conformiter ad ea quæ docet tr. de Confess. q. 5, dub. 7, sacerdotem utique, qui sequitur aliquam opinionem, si sciat, *à pluribus vel gravioribus seu etiam æqualis auctoritatis contrarium teneri, non adeò de se præsumere debere, ut totum velit in suam opinionem ( quæ forsitan erronea est ) concludere seu coarctare, quasi ipse solus videat.* Quod vel maximè verum est, ubi speciales adsunt circumstantiæ, vel necessitatis casus, vel majoris mali vitandi occasio, reddentes aliquandò licitum, quod aliàs foret illicitum. Undè generaliter ad objectiones ex factis pontificum desumptas resp. quòd non constet illos pontifices sententias, quas in praxi narrantur secuti, non judicâsse multò probabiliores esse sententiis oppositis, aut etiam moraliter certas, quod in hujusmodi facilè potest fieri : nam potest sententia aliqua ex circumstantiis publicis ac privatis, quæ pontifici, ejusque theologis in supplicatione, v. g., pro aliquâ dispensatione innotescunt, ipsi pontifici apparere moraliter certa, quæ talis non apparet aliis istas circumstantias ignorantibus.

Ad id, quod dicitur varios pontifices dispensâsse in voto solemni religionis, resp. professionem solemnem esse quamdam speciem donationis, quâ religiosus se totum donat Deo, Ecclesiæ seu pontifice Dei vicem gerente, ac illam donationem acceptante : valor autem donationis, non solùm provenit ex parte donantis, sed etiam ex parte donatarii, seu ejus vicem gerentis, ut ex parte donantis sit absoluta et irrevocabilis, ex

parte autem procuratoris, seu vicem cum plenâ potestate gerentis donatarii sit revocabilis. Ecclesia verò et summus pontifex nomine Dei ita acceptant professionem religiosam, ut sicut ipsa primò dependet ab acceptatione summi pontificis dantis facultatem profitendi in aliquâ religione, ita etiam in obligationis continuatione semper dependet ab ejusmodi acceptatione non revocatâ, adeòque habitualiter permanente, quæ tamen aliquando propter bonum Ecclesiæ potest revocari, et tunc cessante conditione, sub quâ summus pontifex acceptavit professionem, cessat professio, ac ita solvitur obligatio : et quia hoc non est dispensare cum religioso in voto solemni, ita hujusmodi factum non est contra doctrinam D. Th. negantis summum pontificem posse dispensare cum religioso solemniter professo in voto continentiæ.

Objic. 3° : Ex omni ætate, statu, conditione afferri possent pro sententiâ benignâ auctores typo editi plures, quàm 160 inquit Lacroix n. 269. Æstimari autem debet doctorum numerus, quia, ut de quant. anim. cap. 7, ait S. Augustinus, utilissimum est maximæ multitudini, excellentissimæ auctoritati cedere, et secundùm hoc agere vitam. — Resp. Auctoritatem auctorum, quæ nec sacrâ Scripturâ, nec summorum pontificum decretis, nec traditione, aut Patribus fulcitur, sed quæ est purè humana, ut talem apud viros doctos non esse magni ponderis, idque vel maximè in statuendâ universalissimâ morum regulâ antiquis doctoribus non tantùm incognitâ, sed et principiis eorum contrariâ; nam viro docto opinio aliqua videtur probabilior, non à majori numero illam docentium, sed à majori rationum pondere, ita ut secundùm Navarrum apud Lacroix n. 155, opinio, quæ docetur à sex doctoribus cam ex professo tractantibus, sit censenda communior et probabilior, quàm quæ tenetur à 50 aliis, mutuam auctoritatem sequentibus. Unde sapienter dixit Card. Sfondratus in Reg. Sacerd. l. 1, p. 20; et l. 2, p. 14, n. cit. à Lacroix, n. 149 : *Sunt opiniones instar monetæ, cujus valor non ex numero, sed pondere et metallo æstimatur : sic opiniones non doctorum numerus, sed major ratio, veritas et prudentia commendat, alioquin simper vincerent fatui, quorum numerus, quàm prudentûm major est.* Quò etiam facit, quod notat Caramuel experientiam scilicet docere, illa quæ sunt communiora, minùs esse à doctoribus examinata. S. Augustinus objectus non loquitur de controversiâ celeberrimâ utrinque à doctoribus argumentis pro et contra acerrimè agitatâ, qualis est controversia de probabilitate, de quâ ita n. 93, scribit P. Lacroix quòd sit controversia hoc tempore celeberrima et summi momenti. Ideòque supponit pro utràque parte stare doctores celebres : unde de hâc potiùs dicendum, quod docet idem S. Augustinus de Doctr. christ. l. 2, c. 8, ubi loquens de auctoritate extrinsecâ, manifestè docet graviores auctores et pauciores posse æquivalere pluribus. Deinde non tantus est auctorum pro probabilitate in sensu adversariorum stantium numerus, qualem passim prætendunt ejus patroni; eliminandi enim sunt ex Probabilistarum numero, nec auctoritatem addunt, qui probabilismum malè intellexerunt, malèque applicârunt, uti ex locis Scripturæ vel dictis S. Augustini hæretici deducunt suos errores, quales ex sententiâ P. Lacroix n. 298, sunt omnes, qui ex probabilismo deduxerunt hanc propositionem damnatam : *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Nihil ergo facit virorum aliàs gravissimorum auctoritas, qui ex probabilismo hanc propositionem deduxerunt, uti teste Castrop. disp. 3, punct. 10, n. 15, Probabilistarum communis sententia. Citatque Castrop. pro eâ Sayrum, Medin., Salas, Solon. Aragon. Ledesm. man. Th. Sanch. Joan. Sanch., quibus annumerandi Caram. Escobar, Fagund. Tamb. Diana, aliique auctores 25 à Diana citati, quos, aliosque si demas, qui alias propositiones damnatas ex probabilismo malè intellecto, et malè applicato deduxerunt, videbis quàm exiguus restet manipulus illorum, qui probabilismum benè intellexerunt, qui soli proinde solidum auctoritatis pondus sententiæ benignæ possunt tribuere.

Objic. 4° : Non peccant, qui docent licitum esse sequi sententiam probabilem faventem libertati, relictâ probabiliore favente legi; ergo nec peccant, qui in praxi sequuntur sententiam minùs probabilem libertati faventem. — Resp. dist. ant. : non peccant, qui id docent ducti motivis prævalentibus pro veritate illius sententiæ, conc.; ducti motivis minùs probabilibus, aut voluntariè intellectum avertentes à consideratione motivorum magis probabilium pro veritate sententiæ contrariæ, solam sententiæ benignæ probabilitatem speculantes, nego. Uti ergo in ordine ad docendum, sola illa sententia est tuta, quæ post diligentem veritatis inquisitionem creditur esse vera, vel magis veritati propinqua, ita in ordine ad operandum, sola illa sententia stans pro libertate est tuta, quam operans post diligentem veritatis inquisitionem judicat esse veram, aut magis veritati propinquam. Utrobique enim tenet, quod dicit Arist. 1 Eth. cap. 4 : *Veritatem debemus inquirere, et sequi quantùm possumus.*

Inst. 1° : Qui docet talem praxim licere, habet hanc doctrinam tanquàm practicam, directivam, per se intentivam et causativam praxeos apud se et apud alios; ergo si doctrina excusetur, etiam excusabitur praxis. Lacroix n. 285. Resp. nego ant., vel dist. : habet hanc doctrinam tanquàm practicam, statuitque tanquàm regulam moraliter certam, quæ per modum principii reflexi moraliter certificet operationis honestatem, nego; suppositum, quod ita statuere possit (cùm ex ipsismet Probabilistarum principiis sit moraliter incerta), statuit doctrinam illam tanquàm opinionem sibi probabiliorem, conc.; ut autem excusaretur praxis, deberet doctrina illa esse moraliter certa.

Inst. 2° : Quod licet docere, licet consulere et mandare; consequenter ei, cui consulitur practicare : atqui licet docere, quòd aliquis possit celebrare contractum minùs probabiliter honestum. Ergo. Lacroix ibid. Resp. nego min. quia, ut in logisticâ probabilitatum ait Estrix, suadere, aut mandare faciendum est certo modo et

moraliter facere. Certè suadere et mandare contractum, est velle contractum. Quare, ut non pecces formaliter, suadendo, aut mandando contractum, necessarium tibi est dictamen conscientiæ, quo prudenter judices contractum esse in se honestum, quod prudenter nemo judicare potest, qui evidenter cognoscit contractum esse probabiliùs inhonestum. At verò docere, quòd ego non peccem formaliter, faciendo contractum, nullo modo est facere, aut velle contractum. Hæc doctrina tua ex se est merè speculativa, et supra praxim meam reflexa : quâ erras quidem, sed innocenter, quia putas esse veram. Neque refert, quòd hæc doctrina mihi audienti sit occasio faciendi contractum, adeòque peccandi formaliter, cùm non habeam dictamen conscientiæ, quo judicem prudenter, contractum esse honestum. Hæc praxis est mea, non tua, doctrina tua solùm mihi est causa judicii falsi, quo judico me non peccare formaliter : quod ipsum est merè speculativum de honestate formali actionis ; quod seu verum sit, seu falsum, nihil confert ad dictamen verè practicum et honestatem formalem, quam contemplatur ut constitutam vel constituendam per conformitatem cum alio judicio verè practico de honestate actionis in se, seu objectivâ, quam ex motivis evidenter validioribus prudenter judicet inesse actui. Igitur judicium tuum merè speculativum de honestate contractûs me non excusat, agentem reipsà contra verum conscientiæ dictamen, quo judico, contractum esse inhonestum. Te verò excusat conscientiæ dictamen, quo judicas honestum tibi esse docere ex officio, quod judicas esse verum. Hæc sapientissimus Estrix.

Inst. 3° : Ille prudenter operatur, qui operatur secundùm opinionem probabiliorem, sed opinio benigna, dicens licitum esse operari secundùm probabilem, est reipsà probabilior, ergo qui secundùm illam operatur, prudenter operatur. Lacroix n. 298. Resp. 1° dist. maj. : prudenter operatur, qui operatur secundùm opinionem probabiliorem directam, vi cujus operans prudenter judicare potest actionem suam esse in se honestam, conc.; qui operatur secundùm opinionem probabiliorem merè speculativam de honestate operationis, et cum quâ in operante stat evidenter major probabilitas de inhonestate operationis, nego maj. Resp. 2° minorem rejici ut falsam ab omnibus opinionis rigidæ patronis ; constatque ejus falsitas ex hucusque dictis ac dicendis. Quòd si recurras ad extrinsecam probabilitatem desumptam ab auctoritate patronorum sententiæ benignæ, resp. verbis Caramuelis, quem Fabri dial. 11, inducit ita dicentem : *Licet de ingenio multi cum aliis non contendant, de judicio tamen nemo alteri facilè cedit ; sed quisque sibi primas arrogat ; quivis igitur probabilitatem opinionum definiet, cùm et se prudentem reputet, et prudenter judicare putet. Quid si verò alii prudentes secùs judicent? Hinc, ut vides, litem et controversiam auges, dùm istam componere tibi videris.* Resp. 3° ad syllogismum (quem ex Caramuele desumptum Terillus putat esse evidentem demonstrationem), negando conseq. Sunt enim in eo quatuor termini : quia 1° opinio probabilior, quod est medium in prætensâ demonstratione, sumitur æquivocè : in majori namque sumitur pro opinione probabiliore, quæ directè versatur circa honestatem objectivam operationis : in quo sensu verum est licere sequi opinionem probabiliorem ; in minori verò sumitur pro opinione probabiliore versante circa probabilitatem seu circa hoc principium reflexum : *licet sequi opinionem probabilem relictâ probabiliore*, cum quâ potest stare major probabilitas, adeòque major apparentia falsitatis, quàm veritatis de operationis hìc et nunc ponendæ honestate.

Objic. 3ª : Si sit obligatio sequendi probabiliorem, quisque tenebitur ante operationem inquirere, quænam opinio sit probabilior, quia in debito faciendi, intrinsecè includitur debitum sciendi, et reipsà aliàs non sincerè procedet coram Deo, sed se exponet periculo violandi jus illius ; quid autem semper sit probabilius, hoc moraliter est impossibile aut invenire, aut discernere. Lacroix n. 293. Resp. 1° retorquendo, cùm juxta adversarios sit obligatio in judice et medico sequendi probabiliorem, uterque tenebitur inquirere ante operationem, judex antequàm ferat sententiam, medicus antequàm præscribat medicinam, quænam opinio sit probabilior, quod est moraliter impossibile aut invenire aut discernere, vel si sit hoc moraliter possibile in obstrusissimis juris quæstionibus, in gravissimis difficultatibus circa materiam simoniæ et usuræ. Si sit possibile medico circa morborum causas et effectus occultissima naturæ arcana, herbarum virtutes, etc., quidni moraliter id possibile erit operaturo circa materiam morum, pro quarum discretione signatum est super nos lumen vultûs Domini?

Resp. 2° : Cùm juxta probabilistas sit obligatio sequendi opinionem solidè probabilem, quisque tenebitur ante operationem inquirere, an opinio, secundùm quam vult operari, sit solidè probabilis, quod ut sciatur, sciri debet secundùm Lacroix n. 150, *quid sit stricta probabilitas ; item conferri debent motiva hujus et oppositæ opinionis, ac considerari, an motiva pro hâc pon sint fortè levia, dubia, æquivoca, sophistica, item an non pro contrariâ sint motiva certa. Hoc autem non possunt nisi viri doctissimi, in re morali versatissimi, non autem mediocriter docti.* Uti ergo soli, qui indagandæ probabilitati sunt capaces, tenentur comparare motiva pro et contra, etc., ita soli, qui indagandæ veritati, ac majori accessu ad eam sunt capaces, tenentur ad id investigandum secundùm Probabilioristas.

Quid ergo faciet vir mediocriter doctus? Resp. Lacroix n. 150 : Vir mediocriter doctus potest judicare de probabilitate extrinsecâ opinionis, si statum quæstionis rectè intelligat et assertum inveniat in auctoribus hujus ætatis omni exceptione majoribus ; si enim hi affirmant, niti gravi fundamento, credere potest, quia scit alios prudentes sic judicare. Sed duplex circa hoc occurrit dubium. 1° Si dubium sit, an auctores opinionis sint omni exceptione majores, quis desuper judicabit? Respondet Lacroix n. 152, quòd tunc non possit de probabilitate extrinsecâ opinionis judicare,

nisi doctissimus et in re morali versatissimus, quia valdè difficile est rescire, an conditiones ad doctorem omni exceptione majorem requisitæ huic vel illi conveniant: unde infero cum eod. Lacroix quàm periculosè procedant, qui quamlibet opinionem auctorum statim arripiunt, quia favet libertati, commodo vel voluptati suæ, et non examinant; imò sæpè ipsi discernere non possunt, an sit verè et practicè probabilis. 2° Occurrit dubium quid faciendum homini mediocriter docto, qui opinionem faventem libertati in auctoribus omni exceptione majoribus, scit tamen alios peritos contrarium judicare? Quod ex D. Th. resolvimus cum Adriano in 4 Sent. pro Sacram. Pœnit. de Restit. ubi : *Distinguendum*, inquit, *vel enim ex contrarietate opinionum movetur ad dubitandum, vel non? Si ita : peccat partem dubiam complectens. Si non : et dubium conscientiæ temerè deponat, interpretativè dicitur quis se exponere periculo, quoniam debet æstimare periculum vel discrimen esse in eo, quod nihilominùs agit.* Quod infra clariùs explicans subjungit : *Interpretativè exponit se periculo, quando scilicet disparitas talis ac tanta est, quandò meritò deberet aliis credere : vel propter eorum auctoritatem, ad minùs de facti honestate, et an liceat dubitare, quia non solum est mortale, agere contra conscientiam de mortali, sed etiam contra dubium conscientiæ de mortali.*

Quid demùm aget homo rudis, qui nec extrinsecam probabilitatem valet dignoscere? Resp. Lacroix, n. 156 : Homo rudis, cui vir probus, prudens et doctus dicit aliquam opinionem esse certò probabilem vel veram, potest censere esse talem, quamdiù nemo illi dicit contrarium, nec ipse oppositum agnoscit; cùm enim ipsemet examinare non possit, potest stare judicio illius, de cujus probitate, prudentiâ et scientiâ dubitare non debet : hinc S. Antoninus loc. cit. n. 188, pro regulâ dabat doctis illud Prov. 27, v. 11 : *Stude sapientiæ, fili mi.* Indoctis autem illud Deut. 32, v. 7: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi.* Hæc et nos omnibus documenta damus simplicibus et rudibus : nam sicut is (inquit Adria. loc. cit *qui de consilio medici*) *qui tamen peritus judicatur sumit vel tradit alteri poculum, quo homo extinguitur, excusatur ab homicidio : ita in proposito, si consilio eorum, qui periti habentur, et certè quorum vita talis creditur, ut fidem justitiæ debitam omni gratiæ, favori, et hominum æstimationi præferant et ipsi, simplices omni affectatione depositâ sincerè quærunt veritatem, excusantur à peccato furti, et detentionis ejus, quod est alteri debitum.* Subjungit tamen eos non excusandos, qui ad tales recurrunt, quos verisimiliter secum sentire præsumunt, et tot accersunt, quoad unum solum reperiant, qui secundùm eorum affectum consulit, et hunc solum magni pendunt; et hìc locum habet illud Apost. 2, ad Timoth. *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros,* etc. Notat denique, quòd accidere possit, consulentem, crimine furti vel alio involvi; ubi tamen is, qui ejus consilio utitur, innocens permanet, et ab omni culpâ immunis : uti in simili constat de medico ex imperitiâ vel industriâ toxica ministrante, quem simplex pro curâ accedit, quasi communi hominum reputatione peritum, et qui fideliter operas suas medendis corporibus adhibeat. Unde imponunt nobis Probabilistæ dicendo, quòd obligemus omnes homines ad conferendas singulas opiniones; generaliter tamen requirimus, ut in incertis adhibitâ diligentiâ pro capacitate cujusque, si res maneat dubia, vel contrariæ inveniantur doctorum opiniones, hinc pro lege, inde pro libertate, sectemur opinionem pro lege, nisi evidenter probabilior appareat opinio pro libertate; ne quidquam agamus, quod, adhibitâ diligentiâ æquè vel magis probabiliter appareat illicitum, quàm licitum; in quo nec est impossibilitas, nec nimia difficultas.

Pro quo dijudicando Henr. de Gandavo quodlib. 4, q. 33, benè docet tria fore attendenda, scilicet qualitatem doctorum, efficaciam motivorum, et conditiones auditorum : auditores appellat omnes, qui consilio aliorum aliquid agere volunt. De qualitate doctorum attendendum, quales in determinationibus suis inventi sunt, et an regulatè seu benè vivunt. Potest induci illud Eccles. 36 : *Anima sancti viri annuntiat aliquando vera magis, quàm septem speculatores sedentes in excelso ad speculandum.* Est ergo cæteris paribus sanctiori magis credendum. 2° : Conferenda seu comparanda sunt ad invicem motiva illorum, quorum rationes sint validiores et efficaciores, ac auctoritates magis expressæ. Tertia scilicet conditio auditorum, an sint litterati, an potentes discernere, et judicare determinationes doctorum, an simplices; et an utramque partem doctorum sibi habeant æqualiter notam; et secundùm hoc combinando prædicta variè tenentur suas conscientias informare.....; si auditor sit peritus, et sciat doctorem, qui sentiat contra partem periculosam, habere omnes conditiones bonas prædictas, rationes efficaciores et auctoritates magis expressas; iste procul dubio mortaliter peccat, exponens se illi periculo, quia quod agit, non est ex fide, seu conscientiâ, sed contra dictamen scientiæ rationis rectæ. Si verò simplex fuerit auditor, non potens hoc discutere, et credit sententiantes pro parte periculosâ magis fide dignos, iste exponens se illi periculo, non peccat; quia non reputat illud periculum, licet sit in veritate. Hæc Gandavensis. Quod ultimum verum tantùm est conformiter ad supra dicta, modò scilicet talis simplex ex contrarietate motivorum non moveatur ad dubitandum, sed uni tanquàm probabiliori parti adhæreat; nam si moveretur ad dubitandum, vel dubium conscientiæ temerè deponeret, censeretur operando se exponere periculo : quia *uti perperàm* (verba sunt Adriani loc. cit.) *temerè et contra rationis ordinem, dubitantibus iis, quos scio limpidiùs et clariùs videre, tenerem constanter et firmè personam à remotis visam esse Petrum : ita non minùs temerarium est simplicem hominem nullatenùs agitari : ubi doctiores et præclarissimos viros noverit in materiâ varios esse, dubios, perplexos, et plurimùm vacillare.*

Objic. 6° : Si sit obligatio sequendi probabiliorem, non licebit advocato defendere partem probabilem,

nec licebit mihi à papâ petere dispensationem, ubi mihi probabilius erit eum dispensare non posse, quæ tamen sunt contra sensum et praxin communem, La croix l. c. Resp. ad primum de advocato, nego ant., quia advocati defensio ad investigationem veritatis potiùs, quàm ad decisionem causæ ordinatur. Et omninò expedit, ut argumenta utrinque militantia judici proponantur, quatenùs, quid æquitati consonum sit, facilùs certiùsque statuere valeat. Quin et contingere potest, ut id, quod ab initio duntaxat videbatur probabile, postea à judice, vel ab ipso advocato probabilius, imò moraliter certum censeatur. Aliud foret dicendum, si causa esset manifestè injusta. — Resp. 1° ad 2 ex Mercero 3 p. art. 22, eum, cui probabilius est, papam non posse dispensare, ac nihilominùs petit dispensationem habere, motivum reflexum moraliter certificans de honestate suæ petitionis, scilicet quæstionem ex facto pontificis terminari etiam quantùm ad veritatem: uti si papa dispensat, opposita sententia, quæ priùs asserebat, non posse dispensare, non sit ampliùs probabilis. Quod tamen intellige cum Sylvestro, verb. *Votum*, quæst. 5 : « Si faciat Papa ut Papa, id est, ut « caput, utens adjutorio membrorum, consultando fa- « ctum, et faciendo quod in se est, ut sciat veritatem. » Igitur post factum prudentiale summi pontificis remanet decisa quæstio in favorem opinionis affirmativæ, quæ dicit pontificem posse in simili casu dispensare, ita in substantiâ Mercerus. Resp. 2° : Quòd si talis supponatur perseverare in suâ sententiâ, et in judicando, quòd dispensatio concedenda à pontifice invalida sit et illicita, verissimum est, quòd non possit petere dispensationem, quia manifestè malum est petere id quod nec validè nec licitè concedi posse putas. Sin autem, uti potest, propriam conscientiam suam deponat ex sincero amore veritatis, judicando pontifici cum consilio virorum præstantissimorum examinanti, quousque se sua extendat in dispensando potestas, meliùs perspectam fore veritatem, et licitè petit et obtinet dispensationem. In præsenti autem quæstione *non agitur* (verba sunt illustrissimi Godeau in mandato publicato in synodo celebratâ anno 1659) *an quis privato judicio diffisus, propriam deponere opinionem non possit, alteriusque se judicio subjicere, quem ex prudentiæ christianæ regulâ doctiorem se, et cœlesti lumine uberiùs illustratum sentit, quod licitum esse nemo dubitat, modò quis puram omninò intentionem habeat, unam veritatem inquirat; tunc enim fides illa ac persuasio, quâ quis alium putat scientiâ veritatis instructiorem, hoc ab animo nostro judicium elicit, ejus opinionem nostrâ probabiliorem esse; sed ibi præcisè sita quæstio est, an qui omnibus tum rationibus, tum auctoritatibus inter se libratis, in eâ opinione tanquàm probabiliore permanet, aliquid divinâ lege illicitum esse, id nihilominùs tutâ conscientiâ facere possit, quòd aliunde suppetant nonnullæ rationes vel auctoritates, quæ licitum id esse probare videantur, quamvis illas minoris esse ponderis judicet, quàm, eas, quibus illicitum probatur.* Hoc docent Probabilistæ, nos licitè id fieri non posse probavimus.

Objic. 7° : Si sit obligatio sequendi probabiliorem, sequitur, quòd, si quis contractum inierit, vel aliquid suaserit secundùm opinionem, quam tum putabat probabiliorem, auditâ novâ ratione, quæ gravior videbitur, tenebitur rescindere, aut revocare, iterùmque occurrente novâ ratione in oppositum, tenebitur redintegrare, ne alteri sit injurius, vel malè suasor. Lacroix n. 293. — Resp. 1° retorquendo, si sit obligatio sequendi solidè probabilem, sequitur, quòd si quis contractum secundùm opinionem, quam tum putabat in ordine ad praxim probabilem, adinventâ aut occurrente aliâ ratione, quâ appareat improbabilis, dubiè aut tenuiter probabilis, tenebitur rescindere aut revocare etc., si hoc, quod manifestè ex eorum argumento sequitur, solvant Probabilistæ, eâdem nos solutione ipsis satisfaciemus. Resp. 2° rarissimè similem mutationem evenire in viro, qui intellectum et voluntatem dirigit juxta prudentiæ leges, adeòque talem ac tantam adhibuit diligentiam, qualem ac quantam in suis respectivè negotiis non parvi momenti prudenter ac laudabiliter adferre solent filii hujus seculi, omnibusque utrinque ex veritatis amore discussis. Ita citra passionem et culpam contrahit, vel consulit, quod ex motivis propinquiùs ad veritatem accedentibus prudenter fieri posse judicat. Idque vel maximè, cùm non loquamur de majori probabilitate merè objectivè, seu tali respectu judicii aliorum; sed de probabilitate majori subjectivè, seu tali respectivè ad judicium contrahentis vel consulentis tale. Cæterùm si contingat occurrere magis præponderans motivum pro opinione contrariâ illi, quam ad praxim quis deduxit, aut alteri consuluit; idque si fiat vel cum vel sine culpâ, an non sapientis est mutare judicium et consilium, ne alteri continuet esse injurius, vel malè suasor? Neque ex hoc necesse est fabricare sibi infinitum, prudenter enim quisque providebit stabili conscientiæ securitati, si secundùm ratam dubii, mutuo utriusque partis contrahentis consensu decidatur, quid semel pro semper cuique debeatur. Deinde si in mutatione judicii necessariâ ob rationes præponderantes de novo supervenientes inconveniens quidpiam inveniant Probabilistæ, edicant, an inconvenienter agat medicus, qui hodiè cibum prohibet infirmo, eo quòd hodiè eum sanitati nociturum judicet, cras eum ex meliori ratione eumdem sanitati profuturum judicans, infirmo permittit, imò et præscribit, et sic deinceps.

Et cùm hic auctor meminerit de mutatione opinionis, libet exponere ejus, aliorumque circa hoc doctrinam consectariam ad principia Probabilistarum; omissis aliis quæ ex iisdem deducit Caramuel, quæque adeò devotis animabus sunt offendiculo, ut ea referre, foret refutare. Permittit Lacroix n. 371, quòd in casu quo probabile est, vectigal esse injustè impositum, et etiam probabile, quòd sit justè impositum, possit quispiam, si simul sit exactor vectigalium, et mercator, hoc vectigal ab aliis exigere veluti justè impositum, et tamen mutato judicio ipsummet non teneri solvere tanquàm injustè impositum. Permittit denique n. 375, cum Haun., ut quispiam ob testamentum minùs so-

lemne secundùm unam probabilitatem in hæreditatem ab intestato succedat, postea alio casu mutato judicio secundùm oppositam probabilitatem ex eodem testamento idem postea hæres fiat. Similesque plures casus videri possunt apud Gobat de Sacrif. à n. 206. Quæ opinionis mutatio mihi profectò non videtur posse fieri salvâ observantiâ præcepti charitatis : *Quod tibi non vis fieri;* et alteriùs, quo prohibemur scandalum dare proximo. Neque fit salvâ justitiâ, quæ profectò non permittit, ut percipere quis velit commodum ex eo contractu, ex quo percipere non vult incommodum, ubi talis est contractus, ut ex eo commodum sine incommodo non proveniat ; aut si similiter opinionem mutare aut operari rectificet probabilitas, soli hoc medio suo commodo providendi gaudebunt, quibus perspecta est Probabilistarum subtilitas, ubi tamen *nimia subtilitas in jure reprobatur.* Quod in cit. n. 293, adducit Lacroix solutum est à n. 227. Quod de pœnitente et confessario commodiùs infra specialiter examinabimus. Alia verò argumenta, præcipuè quæ à principiis reflexis desumuntur satis soluta manent ex dictis suis locis.

§ 15. *An liceat sequi sententiam probabilem non impeditam ac evidenter probabiliorem in concursu minùs probabilis, sed magis tutæ.*

## SECTIO PRIMA.

*An opinio possit esse actus prudens?*

Dico 1° : Opinio non potest esse actus virtutis prudentiæ sive actus elicitus prudentiæ. Prob. Actus virtutis prudentiæ ita fertur in proprium objectum, ut ex modo, quo in illud tendit, falli non possit; judicium enim prudentiæ est ita certum, ut excludat omnem rationabilem formidinem de opposito : atqui opinio non ita potest versari circa objectum honestum, sed si maneat intra lineam veræ ac genuinæ opinionis, necessariò annexam sibi habet formidinem moralem, ideòque juxta Philosophum non est virtus. Ergo. Neque refert, quòd interim sit vera, quia id non habet ex modo tendendi circa suum objectum, in illud enim tendit fallibiliter; ideòque à D. Th. 2-2, q. 1, art. 5, definitur quòd sit : *actus intellectûs, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Provenit autem hæc formido omni opinioni essentialis vel ex obscuritate mediorum seu motivorum, quæ non penetrantur; vel ex rationum, quibus innititur, infirmitate, quæ non possunt intellectum convincere; vel tandem ex imbecillitate ipsius intellectûs, qui cùm nequeat percipere vim demonstrationis, argumentum efficax et demonstrativum, probabiliter tantùm apprehendit : unde soli Deo proprium est probabilia non minùs certò, quàm necessariò cognoscere, et non posse probabilibus probabiliter assentiri, id est modo incerto et formidoloso creaturæ proprio, cùm hoc magnam involvat imperfectionem.

Dico 2° : Opinio est actus imperatus à prudentiâ, sive est assensus prudens, quando motiva sunt evidenter fortiora pro veritate, et minùs fortia vel nulla pro falsitate. Probatur. Ille assensus est prudens, sive fit ex imperio prudentiæ, qui proportionatur motivo : atqui opinio in casu conclusionis proportionatur motivo, quod uti tantùm est probabile et fallibile, ita ipse assensus est infirmus et incertus. Ergo.

Objic. 1° : S. August. lib. de Utilit. credendi cap. 11, scribit : « Tria sunt velut finitima sibimet, in animis « hominum distinctione dignissima : intelligere, cre- « dere, opinari, quæ si per se ipsa considerentur, « primum sine vitio est, secundum aliquando in « vitio, tertium nunquàm sine vitio. » Atqui actus, qui nunquàm est sine vitio, non potest imperari à prudentiâ, et esse assensus prudens. Ergo. — Resp. S. Patrem opinionem ibi sumere, prout sæpè sumebatur ab antiquis, scilicet *pro assensu firmo formidinis experte ex motivo fallibili :* eoque sensu axioma erat apud Philosophos commune, *sapientem nihil* opinari. Non autem prout hìc sumitur opinio ; constat id ex iis, quæ l. cit. adjungit S. P. Ubi : « opi- « nari duas ob res turpissimum est, quòd et discere « non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modò « illud disci potest, et per se ipsa temeritas non benè « affecti animi signum est. »

Objic. 2° : S. Th. q. 18, de Verit. art. 6, docet, « quòd, quandocumque intellectus movetur ab aliquo « fallibili signo, sit aliqua inordinatio in ipso, sive per- « fectè, sive imperfectè moveatur. » Ergo opinio nequit esse actus prudens, eo quòd intellectus moveatur à motivo tantùm probabili, quod est fallibile. Resp. D. Th. quidem docere l. cit. opinionem habere aliquid imperfectionis et mali adjunctum, ac ideò non habuisse locum in statu innocentiæ; illam autem inordinationem in verbis anterioribus explicat per corruptionem *boni* seu *veritatis*, quando opinio est falsa, citra tamen notam imprudentiæ.

Inst. Opinans exponit se erroris periculo, ergo imprudenter opinatur. — Resp. nego cons., quia cùm habeat justum motivum, eique cum proportione assentiatur, error ille, si accidat, non est volitus nequidem interpretativè, sed tantùm permissus. Et sanè, si ideò assensus talis foret imprudens, imprudenter principes ex justissimâ etiam causâ inirent prælium, eò quòd ordinariè non desit omne periculum infelicis exitûs. Sicuti vix unquàm aliquis prudenter corriperet proximum, etiam, quando affulget spes emendationis, cùm ordinariè id non fiat sine omni periculo, quòd fortè correptus exasperabitur, et fiet pejor. Sed de his plura sectione sequenti.

## SECTIO II. *An liceat sequi opinionem probabilem non impeditam minùs tutam.*

Dico, licitum est sequi opinionem probabilem minùs tutam, si non sit impedita, seu quieta sit nullis contrariæ sententiæ motivis vellicata, idque vel maximè, si simul adsit jus certum possessionis aut alius quivis justus titulus. Ratio est : quia ex eâ parte, quâ nihil ei apparet repugnare, censetur consona legi æternæ, et ei sufficienter conformari : non quidem ratione solius medii probabilis intellectum sufficienter non convincentis (quod semper aliquam formidinem relinquit), sed

quia prævià requisità pro rei gravitate diligentià eam unicè et prudenter intellectus judicat esse veram. Unde ut dicitur in l. primo Ethic. : *Indisciplinati est in unâquâque re certitudinem quærere ultra exigentiam materiæ : æquè enim vitiosum est persuadentem quærere mathematicum, et moralem quærere demonstrantem.* Vitiosè igitur requiritur in moralibus certitudo evidens et demonstrativa, sicut vitiosè mathematicus contentus esset certitudine morali, cui tamen prudenter rhetor et moralis acquiescit. Res exemplis fiet perspicua. 1° Prudenter quis credit se optimo jure hæreditatem possidere, de quâ nullus ei litem movit, et cui in titulos inquirenti nullum unquàm exortum est dubium, à majoribus suis injusto titulo acquisita fuisse sibi relicta bona, quanquàm fortè hoc fieri potuerit. 2° Quamvis, juxta doctrinam D. Th. in cap. 1 secundæ Epist. Petri, *homo suæ electionis* habeat tantùm *certitudinem conjecturæ*, nihilominùs si post accuratam discussionem conscientiæ ea quempiam non redarguat, potest, imò tenetur urgente præcepto communionis annuæ ad sacram Synaxim accedere. 3° Prudenter filius obtemperat patri, cui nonnisi opinione probabili, scilicet testimonio matris, constat se ab ipso genitum : et injustè se à paterno jure subduceret, ex eo quòd certam ac evidentem de hoc demonstrationem habere non posset. *Quæro*, inquit D. August., lib. de Utilit. credeu. cap. 12, *si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus filii?* 4° Ex naturali matrum in filios inclinatione sagacissimè aliàs Salomon infantem veræ matri adjudicavit : quanquàm aliquando ea sic deficiat, ut matrem commutet in novercam, ita prudenter quis assentitur attestato notarii et testium, quorum non est suspecta fides, quanquàm non sit infallibilis. Et sanè, si assensus ille esset imprudens, fides humana, ac in eâ fundata hominum societas non levis arguenda foret imprudentiæ.

Quæritur an universaliter in omni materiâ tam juris naturalis quàm positivi licitum sit sequi opinionem probabilem non impeditam ? Quæstionis hujus decisio dependet ab aliâ quæstione theologicâ, quâ quæritur an detur ignorantia juris invincibilis, ubi certum est dari ignorantiam invincibilem juris positivi humani ; adèoque operantem ex sententiâ probabili non impeditâ in tali materiâ nec peccare contra conscientiam, nec contra legem humanam ; etsi probabilitas illa à parte rei foret falsa, quia omnium judicio, probabilitas etiam falsa, fundata in ignorantiâ invincibili juris humani omninò excusat. Circa jus autem naturale 1° sustinent rigoristæ, quòd *tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali :* verùm hæc assertio est inter damnatas 70 ab Alex. VIII, ordine secunda, contrariumque ; ante condemnationem hujus propositionis manifestè docuit D. Th. 1-2, q. 76, art. 2, in opere ubi : *Si homo nesciat ea quæ scire non potest, horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, et propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, non est peccatum.* Ex quo patet, quòd nulla ignorantia invincibilis est peccatum.

Responderunt nonnulli ignorantiam invincibilem juris naturæ, quæ juxta illos mala est, et quodlibet aliud, esse voluntarium *voluntate Adami peccantis, illamque* sufficere ad culpam. In quâ responsione clarè fundatur inter damnatas ab eodem pontifice ordine prima, quæ sic sonat : *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demerendum sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ, peccato originali et voluntate Adami peccantis.* Facillimèque refellitur hæc responsio ex eodem D. Th. in 2, dist. 30, q. 1, a. 2, ubi ait : *Ad culpam personæ* ( qualis foret ignorantia illa invincibilis, etc. ) *requiritur voluntas personæ, ad culpam verò naturæ* ( id est, ad originale peccatum ) *non requiritur, nisi voluntas in naturâ illâ.* Deinde responsio illa manifestam patitur instantiam in motibus primoprimis, qui dimanant ex peccato originali, et tamen non sunt peccata, ut patet tum ex hâc Baianâ damnatâ : *prava desideria... quæ homo invitus patitur, sunt prohibitæ præcepto, non concupisces.* Tum ex Trid. sess. 5, n. 5 : *Concupiscentia nocere non potest non consentientibus.* 2° Docent alii non dari ignorantiam invincibilem tam juris divini promulgati et obligantis, quàm juris naturalis, consequenter operantem ex opinione probabili non impeditâ in talibus materiis, si probabilitas illa falsa sit, peccare, si non *contra conscientiam*, saltem *contra Dei legem.* Non tamen existimes illius sententiæ patronos in damnatas ab Alex. VIII propositiones incidere : aliud quippe est, non posse dari præfatam ignorantiam invincibilem ; aliud dicere, non fore eum à peccato excusandum, qui *operaretur* ex tali ignorantiâ invincibili, *tametsi illa daretur*, quod quidem illius sententiæ defensores orthodoxi nunquàm asseruerunt.

Tertia demùm sententia inter theologos communior sustinet posse dari ignorantiam juris positivi divini : præcepta verò juris naturalis dividit in tres classes cum S. Th. 1-2, q. 100, art. 11, his verbis . *Horum præceptorum est triplex gradus : nam quædam sunt communissima, et adeò manifesta, quòd eruditione non indigent, sicut mandata de dilectione Dei et proximi, quæ sunt quasi fines præceptorum. Quædam verò sunt magis determinata.... et hæc sunt præcepta Decalogi : quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus, et ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo.* Quâ divisione positâ, docent, quòd licet præcepta legis naturæ primæ et secundæ classis non possint per se invincibiliter ignorari, secùs tamen de iis quæ sunt tertiæ classis, seu de remotioribus juris naturæ præceptis, quæ, ut loquitur S. D. q. cit. art. 1 : *Subtiliori consideratione à sapientibus judicantur esse observanda, et ita sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ, quâ minores instruantur à sapientibus.* Hæc sententia semper mihi visa est probabilior, quam vel ipsimet contrariæ sententiæ patroni, licet *speculativè* oppositi in difficiliorum tamen celebratione contractuum *in praxi* admittant, velint, nolint, necesse est. Unde secundùm eam ad quæstionem propositam.

Resp. : Qui post adhibitam diligentiam, qualem exigit

rei qualitas, ut assequatur veritatem, sequitur opinionem probabilem non impeditam seu pacificam in materiâ sive juris positivi humani, sive divini aut naturalis, nec peccat contra conscientiam, nec contra Dei legem, quanquàm probabilitas illa reipsà falsa foret. Prob. ex D. Th. quodlib. 18, art. 13, in argum. Sed contra ubi sic ait : *Si aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures præbendas sit licitum, nec invenit aliquid, quod ipsum moveat ad hoc, quod sit illicitum, videtur quòd sine peccato plures possit habere præbendas.* Atqui fieri potest, quòd sit contra legem divinam habere plures præbendas, quas nihilominùs juxta S. Th. habere potest *sine peccato*, adeòque illas habens non peccat nec contra conscientiam, nec contra Dei legem ; ergo si in hâc controversiâ inter theologos et jurisperitos agitatâ, uti art. cit. inquit D. Th., non peccat habens plures præbendas, à fortiori non peccabit, qui sequitur opinionem pacificam, ut vocant, quæ non oppugnatur à motivo contrario. Huc faciunt ea quæ, n. 163, ex Philosopho allegata sunt, et quæ habet doctor Angelicus 2-2, q. 60, art. 3, ad 1, ubi generatim ait : *In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrativis, sed secundùm quod convenit tali materiæ.*

Objic. 1° : *In dubiis tutior pars est eligenda,* ut habet regula juris : atqui opinio probabilis etiam non impedita est dubia, et eo ipso potest esse falsa. Ergo. — Resp. regulam allegatam tantùm habere locum in iis, in quibus intellectus fluctuat inter utramque contradictionis partem, propriè enim tunc intervenit dubium : non autem quando mens potest formare, aut format determinatum prudentem assensum proportionatum scilicet motivo. Quod tantùm fit, quando non est motivum grave in oppositum. Id planè videtur significare Clemens V in conc. Vien. his verbis : *Nos igitur, qui in sinceris horum conscientiis delectamur* (loquitur de Fratribus ordinis Minorum quærentibus à S. Sede solutionem aliquorum dubiorum spectantium ad observantiam suæ regulæ) *attendentes, quòd in iis, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda,* etc., manifestè significans, quòd tunc est pars tutior tenenda, quando aliàs *gravis remorsus conscientiæ* fieret in oppositum, aut *mens* (ut loquitur S. Th.) *in dubitationem quamdam induceretur*, dubitationem, inquam, seu dubium propriè dictum ; de quo Sylvester, *dubium*, inquit, *secundùm Philosophum et D. Thomam est contrariarum rationum æqualitas : unde propriè homo dubitat de aliquo, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes ; ita, quod non inclinatur magis ad hoc, quàm ad aliud notabiliter.* Loquitur ergo pontifex in casu, quo quispiam sequeretur minùs probabilem, aut æquè probabilem relictâ probabiliori tutiori : cùm enim ex parte æquè probabilis vel probabilioris sit motivum grave, non potest id prudenter dissimulari, nec potest non infigere gravem remorsum sinceræ conscientiæ : ac proinde ex mente pontificis tunc securior pars est tenenda : dùm verò mens assentitur probabili non impeditæ, non est remorsus vel murmur conscientiæ, aut si quod suboriatur, potest reflexè sedari secundùm dicenda sect. sequenti, adeòque ad illud vitandum non tenemur sequi partem tutiorem.

Objic. 2° : S. August. lib. 1 cont. Donat. cap. 3, sic ait : *Hic ergo securus accipiat, ubi et esse et rectè accipi certum est ; illic autem non accipiat, quod esse quidem ibi dicunt ; sed ibi accipiendum esse non dicunt*, scilicet catholici, *quorum sententiam decrevit eligere, quanquàm etiamsi dubium habet, non illic rectè accipi, quod in catholicâ rectè accipi certum haberet, graviter peccarét in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponeret.* Ergo ex mente S. Augustini non licet sequi probabilem non impeditam, vel probabiliorem faventem libertati, relictâ tutiore, quia hoc esset incertum præponere certo.—Resp. S. August. ibidem docere tria esse certa, scilicet 1° *Baptismum verum* esse apud Catholicos. 2° *Ibi rectè accipii.* 3° *Baptismum esse validum* apud Donatistas ; incertum verò erat, imò improbabile licitè posse recipi ab illis exclusâ necessitate. Tria quæ sunt certa, nihil officiunt doctrinæ traditæ, uti nec illud, quod est incertum, siquidem omnes admittunt, peccare illum, qui dubius, an baptismus ab hæreticis licitè recipiatur extra necessitatis casum eum ab illis recipit *eo solo, quòd certis dubia et incerta præponat*, cùm posset recipere à Catholicis, à quibus certum est rectè recipi.

Inst. 1° : S. August. eod. lib. cap. 5, subjungit : *Accipere itaque in parte donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum.* Ex quibus verbis formatur argumentum : *tutiorem* sequi certum est non esse peccatum, sequi autem minùs tutam incertum est esse peccatum : ergo quis dubitet *certum esse peccatum non potiùs id sequi, quod certum est non esse peccatum?* — Resp. eum qui sequitur opinionem probabilem non impeditam etiam minùs tutam moraliter certò non malè agere morali certitudine saltem reflexâ ; de quo sect. 3, tutèque agere, licet tutiorem non sequatur · obligamur sequi id quod favet legi, si magis ad veritatem saltem existimatione nostrâ videatur accedere, sed non semper, quod tutius est, tutum enim suam habet *latitudinem*, veritas autem consistit in *indivisibili.*

Inst. 2° : Idem S. P. hom. 41, inter 50, inculcat : *Tene certum, dimitte incertum*, ergo.— Resp. cum S. Anton. 1 p. Summæ tit. 3, cap. 10, p. 10, S. Augustinum ibi loqui de eo qui differt agere pœnitentiam usque ad finem vitæ, sperans tunc Deum ipsi largiturum pœnitentiam et remissionem peccatorum. « Duæ « res sunt, inquit, aut ignoscetur tibi, aut non ignoscetur ; quid horum tibi futurum sit, nescio : ergo « tene certum, et dimitte incertum. » Loquitur itaque August. non de dubio juris et opinionis, sed de dubio eventûs futuri dependentis à solâ divinâ misericordiâ, quam temerè exspectat, qui pœnitentiam usque ad vitæ finem procrastinat.

Objic. 3° : S. Th. quodlib. 8, art. 13, axiomatis loco statuit : « Illud quod agitur contra legem semper

« est malum, licet sit juxta conscientiam. » Ergo qui sequitur opinionem probabilem faventem libertati, licet non peccet contra conscientiam, peccat tamen contra legem, si contingat probabilitatem illam esse falsam.—Resp. cum S. Antonino loc. cit. et cum Adr. in 4 de Restit. p. *quia jam dictum est.* Primus quidem verba D. Th. sibi objiciens respondet : « Verba D. Th. « non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè « patet ex Scripturâ, vel Ecclesiæ determinatione, « quòd sit contra legem Dei, et non de illis intelligi, « ubi non apparet; aliàs sibi contradiceret in eodem « libro, quod non est credendum. » Itaque juxta S. Antoninum solum D. Th. intelligi debet de ignorante culpabiliter jus illud naturale, quod est absolutè certum in Ecclesiâ, quia vel constat ex Scripturâ vel ex declaratione Ecclesiæ, vel ex traditione. Unde quòd jus istud in se certum, sit incertum alicui, vel aliquibus fidelium provenire ex eorum culpâ : si enim facerent, quod in se est, ad jus seu legem illam quærendam possent certò ac indubitanter scire legem illam reipsà existere. Eodem modo respondet Adrianus loc. cit. his verbis : « Quod autem dicit D. Th., *si agit* « *contra opinionem veram, sequendo aliam falsam,* « *peccat, quia facit contra legem Dei,* limitari debet « ad eum casum, ubi, et quando tenetur hoc scire, « nam si fuerit vel facti aut juris ignorantia, quod « non obligatur scire, quamvis factum in se sit con- « tra legem, excusatur nihilominùs per ignorantiam « ab omni culpâ. Neque obstat, si factum in se fuerit « contra legem; si modus faciendi, puta sub tali ig- « norantiâ et fuerit concessus vel permissus à lege. » Hæc Adrianus. Quæ expositio confirmari potest ex iis, quæ habet S. Th. quodlib. 3, art. 10, ubi quærit : *An discipuli sequentes diversas opiniones magistrorum excusentur à peccato erroris.* Et respondet, quòd in rebus ad fidem et mores pertinentibus non excusentur, si sequantur opinionem erroneam ; *alioquin*, inquit, *immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, et aliorum hæresiarcharum*, etc., unde concludit : *qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Quæ clausula satis manifestat mentem S. Thomæ esse, discipulos in aliis omnibus excusari posse à peccato erroris, nisi in rebus, quæ sunt contra communem Ecclesiæ auctoritatem, vel clarum Scripturæ testimonium, quæ scire tenentur.

Confirmari hæc etiam possunt ex principiis, quæ sæpè repetit doctor Angelicus : illam scilicet solùm ignorantiam esse culpabilem, quæ est ignorantiâ eorum, quæ quis scire tenetur : si igitur omnis juris naturæ ignorantia etiam quoad conclusiones nonnisi difficiliori discursu ex eâ deducibiles foret culpabilis, seu operantem ex eâ non excusaret à peccato, omnis homo teneretur scire totum jus naturale etiam quoad conclusiones remotas. Rectè enim dicit Suar. de Cens. dist. 4, sect. 8, n. 15, in debito faciendi intrinsecè includitur debitum sciendi ; siquidem nequit esse peccatum agere per ignorantiam contra hujusmodi conclusiones remotas, nisi illa ignorantia sit culpabilis, nec potest esse illa ignorantia culpabilis, nisi omnis homo teneatur scire totum jus naturale attinens ad unumquemque, etiam quoad conclusiones remotas, est autem res ardua contendere velle, quòd omnis homo teneatur scire totum jus naturale quoad conclusiones etiam remotas, in quibus vel ipsa Ecclesiæ lumina et sapientiæ sacraria opponuntur et discrepant ; uti in casu famoso de judice, ubi Angelicus ( D. Bonaventurâ negante ) hanc docuit sententiam : Judex potest condemnare innocentem probatum nocentem, quamvis privatà scientiâ illum innocentem esse sciat. Falleris hìc agi de ignorantiâ facti tantùm, unde dùm quis nescit licere judici condemnare innocentem probatum nocentem, ignorantia est juris ; dùm verò quis nescit hunc esse innocentem probatum nocentem, aut hunc innocentem probatum nocentem esse condemnatum, ignorantia est facti : sicut ignorantia juris est nescire, non licere accedere ad non suam ; sed facti ignorantia hanc esse non suam. Erravit igitur circa jus naturale alteruter ex iis, in quibus et rationis acies subtilissima, et gratiæ imploratio fuit efficacissima : adeò ut et hìc perdat suas vires responsio trita : *Potest ignorantia juris naturæ vinci ex gratiâ.* Quo argumento de facilè quis contendere posset à pari pro impossibilitate ignorantiæ invincibilis facti, quæ et vinci posset ex gratiâ : et esto vis quædam insit cognoscitiva, ac lumen homini lapso, quò discursivè procedendo deveniri tandem possibile est metaphysicè loquendo, ad cognitionem quamlibet pertinentem ad jus naturæ ; verumtamen non còusque extenditur homini vulnerato relictus attenuati luminis radius, ut veritates omnes etiam obscurissimas possit irradiare, et sistere intellectui cognoscenti etiam cum ordinario Dei auxilio. Neque tamen hìc Deus deficit in sufficientibus auxiliis ad salutem, etsi hanc ignorantiam homo non queat vincere, quia, ut dictum, hâc stante non peccat nisi materialiter ; et aliunde Deus gratiam vincendi hanc ignorantiam non tenetur dare etiam diligenter inquirenti veritatem ad operandum, uti nec diligenter investiganti veritatem ad docendum alios : idque ideò, quia illa ignorantia est conditio et defectus vulneratæ et corruptæ naturæ, qui quidem à peccato, et ex peccato est, sed peccatum non est : uti concupiscentia, et motus primò primi concupiscentiæ vinci non possunt, nec tamen peccata sunt, licet ex peccato sint, et in illud inclinent.

### Sectio III. *An sit licitum sequi opinionem evidenter probabiliorem faventem libertati, relictâ minùs probabili stante pro lege?*

Nota discrimen esse inter opinionem probabilem et probabiliorem, et conscientiam probabilem : illa enim in syllogismo practico versatur circa antecedens ; estque humanarum actionum regula solùm remota : hæc verò scilicet conscientia probabilis versatur circa consequens ex principiis probabilibus judicans de agen-

dis, ferturque in unam contradictionis partem cum formidine alterius. Uti ex his præmissis : *Probabile est licere sequi sententiam probabilem, aut probabiliorem : sed hæc est talis ;* concludit conscientia : ergo probabile est mihi licere illam sequi, cùmque illud quod est probabiliter, aut etiam probabiliùs licitum, sit fortè licitum, fortè illicitum ; relinquitur locus formidini morali de opposito, seu peccato. Ex quo etiam fit, quòd, cùm conscientia sit vera ac immediata actionum nostrarum regula, quæ ut sit talis, debet esse infallibilis, seu certa saltem moraliter, secundùm dicta n. 231, fit, inquam, quòd nemo conscientiam probabilem, seu dictamen consequentis deductum ex præmissis probabilibus assumere licitè queat tanquàm regulam proximam suæ actionis : uti ex eodem fundamento nequit etiam assumere opinionem probabilem, aut manifestè probabiliorem pro ultimo dictamine dirigente. Sit casus, quo alicui evidenter probabilius est, contractum, quem celebrare intendit, non esse usurarium, hic, ut inculpatè eum celebret, non debet immediatè inniti huic principio : *Probabilius est mihi contractum non esse usurarium*, aliàs solùm probabilius, et non certum esset, eum non peccare, sed hoc præsupposito inde deduci debet aliud principium practicè certum, cui innitatur tanquàm regulæ immediatæ, quod, an, et qualiter possit, hic est in quæstione. Ex quibus etiam vides, majorem probabilitatem alicujus opinionis non conducere ad vitandum securiùs peccatum, nisi in quantum conducit, ut inde formetur aliud principium immediatius magis certum, à quo proximè dirigitur operans.

Nota 2° majorem probabilitatem non posse deservire ad fundandum principium certum, quo dirigitur operans : 1° Dùm quæstio est de aliquo, quod ad actûs valorem necessariò requiritur ; aut necessarium est ad salutem necessitate medii, quia major probabilitas aut in eâ fundata ignorantia in iis supplere nequit defectum, si qui subsit, ex quo inferiùs in alphabeto casuum plures casus decidam. 2° Ex simili ferè fundamento non sufficit, quando ex opinionis magis probabilis usu, seu applicatione alicui privato, seu reip. imminet seu timetur grave damnum, in cujus comparatione meritò contemni debet incommodum, quod ex non usu opinionis magis probabilis timetur : ac proinde si quis videat post sepem quid se movens, quod probabiliùs tantùm putat esse feram, et non hominem, in illud bombardam explodere non potest. 3° Ex eodem planè fundamento hujus articuli § 4, n. 119, et § 10, sect. 3, n. 186 ; ex doctrinâ S. Th. dixi hanc regulam juris : *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius*, tantùm habere locum, dùm agitur de rebus, secùs autem, dùm agitur de personis. Disparitatem inter hæc ibidem dedi. 4° Insufficiens est major probabilitas favens libertati contra legem, dùm nulla adest rationabilis causa operandi. Ratio est, quia licet hominem obligare sub peccato formali ad semper et ubique vitandum omne cujuscumque peccati mortalis materialis periculum, sit ipsi imponere jugum humanitùs non portabile, adeòque divinæ bonitati non conveniens : tamen temerè, id est, absque rationabili causâ, nemo se illi periculo potest exponere. Cujus ratio ulterior esse potest, quòd omnis lex divina tendat in bonum spirituale hominum ; lex naturalis vel prohibeat ea quæ sunt intrinsecè mala, seu rationi dissona, vel præcipiat quæ sunt eidem consentanea ; lex verò humana à lege æternâ per naturalem derivet, seu *vim obligandi* (ut loquitur S. Th.) ab eâ depromat, ponatque rem præceptam in genere virtutis, et obedientiæ, consequenter omnis legis transgressio etiam materialis privet actu virtutis : uti ergo quidam Probabilistæ cum Richardo Arsdekin in suâ theologiâ tripartitâ tom. 2, p. 2, tract. 1, cap. 2, § 4, usum licitum opinionis minùs probabilis restringunt, ut scilicet reflexio ad probabilitatem, possessionem libertatis, præsertim in materiâ juris naturalis, etiam seclusis injuriâ proximi, lege, aut conventione, locum non obtineat, nisi quando ex illius non usu oritur, aut ne oriatur, prudenter timetur, damnum aliquod, aut incommodum ; ita ego censeo usum opinionis magis probabilis contra legem militantis, reflexionemque supra majorem probabilitatem locum non obtinere, nisi quando ex illius non usu oritur, aut ne oriatur, prudenter timetur, damnum aliquod, aut incommodum, cujus qualitas determinanda venit prudentum judicio, utrinque scilicet rectè expensis circumstantiis ; maximè hinc incommodo, quod ex non usu illius ; illinc peccati deordinatione, quæ ex usu illius timetur. Intentum hujus doctrinæ exemplo fiet manifestum. Sit casus quo vir mediocriter doctus examinans an contractus A sit usurarius, nequit penetrare rationem aut vim, quæ utrinque pro justitiâ aut injustitiâ contractûs militant : recurrit propterea ad doctores, invenitque quatuor doctores pietate ac doctrinâ conspicuos, qui stant pro justitiâ contractûs ; aliàs autem duos non minori sanctitate ac eruditione, ac proinde auctoritate arbitrio suo pollentes pro ejus injustitiâ, hoc in casu dico contractum A non posse licitè in praxin deduci, si ad manum sit contractus B certò non usurarius, qui contracturo moraliter æquè commodus est, ac utilis : idque, ne contractum A celebrans absque justâ causâ operetur cum formidine omni opinioni ac probabilitati quamtumvis majori (quæ intra probabilitatis limites manent) annexam ; neque enim video quomodò erga legem, ejusque legislatorem benè possit esse affectus, qui ex nullâ, aut tantillâ causâ, merè prætendens, ut aiunt, uti jure suo, aut exercitio libertatis, sciens, et volens operatur cum formidine, ne violet legem, et legislatorem contemnat. 5° : Denique major probabilitas opinionis minùs tutæ deservire nequit ad fundandum principium moraliter certum dirigens operantem, nisi prævièdebita, et materiæ proportionata, quantùm petunt circumstantiæ, in indagandâ veritate, et actionis honestate objectivâ fuerit adhibita diligentia : censetur autem aliquis istam diligentiam adhibuisse, quando talem attulit, ac tantam, qualem et quantam in suis respectivè negotiis non parvi momenti prudenter ac laudabiliter adhibere solent filii hujus seculi : unde

generaliter ac in individuo statui non potest pro omnibus casibus, qualis ac quanta diligentia sit hìc et nunc materiæ tractandæ proportionata, et sic justa ac sufficiens, sed hoc pro certis casibus relinqui debet arbitrio prudentum, qui materiâ, lege, personâ, ejusque officio, seu conditione, et aliis circumstantiis probè consideratis hoc ipsum specificè determinent. De quo vide dicta § 14, n. 250 et seq. Sub his igitur limitationibus :

Dico : Licitum est sequi opinionem evidenter probabiliorem stantem pro libertate, relictâ minùs probabili stante pro lege. Probatur. Quicumque operatur secundùm judicium formaliter prudens, licitè operatur ; atqui qui operatur secundùm opinionem, cujus fundamenta post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem et culpam censet manifestè urgentiora fundamentis sententiæ contrariæ, operatur secundùm judicium formaliter prudens, ergo licitè operatur. Maj. est certa, judicium enim formaliter prudens debet esse verum et infallibile, aliter non esset prudens ; nec prudentia esset virtus. Si aliquando falli posset, quia, ut inquit D. Th., 1-2, q. 57, a. 2 ad 3 : *Habitus virtutis determinatè se habet ad bonum : nullo autem modo ad malum. Bonum autem intellectûs est verum : malum autem ejus est falsum. Unde soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, et nunquàm falsum, opinio verò et suspicio possunt esse veri et falsi, et ideò non sunt intellectuales virtutes, ut dicitur in* 6 *Eth. c.* 3. Licet igitur opinio, quæ potest esse actus imperatus prudentiæ, uti dixi sect. 1 hujus §, versaturque circa objectum materiale prudentiæ, v. g., an hic actus sit hâc vel illâ lege prohibitus, possit esse *veri et falsi*. Actus tamen elicitus à prudentiâ, qui versatur circa objectum formale prudentiæ, seu de actu in individuo pensatis omnibus principiis tam directis, quàm reflexis, est certus, ac infallibilis. Probatur igitur min. 1° Ille operatur secundùm judicium formaliter prudens, qui operatur secundùm regulam ex utroque jure, doctorum consensu, et judicum ac tribunalium praxi, lumine naturali universalem ac perspicuam, adeò ut pro principio in juris prudentiâ ac theologiâ morali haberi debeat, atqui operans secundùm limitationes n. 273, adductas ex sententiâ evidenter probabiliori, operatur seu dirigitur secundùm talem regulam, ergo. Prob. min. Talis est expressa regula 45, juris in 6 : *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Id est, quod est probabilius, quod principium tam in jure civili diversis in locis, quàm in jure canonico cap. *Capellanus de Feriis*, et Clem. unicâ § fin. de summâ Trinit. et fide Cath., ubi Clemens V in concil. Vienn. inter duas sententias tunc temporis pro et contra à theologis propugnatas : *Nos*, inquit, *opinionem secundam tanquàm probabiliorem, et dictis sanctorum ac doctorum modernorum Theologiæ magis consonam ac concordem sacro approbante concilio duximus eligendam.* Unde videmus summos pontifices in regimine Ecclesiæ, puta in dispensationibus concedendis, cùm veritas ipsis perspecta non est, se huic regulæ conformare, et similiter reges in administrandis regni negotiis, et judices tam ecclesiasticos quàm civiles in dirimendis litium nodis juxta præfatam regulam in opinionum conflictu præferre id, quod est verisimilius. Videmus mercatores timoratæ conscientiæ, qui volunt celebrare contractum, ex quo ingens lucrum sperant, ex sincero desiderio non offendendi Deum, doctores consulere, dùm de justitiâ contractûs dubitant ; quòd si invenerint majoris notæ doctores, eorumque fundamenta pro justitiâ contractûs urgentiora judicent, absque scrupulo contractum inire, non obstante, quòd alii vel numero, vel auctoritate impares contrarium judicent, neque in hoc ab ullo confessariorum reprehendi. Et sanè ad quid deserviret consultatio de re controversâ, si tutius semper ex præcepto eligendum foret? Nam qui viros doctos consulit, an sit licitus aliquis contractus, jam supponit tutius esse abstinere ab illo contractu ; ergo si semper tenemur sequi partem tutiorem, quando pars benigna non est certa, nemo poterit consulere viros doctos in re quam scit controversam, quia hoc ipso novit partem benignam non esse certam, ac proinde non esse sibi licitam, neque prudenter sperare potest, quòd doctores, quos consulit, possint illam reddere certam, præsertim ubi scit alios viros doctos ex motivis apud ipsos præponderantibus sustinere contractum esse illicitum. Videmus denique theologiam moralem, ferè totam (exceptis iis, de quibus tam clarè constat quòd licita sint vel illicita, ut de illis nemo prudens dubitare valeat) quotidiè in academiis et exercitiis scholarum publicis ab eruditis plausibiliter disputari, ac sententias minùs tutas à doctoribus piis ac eruditis sustineri ut veras ; ad quid autem deserviret tantum virorum eximiorum studium, si non liceret sequi opinionem minùs tutam manentem intra limites probabilitatis, etiamsi illa esset evidenter probabilior, sed ulterius requireretur, ut sententia minùs tuta esset evidenter vera? licet enim adhibitâ etiam secundùm exigentiam materiæ diligentiâ obtinere queant, ut sua sententia appareat oppositâ probabilior, seu veritati vicinior, rarò tamen assequentur, ut appareat evidenter vera. Frustra igitur desudant in discutiendis sententiis, quæ ad certitudinem formandam in ordine ad praxim necessariam deserviant, nisi motiva afferant, quæ omnem doctorum contra sentientium intellectum convincant, siquidem, dùm hoc non assequuntur, non consequuntur finem, quem intendunt, nempe persuadere, quòd contractus, de quo controvertitur, ab injustitiæ, usuræ, vel simoniæ labe sit immunis : et quamvis motiva, quæ pro suâ opinione afferunt, appareant ipsis convincentia, rarò equidem viri prudentes sibi persuadebunt, quòd in contradicentium doctorum mente eumdem statum, vim et efficaciam movendi habeant. Temerarius enim foret doctor, qui censeret motiva pro suâ opinione æquale habere pondus rationis, et auctoritatis apud se, et apud contrariæ sententiæ doctores. Unde nemo, quantæcumque sit eruditionis professor sententiam minùs tutam propugnare poterit, nisi nitatur motivis, quæ omnibus passim videantur convin-

centia, ac sententiam oppositam improbabilem reddant. Ex quibus postremò vides rigidiorem aliquorum sententiam, quæ ad fundandam certitudinem in ordine ad praxim requirit in opinione minùs tutâ evidentem veritatis notitiam, damnare tribunalium et timoratorum praxim, inania reddere doctorum peritorumque consilia et studia, ac demùm imponere jugum hominibus, communi ipsorum infirmitati minimè conveniens, et humanitùs non portabile.

Ut autem clarè pateat eum, qui ex opinione subjectivè probabili (qualis in conflictu opinionum solùm est illa quæ est evidenter probabilior) operatur, dirigi à regulâ moraliter certâ, notandum similem operantem duas quasi habere conscientias, unam, quæ deducitur ex principiis directis, estque solùm probabilis, ideòque insufficiens ut dirigat immediatè et proximè actionis honestatem; alteram, quæ deducitur ex principiis reflexis moraliter saltem certis, estque proxima operationis regula; sic qui ex probabilitate non impeditâ seu pacificâ honorat parentes, ex principiis directis ita concludit : « Honorare debeo parentem meum; hic est meus parens, ergo hunc honorare debeo. » Ubi vides conclusionem deduci ex minori solùm probabili, cùm ex solo matris testimonio ei comperta sint legitima natalia, adeòque et ipsa conclusio, utpote sequens partem debiliorem, solùm est probabilis, et insufficiens ad regulandam proximè actûs honestatem. Nihilominùs ex principiis reflexis ita infallibiliter concludit : honorare debeo eum, quem judicare debeo esse parentem meum, sive sit parens meus, sive non; sed hunc hominem judicare debeo esse parentem meum, cùm de eo mihi non liceat dubitare, ergo hunc hominem honorare debeo. Prima conscientia quamvis foret physicè falsa, remotè tamen dirigit, in quantum scilicet dat occasionem posteriori conscientiæ, quæ formatur prudentissimè, estque prima conscientia hoc sensu prudens, quòd proportionetur motivo secundùm dicta hoc §, sect. primâ. Similiter judex ex allegatis et probatis condemnans innocentem, ex principiis directis ita concludit : condemnare debeo reum, hic est reus, ergo hunc condemnare debeo. Ex principiis verò reflexis ita : Condemnare debeo eum, quem ex allegatis ac probatis evidenter constat esse reum, sive aliàs in se sit innocens, sive nocens; hunc ex allegatis ac probatis evidenter constat esse reum, ergo hunc condemnare debeo. Ubi vides diversum esse objectum conscientiæ directæ et reflexæ. Prima enim versatur circa objectum materiale prudentiæ; secunda verò proximè dirigens judicem circa objectum ejus formale, hunc scilicet hominem spectatâ convictione ejus legitimâ per sufficientes testes esse reum formaliter, seu juridicè, adeòque sit obligatio eum condemnandi, quidquid sit de hoc, an reipsà, seu de materiali sit nocens, vel innocens.

Ut autem hanc doctrinam præsenti materiæ applicemus : qui operatur, v. g., contractum exercet ex opinione, quam evidenter probabiliorem agnoscit, ex principiis directis ita probabiliter, ac fallibiliter discurrit : *Licitus est mihi contractus, qui nullâ lege sive naturali, sive positivâ prohibetur; atqui hic contractus nullâ lege sive naturali, sive positivâ prohibetur; ergo est mihi licitus.* Ex principiis verò reflexis ita infallibiliter : Licitus est mihi contractus, quem post diligentem veritatis inquisitionem citra culpam et passionem ex motivis evidenter probabilioribus prudenter judico nullâ lege prohibitum, sive reipsà prohibitus sit, sive non, hunc contractum taliter nullâ lege prohiberi judico; ergo mihi est licitus. Ubi vides regulam proximè dirigentem deduci ex duabus præmissis saltem moraliter certis; de minori enim operans experimentalem potest habere certitudinem. Major etiam, præterquàm, quòd certa esse videatur ex iis, quæ pro probatione conclusionis attuli, et ex inconvenientiis ex sententiâ rigidiori consectariis probatur : 1° ex S. Aug. l. 1 contra Academ. cap. 3, ubi : *Quisquis, minùs instanter quàm oportet, veritatem quærit* (qualiter quærit is, qui ex inclinatione voluntatis amore commodi proprii, incommodi vitandi, etc., judicat partem, cui afficitur voluntas, potius esse veram quàm oppositam, quam antecedenter ad istum affectum judicabat æquè verisimilem, aut etiam verisimiliorem, seu evidenter probabiliorem), *is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem, tantùm quantùm potest ac debet, dat operam inveniendæ veritati* (qualiter operam dat, qui solo animo non displicendi Deo veritatem investigat, proportionatamque rei de quâ agitur, diligentiam adhibet, eâque adhibitâ opinioni evidenter probabiliori, quamvis minùs tutæ assentitur), *is, etiamsi non inveniat, beatus est* (id est, bonæ mentis officium implet, nec jure reprehendi potest); *totum enim facit, quod ut faciat, ita natum est.* Probatur 2° ex S. Th. quodlib. 8, a. 13, sæpiùs cit., ubi tradit, quòd in quæstione controversâ inter theologos et jurisperitos, *an liceat habere plures præbendas*, quispiam possit habere certitudinem de parte affirmativâ, quam tenebant jurisperiti, adeòque ipsam probabiliorem, judicare, sic ut ex alterâ parte sibi non restet dubium *morale*, dicitque talem non peccare, quamvis à parte rei illa sententia foret falsa. Ergo certus est juxta S. D. qui sequitur opinionem evidenter probabiliorem, etsi minùs tutam, qualis est illa de retinendis pluribus præbendis. Probatur 3° ex auctoritate, et consensu unanimi doctorum totius antiquitatis theologorumque recentiorum ferè omnium.

Objic. : 1° Conscientiam suam formans juxta dictum modum, et ex eâ operans, non est certus actum suum esse conformem legi : ergo. Prob. ant. Ita operans retinet aliquam formidinem, ne actus suus sit conformis legi, ergo non est certus esse conformem legi. Resp. : Dist. ant. : Non est certus certitudine metaphysicâ actum suum esse conformem legi, conc.; certitudine morali, nego. Neque major certitudo de non existentiâ legis requiritur, ad hoc, ut actus ponatur licitè. Quia, ut inquit doctor Angel. 2 - 2, q. 75, a. 2, o, *secundùm Philosophum 1 Ethicorum certitudo non est similiter quærenda in omni materiâ : in actibus enim humanis..... non potest haberi certitudo demonstrativa, eò quòd sunt circa contingentia, et variabilia : et ideò sufficit probabilis.* (subintellige circa conscientiam deductam ex princi

piis directis) *certitudo, quæ ut in pluribus attingat, et sic in paucioribus à veritate deficiat.* Et secundùm S. Antoninum 1 p. tit. 3, cap. 10, § 10 : Quispiam *bonam sibi conscientiam* formare potest *de eo quod credit, tanquàm de probabiliori parte.* Ad prob. dist. ant.: In sic operante remanet formido, cum quâ in praxi manet morale dubium, nego; remanet formido, quæ per reflexionem ad majorem evidenter probabilitatem partis minùs tutæ in praxi prudenter contemnitur, conc.

Declaratur hæc solutio, et confirmantur hucusque dicta. Dùm operans ex opinione minùs tutâ, sed magis probabili ita concludit : *Prudenter agit, qui sequitur opinionem quam post diligentem inquisitionem veritatis credit absolutè probabilem, aut in conflictu opinionum evidenter probabiliorem, ideòque eam judicat esse veram : atqui ego ex solo veritatis amore citra passionem et culpam motiva utriusque opinionis sibi contrariæ ponderans hanc minùs tutam credo esse evidenter magis probabilem, ideòque eam judico esse veram; ergo prudenter ago illam sequendo.* Ille, inquam, ita operans exercitè cognoscit judicium, quod dat occasionem, seu deservit ad formandam conscientiam moraliter certam, seseque insinuat in judicio reflexo à prudentiâ efformato non esse scientiam, sed opinionem, de cujus formali ratione scit esse *formidinem*, quia tamen ita operans simul habet cognitionem evidentem majoris probabilitatis (quæ, dùm concurrit evidenter minor probabilitas, sola est *vera et certa* probabilitas); hinc per reflexionem formalem vel virtualem ad istam evidenter majorem probabilitatem partis minùs tutæ tollitur omnis formido circa *operandum hic et nunc sine peccato.* Dùm enim cognoscit se habere *veram* et *certam* hìc et nunc probabilitatem, cognoscit etiam se habere evidenter moralem, seu prudentialem certitudinem, quod hic et nunc operando non peccet, quamvis contingere valeat, quòd opinio, quam ex motivis probabilioribus unicè judicat esse veram, in se falsa sit, et operatio secundùm eam facta sit materialiter illicita, eò quòd nulla opinio ad lineam scientificam pertingat, sed semper in lineâ judicii opinativi permaneat, ubi potest subesse falsum; quia tamen ponderatis ponderandis omnibus sive directè, sive reflexè verè coram Deo ac conscientiâ judicavit hanc actionem, v. g., contractum esse licitum, idque ex motivis evidenter probabilioribus et verisimilioribus, hinc nullus amplius relinquitur locus formidini, nisi imprudenti, dùm actualiter operatur ex opinione probabiliori in praxi unicè, certè, et verè probabili. Et in hoc sensu loquitur S. Antoninus loco supra cit., ubi dicit : quòd si dubitet leviter *quis per modum scrupuli..... agendo contra tale dubium* (utpote irrationale et imprudens) *non peccatur*, circa quæ vide etiam ea quæ ex cardin. Aguirre, § 11, n. 211, adduxi. Dixi supra *per reflexionem formalem vel virtualem*, non enim est necessaria formalis et explicita reflexio supra majorem probabilitatem, sed sufficit virtualis et implicita, qualem habet ille, censeturque in actu exercito reflexè ita concludere, qui sciens licere sequi sententiam probabiliorem, et credens suam esse talem, sine formidine operatur.

Inst. : *Falsa sunt plerumque probabiliora veris, ergo* ita operans retinet formidinem prudentem, ne operatio sua sit contraria legi : quod enim plerumque fit, prudentem formidinem ingerit, ne hìc et nunc fiat. Resp. antecedens non esse verum, nisi quando quis non curat seriò examinare, et quærere veritatem; aliàs si quis seriò eam quærat, probabilior apparebit, nam aliàs falsum foret, quòd natura non deficeret, nisi in paucioribus, cùm naturalis potestas veritatem cognoscendi, quam auctor naturæ nobis largitus est, in pluribus deficeret, etiam sedulam operam adhibentibus, quod rationabiliter dici non potest. Unde Peripateticorum princeps Aristoteles, postquàm 1 top. 1, probabilia definiisset, quòd sint ea « quæ videntur « omnibus, vel pluribus, vel præcipuis, vel maximè « notis » (ex quo vides Aristoteli probabilia tantùm fuisse illa, quæ nunc probabiliora dicimus), ea definit l. 2, post. cap. 28, *quæ ut in pluribus fiunt*, et l. 1 Eth. cap. 3, *quæ plerumque eveniunt;* et l. 1 Rhetor., *quæ ferè semper fieri solent, aut ita se habere.*

« Concludo igitur hanc sectionem cum doctrinâ desumptâ ex S. Th. 2-2, q. 60, a. 4, quam habet Gonz. « dissert. 10, § 10, n. 53, ubi : Præter malum eventum « diligentissimè fugiendum in iis, quæ sunt necessaria « necessitate medii, duo sunt mala sedulò vitanda in « iis, quæ sunt necessaria necessitate solius præcepti; « unum intellectûs, et alterum solius voluntatis; nempe « falsitas et malitia materialis. Unde quando una pars « est simul tutior, et verisimilior, eam sequi necesse « est necessitate præcepti, quia longiùs abest ab utro « que malo, et pars contraria utrique malo magis ob « noxia est. At, quando una pars est quidem tutior, « cæterùm opposita est sensibiliter et clarè probabi« lior, seu verisimilior, consilium quidem est tutio« rem sequi, ad evitandum omne periculum, etiam « remotum, transgressionis materialis legis divinæ; « at non est præceptum : quia licet illa pars sit tutior « à malitiâ, etiam materiali, non est tamen tutior à « falsitate, sed ei magis exposita : ac proinde non tu« tior à falsitate simul, et malitiâ materiali. Et sicut « jura dicunt in dubio amplectendum esse id, quod « tutius est, ita interdùm, quod verisimilius. Ergo in « jure id dicendum est tutius, quod vel à falsitate, vel « à materiali malitiâ longiùs abest : id verò dicendum « est intutum, quod propiùs accedit ad utrumque ma« lum collectivè. Nam *in omnibus nostris actionibus « spectare debemus verum et rectum*, ut dicitur l. 1, ff. « *de Justitiâ jure :* et ut aiebat S. Th. l. cit. ad 2 : « *unusquisque debet niti ad hoc, quòd de rebus judi« cet, secundùm quod sunt.* Rationem dederat : *quia « verum est bonum intellectûs; falsum autem est malum « ipsius.* Unde leges et canones nunquàm in dubio eli« gunt partem minùs tutam et minùs probabilem, sed « vel verisimiliorem, vel tutiorem, saltem negativè, id « est, non minùs tutam.»

Sectio iv. *An, et quomodò homo rudis, aut diminutè doctus ex consilio parochi, confessarii, vel alicujus pietate ac eruditione præstantis operans conscientiam*

*moraliter certam de honestate suæ operationis formare valeat.*

Suppono, quòd ille, qui in materiâ morum obscurâ incapax est aliquid, an sit licitum, an illicitum dijudicare ac determinare per seipsum, si ex sincero desiderio Deum non offendendi, sed cognoscendi, non quid libertati, aut commodo proprio magis faveat, sed quid vere licitum, desuper consulit libros, vel virum, de quo non habet fundamentum apprehendendi, quod vel ex defectu eruditionis et studii, vel ex placendi animo erret in dando consilium, et exinde intelligat illud practicè esse licitum, aut magis probabile seu verisimilius : talis, inquam, illud auctoritate istius vel auctoris motus in praxim deducere possit. Ratio est : quia indocti, qui non sunt per se ipsos capaces solvendi dubia morum, ex lege ipsâ naturali et divinâ remissi sunt dirigendi ab iis, quos pro hoc munere capaces autumant, maximè si illorum curæ commissum sit indoctos dirigere in foro conscientiæ, qui sunt parochi, seu confessarii. Ubi tamen advertendum quandoque casus controversos tanti momenti occurrere, ut pro eorum rectâ decisione consulendi sint plures iique doctiores. Quod vel ipsorummet rudiorum providentia in rebus merè temporalibus commonstrat : dùm, v. g., litem magnæ consequentiæ non solent intentare, nisi priùs desuper consuluerint non quemcumque advocatum, sed plures, eosque famâ præstantiores, quod in alios simili notat V. Reginaldus p. 1, l. 11, cap. 3, n. 28, sic scribens : « Cùm res est gravis... « de quâ non convenit inter omnes..... non est satis « unum consulere, et illius consilium sequi... Sed opus « est multos interrogare, consilioque melioris partis « acquiescere ; perinde ac in gravi morbo non solet « quis contentus esse unius medici consilio, sed pro « morbi qualitate plures adhibet. » Cùmque non omnes sint æquè omnibus apti consiliarii, consulendi sunt viri, qui in materiâ, de quâ agitur, censentur magis versati ; ita ut in quæstione à legibus positivis dependente consulendi sint jurium periti ; in morali theologiâ ac aliis conscientiæ casibus, theologi consulendi sunt etiam, *qui non sunt in judicio præcipites*, uti benè notat Lacroix n. 646, sed pro gravitate negotii discussis hinc inde motivis, nonnisi post maturam deliberationem sententiam proferunt. Quia, ut inquit S. Th. opusc. 75, *de Usuris* in procœmio, *quoniam in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, et incognita, periculum ingerit humanæ saluti, admodùm utile est veritatem investigare. Et temporibus nostris audivimus multas controversias inter doctores, non solùm in naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum est, diversa sentire.* Arcendi sunt igitur à consilio, qui absque delectu et obiter cuncta resolvunt, aut ex inspectione unius solum auctoris, quem pium ac doctum existimant, non expensis pro et contra rationibus, ex tempore sententiam suam, quasi ex tripode pronuntiant, dummodò auctor ille opinionem consulenti faventem probabilem dicat. De quibus verificatur quod habet Lacroix l. cit, quod *sæpè irrepunt graviter, ac postea ægrè fatentur errorem, et rem difficulter redintegrant, animaavertique semper*, subjungit idem auctor, *minùs doctos esse doctores magis resolutos, sed malè.* Arcendi demùm, qui vel nimium rigorem affectantes animas implicant gravissimis molestiis, difficultatibus, scrupulis ; vel è contra probabilismo abutentes, et laxismo imbuti viam cœli dilatant, quam æterna veritas arctam prædicat. Nunc ad rem propositam deveniamus : Demus casum, in quo indoctus in materiâ morum, et in casu dubio satisfacit legi divinæ aut humanæ operando juxta consilium parochi, aut confessarii, ut in dubio, an debeat aliquid restituere. Quæritur, qualiter formet conscientiam moraliter certam, quod non teneatur restituere ?

Dico : Indoctus in casu posito habet judicium moraliter eum certificans quòd non teneatur restituere. Declaratur. Licet enim ex principiis directis non concludat nisi probabiliter et fallibiliter, v. g., *ubi parochus meus (quem virum probum ac peritum existimo) dicit non esse obligationem restituendi, verum est, quòd non tenear restituere, sed parochus meus sentit non esse obligationem restituendi ; ergo non est obligatio restituendi.* Conclusio hæc ex majore fallibili, ac in solâ fide humanâ fundatâ, et ipsa solùm fallibilis est, consequenter insufficiens pro ultimo dictamine : nihilominùs occasione illius ex principiis reflexis sic infallibiliter concludit prudentia : ubi me omni affectatione depositâ veritatem sincerè quærentem à restitutionis onere deobligat parochus (quem virum doctum esse puto, et cujus vitam talem credo, ut fidem justitiæ debitam omni gratiæ, favori, et hominum æstimationi præferat), non teneor restituere, sed parochus mihi dicit quòd in hoc casu non teneat restituere ; *ergo non teneor ad restitutionem.* Ubi minor est evidens experimento sensûs. Major etiam constat ex dictis. Nihilominùs non est contra prudentiam, si hujusmodi indoctus adhuc circa materiam talis syllogismi aliquam suspicionem habeat, adhuc suspicetur aliqualiter, an lex justiæ in eo casu obliget, imò potest esse quòd verè obliget, et quòd non obliget, ipse id solum scit ex fide humanâ, quam præbet parocho, cum quâ fide fallibili benè stat, imò per se connexa est aliqualis falsitatis suspicio, cùm et parochus errare possit. Deinde esto fides parochi foret infallibilis, adhuc ex re à parocho dictâ possunt oriri rationes dubitandi, et reverà non rarò oriuntur in indoctis, scrupulosis, et tamen quod rationes illæ dubitandi seu formidandi non obsint morali saltem certitudini consequentis constabit, si majori aliquid addatur, eaque sic explicetur : ubi dicit mihi parochus, etc., non esse obligationem restituendi in hoc casu, *quanquàm à parte rei forsan lex justitiæ ad restitutionem obliget*, non teneor restituere ; atqui, etc. ; ergo. Ubi major est certa, quamvis enim in taliter operante, oriatur dubium de re secundùm se spectatâ, non tamen suboritur formido, seu dubium saltem prudens de re ut sibi dicta à parocho, et si quod suboriatur, prudenter illud contemnit ; ec ipso, quòd scit se certò benè agere operando ex directione consilii parochi, sic et religioso, qui (uti dictum est hujus art. § 9, sect. 5, cas. 1, per totum

n. 169) in dubio an res præcepta sit illicita, tenetur obedire; prudentia sic discurrit : quanquàm mihi secundùm se sit dubium, et spectatâ solâ re ipsâ ego dubitem, an res, quæ mihi præcipitur, sit illicita, tamen accedente superioris mei mandato, etc., licitum est mihi, et teneor, dubio meo neglecto, prælato meo obedire, etc., quidquid materialiter in re erroris subsit, etc.

Sectio v. *An auctoritas unius doctoris probi et docti possit reddere opinionem probabilem, et in praxi tutam?*

Quæstio hæc ventilatur occasione hujus propositionis : *Auctoritas unius doctoris probi et docti reddit opinionem probabilem*, quam Facultas theologica Lovaniensis anno 1657, hâc censurâ perstrinxit : *perniciosa est, et innumeras absurditates invehens in materiâ doctrinæ moralis.* Censura hæc nimium excedens, imò et injusta aliquibus visa fuit. Sed quàm justum sit sapientissimæ Facultatis censorium judicium constat ex eo, quòd Alex. VII et Innoc. XI, tam multas opiniones ex diversis libris, diversis auctoribus (de quorum, si non omnium, saltem aliquorum probitate et doctrinâ dubitare fas non est) conscriptis, excerptas, ut in praxi perniciosas condemnârint, et Alex. VII, anno 1668. Paterno mœrore non semel conquestus est de eo quòd *summa luxuriantium quorumdam ingeniorum licentia in dies magis excresceret, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepserit alienus omninò ab evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, et quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens irruptura esset vitæ christianæ corruptela.* Alii paulò cautiùs damnatæ propositioni hanc apposuerunt restrictionem, quòd scilicet, *si liber sit alicujus junioris ac moderni* (utique probi et docti) *debeat opinio censeri probabilis; dùm non constat rejectam esse à sede Apostolicâ tanquàm improbabilem.* Sed et hanc propositionem idem Alex. VII proscripsit, inter damnatas 45 vigesimam septimam ; eamdemque unà cum hâc : *Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones quas Ecclesia non corrigit.* Celeberrimus Cleri Gallicani conventus in collegio San-Germano anno 1700, congregatus sequenti censurâ notavit : *Istæ propositiones, quatenùs silentium et tolerantiam pro Ecclesiæ, vel sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ; patrocinantur pessimis opinionibus, quæ identidem temerè obtruduntur, atque ad evangelicam veritatem iniquis præjudiciis ovprimendam viam parant.* Ex quibus vides quòd quamvis concurrant probitas et doctrina cum silentio sedis Apostolicæ circa opinionem, quam tenet aliquis auctor, hæc equidem insufficientia sint, ut reddant opinionem probabilem seu in praxi tutam. Unde remanet quæstio an, si aliæ simul conditiones concurrant, auctoritas unius viri probi et docti hoc præstare nequeat. Ubi suppono requiri probitatem et doctrinam in auctore, qui aliquam opinionem sustinet, ad hoc, ut eam reddat probabilem. Hæc enim sunt fundamentum auctoritatis, prout dixi hujus art. § 10, sect. 1, n. 1, quæ revidenda sunt, ne eadem sæpiùs repetam. Requiri etiam silentium sedis Apostolicæ, seu ut opinionem illam sedes Apostolica non condemnet ut improbabilem; prout sentiunt hodiè Catholici ferè omnes. Quo supposito,

Dico, ad hoc ut opinio unius auctoris probi et docti reddatur probabilis, præter sedis Apostolicæ silentium requiruntur, et sufficiunt sequentes conditiones : 1° ut auctor ille amore veritatis opinionem illam ponderatis simul partis contrariæ motivis discusserit. 2° Quòd ex professo, non casualiter, obiter, aut incidenter rem discusserit. 3° Ut ita resolvat argumenta contraria, et opinionem suam sic firmet, ut eam reddat vel certam, vel evidenter probabiliorem respectu etiam illius qui eam vult deducere ad praxim. 4° Quòd opinio illa non rejiciatur communiter ab aliis doctoribus ut falsa, seu improbabilis. Ratio primæ conditionis est quòd qui rem examinat ex solo amore veritatis, lucem habeat in discutiendis et agendis specialem. Hinc Christus, Joan. 17, dicebat : *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam ;* Plato etiam l. 5 *De legibus : Veritas hominibus ad omnia bona dux est.* Philo quoque : *veritas est facultas res obumbratas in lucem producens.* Colligiturque ulteriùs hujus conditionis necessitas, etsi cum aliis jungatur sufficientia ex passim dictis hoc articulo. Secundæ conditionis ratio non solùm ea est quòd illa quæ dicuntur incidenter minùs consideratè dicantur, et quandoque ex necessitate solvendi aliquod argumentum, pro quo alia solutio non suppetit : sed et, quia ut Castrop. p. 1, disp. 2; puncto 1, n. 5, ex Mascardo animadvertit, ea quæ dicuntur incidenter ad colorem potiùs quàm ad probationem dicuntur. Unde quemadmodùm confessio incidenter facta non præjudicat confitenti, ut asserit Glossa in cap. *Pœnitentibus* 50, distinct per DD. in cap. *at si Clerici in princ. de jud.*, ita etiam resolutio incidenter facta non præjudicat veritati, nec merebitur fidem. Tertiæ conditionis ratio est : quia tunc tantùm est in praxi tuta et solidè probabilis opinio. « Et, ut ait Boudart tom. 2, « tr. 3, § 46, esset sufficiens fundamentum eam te« nendi, et juxta eam operandi etiam contra commu« nem. Unde S. August., Epist. 48, ait : *Verbo cre« dendum, disputatione certandum, ratione vincendum.* » Idque refertur in cap. *Vides*, 23, quæst. 6. Hæc Boudart., et meritò quidem, quia in hoc casu intrat illud poetæ :

*Non vis, aut numerus melior, sed causa triumphat.*

De quartâ conditione ita scribit Azor. tom. 1, *Instit.* mor. lib. 2, cap. 16, q. 6 : *Animadvertendum tamen quòd, quando unus, vel duo, vel tres classici doctores contra communem sententiam opinantur, non continuò esse adhærendum, quia tres, quatuorve sint; videndum enim est an post eos etiam alii plures scripserint, qui eos communi consensu refellant.* Ex quo sequitur à fortiori id esse dicendum, quando sententia est unius solius doctoris. Cujus conditionis ratio ea esse potest quòd casu quo opinio unius doctoris ab aliis communiter reprobatur, jam debet censeri omninò singularis ac vitiosa. Nam *quidquid extra consuetudinem* (verba sunt Joannis Cassiani l. 5, cap. 13) *præsumitur, usumque communem, ut vanitatis, et gloriæ, atque*

*ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio tenet.* Unde Plinius in Paneg. ad Trajanum imperat.: *Meliùs*, inquit, *omnibus, quàm singulis creditur, singuli enim decipere et decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Et Cicero 1 Tusculan. inquit : *Omnium consensus naturæ vox est.* Græcorum quoque vetus proverbium est : *Vir unus nullus est.* Et proinde prudens est monitum poeticum : *Judicium populi nunquàm contempserit unus.* Monetque Navarrus, quòd talis doctor timere debeat, *ne lumen, quod sibi esse videtur, tenebræ sint.* Unde breviter dicendum cum Hostiensi : *Communem opinionem semper esse tenendam, nisi notoriè malè dicat, vel rationabiliter convincatur.* Quod meritò censetur fieri, dùm unus auctor probus et pius, doctus et versatus in aliquâ materiâ, quam ex professo, et non casualiter, aut perfunctoriè tractat, adinvenit evidenter solidius et firmius fundamentum, quàm alii minùs pii et docti, minùsque versati in eâ materiâ invenire potuerunt. Unde, ut inquit Montesinos apud N. Lezanam consulto 48 : *Divus Thomas multa scripsit et docuit contra alios qui ante ipsum scripserunt, et tamen ejus opiniones statim, ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter ejus magnam auctoritatem apud omnes theologos; tum etiam, quia non levibus, sed rationabilibus fundamentis ductus est ad sic opinandum.* Addo ego, quia in ipso exactè concurrebant conditiones adductæ. Eodemque sensu inquit Viguerius in Instit. cap. 15 *De legibus*, vers. 3, *in dubiis sequens opinionem rationabilem alicujus magistri : cùm magister et doctor est approbatus (ut D. Thomas, qui absque ratione aut auctoritate non consuevit loqui) est excusatus à peccato. Quod est valdè notandum*, prosequitur idem auctor, *ad sedandos scrupulos timoratarum conscientiarum.*

Quæres in casu, quo ex publicâ famâ constat juniorem doctorem, qui contra communem sententiam novam tuetur, esse probum et doctum, neque præcipitem in decidendo, discernere autem nequeat quispiam, seu expendere qualitatem rationum, an sint evidenter probabiliores, vel minùs probabiles, potestne talis in praxi se accommodare opinioni benignæ, quam doctor ille benignus contra communem sustinet? — Resp. talem antequàm operetur teneri consulere eos, qui rationes pro et contra possunt expendere, eorumque stare judicio. Sed quid, si operandi urgeat necessitas, aut magna utilitas, difficilisque ad doctores pateat recursus, potestne credere rationes doctoris moderni esse evidenter probabiliores, eò quòd sibi constet ex famâ de pietate, eruditione, ac diligentiâ ejusdem doctoris? — Resp. cum doctissimo Mercero 3 p. art. 31, distinguendo : vel enim agitur de iis quæ concernunt jus humanum, et in his existimo, virum probum ac doctrinâ insignem novam opinionem introducentem contra communem posse præsumi firmis rationibus inniti : cùm enim juri humano contingat successu temporis multipliciter derogari, aut consuetudine, aut tolerantiâ, aut novâ legislatoris declaratione, seu quovis alio modo, rationabiliter credi potest recentem scriptorem ita qualificatum propter aliquam ex dictis causis opinionem tradere diversam ab antiquioribus. At si sit quæstio de his, quæ tangunt jus naturæ, vel divinum, cùm hoc sit invariabile, et antiquiores doctores, qui ex professo egerunt de eâdem materiâ, non minùs præsumantur doctrinâ insignes, ac morum honestate præditi, et in casu controverso expenderint difficultates; irrationabiliter, attentâ solâ vi auctoritatis, quis crederet potiùs doctori moderno etiam insigni, quàm antiquioribus, cum cæteris paribus plurium auctoritas auctoritati unius sit præferenda. Quod dixi de iis quæ concernunt jus naturæ vel divinum, pariformiter dicendum de iis quæ pendent à voluntate Christi, et tangunt Apostolorum traditiones. Ratio, quia, ut in casu speciali ait Lacroix lib. 6, p. 2, n. 610, « in illis, quæ pendent à voluntate Christi, « tenendum est, quod dixerunt antiqui, et adhuc di- « cunt plerique auctores, præsumendum enim est « illos de voluntate divinâ magis rescire, quàm paucos « modernos. » Quorum tamen opinionem circà quæstionem, quam ibidem discutit n. 609, spectatis rationibus intrinsecis dicit videri probabiliorem. Ex quo similiter deducitur in iis quæ concernunt traditiones Apostolorum, antiquioribus esse acquiescendum : cùm enim ipsi fuerint viciniores fonti, à quo emanavit hæc traditio, præsumendum est aquam veræ intelligentiæ dictæ traditionis ad ipsos puriorem esse derivatam. Vide circa hæc ea quæ hujus articuli § 10, sect. 1, n. 185, et sect. 6, n. 209, dixi.

Infer. non solùm peccare eos, qui singularem alicujus doctoris sententiam præfatis conditionibus non munitam sequuntur, in rebus ad mores spectantibus, sed et doctorem, qui illam vel ore, vel scripto profert, eumque ad retractationem teneri, quia, ut in 1-2, disp. 12, sect. 6, n. 9, inquit eximius, Suarez, *tenetur præceptor samorem et veriorem doctrinam docere, in quo potest per gradus peccare juxta materiæ qualitatem.* Et Michael Elisalde in opere de formâ veræ Religionis quærendæ et inveniendæ apud Gonz. dissert. 10, § 7, n. 42, ita præclarè scribit : *Omnes magistros peccare graviter, si vera, aut veris magis similia non tradant, jam pridem et rectè expresserat Cajetanus. Idem est, si in quærendo diligentiam non adhibeant, si incerta pro certis, si non examinata pro exploratis reddant. Nisi enim pecora, et fundi pluris sint, quàm mens, quàm doctrina et veritas, iis obligationibus tenentur magistri, quibus communis, et nota causarum sententia judices obstringit; produnt quippe alioqui juventutem, produnt hominum principem partem, mentem, produnt rempublicam, et ex scholæ erroribus multa deinceps, et magna præjudicia in mores, in leges, in patriam, in religionem et in fidem derivantur.*

### Sectio vi. *Ex quibus dignosci valeat, quænam sententia sit probabilior?*

Cùm probabilitas fundetur in rationibus et auctoritate, hinc videndum à quâ parte stet majus rationum et auctoritatis pondus. Et quidem quoad fundamenta ex ratione petita, videtur dicendum cum Na

then in tract. *de Justitiâ vulneratâ*, part. 2, tit. 5, cap. 5, apud Lez. consult. 48, n. 32 : *Quòd illa ratio efficacior habeatur, quæ est secundùm jus naturale, quam quæ est secundùm jus civile; item illa est efficacior quæ est secundùm jus divinum, quàm quæ est secundùm canonicum; item illa quæ est secundùm æquitatem scriptam, quàm quæ est secundùm rigorem; item efficacior est quæ est secundùm mentem, quàm quæ secundùm verba; item potior illa, quæ est secundùm verba, quàm quæ secundùm similitudinem, quæ fallax est; uti et illa quæ fit per incertam rationem; item evidentior est illa quæ est secundùm regulam juris, quàm quæ tenet, ut sit specialis.* Hæc ille, quæ rectè intellecta satis sunt ad intentum.

Quantùm ad probabilitatem desumptam ab auctoritate (quæ, in quo sita sit, vide § 10, sect. 1, n. 183), certum est quòd quò major est auctorum proborum, ac doctorum numerus, qui univocam aliquam opinionem sustinent, eò majus sit auctoritatis pondus : unde rarò à sententiâ communi recedendum dixi sect. præcedenti. Non ex eo quòd contineat claram et certam veritatem, sed solùm quia præsumitur quòd sit vera, seu verior, seu ex præsumptione veritatis ; quod tamen intelligе, si opinio, quæ communi est contraria, non sit magis communis, majori scilicet numero et auctoritate doctorum roborata, adeòque majorem habens veritatis præsumptionem, quo casu magis communis præferenda foret ipsi communi, et id solùm ratione majoris præsumptionis, non verò ratione certitudinis veritatis, quæ si evidens esset pro opinione minùs communi, probaret in magis communi certam falsitatem. De quibus videndus Corat. in Præf. ad tract. *de Communi opin.* n. 41, et seqq. quorum ulterior ratio est : quòd ubi veritas pro unâ parte perspecta est, locum non habeat præsumptio veritatis pro parte contrariâ, ubi autem veritas est ambigua, regula est, ut, quemadmodùm (verba sunt Menochii de arbit. Jud. l. 1, q. 26, n. 19), *clavus clavum trudit, sic præsumptio præsumptionem tollit.* Adeò, prout idem l. cit. et de *præsumpt.* q. 30, n. 1, inquit, debilior præsumptio cedat fortiori, ac potentiori. Illa autem præsumptio est validior ac potentior, quæ est verisimilior. Menoch. De arbit. Jud. Cas. 472, n. 22, ex quibus cum cit. Corat. lib. 2, tit. 8, et doctoribus ab eo citatis casu 1 ,

Inf. 1° : Quòd, quando dubitatur an opinio, quæ dicitur communis, sit verè communis, puta, quòd sint plures auctoritates contra eam, nec constet de magis communi, communem istam non esse attendendam : nam si non apparet communis, non possumus dicere servandam esse, cùm non entis nullæ sint partes. l. *cum, qui ædes cum vulg.* ff. de Usucap. Unde in conflictu communiorum opinionum perinde est, ac si nulla daretur communis.

Inf. 2° : cum eodem Cas. 16, communem non esse attendendam, si contraria evidenter melioribus nitatur rationibus, quod expressè deciditur in l. 1, §. *sed neque*, cap. de Vet. jure enucl. ubi imperator sancivit, *non ex multitudine auctorum, quod justius et æquius sit judicandum* fore, cùm *possit unius, et deterioris sententia multas et majores superare*, ac proinde vult opinionem etiam unius melioribus rationibus roboratam præferri ipsi communi. Ratio est : quia hoc casu cessat ratio, propter quam servatur communis, siquidem propter præsumptionem veritatis, quam pro se habet, attenditur communis, cùm igitur in hoc casu major præsumptio veritatis propter evidenter urgentiores rationes pro parte contrariâ sit contra communem, meritò cessat præsumptio, et consequenter communis non attenditur. l. *Continuus*, § *Cùm ita* ff. de verb. Oblig. quod tamen fallit. 1° : Si pro communi sit aliqua lex : hæc enim ante omnia servanda est, l. *Leges ut generales*, cap. *de Legib.*, cap. 1, et ubi habemus legem, frustra quærimus rationem l. *Non omnium* ff. *de Legib.* Fallit. 2° : Si communis sit consuetudine approbata. Quia consuetudo ante omnia, etiam ante legem servanda est. l. *De quibus* ff. *De Legib.* Fallit. 3° : Quando rationes urgentes contra communem fuerunt consideratæ à doctoribus tenentibus communem, ac judicatæ minùs urgentes, tunc enim attendi debet communis, juxta dicta sect. præc. quæ sequenti ratione confirmantur ex Corat. l. cit. n. 92. Quia cùm ea sit factorum diversitas (in iis scilicet, quæ clara ac evidentia non sunt, et remanent doctorum disputationibus) ut nunquàm possit affirmari, hanc, vel illam rationem plenè et clarè decidere quæstionem, si ratio, quæ videtur etiam evidenter magis urgens, à communi doctorum fuit rejecta, oritur præsumptio, ut illa ratio vel non probet opinionem, pro quâ inducitur, vel justâ causâ reprobetur.

Cæterùm quanti valeat major veritatis præsumptio fundata in majori auctorum præcipuè antiquorum numero, seu in sententiâ magis communi, declarat ipsemet P. Lacroix, lib. VI, parte secundâ, n. 606, et seqq., ubi quærit, utrùm si negativè dubites, an peccâris mortaliter, tenearis confiteri. Pro sententiâ affirmante dicit stare auctores gravissimos et ferè innumeros, ideòque hanc sententiam asserit spectat ad auctoritate probabiliorem. Pro negativâ adducit Tottfr. Caram Con. Marschant. qui eam sustinent : item asserit Less. Amic. aliosque multos sententiam negantem vocare absolutè probabilem, quam et ipsemet sustinet n. 609, spectatis præcisè rationibus intrinsecis videri probabiliorem, ac ad rationes sententiæ affirmantis faciliùs responderi, ac manifestè nimium probare. Vides hìc concurrentem sententiam antiquorum magis, etiam hodiè communem spectatâ auctoritate probabiliorem cum sententiâ minùs communi, quæ spectatis rationibus intrinsecis ex mente P. Lacroix videtur probabilior. Nihilominùs n. 610, sententiam affirmantem obligationem confitendi mortalia negativè dubia vocat absolutè probabiliorem. Sed quâ de causâ? contrarium enim videtur manifestè deduci ex iis, quæ habet idem auctor lib. 1, n. 134, ubi : *Quòd si una opinio habeat rationes meliores, et altera majorem auctoritatem, illa simpliciter est probabilior, quæ habet rationes meliores, quia auctoritas fundatur in rationibus, nec auctores plus valent quàm valeant rationes quas afferunt, vel quas præ-*

*sumuntur habere*. Cùm igitur sententia negans melioribus fundetur rationibus, et longè faciliùs re ipsâ respondeatur ad rationes sententiæ affirmantis, uti existimat P. Lacroix l. cit. quæ inquam causa subest, quòd sententia affirmans obligationem confitendi peccata negativè dubia, censeri debeat non tantùm absolutè probabilior, sed et sufficiens, ut fundet præceptum certum peccata negativè dubia in confessione explicandi ? Lacroix cit. n. 610 : *Ratio nostra est*, inquit, *quia certum est hoc Sacramentum* (pœnitentiæ) *à Christo institui potuisse cum obligatione confitendi mortalia negativè dubia, ergò probabiliùs dicitur esse sic institutum, quia in illis quæ pendent à voluntate Christi tenendum est hoc quod dixerunt antiqui, et adhuc dicunt plerique auctores, præsumendum enim est eos de voluntate Christi magis rescire, quàm illos qui priùs ab annis* 50 *incœperunt dubitare, præsertim cùm videatur à primis seculis communis sensus et praxis fidelium*. Hæc Lacroix. Sed quorsùm hinc, inquient sententiæ negantis patroni, oritur major sententiæ affirmantis probabilitas, et quidem tanta, ut fundet obligationis certitudinem? profectò non à majoris auctoritatis pondere, cùm, te judice, simpliciter major sit probabilitas, quæ desumitur à melioribus rationibus, quales pro sententiâ nostrâ obligationem negante militare, ipsemet fateris : nec à communi sensu et fidelium praxi, quia ad hæc longè faciliùs responderi potest, eaque manifestè retorqueri fateris non tantùm in peccatis venialibus, et mortalibus positivè dubiis, sed imperfectionibus quæ confitentur fideles, neque tamen ideò existimas esse obligationem illa confitendi. Deinde nequidem tota Ecclesia, multò minùs praxis fidelium, posset ferre legem de confitendis omnibus venialibus, uti ipsemet doces hoc lib. 6, § 2, n. 207. Nec consuetudo facit legem nisi sit introducta cum animo se obligandi; de quo hìc non constat, et in dubio censeri debet introducta sine animo se obligandi, uti tenet communis te teste. Cùm igitur probare nequeas majorem probabilitatem sententiæ affirmantis, multò minùs probabis certam peccata dubia confitendi obligationem. Quidquid de hoc sit,' videant illi quomodò se expediant, sufficiat mihi fecisse reflexiones sequentes contra P. Lacroix et communiorem Probabilistarum astruentem obligationem confitendi peccata negativè dubia.

Prima præsumptio veritatis fortior, quæ hoc in casu desumitur à majori numero et antiquitate doctorum, et praxi fidelium, elidit aliam præsumptionem primæ planè dissimilem stantem pro sententiâ negante desumptam à rationibus intrinsecis probabilioribus, quàm sint illæ, quæ stant pro sententiâ affirmante; ergo motiva etiam dissimilia se elidunt prout probavi § 3, n. 101. Negat autem Lacroix, lib. 1, n. 263. 2° Sententia simpliciter et absolutè probabilior affirmans obligationem confitendi peccata negativè dubia fundat præceptum satis certum eadem confitendi, etiamsi non agatur de valore Sacramenti, damno tertii, conventione, etc. Ergo et in aliis materiis idem faciet major evidenter probabilitas. 3° Ubi absolutè probabilius est esse obligationem confitendi peccata negativè dubia, intellectus non potest prudenter determinari à voluntate, ut assentiatur opinioni neganti istam obligationem absolutè quidem minùs probabili, à rationibus tamen intrinsecis probabiliori, ac per consequens secundùm principia Probabilistarum verè probabili (si enim hoc fieri posset, major hìc probabilitas pro sententiâ affirmante non induceret certam obligationem confitendi, quam tamen inducit secundùm P. Lacroix), ergo nec id fieri poterit in aliis materiis. 4° Ubi absolutè probabilius est istam obligationem exstare, non manet possessio libertatis contra præceptum confessionis, etiamsi à rationibus intrinsecis non tantùm probabile, sed et probabilius sit obligationem illam non exstare; ergo nec in aliis materiis. 5° Non potest prætendi ignorantia invincibilis legis obligantis ad confitendum illa peccata, neque insufficiens promulgatio illius, ubi probabilius est legem illam dari, quamvis hoc non sit evidens; imò probabile sit ab auctoritate doctorum, et probabiliùs à rationibus intrinsecis illam non dari, ergo nec in aliis obligationibus erga Deum hæc prætendi possunt, ubi est evidenter major probabilitas pro obligatione. Quæ omnia manifestè sequuntur ex doctrinâ P. Lacroix cit. lib. VI, § 2, n. 606; et seqq., confirmant ea quæ suis locis adduxi, et planè contraria sunt Probabilistarum principiis. Sed jam ad rem propositam deveniamus, à quâ parùm deflectere suasit incidentis materiæ discussio. Unde :

Quæres quænam censeri debeat communis sententia ad effectum præjudicandi alteri? Resp. cum Navarro in Manuali cap. 27, in Miscell. 6, *quæ opinio diligenda* n. 289, ubi hæc habet formalia : Non videtur una opi- « nio appellanda communis ad effectum præjudicandi « alteri, eo solo, quòd plures eam sequantur, tanquàm « oves aliæ alias, quæ procedunt sine judicio sequentes, « velut aves, quæ unam volantem aliæ omnes sequun- « tur secundùm Decium... Communiorem enim ad hoc « æstimarem illam, quam sex vel septem auctores « classici rem ex professo tractantes assererent, quam « probatam à quinquaginta solâ ferè auctoritate prio- « rum ductis. Opinio enim communis non ex numero « opinionum, sed ex pondere auctoritatis fit, ut dicit « Alexander relatus à Ludovico Gomez in quæst. se- « cundâ procœmii regularum Cancellariæ. Quin et arbi- « tror utramque ad hoc dici posse communem, quando « utraque habet octo vel decem assertores graves, et « cum judicio eam diligentes; quo fit, ut non sit mul- « tùm laudanda diligentia quorumdam recentiorum, « quærentium, utram teneant plures. » Ita ibi Navarrus.

Sectio vii. — *Quid faciendum in casu quo motivis omnibus consideratis discerni non potest pro quâ parte stet major probabilitas?*

Cùm in casu posito probabilitas deservire nequeat ad formandam conscientiam moraliter certam, ad principia probabilitati extrinseca recurri debet, quæ varia allegantur : primum est : *ex duobus malis minus est eligendum*. Dùm enim occurrunt duo mala, ad vitandum majus, non solùm admittitur id quod probabile est, sed etiam aliquando illud quod dubium judicatur Ex-

plicatur. Hinc præcipit Religio reverenter, certò, et validè administrari Sacramentum : v. g., instat necessitas conferendi infirmo Sacramentum pœnitentiæ, et baptismi puero morienti : inde urgent prudentia, charitas et justitia, sic se gerere ministrum Ecclesiæ, ut suo non desit officio, qui præcipuè tenetur saluti animarum sic providere, ut nullo modo animas sibi concreditas exponat periculo salutis æternæ, et quia minus est malum irritum fieri sacramentum aut minùs decenter administrari, quàm perire animam, propter quam Sacramentum fuit institutum : idcircò si contingat infirmum animam agere cum solis signis contritionis dubiis, poterit sacerdos, imò debebit illum absolvere. Item si evidens immineat periculum, ne infantulus sine baptismo moriatur, et omnis certa desit materia, scilicet aqua naturalis; poterit uti aquâ è vite stillante, vel lixivio, aut aliâ consimili materiâ dubiâ : quia melius est his in extremis hujusmodi mediis probabilibus aut dubiis uti, quæ fortè ex institutione divinâ sunt sufficientia, quàm illa omittere. Quo in casu minister sequitur judicium prudens, non quidem confessarius de legitimâ dispositione pœnitentis, nec baptizans de legitimâ baptismi materiâ sed de honestate suæ actionis, judicando in casu honestam et licitam esse absolutionem, et baptismi collationem. Ut autem in utroque casu consulatur reverentiæ Sacramenti quantùm est ex parte ministri, et absolutio et baptismus sub conditione, si non exteriùs expressâ, saltem animo retentâ conferri deberent : ita quippe instruuntur parochi ex rituali Romano edito à Paulo V, quod etiam docet D. Th. 3, p. q. 68, a. 7, ad 2, et ita in primo casu pœnitens absolvendus foret sub hâc conditione : *Si es ritè dispositus, ego te absolvo :* et baptizandus infans sub hâc : *si hæc aqua est sufficiens materia, ego te baptizo.* Cujus ratio est; quia, ut, quantùm est ex parte Ministri, servetur reverentia debita Sacramento, necesse est ut nihil aliud intendat agere in re tam gravi, quàm id quod est rectum et ratum apud Deum. Ut si fortè contingeret Sacramentum fieri irritum, hoc præter ipsius ministrantis intentionem esse, saltem interiùs protestetur. Ob eamdem rationem judico sub conditione debere conferri Sacramentum, etiam quando uteremur sententiâ probabiliori; nam probabilior sententia, quæ dicit, aquam salis esse materiam Sacramenti, ex hoc quòd non est certa, quamvis quæ ei adversatur opposita negativa sit minùs probabilis, potest esse falsa, atque de invaliditate Sacramenti, quæ ei adhæret, moraliter possumus formidare; consequenter periculosè eligeretur extra casum necessitatis : ergo ob reverentiam Sacramento debitam non nisi sub conditione in casu necessitatis eam in baptismo applicare oporteret.

Secundum principium est : *usus piorum et timoratorum*, qui tamen, ut rectè notat Boudart, potest censeri, comprehendi sub auctoritate, quia ejusmodi usus est quædam auctoritas saltem in actu exercito. Qui ergo aliunde veram probabilitatem nequit dignoscere, hic in praxi se accommodando piorum ac timoratorum usui, securè procedit. Sit exemplum : communior olim sententia docebat, peccatum mortale esse celebrare Missam ante matutinas horas peroratas, quam Sylvester V, Missa 1, q. 6, dicit omnes Summistas tenere, quam etiam docuit S. Antoninus 3, p. Summæ tit. 3, cap. 3, § 4, item cap. 4, § 4, citans pro eà Gulielmum et Hostiensem. Fundaturque hæc sententia præcipuè in eo, quòd, qui nondùm dictis matutinis celebrat, faciat contra generalem et approbatam Ecclesiæ consuetudinem. Pro quâ etiam refert Zenedus quæst. Canon cap. 3 apud Gonz. dissert. 13, § 207, ultra 30 doctores, qui numerus, ut advertit Gonz., ingens erat eo tempore quo tanta non erat librorum copia, ac nostrâ ætate; plusque erat habere tunc aliquam sententiam 30 auctorum, quàm modò centum. Hodiè autem post Sylv. l. cit. Dominicum Soto de Jure et Justitiâ q. 5, a. 4, concl. 2, et in 4, dist. 13, q. 2, a. 2, circa finem. Tolet Bellarm. Nav. communis ferè docet doctorum sententia, ac distinctè asserit non esse peccatum mortale absque causâ legitimâ ante matutinas recitatas celebrare. 1° Quòd nullum exstet jus, quo contraria opinio fulciatur. Licet enim, uti testatur Soto, Missa solemnis seu major sua antiquitùs habuerit *stata tempora, scilicet diebus festis post Tertium.* De consecr. dist. 1, can. nocte, *et in pro festis post sextam*, ut illic can. solent, *et in diebus jejunii post Nonam, de privatis autem nihil est cautum. Præterquàm, quòd, nisi ex privilegio, neque post meridiem celebretur, neque ante lucem, exceptâ nocte natalis Domini. Si ergo*, prosequitur Soto, *solvere nocturnum officium sextâ aut nonâ horâ diei non est mortale, nescio unde inferatur quòd celebrare priùs Missam sit mortale : quandoquidem distincta sint officia, neque unum habeat necessarium ordinem ad alterum.* 2° De consuetudine, cui innititur paulò rigidior sententia, ita loquitur Sylvest. l. c.t. *Quidquid sit de consuetudine, quam viros doctissimos sæpè negantes audivi, ratio tamen est inefficax, quia non omnis consuetudo habens vim legis obligat ad mortale, sicut neque omnis lex : sed obligat sic, quando sic intendit princeps, quem non est verisimile voluisse ad hoc sub præcepto ligare istum privatum, ubi repentè occurreret aliqua necessitas, cui non posset obviari.* 3° Communi doctorum judicio non censetur peccare nisi venialiter, qui quatuor minores horas recitat ante matutinas, quamvis magna relatio et connexio sit inter has duas officii partes. Ergo ad summum peccabit venialiter, qui sacrum celebrat ante dictas matutinas : cùm inter utrumque nullus, aut levissimus sit nexus. 4° : Qui manè recitatis matutinis recitat officium diei totum, non peccat mortaliter, licet faciat contra consuetudinem generalem Ecclesiæ, ergo nec peccat ante matutinas celebrans Missam, licet id fiat contra consuetudinem generalem Ecclesiæ. His ita positis, si quis considerans hinc rationes, quæ militant pro secundâ sententiâ (ob quas ego huic sententiæ quà evidenter probabiliori adhæreo), illinc verò S. Antonini auctoritatem, quæ haud mediocris non est parvi facienda, uti nec aliorum veterum, cum quibus Durandus, Gabriel, Binsfeldius, Azorius, etc., censent esse peccatum mortale Missam celebrare absque legitimâ causâ ante dictas matutinas;

consideratâ itidem universalis Ecclesiæ consuetudine id confirmante, de quâ citati auctores testantur, si quis, inquam, in hâc opinionum contrarietate bivius hæreat inter utramque contradictionis partem, is ad piorum ac timoratorum usum se reflectens prudenter se resolvet non esse peccatum mortale, si etiam absque legitimâ causâ Sacrum ante dictas matutinas celebret. Rarissimè quippe hodiè pius et doctus propterea autumat se mortalis peccati reum, neque à confessariis etiam probis ac eruditis ideò de peccato mortali unquàm redarguuntur id practicantes implicitè sic arguendo : si sententia illa vera non foret, tot viri pii, docti ac timoratæ conscientiæ tam liberè eam non admitterent, ac se in praxi eidem non accommodarent. Ex quo vides quomodò, uti supra diximus, usus piorum ac timoratorum addat auctoritatis pondus saltem in tu exercito. Cæterùm, quòd peccet venialiter absque legitimâ causâ ante recitatas matutinas Sacrum celebrans, clarè constat ex iis quæ primâ sententiâ adferuntur. 1° Constitutio seu responsio Innoc. IV, 6 martii 1254 (quæ inter Bullas ejusdem pontificis in tomo magni Bullarii legenda est prima), in quâ ad articulos quosdam, circa quos inter Latinos et Græcos episcopos controversia orta erat ; ad articulum undecimum sic pontifex respondet : *Sacerdotes dicant horas canonicas more suo ; sed Missam celebrare, priusquàm officium matutinale compleverint, non præsumant.* 2° Quia id ipsum insinuat Julius III, dùm in Bullâ *Sacræ* (quæ habetur in litteris Apostolicis Societatis pag. 74 et 5), sic loquitur : *Facultatem anteponendi et postponendi officium divinum, aliàs vobis concessam, ad hoc ut tu, et pro tempore existentes religiosi Societatis, ex legitimis et justis causis (in quo tuam et successorem tuorum præpositorum generalium pro tempore existentium, et aliorum, quos ad hoc substitueritis, conscientiam oneramus), officium ipsum celebrationi Missæ liberè, et absque conscientiæ scrupulo postponere possitis, auctoritate et tenore prædictis extendimus et ampliamus.* Si autem non agnovisset præceptum saltem sub veniali obligans anteponendi officium nocturnum Missæ celebrationi, ad quid circa legitimitatem causæ ad postpositionem illam requisitæ præpositi generalis (tunc temporis S. Ignatii) et successorum ejus conscientiam onerâsset? 3° Id constat ex rubricis generalibus Missalis Romani *de Defectibus circa Missam occurrentibus*, cap. 10. *De defect. in Minist.* cap. 3, art. 4, etc., uti et rubricis Ord. n. *de Defectibus in ministerio Missæ.* Ubi inter defectus illos ponitur, quòd celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit. Quod inter defectus illos non poneretur, si nulla foret obligatio dicendi matutinum cum laudibus ante Missæ celebrationem. Nec obstat argumentum Tamburini, Gobat, etc., in contrarium, quòd utique inter matutinum et Missam nulla sit connexio necessaria magis, quàm inter matutinum et communionem ; adeòque nullum sit peccatum sine causâ celebrare ante matutinum magis, quàm communicare. Quia licet nulla sit connexio necessaria ex naturâ rei, secùs ex jure positivo, seu Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. Unde Alex. Natalis Th. mor. et dogm. tom. 3, l. 2, cap. 7, art. 4, ita resolvit : *Missam celebrare non licet, nisi matutino saltem cum laudibus absoluto, secundùm Rubricas Missalis, et Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habet, ut constat ex cap. In his, dist.* 11. Concludo ego cum Dominico Soto de J. et J. l. 10, q. 5, art. 4 : *Venialem esse culpam, ubi fieri posset commodè, si non priùs nocturnum solveretur officium : nam ob causam aliquam ordinem antevertere nulla est culpa, utpote si illi, qui nondùm matutinas dixit, causa incumbit celebrandi : quia vel prælatus præceperit, vel aliquis eleemosynam offert, ut statim dicat : imò verò si quis propter morbum legitimam haberet excusationem solvendi officium divinum, non video, cur non posset Sacrum Missæ facere : quamvis neque dixerit, neque dicturus esset cæteras horas.* Nunc ad propositum redeamus.

3° In dubio de sensu legis sequentia attendi debere monent doctores communiter. Si lex posterior videatur prioribus contraria ac derogativa, necesse est, ut per casuum divisionem aut aliam interpretationem reconcilientur ; jura enim juribus concordare debent, eorumque correctio, quatenùs fieri potest, vitanda. Exceptio à regulâ firmat eamdem in aliis, sicque certum casum à communi excipiens, confirmat eumdem in reliquis : lex autem pœnalis nec ultra casum vel personas extendenda : siquidem odia restringi, favores convenit ampliari. *Diminutio pœnarum* (inquit S. Th. 2-2, q. 157, art. 3, ad 1.) *fiat secundùm intentionem legislatoris, licet non secundùm verba legis.* Unde nec legis interpres debet nudè et simpliciter verba considerare, sed legislatoris intentionem ac voluntatem, cùm non debeat intentio verbis deservire, sed verba intentioni : ideòque non dubium est in legem committere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Ordinariè verba generalia legis generaliter accipienda sunt, et ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed

Quæres an generaliter in dubio de sensu legis benigna interpretatio sit facienda? Resp. benignam interpretationem in sano sensu intellectam generaliter esse præferendam. Dico *in sano sensu intellectam* ut excludatur sensus, quo nonnulli per benignam opinionem et interpretationem intelligunt eam, quæ favet libertati, per rigidam verò eam, quæ favet præcepto, qui sensus est falsissimus, quia potest opinio seu interpretatio benigna esse, quæ favet præcepto, opposita vero, quæ favet libertati, non benigna, sed esse laxa. Pro quo :

Nota 1° : Ex Mercero opinionem benignam differre à laxâ, quia benigna jugum Christi humanæ fragilitati ita coaptat, ut ferri possit, tamen simul nostram concupiscentiam compescit : jugum enim Christi quidem suave est, ut tamen adhuc jugum sit, de cujus ratione est, quòd cervicem aliqualiter premat, ne veluti jumentum effrenè elato collo deviet à viâ rectâ. Opinio ergo benigna est, quæ favet humanæ fragilitati, non tamen absque fructu legis, de cujus ratione est, quòd nostram concupiscentiam frenet. Laxa verò opinio est, quæ potiùs concupiscentiæ habenas laxat, infrin-

gi tque jugum Christi ac legis virtutem evacuat. Unde S. Th. 2-2, q. 147, a. 3, ad. 3: *Præcepta*, inquit, *non sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt utilia ad impediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de quâ dicitur ad Gal. 5 : Vos enim, fratres, vocati estis in libertatem, tamen, ne libertatem detis in occasionem carnis.*

Nota 2° : Benignam interpretationem legis illam propriè, et simpliciter dici, quæ favet communi hominum fragilitati; unde si viri etiam timoratæ conscientiæ secundùm oppositam interpretationem, conarentur observare aliquam legem, et nihilominùs ut plurimùm eam transgrederentur, tunc utique mitior legis interpretatio propriè dicitur benigna, et consulenda esset in praxi. Cujus ratio est : quia cùm finis cujuscumque legis sit bonum commune, cui opponitur communis transgressio legis, talis lex secundùm rigidam interpretationem non cederet in ædificationem animarum, sed potiùs in laqueum et destructionem. Quapropter juxta l. 19, ff. de Legibus, in ambiguâ voce legis, ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret; præsertim cùm voluntas legis ex hoc colligi possit. At si lex, juxta interpretationem rigidam, esset optimum remedium speciei humanæ, aut statui aliquorum ad reprimendam concupiscentiam, quam viri timorati cum ordinariis divinæ gratiæ auxiliis ut plurimùm observant, licet contingat laxioris conscientiæ homines in eâ invenire difficultatem, legemque sæpissimè transgrediantur; propterea lex hìc non est adoptanda per mitiorem interpretationem, cùm voluntas particularium potiùs legi communi conformari debeat, unde dicitur Ps. 1 : Beati viri voluntatem esse in lege Dei, non legem in voluntate, quia quod recipitur debet recipi per modum recipientis : in hujusmodi ergò casibus mitior interpretatio legis, non dicitur opinio benigna propriè, quia simpliciter non expedit humanæ fragilitati servatâ virtute et fine legis, sed potiùs diceretur opinio laxa, quia favet hominum concupiscentiæ. Ita benigna dicenda non est, sed potiùs laxa opinio, affirmans tactus et oscula, præcisâ delectatione venereâ non esse peccata, hæc namque humanæ fragilitati non favet, sed potiùs eam magis enervat; nam si semel alicui concedas delectationem sensibilem in tactibus et osculis licitam esse in praxi, non studebit hujusmodi actus pro suo posse evitare, ac proinde concupiscentiæ habenas laxans, manifestò exponitur periculo consentiendi in delectationem veneream, quæ ut plurimùm solet hujusmodi actus concomitari.

Nota 3° : Cum Thom. Vilar. de Consc. parte 4, § 4 apud. Merc. 3 p., art. 9, pro eodem accipi opinionem benignam, et opinionem piam, id est, inquit, quæ favet orphanis, viduis, peregrinis, pauperibus et egenis personis. Unde in aliquo casu, quo favet opinio aliqua libertati pœnitentis, opposita verò indemnitati pauperis, ut solet contingere in contrarietate opinionum circa contractus, opinio, quæ favet egenis, est benignior, non verò, quæ favet libertati, aut avaritiæ contrahentium. Similiter benigna opinio non est, quæ negat necessitatem internæ attentionis in divino officio persolvendo, cùm enim præceptum attentionis internæ secum non habeat annexam moralem difficultatem, quæ in considerationem venire queat, eò quòd sufficiat attentio virtualis relicta ex intentione actuali, quâ aliquis in principio orationis mentem ad Deum elevat, si hanc per voluntariam distractionem orans retrahere non censeatur, rigida non est opinio, quæ ex Ecclesiæ præcepto internam attentionem requirit, sed potiùs benigna, quia favet Deo, Religioni, ac animarum saluti, dùm fideles per talem intentionem offerunt id quod est in eis præstantius, scilicet mentem. *Et ideò* (inquit S. Th. 2-2, q. 83, art. 3 ad 3) *sicut mens humana præeminet exterioribus, vel corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei servitium applicantur; ita etiam oratio præeminet aliis actibus Religionis. Quia scilicet orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reverentiam subjicit, et quasi præsentat.*

Nota 4° cum Sylv. v. *Opinio*, benignam interpretationem dici, quæ favet promissionibus, legatis, testamentis, adeòque et votis et juramentis ad pias causas. Ratio est : quia testamenta, legata, vota, etc., ad pias causas, cedunt in majus emolumentum testantis, legantis, voventis, etc., ideòque iis adstringi favorabile est, non odiosum. E contra verò interpretatio promissionum, testamentorum, legatorum, etc., ad causas profanas non est benigna, nec favorabilis, sed odiosa, quia detrimentum adferunt promittenti et non utilitatem. Atque de iis dicitur l. *quidquid adstringendæ* 99, ff. de verb. Oblig. : *Quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palàm verbis exprimatur, omissum intelligendum est, ac ferè secundùm promissorem* (id est in favorem ipsius) *interpretamur : quia stipulatori liberum fuit verba clarè exprimere.* Ex quibus, quisquis salutis suæ non incurius fuerit, facilè intelligit, quo sensu in opinionum conflictu interpretatio sit facienda.

# SYNOPSIS

## EORUM QUÆ IN HOC TRACTATU FUSIUS DISCUTIUNTUR,

### CASIBUS CONSCIENTIÆ ILLUSTRATA.

### Voluntarium.

1° Dari voluntarium (quod est totius moralitatis fundamentum) peræquè certum est, ac dari voluntatem; rectèque definitur, quòd sit illud : *Quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis;* seu cla-

riùs, *cum cognitione objecti et circumstantiarum.* Hinc scienter occidens hominem, quem, si patrem esse sciret, nullatenùs occideret, homicida est, non parricida voluntarius : et universim, si quis invincibiliter erret in aliquâ circumstantiâ, quâ parte errat, non agit voluntariè, consequenter nec peccat ; cùm peccatum ita voluntarium sit malum, ut, si non sit voluntarium, non sit peccatum. Non requiritur tamen ad voluntarium nec ad peccandum formalis et expressa cogitatio, dubium, vel scrupulus de malitiâ actûs, sed sufficit virtualis, uti est in eo, qui potest, et tenetur advertere ad malitiam actûs in se, vel in causâ suâ, et non advertit : alioquin quot politici et consuetudinarii, sine ullâ prorsùs ipsius malitiæ cogitatione continuò peccantes, excusationes in peccatis haberent? unde meritò hæc est proscripta propositio : *Nunquàm peccatur, nisi prævià peccati cognitione animus illustretur.* Imò videtur hæc doctrina contrà communia christianæ theologiæ principia, ac innumera, etiam immanissima hominum peccata excusare.

Casus. *Sempronius notitiam habet de malitiâ actûs in genere, nullâque factâ inquisitione actum equidem ponit.* — Resp. ipsum non excusari à peccato mortali, censetur enim saltem virtualiter et interpretativè velle opus, quâvis fuerit malitiâ infectum.

2° Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet, et imperfecta : perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem perfectam : imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem imperfectam. Perfecta cognitio finis est, quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur *ratio* finis, et proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipsum. Imperfecta cognitio finis est, quæ in solâ apprehensione finis consistit, sine hoc, quòd cognoscatur ratio finis, et proportio actûs ad finem. Sub voluntario perfecto continetur omnis actus, et motus rationalis creaturæ, qui procedit ex perfectâ rationis advertentiâ, et intellectûs judicio : sub imperfecto omnis motus appetitivus brutorum, puerorum, et quicumque in nobis plenam rationis advertentiam prævenit.

Casus primus. *Titius dubitat an actio, quam posuit, fuerit sufficienter voluntaria ad peccatum mortale.* — Resp. si timoratæ sit conscientiæ, nec in illâ materiâ solitus peccare, judicari posse, non adfuisse perfectum voluntarium : secùs, si non sit timoratæ conscientiæ, ac in illâ materiâ peccare solitus, eò quòd in dubiis fortissima præsumptio desumatur ab assuetis.

Casus II. — *Caia dubitat an interiùs consenserit in furtum?* Resp. si nec occasio, nec commoditas defuerit, neque ratio aliqua humana, motivum, vel respectus adfuerit ab opere externo deterrens, signum esse à posteriori, si ab actu interiori processum non fuerit ad exteriorem, personam timoratæ conscientiæ non consensisse, saltem efficaciter : cum consensu deliberatè præstito, facilè fiat processus ad extra. *Quid si talis reflectat se in illis cogitationibus?* Resp. si se ita constitutam cognoscat, ut quamvis possit facilè peccatum committere, illud tamen non committeret, ut plurimùm judicandum est voluntatem non plenè consensisse.

Casus III. *Berta dubitat feceritne in somno vel in vigiliâ actionem de se malam?* — Resp. præsumendum fore non adfuisse consensum perfectum : quæ enim cum plenâ advertentiâ fiunt, facilè facta cognoscuntur.

Casus IV. *Bembus juvenis adeò pravis cogitationibus divexatur, ut in parte inferiori tentationem superare non potuerit?* — Resp. horrorem, timorem, pœnam, tristitiam, aversionem à peccato tam antecedentem, quàm concomitantem (secùs judica de consequenti, quæ est tantùm signum animi non firmati in malo), item virilem resistentiam partis superioris, signum ordinarium esse non fuisse in animâ timoratæ conscientiæ consensum deliberatum : hinc talis dubitans an in hæresin internam, blasphemiam, delectationem carnis, etc., consenserit, præsumere potest, se non consensisse ; idem est de piis animabus, omni tempore sollicitis, ne similes sibi motus obveniant, quærendo ac adhibendo remedia, etc. Unde illis quæ continuò malis cogitationibus obruuntur, ut vix sciant quid agant, prudenter suggeret confessarius securas reddendo, non peccâsse mortaliter. Benè tamen advertant pœnitentes, ne in materiâ lubricâ mentiatur iniquitas sibi : sensus enim et cogitatio humani cordis in hoc maximè malum prona sunt ab adolescentiâ suâ, ac providè suspectum sit in hoc proprium judicium oportet, cùm quilibet facilè judicet, prout est affectus.

3° Summè utilis est divisio voluntarii in directum et indirectum. Directum dicitur, quod procedit à voluntate sicut ab agente, ut odium, fornicatio, furtum, etc. ; indirectum est quod ab eâ est, sicut à non agente, sicut subversio navis dicitur esse à gubernatore, in quantùm desistit à gubernando, sicut combustio domûs imputatur famulo lumen custodire non curanti, sicut et mors pauperis in extremâ necessitate constituti diviti istius haud ignaro. De quo verificatur illud : *Si non pavisti, occidisti.*

Casus primus. *Lentulus vovet intra annum suscipere sacros ordines, quo impleto nec ordines recipit, nec horas recitat.* — Resp. eum quidem violare votum, quòd ordines non recipiat, non tamen peccare ex eo quòd horas non recitet, quia illis recitandis proximè non adstringitur ; ad hoc enim, ut omissio aliqua sit non tantùm voluntaria, sed et culpabilis, non sufficit, quòd voluntas potuerit agere, sed requiritur agendi debitum proximum.

Casus II. *Caius ebrius commisit multa peccata in ebrietate.* — Resp. non semper omnia ipsi imputari ad culpam, nam, ut effectus sit in causâ voluntarius, requiritur, ut agens advertere possit, et debeat ex causâ tali à se positâ, vel non ablatâ secuturum talem effectum. Unde ea solùm illi imputantur mala, quæ poterant prævideri, qualia sunt, ad quæ se homo per experientiam eo tempore pronum agnoscit, vel quæ impedire tenebatur non ponendo vel auferendo causam : hinc non imputantur cuiquam cogitationes malæ,

quas quis fortè pateretur ex eo, quòd super nudo pavimento non dormiat, vel extraordinariis jejuniis vel vigiliis corpus non castiget, et ita in servitutem redigat, uti nec Deo (cui odio sunt impius et impietates ejus) imputantur peccata nostra.

Casus III. *Caupo prævidet aliquos ebrietati proximos inebriandos per vinum, quod illis, petentibus promit.* — Resp. secluso nocumento notabili (quod in simili ab usurario mutuum petentes excusat) quod ex denegatione vini cauponi provenit, ebrietatem illorum censeri indirectè et interpretativè voluntariam cauponi. Quia propinatio vini in tali casu comparata ad statum bibentium ex naturâ suâ tendit ad ebrietatem eorum, ut ita ebrietas non sit solùm adscribenda malitiæ bibentium, sed et voluntati propinantium similium cauponum imputanda. *Sed quid, si prævideat ebrietati proximos ob denegatum vinum suscitare rixas, etc.?* Resp. has futuras solùm scandalum pharisaicum, unicè eorum malitiæ adscribendum. *Quid denique, si inter convivas plures sint, qui vinum adhuc capere valeant?* Resp. quòd possit eis caupo id propinare, licet præsciat, eos illi, qui illud portare nequit, esse propinaturos. Quia habet justam causam propinandi valentibus ratione, quòd autem hi sint propinaturi proximis ebrietati, horum propinatorum malitiæ est adscribendum.

## Involuntarium.

1° Quemadmodùm ad rationem voluntarii duo indispensabiliter exiguntur, scilicet principium intrinsecum, et cognitio dirigens, ita contrariè illi oppositum involuntarium, vel ex eo provenit, quòd operatio procedat à principio extrinseco, vel quòd tollatur aut turbetur cognitio dirigens. Atque ex duplici hoc capite, quatuor distinctæ involuntarii causæ eliciuntur : Violentia, metus, concupiscentia, ignorantia.

2° Nihil adeò evertit voluntarium, quàm violentum, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim, seu positivè renitente, actuali vel saltem virtuali renitentiâ : enim verò, uti in rebus, quæ cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam, ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Violentia, cùm absoluta fuerit, reddit actum absolutè et simpliciter involuntarium : tunc autem censetur absoluta, dùm patiens omnibus viribus, quibus potest, juxta materiæ qualitatem resistit.

Casus primus. *Sempronius actu externo ex inductione alterius veneratur idola.* — Resp. ipsum peccare mortaliter, eò quòd non juxta materiæ qualitatem resistat, licet etiam internè dissentiat : secùs judica, si ipsis externis membris vis inferatur.

Casus II. *Agrippæ honestæ familiæ vis infertur, ac defloratio in proximo est.* — Resp. ipsam teneri omnibus viribus, quibus potest, aggressorem repellere, cùmque in materiâ tam viscosâ communiter adsit periculum consensûs, etiam cum famæ dispendio et vitæ periculo tenetur clamare, ac omnimodò reluctari, si clamor vel reluctandi conatus speretur profuturus, quia tenetur præcepto negativo non fornicandi, aut actui venereo consensum denegandi

3° Metus est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio; communiter dividitur in metum gravem, et levem. Metus levis dicitur, quo leve malum timetur, aut grave quidem, sed ex levi et improbabili causâ. Gravis verò vocatur, quo ex causâ benè probabili timetur grave malum, unde ut colligatur, quis gravis, quis levis sit metus, maximè attendendum est ad mali et personarum qualitates; qui enim respectu unius personæ est gravis, sæpè respectu alterius metus erit levis. In objecto actûs ex metu provenientis sufficiens ratio boni et mali refulget ad causandam volitionem et nolitionem : atque exinde omne, quod metu fit, mixtum dicitur ex voluntario et involuntario : *Voluntarium* scilicet simpliciter et involuntarium secundùm quid. Sic mercator ingruente tempestate absolutè quidem vult merces projicere, quia hoc bonum existimat ad propulsandum imminens vitæ periculum, nollet tamen, si tempestas cessaret; atque adeò inefficax illa nolitio, affectus amoris est, non timoris : actum tamen causatum per timorem ubique comitatur, nisi affectus ad rem, per oppositum amorem jam ante cessaverit (aut fortè, si id fieri potest) per ipsum timorem totaliter absorbeatur. Longè aliud est agere ex metu, aliud cum metu. Primum influxum in actum designat, secundum nudam dicit concomitantiam. Ut aliquis eximatur à culpâ, nullus metus sufficienter reputatur justus, si propter illum quis in opus intrinsecè malum, seu peccatum etiam veniale consentiat. Quanquàm ratione metûs diminuatur culpa, non quidem, quasi de mortali fiat veniale, et veniale nullum, sed ita quòd relinquendo peccatum intra limites mortalis vel venialis, si fiant propter metum, leviora erunt intra primos limites, eò quòd diminuatur libertas ejus, qui metu id agit, quod nequaquàm alioquin esset facturus. Metus gravis à præcepto positivo excusat, tam humano quàm divino : quia non est verosimile Deum aut legislatorem humanum obligare voluisse hominem in causâ tanti mali, v. g., vitæ periculo : nisi fortè malum quod imminet, justus legislator ipse præviderit, aut ex neglectu legis majus reipublicæ timeatur incommodum, quàm æstimari debeat jactura privata; item nisi transgressio cessura sit in contemptum potestatis legislatricis, fidei aut Religionis detrimentum : nam ubi illa occurrunt, lex naturæ de non inhonorandâ Religione, aut lege, tunc requirit, ut legis positivæ observatio damno proprio anteferatur. Cum periculo igitur mortis, mutilationis, etc., non tenetur catholicus in die festo Sacrum audire, benè tamen stationem servare, si miles sit in bello justo, similiter et in die jejunii à carnibus abstinere, si in ecclesiasticæ legis contemptum, aut Religionis opprobrium esus carnis ab hæreticis exigatur

Casus primus. *Titius metu mortis adactus, sine dispensatione matrimonium contrahit cum Bertâ consobrinâ suâ.* Resp. eum et invalidè et sacrilegè sic contrahere. Quia cùm personæ ad sic contrahendum sint in

habilitatæ, substernitur Sacramento materia inhabilis et nulla, quod est intrinsecè malum.

Casus II. *Caius sacerdos eodem mortis metu compulsus, celebrat coram publicè excommunicato.* — Resp. si Caius celebret coram notoriè excommunicato cum scandalo populi, eum à peccato mortali non excusandum, eo quòd tunc subintret præceptum negativum, de non inhonorandâ aut vilipendendâ auctoritate ecclesiasticâ; si verò illa communicatio fiat sine scandalo populi, ad salvandam propriam vitam, excusari potest. Ac ita teste Soto doctores communiter interpretantur cap. *Sàcris* de his, quæ vi, metûsque causâ fiunt.

Concupiscentia, quæ est motus seu passio appetitûs sensitivi, quo inclinamur ad aliquid prosequendum, est causa involuntarii, in quantùm considerationem rationis impedit: quod tripliciter fieri potest. Primò uti docet S. Th. 1-2, q. 77, art. 1, § 2: « Per abstractio-« nem vel distractionem, cùm enim omnes animæ « potentiæ in unâ animæ essentiâ radicentur, necesse « est, quòd quando una potentia intenditur in suo « actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam tota-« liter impediatur; quia in operibus animæ requiritur « quædam intentio, quæ dùm vehementer applicatur « ad unum, non potest alteri vehementer attendere. « Quandò ergò motus appetitûs sensitivi per vehe-« mentem passionem fortificatur, necesse est quòd re-« mittatur, vel totaliter impediatur motus appetitûs « rationalis. Alio modo impeditur rationis considera-« tio ex parte objecti; impeditur enim judicium, et « apprehensio rationis propter vehementiam, et inordi-« natam apprehensionem imaginationis, ut patet in « amentibus. Unde etiam videmus quòd homines in « aliquâ passione existentes non facilè imaginationem « avertant ab his circa quæ afficiuntur; sic judicium « rationis plerumque sequitur passionem appetitûs « sensitivi; et consequenter motus voluntatis, qui na-« tus est sequi judicium rationis, impeditur. Tertio « modo impeditur per quamdam immutationem cor-« poralem, in quâ ratio quodam modo ligatur, ne li-« berè in suum actum exeat, sicut ebrietas, quâdam « corporali transmutatione factâ, ligat usum rationis, « quemadmodùm et somnus. Quod autem hoc contin-« gat in passionibus, patet ex hoc quòd aliquando, « cùm passiones multùm intenduntur, homo amittit « totaliter usum rationis. » Ex quâ doctrinâ infert S. Th. art. 3, peccata, quæ fiunt ex passione, meritò appellari peccata infirmitatis, quia, inquit, « sicut « corpus infirmum dicitur, cùm debilitatur, vel impe-« ditur ab executione propriæ operationis, propter ali-« quam inordinationem partium corporis, ita scilicet, « quòd humores et membra hominis non subdantur « virtuti regitivæ et motivæ corporis; sic, quando ex-« tra ordinem rationis vis concupiscibilis, aut irasci-« bilis aliquâ passione afficitur, et per hoc impedi-« mentum præstatur modo prædicto actioni hominis, « dicitur esse peccatum infirmitatis. » Ex quibus vides concupiscentiam posse vel minuere aut tollere omninò voluntarium, quandò aliqualiter impedit intentionem, et applicationem animi ad ea quæ secundùm rectam rationem agere, vel omittere quis debet. Tollit totaliter voluntarium, quando totaliter impedit usum rationis, sicut contingit in iis qui propter concupiscentiam fiunt amentes; auget verò dùm sequitur judicium rationis, et motum voluntatis, sic ubi est major concupiscentia, est majus peccatum, insurgit enim major concupiscentiæ motus ex hoc quòd voluntas ineffrenatè tendit in suum objectum. Quod clariùs explicans idem S. D. ibidem art. 6, notat concupiscentiam seu passionem posse se habere ad liberum arbitrium antecedenter, et consequenter. « Antecedenter quidem, « secundùm quòd passio trahit, et inclinat rationem « vel voluntatem uno ex modis prædictis. Consequen-« ter verò se habet, secundùm quòd motus superiorum « virium, si sint vehementes, redundant in inferiores. « Non enim potest voluntas intensè moveri in aliquid « quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo, sic « igitur patet, quomodò passio minuat voluntarium « vel augeat: voluntarium quippè est existens per ra-« tionem et voluntatem. Unde quando ratio et volun-« tas agunt aliquid ex se, non ex impulsu passionis, « magis hoc est voluntarium. Passio ergo minuit vo-« luntarium, quando præcedit actum voluntatis illam « impellendo: quando verò ipsa passio excitatur per « ardorem, quo voluntas fertur in aliquod objectum, « tunc auget potiùs quàm minuat voluntarium. » *Et sic*, inquit S. Thom., *verum est, quòd quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentiâ peccat, tantò magis peccat.* Quod advertant illi, qui deliberatâ voluntate, et cum animi reflexione, currunt ad voluptates, vel ad alia bona temporalia, in his enim ad malum assuetis et voluntas passionem excitat, et passio excitata voluntatem trahit, et magis peccantem facit.

5° Cùm nihil sit volitum, nisi præcognitum, manifestè liquet, quòd ignorantia quoque adversetur voluntario, unde et illa causat involuntarium eà ratione, quâ privat cognitione, quæ exigitur ad voluntarium: sublatâ enim cognitione per ignorantiam, aufertur voluntatis actus, et sic tollitur voluntarium, saltem ad id quod est ignoratum: et in tantum excusat à peccato. Tripliciter se habet ignorantia ad actum voluntatis. Antecedenter, concomitanter, et consequenter. Primo modo se habet, quando nequidem interpretativè est voluntaria, et tamen est causa volendi id quod aliàs non vellet, in quantum scilicet removet prohibens, scilicet scientiam, quæ si adesset, opus non fieret, et talis ignorantia causat involuntarium simpliciter, excusatque omninò à peccato. Concomitanter se habet, quando ignorantia est de eo quod agitur, tamen etsi sciretur, nihilominùs ageretur: tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat, sed accidit simul esse factum et ignoratum; sicut cùm aliquis vellet quidem occidere hostem, sed ignorans occidit, putans occidere feram, et talis ignorantia non facit involuntarium, sed facit actum non voluntarium (quia non potest esse volitum quod est ignoratum) eximitque à peccato effectum, quem indirectè causat, non malum affectum, quem concomitatur. Consequenter autem habet se ignorantia ad voluntatem, in quantum ipsa

ignorantia est volita; et hoc dupliciter : uno modo, quo voluntas directè fertur in ignorantiam, sic, ut ipsa explicitè desideretur, et scientia illi opposita sit objectum nolitionis, sicut cùm aliquis vult ignorare, vel sponte suâ cupit nescire, ut liberiùs peccet. Alio modo indirectè tantùm, sicut dùm quis non curat addiscere ea quæ scire potest, et tenetur. Neutra à peccato excusat. Undè Magnus P. Augustinus : Etsi damnabiliora peccata sint, quæ à scientibus committuntur, tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, non legeremus : *Ignorantias meas ne memineris.* Imò frustra Salvator in cruce orâsset pro suis crucifixoribus, quippe nescientibus ( ipso teste ) quid facerent, et ita nunquàm peccantibus : *Si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* Et tamen damnata est hæc : *Non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt.* Hinc etiam peccant, qui expressè à doctis et piis consilium petere negligunt, ut excusationem peccati habeant, vel ut non retrahantur à peccando : hinc propter negligentiam nescientes ea, quæ sunt fidei, ac quæ communiter in Ecclesiâ solemnizantur, et publicè proponuntur, etiam universalia juris præcepta, quæ ad mores benè formandos pertinent, à peccatis excusandi non sunt : sic religiosi tenentur scire sua statuta, confessarii distinguere inter lepram et lepram, etc., advocati et medici quæ sua concernunt officia, scire obligantur.

6° Ignorantia eorum quæ scire tenemur, non modò est causa peccati, sed et peccatum in se ipsâ, quandoque ejusdem malitiæ, quandoque specie distinctæ ab eo, quod per illam causatur. Dupliciter enim quis obligatur ad scientiam. Primò, quia tenetur quippiam facere, vel omittere, ita ut obligatio ponendi actum sit unica ratio acquirendi, vel habendi scientiam. Secundo modo præcipitur scientia per se et ratione suî, præcisè ex eo quòd quis in tali sit constitutus gradu, munere, aut dignitate. Priori modo ignorantia non habet malitiam specie distinctam ab eâ, quæ derivatur ex opere vel omissione. Posteriori modo semper in se peccatum est, licet fortè hìc et nunc non sit causa peccati alterius. Confessarius itaque, qui ex ignorantiâ culpabili sacrilegè absolvit, dupliciter peccat, et quia habitualiter ignorans fuit, et quia actu processit imprudenter, non tamen semper peccat actu, sed quoties adest tempus, vel datur occasio acquirendi scientiam, quam studiositatis lege habere obligatur. Ast quanta hìc in acquirendâ scientiâ requiritur diligentia, ut ignorantia meritò reputetur involuntaria ? Resp. cùm plura ad officium episcopi, item ad munus doctoris, pastoris, confessarii, religiosi, quàm ad officium simplicis laici, civis, vel rustici pertineant, sequitur hujusmodi personas ad plura scienda obligari, idcòque ad ampliorem diligentiam adhibendam, pro obtinendâ scientiâ muneri respectivè debitâ et proportionatâ. Undè si advocati, medici, pharmacopolæ, etc., ordinariam juxta muneris sui conditionem, diligentiam adhibuerint, ad sciendum illa, quæ sunt officii sui, ac juxta gravitatem negotii, hìc et nunc occurrentis, requisitam adhibeant circumspectionem, in conscientiâ possunt esse securi : aliàs et magni peccati rei erunt, et restitutioni obnoxii, si suâ vel nescitiâ, aut in agendo incuriâ clientibus suis alicujus fuerint causa damni.

7° Si quæras an et quâ ratione ignorantia peccatum saltem minuat? Respondet S. Th. 1-2, q. 79, art. 4 : *Quandoque contingere, quòd ignorantia directè et per se sit voluntaria..... et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum ; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi. Quandoque verò ignorantia, quæ est causa peccati, non est directè voluntaria, sed indirectè, vel per accidens, puta cùm aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem ; vel cùm quis vult bibere vinum immoderatè, ex quo sequitur, eum inebriari, et discretione carere, et talis ignorantia diminuit voluntarium, et per consequens peccatum. Cùm enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici quòd voluntas directè et per se feratur in peccatum, sed per accidens ; undè ibi est minor contemptus, et per consequens minus peccatum.*

8° Ad arguendum peccati opus factum ex ignorantiâ, duo indispensabiliter requiruntur : scilicet et quòd ignorantia possit vinci, et quòd ad eam vincendam operans teneatur ; quorum alterum si desit, jam aderit justa de peccato excusatio. Dari ignorantiam invincibilem à peccato excusantem in iis, quæ sunt facti, in confesso est apud omnes, etiamsi illud factum ad jus naturale pertineat, ut liquidò constat ex facto Jacob. Sine controversiâ etiam passim admittitur circa ea, quæ sunt juris humani, tam ecclesiastici quàm civilis. Sed quid de ignorantiâ juris naturæ? Numquid et illa dari potest, et admisso, quòd detur, operantemne ex illâ à peccato excusat? cum Jansenio sentiat, qui voluerit. Nos existimamus fore distinguendum : et ultrò quidem admittimus, legem naturalem, quoad prima morum principia, quæ formatoris nostri manu in ipsis hominum cordibus veritas scripsit, insuper et quoad secundaria quædam præcepta communissima, quæ per consequentiam multùm facilem, omnibusque notam, ex prioribus his immediatè deducuntur, neminem unquàm *invincibiliter* ignorâsse. At verò quoad particularia quædam naturæ dictamina, quæ admodùm difficulter et obscurè nimis, nec nisi illationibus multis tanquàm Decalogi abstrusissima consectaria, ex primis illis manifestissimis principiis eruuntur, ignorantiam invincibilem dari non posse, nemo evincet. Est quidem hæc ignorantia conditio et defectus vulneratæ, et corruptæ naturæ, quæ à peccato, et ex peccato est, sed peccatum non est, ut universim concupiscentia, et motus concupiscentiæ primò primi vinci non possunt, non tamen peccata sunt, licet ex peccato sint, et in illud inclinent.

## Regulae Moralitatis.

1° Regula voluntatis humanæ est duplex, una propinqua et homogenia, scilicet ipsa humana ratio : alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est

quasi ratio Dei; quòd autem humana ratio sit regula voluntatis humanæ, habet ex lege æternâ : unde manifestum est, quòd multò magis dependeat bonitas humanæ voluntatis à lege æternâ, quàm à ratione humanâ; et licet lex æterna nobis ignota sit, secundùm quod est in mente divinâ, innotescit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab ipsâ derivatur, ut propria ejus imago, vel per aliquam revelationem superadditam ad legem æternam, quæ est dictamen intellectûs divini; spectat hùc quoque divina voluntas, quæ est prima regula, prima per modum primi exemplaris imitabilis, cui voluntati divinæ nostra debet conformari : unumquodque enim bonum et rectum est, in quantum attingit ad propriam mensuram. Debet, inquam, conformari non in volito materiali, ut semper debeamus velle, quod Deus vult, sed in volito formali, seu ex parte rationis volendi, ut semper debeamus velle aliquid, propter quod Deus vult.

2° Altera actûs humani regula particularis et proxima est conscientia, de quâ docet doctor Angel., quòd non sit potentia, vel habitus, sed quidam rationis actus, quo cognitionem alicujus veritatis applicamus ad agendam, vel omittendam aliquam actionem. *Conscientia siquidem*, inquit, *secundùm proprietatem vocabuli, importat ordinem scientiæ ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia. Est igitur judicium rationis, quo cognitam veritatem applicamus ad agendum, vel aliquid omittendum. Hujus actûs sunt testificari, ligare, vel instigare; accusare, remordere, sive reprehendere. Applicatio autem cognitæ veritatis fit tripliciter; uno modo, secundùm quòd recognoscimus aliquid nos fecisse, vel non fecisse : et secundùm hoc conscientia dicitur testificari. Secundo modo applicatur veritas, secundùm quòd per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum vel omittendum : et secundùm hoc dicitur conscientia ligare vel instigare. Tertio modo applicatur secundùm quòd per conscientiam judicamus, quòd aliquid, quod est factum, sit benè, vel malè factum; et secundùm hoc conscientia dicitur excusare, vel accusare, vel remordere.*

3° Notissima et congrua est divisio quinaria conscientiæ in rectam, erroneam, dubiam, opinativam, et probabilem. Recta est, quæ passionibus non obfuscata, ex principiis practicis secundùm omnes circumstantias rectis, applicat ad agendum vel omittendum aliquid. Erronea est quæ ex falsis et non rectis principiis, sive in se, sive in aliquâ circumstantiâ judicat aliquid esse agendum vel omittendum. Dubia est, quæ inter duas partes fluctuat, non minùs ad unam, quàm ad aliam inclinans : quod duobus modis fieri potest. 1° Cùm intellectui non occurrunt rationes suadentes ullam partem. 2° Quando ex alterutrâ parte rationes occurrunt, sed tales ut non possit discernere quænam sint potiores. Conscientia opinativa est, quæ probabiliter existimat unam partem esse veram, eique assentitur, sed cum formidine, ne altera pars vera sit. Denique scrupulosa, quæ ex levibus rationibus movetur ad aliquid suspicandum, ideòque formidine quâdam et anxietate torquetur.

4°. Omnis conscientia, sive recta, sive erronea operantem obligat; unde, omnis voluntas discordans à ratione sive rectâ, sive errante, mala est. Diversimodè tamen ligat conscientia recta et erronea : recta quidem ligat simpliciter et per se, erronea autem secundùm quid et per accidens. Dico autem rectam ligare simpliciter, quia ligat absolutè et in omni eventu, sed conscientia erronea non ligat, nisi secundùm quid, et sub conditione, si talis duret conscientia. Conscientia recta *consulens* necessariò sequenda non est : hinc non peccant, qui inspirationibus divinis non obsequuntur in iis quæ sunt consilii tantùm, quantumvis conscientia ad ea alliciat; at conscientia recta aliquid *præcipiens* vel *prohibens* ita hominem obligat, ut peccet, nisi ei obediat. Rectitudo conscientiæ desumenda est ex prudenti dictamine practico, quo intellectus per bonam ratiocinationem et reflexionem, spectatis omnibus circumstantiis, ac debitâ præmissâ diligentiâ, ex duobus principiis practicis moraliter veris, colligit actionem hìc et nunc esse licitam, vel illicitam, quidquid interim speculativè et materialiter erroris subsit, prout fuit, dùm Jacob accessit ad Liam, quam putabat esse Rachelem, poteratque hunc prudenter formare discursum : honestum est propriam accedere uxorem, sed hanc esse meam uxorem hìc et nunc prudenter judico, ergò honestum est illam accedere : petenda sunt illa principia practica non ex affectu inordinato, non ex consuetudine, nisi bonâ et laudabili, non ex operantium præcisè multitudine, quæ aliquando decipit maximè : sed ex Scripturâ sacrâ, morum traditione, conciliis, et sanctis Patribus, denique ex auctoritate gravi virorum piorum ac doctorum in materiâ de quâ agitur, maximè versatorum, si nec æqualis, nec major faveus sententiæ oppositæ obstet auctoritas.

5° Conscientia erronea, sive vincibiliter, sive invincibiliter erronea sit, semper obligat, sed diversimodè, hæc, ut positivè secundùm eam operemur; illa ne contra eam agamus, quamdiù perseverat; si ergo aliquis habeat conscientiam erroneam, quam non potest deponere, contra eam agere peccatum est; quia omnis voluntas discordans à ratione etiam errante, semper est mala : id enim, quod dictat conscientia erronea, accipitur ab errante. Ut ipsa lex Dei, ideò si ab hoc recedat, recedit à lege Dei : obligatio igitur oritur non virtute rationis humanæ, sed virtute præcepti divini per rationem erroneè applicati, cùm ratio errans judicium suum proponat, ut à Deo derivatum. Exemplum subministrat Angelicus : si præceptum imperatoris ad aliquem venire contingeret mediante proconsule, tunc idem esset contemnere præceptum imperatoris et proconsulis, sive proconsul verum diceret, sive falsum : eodem modo, quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et præceptum Dei. An conscientia erronea temerè et pro libitu deponenda? minimè, hoc enim potiùs esset contemnere, quàm deponere : unde ad legitimam depositionem requiriritur causa intrinseca, vel auctoritas, ob quam hìc et

nunc prudenter judicat contrarium ejus, quod antea judicaverat; ne affectantes ignorare, et nolentes sæpè circumstantias examinare, Deo dicant in effectu : Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

6° Juvat autem pro re confessariis obviâ, ac illius necessariâ discussione hìc insercre ea, quæ de modo, et radice ignorantiæ et erroris conscientiæ doctissimè tractat S. Antoninus. De modo quo ex ignorantiâ errare potest conscientia inquit S. Archipræsul 1 p., tit. 3, cap. 10, § 3. « Conscientiam duobus modis errare posse, scilicet ex falsâ assumptione, et ex falsâ « applicatione. Ex falsâ assumptione, puta, quomodò « aliquis assumit aliquod malum, vel falsum tanquàm « bonum vel verum, v. g., his qui occidebant Apostolos, dicebat conscientia, quòd ex hoc placerent Deo, « Joan. 16. Secundò errat conscientia ex falsâ applicatione, quando ex aliquibus veris formatur. Possunt « siquidem ex veris principiis deduci falsæ conclusiones. Quædam enim sunt conclusiones, in quibus ita « relucent prima principia agendorum, quòd circa ea « conscientia errare non potest; sicut Deum non esse « diligendum, malum scienter esse faciendum, et hujusmodi. Et quædam alia sunt circa quæ errare potest, « et errat, ut habet Beatus Thom. in quæstionibus *de « veritate* q. 17; exemplum potest poni de eo qui facit « id quod habet speciem mali, licet non sit malum, « existimans sibi sufficere intentionem bonam, quam « habet non curans de scandalo proximi. Sicut quidam « in primitivâ Ecclesiâ carnes idolis immolatas manducabant, quod quidem in se licebat, sed non in circumstantiâ scandali fratrum, ut ipsi falsò putabant.

7° De radice verò erroris conscientiæ docet ibidem S. Anton., errorem conscientiæ, oriri ex septem causis. Prima « ex ignorantiâ, de quâ jam satis diximus. « Secunda ex negligentiâ, quæ, ut vidimus, non excusat. Tertia ex nimiâ vel inordinatâ sui benevolentiâ; ex eo enim, quòd aliquis nimis seipsum diligit, inclinat et præcipitat conscientiam ad illud, « quod appetit, et sic eam à suâ rectitudine facit declinare. Unde Seneca : Perit omne judicium, cùm « res transierit in affectum. Talis conscientia, diligentis nimis seipsum, est nimis larga, et ideò cavenda, quia facit hominem præsumptuosum, dicens « malum esse bonum, salvat damnandum. Quarta error conscientiæ provenit ex cordis pusillanimitate, « quâ quis timet non timenda secundùm judicium rationis, juxta illud Ps. 13 : *Illic trepidaverunt timore, « ubi non erat timor*, et talis conscientia eò nimis « stricta scrupulosa est, et vitanda, quia nimis periculosa est. Nam facit de bono malum, de festucâ « trabem, id est, de levi peccato grave, generat desperationem, damnat salvandum. Quinta oritur ex « superbiâ, scilicet quando quis non humiliat intellectum suum, ut velit melioribus, prudentioribus, et « superioribus credere. Sexta oritur ex perplexitate, « ex quâ, quidquid fiat, sequitur inevitabilis necessitas peccandi; puta, cùm quis videt se positum inter duo operabilia, quorum alterum oportet agere, « et quodcumque fecerit, impossibile est non peccare. « Super quo dicitur ex concilio Toletano, dist. 13, « cap. 1 : Duo mala, licet cautissimè sint præcavenda, « tamen si periculi necessitas unum ex his perpetrare « compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu « noscitur obligare. Sed hæc perplexitas quantùm ad « rem nihil est, ut dicit glossa. Nec verum est, quòd « aliquis possit esse perplexus inter duo mala; sed « hoc procedere potest ex stultâ opinione ipsius, et « erroneâ conscientiâ, vel ex præsumptione alicujus, « in quo vult manere firmus. Puta, juravit aliquis ho- « minem occidere, format sibi conscientiam, licet er- « roneam, quòd si non occidat, pejerat; si occidit, « homicida est. Et sic est perplexus ex fatuâ æstima- « tione, nam et non occidendo perjurus non est. Si- « militer habens quis odium, ex præsumptione non « vult communicare in Paschale, perplexus est sup- « positâ præsumptione suâ, quia sive communicet, « sive non, necesse est ipsum peccare : sed in veritate « non est perplexus, quia potest et debet dubium de- « ponere. 2° Procedit error conscientiæ ex humilitate « et cordis puritate. Bonarum mentium ibi culpas agno- « scere, ubi culpa non est, inquit S. Gregorius relatus « dist. 5, cap. *ad ejus*, et hic error laudabilis est; » hucusque S. Antoninus

Casus. *Titius adeò perplexus est, ut conscientia ejus dictet, eum semper peccaturum, sive actum ponat, sive omittat : v. g., assistens moribundo existimat se peccare, sive ægrum deserat, sive Sacrum omittat.* Resp. ipsi eligendum fore quod minus malùm apparet, adeòque omittatur Sacrum, ut infirmo subveniatur : quòd si nec hoc ipsum determinare poterit, quidquid egerit, non peccabit, nemo enim peccat in eo quod vitare non potest.

8° Ad sciendum, quâ peccati specie peccet agens contra conscientiam vincibiliter erroneam; respondet S. Th. : In bonum non fertur voluntas, nisi secundùm quod à ratione proponitur, si ergò proponatur ut malum à ratione errante vincibiliter, fertur in hoc sub ratione mali : unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id, quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis, unde operans tale committit peccatum, quale committere se arbitratur : sicque cognoscens liberam, putans erroneè conjugatam, adulterii peccatum committit.

9° Dubium, à quo conscientia dubia nominatur, aliud est speculativum dùm scilicet de aliquâ re, sitne bona vel mala, vel de propositione, sitne vera vel falsa, dubitatur. Aliud est practicum, quo dubitatur, an hìc et nunc liceat sibi facere actionem vel omittere. Ex dubio speculativo oritur practicum, tanquàm effectus ex causâ. Dubitans enim an liceat laborare die festo, per se loquendo etiam dubitat, an hoc die festo laborare valeat. Interdùm tamen dubii speculativi in practicum influxus, speciali emergente circumstantiâ necessitatis, v. g., novum et certum discursui practico præbente fundamentum, impeditur. Licitum est agere cum conscientiâ solùm speculativè dubiâ, sed practicè verâ, uti in confesso est apud omnes. Qui practicè

dubius de rei bonitate vel malitiâ, aut actionis suæ honestate vel inhonestate, operatur, peccat, discrimini se exponens : adeòque tenetur vel partem tutiorem eligere, vel antequàm agat, dubium deponere; idque non temerè, sed vel ex doctorum piorumque consilio, vel gravi rationum pondere, quæ prudentùm judicio ad rationabilem dubii depositionem sufficiant, ut certum moraliter rationis dictamen formari queat.

10° Si sis dubius in materiâ justitiæ, num, v. g., res sit tua, vel alterius, et præter rationes tibi cum alio æquales, tu possessione certâ gaudeas, melior est conditio tua, qui certò possides. Eo quòd possessio, quæ est quoddam complementum et exercitium dominii, pariat pro te præsumptionem juris, te esse rei dominum. Hæc tamen regula *de meliori conditione possidentis* locum solùm habet in causis civilibus, non verò in criminalibus, ut notat optimè Fagnanus in cap. ne innitaris de Constit., n. 205, ubi : « Si, inquit, « reus de furto, vel de aliquo alio crimine accusatus, « vel inquisitus peteret se absolvi, eo quòd sit in pos- « sessione non committendi hujus modi facinora, et « judex pronuntiaret eum esse manutenendum in dictâ « possessione, esset profectò ridiculus. » Dicant ergò Probabilistæ, qui hanc regulam extendunt ad materias aliarum virtutum à justitiâ, etiam dùm de obligatione legis divinæ agitur, an agatur inter Deum et creaturas, de aliquâ causâ civili, numquid non potiùs de causâ criminali? « Quis non videat, inquit Vasquez « in 1-2, q. 65, cap. 4, et disp. 66, cap. 1, ridiculum « esse allegare possessionem libertatis contra Deum? « quasi verò imaginari quis possit, Deum litigare no- « biscum de anterioritate possessionis? quinimò in « causâ succumbere, si nostra possessio probetur an- « terior? » Et verò, quicumque es libertatis humanæ patronus, edic, an loquaris de libertate hominis physicâ ad bonum et malum pronâ, an verò de libertate hominis morali, quæ est solùm de bono morali? si de primâ loquaris, illi perlibenter possessionem adjudico, illaque semper manet, quamvis lex sit certa, cùm maneat homini libertas sua physica : si de morali seu de libertate, quæ versatur circa licitum vel illicitum, in casu dubii, an lex sit lata, vel non sit lata, id solùm evinces, quòd dubia sit tua possessio : eo ipso enim, quò incipis dubitare de lege latâ, incipis etiam dubitare, num libertatem habeas, seu facultatem licitè agendi contra eam, adeòque de possessione libertatis : eo ipso, quo in dubio facti incipis dubitare, v. g., de emissione voti, incipis etiam dubitare de jure et libertate contrahendi matrimonium. Neque allegare potes præsumptionem veritatis, quòd lex potiùs non sit lata, quàm quòd sit lata; ridiculè enim concludis : *ego possideo libertatem physicam*; ergo eo ipso, quo dubito, an lex sit, vel non sit lata, præsumo potiùs legem non esse latam, quod tamen requiritur ad honestatem tuæ actionis, vel omissionis contra legem : neque certus esse potes de veritate proximâ, quòd liceat tibi agere contra legem, de quâ dubitas, nisi certus sis, vel probabiliùs judices legem non esse latam potiùs, quàm esse latam : uti in materiâ justitiæ dubius licitè rem non retines, nisi vi possessionis certæ judices rem ad te potiùs, quàm ad alium pertinere, atque pro te stet veritatis præsumptio. Vel ergo in materiis aliarum dubius, ut securè agas, sequere regulam in sacris canonibus toties canonizatam : quæ est lex certa, de sequendo in dubiis id quod est tutius, ne periculum amans, in illo pereas; vel per securiorem titulum, aut certiorem regulam dubium depone.

11° Neque hìc valet quod respondent aliqui casuistæ, teste Vasq. in 1-2, disp. 67, cap. 2, nec omninò improbante, quòd in dubio, an aliquid liceat, possi aliquis tutâ conscientiâ se determinare ad agendum modò aliquem assensum tenuem, licet et debilissimum habeat, quòd verisimilius sit actionem licitam esse, quàm non licitam. Non valet, inquam; quis enim non videat hanc praxin periculosissimam esse, et sacris canonibus adversam? Consultus Papa innoc. III. c. *inquisitionis* de Sent. excomm. an in dubio impedimenti dirimentis posset conjux dubitans reddere debitum conjugale, respondit, quòd *si dubium proveniret ex credulitate levi, et temerariâ, seu scrupulosâ, deponendum erat ad sui pastoris consilium, et sic licitum foret petere et reddere debitum conjugale. Verùm*, inquit, *cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discretâ, quamvis non evidenti et manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ex quibus vides, non posse deponi dubium, nisi sint rationes validæ et discretæ contra tale dubium, et nisi constet ex levi, et contemnendâ ratione aliquem dubitare de bonitate actionis. Hanc etiam regulam tradit S. Antoninus 1 p. tit. 20 de Reg., ubi : *Cum rationes*, inquit, *sunt ad utramque partem quasi æquales, peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Est aliud dubium scrupulosum, ubi scilicet ex levi suspicione timet quis esse in aliquo actu peccatum, ubi non est, et istud ad consilium boni viri deponendum est.* Ecce qualia dubia deponenda et contemnenda sint, quæ ex levi et scrupulosâ suspicione proveniunt; non verò, quæ firmâ et discretâ ratione fundantur.

12° Casus primus. *Judex dubitat de jure partium litigantium.* Resp. in ferendâ sententiâ sequi debet opinionem, quæ ipsi perpensis omnibus probabilior videtur, si verò utraque pars videatur æquè probabilis, attendendum et ad possessionem, et ad titulum, etc. Et tunc attentis omnibus ferendum judicium, ac sæpè pro qualitate dubii, aut compositio, aut divisio, si res divisibilis, aut compensatio facienda, si res sit indivisibilis. Sed *quænam hìc censeri debet causa probabilior?* Resp. cui lex eo loco recepta assistit; judex quippe in mandatis habet, ut secundùm leges judicet, si cætera sint paria, benigniora præferri debent, et cùm partium jura secura sint, reo potiùs favendum est, quàm actori; quòd si ad alias materias hanc regulam velis extendi, respondet Glossa super cap. *ex Parte* de ser. *Hoc generale est, ut ubi periculum animæ vertitur, præsumatur in deteriorem partem, quæ licet videatur deterior, tamen melior est et tutior.* In casu igitur

dubio absolvendus est reus accusatus de delicto ; quia eum absolvi est tutius. 1° : Quia tutius est nocentem absolvere, quàm innocentem damnare et punire : hæc enim tam longè inter se differunt, ut judices Dei exemplum secuti, nocentes sæpè absolvant ; at insontem punire, nec Deus, nec princeps potest. Eò quòd mulctatio insontis per se mala sit, absolutio ejus honesta esse possit ; 2° Quia, dùm impius absolvitur, malum inde exsurgens facilè est reparabile, cùm possit decursu temporis innotescere reus, ac à judice puniri, vel si ab homine hanc pœnam fugiat, dabit Deo judici graviorem : è contra dùm insons condemnatur, spectatâ lege ordinariâ vix reparari potest malum. 3° Sententia damnans affirmat, eum, in quem fertur, reum esse alicujus criminis ; adeòque in casu dubii mentiretur judex condemnans, et quidem in re gravi peccaret mortaliter, stante dubio rem affirmando : è contra sententia liberans non asserit reum esse insontem, et eâ de causâ à pœnâ liberandum : sed tantùm decernit delictum non constare, ut certâ pœnâ castigetur. Ex quibus vides regulam faventem reo in causâ criminali in foro externo, fundari in regulâ de parte tutiori sequendâ in casu dubii. Contrarium est in foro conscientiæ, ubi de re morali agitur, in quo pars, quæ videtur deterior, melior est et tutior. Unde benè sic argumentatur judex : *qui accusatur, rei partes tenet : ergo in casu dubii, quo non probatur delictum, absolvi debet.* Malè ratio hominis privati, quæ in foro conscientiæ judicis partes agit : *ego in casu dubii rei partes sustineo, ergo non teneor sequi partem faventem legi.*

13° Casus II. *Titius propter rationes æquales occurrentes de probitate, aut improbitate proximi, vel an commiserit aliquod delictum, vel non, positivè dubitans, positivè judicat proximum commisisse delictum.* Resp. eum secundùm qualitatem materiæ peccare mortaliter vel venialiter. Quia quoties dubitamus, an quis sit alicujus criminis reus, periculum nobis imminet, vel erroris, ne fallamur, vel injustitiæ, ne famam alterius lædamus : quod ad errorem pertinet, eum versetur circa res contingentes et singulares, quarum notitia non pertinet ad perfectionem mentis, ut docet D. Th. 2-2, q. 60, art. 4. Leve malum est falli, at gravius imminet periculum contra bonum proximi, si criminis insons judicetur commisisse delictum, subintrat itaque regula de sequendâ in dubiis parte tutiori, præstatque in dubiis mentem falli, quàm proximum temerè judicari ; quia cognitio de his singularibus, quatenùs ad intellectum speculativum pertinet, nihil potest afferre commodi ; at cùm bonum intellectûs practici ejusque veritas ex c. *Et hic* posita sit inconvenientia cum appetitu recto, id est affectu justitiæ, et dilectionis erga proximum ; indè constat, regulâ de tutiori parte eligendâ nos tum obligari ad dubia illa, in quo probabiliùs existimamus proximum commisisse delictum : nam, uti loquitur D. Th. l. cit. *Ubi non apparent manifesta indicia, debemus alios reputare bonos, quia contemptum aut nocumentum alteri non debemus inferre, nisi causâ cogente. At* (subjungit idem S. D., quod, quæso, ruminent Probabilistæ) *circa nos ipsos debemus dubia interpretari in malam partem, secundùm illud Job : Verebar omnia opera mea, quia cùm debeamus malis nostris adhibere remedium*, expedit, *ut securius remedium apponatur, supponere id, quod est deterius.*

14° Casus III. *Advocatus de justitiâ causæ clientis dubitat.* Resp. : Advocatus causam dubiam suspiciens, tenetur diligenter inspicere ejus probabilitatem, et si videat esse injustam, nullo modo suscipiat, multò minùs partem ad litigandum inducat : unde parati cuivis patrocinari, sive justam, sive injustam habeant causam, absolvendi non videntur. Qui bonâ fide causæ patrocinium suscipit, et postea vel propter instrumentum repertum, vel clientuli confessionem, vel aliunde causæ iniquitatem deprehenderit, desistere à lite tenetur : potest nihilominùs salarium petere, nisi ob imperitiam causæ iniquitatem non cognoverit. Relictâ causâ iniquâ, parti adversæ operam præstare, plerumque scandalo non caret, nec à magistratu permittendum : uni parti advocatus subscribat, quæ ipsi verior videtur, ne utrique subscribendo infamiam incurrat. Qualiter autem patrocinari valeat causæ, quam probabiliùs judicat injustam, dicetur infra de conscientiâ probabili.

15° Casus IV. *Sempronius dubitat, an judicium, quod habuit de proximo, sit mortaliter peccaminosum.* Resp. certum esse, uti constat ex dictis, unumquemque teneri abstinere à præoccupato judicio, perturbato animo, malâ erga proximum affectione, et amore proprio inordinato, ex quibus sæpè sæpiùs malæ suspiciones, perversæ opiniones, et temeraria procedunt judicia : porrò non solùm, neque omne peccatum mortale reputatur materia gravis, sed quod notabiliter præjudicat famæ, sive mortale, sive veniale, imò etiamsi nullum fuerit peccatum, ut si de viro probo et magnæ æstimationis temerariè judices, infami eum sanguine esse natum, vel illegitimum. Illum, quem indignum non nôsti, dignum debes æstimare ; ad cautelam tamen et remedium licitum est, se ita gerere exteriùs, ac si esset, quod suspicaris ; hinc si videas hominem incognitum de quo propter habitum ignotum, et mores alienos dubitas, an sit fur, non potes judicare quòd fur sit, potes tamen res tuas diligentiùs custodire, et sic prudenter malis occurrere : peccaveritne in similibus judiciis mortaliter ? hanc inspiciat pro praxi confessarius regulam, ac reflectat, an pœnitens sit timoratæ conscientiæ ? an habeat curam propriæ salutis ? an se soleat implicare curiosè interrogando vitam et mores aliorum ? si inveniat eum esse timoratæ conscientiæ, et angustiis prematur, an consenserit cogitationibus, vel non ? interrogandus an, si tunc advertisset suum illud judicium esse mortale, voluisset consentire, si negativè respondeat, censendum est, non peccâsse mortaliter, quia vel nullus adfuit voluntatis consensus, vel non fuit plenè deliberatus ; secùs de eo, qui non est timoratæ conscientiæ, et deliberatum consensum præbere solitus, judicandum.

16° Casus V. *Medicus in morbo admodùm periculoso dubitat de veritate alicujus medicinæ.*—Resp. : Melius est remedium dubium quàm certa mors : in extremis enim extrema sunt adhibenda remedia, si certa desint et

probabilia : hìc itaque concurrit casus, in quo dubii speculativi de valore medicinæ, in dubium practicum influxus occurrente circumstantiâ periculi mortis, impeditur, novumque et certum discursui practico præbet fundamentum : interim boni medici est ante applicationem medicamenti ostendere, quantus hâc in re sit metus, et quando aliàs non restat evadendi via : si, omisso certo medicamento, utatur probabili vel dubio explorandi causâ, à peccato non excusatur; quidni tamen, si nullum subsit periculum, absque peccato quandoquè liceat experiri medicamenta dubia, ut certus fiat. Juvat interim subjungere ea, quæ ex suâ, suorumque opinione circa obligationem medici depromit Vasquez. disp. 64, cap. 4, ubi : *In hâc difficultate*, inquit, *doctores nostri docent, medicum peccare, si applicet medicamenta, de quibus dubitat, utrùm sint profutura, an potiùs nocitura, eò quòd in dubiis tutior sit tenenda pars : tutior autem videtur, Deo et omnipotentiæ ipsius relinquere ægrotum, in periculo naturali constitutum, quàm ipsum exponere novo periculo medicamenti. Cæterùm* (inquit idem auctor) *si medicus probabili opinione suâ, vel aliorum medicorum credat, medicamentum potiùs profuturum, quàm nociturum, nec aliud magis certum suppetat remedium, voterit illud adhibere; videturque satisfieri præcepto charitatis et justitiæ, si medicus utatur tali medicamento. Nam in eo casu, ut rectè docet Corduba, audacter interficiendum est, ut admonet Galenus, ne ægrotus incuriâ medicorum moriatur. Cùm enim providentiâ humanâ sciri non possit evidenter virtus medicamenti, satis prudenter se gerere videtur medicus, qui sciens ægrotum moriturum, si nullum ei adhibeatur medicamentum, adhibeat ei aliquod, quod, quamvis non certò, probabiliter tamen scit profuturum, quamvis nocere fortassis possit. Si verò sit aliud remedium citra opinionem magis certum, illud debet adhibere, alioquin præcepto non satisfaceret, quo deberet subvenire proximo.* Hucusque Vasquez. Sed quarè hæc prudentia et charitas, quæ medendis corporibus adhiberi necessariò debet, salvandis animabus non adhibetur? an potiora sunt corporis quàm animæ jura? an minus est animæ quàm corporis periculum? inauditum profectò prudentiæ genus.

17° Casus VI. *Confessarius omnibus consideratis dubitat, de debitâ dispositione pœnitentis in articulo mortis.*— Resp. : Videtur, quòd in praxi confessarius talem absolvere possit sub conditione, enimverò in extremis extrema sunt tentanda, et potiùs Sacramentum, quod ad salutem hominum institutum est, exponendum periculo nullitatis, quàm anima peccatoris defectu absolutionis Sacramentalis periculo æternæ damnationis : tuncque confessarius sequitur judicium prudens, non quidem de legitimâ dispositione pœnitentis, sed de honèstate suæ actionis, judicando in casu honestam et licitam esse absolutionem sub conditione.

Casus VII. *Miles de justitiâ belli dubitat?* — Resp. eum bellare non posse, si non sit subditus principi, sub quo bellare intendit; bellando enim, non sine culpâ, rei, quæ ad eum non pertinet, se ingereret, reg. ur. 19, et periculo se exponeret injuriam irrogandi principi, contra quem bellaret, si contingat bellum esse injustum, si verò sit subjectus principi bellum indicenti, potest, imò tenetur, eo jubente, bellare, quia, ut loquitur S. P. August. relatus in cap. *quod culpatur* 23, q. 1] : *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penès principes sit.* Ergo jubente principe non est, unde velit subditus ipse de bello consilium sumere.

Casus VIII. *Subditus dubitat, an superior rectè vel malè quidquam præcipiat.* — Resp. : Subditus tenetur superiori mandanti obedire, quidquid enim vice Dei præcipit homo, haud secùs accipiendum est, quàm si præcipiat Deus : quid enim interest, utrùm per se, an per suos ministros, sive homines, sive angelos hominibus intimet suum placitum Deus.

Casus IX. *Professor dubitat de veritate sententiæ.*— Resp. : Tenetur diligenter studio et aliis modis veritatem inquirere, discipulis alioquin futurus injurius, præsertim in moralibus : porrò in moralibus utraque vitanda extremitas, cùm nimius rigor non minus, quàm laxitas periculum contineat : cavenda igitur doctrina nimis laxa, cavenda etiam nimis stricta, excessus enim et defectus vitii est, mediocritas virtutis.

18° Casus X. *Cornelia annum integrum laudabilem non buit consuetudinem, v. g., jejunandi singulis sextis feriis, aut legendi preces quasdam in honorem passionis Dominicæ, quam piam observantiam jam prætermisit aliquoties, idque sine scrupulo : sed nunc desuper angitur, dubitans, an voverit, an verò simpliciter proposuerit ejusmodi opera pia continuare : quomodò confessarius in casu ejusmodi dubii distinguet, votum inter, et propositum simplex.* — Resp. præmissâ instructione, si opus sit, de iis, quæ ad votum requiruntur (v. g., quòd ad hoc non sufficiat voti materiam fuisse objectum cogitationis, aut volitionis, sed requiri voluntatis actum sese Deo obstringendi), examinabit quomodò tempore intermedio, quod scilicet fluxit inter votum verum, vel apparens emissum, et dubitationem exortam, sese habuerit. Si deprehendatur satis gnara eorum, quæ ad voti essentiam requiruntur, nunquàm tamen, nisi post annum, de ejusmodi voto, vel suspicionem habuisse, censendum, hìc votum non subesse. Si enim reverà vovisset, quomodò tempore intermedio voti illius nunquàm recordata fuisset? si verò toto illo tempore intermedio reverà se vovisse existimaverit, satis perspectam habens voti naturam, omninò judicandum est, quod reverà voverit, quamvis modò dubitare incipiat. Si autem sciat se tunc habuisse actum voluntatis, quo sese Deo obstrinxerit, licet ignoraverit in eo consistere naturam voti, declaret confessarius, eam voti obligationem contraxisse.

19° Bifariàm accipitur probabile (à quo conscientia *probabilis* vel opinativa dicitur), primò, ut idem sit, ac *approbabile* per prudentem assensum, et in hoc sensu est solùm absolutè probabilis respectu alicujus illa pars contradictionis, quam ipse potest approbare ut veram per prudentem assensum; unde cùm solùm prudenter possit approbare ut veram eam partem con-

tradictionis, quæ apud ipsum est verisimilior, ea manet solùm absolutè et simpliciter probabilis, quæ omnibus inspectis manet ipsi verisimilior, quàm ejus opposita. *Probabilia illa sunt* (inquit Aristot. lib. 1, topic. cap. 1) *quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, et probatis. Litigiosus autem est syllogismus, ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem : et qui ex probabilibus quidem, aut ex iis quæ videntur probabilia, ast apparens.* Dicimus itaque primò neminem teneri sequi opinionem, hoc ipso solùm, quòd securior est. Quia, ut inquit S. Antoninus 1 p. tit. 3, cap. 10, § 10, reg. 6, *eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti; aliàs oporteret multos ingredi religionem, in quâ tutiùs vivitur, quàm in seculo. Non ergo ex necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam aliâ viâ potest eligi tuta. Sicut enim diversæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior aliâ sit; sic ad civitatem cœlestem alius sic, alius sic vadit et tutè, licet aliquis tutiori modo.*

20° Dicimus secundò posse aliquem sequi tutò opinionem solidè probabilem, licet non habeat omnimodam certitudinem, de operationis suæ honestate, modò opinio illa cum contrariis opinionibus æquè, vel magis probabilibus non concurrat. *Quia* (ut inquit S. Anton. l. cit. circa finem) *in moralibus sufficit in rigore habere certitudinem moralem de rectitudine suæ actionis, cùm non potest haberi major : æquè enim vitiosum est, ut ait Aristoteles* (l. 1 Nicomach. cap. 3,) *Mathematicum suasionibus utentem approbare, et ab oratore seu philosopho morali demonstrationes exigere; non consurgit autem certitudo moralis,* inquit S. Antoninus, *ex evidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis et figuralibus* MAGIS AD UNAM PARTEM, QUAM AD ALIAM SE HABENTIBUS. Unde

21° Dicimus tertiò posse similiter aliquem tutâ conscientiâ sequi opinionem contra legem, quam omnibus ritè examinatis evidenter probabiliorem judicat. *Non enim,* ut ait S. archipræsul, *requiritur absolutè certitudo, quæ omnes scrupulos abjiciat, sed sufficit, ut illos superare et contemnere possit.* Ex quibus vides, quî probabilitatem non aversemur, dummodò in praxi adjunctam habeat veram securitatem; hallucinari quoque eos, qui existimant nos asserere absque ullâ restrictione quempiam teneri semper sequi id, quod in se ac verè est probabilius, quod nunquàm nobis in mentem venit, quodque dicimus humanam excedere facultatem. Sed duo distinguimus. Primò, quod verè est probabilius; alterum, quod licet in se non sit fortassis tale, tamen probabilius ab eo qui debet operari, æstimatur. Primum ergo necessarium esse non sustinemus, quia, ut dictum, sæpè excedit facultatem creaturæ, cui, ad hoc perfectè cognoscendum, necessaria quoque esset perfecta legum, Scripturæ, traditionis et conciliorum notitia, aliarumque innumerabilium rerum non mediocris peritia. Alterum verò, quod tuemur, quodque existimamus necessarium : ut judicio nostro nunquàm possit quispiam benè et prudenter agere, nisi id sequatur, quod post sufficientem diligentiam, discussis pro et contra omnibus principiis probabilitati tam in quàm extrinsecis, secundùm Deum pro rei gravitate, ac suæ salutis æternæ intuitu ei apparet probabilius. Quare

22° Dicimus quartò falli eos, qui existimant, quòd prudenter quis operetur sequendo opinionem probabilem, etiam minùs tutam in concursu probabilioris et tutioris. Dicant enim, quâ prudentiâ, quis vel Apostolus, vel antiquus doctor, vel etiam Philosophus illam docuit? docet Apostolus 1 Thessal. cap. 5 : *Omnia probanda esse, quod bonum est, tenendum, et ab omni specie malâ abstinendum esse.* Quomodò se abstinet à specie malâ, qui facit actionem, quam probabiliùs judicat esse malam? docet idem Apost. Rom. cap. 14, *omne, quod non est ex fide,* id est, secundùm conscientiam, *peccatum esse.* Quomodò secundùm conscientiam dici potest actio, quam conscientia pronuntiat esse malam? an judicare potest bonum quod illi probabiliùs malum apparet? *qui periculum amat,* secundùm Scripturæ sacræ regulam, Eccles. 3, *in illo peribit.* Annon amat periculum, qui se exponit ad faciendam actionem, quæ secundùm probabiliorem doctorum sententiam mala est? docet Aristot. l. 1 Magnorum moral. cap. 33, ubi : *Prudentis et prudentiæ est,* inquit, *optima expetere, eaque sibi semper proponere, atque actitare. An astutiæ, ac astuti fuerit conjectare.* Ex quâ Philosophi doctrinâ manifestum fit astuti esse, non prudentis, agere secundùm opiniones minùs probabiles et minùs tutas, sed veri prudentis esse meliores et firmiores eligere. *Quid est illa virtus* (inquit S. P. August. lib. 19, de Civ. cap. 4,) *quæ prudentia dicitur? nonnè totâ vigilantiâ suâ, bona discernit à malis, ut illis appetendis, istisque vitandis, nullus error obrepat?* an ille totâ vigilantiâ suâ cavet errorem, et bona discernit à malis, qui probabilioris erroris periculo se exponens, operatur illud, quod probabiliùs judicat esse malum? *Amor honestatis* (inquit S. Th. 2-2, q. 47, art. 1) *movet rationem ad discernendum ea quibus adjuvetur ad tendendum in Deum, ab his quibus prudentia impediri potest.* An ergo amor honestatis movet rationem ejus, qui eligit id, quod probabilius existimat adversari honestati?

23° Continua semper Ecclesiæ praxis fuit, ex opinionibus concurrentibus, probabiliores, et securiores eligere. Hanc regulam tenuit Consilium Viennense lib. 1 *Clement.* tit. 1, in decidendâ quæstione de Baptismo puerorum. Disputabant theologi, an pueri simul cum remissione peccati originalis, haberent infusam gratiam habitualem cum habitibus virtutum. Quorum rationes videbantur non spernendæ. Alii verò cum S. Th. asserebant. *Et hanc secundam sententiam,* inquit Clemens V, *tanquàm probabiliorem, et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magis consonam, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Ex quo Glossa concludit : *ergo illam sequi tenemur.* Similem regulam tenuit concilium Lemoviscense secundum, ad determinandum, quòd sancti Martialis officium sub ritu Apostolorum fieret, quia probabilius judicabitur, illum fuisse de numero discipulorum Christi. Ponderanda est ratio præsidis concilii, quæ generalem regulam tradit pro concursu

opinionum. *Necesse est*, inquit, *ut semper justior et rationabilior pars prævaleat.* Hanc regulam tenendam esse docet S. August. de Doctr. Christ. cap. 8, in proponendis Scripturis sacris, *Quas plures, gravioresque recipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ retinent.* Tandem hanc regulam necessariò tenendam esse docent antiqui cum illustrioribus modernis, ubi de negotio salutis agitur. Hanc regulam tenent universaliter homines in negotiis secularibus ; nec se prudentes existimant, si partem sequuntur, quam probabiliùs judicant sibi fore damnosam. Quid ergo in solo salutis negotio prudenter agetur sequendo quamcumque opinionem? quâ prudentiâ? non aliâ sanè, quàm prudentiâ carnis.

24° Constat tandem ex innumeris Scripturæ locis, quasdam esse ignorantias, quæ à peccato non excusant. Supponamus ergo, quòd ille, qui sequitur opinionem minùs probabilem, et minùs tutam, deceptus fuerit, quia de facto opinio illa in Dei judicio falsa est. An excusabitur? an dici poterit invincibiliter ignorâsse malum hujus actionis? nonne potiùs tanquàm præsumptuosus condemnabitur, quòd opinionem secutus fuerit, quam non verisimiliorem, sed potiùs falsam et malam judicabat? neque excusabit, quod allegant de non satis promulgatâ lege in casu posito ; si enim ex solâ contentione pugnantium invicem opinionum probabilium inferatur leges non esse latas, aut promulgatas, frustra de opinionum probabilium delectu disputamus. Nam si constet ex ipsâmet concertatione aut dubitatione, carere promulgatione omninò necessariâ, ad vim ligandi, omnes de his controversiæ, quibus libri et Bibliothecæ implentur, uno resolventur verbo, et hypothesi, quòd desit illis idonea seu manifesta promulgatio : eâ enim sublatâ, tollitur lex, et subindè peccatum aufertur. Præterea probabilitatis defensores nobiscum sentiunt, raram esse de rebus moralibus evidentiam et certitudinem, et satis experimento constat omnia ferè probabilitatis argumentis peragi, et tractari. Si ergo semel admiseris, ipsam probabilitatem tollere legum promulgationem, quis non videat omninò de legibus actum fore. Nobis verò lex respectu operantis satis promulgata censetur de illicito, quando in concursu opinionum, quarum una probabilior stat pro lege, altera minùs probabilis pro hominis libertate, agens prudenter judicare potest talem legem dari, ac prudenter judicare nequit, eam non dari. Intolerabilius videtur, quòd aliqui ad confirmandum probabilitatis dogma Christi verba Matth. 11: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*, adducant, quasi verò in diminutione operis virtuosi quærenda sit oneris Christi levitas, non in unctione gratiæ? hoc jugum suave facit non diminutio laboris, sed ardor charitatis, ut alibi cum Patribus notavimus : hæc de primâ *probabilis* acceptione dicta sufficiant, nunc ad secundæ acceptionis discussionem properemus.

25° Secundò accipitur *probabile* ut idem sit ac *verisimile ;* et in hoc sensu, quia ex duabus partibus contradictionis una potest esse verisimilior aliâ : una potest esse alterâ probabilior : et sicut utraque est verisimilis respectu ejusdem intellectûs, ita utraque est probabilis respectu ejusdem. Dùm igitur in eodem intellectu pugnant rationes æquales pro utràque parte contradictionis, tunc erunt extrema æquè probabilia, et pro neutrâ parte sunt motiva sufficienter gravia, ut prudenter assensus præbeatur, et quamdiù intellectus pondera motivorum attendet, inter duas sententias æquè probabiles, hærebit dubius. Quòd si voluntas præ uno extremo ad alterum intellectum inflectat, hoc ipso convincitur pro libitu suo, et ex sinistro affectu procedere et non intuitu assecutæ veritatis. Et quomodò talem Deus contemptæ legis non habebit reum qui probabiliter existimat eam hìc et nunc suæ actioni adversari? et cujus violendæ periculo æquè se exponit, ac si ei sufficeret sors inter agere contra legem æternam, et agere juxta illam? quod à potiori procedit cum eo, cui probabilius est, vel verisimilius, actionem hìc et nunc legi divinæ adversari, et nihilominùs eam exercet ; peccat igitur ex probabilitate procedens vel hoc solo, quòd peccandi periculo ultra se exponat.

26° Neque hìc audiri velim tritum illud : *securum est omne, quod probabiliter licet*, aut : *qui probabiliter procedit, prudenter procedit.* Quia hoc petit principium, et est id, quod in dubium vertitur, et cum potiori hodiè majorique theologorum parte negat antiquitas, adeòque deservire nequit principio ad certificandam moraliter conscientiam de honestate actûs. Edic, cur infirmus, cui probabile est medicinam non nocituram, probabilius nocituram, tuo nixus principio tibi infallibili, illam in praxi etiam secundùm te non adhibet? Cur medicus illam infirmo prudenter non applicat? cur judex majoratum probabilius pertinentem ad Paulum, probabiliter ad Petrum, huic non adjudicat prudenter quem prudenter secundùm te ejus esse judicat? quis medicum, quis judicem obligavit ad tutiora, si adsint tuta, qualia secundùm te sunt probabilia, etiam in concursu oppositorum probabiliorum? moves contra nos, quòd difficillimum sit in praxi discernere, quænam sint probabiliora, adeòque imponi grave onus operaturis ; obmoveo contra te, cur id facilius infirmo, medico, judici, adeòque hoc onus grave illis non imponis? observandum moneo, quòd probabiliorismus sit *mater jansenismi*, eò quòd ex illo ortum ducat proscripta Jansenii propositio : *Aliqua Dei præcepta esse hominibus justis volentibus, conantibus impossibilia secundùm præsentes, quas habent vires*, etc. Si hoc ita foret, deploranda ac misera foret infirmorum, medicorum, judicum conditio, qui secundùm te tenentur ad probabiliora, eò quòd ex his manifestum sit consectarium, illis aliqua præcepta, de sectandis scilicet probabilioribus, esse impossibilia, secundùm præsentes, quas habent vires, et deesse illis gratiam, studium, conatum, quo possibilia fiant. Edic ulterius, quisquis ad sectanda probabiliora hominem adstringis, dùm agitur de damno tertii, cur damnificatio sit formalis, dùm probabilius est damnificanti damnum causatum iri, si supponatur damnum verè causari, quod ex opinione damnifican-

tis probabilius causatur; nec tamen è contra transgressio legis divinæ, quæ ex affectu peccantis est malum quoddam Dei, sit formalis, si supponatur verè legem dari, quæ ex opinione agentis datur probabiliùs? denique hoc tuum principium : *securum est omne, quod probabiliter licet*, etc., à quo sumit evidentiam, ac moralem certitudinem ? sanè non ab auctoritate et rationibus doctorum, quos allegas ; cùm hisce opponantur doctores alii utpote sapientissimi et doctissimi, qui hoc tuum principium, rationesque illud suadentes, si non elidunt, saltem moralem certitudinem illis adimunt. Non enim, nisi temerè, asseris viros sapientissimos, ac universitates integras moveri à rationibus fictilibus et infundatis. Cùm verò aliquos ex illis, qui tuentur probabiliorismum, suspectæ auctoritatis esse velis, eò quòd nimio zelo et amaritie in probabilitatis dogma invexerint, vide quid de te, tuisque sit censendum, qui viris catholicissimis probabilismum defendentibus Jansenismi notam inurere non veremini.

27° Quilibet, igitur, ut nobis apparet, tenetur pro debitâ legi divinæ reverentiâ totis viribus allaborare, ut assequatur rerum agendarum honestatem; et imprudenter acquiescet animus veritati tantùm probabiliter inventæ, ubi via patet securior ad eam pertingendi sequendo videlicet sententiam magis probabilem, aut inter æquè probabiles eam, quæ favet legi, quamvis et in his à vero quandoque deviari possit; sed error materialis erit, et operanti non imputabitur; sententia enim de licitâ sequelâ opinionis magis probabilis tam firmis rationibus nititur, et tot ac tantis auctoribus comprobatur, ut ad moralem pertingat certitudinem, et ea, quæ contra praxim illius sententiæ adducuntur, sunt tam levia et exigua, ut meritò pro nihilo reputentur. Damnavit Roma istam extremitatem, quamlibet etiam minimam probabilitatem, modò veram sufficere ad formandam conscientiam, eamdemque clerus Gallicanus 1700, hâc censurâ notavit : *Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum aut traditionis fundamento statuit.* Aliam ex adverso extremitatem postmodùm proscripsit Roma, nequidem sufficere maximam; si tu volueris inter ista extrema quamdam dari probabilitatem mediam, quam in favorem libertatis sequi liceat, dic qualis et quanta esse debeat ? quod si causeris nimium à nobis exigi, dùm in æquali utrinque probabilitate securiorem partem (ac multò magis, si ea sit evidenter probabilior) sectandam esse contendimus, reponimus cum Gregorio VII. Nil il tibi, præter quod Scriptura et sacri canones (imò et ipsa ratio) præcipiunt, respondere possumus, quia nulli licentiam peccandi dare possumus, nec debemus, cùm ipsi eam non habeamus.

28° Conscientia *scrupulosa* est judicium rationis practicæ, quo animus ex levibus rationibus cruciatur, existimans se hoc vel illud non posse facere, vel omittere sine peccato : oritur ex diversis causis : ex naturalibus, dùm complexio est nimis frigida et melancholica, vel adest aliqua mentis aut judicii imbecillitas, quæ omnia ad anxietates disponunt ; unde ex his causis alii ad tristitiam, alii ad desperationem, alii ad dubitationem in punctis fidei, inclinati inveniuntur : alii in aliâ materiâ, ut in contritione, in lectione horarum, in celebratione sacrificii Missæ, supra modum torquentur : et, quod caput est, experientia docet sæpè illos in aliis materiis, quoscumque etiam obviantes casus, vel quascumque difficultates sine ullâ prorsùs anxietate transilire. Oriuntur aliquando scrupuli patienter ferendi per dæmonis tentationes, vel ab ipsâ Dei manu ad animæ purgationem; qui veris laborant scrupulis et non secundùm vulgi opinionem, qui omnes timoratæ conscientiæ scrupulosos appellat, nescit tamen esse scrupulos: contra talem conscientiam agere nequit; secùs, si scrupulos esse noverit. Aliud enim est agere contra scrupulos, aliud agere contra conscientiam scrupulosam. Epikeiâ uti aliquandò scrupulosis videtur licitum, quia Ecclesia suis præceptis, v. g, de legendis horis, jejuniis, etc., non intendit obligare ad hoc, ut aliquis fiat fatuus. Porrò hoc generale damus documentum : scrupulosus credat faciliter sapientum et bonorum consilio, eisque obediat non ut homini, sed ut Deo jubenti, cujus vices gerunt : imò nunquàm peccat rejiciendo scrupulos ex præcepto confessarii prudentis, sufficitque juxta traditas sibi regulas iudicium formare, nec necesse est ad singula occurrentia puncta ipsum adire : igitur consilio confessarii scrupulosus acquiescat, tanquàm dæmonis suggestiones respuat, quidcumque contra ejus responsum et consilium occurrit, tantæque sit auctoritatis prudens confessarius apud ipsum, ut si paratus sit jurare aliquod peccatum fecisse, aut nunquàm confessum fuisse (confessario contrarium affirmante) tutâ conscientiâ ei credere possit.

Hucusque dictis finem impono submississimis doctoris Mellifluі verbis : Quæ dixi absque præjudicio sanè dicta sint saniùs sapientis; Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, atque cætera, quæ hujusmodi sunt universa reservo, ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. S. Bernard. epist. 174, ad canon. Lugdun.

# LIGUORI VITA.

Alfonsius Maria de Liguori vel Ligorio, episcopus Sanctæ Agathæ de Gothis, in regno Neapolitano, conditor congregationis missionariorum *Sancti Redemptoris*, nobili et antiquâ stirpe oriundus, natus est Neapoli, 26 septembris 1696. Ejus innatam pietatem, rectosque affectus à pueritiâ optimi parentes ingenuis institutionibus coli curaverunt, adjuvantibus peritis professoribus, quorum ita feliciter præceptis usus est ut studia scholastica vixdùm 17 annos natus, maximâ cum laude perfecerit. Causidici dein munus non ignobili modo Neapoli suscepit ad annum usque 1722, quo forensem togam exuit, graviora in grandi lite perpessus. Intrinsecâ voce ad sacerdotium impulsus, nonnisi omnibus maturè perpensis, vestem clericalem sumpsit 31 augusti anni ejusdem. Mentem totam et studia in novi muneris disciplinam et officia convertens, theologiæ discendæ, Patribus legendis, meditationi, jejunio, bonisque operibus quotidiè se dedebat. Inter hæc ad sacros ordines provectus, congregationi *Propagandæ* adjunctus, sacrarum concionum missionumque labores ardentissimè suscepit. Evangelici verbi præco fervidus, sibi severus, integer vitæ, quàm plurimos ad meliores vias revocavit. Omnium rudes agricolas animadvertens, ut necessitati indigentium institutione subvenirent, condendæ congregationis missionariorum huic operi specialiter incumbentium, consilium amplexus est. Aliquot cum sociis fundamenta prima posuit conventûs Sanctæ Mariæ *de la Scala*, quem vocavit *congregationem Sancti Redemptoris*, multis in principio adversantibus, quos dein patientiâ Liguori pervicit. Assentiente sanctâ Sede congregatio hæc Neapolitanas, Siculas, imò Romanas regiones occupavit. Tali virtute præditum, tam benè de religione meritum virum agnoscens, Clemens XIII, mense junii 1762, remunerandi causâ, episcopum Sanctæ Agathæ de Gothis nominavit, etsi reluctaretur, honoresque maximos repudiâsset, nisi imperanti pontifici obedire pro debito habuisset. Omninò officii novi studiosus, irrepentes abusus in suos clericos perquisivit et correxit; monasteriorum piarumque domum conditor, sacras conciones, popularia monita, pastorales epistolas, scripta, præcipuèque exempla in diœcesis disciplinam contulit. Per tredecim annos functus episcopatu, vitâ longâ tum episcopali officio, tum asperæ pœnitentiæ additâ, fractis viribus, surdus et ferè cæcus, cruciante morbo crudeli, jam prope octogenarius, Liguori ut suo officio eximeretur, à papâ Pio VI expetiit et impetravit anno 1775. Noceræ de Pagani secessit, in domum suæ congregationis, in quâ, contemplationi, orationi, pietatique deditissimus, post undecim annos sanctiter obiit 1 augusti 1787, nonaginta annos decemque menses natus. Beatorum numero adscriptus fuit P. Liguori 6 septembri 1816 : Pius VIII papa decretum necessarium ut inter sanctos adscriptio pararetur, tulit 16 maii 1830. Nunc temporis cœlestibus incolis annumeratur.

Non omninò tot laboribus absumptos fuisse dies Liguori testantur numerosa ejus opera, quæ sunt : *Theologia moralis à R. P. Alfonso Ligorio concinnata per appendices*, etc. Etsi Liguori in hâc theologiâ ducem elegerit Busembaum, cujus methodi fautorem potiùs quàm opinionum asseclam se præstitit, partim solùm et moderanter ejus principiis adhæret, nec intemperanter probabilismi partes, quod tamen laudat, amplectitur. Quæ doctrina, quùm Liguriam, Belgas, Hybernos, Germanos, catholicasque regiones occupavit, diutiùs Galliam adorta invadere, multas post repulsas, tandem sibi viam in hoc regno aperuit, nunquc hìc et ubique dominatur. Omnem autem scrupulum ex animo evellent Benedicti XVI assensus et laudes huic operi concessæ; doctissimus famosusque pontifex illud in suo opere *De synodo diœcesanâ* citavit certèque abstinuisset, nisi doctrina omni vituperio caruisset. Multiplicibus hic liber editionibus illustratus est et auctoris annotationibus, *Homo apostolicus instructus in suâ vocatione ad audiendas confessiones; Directorium ordinandorum*, etc.; *Institutio catechistica ad populum in præcepta Decalogi; Instruzione pratica per i confessori.* Hoc opus moderatissimos suavissimosque sensus spirat charitatis omninò salutis animarum avidæ. *Praxis confessarii ad instructionem confessariorum*, etc.; *Dissertazio circa l'uso moderato dell' opinione probabile; Apologia della dissertazione circa l'uso moderato*, etc. Hìc respondet P. Vincentio Patuzzi, dominicano, probabilistis, ut diximus, infensissimo. Liguori confessores monet ut æquam lancem tenent inter laxatiorem, indulgentiam et acerbitatem nimiam, spei delectricem, ex principio S. Bonaventuræ. *Prima sæpè salvat damnandum; secunda contra damnat salvandum. Verita della fedes ossia confutazione materialisti*, etc.; *La vera sposa di Christo cio è la monacha santa*; *Scelta di materie predicabili*, etc.; *Le glorie di Maria*, cum ejus defensione; *Discorsi sacro-morali per tutte le domeniche de l'anno; Istoria di tutte l'eresie con loro confutazione; Vittorie de martiri*, etc.; *Opera dogmatica contra gli eretici pretesi risformati; Silva*, vel *Collectio materiarum prædicatoribus convenientium; Horologium passionis.* Quæ omnia opera satis Liguori vitam, labores, doctrinam defendunt, studium religiosum testantur et sanctitatem morum. Roma illa esse *immaculata* decrevit, doctumque et pium antistitem sanctis æquiparavit. Fuère qui eum remissioris disciplinæ insimulaverint; utinam nullus illas quas permittit, despiceret habenas jugumque levius non detrectaret! Nec est cur virum accusent, quòd optimis ejus propositis abuti sint homines, qui vel mentis ejus, vel verborum intelligentiam non perceperant.

# MORALE SYSTEMA

## PRO DELECTU OPINIONUM QUAS LICITÈ SECTARI POSSUMUS

Dico I. Quòd si opinio quæ stat pro lege, videatur certè probabilior, ipsam omninò sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quæ stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licitè operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere, et sequi; at ubi veritas clarè inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quæ propiùs ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior.

Dico II. Quòd si opinio quæ stat pro libertate, est tantùm probabilis, vel æquè probabilis, ac altera quæ stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eò quòd sit probabilis; nam ad licitè operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis, juxta illud D. Pauli ad Rom. 14, 23: « Omne quod non est ex fide, peccatum est. » Dicitur, *ex fide*, nempe ex certo dictamine conscientiæ, ita ut homo in suâ conscientiâ persuasum sibi habeat quòd agendo rectè agat, prout explicant illud *ex fide* S. Chrysost. S. Ambros. et alii cum S. Thomâ q. 17 de Verit., art. 3. Propterea falsum reputavi effatum illud commune inter Probabilistas, nimirùm : *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*

Dico III. Quòd duabus æquè probabilibus opinionibus concurrentibus, quamvis opinio minùs tuta teneri non possit, quoniam, ut diximus, sola probabilitas (nota, sola probabilitas) haud firmum præbet fundamentum ad licitè operandum; tamen opinio illa quæ stat pro libertate, cùm æquali potiatur probabilitate, ac opposita quæ stat pro lege, grave quidem immittit dubium an existat lex quæ actionem prohibeat, ac proindè sufficienter promulgata minimè dici potest; ideòque, dùm eo casu promulgata non est, nequit obligare; tantò magis quòd lex incerta non potest certam obligationem inducere. Et hæc est sententia D. Thomæ, quam ego sequor, et quæ certa mihi apparet, tum ob auctoritatem theologorum, ut videbimus, atque Patrum (vide Christian. Lupum tom. XI Dissert. de Usu senten. probab., ubi congerit plures Patrum auctoritates), tum ob rationes intrinsecas quæ non jam fucatæ sunt, sed certæ ac evidentes ut demonstrabitur.

Theologorum princeps D. Thomas 1-2, q. 90 art. 1, sic docet : « *Lex quædam regula est et mensura actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum.* » Hinc prosequitur S. doctor ad docendum quòd hæc regula et mensura, ut hominibus applicetur, et ipsi ad eam servandam teneantur, debet eis promulgatione manifestari. « Lex, ait ibidem, imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ : regula autem et mensura imponitur per hoc quòd applicatur his quæ regulantur et mensurantur. Undè ad hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quòd in notitiam eorum deducitur ex ipsâ promulgatione. Undè promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quòd lex habeat suam virtutem. » Quòd autem lex nequeat subditos obstringere, nisi eis sit promulgata, est axioma apud omnes compertum : « Leges tunc instituuntur cùm promulgantur, » scribit Gratianus in Can. In istis dist. 4. Ratio patet quia lex tantùm in mente legislatoris manens non est, nisi mera cogitatio, sive intentio constituendi legem, non verò constitutio legis, quæ subditos obliget. Hinc à D. Thomâ lex definitur : « *Quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* » 1-2, q. 90, art. 4. Nulli dubium, ut scribit Franciscus Henno Tr. de leg., quòd promulgatio sit de essentiâ legis, nam, ut rectè ait Ludovicus Habert t. 3 de Leg. c. 6, q. 4 : « Ad rationem legis pertinent promulgatio et vis obligandi. » Addit card. Gotti Theol. tom. 2, tr. 5, de leg., q. 1, dub. 3, § 3, num. 18, quòd promulgatio est indispensabiliter requisita ad subditos obligandos : « Ad hoc, ut lex in actu secundo obliget, requiritur quidem indispensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur. » Idem tradit Dominicus Soto de Just. et Jure, lib. 1, q. 1, ar. 4, dicens : « Nulla lex ullum habet vigorem legis ante promulgationem, sed tunc instituuntur cùm promulgantur. » Statimque subjungit : « Itaque nullam exceptionem conclusio hæc permittit. » Idem scribit doctor Gallus Duvallius in 1-2 S. Th. de leg., q. 2, dicens legem æternam non potuisse homines obligare ab æterno. « Quia, ut ait, de ratione legis est ut promulgetur subditis; nulli autem fuerunt subditi ab æterno. » Idem scribit P. Gonet Clyp. de leg., d. 2, art. 2 : « Legem æternam defectu promulgationis non potuisse obligare creaturas ab æterno. » Idem scribit Lorichius Thesaur. verb. *Lex*, n. 6. : « Hominibus autem (lex æterna) promulgatur quandò eis innotescit. » Idem inquit etiam acer adversarius meus P. Patuzzius in suâ Theolog. Morali, de leg. c. 5, n. 7 : « Consentiunt quidem omnes promulgationem esse omninò necessariam, ut lex virtutem obligandi obtineat. » Mirabitur quis me studuisse tot auctoritates hìc congerere ad hanc doctrinam probandam quæ à nemine in dubium revocatur; sed me id fecisse sciat quia ab eâ sententiæ meæ firmitas pendet, nempe quòd lex dubia non obli-

gat, ut infra videbimus. Porrò S. Thomas id ut certum habens, hanc oppositionem sibi objicit, 1-2, q. 90, ar. 4 ad 1 : « Lex naturalis maximè habet rationem « legis ; sed lex naturalis non indiget promulgatione ; « ergo non est de ratione legis quod promulgetur. » Et sic respondet : « Dicendum quòd promulgatio le- « gis naturæ est ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus « hominum inseruit naturaliter cognoscendam. » Idque clariùs explicando Sylvius ait, 1-2, q. 90, art. 4, in fin. : « Actualiter tunc unicuique (lex) promulgatur « quando cognitionem à Deo accipit dictantem quid « juxta rectam rationem sit amplectendum, quid fu- « giendum. » Idem docet Joannes Gerson. de Vitâ spir. etc., lect. 2, col. 176 : « Lex ista est quædam « declaratio creaturæ rationali facta, per quam illa « cognoscit quid Deus de certis rebus judicat ad quas « vel omittendas ipse creaturam obligare vult. » Addit tandem Petrus de Lorca in 1-2 disp. 6 de leg., pag. 586 : « Quemadmodùm promulgatio est intrinseca « et essentialis humanis legibus, sic rationis judicium, « et cognitio intrinseca est legi naturæ. » Quapropter sinè rationis judicio, et cognitione nullo modo existit promulgatio legis sufficientis ad obligandum.

Lex verò, ut obliget, non tantùm promulganda est, sed etiam promulganda ut certa. Et hoc punctum firmiter est hìc statuendum, ideòque in eo perpendendo diutiùs non frustra immorabor, cùm plura opus sit hìc repetere quæ jam alibi scripsi ; enimverò ex hujuscemodi fundamento firmitatem haurit nostra sententia, nempe non posse legem incertam certam obligationem imponere. Dicimus igitur neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut certa alicui manifestetur. Posito enim, ut vidimus, quòd lex necessariò est promulganda ut obliget, si promulgatur lex dubia, promulgabitur duntaxat dubium, opinio, sive quæstio, an adsit lex prohibens actionem, sed non promulgabitur lex. Hinc omnes ad asserendum conveniunt quòd lex, ut obliget, debet esse certa ac manifesta, debetque uti certa manifestari sive innotescere homini, cui promulgatur. Audiamus id quod communiter inquiunt doctores super hanc sententiam, sive super hoc principium, quod inter alios maximè tradit D. Thomas atque probat. S. Isidorus ; inter conditiones legis ut obliget, ait legem debere esse manifestam. Ita habetur in can. Erit autem, dist. 4. Erit autem lex manifesta, etc. Idque certum est etiam in jure civili, ut patet ex authent. Quibus modis nat. eff., § Natura, ubi dicitur : « In dubio nullus præsumitur obligatus. » D. Thomas, loquens de lege æternâ et naturali, docet quod ad hoc ut ipsa possit esse nobis mensura, debet esse certissima, nobisque innotescere. Attendamus verba S. doctoris. Ipse 1-2, q. 19, art. 4 ad 3, sibi objicit : « Mensura debet esse certissima (nota) ; sed « lex æterna est nobis ignota ; ergo non potest esse « nostræ voluntatis mensura, ut ab eâ bonitas volun- « tatis nostræ dependeat. » Et ita respondet : « Licet « lex æterna sit nobis ignota, secundùm quod est in « mente divinâ, innotescit tamen nobis aliqualiter per « rationem naturalem, quæ ab eâ derivatur ut propria « ejus imago, vel per aliqualem revelationem super- « additam. » S. Thom. 1-2 q. 19 art. 4 ad 3. Ratio patet cur lex debet esse certa, quia cùm lex juxta S. doctorem sit mensura et regula quâ homo mensurari et regulari debet circa suas actiones, nequaquàm ille rectè mensurari et regulari potest, nisi mensura et regula illa sit certa, ut obliget, quin et homini innotescat. « Lex enim, scribit doctissimus Petrus Collet, « ut obliget, debet dari ut regula, ac proinde innotes- « cere ; atqui lex non innotescit nisi per promulgatio- « nem, cùm per eam solam eo intimetur modo, qui « obediendi necessitatem inducit. » Collet, Theologia Moral., tom. 1, de leg. cap. 1, art. 2, concl. 2. Idem tradit Joannes Gerson dicens quòd lex, ut obliget, necessariò debet homini manifestari, aliàs Deus eum obligare non potest ad illam servandam : « Necesse « est (valdè notabilia sunt Gersonis verba) dari mani- « festationem ordinationis ac voluntatis Dei ; nam « per solam ordinationem, aut per solam suam volun- « tatem non potest Deus absolutè creaturæ imponere « obligationem ; sed ad hoc opus est, ut ei communi- « cet notitiam unius æquè, ac alterius. » Gerson de vitâ Spir., etc., lect. 2. Idem tradit Gonet dicens : « Homo non tenetur conformari voluntati Divinæ... « nisi quando voluntas divina nobis præcepto, vel pro- « hibitione manifestatur. » Gon. Clyp., t. 3, d. 6, art. 2, n. 37, in fin. Et ibid. de hoc rationem præbet, scribens hominis peccatum pendere ab ipsius voluntate transgrediendi legem ; si autem peccatum, ait, penderet ab existentiâ vel non existentiâ legis, peccatum esset fortunæ, sive casûs, non jam voluntatis ; quod magnum esset absurdum ; « Plerumque, scri- « bit, esset fortunæ, non voluntatis, quòd homi- « nes peccent, vel non peccent prout, videlicet id « quod agunt est conforme vel difforme juri naturali « ab eis ignorato ; quod etiam absurdissimum est, « cùm vera et sola causa peccati sit voluntas creata, « ut operans difformiter ad regulas morum. » Gon. in Clyp. 49, 3, tom. 3, disp. 1, art. 4, § 1, n. 48. Idem tradit Sylvius dicens : « Actualiter tunc (lex) unicuique « promulgatur quandò cognitionem à Deo accipit di- « ctantem, quod juxta rectam rationem sit amplecten- « dum, vel fugiendum. » Sylv. in 1-2, q. 90, art. 4, in fin. Non tenetur igitur quis ad legem, nisi eam juxta rectam rationem cognoscat esse necessariò amplectendam. Idem tradit Fulgentius Cuniliatus, hoc absolutè proferens : « Legis violatores non sunt illi quibus non- « dùm lex innotuit. » Cunil., tract. 1 de Reg. Mor., c. 3, § 1, n. 5. Idem tradit Jodocus Lorichius : « Ho- « minibus autem lex promulgatur quandò eis innote- « scit. » Lorich., Thesaur. theol. verb., lex. n. 6.

Ex omnibus his præfatis evidenter apparet moralis certitudo sententiæ nostræ, vel potiùs sententiæ D. Thomæ, qui pluribus in locis eam docet. Signanter in opusc. de Verit., q. 17, art. 3, hoc morale principium absolutè profert : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* Ab omnibus philosophis cum D. Thomâ docetur distinctè inter opinionem et scientiam : *opinio* denotat cognitio-

nem dubiam, aut probabilem alicujus veritatis; *scientia* verò cognitionem certam ac patentem significat. Sed audiamus ipsum S. doctorem; et quod S. Thomas nomine *scientiæ* intelligat præcisè cognitionem certam, patet, quia proponit loco citato hoc quæsitum : *Utrùm conscientia liget?* ac deindè ait : « Ita se habet « imperium alicujus gubernantis ad ligandum in re- « bus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati ac- « cidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligan- « dum res corporales. Actio autem corporalis agentis « nunquàm inducit necessitatem in rem aliam, nisi « per contactum coactionis ipsius ad rem in quam agit. « Undè nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, « nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. Attin- « git autem ipsum per scientiam : Undè nullus ligatur « per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ il- « lius præcepti.... Sicut autem in corporalibus agens « corporale non agit, nisi per contractum; ita in spi- « ritualibus non ligat, nisi per scientiam. » Similitudo à D. Thomâ hìc allata nequit esse magis lucida et convincens ad probandam nostram sententiam, sive principium, nempe quòd lex incerta non potest certam obligationem inducere. Dicit S. doctor quòd scientia præcepti est instar vinculi quod vel voluntatem ligat; undè sicut ad rem aliquam ligandam opus est, ut actualiter funis applicetur, ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat vel omittere teneatur, necesse est ut ipse præcepti scientiam habeat, alioquin homo ille in suâ libertate remanet. Quamobrem, dùm ille in dubio est an adsit non præceptum prohibens, vel præcipiens (sicut accidit cùm duæ opiniones ejusdem ponderis æquè probabiles concurrunt), tunc non habet quidem scientiam præcepti, ideòque præceptum servare non tenetur.

Ad hoc magis explicandum doctor Angelicus eodem loco subdit : « Ad videndum autem quando (conscien- « tia) liget, sciendum quòd ligatio metaphoricè à cor- « poralibus ad spiritualia sumpta necessitatem impor- « tat; ille enim qui ligatus est, necessitatem habet « consistendi in loco ubi ligatus est, et aufertur ei pote- « stas aliò divertendi. » Sicut igitur contra qui ab aliquo vinculo actualiter non est ligatus, habet potestatem divertendi quò vult, ita qui non est ligatus per scientiam præcepti liber est ab obligatione præcepti. Ideò S. doctor scribit legem dici à ligando : « Dicitur enim lex « à ligando, quia obligat ad agendum. » 1-2, q. 90, art. 1. Hanc suam sententiam D. Th. valdè confirmat in alio loco, nempe in 1-2, q. 19, art. 10. Ibi quærit *utrùm necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinæ in volito, ad hoc ut sit bona?* et affirmat; sed et postmodùm eodem art. 10, ad 1, S. doctor hoc sibi objicit : « Videtur quòd voluntas homi- « nis non debeat semper conformari divinæ voluntati « in volito; non enim possumus velle quod ignora- « mus... Sed quid Deus velit ignoramus in plurimis; « ergo non potest humana voluntas divinæ voluntati « conformari in volito. » Et respondet : « Ad primum « dicendum, quòd volitum divinum secundùm rationem « communem quale sit, scire possumus; scimus enim « quòd Deus quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideò « quicumque vult aliquid sub quâcumque ratione boni « habet voluntatem conformem voluntati divinæ quan- « tùm ad rationem voliti. Sed (nota sequentia verba) « in particulari nescimus quid Deus velit; et quantùm « ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram « divinæ voluntati. » Itaque docet S. Th. quòd homo semper ac rem aliquam vult sub ratione boni, voluntati divinæ jam conformatur; sed minimè tenetur se conformare voluntati divinæ in rebus particularibus ignoratis, et signanter in præceptis ubi hæc divina voluntas non est ei manifestata. Id autem distinctiùs declarat P. Gonet, dicens : « Homo non tenetur con- « formari voluntati divinæ in volito materiali, nisi « quando voluntas divina nobis præcepto vel prohibi- « tione manifestatur. « Gon. Clyp., tom. 3, d. 6, art. 2, n. 37, in fin. In dubio igitur, ubi nescimus an Deus aliquo præcepto nobis aliquid in particulari imponat aut vetet, non tenemur conformari circa tale præceptum voluntati divinæ, nisi præceptum nobis manifestetur; etenim, ut tradit Joannes Gerson, ubi Deus non manifestat nobis suam voluntatem, non potest, ait, nos obligare ad eam sequendam. Repetamus hìc ejus verba jam alibi supra relata : « Necesse est dari « manifestationem ordinationis ac voluntatis Dei; nam « per solam suam voluntatem nondùm potest Deus « absolutè creaturæ imponere obligationem. » Gerson. de Vit. Spir., etc. lect. 2. Eamdem sententiam D. Thomas fortiùs confirmat in alio loco 2-2, q. 104, art. 4, ubi signanter loquitur de obedientiâ quæ præceptis divinis debetur. Ita quærit utrùm Deo sit in omnibus obediendum? S. doctor affirmat, sed ad 3 sibi objicit : « Quicumque obedit Deo conformat voluntа- « tem suam voluntati divinæ, etiam in volito; sed non « quantùm ad omnia tenemur conformare voluntatem « nostram voluntati divinæ, ut supra habitum est » (1-2, q. 19, art. 10, ubi habetur textus jam supra relatus) : « Ergo non in omnibus tenetur homo Deo ob- « edire. » Et sic respondet (attendamus hìc quomodò S. doctor fuerit semper firmus et uniformis in hàc suà sententiâ) : « Ad tertium dicendum quòd etsi non « semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper « tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle. Et « hoc homini præcipuè (nota) innotescit per præce- « ptum divinum. » Homo igitur tenetur Deo obedire et ipsius voluntati conformari circa præcepta, non jam in omnibus quæ Deus vult, sed tantùm in iis quæ vult Deus nos velle (quod Deus vult nos velle). At quomodò scimus id quod Deus non solùm ipse vult, sed etiam vult nos velle? sciemus, inquit S. Thomas, cùm nobis id manifestatur per sua divina præcepta. « *Et hoc « homini præcipuè innotescit per præceptum divinum.* » Ergo non obligat sola dubia notitia præcepti ad illud servandum tanquàm voluntatem divinam, sed requiritur certa et manifesta præcepti cognitio, quod quidem significat verbum illud innotescit. Itaque, ubi duæ sunt opiniones æqualis ponderis, cùm eo casu desit sufficiens promulgatio legis, ipsa non habet virtutem obligandi, ut firmatum est sub initio hujus mo-

niti. Lex autem quæ non obligat, non est lex : « Dici- « tur enim lex à ligando, » ait S. Thomas; lex ergo quæ non ligat, lex dici non potest.

Hanc autem sententiam, quòd, ubi præceptum est verè et strictè dubium, non adest obligatio illud servandi, secuti sunt communiter auctores tam antiqui quàm recentes. S. Raymundus scripsit, lib. 3 de Pœnit., § 21 : « Non sis pronus judicare mortalia pec- « cata, ubi tibi non constat per certam Scripturam. » Lactantius scripsit, lib. 3 Instit., c. 21 : « Stultissimi « hominis est præceptis eorum velle parere, quæ « utrùm vera aut falsa sint dubitatur. » Textus habetur in c. 13, cùm in jure, de offic. et pot. Jud. deleg., ubi dicitur : « Nisi de mandato certus extiteris, exe- « qui non cogeris quod mandatur. » Idem scripsit Joannes Nider, in Consol. An. part. 3, c. 20, citans Bernadum de Claromonte : « Ex quo enim opiniones « sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit al- « teram partem, teneat quam voluerit. » Idem scripsit S. Antoninus : « Secundum cancellarium non plus « nocet homini errare in articulo fidei, qui non est de- « claratus adhuc ab Ecclesiâ, quòd sit articulus de « necessitate credendus, quàm nec esse posset actus « moralis contra aliquid agibile perpetratus, qui actus « non dicitur certus ex Scripturâ, aut determinatione « Ecclesiæ, quòd sit illicitus. Sed constat quòd in « materiâ fidei licitum est antè determinationem Ec- « clesiæ tenere unam vel alteram partem sine periculo « peccati; et ergo à simili licet unam opinionem in « moralibus tenere juxta limitata superiùs, ubi saltem « magis sapientes non sentiunt contrarium. » S. Antonin., part. 1, tit. 3, c. 10, § 10, verb. Revertendo. Juxta igitur S. Antoninum et cancellarium (videlicet Gersonem) non tenemur sequi opinionem tutiorem, ubi tutior non apparet probabilior. Gabriel Biel scripsit, in 4 sent., D. 16, q. 4, concl. 3 : « Nihil « debet damnari tanquàm mortale peccatum, de quo « non habetur evidens ratio, vel manifesta auctoritas « Scripturæ. » Dominicus Soto scribit quòd lex, cùm ipsa sit regula actionum, opus est ut homo eam intueatur, nempe quòd cognoscat eam ut certam : « Qui « regulâ utitur, eam intueri necesse est. » De Just. l. 1, q. 1, art. 4. Undè scripsit postea, ibid. l. 6, q. 1, art. 6, circa fin. : « Quando sunt opiniones probabiles « inter graves doctores, utramque sequaris, in tuto « habes conscientiam. » Ita etiam card. Lambertinus (qui postea ad Pontificatum evectus est sub nomine Benedicti XIV) scripsit in suis Notificationibus (Notif. 13) : « Non debbono imporsi ligami, quando non « vi è una manifesta legge che gl' imponga. »

Doctissimus Melchior Canus scribens adversùs Scotum, qui obstringebat peccatores ad eliciendam contritionem in quocumque die festo, dicit : « Jus huma- « num nullum est, aut Evangelicum, quo hoc præ- « ceptum asseratur; proferant, et tacebimus. » Canus, Relect. 4 de Pœn., p. 4, q. 2, prop. 3. Atque ibidem, n. 5, sic scribit : « Quoniam ignoro undè ad hanc opi- « nionem doctores illi venerint, liberè possum quod « non satis exploratè præceptum est, negare. » Joseph Rocafull, præpositus Valentiæ, scripsit : « Casu quo « factâ diligentiâ non constat an lex sit imposita, sed « res dubia manet, non obligat, sive sit lex, vel præ- « ceptum naturale. » Lib. 1 de Leg. in comm. c. 4, num. 65. P. Suarez ita scribit : « Quamdiù est judi- « cium probabile quòd nulla lex sit prohibens actio- « nem, talis lex non est sufficienter proposita homini; « undè cùm obligatio legis sit ex se onerosa, non ur- « get, donec certius de illâ constet. » De Cons. Disp. 12, sect. 6, et tom. 5, in 3. part. d. 40, n. 45. Idem scripsit P. Joannes Idelfonsus Dominicanus : « Si « dubium est de ipsâ existentiâ legis an existat talis « lex? an sit publicata? an in tali lege comprehenda- « tur iste casus? factâ sufficienti diligentiâ, et durante « dubio, non teneris te conformare tali legi, vel « obligationi. » In 1-2, disp. 209, n. 1152. Idem tenet auctor recens P. Eusebius Amort, vir Germanus valdè eruditus, et undique notus ob suam doctrinam et plura insignia opera vulgata. Hic in suâ Theologiâ morali et scholasticâ excusâ Bononiæ anno 1753 (quæ priusquàm ederetur, emendata fuit, aut saltem revisa à papâ Bened. XIV, prout ipse auctor suppliciter ab eo petierat) sic scribit : « Quandocumque existentia « legis non redditur credibilior, moraliter certum est « non dari legem, quia ex naturâ Providentiæ divinæ « Deus tenetur reddere suam legem credibiliorem, » etc. Amort, tom. 1, d. 2, § 4, q. 20, pag. 232. Et alibi, d. 2, § 4, q. 5, pag. 283, ait quòd cùm adsunt duæ opiniones æquè probabiles, « non datur lex directè pro- « hibens, quia hoc casu non datur sufficiens promul- « gatio legis, quæ est character essentialis legis. » Idem tenent Vasquez 1-2, disp. 62, c. 9, n. 45; card. de Lugo, de Pœnit., disp. 16, sect. 3, Manstrius Theol. Mor., disp. 1, q. 2; art. 3, n. 56; Holzman. Mor. to. 1, p. 29, ann. 135; Roncaglia Theol. Mor. lib. 2, c. 3; Salmant. tract. 6 de Pœn. c. 8, n. 25, et tract. 11 de Leg., c. 2, n. 100, et alii plures quos omittimus brevitatis causâ.

Posito igitur principio à D. Thomâ tradito, ac satis superque probato, nempe, quòd *nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti,* quod idem est ac dicere non posse legem incertam certam obligationem inducere; necessariò eruitur esse moraliter certum, quòd ubi duæ opiniones æqualis ponderis concurrunt, non est obligatio sequendi tutiorem. Si quis autem de hujus sententiæ certitudine rationem exposcat, breviter ei ex omnibus in hoc Monito probatis respondebitur, quia lex dubia non obligat. Et si quærere pergat cur lex dubia non obliget, respondebimus hoc succincto argumento : Lex non sufficienter promulgata non obligat : lex dubia non est sufficienter promulgata (quia, dùm lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium, sive quæstio, sed non promulgatur lex); ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet, vel quòd lex etiam non promulgata obligat; vel quòd lex dubia est verè promulgata; contra id quod expressè docet S. Thomas et alii communiter, ut vidimus; sed nunquàm harum propositionum ullam probabit in

æternum. Hæc tandem sit conclusio hujus sententiæ : Spectato pondere æquali utriusque opinionis, homo dubius maneret, neque operari posset; spectatâ autem vi legis, cùm ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat, nec ligat. Et ideò homo, utpote ab hujusmodi lege dubiâ non ligatus, redditur certus de suâ libertate, et sic licitè operari potest.

Dixi sub initio quòd ubi opinio pro lege videtur certè probabilior, eam sequi tenemur; secùs verò si est æquè probabilis ac opinio pro libertate. Auctor verò Ephemeridum mihi objecit quòd hæc secunda propositio probat nimis, nam si non teneremur sequi opinionem pro lege, quando opinio pro libertate est æquè probabilis, quia tunc lex est dubia; nec etiam teneremur sequi opinionem pro lege, quando opinio pro libertate esset minùs probabilis; quia etiam opinio minùs probabilis efficit quòd lex sit dubia, et non sufficienter promulgata. Sed respondeo quòd cùm opinio tutior est certè probabilior, eo casu (ut in principio hujus Moniti præmisi) quamvis lex omninò certa non sit, tamen propter illam majorem probabilitatem opinio pro lege videtur moraliter verior, et consequenter etiam lex moraliter sive sufficienter promulgata; et ideò lex nequit dici tunc omninò dubia dubio stricto; remanet tantùm eo casu aliquod dubium latum, quod non permittit ab opinione tutiore discedere. Cùm autem opinio quæ stat pro libertate est æqualis momenti, tunc adest dubium strictum de existentiâ legis; ac propterea, sicut probavimus, non adest tunc obligatio amplectendi opinionem strictiorem, nec servandi legem, de quâ omninò dubitatur an ipsa existat vel non existat.

Constat autem ex ipso naturali dictamine licere nobis agere omne id quod à lege non prohibetur, sicut scribit Heineccius, lib. Elementa Jur. Nat. et Gent., sic aiens : « Omnia libertati hominis permittit Deus, « quæ non præcepit, vel prohibuit. Sic, v. g., cùm « solâ arbore scientiæ boni et mali hominibus inter- « dixisset Deus, rectè omninò inferebant Protoplasti, « licere sibi fructibus reliquis omninò vesci, Gen. 2, « 3. Cessante enim legis obligatione, viget libertas. » Id porrò validiùs confirmatur textibus Juris Civilis et Canonici, nam Instit. de jure Person., § 1, dicitur : « Cuique facere libet, nisi id à Jure prohibetur. » Item cap. Autem 13, cùm in jure, de Offic. et pot. Jud. Deleg. sic habetur : « Nisi de mandato certus extiteris, « exequi non cogeris quod mandatur. » Quapropter S. Thomas docet id tenendum tanquàm commune et certum axioma in lege naturali, sic scribens : *Illud dicitur licitum quod nullâ lege prohibetur.* In 4 sent., Dist. 15, q. 2, art. 4 ad. 2. Hinc ineptè arguit quidam auctor dicens : *Ubi dubium est an adsit lex, consequenter dubium etiam an adsit libertas.* Malè (dico) arguit, nam ubi dubium est an adsit lex, certum est legem non obligare; docet enim S. Thomas (ut notavimus supra) quòd : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* Patet autem scientiam importare cognitionem certam de lege; et hujus ratio etiam patet, quia lex donec est dubia, non es sufficienter promulgata; atqui lex non sufficienter promulgata non habet virtutem obligandi, sive ligandi, ut ait doctor Angelicus, juxta dicta sub initio hujus; ubi autem non existit lex ligans, sive prohibens, homo licitè operatur, ut ait idem S. Thomas loco mox supra citato.

Sed priusquàm finem ponam huic Dissertationi, præterire nolo duabus oppositionibus respondere, quas invenio objectas à P. Flaviano Ricci in Theologiâ Morali P. Anacleti ab ipso nuperrimè reformatâ, ubi sic scribit : Omnes divinæ et humanæ leges sunt certæ, et sufficienter promulgatæ; controversia ergo non cadit super existentiam legis, aut super ejus promulgationem, sed super ejusdem extensionem; ideò in casu particulari debemus legem generalem ad illum applicare, et investigare an casus ille comprehendatur velne à lege. Hinc falsò nobis imponit, quòd in concursu duarum opinionum, quæ sunt æqualis ponderis, judicamus legem certè ad eum casum non extendi; ipse verò auctor duo supponit eo casu accidere : *Primum*, quòd tunc nostra libertas evenit dubia; *Secundum*, tunc tribuendum esse locum regulæ Canonum quæ dicit : *In dubiis tutior via eligenda est;* juxta, ut addit, Scripturam illam : *Qui amat periculum, in illo peribit. Eccli.* 3, 27.

Respondeo ad *primum* : Quando dubitatur an casus comprehendatur à lege vel non, nequaquàm dicimus legem tunc certè non extendi, sed dicimus quod in casu duarum opinionum æqualis ponderis, quamvis lex generalis (v. g., non furandi, non occidendi) sit certa quoad existentiam, et sit sufficienter promulgata; respectu tamen ad illum casum est dubia tam quoad existentiam, quàm ad promulgationem; ac propterea tunc, quia dubitatur an lex ad casum illum extendatur, certum est non extendi quoad obligationem; nam, ut latè probavimus supra, eo casu cùm lex dubia sit, nequit ligare certam hominis libertatem, quæ, donec à lege sit ligata, manet soluta. Id quidem agnovit D. Thomas cùm dixit legem esse instar ligaminis, quod donec per contactum applicatur alicui, hic *habet potestatem divertendi quò vult;* sunt verba S. doctoris *de Verit. q.* 17, *art.* 3. Hinc protulit sententiam illam : « *Nullus ligatur per præceptum aliquod,* « *nisi mediante scientiâ illius præcepti.* » Ibid.

Hoc autem maximè alibi confirmatur à S. Thomâ, ubi sic scripsit : « *Lex quædam regula est et mensura* « *actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum,* « *vel ab agendo retrahitur; dicitur enim lex à ligando,* « *quia obligat ad agendum;* » 1-2, 90, art. 1. Mensura autem, ait card. Gotti, non mensurat, nisi mensurabili applicetur, et ideò addit : « Requiritur indis- « pensabiliter, ut lex subditis promulgatione proponatur. » Quomodò autem poterit quis suas actiones rectè mensurare, nisi mensura illa sit certa et non ambigua? Nec valet dici quòd ubi lex est dubia, est etiam dubia libertas hominis; quia libertas manet semper certa, usquedùm à lege pariter certâ et manifestâ non ligatur. Quantumvis igitur lex generalis sit certa, certè existat, et certè sufficienter sit promulgata, donec tamen ipsa non est casui particulari applicata,

libertas utpote non adhuc ligata, in suâ possessione remanet.

Respondeo ad secundum, nempe ad regulam Canonum à P. Flaviano adductam, et quæro ab eo: Certumne est quòd præfata regula comprehendat omnia dubia speculativa, et non tantùm practica, aut dubia de facto? id equidem certum non est, nam communior sententia tradit regulam illam duntaxat locum habere in dubiis practicis, et de facto. Ecce quod scribit S. Antoninus: « Quod autem volentes probare contractum « esse illicitum, inducunt illud: » In dubiis tutior via est eligenda. « Respondetur hoc esse verum de ho- « nestate, et meriti majoritate, non de salutis neces- « sitate, quoad omnia dubia, alioquin oporteret omnes « Religionem intrare, » part. 2, tit. 1, cap. 11, § 31. Idem scribit Christianus Lupus Diss. de Op. prop., tom. 11, illud arguens ex doctrinâ S. Augustini: eamdem sententiam sequuntur Navarra, Dom. Soto, Abbas, Nider, Tabiena, Suarez, Angles, S. Bonavent. Gerson, Isambertus, Joan. Idelfonsus, Salas, Corneio, Joan. à S. Thomâ et alii, quorum loca observari possunt apud aliam quamdam meam dissertationem, quam olim diffusiùs de hâc materiâ edidi, ubi evidenter probavi quòd hujusmodi Canonum regula tantùm casus practicos et de facto spectabat. Saltem igitur prædicta regula sive lex Canonum est verè dubia extra casus practicos, et de facto; ac ideò non sufficienter promulgata, et propterea vim non habet obligandi.

Sed demus gratis hanc legem procedere pro omnibus dubiis, rursùm peto: Quid dicit lex hæc sive regula? *In dubiis tutior via est eligenda.* Ergo cùm homo est in dubio, nequit agere. Sed quid si formet sibi dictamen moraliter certum de honestate suæ actionis? tunc non est in dubio, sed est extra dubium, et extra casum regulæ, ob principium illud jam plusquàm plenè probatum quòd lex dubia non obligat, quia tunc deficit ei promulgatio, quæ est de essentiâ legis.

Textus autem quem addit, *Qui amat periculum, in illo peribit,* nescio quomodò possit suæ opinioni favere. Non ignoro hujusmodi Scripturam afferri ab omnibus ejusdem rigidæ sententiæ propugnatoribus; sed non valeo intelligere quidnam ex eâ eruere possint isti Magistri (ut se jactant) sanæ et purioris doctrinæ. Attendatur Scripturæ contextus; dicitur ibi: *Cor durum habebit malè in novissimo, et qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3, 27. En quod casus Scripturæ, in quo homo graviter peccat, est, cùm ipse in verum se immittit periculum suæ salutis, protrahendo usque ad mortem suam conversionem; sicut pariter verum periculum incurrit, et graviter peccat, qui occasionem proximam peccandi voluntariè renuit removere; omninò differt ergo casus à nostro, in quo posito, quòd lex dubia non obligat, nullum est periculum transgrediendi legem: quia, cùm eo casu non sit ea sufficienter promulgata, nullam habet virtutem obligandi.

Ex hâc autem doctrinâ S. Thomæ, nempe quòd lex non habet virtutem obligandi, nisi sit promulgata et innotescat, duo coroliaria descendunt, quibus præfata nostra dissertatio magis solidatur: primum quòd lex dubia non obligat; secundum huic annexum, quòd lex incerta nequit certam obligationem inducere. Hinc subdimus.

Corollarium primum. — *Lex dubia non obligat.*

Ex principio autem tam firmiter et multipliciter à D. Thomâ probato, nempe quòd lex non promulgata non habet virtutem obligandi, certa descendit præfata prima conclusio, quòd lex dubia non obligat. Hujusmodi conclusio probatur ex eo quòd certum et exploratum communiter est inter omnes doctores, quòd certitudo moralis alicujus sententiæ, si non probatur ex aliquo certo principio *directo*, probetur tamen ex alio principio *reflexo* pariter certo, ut probatur primò ex can. 4, Quid culpatur, 23, q. 1, ubi S. Augustinus scribit: « Vir justus, si fortè sub rege homine etiam sa- « crilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si « vice (aliàs civicæ) pacis ordinem servans, quod sibi « jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum « est, vel utrùm sit, certum non est; ita ut fortassè « reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem « autem militem ostendat ordo serviendi. » Quamvis igitur subditus sit dubius de belli justitiâ, potest tamen licitè militare ex jussu sui principis, et quâ ratione? innixus principio reflexo quòd princeps habet jus certum, ut semper ac de injustitiâ non constat, ei obtemperetur. Probatur pariter ex cap. Dominus, de Secund. nupt., ubi dicitur quòd si vir dubitet de morte prioris viri suæ uxoris, nequit debitum petere, sed tenetur reddere uxori, quæ non dubitans in bonâ fide petit; et cur? ob certum principium reflexum, quòd cùm uxor sit in bonâ fide, ipsa in dubio jus habet petendi debitum.

Hanc doctrinam ut certam habet P. Joan. Laurentius Berti in suâ theologiâ, tom. 2, lib. 21, c. 13, prop. 3, vers. Patroni, qui tenet illicitum esse sequi opinionem minùs tutam, licet sit æquè probabilis; sed unde id probat? probat ex falsitate duorum principiorum, quibus Probabilistæ licitum esse sustinent; primum enim est illud: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Meritò reverà P. Berti ait principium hoc non esse sufficiens ad operandum cum opinione tantùm probabili; etenim cùm opinio adversa pro lege æquè sit probabilis, certitudo de actionis honestate ad rectè operandum necessaria nobis deinde non suppetit. Alterum principium quorumdam Probabilistarum est hoc, quòd cùm utraque opinio est probabilis, homo circa opinionem tutiorem judicium suspendit, et probabilitati opinionis benignæ se innitens, operatur. Sed justè idem P. Berti tale principium etiam reprobat; illud enim nequaquàm de actionis honestate nos certos reddere valet, cùm hujusmodi suspensio judicii sit merè voluntaria, unde excusare non potest, quin ignorantia sit verè vincibilis, ideòque eo modo nequit equidem dubium deponi. Quapropter concludit Berti: Posito quòd aliud fundamentum non adest deponend dubium, quàm illa sola opinionis benignæ probabili tas, minimè licebit nobis illâ opinione uti. Secùs verè est, scribit ipsemet Berti, casu quo præter illam probabilitatem opinionis, aliunde se offerat alia reflexa ratio, sive principium certum, quòd de honestate ac-

tionis in praxi moraliter certos nos reddit : siquidem tunc nostri judicii certitudo non jam rationibus illius opinionis probabilis, sed principio reflexo certo supervenienti innititur. Exemplumque affert religiosi, qui dubitans an possit jejunium solvere, ut studio operam præbeat, potest utique solvere, si urgeat superioris præceptum quo certus fiat posse citra culpam cibum sumere. Aliud affert exemplum de possessore, qui prædium bonâ fide possidens, superveniente dubio, licitè potest possessionem prosequi, si à viro docto tutus reddatur, quòd nemo in dubio re legitimè possessâ spoliari tenetur. Hinc sic concludit : « Procul dubio « potest hoc pacto ex reflexione mentis antea per- « plexæ fieri judicium practicum moraliter. » Idem scribit P. Wigandt ordinis Prædicatorum, dicens : « Probabilius est non esse peccatum operari cum « conscientiâ speculativè dubiâ, habente annexum ju- « dicium practicum de honestate operationis. » Ratio, quia qui sic operatur, prudenter judicat in his circumstantiis se licitè et honestè operari : Tract. 2, Ex. 1, q. 5, art. 2.

Consentiunt domini Ballerini in suo opere, cui titulus : Moralium actionum regula, sive Quæstio de opin. probabili, qui licet strenuè rigidam sententiam tueantur, huic tamen doctrinæ tanquàm certæ libenter subscribunt dicendo : « Quod in praxi ex directis princi- « piis minimè certis incertum est, ex certo reflexo « principio fit omninò certum. » Ipsique pariter de hoc plura adducunt exempla, et signanter illud mox supra à nobis relatum de dubio impedimento matrimonii contracti, quo casu aiunt, quòd licet ob principia directa incertum sit an conjux dubitans possit debitum reddere, nihilominùs ob principium reflexum, quod ex canone et ratione deducitur, securè reddere valet. Unde concludunt : « In his omnibus exemplis « observandum est reflexa principia particularem « quæstionem non solvere, sed incertam relinquere ; « sola praxis certa est, eò quòd principia reflexa pra- « xis in eo dubio dirigendæ certam regulam figant. » Idem scribit P. Gonet, Manual. t. 3, tr. 3, c. 16, circa fin. Tandem idem P. Lector Joan. Vincentius Patutius, qui in hâc controversiâ duplici libello strenuè mihi se opposuit, id pro explorato admittit, nempè quòd cùm principium reflexum est certum, jam reddit actionem certè honestam ; sic enim ait in suo libello La Causa del Probabilismo, etc., § 4, pag. 40, et expressiùs p. 45, ubi scribit : « Se fosse vero, che nel « caso d'incertezza della legge, la legge non vi fosse, « perche non promulgata abbastanza, oh allora si « (come accennai) avreste un principio certo, se non « diretto, almeno reflesso, onde formar un dettame « prudente certo di poterlo celebrare lecitamente (lo- « quitur de quodam contractu dubiè licito), attesoche « non essendovi legge che lo proibisca, qual timor sag- « gio potrebbevi essere di trasgredire la legge, che cer- « tamente non v'è? » Meliùs dixisset quæ certè non obligat, quod aliàs ad idem reducitur, quia lex quæ non obligat est tanquàm non esset. Et sic intelligitur, quomodò judicium speculativè dubium, sive probabile de honestate actionis, potest in praxi fieri moraliter certum. Sed quis objiciet, quomodò rationes speculativè tantùm probabiles, possunt in praxi moraliter certæ evadere ? Hoc evenit, ut optimè tradunt episcopus Abelly et P. Eusebius Amort, non ex eo quòd ipsæmet rationes speculativè probabiles alicujus opinionis fiunt in praxi moraliter certæ : sed quia aliæ sunt rationes ipsius opinionis, quæ tantùm probabiles sunt, aliæ verò sunt rationes principii reflexi, quibus in praxi ultimum formatur judicium moraliter certum ex illo principio certo ; et sic actio quæ speculativè est tantùm probabiliter honesta, in praxi certè moraliter honesta evadit.

Ut ergo nostram firmemus conclusionem, nimirùm quod lex dubia non obligat, sic certo tramite arguimus : principium à D. Thomâ superiùs jam probatum est, quòd lex non habet virtutem obligandi, nisi sufficienter promulgata sit, et innotescat. Casu autem quo duæ opiniones concurrant æqualis ponderis, tunc quidem lex nequit dici sufficienter promulgata, tunc enim sufficienter promulgatum est dubium an lex existat, sed non est promulgata lex ; ac propterea ipsa non potest obligare. Hanc sententiam novissimè Eusebius Amort Germanus, vir doctrinâ undique perspicuus, tanquàm certam defendit in suâ Morali et Scholasticâ Theologiâ, Bononiæ typis datâ an. 1753, postquàm Romæ emendata fuit jussu Benedicti XIV, cui ipse auctor supplices preces dedit, ut curaret opus ante ejus publicationem à cordatis theologis Romæ revideri, et ubi oportere censeret, emendari. Pontifex votis annuit, et transmisit ei aliqua menda in opere emendanda, salvâ tamen quæstione de opinione æquè probabili, ut videre est in ipsius opere. Scribit auctor quòd ubi opinio pro lege evidenter et notabiliter probabilior non apparet, moraliter certum est legem obligantem non existere, dicens quòd Deus juxta suam divinam providentiam, cùm ipse vult legem suam obligare, efficere tenetur ut evidenter et notabiliter probabilior appareat : « Quandocumque (sic loquitur) « existentia legis non redditur credibilior non ipsâ, « moraliter certum est non dari legem ; quia ex na- « turâ providentiæ divinæ, Deus sicut tenetur suam « religionem reddere evidenter credibiliorem non « ipsâ ; ita etiam tenetur suam legem reddere cre « dibiliorem, seu probabiliorem non ipsâ. » Amort, Theol. t. 1, disp. 2, § 4, q. 10, pag. 232. Tà *non ipsâ*, intelligit non ipsâ lege, sed rationibus quæ nobis illam notabiliter probabiliorem reddunt. Deinde alio loco rationem adducit, quia lex strictè dubia sufficienter caret promulgatione, sine quâ lex non est lex, sive non est lex obligans : « In hoc casu (nempè cum utra- « que opinio est æquè probabilis) non datur lex di- « recta prohibens, quia in hoc casu non datur suffi- « ciens promulgatio legis, quæ est character insepa « rabilis et essentialis legis, siquidem illa est sola le- « gis promulgatio quâ lex fit credibilior. » Loc. c. disp. 2, quæst. 5, p. 283. Additque idem sensisse Patres : « Patres in dubio strictè tali, ubi in neutram « partem inflectitur mentis sententia, relinquunt ho

« mini potestatem sequendi benigniora; ergo agnoscunt aliquod generale principium, quo possit formari prudens judicium concomitans de non existentiâ legis. » Et reverà S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 39, de quodam Novatiano loquens, ait : « An juvenibus viduis propter ætatis lubricum ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minimè dubitavit, cujus scilicet te magistrum profiteris At hoc minimè post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quòd si res dubia est, vincat humanitas, et facilitas. » Item S. Leo, epist. 90, ad Rustic. Narbonens. in præfat., ut habetur in can. Sicut quædam, fin. Dist. 14. « Sicut quædam sunt quæ nullà possunt ratione convelli (prout sunt Decalogi præcepta et sacramentorum formæ, sicut explicat Glossa), ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari : illâ consideratione semper servatâ, ut in iis quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. » Dicit *sequendum*, nam prælati subditis permittere debent, ut possint opinionibus minùs rigidis uti, ubi illa nec Evangelio, nec Patrum doctrinis adversantur, juxta illud Chrysostomi documentum : *Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus*, ita in Can. Alligant, 26, q. 7. Item Lactantius, lib. 3 Instit., c. 27, scribit : *Stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera sint an falsa dubitatur.* Item S. Augustinus brevibus totum quod dicimus confirmat : « Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur (nota convincitur), indifferenter esse habendum. » Serm. 294, c. 11, col. 224, edit. Paris. Quælibet igitur actio nobis permissa est, modò convicti, aut moraliter certi non simus, illam contra fidem aut bonos mores esse. Item S. Ambrosius scribens ad Januarium improperat animos nimiùm timidos habere, qui in dubiis nihil rectum existimant, nisi quòd Scripturæ auctoritate, aut Ecclesiæ traditione, aut quod pro vitæ corrigendæ utilitate certum esse dignoscitur. En ejus verba : « Sensi enim sæpè dolens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire..... tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. » S. Ambros. Epist. ad inquis. Januar., cap. 11, n. 3. His accedit S. Basilius, qui de quibusdam loquens qui juramentum quoddam à se præstitum invalidum fuisse autumabant, ita scripsit : « Consideranda autem sunt, et species jurisjurandi, et verba, et animus quo juraverunt, et sigillatim quæ verba addita fuerunt; adeò ut si nulla prorsùs sit rei leniendæ ratio, tales omninò dimittendi sint. » Epist. 188, can. 1, cap. 10. Dixit igitur, tum duntaxat dimittendos ( sive non audiendos) esse, cùm nulla penitùs favens benigna ratio eis subesset. Item accedit S. Bernardus, qui, genericè loquendo de rebus in utramque partem disputatis, ad Hugonem sancti Victoris sic scribit : « Sanè ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat. » Vol. Oper., cap. 5, n. 18, edit. Maur. Paris, col. 634. Ait itaque S. doctor, quemque tutò procedere, eas opiniones sequendo, quæ certæ rationi, aut auctoritati, quæ sit tanti momenti, ut nemo ab illâ desciscere possit, se non opponunt. His addendus S. Bonaventura, qui de votis agens, super quibus papa dispensare possit, tres in medium adducit opiniones, et deinde concludit : « Quæ istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire : et satis potest quælibet sustineri. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum. » In 4, dist. 38, art. 2, quæst. 3. Non ait præferendam esse tutiorem, sed quamlibet earum sustineri posse et acceptari.

Audiamus insuper Melchiorem Canum, qui impugnando sententiam Scoti obligantis peccatores omnibus diebus festivis ad contritionis actum producendum, scripsit : « Jus humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc præceptum asseratur, proferant, et tacebimus. » Relect. 4 de pœn., p. 4, quæst. 2, Prop. 3; et n. 5, subdit : « Quoniam ignoro unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, liberè possum, quod non satis exploratè præceptum est, negare. » Idem sensisse Scotum certum videtur, ubi de quâdam opinione scripsit : « Cùm multis sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minùs probabilem. » In 4 Dist. 11, quæst. 6. Ergo juxta Scotum, qui sequitur opinionem æquè probabilem, non peccat. Idem pariter scripsit cardinalis Lambertinus, deindè creatus pontifex sub nomine Benedicti XIV, dicens : « Non debbono imporsi legani, quando non vi è manifesta legge che l'imponga. » Notif. 13.

Sed deveniamus nunc ad rationes intrinsecas nostræ sententiæ, pro quibus rem ex suis principiis, Angelico doctore semper duce, sumamus. S. Thomas sic legem definit : *Lex quædam regula est et mensura actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur : dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum.* 1 - 2, quæst. 90, art. 1. Deindè idem S. Thomas docet hanc regulam sive legis mensuram, ad hoc, ut subditi eam observare adstringantur, debere eis esse per promulgationem manifestatam; quapropter, art. 4, quæsitum proponit : *Utrum promulgatio sit de ratione legis?* Et sic respondet : « Lex imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ; regula autem, et mensura imponitur per hoc quòd applicatur his qui regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quòd in notitiam eorum deducitur ex ipsâ promulgatione. Unde promulgatio ipsa neces-

« saria est ad hoc quòd lex habeat suam virtutem. » Lex igitur ante promulgationem vim obligandi non habet : leges enim, ut scribit Gratianus in can. In istis in dist. 4, tunc vim legis acquirunt, et leges tunc propriè nuncupantur, et sunt cùm sunt promulgatæ : « Leges tunc instituuntur, cùm promulgantur. » Hinc à S. Thomâ alibi ita lex definitur : *Quædam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata*, 1 - 2, quæst. 90, art. 4. Notentur verba : *Ordinatio promulgata.*

Hæc autem promulgatio est necessaria omninò ad obligandum, nedùm in humanis legibus, sed etiam in divinis et naturalibus, prout idem sanctus doctor tradit : nam in citato art. 4 ad primum hoc sibi objicit : « Lex naturalis maximè habet rationem legis; sed lex « naturalis non indiget promulgatione : ergo non est « de ratione legis quòd promulgetur. » Et sic respondet : « Dicendum quòd promulgatio legis naturæ est « ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus hominum in- « seruit, naturaliter cognoscendam. » Itaque sanctus Thomas non negat legem naturalem promulgatione indigere, dicit tantùm legis naturalis promulgationem non fieri humano modo, sed naturali lumine, quod Deus in hominum mentes ingerit. Hinc doctissimus cardinalis Gotti ait : « Ad hoc, ut lex in actu secundo « obliget, requiritur quidem indispensabiliter ut sub- « ditis promulgatione proponatur. » Theol. cum. 2, trac. 5 de Leg. quæst. 1, dub. 3, § 3, n. 21. Dicit *in actu secundo*, quia lex non adhuc promulgata habet in se vim obligandi in actu primo, scilicet, ut ipsa actualiter deinde obliget, cùm promulgata fuerit; sed ut in actu secundo, nempe actualiter obliget : requiritur indispensabiliter ejus promulgatio subditis facta : « Ac- « tualiter (scribit Sylvius) tunc lex unicuique promul- « gatur, quando cognitionem (homo) à Deo accepit di- « ctantem, quid juxta rectam rationem sit amplecten- « dum, quid fugiendum. » 1-2, quæst. 90, art. 4 in fin. De hâc promulgationis necessitate ut lex obliget, Dominicus Soto rationem assignat, dicens : « Nulla lex « habet vigorem legis ante promulgationem. Nullam « exceptionem conclusio hæc permittit. Et probatur ex « naturâ ipsius legis; est enim regula nostrarum actio- « num; regula autem, nisi operantibus applicetur, « vana est. Applicari autem nequit nisi per ejus noti- « tiam; nam qui regulâ utitur, eam intueri necesse « habet (nota *intueri*). Fit ergo consequens, ut ante « promulgationem quâ subditis innotescit, non eos « obligando perstringat, sed tunc percipi quando pro- « mulgatur. » Sot. de Just. et Jure, lib. 1, quæst. 1, art. 4. Quapropter ait Joannes Gerson nec etiam Deum obstringere posse creaturam ad legem observandam, nisi priùs præceptum, ac voluntatem suam Deus creaturæ manifestet : « Necesse est dari manifestationem ordinationis ac « voluntatis Dei; nam per solam ordinationem aut per « solam suam voluntatem non potest Deus absolutè creaturæ imponere obligationem, sed ad hoc opus est, ut ei « communicet notitiam unius æquè ac alterius. » Gerson de Vitâ Spirit., etc., Lect. 2, col. 176. Ex hoc P. Gonet argumentum ducit benè posse dari ignorantiam invincibilem etiam præceptorum naturalium; quæ à primis principiis valdè sunt remota, sicque arguit; « Lex « enim vim obligandi non habet, nisi applicetur ho- « minibus per promulgationem; sed lex naturalis non « promulgatur omnibus hominibus quantùm ad omnia « præcepta quæ sunt remotissima à primis principiis, « ergo non obligat omnes quantùm ad illa præcepta. « Subindeque potest dari de illis ignorantia invincibi « lis, et excusans à peccato. » Gon. in Clypeo theol., tom. 3, Disp. 1, art. 3, n. 47.

Sed nunc accedamus ad objectiones P. Patutii discutiendas, quibus hujus nostri principii certitudo clariùs innotescet. P. Lector objicit I. contra hoc principium, ad reddendam legem sat promulgatam satis esse notitiam tantùm probabilem, quæ ex opinione probabili stante pro lege, jam habetur. Huic objectioni dico primò verbum *notitia*, juxta omnia vocabularia idem esse ac *cognitio*. Cognitio autem legis, et opinio probabilis legis omninò differunt. Præterea respondeo quòd si admitti vellet, vel sub verbo *notitiæ* intelligi notitiam probabilem, ad summum id solummodo admitti potest casu quo notitia adesset probabilis tantùm pro lege, tunc enim legi quædam moralis certitudo assisteret; sed cùm adest ex aliâ parte opinio æquè probabilis pro libertate, tunc ex neutrâ parte aliquâ potest superesse probabilitas, seu probabilis ratio apta ad prudentem hominis assensum sibi trahendum; nam ex his æqualibus probabilitatibus aliud quàm merum dubium non resultat, an existat vel non existat lex. Id clarè docet sanctus Thomas : « Intelle- « ctus noster respectu partium contradictionis se habet « diversimodè; quandoque enim non inclinatur magis « ad unum quàm ad aliud, vel propter defectum moven- « tium sicut in illis problematibus, de quibus rationes « non habentur, vel propter apparentem æqualitatem « eorum quæ movent ad utramque partem, et ita est « dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes « contradictionis. » De Verit. quæst. 14, art 1. Idem alibi breviùs docet : « Inter æqualitatem etiam ratio- « num et argumentorum soli dubio est locus. » S. Thom. « Vide in Instruct. de Reg. prox. etc., p. 1, c. 3, p. 48.

P. Berti præterea inquit quòd sicut statera tam in æquilibrio est cùm illi nullum pondus imponitur, quàm cùm æqualia imponuntur onera; eodem modo, cùm duæ probabiles opiniones occurrunt, ipsæ adeò judicium suspendunt, ac si nulla ex utrâque parte probabilitas existeret : « In æquilibrio manet lanx, sive « nullum neutri parti, sive utrique æquale onus impo- « natur. » Berti Theol., tom. 2, lib. 21, c. 14, prop. 3, pag. 151. Idem dicunt P. Gonet, Vasquez, Lacroix, et communiter omnes Probabilistæ et Probabilioristæ, idemque tandem fatetur idem P. Patutius his verbis, in cit. Instruct. de Reg. prox., etc.: « Immota manet libra, « in cujus utrâque lance æquale pondus collocatur, « nec ad unam inflectitur partem, nec ad aliam. » Et idem confirmat in libello, La causa del Probabilismo, etc., ubi dicit : « Essendo evidente che due opinioni « contraddittorie egualmente probabili non possono, se « non generare il dubbio. » Itaque respectu ad nostram controversiam, in quâ de duabus opinionibus æquè pro

babilibus agitur, dici non valet probabilem legis notitiam sufficere ad eam promulgatam efficiendam; eo enim casu neutiquam notitia sufficiens ad legem promulgandam habetur, sed tantùm ad promulgandum dubium, sive veram hæsitationem an adsit lex vel non : quandoquidem cùm duæ æqualis ponderis opiniones concurrunt, evenit (ut diximus) nullam earum pondus habere.

Objicit II : Et ait aliam esse promulgationem legis, aliam legis divulgationem, sive notitiam privatam, quam subditi de lege recipiunt; lex enim, cùm jam promulgata fuit, sine hâc notitiâ à subditis acceptâ, eos obstringendi virtutem habet. Subdit autem quòd omnes leges sive humanæ, sive divinæ, jam satis promulgatæ fuerunt. Et primo loco de humanis legibus loquens dicit hæ ut obligent, sufficere quòd communitati per Banditores, aut per affixionem scripturæ in publicis locis promulgatæ fuerint.

Concedimus quòd ut lex humana vim habeat obligandi, sat est ut communitati promulgetur, nec, ut notitia ad quemcumque perveniat subditum, requiritur; sed advertendum quòd id valet tantùm quoad materiale legis objectum, quod à lege præceptum, aut vetitum fuerit, non tamen quoad conscientiæ obligationem legem servandi. Me explico : si, v. g., quædam fuerit lex promulgata, quâ invalidus contractus aliquis sine aliquibus solemnitatibus initus declaratur, tunc subditus, licet legem ignoret, tenetur tamen, cùm de illâ notitiam accipit, stare præscripto legis jubentis contractum habendum esse uti irritum, aut aliquam pœnam solvendam fore; nam in foro externo, cùm lex jam promulgata fuerit, omnes eam scire præsumuntur. Respectu verò conscientiæ, profectò minimè peccat, qui legem illam sibi ignotam non servat, modò ob suam negligentiam non scivisse acciderit. Sicque intelligitur textus S. Thomæ à P. Patutio adductus : « *Illi coram quibus lex non promulgatur obligantur « ad legem observandam in quantum in eorum notitiam de- « venit per alios vel devenire potest, promulgatione factâ.* » S. Th., 1-2. q, 90, a. 4, ad 2. Tò vel devenire potest, intelligitur in quantum legis notitia subditis pervenire poterat, et ob eorum negligentiam non pervenerit; nam alioquin, si eorum ignorantia fuerit inculpabilis, legem non servando, minimè peccant. Ita relatum textum rectè explicat Cajetanus loc. cit. S. Thomæ, dicens eos tantùm reos offensæ legis esse, qui eam nesciunt, « vel quia noluerunt, vel quia neglexerunt « facere, quod in eis erat ad sciendum. Alioquin ab- « sentes nescii promulgatæ legis non ligantur. Pro- « pter quod..... accusari nec apud Deum, nec apud « homines ignorantiæ possunt. » Idemque scribunt P. Petrus Collet. de legib., tom. 3, c. 1, art. 2, concl... et P. Franciscus Suar. in opere de Legib., lib. 3, c. 17, n. 3 et seq. Adduntque idem P. Suarez alibi tom. 5, in 3 p. Disp. 40, sect. 5, n. 4; Aravius, in 1-2 q. 97, disp. 3, diff. 3; Tapia, lib. 4, q. 15, art 2; Castr., t. 1, tract. 1, disp. 3, punct. 7, num. 1; Gregorius Martin., q. 96, art. 4, dub. 5, concl. 3, 4; Sanch. Dec. lib. 1, cap. 10, num. 32 et 33; Villalob., tom. 1, tract. 1, diss. 24; Salm., de Leg., c. 2, n. 110, non tantùm eos reputandos esse nescios, qui legem omninò ignorant, sed etiam illos qui post debitam diligentiam de eâ dubitant; lex enim (ut diximus) non ligat, nisi subditis applicetur per certam, non autem dubiam notitiam. Idque traditur ab eodem S. Thomâ, qui docet : *Nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* De Ver., q. 17. Sed de hoc textu infra latiùs disserendum erit.

Sic de humanis legibus; loquens autem P. Patutius de legibus divinis, dicit ipsas jam ab æternò promulgatas fuisse, et usque ab æterno perfectam obligandi habuisse virtutem; priusquàm creaturæ legem audirent ac cognoscerent. Idque procedere ait ex eo quòd lex æterna habet ab æterno promulgationem *causalem, virtualem et eminentem,* quæ deindè in tempore formalem etiam promulgationem infert. Hoc deducit ex verbis S. Thomæ, qui ait : « Dicendum quòd « promulgatio fit et verbo et scripto, et utroque modo « lex æterna habet promulgationem ex parte Dei « promulgantis, quia et verbum divinum est æternum, « et scriptura libri vitæ est æterna; sed ex parte crea- « turæ audientis et inspicientis non potest esse pro- « mulgatio æterna. » 1-2 q. 91, a. 1 ad. 2. Verumtamen ego assero (idque clarè probabo) quòd lex æterna respectu hominum non est propria lex; propria enim lex quoad ipsos est lex naturalis quæ licet sit participatio legis æternæ, ipsa tamen est ea quæ propriè homines ligat, cùm lex naturalis tantùm hominibus promulgetur, et rationis lumine applicetur. Saltem dico (prout alii theologi loquuntur) quòd lex æterna, quamvis in se vim habuerit obligandi in actu primo, attamen non fuit lex obligans actualiter et in actu secundo, donec fuerit proposita et per ejus cognitionem creaturis applicata : sicque asseveranter aio à S. Th. et ab omnibus theologis doceri. En quomodò loquitur Duvallius : « Postremò dubitabis an ipsa lex « (æterna) semper habuerit, et habeat veram et pro- « priam rationem legis ? Respondeo, in tempore, « quando productæ sunt creaturæ, habere de facto « rationem legis, siquidem verè et propriè omnibus « creaturis tanquàm subditis est indita et imposita; si « tamen ab æterno spectetur, dicendum est eam non « esse verè et propriè legem, sed tantùm aliquid quod « se habeat instar legis. » Deinde rationem assignat : « Tum, quia de ratione veræ legis est, ut imponatur « et promulgetur subditis; nulli autem fuerunt subditi « ab æterno : tum quia lex essentialiter est regula « quædam practica, hæc autem regula non potuit im- « poni Verbo et Spiritui sancto, quia ipsimet sunt « regula et rectitudo ipsa. » In 1-2 S. Thom. de Leg., q. 2, pag. 293. Idem scribit Petrus de Lorca : « Si quomodò autem lex æterna respicit creaturas, « remotè respicit, quatenùs à Deo moventur et gu- « bernantur, non verò quia sit imperium in creaturas « latum, aut quia proponatur ipsis ut regula quâ suas « actiones mensurare et componere possint..... Lex « æterna non est principium et ratio agendi alicui qui « legi subditus sit, neque est illi regula proxima sua- « rum actionum, sed est ratio agendi ipsi Deo, et re-

« gula divinarum actionum, quâ mundum gubernat; « si cui ergo esset lex, esset Deo. » In 1-2 S. Thom. disp. 5, memb. 2. Et loquens de verbis illis S. Thomæ, *et verbo, et scripto*, dicit : « Expressio illa in « Verbo divino æterna fuit in Deo necessitate naturæ facta, et non relata ad aliquas creaturas, quod « promulgatio legis requirit; semper enim promulgatio legis ad subditos refertur. » Idem scribit Ludovicus Montesino : « Resp. hujusmodi legem æternam promulgatam esse ab æterno ipsimet Deo... Deus sibimet « est lex et sibi est regula, et ita intelligimus Deum sibi « promulgare legem. » De leg., disp. 20, q. 4, n. 83. Idem scripsit Ludovicus Lorichio loquens de lege æternâ : « Hâc lege Deus omnia ordinat ad seipsum, et est pro« mulgata apud ipsum ab æterno; hominibus autem pro« mulgatur quando eis innotescit. » Thesaur. novus utr. Theol., v. Lex, n. 6. Quomodò autem his doctrinis conciliari potest quod asserit P. Patutius, nempè legem æternam ab æterno perfectam obligandi habuisse virtutem, priusquàm creaturæ legem audirent ac cognoscerent?

Præfatis aliorum doctrinis congruit id quod in alio loco docet ipse S. Thomas, dicens legem æternam non esse propinquam regulam humanæ voluntatis, sed potiùs esse rationem Dei; en ejus verba : *Regula autem voluntatis humanæ est duplex. Una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.* 1-2, q. 71, a. 6. Nec obstant verba ejusdem S. doctoris supra relata : « Lex æterna habet promulga« tionem ex parte Dei promulgantis. » 1-2, q. 91, a. 1 ad 2. Nam ibidem jam subdit S. doctor : « Sed ex « parte creaturæ audientis et inspicientis non potest « esse promulgatio æterna. » Nunc quæro quænam divinæ legis promulgatio est illa quæ homines ligat? Promulgatio *ex parte Dei*, aut promulgatio *ex parte creaturæ*? Id declarat idem S. Th. loco ubi dixit quòd ut lex *virtutem obligandi obtineat, oportet quòd applicetur hominibus..... Talis autem applicatio fit per hoc quòd in notitiam eorum deducitur ex ipsâ promulgatione.* 1-2, q. 90, a. 4. Et deinde objiciens sibi (ad primum) legem naturalem non indigere promulgatione, respondet quòd *promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Nunc arguo : Si verum esset quòd S. Th. sensisset legem æternam, eò quòd æternam promulgationem habet, ab æterno homines obligàsse, priusquàm ipsi legem cognoscerent, utique ob hanc rationem respondisset legem naturalem, quæ legis æternæ participatio est promulgatione non indigere; sed ipse respondit promulgationem legis naturæ fieri, cùm ipsa ab hominibus naturali lumine cognoscitur. Nec aliter respondere poterat; cùm priùs in eodem articulo firmiter statuerit quamcumque legem vim obligandi non habere, nisi in notitiam hominum ex promulgatione deducatur. Adde id quod tradit S. Th. alio loco, ubi quærens : *Utrùm sit in nobis aliqua lex naturalis?* sic respondet : « Dicendum quòd lex, cùm sit regula « et mensura, dupliciter potest esse in aliquo, uno « modo sicut in regulante et mensurante; alio modo « sicut in regulato et mensurato, quia in quantum « participat aliquid de regulâ..... sic regulatur..... et « talis participatio legis æternæ in rationali creaturâ « lex naturalis dicitur. » 1-2, q. 91, a. 2. Igitur S. doctor distinguit hìc legem æternam à naturali, et docet quòd lex æterna respicit Deum regulantem, lex autem naturalis respicit hominem regulatum; et quoniam lex naturalis est legis æternæ participatio, ideò *in quantum participat aliquid de regulâ per legem naturalem, sic regulatur.* Ideò in tantum lex æterna homines ligat, in quantùm ipsa hominibus per legem naturalem participatur, eisque promulgatione innotescit, prout dicit Duvallius : « Quæres quomodò nobis innotescit lex illa « æterna, quod idem est ac si quæratur quomodò pu« blicetur? Dico eam, ut est in creaturis tanquàm sub« ditis, per alias leges nobis innotescere, cùm leges « illæ sint illius participationes. » In 1-2 de Leg., q. 3, a. 3, p. 296. Idem scribit Franciscus de Aravio : « Cùm lex æterna non obliget creaturas rationales, « nisi mediante lege naturali, vel positivâ divinâ, vel « humanâ, ad istarum promulgationem illa quoque « sufficienter promulgatur. » In 1-2, q. 90, disp. 1, sect. 5, p. 525. Lex igitur quæ hominem ligat est tantùm lex naturalis, quia ipsa tantùm potest esse hominis regula et mensura quâ reguletur et mensuretur.

Præterea, quamvis admittamus legem æternam esse propriam legem respectu etiam hominum, atque habere vim in actu primo eos obligandi, quid inde? Equidem æterna lex non ligat in actu secundo, quousque creaturis non promulgetur, et per ejus cognitionem applicetur. Sapienter id tradit cardinalis Gotti : « Sequitur quòd lex æterna ab æterno in actu secundo « neminem obligaret, non ex defectu virtutis, sed ex « parte termini.... Ita ab æterno fuit lex in mente Dei « concepta, quamvis pro æterno non promulganda, « nec implenda, nec in actu secundo obligans.... Fuit « tamen ab æterno lex, quia ad rationem legis satis « est, ut vim habeat obligandi, quamvis nondùm ligat, « quia nondùm applicata et promulgata. » Theol. tract. 5, q. 2, dub. 1, n. 13. Notentur verba *quamvis nondùm ligat, quia nondùm applicata et promulgata.* Idem scripsit Honoratus Tournely : « Quia tamen lex ante crea« turarum existentiam verè obligans non fuit, cùm « nihil esset ad extra, quod eâ obligaretur, palàm est, « rationem completam legis tunc tantùm ei competere « potuisse, cùm exstiterunt creaturæ, quibus fuit lex « promulgata, aut saltem quæ impressione ipsius mo« veri cœperunt. » Prælect. theol., tom. 2, cap. 2, q. 3. Idemque dixit P. Petrus Collet : « Quia tamen lex æter« na verè et strictè obligans non fuit, palàm est ratio« nem plenam legis tunc tantùm ei competere potuisse, « cùm exstiterunt creaturæ, quibus intimata fuit ac « promulgata. » Tom. 2 de Leg., cap. 2, p. 17. Idem dixit P. Cuniliati : « Legis violatores non sunt illi quibus non « dùm lex innotuit. » Trac. 1 de Moral., etc., cap. 2.

Instat P. Patutius dicens : Sed si lex æterna fuit vera lex, antequàm homines eam cognoscerent, verè priùsquàm lex ipsis innotesceret homines obligavit, cùm sit essentialis proprietas cujuscumque legis obli-

gare. Et pro se citat card. Gotti, qui dicit legem æternam veram fuisse legem, ac propterea ab æterno vim habuisse obligandi. Respondeo, et distinguo : Alia est proprietas legis promulgatæ, alia legis non promulgatæ. Proprietas legis promulgatæ est perfectè obligandi actualiter, et in actu secundo. Proprietas autem legis non promulgatæ est obligandi imperfectè tantùm in actu primo ; lex enim non promulgata habet siquidem in se vim intrinsecam obligandi, sed duntaxat in futuro, pro tempore quo ipsa intimata, et per notitiam applicata fuerit ; donec verò non fuerit applicata, ipsa non obligat, nec virtutem habet actualiter obligandi : « Ad hoc quòd lex (docet Angelicus doctor) virtutem « obligandi obtineat, oportet quòd applicetur hominibus, qui secundùm eam regulari debent. » 1-2, q. 90, art. 2. Nihil autem obstat quod scribit card. Gotti dicens legem æternam, etsi homini non adhuc promulgatam, vim obligandi habere ; nam S. Thomas loquitur de vi actuali obligandi etiam in actu secundo, Gotti autem loquitur de vi obligandi tantùm in actu primo : hoc quidem importat obligare in actu primo, nempe quòd lex apta sit ad actualiter obligandum, cùm promulgabitur, sed non ante promulgationem : sicut ignis in se vim habet comburendi, sed non comburit actualiter, nisi postquàm rei urendæ applicetur. En quomodò nos instruit idem card. Gotti, de lege æternâ loquens : « Ita ab æterno fuit lex in mente Dei « concepta, quamvis pro æterno non promulganda nec « implenda, nec in actu secundo obligans.... Et hoc « modo, cùm ab æterno non fuerit creatura, quam « obligaret, et cui applicaretur, ab æterno actu non « obligavit ; fuit tamen ab æterno lex, quia ad rationem legis satis est ut vim habeat obligandi, quamvis « nondùm ligat, quia nondùm applicata et promulgata. » Theol. tract. 5, q. 2, Dub. 1, n. 13. Nec potest dici quòd lex æterna ab æterno non obligavit ex defectu termini, nempe quia creatura ab æterno non aderat ; nam non ideò tantùm lex æterna creaturam ab æterno non obligavit, quia ipsa ab æterno non existebat, sed etiam quia lex nequibat creaturam actualiter in actu secundo obligare, priusquàm illi applicata, et promulgata esset. Dixerat jam alibi cardinal. Gotti quòd « ut lex in actu secundo obliget, requiritur « quidem indispensabiliter ut subditis promulgatione « proponatur. » Quæst. 1, Dub. 3, § 3, n. 31. Idcircò postmodùm scripsit, ut supra, quòd lex æterna fuit ab æterno lex, « quamvis nondùm ligat, quia nondùm applicata et promulgata. » Idemque scripsit, ut vidimus, Tournely, loquens de lege æternâ : « Palam est « rationem completam legis tunc tantùm ei competere « potuisse, cùm exstiterunt creaturæ, quibus fuit lex « promulgata. » Tom. 2, cap. 2, q. 3. Idem scripsit Sylvius : « Actualiter (lex æterna) unicuique promulgatur, quando cognitionem à Deo accipit dictantem, « quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid « fugiendum. » In 1-2, q. 90, art. 4 in fin.

Objicit III. Pater Patutius, et ait : Lex naturalis promulgatur in habitu, cùm Deus animam creat, eamque in corpus infundit, quia tunc in eâ lumen rationis impsimit. Ex quo infert Patutius, hominem ligari a lege usque ab ipsius conceptione ; Deus enim cùm legem in animâ imprimit, tùm illam promulgat. Et hìc citat pro se textum S. Thomæ : « Promulgatio « legis naturæ est ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam. » 1-2, q. 90, art. 4 ad 1. Respondetur : Ad mentem S. Thomæ indagandam observare oportet id quod S. doctor in articuli corpore scribit ; ibi docet legem imponi per modum regulæ et mensuræ, unde ait quòd, ut lex virtutem habeat obligandi, opus est ut ipsa *hominibus applicetur, qui secundùm eam reguluri debent : talis autem applicatio* (subdit) *fit per hoc, quòd in notitiam eorum deducitur ex ipsâ promulgatione.* Lex igitur juxta S. Thomam tunc homines ligat, cum eis applicatur per ejus notitiam, sive cognitionem. Cùm autem dicit promulgationem legis esse *ex hoc ipso quòd Deus eam inseruit naturaliter cognoscendam ;* id sinè dubio, ne velimus S. doctorem in eodem articulo se contradixisse, intelligendum quòd lex tunc revera promulgatur et virtutem obtinet obligandi cùm actualiter applicatur et cognoscitur : Idcircò idem Angelicus, 1-2 q. 91, art. 1 ad 2 dixit : « Sed ex parte creaturæ audientis, et inspicientis non potest esse promulgatio æterna. » Tunc igitur lex promulgatur, cùm creatura legem *audit* per vocem Ecclesiæ, aut *inspicit* per lumen rationis. Hinc art. 2 ait legem naturæ non aliud esse nisi *lumen* (super nos signatum) *rationis naturalis*, quo *discerninus quid sit bonum*, et *quid sit malum*. Hoc autem lumen quo discernimus bonum et malum, et in quo lex naturalis consistit, inquit S. Antoninus, non priùs ostendere homini bona et mala, quàm homo usum rationis habet : « Nota « diligenter (verba S. Antonini) secundùm B. Thomam, quòd istud lumen legis naturalis non ostendit homini quæ sint bona, quousque perveniatur « ad usum rationis. » Part. 1, tit. 13, c. 12, § 3. Ergo lex naturalis non promulgatur homini, nisi cùm ipse ad rationis usum pervenit. Undè concludendum quòd propriè et strictè loquendo, in infusione animæ non jam inseritur lex, sed inseritur lumen, quo lex cognoscenda erit ab homine, cùm pervenerit ad usum rationis, sive inseritur potentia, capacitas, sive habilitas ad legem cognoscendam tempore usûs rationis. Et tunc, cùm homo legem cognoscet, lex ei perfectè et verè promulgabitur, eumque ligabit ; alioquin, usquedùm lex non deducitur in hominis notitiam ex promulgatione, docet S. Thomas legem virtutem obligandi non obtinere. Accedit id quod scribit Dominicus Soto, quòd lex « applicari nequit, nisi per ejus « notitiam ; nam qui regulâ utitur, eam intueri necesse habet. » De Just. lib. 1, q. 1, art. 4, et q. 3, art. 2. Et quod dixit Joan. Gerson notabilibus verbis : « Lex ista sit quædam revelatio, ac propriè dicta « declaratio creaturæ rationali facta, per quam illa « cognoscit quid Deus de certis rebus judicet, ad « quas vel præstandas, vel omittendas ipse creaturam obligare vult, ut ea digna reddatur ad vitam « æternam. » Hinc tali definitione divinæ legis positâ,

subjungit : « Necesse est dari manifestationem ordi-
« nationis ac voluntatis Dei, nam per solam suam
« ordinationem, aut per solam suam voluntatem non-
« dùm potest Deus absolutè creaturæ imponere obli-
« gationem : sed ad hoc opus est ut ei communicet
« notitiam unius æquè ac alterius. Ex quo liquet im-
« mediatè deducibilis conclusio, creaturam rationa-
« lem non posse esse indignam amicitiæ Dei, nec
« propriè peccato obnoxiam, nisi dùm sciens, volens,
« ac libera ponit actionem sibi prohibitam, aut omittit
« rem præceptam. » Lib. de Vit. Spir., etc. lec. 2, col. 176, edit. Paris. Ergo ex Gersone nec etiam potest Deus homini præcipere observantiam legis, quam priùs ipsi non manifestavit.

Nec obest quod dicit S. Thomas 1-2 q. 94, art. 1 ad 3, nempe quòd lex naturalis inest homini usque à suâ pueritiâ, nam ipsemet S. doctor ibidem ait, legem esse propriè actum, non habitum. Ratio est quia lex consistit in actu quo lex enuntiatur mediante rationis dictamine præscribente, quid agendum et quid fugiendum ; ita appositè scribit Sylvius : « Lex naturalis
« est actus rationis, actuale scilicet judicium, et
« dictamen rationis practicæ. Quia omnis lex habet se
« per modum enuntiationis : enuntiatio autem est
« quidam actus. » In 1-2 q. 94, a. 1, concl. 2. Et art. 2, Prob. 2, ait : « Vis obligationis non est simplici-
« ter ex cognitione, quatenùs est talis, aut talis.....
« sed ex dictamine rationis præscribentis ea quæ se-
« cundùm se bona sunt et agenda, aut prohibentis ea
« quæ secundùm se sunt mala et fugienda. » Id explicat diffusiùs card. Gotti, dicens : « Ex his patet nos
« loqui de lege naturali, ut in actu secundo denun-
« tiante, in quo èssentia legis consistit, quæ habetur
« per modum denuntiationis. Quòd si sumamus legem
« naturalem in actu primo, sic in virtute, et quodam-
« modò habitu lex naturalis est, etiam dùm quis actu
« principia ejus non considerat, cùm semper maneat
« in intellectu lumen rationis, quod simul cum naturâ
« unicuique rationali creaturæ Deus indidit : ex quo
« si usu rationis polleat, potest formare judicium et
« dictamen de agendis, vel omittendis. » Theol. tr. 5 de Lege, q. 2, § 1, n. 9. Itaque C. Gotti distinguit legem naturalem in actu primo, et in actu secundo, et ait quòd lex naturalis considerata in actu primo, atque in habitu, consistit in illo habituali rationis lumine quod nobis cum naturâ inseritur : quo lumine deinde practicum formatur dictamen, tempore quo homo ad usum rationis pervenit. Sed considerata lex naturalis in actu secundo, essentialiter consistit in actuali legis denuntiatione, quæ fit homini per illud practicum dictamen. Nunc quæro ubinam propriè inveniatur legis essentia? Fortassè in habitu legis inserto, cùm anima creatur, aut verò in actuali illâ denuntiatione legis? Et quidem legem naturalem reddit propriè legem perfectam et obligantem solum lumen illud in creatione insertum, vel actualis denuntiatio, sive intimatio legis. Dicit Gotti (idemque dicit Sylvius, ut supra vidimus, et dicunt omnes, S. Thomas, Gerson, Soto, Gonet, et alii, ut infra videbimus) quòd non quidem in habitu, sed in actuali denuntiatione legis essentia consistit : « Patet nos loqui (repetamus verba
« cardinalis) de lege naturali, ut in actu secundo de-
« nuntiante, in quo essentia legis consistit, quæ ha-
« betur per modum denuntiationis. » Et ex denuntiatione deindè formatur in homine rationis dictamen eum obligans ad legem. Nec aliter sentit Sylvius, dùm ait, 1-2, q. 90, art. 4, juxta verba S. Thomæ, legem naturalem inseri in homine cùm anima in eum infunditur ; nam ibidem difficultatem agnoscit quomodò per illam habitualem legis insertionem possit homo ligari, quin priùs ei lex manifestata fuerit ; et propterea subdit : « Ideò addendum est legem natu-
« ralem quasi promulgari in habitu, eo ipso quòd
« Deus illam mentibus hominum imprimit..... Actua-
« liter autem tunc unicuique promulgatur, quando
« cognitionem à Deo accipit dictantem, quid juxta
« rectam rationem naturalem sit amplectendum, quid
« fugiendum. » Itaque Sylvius hanc primam legis insertionem in homine, dùm concipitur, appellat unam *quasi promulgationem* in habitu, vocat autem absolutè promulgationem illam, quæ actualiter fit, cùm homini innotescit lex, quâ regulari debet. Certè igitur id proferens intendit dicere, quòd illa impressio in homine facta, antequàm homo actualiter legem cognoscat, non est sufficiens ad eum obligandum ; quapropter subjungit : *Ideò addendum est*, etc. Et postea dicit actualem promulgationem tùm fieri, cùm homo legis cognitionem accipit, quoniam hæc est sufficiens ac necessaria promulgatio, per quam homo ligatur à lege, quâ mensurandus est. Et quòd ita sentiat indubitanter Sylvius, constat ex eo quòd alibi scribit : « Lex æterna fuit ab æterno lex materialiter, non fuit
« tamen ab æterno formaliter, seu sub ratione legis
« actualiter obligantis ; quia tunc non fuit actualis et
« perfecta promulgatio. » 1-2 q. 91, art. 1 ad 2. Itaque ait Sylvius legem æternam (idemque procedit de lege naturali, quæ est participatio quædam legis æternæ) non esse legem formaliter et actualiter obligantem, nisi cùm aderit actualis promulgatio, quæ tunc efficitur cùm homo discernit quid agere et quid vitare debet ; juxta quod ipse Sylvius antea jam expresserat : « Actualiter tunc unicuique (lex) promulgatur, quando
« cognitionem à Deo accipit dictantem, quid juxta
« rectam rationem sit amplectendum, quid fugien-
« dum. 1-2 q. 90, ar. 4. in fin. »

Lex igitur naturalis non promulgatur homini, nec ipsum ligat, nisi cùm homo pervenit ad usum rationis quâ sibi lex innotescit et promulgatur. Ita P. Ludovicus Montesino : « Lex naturalis promulgatur in uno-
« quoque, dùm primò venit ad usum rationis ; et quam-
« vis pro tunc solùm promulgatur ista lex quantùm ad
« principia communissima juris naturæ, tamen postea
« paulatim per discursum promulgatur eadem lex
« quantùm ad alia. » De Leg., disp. 20, q. 4, n. 85. Idem scribit Duvallius : « Quæres quo tempore lex
« naturæ unumquemque obligare incipiat? Resp. in-
« cipere quando promulgatur. Tunc autem sufficien-
« ter promulgatur quando quisque annos discretionis

« incipit. » In 1-2 de Leg, q. 3, art. 3. Idem scribit Petrus de Lorca : « Quemadmodùm promulgatio est intrinseca et essentialis humanis legibus, sic rationis judicium et cognitio intrinseca est legi naturæ. » in 1-2, Disp. 6 de Leg., p. 386. Nota, *judicium, et cognitio intrinseca est legi;* ergo sine judicio et cognitione legis, lex non ligat. Idem scribit P. Cuniliati : « Legis violatores non sunt illi quibus nondùm lex innotuit..... Actualis legis naturalis promulgatio evenit, quandò quis à Deo cognitionem accipit dictantem, quid juxta rationem naturalem sit vel fugiendum, vel amplectendum. » Tract. 1 de Moral. et cap. 2. Idem scribit P. Gonet : « Promulgatio legis naturæ fit per dictamen rationis intimantis homini ea quæ lege naturæ præscripta aut prohibita sunt; ergo cùm deest tale dictamen, lex naturæ non obligat ad ejus observationem. » In Clypeo theol., t. 3, disp. 1, art. 4, § 1, n. 55. Idem scribit doctus P. Mastrius : « Hoc autem jus (naturæ) hominibus intimatur, et obligare incipit ab eo tempore quo rationis usum accipiunt, et per talem legem sibi intimatam inter bonum et malum discernere incipiunt; his enim rationis usus est veluti ipsius legis naturalis notificatio et manifestatio. » Et hoc intendit Paulus, Rom. 7, illis verbis : *Ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit.* Unde Hieronymus, Ep. ad Aglasiam, sic explicat : « Cùm mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, et vitantis mala; tunc peccatum reviviscere incipit, et homo reus est peccati. » Mastrius, Th. M., disp. 2 de Leg., q. 2, a. 2, n. 34.

Objicit IV P. Patutius, et sic ait : « Ut aliqua lex sit dubia, dubitari debet utrùm talis lex existat an non; hoc autem esse non potest, cùm leges tam divinæ quàm humanæ, quas observare tenemur, omnes sint certæ et sufficienter promulgatæ. Dubium igitur restat non de legis existentiâ, sed de casibus particularibus, sintne sub lege universali comprehensi vel non : quapropter, si principio supposito uti voluerimus, nempe quòd lex dubia non potest obligare, dicere non possumus quòd lex dubia non sit lex, sed tantùm dicere debemus : *Cùm ex utrâque parte probabilis opinio habetur quòd lex ad eos casus se extendit vel non, lex certè non se extendit.* At si hoc dicitur, redit difficultas principii, cùm enim dubitatur sit vel ne licita talis actio, ut in lege comprehensa, vel non comprehensa, non potest hoc tale principium pro certo statui. » Hùcusque præfatus P. Lector, in hoc inhærens illi, quod priùs scripserat P. Daniel Concina in suâ Theologiâ.

Sed pro responsione sit idem quod scripsit ipse P. Concina in compendio suæ Theologiæ, t. 1 de Leg., cap. 2, n. 10, ubi dicit quòd licet lex sit certa, nihilominùs diversæ quæ accidunt circumstantiæ, efficiunt ut lex nunc obliget, et nunc non obliget : siquidem præcepta, quamvis sint immutabilia, tamen aliquando non præcipiunt sub hâc vel illâ circumstantiâ. Hinc nos reassumimus et dicimus : Non valet igitur dicere quòd leges sunt certæ; nam mutatis casuum circumstantiis, redduntur non obligantes, vel saltem dubiæ, et tunc tanquàm dubiæ nec etiam obligant. Ergo, repliquat P. Patutius, juxta vestrum principium quòd lex dubia non obligat, concluditis quòd in dubio utrùm lex ad illum casum se extendat an non, certè ipsa non extenditur? Sed respondemus retorquendo argumentum : Ergo juxta vestram sententiam, in dubio an lex ad illum casum se extendat, an non, debemus dicere certè se extendere? hoc autem est quod negamus. Nos autem, non utique asserimus quòd lex dubia certè ad illum casum non extenditur; sed dicimus : Quoties ex utrâque parte sunt opiniones æquè probabiles, cùm certum non sit legem tunc ad casum illum se extendere, respectu illius casûs legem reddi dubiam, et uti dubiam, non obligare, quia tunc sufficienter promulgata non est. Exemplo res clarior fit. Legem universalem habemus quæ usuram vetat, at cùm ex utrâque parte æqualis est probabilitas, quòd aliquis contractus sit, et non sit usurarius, tunc nulla lex quæ vetet illum certa apparet. Idcircò, usquedùm prudenter dubitatur utrùm ille contractus sit, an non usurarius, licet adsit opinio quòd ille contractus à lege interdictus sit, attamen nulla assignatur lex certa quâ ille vetatur. Respectu usuræ, lex eam prohibens est certa; respectu autem illius contractûs, lex est incerta. Ad quid igitur objicere, ut opponit adversarius, quòd hic non agitur utrùm lex existat nec ne, dùm lex vetans usuram est certa; sed solùm inquiritur an ad casum illum se extendat aut non? Nam patet responsio : Posito quòd verè probabile sit casum illum à lege non comprehendi, idem est dicere dubium esse an ad casum illum lex se extendat, ac dicere legem respectu illius casûs esse dubiam, proindèque respectu illius casûs non obligare.

§ II. *Alterum principium : Lex incerta non potest certam obligationem inducere, quia hominis libertas anteriùs ad legis obligationem possidet.*

Erit autem lex manifesta, ait S. Isidorus in can. *Erit autem.*, dist. 4. Hinc scripsit Panormitanus in cap. fin. de Const : *Ubi lex est dubia, excusatur quis à juris ignorantiâ.* Eadem quidem naturalis ratio dictat neminem ad eorum præceptorum de quibus dubitatur, utrùm existant an non, teneri observantiam, ut habetur in authenticâ : Quibus mod. nat., etc., § Natura, ubi legitur : *In dubio nullus præsumitur obligatus.* Hoc idem docet D. Thomas dicens legem (et loquitur de lege divinâ et æternâ), ut obliget, debere esse certam, 1-2 q. 19, art. 4, ad 3. Ibi S. doctor sibi objicit : « Mensura debet esse certissima, sed lex æterna est nobis ignota; ergo non potest esse nostræ voluntatis mensura, ut ab eâ bonitas voluntatis nostræ dependeat. » Et respondet : « Licet lex æterna sit nobis ignota secundùm quòd est in mente divinâ, innotescit tamen nobis aliqualiter per rationem naturalem, quæ ab eâ derivatur, ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam. » Non negat igitur S. Thomas legem divinam, prout est nostrarum actionum mensura, debere esse certam; duntaxat, ait, non opus esse ut illa eodem modo à nobis ac à Deo dignoscatur, sed sufficere,

ut nobis rationis naturalis lumine, aut speciali aliquâ revelatione innotescat. Sed hoc clariùs et firmiùs in alio loco statuit magister Angelicus, ubi quærit: *Utrùm conscientia liget.* Et sic sermonem habet : « Ita se habet « imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus « voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere « potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res « corporales necessitate coactionis. Actio autem corpo- « ralis agentis nunquàm inducit necessitatem in rem « aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in « quâ agit. Undè nec ex imperio alicujus domini ligatur « aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. « Attingit autem ipsum per scientiam. Undè nullus « ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scien- « tiâ illius præcepti. Et ideò ille qui non est capax no- « titiæ præcepti, non ligatur; nec aliquis, ignorans « præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, « nisi quatenùs tenetur scire præceptum. Si autem « non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præ- « cepto ligatur. Sicut autem in corporalibus agens « corporale non agit, nisi per contactum; ita in spiri- « tualibus non ligat, nisi per scientiam. » De Verit. q. 17, art. 3. Nota illud : *Undè nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* Sed nunc audiamus objectiones P. Patutii ad hoc secundum principium, et signanter respectu ad hunc D. Thomæ textum.

Objicit 1° sub voce *scientiæ* non intelligi cognitionem certam, sed tantùm simplicem præcepti notitiam, quæ, ut ait, in nostro casu probabiliter jam habetur ob utriusque opinionis probabilitatem. Respondeo, et dico primò : Quòd sub nomine *scientiæ* intelligatur probabilis notitia, hæc est novi Vocabularii nova significatio, dùm philosophi omnes cum eodem S. Thomâ distinguunt opinionem à scientiâ, quæ accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis. Sed instat P. Lector, quòd S. Thomas sub voce *scientiæ* intelligit comprehendi adhuc notitiam probabilem, quæ jam habetur in casu nostro ; Angelicus enim, ut ait, ibidem subdit : « Et ideò ille qui non est capax notitiæ « præcepti, non ligatur. Sed pariter dico in omnibus Vocabulariis *notitiam* pro eodem significari ac *cognitionem*, undè *notitia* legis idem est ac cognitio legis. Cæterùm, dato etiam, quòd nomine *notitiæ* intelligi posset probabilitas existentiæ legis, ad summum admitti poterit probabilitas illa, quæ tantùm stat pro lege, absque probabilitate in contrarium; alioquin, cùm opinio pro libertate æquè est probabilis, tunc certum est, ut diximus, non aliud superesse nisi meram legis hæsitationem, quæ nec scientia, nec notitia dici potest; tunc enim non legis notitiam habemus, sed tantùm notitiam dubii, sive quæstionis an lex existat vel non. Sed quòd S. Thomas dicendo *mediante scientiâ*, intenderit loqui non de dubio, sive de dubiâ opinione, sed de verâ scientiâ, constat à contextu ejusdem articuli, dùm ait : « Sicut autem in corporali- « bus agens corporale non agit, nisi per contactum « (*coactionis ad rem*, ut supra dixerat), ita in spiritua- « libus præceptum non ligat, nisi per scientiam. » Et postea subdit : « Ad videndum autem, quando (*con-* « *scientia*) ligat, sciendum quòd ligatio metaphoricè à « corporalibus ad spiritualia sumpta, necessitatis im- « positionem importat: ille enim qui ligatus est, ne- « cessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est, « et aufertur ei potestas aliò divertendi. » Ergo sicut qui actualiter non est ligatus, potestatem habet diver tendi quò vult, ita qui non adhuc est ligatus à præce pto, mediante illius præcepti scientiâ, potestatem habet agendi quod voluerit. Quomodò autem dici potest aliquem scire præceptum, si ipse sciat præceptum esse dubium? tunc omninò dicendum quòd ille præceptum ignorat, cùm dubitat an præceptum adsit vel non

Præterea objicit super eumdem textum D. Th. P. Patutius verba illa : « Nec aliquis ignorans præceptum « Dei, ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenùs « tenetur scire præceptum. » Ergo, arguit P. Patutius, licet quis notitiâ præcepti careat, si tamen eam habere tenetur, jam ligatur præcepto; nec excusatur, si illud transgreditur. Sed hoc minimè quidem S. doctor intelligit, tantùm ibi docet à peccato non excusari, qui præceptum scire tenetur, et culpabiliter illud ignorat. Id patet ex eo quòd in eodem articulo (ad 4) subjungit : « Tunc conscientia erronea non suf- « ficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat. » Quomodò *in ipso errore* peccatur, nisi cùm ipse error est peccatum ob voluntariam negligentiam? prout idem S. Thomas ex D. Augustino in alio loco apertè declaravit : « Ignorantia quæ est omninò involuntaria « non est peccatum, et hoc est quod Augustinus dicit : « *Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed* « *si scire neglexeris;* lib. 3 de lib. Arbit., cap. 19. Per « hoc autem quod ait, *sed si scire neglexeris*, dat in- « telligere quòd ignorantia habet quòd sit peccatum ex « negligentiâ præcedente, quæ nihil est aliud quàm « applicare animum ad sciendum ea quæ quis scire « debet. » De Verit., q. 3, art. 7, ad 7. Ergo nequaquàm peccat qui in duarum opinionum æquè probabilium hæsitatione inquirit legem, et debitâ diligentiâ adhibitâ, eam omninò dubiam invenit, et ideò non obligantem.

Objicit 2° legis æternæ possessionem nostræ libertatis possessionem antecedere; idcòque ait quòd in dubiis opinio quæ stat pro lege præferri debet. Respondeo. Jam supra vidimus quòd theologi dicunt legem æternam respectu hominum non esse verè et propriè legem. Sed concesso quòd sit, nequaquàm dici potest legis æternæ obligationem possidere antecedenter ad libertatem à Domino homini donatam. Quamvis enim nulla sit in Deo cognitionis et consilii successio, quia omnia Deo ab æterno præsentia fuerunt, nihilominùs *prioritate rationis* sive *naturæ* homo in mente divinâ antè legem contemplatus est; priùs enim à legislatore considerantur subditi juxta propriam naturam et eorum statum, et postea consideratur lex conveniens eis imponenda. Dico *conveniens*, siquidem Deus aliam legem statuit pro angelis, aliam pro hominibus : et pro his, aliam pro sacerdotibus, aliam pro laicis, aliamque pro conjugatis, aliam pro cælibibus. Hæc doctrina utique non est mea, est D. Thomæ, qui, 1-2, q. 91, art. 1, ponit quæsitum : *Utrùm sit aliqua lex æterna?* Et ad primum sic sibi objicit : « Videtur quòd non sit aliqua « lex æterna; omnis enim lex aliquibus imponitur. Sed

« non fuit ab æterno, cui aliqua lex possit imponi, so-
« lùm enim Deus fuit ab æterno; ergo nulla lex est
« æterna. » Et respondet : « Ad primum dicendum
« quòd ea quæ in seipsis non sunt, apud Deum exi-
« stunt, in quantùm sunt ab ipso cognita et præordi-
« nata, secundùm illud Rom. 4 : *Qui vocat ea quæ*
« *non sunt, tanquàm ea quæ sunt.* Sic igitur æternus
« divinæ legis conceptus habet rationem legis æternæ,
« secundùm quod à Deo ordinatur ad gubernationem
« rerum ab ipso prægnitarum. Adverte, rerum ab
« ipso prægnitarum. » Itaque, *prioritate rationis*,
priùs à Deo consideratus fuit homo tanquàm liber, et
deindè considerata fuit lex quâ homo ligandus erat.
Exempli gratiâ : Deus ab æterno prohibuit homici-
dium, ergo *prioritate rationis*, priùs consideravit homi-
nes qui interfici possent, et postea præceptum dedit
eis ne alter alterum interficeret.

Ergo, dicit P. Patutius, homo nascitur liber et in-
dependens? Neutiquàm nascitur potestati divinæ sub-
jectus, et consequenter obligatus omnibus parendi præ-
ceptis quæ Deus illi imposuerit; sed ut homo hujus-
modi præceptis ligetur, requiritur, ut illa ipsi promul-
gentur, et innotescant per rationis lumen; sed donec
præceptum non est homini manifestatum, possidet
ipse libertatem illi à Deo donatam, quæ cùm sit certa,
nonnisi à præcepto certo ligatur; et cùm lex sit re-
gula et mensura, quâ homo suas actiones regulare et
mensurare debet, oportet quidem ut hæc regula et
mensura incerta non sit. Falsum autem est id quod
adversarii autumant, nempe quòd nihil possit homo
agere, nisi certò sciat illud sibi fuisse à Domino per-
missum. Nam si hoc esset, lex divina non indiguisset
promulgatione, sed tantùm opus fuisset ut Deus om-
nia quæ nobis permittebat operari declarâsset. Sed
Deus non ita fecit : *Deus ab initio constituit hominem,*
*et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata*
*et præcepta sua : Si volueris mandata servare, conser-*
*vabunt te*, etc. Eccli. 15, 14. Priùs itaque Dominus
hominem liberum creavit, ei donando ex suo bene-
placito libertatem, juxta id quod scribit Apostolus :
*Potestatem habens suæ voluntatis*, 1 Cor. 7. Et postea
mandata quæ tenebatur servare adjecit ac imposuit; et
ideò hominis libertas, cùm certa sit, possideatque ante
legis obligationem, ipsa nonnisi à lege certâ ligatur.
Hinc est quod auctores antiqui communiter docuerunt:
Ubi lex est obscura, nec pro illâ reperitur Scripturæ
textus, aut Ecclesiæ determinatio, aut evidens ratio,
nihil de gravi peccato damnandum fore; nam pro
certo habuerunt legem dubiam non obligare. En quo-
modò scripsit S. Raymundus : « Non sis pronus judi-
« care mortalia peccata, ubi tibi non constat per cer-
« tam Scripturam. » Lib. 3 de Pœn., § 21. Idem
scribit S. Antoninus dicens : « Si verò non potest (con-
« fessarius) clarè percipere utrùm sit mortale, non
« videtur tunc præcipitanda sententia, ut dicit Guillel-
« mus, ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi
« faciat conscientiam de mortali. Et cùm promptiora
« sint jura ad solvendum, quàm ligandum (c. Ponde-
« ret Dist 1) et meliùs sit Domino reddere rationem
« de nimiâ misericordiâ, quàm de nimiâ severitate, ut
« dicit Chrysostomus, c. *Alligant*, 26, q. 7, potiùs vi-
« detur absolvendus. » S. Anton. part. 2, tit. 4, cap. 5,
§ *In quantum*. Idem scripsit Gabriel Biel, qui vixit
an. 1480, dicens : « Nihil debet damnari tanquàm
« mortale peccatum, de quo non habetur evidens ra-
« tio, vel manifesta auctoritas Scripturæ. » In 4, D. 6,
q. 4, concl. 5. Idem docuit S. Thomas, ubi dixit :
« Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra
« id quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctori-
« tatem, non potest ab erroris vitio excusari. » Quod-
lib. 3, a. 10, S. Thomas igitur tantùm damnat, qui
aliquam sequitur opinionem contra manifestum Scri-
pturæ testimonium, aut contra communem sententiam
juxta auctoritatem Ecclesiæ; non autem qui sequitur
opinionem quæ legi certæ non adversatur, ut adnotat
Joannes Nider : « Hæc verba S. Thomæ non possunt
« intelligi, nisi de illis, ubi manifestè patet ex Scri-
« pturâ, vel Ecclesiæ determinatione, quòd sit contra
« legem Dei; et non de illis ubi illud non apparet,
« aliàs sibi contradiceret in eodem libro. » In Consol.,
etc., cap. 11, art. 3. Idem tradidit alibi S. Thomas
scribens : « Omnis quæstio, in quâ de mortali peccato
« quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè
« determinatur; quia error quo non creditur esse
« peccatum mortale, quod est mortale, conscientiam
« non excusat à toto, licet fortè à tanto. Error verò
« quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex
« conscientiâ ligat ad peccatum mortale. » Quodlib. 9,
art. 15. Adverte verba *nisi expressè veritas habeatur,*
*periculosè determinatur*. Ergo falsum est principium
adversariorum, quòd in dubio possidet lex, ac proindè
in dubio pars tutior est tenenda. Sed, dicet P. Patu-
tius : Si possidet libertas, cur S. Thomas scripsit quòd
in dubio partem mitiorem sequens *non excusatur à*
*toto?* Respondetur S. doctorem hìc non loqui de ul-
timo judicio practico, quod certum fieri potest ex ali-
quo principio certo reflexo, sed loquitur tantùm de
judicio directo, quod dubium est cùm utraque opi-
nio dubia sit, et ideò ait non excusari, qui tantùm ex
judicio directo mitiorem partem amplectitur. Secùs
tamen esset, ait S. Antoninus, si quid amplecteretur
ex opinione probabili, intellige, formato ultimo dic-
tamine certo ex certo reflexo principio. Audiamus
S. Archiepiscopum : « Notandum est quod dicit S.
« Thomas in quâdam quæstione de Quodlibetis, quòd
« quæstio, in quâ agitur de aliquo actu, utrùm sit
« peccatum mortale, vel non, nisi ad hoc habeatur
« auctoritas expressa Scripturæ sacræ, aut canonis
« Ecclesiæ, vel evidens ratio, nonnisi periculosissimè
« determinatur. Nam si determinet quòd sit mortale,
« et non sit, mortaliter peccavit contrafaciens, quia
« omne quod est contra conscientiam ædificat ad ge-
« hennam; si autem determinatur quòd non sit mor-
« tale, et est, error suus non excusabit eum à mor-
« tali. Sed hoc secundum videtur sanè intelligendum,
« quando erraret ex crassâ ignorantiâ; secùs, si ex
« probabili; puta, quia consuluit peritos in tali ma-
« teriâ, à quibus dicitur illud tale non esse mortale :

« videtur enim tunc in eo esse ignorantia quasi invincibilis, quæ excusat à toto. Et hoc quantùm ad « ea quæ non sunt expressè contra jus divinum, vel « naturale, vel contra articulos fidei et decem præcepta in quibus ignorans ignorabitur.... Et si dicetur hìc esse usuram, et usura est contra Decalogum; respondetur, sed hunc contractum esse usurarium, non est clarum, cùm sapientes contraria « sibi invicem sentiant. » S. Anton., p. 2, tit. 1, c. 11, § 28. Itaque secundùm D. Thomam et D. Antoninum, ubi veritas non est patens, lex tanquàm dubia non obligat.

Objiciunt III nostri adversarii nihil fas esse nobis, nisi quod est conforme divinæ voluntati. Gaudeo hanc objectionem mihi fieri, quod enim in hoc puncto S. Thomas docet, id solum sufficit ad nostram sententiam omninò firmandam. Quærit Angelicus, 1-2, q. 19, art. 10 : « Utrùm necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinæ in volito, ad « hoc ut sit bona? » et ait teneri homines se conformare voluntati Dei in volito *formali*, scilicet in *volito boni communis* (quisque enim non potest licitè aliud velle, nisi bonum), sed non in volito *materiali*. Deinde S. doctor (ad *primum*) sic sibi objicit : « Videtur quòd « voluntas hominis non debeat semper conformari divinæ voluntati in volito, non enim possumus velle « quod ignoramus... Sed quid velit Deus ignoramus « in plurimis; ergo non potest humana voluntas divinæ voluntati conformari in volito. » Et respondet : « Ad primum dicendum, quòd volitum divinum secun« dùm rationem communem, quale scit, scire possu« mus; scimus enim quòd Deus quidquid vult, vult « sub ratione boni. Et ideò quicumque vult aliquid « sub quâcumque ratione boni, habet voluntatem con« formem voluntati divinæ, quantùm ad rationem *vo« liti*, » quod est volitum *formale*, sive commune. Subdit deindè : « Sed in particulari nescimus quid Deus « velit, et quantùm ad hoc non tenemur conformare « voluntatem nostram [divinæ voluntati. » Ergo non tenetur homo se conformare divinæ voluntati in particulari etiam respectu ad divina præcepta, ubi hæc Dei voluntas homini non est adhuc manifestata, prout distinctiùs declarat P. Gonet dicens : « Homo non « tenetur conformari voluntati divinæ in volito mate« riali, nisi quando voluntas divina nobis præcepto, « vel prohibitione manifestatur. » *In Clypeo. t. 3, D. 6, art. 2, n. 37 in fin.*

Sed instat P. Patutius, et ait : *Riguardo al precetto, e proibizione* (libet hoc adnotare suis propriis verbis), *sempre dobbiamo conformaci alla voluntà divina, eziandio quanto al volito materiale, mentre Dio ci ha dati i suoi precetti, affinchè gli osserviamo, è questi già sono notificati nelle sue leggi.* Sed ego peto : Si aliquod præceptum est dubium et obscurum, prout accidit quidem in conflictu duarum opinionum æquè *probabilium, quomodò dici potest* præceptum sufficienter notificatum? Tunc non est satis notificatum præceptum, sed tantùm dubium præcepti, prout supra ostendimus, quòd ubi duæ opiniones concurrunt æquè probabiles, neutra probabilis, sed tantùm dubia remanet. Quapropter eo casu solummodò potest dici quòd præcepti dubium habemus, non autem cognitionem. Et reverà, quomodò unquàm dici poterit nos legis cognitionem habere, cùm verè nescimus an lex existat vel non? tunc benè asserere valemus quòd legem nescimus, et ideò non tenemur, juxta S. Thomam, in particulari conformari voluntati divinæ in eo volito materiali quod nobis ignotum est; Deus enim nobis non præcipit obedire suæ voluntati quæ non adhuc est nobis patefacta. Idque confirmat expressiùs respectu ad nostrum casum D. Thomas in alio loco, 2-2, q. 104, art. 4, ad. 3, ubi quærens : *Utrùm in omnibus Deo sit obediendum?* respondet affirmativè, sed postmodùm sibi objicit ad tertium : « Quicumque obedit Deo, uniformat volun« tatem suam voluntati divinæ, etiam in volito. Sed « non quantùm ad omnia tenemur conformare volun« tatem nostram voluntati divinæ, ut supra habitum « est. » 1-2, q. 19, art. 10, hic est locus jam supra relatus de volito materiali. *Ergo non in omnibus tenetur homo Deo obedire.* Et ita respondet : « Ad tertium di« cendum quòd etsi non semper teneatur homo velle « quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod « Deus vult eum velle, et homini præcipuè innotescit « per præcepta divina. » En igitur S. doctor benè explicat nos non teneri sua præcepta servare, nisi postquàm illa nobis sunt manifestata. Itaque tenetur homo parere Deo, et conformari ipsius voluntati, non jam in omnibus *quæ Deus vult*, sed in eo tantùm *quod Deus vult nos velle.* Sed quomodò sciemus id quod vult Deus nos velle? Sciemus, inquit S. Thomas, cùm *præcipuè innotescit per præcepta divina.* Non sufficit igitur dubia notitia præcepti, ut teneamur servare præceptum tanquàm Dei volitum, sed requiritur insuper notitia præcepti certa et manifestata; hoc quidem significat verbum illud, *innotescit.*

Quæro nunc ut hoc punctum concludamus : Casu quo voluntas divina quoad particularium præceptorum observantiam nobis adhuc non innotuerit, tenemurne illi conformari? Minimè, ait Angelicus dicens : « Sed in « particulari nescimus quid Deus velit, et quantùm ad « hoc non tenemur conformare voluntatem nostram « divinæ voluntati. » Idque confirmat, ut vidimus, expressè P. Gonet : « Homo non tenetur se confor« mare voluntati divinæ in volito materiali, nisi quan« do voluntas divina nobis præcepto, vel prohibitione « manifestatur. » Clyp. Disp. 6, art. 2, n. 37. Imò scripsit Joannes Gerson, ut alibi retulimus, quòd nec Deus quidem potest creaturam obligare ad suam voluntatem servandam, nisi priùs eam ipsi manifestet : « Necesse est dari manifestationem ordinationis, ac vo« luntatis Dei, nam per solam suam voluntatem non« dùm potest Deus absolutè creaturæ imponere obli« gationem. » Lib. de Vitâ Spir., lect. 2.

Hinc patet quòd S. Thomas semper conformis fuit, nos instruens leges certas esse debere ut obligent; in cunctis enim locis ubi de hâc materiâ sermonem habuit, semper usus est verbis expressis quæ hanc esse mentem suam clarè ostendunt. Dixit ipse quòd

lex, ut obliget, oportet, *ut per ipsius notitiam applicetur*, 1-2, q. 90, art. 4. Dixit ibidem ad primum, promulgationem legis esse *ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.* Inquit *naturaliter cognoscendam*, ergo tunc homo tenetur legem servare cùm legem cognoscit, non verò cùm dubitat de lege. Dixit legem esse mensuram quâ homo mensurare se debet, ac proindè dixit quòd hæc *mensura debet esse certissima*, 1-2, q. 17, a. 4, ad 3. Dixit quòd sicut funis non ligat, nisi applicetur rei ligandæ per contactum, ita præceptum non ligat, nisi per ejusdem scientiam. Et ideò subdit : *Unde nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* De Verit. q. 17, art. 3. Dixit hominem tùm tantùm teneri ad obediendum Deo, cùm ejus divina voluntas *homini præcipuè innotescit* per præcepta divina, 1-2, q. 19, art. 10. Itaque juxta has omnes D. Thomæ doctrinas concludendum, divinam legem non obligare, nisi cùm est *cognita*, nisi cùm est *certissima*, nisi cùm de illâ habetur *scientia*, nisi ipsamet *innotescit*.

Quapropter his positis frustra objicitur à nostris adversariis quòd, cùm opiniones sunt æquè probabiles, opinio tutior, si non inducit obligationem certam, inducit saltem obligationem probabilem; et ideò deerit dictamen moraliter certum de actionis honestate, sine quo non licet operari. Sed huic pluries supra data est responsio, nempè quòd cùm duplex concurrit opinio æquè probabilis, opinio, quæ stat pro lege, aliam non inducit obligationem, nisi deponendi dubium; sed hujusmodi dubia, juxta omnium Probabilistarum et Probabilioristarum, ipsiusque P. Patutii sententiam, ut vidimus, benè potest deponi, non tantùm ex directo, sed etiam ex reflexo principio certo, quo certitudo de honestate actionis jam habetur.

Objiciunt IV Regulam sacrorum canonum illam : *In dubiis tutior via est eligenda*, ut habetur in cap. *Illud Dominus*, de Sent. excomm., idemque dicitur in cap. *Ad audientiam*, de Homic., et in cap. *Petitio tua*, eod. tit., item in Clement. *Exivit*, § *Item quia*, de Verb. signif. et in cap. *Juvenis*, de Sponsal. Dicunt adversarii : Canones hi generaliter loquuntur de omnibus dubiis, generaliter igitur accipiendi sunt. Respondeo, et concedo, quoad generaliter accipiendi sunt quoad omnia dubia practica, et facti, qualia utique erant illa quæ occurrebant respectu ad casus præfatorum canonum; sed non quoad omnia dubia speculativa et juris, ut dicunt S. Antoninus, Christianus Lupus, Joannes Nider, Dominicus Soto, Suarez, Tabiena, Silvester, Angelus, Henriquez, Angles, S. Bonaventura, Gerson, Pelbartus, et alii ferè communiter ut mox videbimus; aiunt enim regulam præfatam canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de præcepto. En quomodò loquitur S. Antoninus : inducunt illud, *in dubiis tutior via est eligenda.* « Respondetur hoc esse « verum de honestate et meriti majoritate, et non de « salutis necessitate quoad omnia dubia; alioquin oporteret omnes religionem intrare. » Part 2, tit. 1, cap. 11, § 31. Verba D. Antonini sunt nimis clara, sed P. Patutius ait S. archiepiscopum loqui tantùm de eo qui opinionem mitiorem habet pro unicè verâ, idque infert ex verbis illis : *alioquin oporteret omnes religionem intrare;* ergo, dicit P. Patutius, S. Antoninus vult hìc loqui de duabus opinionibus æquè tutis et moraliter certis, et contra prætendit probare S. Antoninum sentire vi præfatæ regulæ in omnibus opinionibus dubiis tutiorem esse tenendam; sed ut res clarescat, hìc præmittendum id quod præmittit S. Antoninus in § 28, loc. cit. loquens de quodam contractur circa quem tunc valdè inter sapientes disceptabatur, an esset, vel ne usurarius. Sic scribit Sanctus : « Et si diceretur hìc « esse usuram, et usura est contra Decalogum, respondetur, sed hunc contractum esse usurarium, « non est clarum, cùm sapientes contraria sibi invicem in hujusmodi sentiant. Cùm autem dicitur ignorantia juris naturalis non excusare, intelligitur de « his quæ expressè per se, vel reductivè sunt circa « jus naturale et divinum, ut contra fidem, vel præcepta per evidentes rationes, vel determinationem « Ecclesiæ, vel sententiam communem doctorum; et « non de his, quæ per multa media, et non clarè probantur esse contra præcepta et articulos. »

Deindè, § 31 ait : *Quod autem volentes probare, contractum esse illicitum, inducunt illud*, in dubiis tutior via est eligenda. « Respondetur, hoc esse verum de « honestate, et meriti majoritate, non de salutis necessitate, quoad omnia dubia, alioquin oporteret « omnes religionem intrare. » S. Antoninus igitur neutiquam sentiebat universalem adesse legem, quòd tutiora sequamur in omnibus dubiis; nam in speculativis, quæ occurrunt, cùm duæ probabiles opiniones concurrunt, juxta casum, qui tunc disceptabatur, censebat, præfatam canonum regulam non esse de præcepto. Nihil autem obstat, quòd ibi exemplum adduxerit, sive absurdum, quòd alioquin oporteret omnes religionem intrare; nam ibi non quidem loquebatur Sanctus adversùs eos, qui dicere præsumpserint, omnes de præcepto teneri propter regulam illam religionem ingredi; sed respondet ibi directè eis qui dicebant contractum illum vetitum esse vigore prædictæ regulæ obligantis ad tutiorem partem sequendam : *Quod autem volentes probare* (repetamus verba jam supra relata) *contractum esse illicitum, inducunt illud : In dubiis tutior via est eligenda.* Hìc igitur sermo fit præcisè de contractu illo speculativè dubio, et respondet S. Antoninus « hoc esse verum de honestate et « meriti majoritate, non de salutis necessitate quoad « omnia dubia. » Undè non valet dici : S. Antoninus intendit loqui de eo qui volens contractum inire, reputat illum non dubitanter, sed certè licitum; nam S. archiepiscopus non intendit utique loqui ibi de opinione habitâ pro unicè verâ, sed de opinione omninò dubiâ; alioquin ad objectionem eorum qui probare volebant contractum esse illicitum, quia canones præcipiunt in dubiis tutiorem viam esse eligendam, ineptè respondisset, regulam illam *esse de honestate et meriti majoritate, non de necessitate quoad omnia dubia;* sed debuisset respondere regulam procedere tantùm in dubiis, non verò cùm operans habet pro verâ suam

opinionem; sanctus autem ait regulam canonum non esse de præcepto universali *quoad omnia dubia :* quoad omnia enim dicit esse tantùm *de honestate et meriti majoritate.*

Sicut scribit S. Antoninus, sic etiam sentit Joannes Nider, dicens : *Viam tutiorem eligere est consilii, non præcepti.* In consolat. part. 3, cap. 10. Idem sentit Tabiena : « Non valet quòd in dubiis tutior via est eligen- « da, quia hoc non est præceptum, sed consilium. » In Summâ, verb. *Scrupulus.* Idem scripserunt Navarrus Manual. cap. 27, n. 181. Dom. Soto, de Just. et jure, lib. 7 part. 3, art. 2; Abbas, in cap. *Significâsti;* Sylvester, verb. *Jejunium*, quæst. 10, n. 27; Suarez, tom 3, in 3 p, disp. 40, sect. 6, n. 8; Angles, p. 1, de jejun. 1, q. 9, art. 1, dub. 2, concl. 3; Henriquez, lib. 14, de Irreg., cap. 3, n. 4 in fin. Item. S. Bonaventura, Gerson, etc., apud Terillum de Probab., quæst. 26, num 21. Et reverà juxta casus relatorum canonum omninò servari opus erat regula illa, quia dubia erant practica, et facti; nec haberi poterat principium aliquod certum, directum, aut reflexum, quo excusanda foret obligatio partem sequendi tutiorem, propter scandala, aliaque mala, quæ in iis casibus vitari debebant. Utque dilucidè hoc dignoscatur, brevibus hìc discutere oportet, qui tunc acciderunt casus et decisiones textuum qui nobis objiciuntur. Quoad cap. *Illud Dominus*, de Sent. excomm., ibi casus fuit, quòd quidam episcopus, non obstante famâ publicâ de excommunicatione adversùs eum latâ, temerè celebrare maluit, quâ de re jure dicimus eum depositione fuisse ab Innocentio III punitum; nam persistente dubio de excommunicatione, ipse diligentiam adhibere tenebatur, ut de veritate certior fieret, interimque à celebratione desistere debebat. Idcircò meritò dixit pontifex : « Quia in dubiis via tutior est eligenda, etsi de latâ « in eum sententiâ dubitaret, debuerat tamen potiùs « abstinere, quàm sacramenta in Ecclesiâ celebrare. »

Quoad cap. *Ad audientiam*, de Homic., casus fuit, quòd quidam sacerdos intulit viro cuidam vulnus, ex quo vitâ decessit. Deindè dubitabatur an ille propter hujusmodi vulnus mortuus fuisset. Clemens III decrevit convenire, ut sacerdos à sacrificando abstineret, et ideò dixit : « Cùm in dubiis semitam debea- « mus eligere tutiorem, vos convenit injungere pre- « sbytero ut non ministret. » Hìc primò advertendum quòd non adhuc facti veritas erat tunc explorata, nimirùm, an tali ex vulnere mors accidisset, quâ de causâ subjungit textus : *Si ex aliâ infirmitate obierit, poterit divina ministrare.* Ideòque sapienter statuit pontifex, quòd interim sacerdos non celebraret; dicebat enim in tali dubio viam tutiorem eligendam. Advertendum secundò cum Navarro et Suarez, quòd eo casu non agebatur de observando aliquo præcepto, sed tantùm de quâdam convenientiâ, ut si deindè constaret sacerdotem fuisse homicidam, populo non esset scandalum eum celebrantem conspicere. Idem statutum fuit in simili casu dubii homicidii in cap. *Petitio tua*, 24 de Homic., ubi dictum fuit : « Cùm sit « consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm te- « merè celebrare. » Quis non videt in his casibus necessariò ad scandalum effugiendum convenisse, ut via tutior eligeretur, à celebratione abstinendo?

Ad Clementinam, *Exivit*, respondemus, quòd ibi fratres Minores sedem Apostolicam efflagitârunt, an sub gravi tenerentur ad illas religionis regulas, quæ verbis præceptivis conceptæ erant? papa respondit : « In his quæ animæ salutem respiciunt, ad evitandos « graves remorsus conscientiæ, pars securior est te- « nenda. » Inprimis, ut censet P. Eusebius Amort, cùm papa dixerit *pars securior est tenenda*, non de securitate materiali intendit loqui in amplectendo tutiorem partem, sed de securitate formali conscientiæ in operando cum morali certitudine sine dubio practico; nam si de materiali securitate loqui intendisset, utique, declarâsset, omnes voces imperativi modi præceptum denotare, quod materialiter tutius procul dubio fuisset; at pontifex dixit *esse intelligenda* verba imperativa tantùm illa, quæ talia videbantur *ex vi verbi*, nempè ob verborum expressionem, *vel saltem ratione materiæ.* Cæterùm inquit : « Licet fratres non « ad omnium quæ ponuntur in regulâ sub verbis im- « perativi modi sicut ad præceptorum, seu præceptis « æquipollentium, observantiam teneantur, expedit « tamen ad observandam puritatem regulæ et rigo- « rem, quòd ad ea sicut ad æquipollentia præceptis « se noverint obligatos, quæ hìc inferiùs adnotan- « tur. » Et post hæc, papa, quæ tanquàm præceptum habenda essent, adnotavit. Ita respondet ad hanc Clementinam P. Eusebius Amort.

Sed ego aliam responsionem addo magis convincentem. Casus erat, ut in eodem textu legitur : Antecedenter à fratribus fuerat dubitatum an regula tantùm ad vota paupertatis, castitatis, obedientiæ obligaret; sed Nicolaus III, papa, jam declaraverat obligare etiam ad illa consilia evangelica quæ in regulâ exprimebantur verbis obligatoriis præcepti, vel præcepto æquipollentibus. Deinde fratres Clementem V supplicârunt, ut eis declararet *quæ censeri debebant præceptis æquipollentia?* Idcircò Clemens, priusquàm explicâsset ea quæ præceptis æquipollentia videbantur ex vi verborum, et ratione gravis materiæ de quâ agebatur, præmisit illa verba, ad vitandos graves remorsus conscientiæ : Pars securior est tenenda. Itaque eo casu non agebatur de duabus partibus æquè probabilibus, sed tantùm an adesset obligatio illam sequendi partem, quæ juxtà regulæ rigorem, et juxta id quod Nicolaus III jam declaraverat, non tantùm tutior, sed erat unicè tuta, cùm jam constabat regulam ex vi verborum, et gravitatis materiæ obligare ad observanda tanquàm præcepta, non solùm principalia trium vota Religionis, sed etiam consilia evangelica, quæ in regulâ exponebantur, et ideò ipsa præteriri non poterant sine gravi conscientiæ remorsu. Hinc dixit Clemens, ad vitandos hujusmodi remorsus, tenendam esse securiorem partem, quæ reipsà erat unicè vera et unicè secura; et ex aliâ parte nullæ rationes suppetebant, quæ transgressionem illorum consiliorum à gravi culpâ excusare valebant.

Tandem quoad cap. *Juvenis* 3, de Sponsal., casus fuit quòd juvenis quidam septennis puellam quamdam duxit, quâ mortuâ, postea cum consobrinâ illius alias nuptias contraxit. Hinc, suborto dubio, an primum matrimonium fuisset invalidum ob ætatis septennis impotentiam, Eugenius III præcepit, ut vir à præfatâ consobrinâ separaretur, propter honestatem Ecclesiæ, subjungens : « Quia igitur in his quæ dubia sunt « quod certius existimamus tenere debemus, etc. » His positis, dicimus 1° pontificem jure separationem præcepisse, non quia putavit in opinionibus dubiis semper tutius tenendum esse, sed quia separatio necessaria erat ad scandala vitanda, atque Ecclesiæ honestatem sartam tectam servandam. Dicimus 2° quòd papa, proferendo verba, quod certius existimamus tenere debemus, minimè id dixit respectu juvenis qui utique benè conscius erat, si tempore primi conjugii potens vel impotens esset; sed respectu judicum qui in foro, cùm partium rationes sunt dubiæ, procul dubio, quod certius est sequi tenentur; proindèque duxit certius (non tutius), nempè quod ipse papa certius judicabat, separationem imponendam esse, quia adhuc persistebat dubietas valoris primi matrimonii, pro quo possessio potiùs stabat. Quid autem inter hoc, et quæstionem nostram, ubi de foro interno agitur, et non de dubio facti, sed de opinione æquè probabili? Hinc patet quòd omnia dubia ad textum casûs pertinentia erant dubia practica, et facti, quæ nullo ex reflexo principio deponi poterant.

Tantò magis quòd ipsi pontifices in dubiis speculativis hâc regulâ tenendi partem tutiorem non semper usi fuerunt. Adrianus VI, ut refert Domin. Soto in 4 dist. 27, quæst. 1, a. 4, non obstante quòd ipse oppositum sentiret, dispensavit in quodam matrimonio rato, tantummodò sententiæ Cajetani confisus. Præterea in cap. *Laudabilem, de Frigid. et Mal.* habetur, pontificem cuidam conjugi, qui dubius erat de potentiâ ad copulam, concessisse, ut eam per triennium experiretur. Si lex dubia semper est servanda, ut volunt adversarii, et tunc dubium vertebat, an mulier illa esset aliena, quomodò pontifex viro illi permittere poterat per triennium ad eam accedere, et copulam experiri? Adde quòd si lex ista esset universalis sequendi in cunctis dubiis, etiam speculativis, tutiorem partem, sequeretur ne probabilissimam quidem teneri posse opinionem quæ utique non est tutior, sed intrà fines probabilitatis manet; sed hoc dici nequit, cùm proscripta sit ab Alexandro VIII propositio, quæ dicebat : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Adde quòd etiamsi esset res dubia, an præfata regula canonum intelligenda sit de omnibus dubiis, et non tantùm de dubiis practicis, rationes ipsæ quibus sat clarè probatum est, legem dubiam, utpote non satis promulgatam, non obligare, eædem probant hanc canonum regulam non esse legem universalem quoad omnia dubia, sed tantùm quoad dubia facti et practica.

Denique, ut præsenti puncto finem imponamus, quæro (et ad hanc rationem quam proferam, ignoro quid responderi possit) : Quid canones præcipiunt? præcipiunt in dubiis tutiorem viam esse eligendam. Dicitur itaque in dubiis, sed si non simus in dubiis? Quid obstat regula illa, si homo alicui principio certè innititur? tunc sibi jam format conscientiam moraliter certam de honestate actionis, et à finibus dubietatis egreditur, nec ampliùs dici potest eum esse in dubiis. Præterea ipsimet adversarii concedunt præfatam regulam sequendi partem tutiorem locum non habere in materiâ justitiæ; at si regula canonum sequendi quod est tutius, esset universalis pro omnibus dubiis, etiam qui legitimè rem possidet, in dubio an res sit aliena, de illâ exspoliari teneretur. Sed D. Augustinus in can. *Si virgo* 34, q. 1, contrarium docet inquiens : « In jure « prædiorum tamdiù quisque bonæ fidei possessor « rectissimè dicitur, quamdiù se possidere ignorat « alienum. »

Objiciunt V decisionem cujusdam consessûs episcoporum Gallorum, ubi fuit decretum in opinionibus æquè probabilibus tutiorem partem esse tenendam. Horum tantorum præsulum auctoritatem magnoperè veneror, sed omnes docent auctoritatem extrinsecam sapientûm magni non posse esse ponderis, ubi intrinseca ratio certa videtur et convincens; tantò magis cùm ipsa sufficienti aliorum auctoritate non destituatur. Ego autem animadverto quòd pro nostrâ sententiâ non minor quàm pro oppositâ exstat auctoritas extrinseca, imò valdè major. Nec negari potest nostram sententiam saltem per octoginta, aut etiam nonaginta annos circiter communem fuisse apud moralis scientiæ auctores, quos inter plurimi fuerunt cardinales, episcopi, universitatum doctores, et signanter plures magistri Dominicanæ religionis, in quâ semper magna doctrina floruit. Hìc brevitatis causâ omitto cunctorum ipsorum nomina, et suarum propositionum citationes adnotare, quas jam attuli in meo opusculo seorsim edito, cui titulus : *Dell' Uso moderato dell' opinione egualemente probabile.*

Nec valet dicere horum auctoritatem in hâc materiâ parùm æstimandam esse, etiam à me, dùm ipsi habentur à me tanquàm decepti, cùm ad nostram tuendam sententiam innixi sunt principio illi quod egomet reprobavi : *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Jam dixi sub initio dissertationis hujus, quòd tale principium solum, et per se directè sumptum, non est sufficiens ad cohonestandum usum opinionis æquè probabilis. Attamen adverto jam plures auctores, ut supra vidimus, pro nostrâ sententiâ tutandâ innixos fuisse eidem nostro principio, nempè quòd lex dubia non potest obligare. Præterea dico quòd nec etiam illi auctores solo præfato principio illo : *Qui probabiliter agit*, etc., utebantur. Et sic rem confero : Auctores illi ex unâ parte jam fatebantur quòd ad licitè operandum necessaria esset moralis certitudo de honestate actionis. Contra verò ipsimet auctores eadem nostra principia in suis operibus in diversis locis jam statuerunt, nempe quòd lex non sufficienter promulgata non obligat, et quòd ubi libertas possidet, lex incerta nequit certam inducere obligationem, ex illo principio adeò ab ipsis acclamato, quòd *in dubio melior est conditio*

*possidentis*. Ergo si de hujusmodi principiis, loquendo de opinionum probabilium usu, expressam non faciebant mentionem, saltem ea indubitanter supponebant. Quapropter justè censendum quòd ipsi dicto illo : *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, potiùs utebantur tanquàm corollario quodam, sive consequentiâ quæ à principiis reflexis inferebatur ; tantò magis quòd hæc materia opinionum probabilium tunc erat valdè confusa, undè confusè dè eâ loquebantur, postquàm antiquiores auctores confusiùs de illâ locuti fuerant. Cæterùm dictum illud : *Qui probabiliter agit*, etc., dupliciter accipi potest : si accipitur tanquàm innixum aliis principiis reflexis, verè prudens et certum est ; si verò accipitur tanquàm principium directum, seclusâ judicii reflexione, falsum est. Et sic de effato illo directè sumpto jure merito Gallicani præsules contenti non exstiterunt, tuleruntque decretum quod circumfertur, nempe : « In dubiis de salutis negotio, ubi æqualia « utrinque animo se offerunt rationum momenta, se- « quamur id quod tutius est, sive quod est in eo casu « unicè tutum ; nec id consilii, sed præcepti loco ha- « beamus, dicente Scripturâ : *Qui amat periculum, in « illo peribit.* » Attentis quibus postremis verbis, apparet pro certo quòd ipsi præsules locuti sunt de operante cum dubio practico, nullum habente principium, quo dubium deponere posset ; si autem loqui maluissent de operante qui ultimum format judicium, non ex solâ probabilitate opinionis, sed ex alio certo principio reflexo, aliter quidem puto quòd præsules illi decrevissent. Quòd autem ad plura episcoporum edicta in Gallià emanata, quæ à P. Patutio in suo opere *la Regola prossima delle umane azioni*, afferuntur et transcribuntur, quibusque ipse ait proscriptum fuisse probabilismum, illa perlegi attentè, et consideravi quòd omnia ipsa respiciunt præcisè quemdam librum cui titulus : *Apologia Casuistarum*, qui meritò damnandus erat, utpote asserens propositiones nimis laxas, nempe teneri posse securè quamcumque opinionem, non tantùm minùs probabilem, sed etiam probabiliter probabilem, secundùm quatuor vel trium, atque etiam unius auctoris auctoritatem. Quamobrem edicta præfata nihil, aut valdè parùm nostram sententiam adversantur. Cæterùm quoad vim rationum intrinsecam (quæ principaliter attendi debet, auctoritas enim extrinseca non aliud operatur, quàm afferre vis intrinsecæ præsumptionem), judico, et plurimi alii judicant mecum habere jam convincentem et evidentem. Quod autem ad extrinsecam doctorum auctoritatem pertinet, censeo, ut supra ostendi, tenere sufficientissimam ; tantò magis, cùm animadvertimus quòd nostri adversarii nihil adæquatè ad nostras rationes respondent, et ex aliâ parte, si eorum argumenta valerent, probarent utique Tutiorismum damnatum necessariò esse tenendum. Loquendo verò de iis qui non jam scribunt de proposito pro rigido systemate, sed tantùm illud oretenùs approbant, omnes ego veneror, et reputo me sapientiores ; sed dico quòd tunc hi majorem auctoritatem mihi afferrent, si scirem ipsos maturè utriusque sententiæ momenta ponderâsse ; sed de hoc valdè dubito, et jure merito, dùm video eosdem scriptores rigidæ sententiæ ab eis probatæ, aut parùm nostras rationes animadvertisse, aut respondisse nobis æquivocis et fallaciis, quibus unusquisque intelligens facillimè respondere valet. Addo : hujusmodi approbatores ut plurimùm, sicut supra dixi, directa respiciunt motiva, sed parùm vel nihil ad reflexa animadvertenda animum intendunt, quæ de cætero multam reflexionem requirunt ; sed ego pro certo habeo quòd hujusmodi reflexio ab iis qui hodiè Antiprobabilistas se produnt et jactantur, minimè adhibetur. At progrediamur ultra, quia materia est odiosa, et in eâ parùm valeo me explicare. In libello autem super hanc controversiam à me nuperrimè edito, plures episcoporum, abbatum, et aliarum eruditarum personarum opiniones in ejus calce transcripsi, quæ nostrum systema verum ac certum non dubitant appellare.

Objiciunt VI textum Ecclesiastici 3, 27 : *Qui amat periculum in illo peribit ;* ergo aiunt, qui in periculum se immittit transgrediendi legem, jam peccat. Sed hìc advertere oportet æquivocum, sive ambiguitatem quæ intercedit. Qui opinione æquè probabili utitur, principio certo innixus, est quidem in periculo transgrediendi legem, sed non peccandi. Sed cur ? replicant adversarii, quomodo non peccat qui transgrediendi legem periculo se exponit ? Repeto, non peccat ; oportet enim distinguere legem certam ab incertâ. Quando lex est certa, profectò non possumus exponi periculo eam transgrediendi, sicut est periculum propriam conversionem procrastinandi usque ad mortem, prout in textu præfato dicitur : *Cor durum malè habebit in novissimo ; et qui amat periculum, in illo peribit.* Certa est lex charitatis, quam quisque erga seipsum habere debet, non manendi diù in peccato ob periculum in suo peccato moriendi ; amans autem hoc periculum, in illo peribit. Pariter hìc objiciunt doctrinam illam D. Thomæ, quæ in idem coincidit : *Quicumque committit se discrimini peccati mortalis, mortaliter peccat.* Quodlib. 9, a. 15. Hæc verba dupliciter explicari possunt, vel de immittente se in periculum transgrediendi legem certam juxta casum in Scripturâ expressum, vel potiùs de operante cum dubio practico, juxta alium textum ejusdem S. Doctoris, ubi dixit : *Qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, discrimini se committit. S. Th. in 4, dist. 21, quæst. 2, a. 3, ad 3.* Notandum : Non dicit Angelicus in quo dubitat offendi legem, sed in quo *dubitat esse peccatum mortale ;* alibi enim ipsemet de incerto præcepto loquens dixit, ut supra retulimus : *Nullus ligatur per præceptum, nisi mediante scientiâ illius præcepti. De Verit., quæst. 17, a. 3.*

Dicunt igitur adversarii quòd, cùm lex est dubia, qui se immittit in periculum eam transgrediendi, certè peccat ex Scripturâ allatâ : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ergo resumo : ad hoc periculum vitandum semper opus erit strictum amplecti Tutiorismum, non aliter operando, quàm cum morali certitudine absolutâ, et immuni ab omni formidine, quòd opinio

illa quam quis sequi vult, sit vera. Minimè, ipsi respondent, satis est quòd illa opinio sit probabilissima, cùm proscripta jam fuerit ab Alexandro VIII opposita propositio, quæ dicebat : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Igitur dico primò, ex hoc deduci veram non esse sententiam quòd, cùm lex est dubia, peccat qui se exponit periculo eam transgrediendi : nam adhuc cum probabilissimâ opinione operans incurrit periculum (quamvis sit remotius) legem transgrediendi. Sed præterea dico (et hìc aliquantulùm immoremur) quòd is qui credit nunquàm esse licitum se exponere periculo lædendi legem, et contra dicit posse opinionem minùs tutam teneri solummodò quando est probabilissima, difficillimè et vix unquàm induci poterit ad eam sequendam cum securâ conscientiâ, nisi eam invenit strictè certam et ab omni formidine immunem. Et sic ratiocinor : Opinio probabilissima est illa quæ, etsi supremum occupat probabilitatis gradum, tamen fines probabilitatis non excedit, juxta terminos ejusdem propositionis ut supra damnatæ, quæ dicebat : *inter probabiles probabilissimam;* et ideò, prout communiter doctores aiunt, opinio probabilissima quæ etiam moraliter certa (largè tamen loquendo) vocatur, omnem prudentem formidinem non excludit, ne sit falsa : ad differentiam opinionis sive sententiæ strictè certæ quæ omnem prudentem formidinem excludit. Si ergo opinio probabilissima omnem non excludit prudentem formidinem, opinio probabilissimæ opposita non equidem est illa quæ tenuiter tantùm est probabilis; tenuis enim probabilitas non est probabilitas, sed duntaxat quædam falsa apparentia, seu vana probabilitatis apprehensio, quæ nullum prudentem timorem producere potest, sed tantùm aliquam imprudentem formidinem; sed imprudens formido non est formido quæ valeat ullum peccati periculum secum afferre. Ipsimet rigidi et stricti Tutioristæ communiter aiunt, quòd hujusmodi imprudentes formidines contemni debent, nec de eis ulla ratio est habenda. Insipientia reverà esset dicere quòd Deus nobis imposuerit etiam futiles et irrationabiles timores vitare. Itaque, propriè loquendò, opinio probabilissimæ adversa non est ea quæ tenuiter, sed ea quæ dubitanter probabilis est : et hæc, sicut probabilissima, ut diximus, non caret omni prudente formidine, quòd sit falsa; ita opinio probabilissimæ opposita non caret omni prudenti motivo, quòd sit vera. Nunc peto, posito quòd opinio stans pro lege, opposita probabilissimæ stanti pro libertate, est dubiè probabilis, quomodò qui censet illicitum esse immitti in periculum transgrediendi legem, volens probabilissimam sequi, poterit unquàm in praxi cum tranquillâ conscientiâ induci ad firmiter credendum quòd opinio stans pro lege non sit verè probabilis, et sic probabilissimâ uti, quin periculo transgrediendi legem exponatur? Ubi stateram inveniet tam exactam, quæ ipsum reddat securum, quòd opinio stans pro lege careat quidem tantùm probabilitatis pondere, quòd illam efficiat probabilem, et sic ipse securè, et à periculo immunis operetur? Idcircò repeto quod ab initio dixi, quòd ille qui credit non posse teneri in praxi aliquam opinionem minùs tutam, nisi probabilissima sit, cum magnâ difficultate poterit sibi formare dictamen certum ad operandum, nisi strictum amplexetur Tutiorismum, quod solummodò ab omni periculo legem transgrediendi immune atque liberum est.

Instant adversarii, et dicunt : Qui tutiores opiniones amplectitur, tutiùs incedit. Respondeo. Nefas quidem est divinarum legum observantiam relaxare plus quàm licet; sed non minus est malum, divinum jugum plus quàm oportet durum aliis reddere; nimia enim severitas (scribit Cabassutius in Præfat. Theor. Juris, etc.) « dùm homines ad nimis ardua compellit, viam salu- « tis æternæ præcludit, salvandos, ut ait D. Bona- « ventura, damnat et conscios propriæ infirmitatis « ad desperationem adigit. Accidit enim ut miseri « homines, hâc auditâ rigidiore doctrinâ, credant, « vel dubitent inesse mortalem culpam, ubi nulla « est; sed tamen rei difficultate victi ex erroneâ con- « scientiâ mortaliter peccent, et damnentur. » Rectè ergo D. Bonaventura, Comp. theol. verit. l. 2, c. 32, n. 3 : « Cavenda est conscientia nimis larga et nimis « stricta; nam prima generat præsumptionem, se- « cunda desperationem; item prima sæpè dicit malum « bonum, secunda è contra bonum malum; item pri- « ma sæpè salvat damnandum, secunda è contra « damnat salvandum. » Hinc sapienter scripsit Joan. Gerson : « Doctores theologi non debent esse faciles « ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi « non sunt certissimi de re; nam per ejusmodi as- « sertiones rigidas, et nimis strictas in rebus uni- « versis nequaquàm eriguntur homines à luto pec- « catorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs « demerguntur. Quid prodest, imò quid non obest « coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum « nimis? » De Vit. spir., lect. 4. Optimè nos instruit S. Chrysostomus : « Circa vitam tuam esto austerus, « circa alienam benignus. » Ita in can. *Alligant*, 26, q. 7. Addit P. Suarez et ait : « Imò potiùs periculum « animarum incurreretur, si tot vincula in casibus du- « biis injicerentur. » In 2-2, qu. 89, a. 7. Idque fusiùs Cardin. Pallavicinus scitè explicat : « Per se specta- « tum effatum illud, *In dubio tutior pars est eligenda*, ve- « rissimum est si rectè intelligatur : nam vel agitur de « electione practicâ, et hæc semper debet esse tutissima, « quia debet esse evidenter licita : vel de electione « sententiæ speculativæ, et circa eam quærenda qui- « dem est major securitas sententiæ, non major secu- « ritas actionis. Si induceretur opinio, quòd semper « teneremur facere actionem quæ securior est, etiam « à transgressione materiali, hæc opinio non esset tu- « tior, sed maximè exposita periculo frequenti trans- « gressionis formalis; quare tutior est opposita. » Pallav. in 1-2, disp. 9, c. 4, a. 11, n. 12. Idem scripsit P. Bancel Dominicanus : « Multa sunt quæ tu- « tius est facere, sed simul etiam tutius est non se « credere obligatum ad ea facienda, nisi moraliter « ipsi constet de tali obligatione. » Brev. univ. theol.,

p. 2. tract. 6, q. 5, a. 5. Hinc idem auctor concludit : « Cùm non debeamus formare conscientiam de obligatione ad aliquid sub pœnâ, nisi moraliter constet de « obligatione, non debemus onus illud imponere, dùm « moraliter nobis constat superesse nobis libertatem « amplectendi quamcumque voluerimus ex hujusmodi « opinionibus. »

Ego, ut sincerè veritatem fatear, cùm theologiæ moralis scientiæ vacare cœpi, quia rigidioris sententiæ magistrum mihi audire contigit, pro hâc strenuè cum aliis tunc temporis contendebam ; sed postea meliùs rationes hujus controversiæ discutiens, opposita sententia quæ pro opinione æquè probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit : et quidem inductus ab illo pluries hìc repetito principio quòd lex dubia non potest obligare. Hinc persuasus remansi nefas esse conscientias, cùm opiniones sunt æquè probabiles, ad tutiorem sequendam adstringere cum periculo in plurimas formales culpas incurrendi. Præterea tamen, cùm nostrâ hâc tempestate viderim ita acriter adversùs mitiorem sententiam reclamari, multoties hoc punctum ad trutinam diligenter revocavi, legens ac relegens auctores omnes quotquot ad manus habere potui modernos qui pro rigidâ sententiâ certabant, promptus à meâ sententiâ desciscere, statim ac non ampliùs certa mihi appareret ; prout enim plures opiniones, quas aliquando tanquàm probabiles habui, postea non erubui reprobare ; ita, imò tantò magis, non erubuissem hanc sententiam, quæ majoris est momenti, retractare. Sed quò diligentiùs rationes nostræ sententiæ perpendere sategi, eò magis certæ mihi visæ sunt. Cæterùm, si quis adesset qui me clarioribus momentis illuminare posset falsitatem ostendendo duorum principiorum, quæ hìc exponere curavi, multas ei gratias haberem, atque statim etiam per publicam scripturam me revocari polliceor. Donec tamen aliter mihi quàm in præsentiarum sentio persuasum non erit, dico quòd sine gravi conscientiæ remorsu non possem alios adstringere ad sequendam tutiorem, cùm opiniones æquè sunt probabiles, nisi oppositum declararet Ecclesia, cui libenter, si declarabit, judicium meum submitto. »

Cæterùm protestor quòd sicut confessarios illos non approbo, qui nimiæ austeritati adhærentes facilè damnant usum plurium opinionum quæ gravi fundamento nituntur, ita contra neque approbare possum eos qui de facili opiniones sine certo fundamento tanquàm probabiles acclamant. Confessarius, antequàm aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere, et cùm ei occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione, cui adæquatam responsionem suppetere non aspicit ; tunc oppositam minùs tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat ; modò auctoritas non sit tanti ponderis, ut videatur ei magis quàm rationi apparenti deferendum, juxta id quod docet S. Thomas : *Aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quàm de eo, quod sibi secundùm suam rationem videtur.* 2-2, q 9, a. 8, ad 2. Sed iste casus valdè rarus erit

Hoc pro theoriâ. Sed quantùm ad praxim spectat deligendi opiniones, quæri solet an expediat rigidas, an benignas præferre ? Respondeo : Ubi agitur de removendo pœnitente à periculo peccati formalis, confessarius debet, generaliter loquendo, et in quantùm Christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus uti ; ubi verò opiniones benignæ proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullæ auctorum opiniones, v. gr., quoad vitandas occasiones proximas, et aliæ id genus ; tunc semper expedit ut confessarius utatur, imò dico quòd ipse ut medicus animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt. Nescio autem quomodò possit cum bonâ conscientiâ doceri, genericè loquendo, quòd pœnitenti, qui ob confessionem suarum culparum peractam jus certum ad absolutionem jam fuerit adeptus possit ipsa ei negari, eò quòd pœnitens inter duas æqualis ponderis opiniones nolit tutiorem sequi. Hic est rigor ille quem immoderatum et injustum procul dubio reputo et reprobo, cùm austeritas hæc causa esse potest, ut plures animæ damnentur ; dùm aliàs plures auctores invenio etiam probabilioristas, tam modernos quàm antiquos, relatos quidem ab adversariis ut rigidæ sententiæ fautores, qui oppositum docent. En quomodò loquitur Probabiliorista Pontassus : « Fatendum « tamen quòd si confessario persuasum foret opinionem sui pœnitentis esse probabilem ( loquitur jam « de opinione cui tutior opposita etiam est probabi- « lis), tunc ei absolutionem posset impertiri, quan- « doquidem tunc contra conscientiam suam non age- « ret. » Pontas., verb. *Confessarius, cap.* 2. Si autem confessarius potest pœnitentem absolvere, tenetur, cùm ille jus ad absolutionem habeat. Idem pariter scribit probabiliorista Cabassutius : « Quivis confes- « sarius absolvere debet eum pœnitentem qui non « vult ab opere abstinere, quod secundùm probabilem « piorum, et doctorum aliquot hominum non reproba- « tam in Ecclesiâ auctoritatem est licitum, quamvis « juxta probabilem aliorum auctoritatem, quam ipse « sequitur confessarius, habeatur minùs probabilis « (intelligendum, non notabiliter minùs), ut osten- « dunt Navarrus, Sylvius, etc. » Et de hoc rationem dat « quoniam, esto confessarius agat contra propriam « opinionem, non tamen contra propriam conscien- « tiam, cùm teneatur absolvere dispositum. » *Theor. jur. l.* 3, *c.* 13, *n.* 15. Præterea Victoria, qui scripsit ante annum 1545, sic ait : « Sed quid faciet (confessa- « rius) quandò ambæ opiniones sunt probabiles, et « habent suos proprios assertores ? Respondeo, sive « sit ejus proprius sacerdos, sive non, tenetur eum « absolvere in tali casu ; ita Paludanus, 4, § 17, *q.* 2, « *a* 1. Probatur apertè, talis enim est in gratiâ, quia « scit esse probabilem ejus opinionem : ergo non de- « bet ei negare absolutionem. » *De confess., n.* 109. Item Adrianus similiter scribit : « Si à pluribus doc- « toribus gravioris, seu etiam æqualis auctoritatis con- « trarium teneatur, non debet adeò de se præsumere « sacerdos, ut totum velit in suam opinionem, quæ

« forsitan erronea est, coarctare. » *De Confess., q.* 5, *dub.* 7. Idem scripsit Navarrus : « Si sint contrariæ « doctorum opiniones, et confessarius credit evidenti « se textu, vel ratione niti, pœnitentem autem dubiâ, « non debet eum absolvere ; at si pœnitens utitur pari « ratione, vel ferè pari, et habet pro se aliquem doc- « torem clarum, poterit eum absolvere. » Proindè subdit : « Cùm dubitatur an pœnitens hoc facere, « aut dare debeat, benigniorem opinionem confessa- « rius eligere debet, » et pro hâc sententiâ citat Angelum et Sylvestrum, *Manual. cap.* 26, *n.* 4. Idem confirmat S. Antoninus pluribus in locis ; in uno scribit : « Idem videtur sentire Goffredus de Fontibus, in « his scilicet opinionibus contrariis quæ tolerantur ab « Ecclesiâ, ut dictum est, et quod debet proponere « confitenti, quod benè studeat de hoc se ipsum per « prudentes informari, eo quòd alii tenent contrariam « opinionem, maximè si illius contrariæ opinionis « confessor sit inordinarius ejus, et sic eum absol- « vere. Idem sentit Ricardus claro modo, non distin- « guendo : utrùm confessor ejus sit ordinarius, vel « non ordinarius. » *Part.* 1, *tit.* 6, *cap.* 10, § 10. In alio loco idem S. archiepiscopus loquens de illo contractu ( de quo supra sermonem habuimus ) Florentiæ disceptato, ait consulendum ei qui inire illum vellet, ut abstineatur : at postea subdit : « Quòd si tale con- « silium recipere recusaret quis.... relinquendus vi- « detur judicio suo, nec condemnandus ex hoc, aut « deneganda absolutio. » *Part.* 2, *tit.* 1, *cap.* 11, § 29. Alibi tandem ait : « Si verò non potest (confessa- « rius) clarè percipere, utrùm sit mortale, non videtur « tum præcipitanda sententia, ut dicit Guillelmus, ut « deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat « conscientiam de mortali ; quia faciendo postea con- « tra illam, etiamsi illud non esset mortale, ei erit « mortale, quia omne quod est contra conscientiam « ædificat ad gehennam 28, *q.* 1, § *ex his.* Et cùm « promptiora sint jura ad absolvendum, quàm ligan- « dum.... potiùs videtur absolvendum, et divino exa- « mini dimittendum. » *P.* 2, *tit.* 4, *cap.* 5, § *In quantum.* Idem, ut supra notavimus, ait Joan. Gerson : « Doctores theologi non debent esse faciles ad asse- « rendum aliqua esse peccata mortalia ubi non sunt « certissimi de re. » *De Vit. Spir., lect.* 4. Nota, *ubi non sunt certissimi.* En quomodò hi magni nominis auctores, quos de laxitate nemo audebit culpare, uno ore loquuntur. Idem tandem scribit Domin. Soto : « Postquàm opinio pœnitentis est probabilis, excusat « eum à culpâ, et ideò jus habet absolutionem peten- « di, quam ideò Plebanus tenetur impendere. » *In* 4, *d.* 18, *q.* 2, *a* 5, *ad* 5. Ipsemet autem Soto alibi jam dixit : « Et quando sunt opiniones probabiles inter « graves doctores, utramvis sequaris, in tuto habes « conscientiam. » *Lib.* 6 *de Just. et jur., q.* 1, *a* 6 *circa fin.* His perspectis, oportet quòd sint animi valdè audentis confessarii illi, qui pœnitenti opinionem tutiorem, dùm opposita minùs tuta est æqualis ponderis, amplecti nolenti post suorum reatuum confessionem absolutionem denegare non dubitant. Tandem ab omnibus quæ hic exposita sunt, firmiter confirmatur principium à S. Th. nobis traditum, quòd lex, nisi sit sufficienter ac certè promulgata, non obligat. Deindè concluditur quòd nisi opinio quæ stat pro lege sit aut certa, aut saltem certè probabilior, prout ab initio diximus, eam sequi non tenemur.

MONITUM PRIMUM.

*In quo exponitur Decretum S. C. generalis Inquisitionis Romæ conditum an.* 1761, *circa usum opinionum probabilium.*

Quidam parochus Avisii Tridentinæ diœcesis, an. 1760, folium edidit unà cum undecim thesibus plures continentibus propositiones quæ deindè ab eodem parocho publicè promulgata fuêre. Folium erat hoc :

*Probabilismus* publicæ disputationi Ven. Clero Avisiensi exercitii gratiâ expositus contra Probabiliorismum strictè talem, utpote *negotium perambulans in tenebris.* Pro die 10 junii 1760, in Ædibus canonicalibus Avisii. « Utinam observaremus mandata Domini certa ! « Quid nobis tanta sollicitudo de dubiis ? » *Celeber P. Const. Roncaglia, lib.* 12, *cap.* 3.

I. Probabilismus noster versatur circa hæc tria : Licet sequi æquè probabilem pro libertate, relictâ æquè probabili pro lege. Licet sequi minùs probabilem pro libertate, relictâ probabiliori pro lege. — II. Usus probabilismi maximè tutus : Usus Probabiliorismi maximè periculosus. — III. Usus genuini Probabilismi minimè in laxitatem degenerare potest : Usus Probabiliorismi strictè talis in Rigorismum excurrere debet. — IV. Probabilioristas, quà tales qui ex consilio probabiliora sequuntur, laudabilissimè operari affirmamus. — V. Probabilioristis strictè talibus, qui ex præcepto, quod nunquàm clarè probant, se ipsos et alios ad probabiliora impellunt, meritò rigoristarum nomen imponimus. — VI. Qui nullatenùs ad christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissima. — VII. Abusus Probabiliorismi strictè talis, non solùm licentiæ frenum, sed licentiæ calcar est, quod Gallorum testimonio comprobamus. — VIII. Genuinus itaque noster Probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec à S. Sede unquàm malè fuit notatus, origine suâ Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus : utpote à quo arctatus, emendatus, et à Jesuitis contra Jansenianos furores propugnatus fuit. — IX. Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi Probabilismi, sub protectione plurimorum ex omnibus orbis Christiani nationibus præstantissimorum theologorum commorabitur securus.

*Ex Historiâ criticâ.* X. Hinc sine ullâ laxismi notâ benignissimum etiam vocamus, sed legitimum, quem suadent utraque lex Cæsarea et pontificia ; sed Dominicanum, quem illustris Dominicanorum ordo jam à primis temporibus est amplexus ; sed pium, qui christianam pietatem fovet, sed Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, et plures opiniones libertati faventes in suis Sententiarum libris docet ; sed Christianum, qui Christo Domino summe familiaris fuit.

O. A. M. D. et V. G.

*Pro coronide : Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso Probabiliorismo stante pro lege.*

Hoc autem folium anno sequenti proscriptum fuit à Tridentini principe et episcopo, et deinde à S. C. Inquisit. Romanæ die 26 febr. 1761, sic, ut fertur, damnatum fuit : « Cùm verò theses hujusmodi notæque « theologicæ expensæ fuerint in C. Gen. coram SS. D. « N. Clemente papâ XIII, sanctitas sua, auditis, etc., « folium prædictum, et theses in illo expositas, dam- « nat et prohibet, *tanquàm continentia propositiones « quarum aliquæ sunt respectivè falsæ, temerariæ, et pia- « rum aurium offensivæ ;* illam verò excerptam à n. X, « nempe *Probabilismum, qui Christo Domino summè « familiaris fuit*, proscribendam censuit uti erroneam « et hæresi proximam. Præfatum itaque folium, sive « theses, ut supra exscriptas, sic damnatas et prohibi- « tas, SS. D. N. vetat, ne quis cujuscumque statûs, « etc., imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, « aut jam impressum, sive impressas apud se retinere « et legere, sive privatim, sive publicè propugnare au- « deat, etc. » Rev. P. Joan. Vincentius Patutius in suo opello inscripto *La Causa del Probabilismo, ec.*, sub nomine Adelphi Dositei, contendit hoc decreto in primâ thesi integrè Probabilismum vetitum fuisse, ita ut illicitum sit sequi, non tantùm opinionem æquè probabilem, sed nec etiam probabiliorem pro libertate. Sed id injustè contendit ; folium enim illud plura distincta continet : continet diversas theses, continetque etiam diversas propositiones quæ thesium membra sunt, sive partes. Cùm autem folium prædictum emanavit, duæ factæ fuerunt difficultates à sapientibus super hujusmodi folii proscriptionem. Prior fuit, an singulariter damnatæ fuissent, non solùm omnes folii theses, sed insuper omnes propositiones in thesibus contentæ. At communiter visum fuit quòd licet pro vero se haberet omnes theses proscriptas fuisse, et unamquamque ipsarum, minimè tamen omnes in thesibus contentæ propositiones damnatæ erant, sed tantùm illæ quæ censuram merebantur ; nam in decreto dicebatur : « Sanctitas sua folium prædictum, et theses damnat et « prohibet tanquàm continentia propositiones quarum « aliquæ sunt respectivè falsæ, temerariæ, etc. » Itaque non fuit damnatum folium, et theses quoad omnes propositiones in illis contentas, « sed tanquàm conti- « nentia propositiones quarum aliquæ sunt respectivè « falsæ, etc. » Harum autem propositionum proscriptio valdè differt à proscriptione factâ ab Alexandro VII propositionum, respectu quarum dictum fuit : « Sanc- « tissimus decrevit prædictas propositiones, et unam- « quamque ipsarum damnandas.:. ita ut quicumque « illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, etc., in- « cidit, etc. » Eodemque modo damnatæ fuerunt aliæ propositiones ab Innocentio XI et ab Alexandro VIII. Unaquæque igitur propositionum illarum in particulari damnata fuit, atque eas docere, sive *conjunctim*, sive *divisim* fuit vetitum. At propositiones prædicti folii damnatæ fuerunt, non singulæ in particulari, sed ut dicitur in *globo*, et *respectivè*, nempè illæ tantùm quæ merebantur ut damnarentur : nec prohibitum fuit docere eas *conjunctim*, aut *divisim*, sed acervatim sumptas, prout quidem Tridentinus episcopus in suo Decreto expressit : « Prohibentes, ne iidem articuli acervatim « sumpti in disceptationem ususque deducantur. »

Quod ad primam igitur folii thesim pertinet, neutiquàm damnata fuit prima illius propositio, quæ dicebat licere sequi opinionem probabiliorem pro libertate, neque altera de opinione æquè probabili. Difficultas tantùm supererat an tertia propositio de opinione minùs probabili damnata esset ; et quoniam propositio generaliter loquebatur, ita ut adhuc opinionem notabiliter minùs probabilem amplecteretur, idcircò dubitabatur an ipsa saltem proscripta esset. Sicque etiam dubitari poterat an damnata fuisset ultima thesis, quæ dicebat : « Probabilismus noster stans pro libertate « est notabiliter probabilior, etc., » ita ut propositio hæc affirmaret sententiam, quod sequi posset opinio adhuc notabiliter minùs probabilis, esse etiam notabiliter probabiliorem sententiam quæ stat pro lege.

Hoc posito, jam compertum erat, quòd licet omnes theses proscriptæ fuissent, minimè tamen damnatæ erant omnes harum thesium propositiones. Dubium tantummodò remanebat an damnatis sic *in globo*, et in confuso folio ac thesibus, damnatæ essent singulæ theses in particulari, aut duntaxat aliquæ illarum ; etenim cùm in decreto non dicebatur *omnes theses ;* verba *quarum aliquæ, etc.*, dubitabatur an referri deberent ad theses, vel ad propositiones in thesibus contentas. Verùmtamen dubium hoc ab eâdem S. C. postea declaratum fuit ; cùm enim proscriptio prædicti folii deindè jussu ejusdem S. C. inserta fuisset in indice librorum prohibitorum, non dictum fuit *Folium et Theses in illo expositæ*, prout priùs dictum fuerat in decreto, sed simpliciter dictum fuit : « Plagula undecim thesium, « cui titulus : *Probabilismus disputationi*, etc. » Quapropter in præsenti declaravit S. C. esse tantùm præfatam *Plagulam* proscriptam, id est tantùm chartam, sivè folium undecim thesium, non autem omnes et singulas theses. Et reverà, cùm de hoc dubio litteras dedissem, ut certior de hoc omninò fierem, ad duos S. Inquisitionis Romanæ consultores, nempè ad Reverendiss. P. M. Thomam Augustinum Recchini, Sacri Palatii Magistrum, adque Reverendiss. P. M. pium Thomam Schiara, S. C. Indicis secretarium ; ambo mihi responderunt minimè prorsùs in decreto S. C. vetitum fuisse Probabilismum, nec quoad primam, nec secundam, nec tertiam propositionem de opinione minùs probabili pro libertate.

Prætereà, ut tutiùs agerem, de hoc epistolam misi etiam ad Eminentiss. Dom. cardinalem Galli Pœnitentiarum Majorem, eum deprecans de faciendo de re hâc verbum cum regnante pontifice, et ipse Eminentiss. cardinalis idem mihi respondit, hæc verba signanter scribens : « Posso accertare V. S. Illustriss. che nella « condanna dell' accennato Foglio, di cui mi scrive, « non si è inteso di condannare veruna delle proposi-

« zioni, che si controvertono nelle Scuole Cattoliche, « e da molti cattolicamente si difendono, ma si è avu- « to il motivo di proibirlo, perchè le proposizioni che « ella medesima riconosce meritevoli d. censura, ec. » Censeo quòd hæc sola hujus Eminentiss. et Sapientissimi cardinalis responsio ad obstruenda omnium ora sufficiat.

MONITUM II.

Postquàm hæc typis mandâssem, valdè miratus sum legendo apud novam theologiam moralem novissimè editam à P. Patutio id quod ibi P. Sidenius Veronensis ejusdem Patutii vitam describens, præcipuè ubi illius opera enumerat, confidenter asserit, quòd in controversiâ inter Patutium et me habitâ circa usum probabilium opinionum, cùm ipse Patutius mihi respondisset secundo libello, cui titulus : *Osservazioni Theologiche sopra l'Apologia dell' Illustris. e Reverendiss. Mons. D. Alfonso de Liguori, ec.* ; ego vi argumentorum convictus, nihil jam ultra habens quod adversario meo opponerem, ab iterùm respondendo abstinui ; ne tamen omninò cederem, ut ipsi, quod scripsit, esset dedecori, omnia ejus adversùm me scripta ad S. C. Indicis, ut damnarentur, detuli.

Papæ ! hoc probrum mihi deerat, nomen accusatoris ! Sed res se ita habet. Brevem quamdam dissertationem ego olim in lucem edidi pro usu moderato opinionis æquè probabilis, illo ductus principio quòd lex incerta nequit certam parere obligationem, eò quòd lex dubia caret sufficienti promulgatione, quæ essentialiter requiritur *aa hoc quòd lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis ;* hæc verba sunt S. Thomæ, 1-2, q. 9, a. 1. Quapropter idem S. doctor protulit deindè celebrem illam sententiam : *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientiâ illius præcepti.* De Verit., q. 17, a. 5. Hanc meam dissertatiunculam P. Patutius, ann. 1756, suo primo libello inscripto *La causa del Probabilismo richiamata all' esame da Mons. D. Alfonso de Liguori, ec.*, acri et vehementi stylo oppugnavit, duas has præcipuas objectiones proferens, quarum prima fuit, quòd nomine *scientiæ præcepti*, uti scripsit doctor Angelicus, nequaquam intelligitur cognitio certa præcepti, sed tantùm probabilis, quamvis dubia, præcepti notitia, quæ, ut aiebat, jam habetur, ubi de duabus oppositis opinionibus æquè probabilibus agitur. Secunda fuit quòd lex æterna, ex quâ omnes aliæ naturales leges emanant, ab æterno jam promulgata fuit, priùsquàm creatus fuisset homo, promulgatione *Casuali*, *Virtuali*, aut *Eminenti*, et ideò ipsa usque ab æterno vim habuit obligandi.

Huic libello copiosè ego respondi in *Apologiâ* meæ dissertatiunculæ, in quâ Patutii objectiones omninò mihi et aliis diluisse visum fuit. At deindè adversùs hanc meam apologiam secundus Patutii libellus prodiit, *Osservazioni Theologiche*, etc., de quo sub initio *Moniti* mentionem feci, ibique meus adversarius cognoscens primas suas objectiones parùm firmas esse, spectatis responsis, quæ illis ipse dedi, duas alias adjecit : unam nimirùm, in quâ reapse nihil aliud egit nisi anteactam oppositionem in priori libello scriptam repetere, mutando solummodò epithetum promulgationis ; nam ubi hanc *Casualem*, seu *Virtualem* priùs dixerat, in hoc secundo essentialem appellavit : alteram, quòd lex naturalis homini promulgatur in ipsâ animæ in corpus infusione, priusquàm ipse actualem legis cognitionem acquirat. Hinc coactus fui respondere ampliori libro, cui titulus : *Dell' Uso moderato dell' opinione probabile.* Ibi convincenter omnibus his et aliis Patutii objectionibus feci satis, et plura alia adjeci, quæ magnoperè meam sententiam confirmârunt.

Ad primam autem objectionem, quod sufficit probabilis etsi dubia notitia legis ad ejus promulgationem, jam responsum est supra in allatâ dissertatione et propriè. Ad secundam verò, et tertiam, nempe quòd lex divina jam ab æterno fuit hominibus promulgata promulgatione *Casuali*, aut *Essentiali*, respondi et ostendi, ex auctoritate D. Thomæ ac omnium theologorum, quos diligenti studio perquisivi, legem divinam nullo modo homines obstrinxisse, nisi postquàm actualiter eis promulgata et manifestata fuit. En verba S. Thomæ, quem Patutius omninò sequi profitetur (in hâc tamen re aut nolle sequi, aut intelligere nolle videtur, dùm S. doctor nimis apertè, et pluribus in locis nostram sententiam docet : *Lex æterna habet promulgationem æternam ex parte Dei promulgantis... sed ex parte creaturæ audientis, aut inspicientis non potest esse promulgatio æterna.* 1-2, q. 91, a. 1 ad 2. Ergo nulla dici potest facta homini divinæ legis promulgatio, donec homo non audit legem, et inspicit, scilicet donec lex ei intimatur et ipsi innotescit. Omnes autem reliqui theologi S. Th. sequentes uno ore docent quòd licet lex divina ab æterno habuerit in se virtutem obligandi in actu primo, tamen in actu secundo nunquàm ipsa actualiter obligavit homines, nisi postquàm ipsis applicata fuit per ejus actualem promulgationem. Sylvius ita scribit : « Actualiter tunc (lex) unicuique promul- « gatur, quando cognitionem à Deo accipit dictantem, « quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid « fugiendum. » In 1-2, q. 90, a. 4 in fin. Et alibi ait : « Lex æterna fuit ab æterno lex materialiter, non fuit « tamen ab æterno formaliter, seu sub ratione legis « actualiter obligantis ; quia tunc non fuit actualis et « perfecta promulgatio. » In 1-2, q. 91, a. 1 ad 2. Cardinalis Gotti, etc., sic loquitur : « Ad hoc, ut lex « in actu secundo obliget, requiritur equidem indis- « pensabiliter, ut subditis promulgatione proponatur. » Theol. tom. 2, tract. 5, de legib., q. 1, dub. 3, § 3, n. 31. Et in alio loco dicit : « Ab æterno (lex æterna) « fuit in mente Dei, quamvis pro æterno nondùm li- « gat ; quia nondùm applicata et promulgata. » Tract. 5, q. 2, dub. 1, n. 13, P. Gonet scribit : « Legem æter- « nam defectu promulgationis non potuisse obligare « creaturas ab æterno. » Vide in Clypeo Theol., tom. 3, d. 1, a. 3, Joan. Gerson scribit : « Necesse est dari « manifestationem voluntatis Dei, nam per solam suam « voluntatem nondùm potest Deus absolutè creaturæ « imponere obligationem. » P. Gonet in alio loco scribit : « Promulgatio legis naturalis fit per dictamen

« rationis intimantis homini quæ præscripta, aut pro-
« hibita sunt; ergo cùm deest tale dictamen, lex non
« obligat. » Diss. de Op. prob., a. 6, § 1, n. 172. Idem sentiunt plurimi alii, qui observari possunt in citato meo opere : *Dell' uso, ec.* Sed deveniamus ad quartam objectionem Patutii, cui respondendo prædicta hìc validiùs confirmantur.

Quarta et ultima ejus præcipua oppositio fuit hæc quòd lex naturalis homini promulgatur habitualiter, cùm Deus animam creat, eamque in corpus infundit, quia tunc rationem in homine imprimit. Huic fusè in opere citato à me responsum est : hìc satis esse censeo ad Patutium confutandum afferre eadem verba S. Thomæ, quibus ipse utitur : « Promulgatio legis naturæ « est ex hoc ipso, quòd Deus eam mentibus hominum « inseruit naturaliter cognoscendam. » 1-2, q. 90, a. 4 ad 1. Patutius uti vult pro se verbo tantùm *inseruit*, sed uti debet verbis subsequentibus, *naturaliter cognoscendam :* ergo non, cùm anima corpori infunditur, sed cùm homo legem cognoscit, lex ei promulgatur. Id S. doctor alibi confirmat docens : « Etsi non semper « teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen « tenetur velle quod Deus vult cum velle, et homini « præcipuè innotescit per præcepta divina. » 1-2, quæst. 19, art. 10, ad tertium. Tunc igitur tantùm tenetur homo sequi voluntatem divinam, cùm illa ipsi manifestatur, *innotescit per præcepta divina.* Audiamus quid dicant in hoc alii auctores. Joannes Gerson explicans quænam sit lex naturalis, dicit : « Lex ista est « propriè dicta declaratio creaturæ rationali facta, per « quam illa cognoscit, ad quas res Deus creaturam « obligare vult. » Vita Spir. etc., lect. 2, col. 176, edit. Paris. Duvallius scribit : « Quæres quo tempore « lex naturæ unumquemque obligare incipiat? Resp. « incipere quando promulgatur; tunc autem sufficien-
« ter promulgari, quando quisque annos discretionis « attingit. » 1-2, de Leg., q. 3, a. 3, Card. Gotti scribit : « Lex naturalis est in animâ per modum actûs et « quidem dùm actu consideratur... In amentibus est « in habitu, in pueris autem est in potentiâ, qui non-
« dùm possunt sibi divinum præceptum, in quo con-
« sistit lex, intimare. » De leg., q. 2, dub. 2, n. 21. S. Antoninus : « Nota diligenter quòd istud lumen legis « naturalis non ostendit homini quæ sint bona, quous-
« que perveniatur ad usum rationis. » Par. 1, tit 15, c. 12, vide § 3. P. Cuniliati scribit : « Actualis legis « naturalis promulgatio evenit, quandò quis à Deo co-
« gnitionem accipit dictantem quid fugiendum, vel am-
« plectendum. » Tract. 1, de Reg. mor., c. 2, § 1, n. 5 et § 3, n. 1, P. Ludovicus Montesinus scribit : « Lex « naturalis promulgatur in unoquoque, dùm primò « venit ad usum rationis; et quamvis pro tunc solùm « promulgatur ista lex quantùm ad principia commu-
« nissima juris naturæ, tamen postea paulatim per « discursum promulgatur eadem lex quantùm ad alia. » De Legib., disp. 20, q. 4, n. 85. Sed omissis aliis auctoribus relatis in meo libro, p. 154, audiamus quid dicat S. Hieronymus; ipse, epist. 121 al. 151 ad Agasiam, q. 8, sic scribit : « Hanc legem (naturalem)
« nescit pueritia, et peccans absque mandato non te-
« netur lege peccati. Maledicit patri et matri, parentes « verberat, et quia necdùm accepit legem sapientiæ, « mortuum est in eo peccatum. Cùm autem mandatum « venerit, hoc est tempus intelligentiæ (quo Dei man-
« data cognoscimus) appetentis bona et vitantis mala, « tunc peccatum reviviscere incipit, et homo reus est « peccati. » Notentur verba illa : « Cùm autem manda-
« tum venerit, hoc est tempus intelligentiæ; » ita ut tunc lex venit ad hominem, scilicet ei promulgatur cùm homo illam intelligit. Idem scripsit priùs S. Basilius, Homil. in Psalm. 1, n. 5 : « Postquàm ratio « nostra perfecta est, atque cumulata, tunc fit quod « scriptum est : *Ego autem vivebam sine lege aliquando;* « *sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit.* »

Hæc omnia in relato meo opere *Dell' Uso moderato, ec.*, reperiuntur, quod omnibus ferè Italiæ episcopis et primariis ordinum prælatis mittere curavi, ac propterea cùm accepisssem, Patutium in lucem edere novam Theologiam Moralem, in hâc aliquid his quæ scripsi responsurum putabam, sed mea me fefellit opinio, nam iis quæ majoris ponderis erant, nullum responsum inveni. Quod autem ipse detulissem ad S. C. Indicis scripta contra me à Patutio, hoc minimè verum est, nec unquàm in mentem mihi venit; imò quoad convicia à Patutio adversum me prolata, potiùs eum excusavi, dicendo quod ipse non jam animo me conviciandi talia scripserit, sed ut hâc arte legentium mentes imbueret de præstantiâ suæ causæ, et sic ipsorum connivéntiam sibi conciliaret. Cæterùm pluries ego in meis operibus eruditos rogavi, ut si quid contra mea scripta haberent, mihi patefacerent, ut, cognito errore, à meâ discederem sententiâ. Nemo tamen usque adhuc fuit qui id mihi præstiterit, præter Ephemeridum Gallicarum scriptorem, qui mihi tantùm objecit quòd ego opinionem æquè probabilem admittendo, eò quòd in hujusmodi casu lex est dubia, etiam minùs probabilem admittere deberem, quia tunc lex etiam est dubia. Sed huic oppositioni jam in libro meo præivi statuens quòd ubi adest probabilior opinio pro lege, tunc lex est moraliter promulgata, ideòque obligat, non obstante illo dubio lato pro opinione benigniori; ubi enim veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem, quæ magis veritati appropinquat; contrà verò, ubi opiniones sunt æquè probabiles, lex est verè dubia dubio stricto, ita ut nullo modo tunc lex dici potest sufficienter promulgata.

Nolo hìc præterire id quod nuper reperi in postremâ editione Theologiæ Moralis P. Fulgentii Cuniliati, Tract. de Conscientiâ, c. 1, in fin., ad § 6, allatum nempè in medium decretum S. R. Inquisitionis, quo theses quædam à parocho Avisii diœcesis Tridentinæ exaratæ anno 1761 proscriptæ fuerunt, et quo adversarii autumant Probabilismum universè damnatum fuisse. Sed ego in pluribus opellis ostendi, in relato decreto nec Probabilismum universum, nec aliquam opinionem, quæ in Catholicorum scholis propugnantur, sed aliquas tantùm, quæ nimis laxæ erant, fuisse proscriptas, sicut duo S. Officii consultores, et ipse cardi-

nalis Gallus in eo tempore Pœnitentiarius Major, mihi rescripserunt, ut notavi in dissertatione supra descriptâ.

Præterea res admiratione digna est videre aliquos nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quàm eas per semitas asperiores ducere; sed non minùs isti errant, quàm alii qui conscientias per laxiorem perducunt viam. Non solùm enim rationem Deo reddere tenemur de nimiâ indulgentiâ, verùm etiam de nimiâ rigiditate, quâ conscientiæ animarum illaqueantur, quod propriè est, juxta S. Antoninum, *ædificare ad gehennam*. Valdè appositè id explicat doctus Cabassutius ex doctrinâ sancti Bonaventuræ : postquàm enim detestatur immodicam benignitatem, reprobat immoderatum rigorem, qui, ut ait, « dùm « homines ad nimis ardua compellit, viam salutis « æternæ præcludit; salvandos, ut ait D. Bonaven- « tura, damnat, et conscios propriæ infirmitatis ad « desperationem adigit. Accidit enim, ut miseri homi- « nes, hâc auditâ rigidiore doctrinâ, credant vel dubi- « tent inesse mortalem culpam, ubi nulla est : sed ta- « men rei difficultate victi, ex erroneâ conscientiâ « mortaliter peccant, et damnantur. » Cabassut. Theor. Jur. in Præfat. Deindè subdit ibidem idem auctor verba D. Bonaventuræ, qui docuit : « Cavenda est conscien- « tia nimis larga et nimis stricta; nam prima generat « præsumptionem, secunda desperationem. Item prima « sæpè salvat damnandum, secunda è contra damnat « salvandum. » S. Bonav. Comp. theol. verit., l. 2, c. 32, n. 5. Idem validiùs firmat Joannes Gerson dicens : « Doctores theologi non debent esse faciles ad « asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non « sunt certissimi de re; nam per ejusmodi assertiones « rigidas et nimis strictas nequaquàm eriguntur homi- « nes à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia « desperatiùs demerguntnr. » Lib. de Vitâ Spir., lect. 4. Hinc scripsit S. Raymundus : « Non sis pronus judi- « care mortalia peccata, ubi tibi non constat per cer- « tam Scripturam. » Lib. 3, de Pœnit., § 21 Idem dixit Gabriel Biel, qui an. 1480 scripsit : « Nihil debet « damnari tanquàm mortale peccatum de quo non ha- « betur evidens ratio, vel manifesta auctoritas Scri- « pturæ. » In 4, dist. 16, q. 4, concl. 5. Idem scripsit S. Antoninus dicens : « Quæstio in quâ agitur, utrùm « sit peccatum mortale, nisi ad hoc habeatur auctori- « tas expressa Scripturæ, aut canonis Ecclesiæ, vel « evidens ratio, periculosissimè determinatur. » Par. 2, tit. 1, c. 11, § 28. Et alibi scribit loquens de confessario : « Si verò non potest clarè percipere utrùm sit « mortale, non videtur tunc præcipitanda sententia, « ut dicit Guillelmus, ut deneget propter hoc absolu- « tionem, vel illi faciat conscientiam de mortali. Et « cùm promptiora sint jura ad solvendum, quàm li- « gandum..... potiùs videtur absolvendus. » Part. 2, tit. 4, c. 5, § *In quantùm*.

# DE RATIONE HUMANA,

## QUATENUS EST REGULA ACTIONUM MORALIUM.

# Dissertatio.

Hæc Dissertatio complectitur ea quæ humanam rationem spectant, quatenùs regula moralium actionum est, quæque ad ipsius rectitudinem necessaria sunt : quod quibusdam capitibus explicabitur.

### CAPUT PRIMUM.

DE RATIONE, QUATENUS REGULA EST HUMANARUM ACTIONUM.

### Doctrina.

DOCTRINÆ SYNOPSIS.

I *Definitio rationis, ut regula est humanorum actuum* — II. *Secundaria tantùm, et subordinata regula est.* — III. *Regula est, quatenùs primam regulam rectè applicat ad actiones humanas; à quâ si deflectat, nec verè regula est, nec actio erit honesta.* — IV. *Non est regula secundùm se solam inspecta, sed quatenùs primas ideas habet boni, et mali sibi à Deo naturaliter impressas.* — V. *In hisce ideis, sive principiis naturaliter inditis propriè consistit habitus ille, qui vocatur* synderesis, *et rationem informat.* — VI. *Synderesis notio exhibetur; et quid verè sit exponitur ex S. Thomâ.*—VII. *Ut prima principia rectè applicentur ad actiones singulares, prudentia necessaria est.* — VIII. *Hæc proinde cognoscat, oportet, tum principia prima, tum singulares actiones, ad quas eadem applicare debet.* — IX. *Quo pacto id efficit, declaratur.* — X. *Tres sunt prudentiæ actus,* consilium, judicium, et imperium, *quod cæteris principalius est.* — XI. *Plures prudentiæ partes, sive affectiones distinguuntur, quibus prudentia utitur, ut ritè fungatur officio suo.*

I. Ut à definitione rei de quâ agimus sumamus exordium, hæc humanæ rationis, prout de eâ modo loquimur, esse potest.

DEFINITIO. — *Ratio est facultas cognoscitiva intellectûs,*

*ut practicus est, quæ proximè dirigit humanas actiones ad finem honestum, sive ad honestatem.*

Declaratur : duplex veluti facultas in intellectu distinguitur ; altera, quæ sistit in cognitione veritatis ; et hæc vocatur à S. Thomâ 1. p. q. 79, art. 11, *intellectus speculativus* ; altera quæ veritatem cognitam ordinat ad opus : et hæc *intellectus practicus* appellatur. Hujusce intellectûs *ratio*, de quâ loquimur, facultas est. *Intellectus practicus*, inquit ibidem S. Doctor ad 2, *veritatem cognoscit, sicut speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus.*

II. Hæc facultas regula quidem est humanorum actuum, at non absoluta, et independens, sed secundaria, subordinata, ac dependens, adeòque regulam aliam præsupponit, cui subjecta est, et à quâ suam omnem rectitudinem haurit, legem scilicet æternam Dei, cujus veluti emanationes sunt aliæ quæcumque leges, naturalis scilicet, positiva divina et humana. Ut enim sapienter ait S. Thomas p. 2, q. 19, art. 9 : *Unumquodque rectum et honestum est, in quantum attingit ad propriam mensuram.* Prima autem cujuscumque honestatis regula ac mensura, lex æterna est. Unde si huic primæ, et indefectibili regulæ conformis non sit humana ratio, regula nequaquàm est, sed potius defectio à regulâ, adeòque nec unquàm recta erit actio, quæ ab ipsâ dirigitur ac mensuratur. Repugnat siquidem rectam esse regulam secundariam, aut actionem ab ipsâ regulatam, nisi per conformitatem ad primariam. Nam si recta foret, et non conformis primæ regulæ, jam esset ipsa prima regula honestatis. « In « omnibus causis ordinatis, inquit art. 4, effectus plus « dependet à causâ primâ, quàm à causâ secundâ ; « quia causa secunda non agit, nisi in virtute primæ. « Quòd autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas mensuratur, habet ex « lege æternâ, quæ est ratio divina. Unde in Psal. 4 « dicitur : *Multi dicunt : quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine ;* quasi « diceret : lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, « id est à vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, « quòd multò magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æternâ, quàm à ratione humanâ : et « ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere. »

III. Ratio itaque humana, quatenùs regula est, applicat actioni regulam primam. Si primam regulam rectè applicat, regula est, et actio honesta. Si regulam primam reverà non applicat, regula ipsa non est, nec actio honesta, sed peccaminosa, quia quod à regulâ primâ deflectit, semper peccatum est, et imputabile quidem ad culpam, nisi error sit invincibilis. Id perspicuè admodùm docet S. præceptor 1-2, q. 21, art. 1 : « In iis quæ aguntur per voluntatem *regula* « *proxima* est ratio humana. *Regula* autem *superna* « est lex æterna ( quæ complectitur tum legem naturalem, tum legem positivam sive divinam, sive « humanam ). Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundùm ordinem *rationis*, et *legis* « *æternæ*, tunc actus est rectus. Quando autem ab hâc « rectitudine obliquatur, tunc dicitur *peccatum*. Manifestum est autem ex præmissis, quòd omnis actus « voluntarius est malus per hoc, quòd recedit ab ordine rationis et legis æternæ ; et omnis actus bonus « concordat rationi et legi æternæ. Unde sequitur, quòd « actus humanus ex hoc, quòd est bonus, vel malus, « habeat rationem rectitudinis, vel peccati. »

IV. Ex hoc verò consequitur, quòd humana ratio duplicitur spectari potest, nempe *secundùm se*, et quatenes participat legem æternam, sive quatenùs boni, malique notiones habet, atque ideas sibi à Deo impressas. Non autem primo, sed altero modo considerata regula est, atque mensura honestatis humanorum actuum ; prout disertè asserit S. Thomas 1-2, q. 91, art. 3 ad 2, inquiens : *Ratio humana secundùm se non est regula rerum, sed principia ei naturaliter indita sunt regulæ quædam generales, et mensuræ omnium eorum quæ sunt per hominem agenda, quorum ratio naturalis est regula et mensura.* Sive, ut ait q. 2 de malo art. 4, regula actionum moralium est ratio humana *informata principiis legis divinæ ac naturalis.* Id, quod ex ipsâ deducitur conditione regulæ, quæ debet esse firma, constans et invariabilis. Ratio autem humana secundùm se constans, et firma non est, sed deficere potest, solâque incommutabili æternâ Dei lege firmatur.

V. In hisce principiis nobis naturaliter inditis propriè consistit habitus ille, qui vocatur *synderesis*, ac definiri solet *habitus naturalis practicus, quo prima rerum agendarum principia cognoscimus.* Hujus notionem præclarè nobis exhibet S. Thomas 1, p. q. 79, art. 12, ejusque discrimen tum ab habitu primorum principiorum speculabilium, tum ab ipsâ lege æternâ, tum etiam à conscientiâ, dicens : « Ratiocinatio homi- « nis, cùm sit quidam motus, ab intellectu progredi- « tur aliquorum ( principiorum ) scilicet naturaliter « notorum absque investigatione rationis, sicut à quo- « dam principio immobili, et ad intellectum etiam « terminatur, in quantum judicamus per principia per « se naturaliter nota de his quæ ratiocinando inve- « niuntur (ut, e. g., *quodlibet est, vel non est : totum est « majus suâ parte, etc.* ). Constat autem, quòd sicut « ratio speculativa ratiocinatur de speculativis, ita « ratio practica ratiocinatur de operabilibus. Oportet « igitur naturaliter nobis esse indita sicut principia « speculabilium, ita et principia operabilium. »

VI. « Prima autem principia speculabilium nobis « naturaliter indita non pertinent ad aliquam specialem « potentiam, sed ad quemdam specialem habitum, qui « dicitur *intellectus principiorum.* Unde et principia « operabilum nobis naturaliter indita non perti- « nent ad specialem potentiam, sed ad specialem « habitum naturalem, quem dicimus *synderesim.* « Unde et synderesis dicitur *instigare ad bonum, et « remurmurare de malo*, in quantùm per principia « procedimus ad inveniendum, et judicamus in- « venta. Patet ergo quòd synderesis non est potentia, sed habitus naturalis. » Hactenùs D. Thomas

Ex quibus habemus, tum synderesim non esse aliquam potentiam pressè dictam, quoniam hæc facultatem significat ad oppositos actus indifferentem, sed aliquem habitum determinantem ipsam potentiam, sive rationem ad prosecutionem boni, et fugam mali : tum verò habitum hunc esse primorum principiorum operabilium, sive practicorum, quæ nobis à Deo in ipsâ conditione nostrâ impressa fuêre, ut nosmetipsos dirigeremus in bona humanæ rationi convenientia, quemadmodùm ipse naturæ conditor Deus nobis prima impressit principia speculativa, ut ex his ad cognoscendas veritates speculativas per investigationem rationis progrederemur : tum demùm officium synderesis proprium esse *instigare ad bonum, et remurmurare de malo*, hoc sensu, quòd nobis bonum ostendit, quod prosequi et amare debemus, et malum, quod odisse et vitare tenemur. Ita siquidem ad bonum instigat et à malo avocat.

VII. Cæterùm cùm prima principia practica, quorum habitus est *synderesis*, sint universalia, et necesse sit ut ex his ratio procedat ad peculiares conclusiones eruendas, eadem principia rectè applicando, nemo non intelligit quidpiam aliud requiri, ut hujusmodi recta applicatio perficiatur, adeò ut, quæ verè bona sunt, rationique conveniunt, inveniantur in rebus, ac de inventis rectè judicemus, eademque eligamus. Istud autem aliud non est, nisi prudentia, quæ idcircò definitur *recta ratio agibilium*. Quod ut manifestum fiat, doctrinam S. Thomæ præstat proponere, quæ huic materiæ illustrandæ facem splendidissimam præfert.

VIII. Docet itaque S. doctor 2-2 q. 47, pertinere ad prudentiam applicare prima principia operabilium ad opus, *quod est finis practicæ rationis. Cùm autem nullus possit convenienter alteri aliquid applicare, nisi utrumque cognoscat, scilicet et illud quod applicandum est, et id cui applicandum est : operationes autem sint in singularibus ; necesse est, quòd prudens et cognoscat universalia principia rationis, et cognoscat singularia circa quæ sunt operationes.* Id exactius exponit, *art.* 15 inquiens : « Prudentia includit cognitionem et universalium, et « singularium operabilium ad quæ prudens applicat « universalia principia. Quantùm ad universalium « cognitionem eadem ratio est de prudentiâ et scientiâ « speculativâ ; quia utriusque prima principia sunt « naturaliter nota, nisi quòd principia communia pru- « dentiæ sunt magis connaturalia homini.... sed alia « principia universalia posteriora, sive sint rationis « speculativæ, sive practicæ, non habentur per natu- « ram, sed per inventionem secundùm viam experi- « menti, vel per disciplinam. » Quod et repetit aliis in locis, ac præsertim 1-2 q. 46, art. 5, dicens : *Ad prudentiam maximè requiritur, ut sit homo benè ratiocinativus, ut possit benè applicare universalia ad particularia et incerta.* »

IX. Igitur ut probè intelligatur prudentiæ munus, illud ob oculos habendum est, ipsam neque prima principia humanæ rationi, neque fines moralium virtutum præstituere, sed ea rectè applicare ad actiones singulares, mediumque præfigere officiis virtutum moralium, quarum fines in ipsâ ratione præexistunt. « Temperantia enim, ait S. doctor art. 7, hoc in- « tendit, ne propter concupiscentias homo divertat à « ratione : et similiter fortitudo, ne à recto judicio « rationis divertat propter timorem, vel audaciam. « Et hic finis præstitutus est homini secundùm natu- « ralem rationem : naturalis enim ratio dictat unicui- « que, ut secundùm rationem operetur. Sed qualiter, « et per quæ homo in operando attingat medium ra- « tionis, pertinet ad dispositionem prudentiæ. Licet « enim attingere medium sit finis virtutis moralis ; « tamen per rectam dispositionem eorum quæ sunt « ad finem, medium invenitur..... Sicut agens natu- « rale facit ut forma sit in materiâ, non tamen facit « ut formæ conveniant ea quæ per se ei insunt ; ita « etiam prudentia medium constituit in passionibus et « operationibus ; non tamen facit, quòd medium quæ- « rere conveniat virtuti. »

X. Tres porrò actus enumerat S. Thomas 2-2, q. 48, art. 1, quibus prudentia animum regit, ac rationem ad rectè operandum disponit, videlicet *consilium, judicium et imperium*. Consiliantem prudentiam vocat græco nomine *Eubuliam*, eamque positam docet q. 51, art. 1, in quâdam inquisitione rationis circa agenda, in quibus consistit vita humana. Rectæ consultationis fructus est bonum judicium de mediis inventis ad rectè operandum. Unde prudentia post inquisitionem mediorum ad finis consecutionem conducentium, gradum facit ad judicium de mediorum idoneitate ad consequendum finem, eaque voluntati eligenda proponit. Hoc autem judicium duplex est : *synesis* nempe, ut Græci vocant, quæ judicat de agendis secundùm communem legem, aut regulam ; et *gnome*, quæ judicat aliquid esse faciendum præter communes regulas agendorum, atque adeò secundùm altiora principia, ut cùm impugnatori patriæ ratio judicat non esse reddendum depositum. Completo judicio succedit tandem tertius prudentiæ actus, ad quem alii duo referuntur, nempe *imperium*, quo applicantur ad opus, quæ per consilium inventa sunt, et per judicium determinata. Hunc autem præcipuum esse actum prudentiæ egregiæ declarat S. Thomas loco citato q. 47, art. 8. « Prudentia, inquit, est *recta ratio agibi-* « *lium*. Unde oportet, quòd ille sit præcipuus actus « prudentiæ, qui est præcipuus actus rationis agibi- « lium. Cujus quidem sunt tres actusi, quorum primus « est *consiliari*, quod pertinet ad inventionem. Nam con- « siliari est quærere, ut supra habitum est. Secundus « actus est *judicare de inventis*, et hoc facit speculativa « ratio. Sed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, « procedit ulterius, et est tertius actus ejus *præcipere* : « qui quidem actus consistit in applicatione consiliato- « rum, et judicatorum ad operandum. Et quia iste « actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est « quòd iste est principalis actus rationis practicæ, et « per consequens prudentiæ. »

XI. Ut omnia, quæ ad rectam operationem necessaria sunt, prudentia, sive ratio prudentiâ ornata,

perficiat, undique lumen, et cognitiones exquirit, præterita recolendo, ex quo *memoria* nuncupatur, et præsentia considerando, diciturque *intellectus*. Præstò ipsi debent esse principia, ut idoneè discurrat, quo pacto vocatur *ratio*, facilemque reddit hominem, ut ab iis præsertim addiscat, et erudiatur, qui scientiâ pollent, et experimento doctiores effecti sunt; unde prudentia non est absque *docilitate*. Item *solertia* præstat ut media per semetipsum faciliùs inveniat ad finem consequendum aptiora. *Providentia* eadem media ordinat cum proportione ad finem. *Circumspectio* omnes rei circumstantias diligenter expendit, comparatque id quod ordinatur in finem cum his quæ finem ipsum circumstant. *Cautio* tandem præcavet ea per quæ actus virtutum impediri posset, ne tendat et pertingat ad finem convenientem. De his omnibus prudentiæ partibus, sive affectionibus necessariis legendus est D. Thomas totâ quæstione 49, 2, 2, ubi eas miro ordine digerit ac summâ perspicuitate declarat. Hæc saltem indicare oportuit, quia licet nimiùm speculativa et abstracta quibusdam videri queant, ad solidam tamen moralium rerum notitiam planè necessaria sunt.

## CAPUT II.

### CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Falluntur ii theologi qui bonitatem moralis actionis ultimò revocant in rationem humanam.* — II. *Principia practica, ex quibus ratio de rerum bonitate aut pravitate judicat, certissima sunt.* — III. *Ea sub diverso respectu pertinent tum ad* rationem, *tum ad* synderesim. — IV. *Synderesis nunquàm in homine exstinguitur, sed firma et immobilis permanet.* — V. *Principia naturaliter nota, quorum habitus est* synderesis, *sunt fines virtutum moralium.* — VI. *Ut ratio regula sit humanorum actuum, necesse est ut sit informata prudentia.* — VII. *Prudentia, ut rectè applicet universalia principia ad particulares conclusiones rerum agendarum, requirit appetitum benè dispositum circa fines aliarum virtutum.* — VIII. *Certitudo prudentiæ tanta non est, quin sollicitudini locus sit.* — IX. *Falsò aliqui prudentiam restringunt ad bonum proprium cujusque.* — X. *Imperfecta quidem, at non perfecta potest esse in peccatore prudentia.* — XI. *In justis omnibus perfectam prudentiam admittere oportet.* — XII. *Docilitas propriè ad prudentiam pertinet.* — XIII. *Ad rectum consilium exigitur tum bonus finis sibi ab homine præstitutus, tum idonea media ad illum consequendum.* — XIV. *Necesse maximè est quòd homo in inquisitione consilii dirigatur à Deo.* — XV. *Imprudentia semper est peccatum, aliquando quidem mortale, aliquando veniale.* — XVI. *Quodnam sit ignorantiæ ab imprudentiâ discrimen.* — XVII. *Inconstantia præcipuo actui prudentiæ opponitur.* — XVIII. *Quomodò negligentia opponatur prudentiæ.* — XIX. *Quid sit* prudentia carnis, *prout eam vocat Apostolus.* — XX. *Prudentia* carnis *est, quòd quis relictâ opinione probabiliori, ac tutiore, minùs tutam ac probabilem eligat.*

Consectarium I. — Cùm humana ratio sit regula secunda ac dependens à primâ, lege scilicet æternâ Dei, evidens est id quod docet S. Thomas : *Multò magis bonitatem voluntatis humanæ dependere à lege æternâ, quàm à ratione humanâ.* Quare à veritate longiùs absunt ii theologi qui bonitatem humanarum actionum ultimò revocant in humanam rationem proponentem legem æternam. Fatemur quidem nos omnes rationem humanam esse veluti conditionem applicantem legem, quæ sola prima mensura est, et regula, cui conformis esse debet et ratio humana et operatio voluntatis. At verò alii, præsertim Probabilistæ, contendunt rationem humanam ita regulam esse bonitatis moralis, et operationis, ut hæc verè bona sit quoties est conformis rationi, quantùmvis repugnet æternæ legi. Quam doctrinam S. Thomas improbat verbis illis : *Et ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere* ut bona sit; utpote quòd ab illâ magis pendeat bonitas voluntatis, quàm ab humanâ ratione.

Consectarium II. — Prima principia practica, ex quibus de rerum bonitate aut pravitate humana ratio judicat, ita certa sunt, certòque bonum ostendunt, ut nulli unquàm errori obnoxia esse queant; sunt enim *lumen* illud *vultûs Dei super nos signatum*, quod nonnisi bonum ostendere potest, quod prosequamur, nec nisi malum, quod evitare tenemur. Impossibile namque est quòd prima et suprema veritas aut fallatur aut fallat. Nos autem profectò falleret, si ea in ratione nostrâ quæ impressit, universalia dictata aliud ostenderent, quàm quod verè bonum aut verè malum est.

Consectarium III. — Eadem prima principia practica, quibus de rebus certò judicamus, aut judicare possumus, pertinent tum ad *rationem*, tum ad *synderesim*, sub diverso tamen respectu. Unde, cùm S. Thomas 1 *p.*, *q.* 79, *art.* 12, quamdam sibi objecisset Augustini sententiam, dicentis lib. 2 de lib. arbit. *In naturali judicatorio* (quod est ipsa ratio practica) *adsunt quædam regulæ, et semina virtutum et vera et incommutabilia;* respondet ad 3 : « Quòd hujusmodi incommutabiles rationes sunt prima principia operabilium, circa quæ non contingit errare; et attribuuntur « *rationi*, sicut potentiæ, et *synderesi*, sicut habitui. « Unde et utrâque, scilicet ratione et synderesi, naturaliter judicamus. » Quare synderesis non est idem ac *ratio :* hæc enim potentiam denotat elicientem operationes; synderesis verò habitum determinantem potentiam, ut eas rectè eliciat.

Consectarium IV. — Quemadmodùm principia communia practica nullo modo deleri possunt à cordibus hominum in universali, sunt enim naturaliter indita humanæ rationi; ita neque synderesis, quæ habitus est ipsorum principiorum, exstingui aut oblitterari potest, sed firma et immobilis perseverat in homine : licet quandoque circumstrepente undique rerum terrenarum, ac passionum tumultu, vocem ejus minimè percipiat. In quo etiam, præter alia, ab ipsâ *conscientiâ* differt, quæ nonnunquàm in quibusdam aboletur prorsùs et exstinguitur.

Consectarium V. — Principia naturaliter nota sunt fines virtutum moralium. Ut enim ait S. Thomas 2-2

q. 47, art. 6 : *Finis virtutum moralium est bonum humanum : bonum autem humanæ animæ est secundùm rationem esse, ut patet per Dionysium* de divin. Nomin. *Unde necesse est, quòd fines moralium virtutum præexistant in ratione.* Adeòque et hi fines naturaliter nobis noti sunt, ut, e. g., *temperatè vivendum est, justitia exercenda*, etc. Sed ex his ad conclusiones practicas, sive *ad ea quæ ad finem*, procedere necesse est : *Et horum est prudentia applicans universalia principia ad particulares conclusiones operabilium. Et ideò ad prudentiam non pertinet præstituere finem virtutibus moralibus* (*hanc enim*, ut inquit ad primum, *præstituit ratio naturalis, quæ dicitur synderesis*), *sed solùm disponere de his quæ sunt ad finem*, sive rectè applicare principia, ut actiones fini conveniant.

Consectarium VI. — Hinc verò elucet quàm maximè necessitas prudentiæ, ut ratio recta regula sit humanæ vitæ, et humanorum actuum. « Benè enim vivere, « ait S. doctor 1, 2, *q.* 57, *art.* 5, consistit in benè operari. Ad hoc autem, quòd aliquis benè operetur, non « solùm requiritur quid faciat, sed etiam quomodò faciat, ut scilicet secundùm electionem rectam operetur, non solùm ex impetu aut passione. Cùm autem « electio sit eorum, quæ sunt ad finem, rectitudo electionis duo requirit, scilicet debitum finem, et id « quod convenienter ordinatur ad debitum finem. Ad « debitum autem finem homo convenienter disponitur « per virtutem, quæ perficit partem animæ appetitivam, cujus objectum est bonum et finis. Ad id autem quod convenienter in finem debitum ordinatur, « oportet quòd homo directè disponatur per habitum « rationis, quia consiliari et eligere quæ sunt ad finem, sunt actus rationis. Et ideò necesse est in ratione esse aliquam virtutem intellectualem, per quam « perficiatur ratio ad hoc, quòd convenienter se habeat ad ea quæ sunt ad finem. Et hæc virtus est « prudentia. Unde prudentia est virtus necessaria ad « benè vivendum. »

Consectarium VII. — Ut prudentia suo fungatur officio, rectèque applicet principia universalia ad particulares conclusiones, oportet quòd homo sit benè dispositus circa fines aliarum virtutum, quod quidem est per appetitum rectum. Et ideò ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam rectus fit appetitus hominis. Hinc qui rationem habent passione, vel pravâ consuetudine, sive etiam falsis præjudiciis affectam, non benè applicant principia communia, et in multos errores practicos sæpissimè labuntur.

Consectarium VIII. — Certitudo equidem veritatis pertinet ad prudentiam, cùm sit virtus intellectualis ; sed ut ex philosopho docet S. Thomas 2, 2, q. 47, art. 9 ad 2 : *Certitudo non est similiter quærenda in omnibus, sed in unâquaque materiâ secundùm proprium modum.* Quia verò materia prudentiæ sunt singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quòd omninò sollicitudo tollatur.

Consectarium IX. — Tanquàm omninò falsa repudianda est eorum opinio qui putabant prudentiam haud se extendere ad bonum commune, sed duntaxat ad bonum proprium. « Sed hæc æstimatio, inquit S. « Thomas art. 10, repugnat charitati, *quæ non quærit « quæ sua sunt*, ut dicitur 1 ad Corinth. 13. Unde et « Apostolus de se ipso dicit : *Non quærens quod mihi « utile sit, sed quod multis, ut salvi fiant.* Repugnat « etiam rationi rectæ, quæ hoc judicat, quòd bonum « commune sit melius quàm bonum unius. Quia ergo « ad prudentiam pertinet rectè consiliari, judicare, et « præcipere de iis per quæ pervenitur ad debitum finem, manifestum est quòd prudentia non solùm se « habet ad bonum privatum, sed etiam ad bonum commune multitudinis. »

Consectarium X. — Ex dictis non est difficile eam quæstionem solvere, an scilicet possit esse prudentia in peccatore, prout eam solvit doctor Angelicus art. 13. Trifariàm prudentia dici posse admonet. Prima est quædam prudentia falsa, vel per similitudinem. Cùm enim prudens sit, qui benè disponit ea quæ agenda sunt propter aliquem bonum finem, ille qui propter malum disponit ea quæ ipsi congruunt, falsam habet prudentiam, quatenùs illud quod accipit pro fine non est verè bonum, sed secundùm similitudinem, sicut dicitur aliquis *bonus latro* : hoc enim modo potest secundùm similitudinem vocari *prudens latro*, qui convenientes vias adinvenit ad latrocinandum. Et hujusmodi est prudentia de quâ loquitur Apostolus Paulus ad Romanos : *prudentia carnis mors est*, quæ scilicet finem ultimum constituit in delectatione carnis, viasque exquirit omnes ut ipsius desideria compleat. Prudentia altera, quam distinguit, vera quidem prudentia est, quia vias adinvenit accommodatas ad finem verè bonum ; sed imperfecta est ex duplici capite : primo nempe, quia bonum illud quod pro fine accipit, non est finis communis totius humanæ vitæ, sed alicujus specialis negotii ; puta cùm aliquis adinvenit vias accommodatas ad negotiandum, vel ad navigandum, dicitur *prudens negotiator*, vel *nauta*. Altero autem ex capite imperfecta est, quia deficit in principali actu prudentiæ ; puta cum aliquis rectè consiliatur, et benè judicat etiam de iis quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipit. Tertia demùm est vera et perfecta prudentia, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, judicat et præcipit. *Et hæc sola*, inquit, *dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest. Prima autem prudentia est in solis peccatoribus ; prudentia autem imperfecta est communis bonis et malis, maximè illa quæ est imperfecta propter finem particularem. Nam illa quæ est imperfecta propter defectum principalis actûs, etiam non est nisi in malis.*

Consectarium XI. — Quemadmodùm in peccatoribus perfecta prudentia non est, sed ut summùm imperfecta, et penès similitudinem ; ita in justis omnibus gratiâ et divinâ charitate præditis eam admittere oportet. Hoc probat S. Thomas quòd necesse sit virtutes esse connexas, adeò ut omnes habeat qui unam possidet. Unde necesse est quòd prudentiâ præditus sit qui gratiam et charitatem habet, quæ virtus est et quidem omnium præstantissima. Duplicem tamen

prudentiam, sive prudentiæ officium distinguit ad difficultates quæ doctrinæ suæ objici possunt eluendas. Alia namque prudentia est, *quæ est sufficiens ad ea quæ sunt de necessitate salutis;* et hæc invenitur *in omnibus habentibus gratiam, quos unctio docet de omnibus*, ut dicitur 1 Joan. 2. Alia verò *plenior, per quam aliquis sibi et aliis potest providere, non solùm de iis quæ sunt necessaria ad salutem, sed etiam de quibuscumque pertinentibus ad humanam vitam;* et hujusmodi industria, sive prudentia *non est in omnibus habentibus gratiam.* Sic etiam multi justi sunt, adeòque prudentiâ ornati, qui necesse habent regi alieno consilio. Verùm *saltem in hoc sibi ipsis consulere sciunt, ut aliorum requirant consilia, et discernant consilia bona à malis.*

Consectarium XII. — Quanquàm docilitas, quæ inter partes prudentiam integrantes annumeratur, utilis sit ad quamlibet intellectualem virtutem, præcipuè tamen, ut docet S. doctor 2-2, q. 49, art. 3, *ad prudentiam pertinet* : « Quia prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus cùm sint quasi infinitæ « diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter « considerari, nec per modicum tempus, nec per tem« poris diuturnitatem. Unde in his quæ ad prudentiam « pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri, et « præcipuè ex senibus qui sanum intellectum adepti « sunt circa fines operabilium. Unde Prov. 1 dicitur : « *Ne innitaris prudentiæ tuæ;* et Ecclesiast. 6 : *In multitudine presbyterorum* (id est seniorum) *prudentium « sta*, et *sapientiæ illorum ex corde conjungere.* Hoc au« tem pertinet ad docilitatem, ut aliquis sit benè disci« plinæ susceptivus. »

Consectarium XIII. — Ut consilium, quod primus est prudentiæ actus, rectum sit, duo requiruntur, nimirùm quòd homo bonum sibi finem in consiliando præstituat, et vias idoneas ad finem consequendum adinveniat. Alterutrum si desinit, semper consilium malum est ; quemadmodùm etiam in speculativis, bona ratiocinatio non est, sive aliquis falsum concludat, sive etiam verum concludat ex falsis; adeòque utrumque prædictorum est contra rationem prudentiæ, ut consiliativa est.

Consectarium XIV. — Licet prudentia, sive acquisita sive infusa sit, dirigat hominem in inquisitione consilii secundùm ea quæ ratio comprehendere valet : quia tamen humana ratio non potest comprehendere singularia contingentia, quæ occurrere possunt, inde oritur quòd, ut habetur Sapientiæ 9 : *Cogitationes mortalium timidæ sint, et incertæ providentiæ nostræ;* atque adeò indiget homo in inquisitione consilii dirigi à Deo, qui omnia comprehendit, quod efficitur maximè per donum consilii, quo homo dirigitur à Spiritu sancto, quasi consilio ab ipso accepto; sicut etiam in humanis rebus, qui sibi ipsis minimè sufficiunt in inquisitione consilii, sapientiores consulunt, ac juxta lumen ab iisdem acceptum operantur.

Consectarium XV. — Imprudentia semper peccatum est, aliquando quidem mortale, aliquando verò solùm veniale, quod aptè exponitur à S. Thomâ q. 53, art. 1, ubi observat imprudentiam dupliciter sumi posse, privativè scilicet, et contrariè : « Privativè qui« dem imprudentia dicitur, in quantùm aliquis caret « prudentiâ, quam quis nactus est, et debet habere. « Et secundùm hoc imprudentia est peccatum ratione « negligentiæ, quâ quis non adhibet studium ad pru« dentiam habendam. Contrariè verò accipitur impru« dentia secundùm quòd ratio contrario modo move« tur, vel agit prudentiæ : puta si recta ratio pruden« tiæ agit consiliando; imprudens consilium spernit : « et sic de aliis quæ in actu prudentiæ consideranda « sunt. Et hoc modo imprudentia est peccatum secun« dùm rationem propriam prudentiæ. Non enim po« test hoc contingere, quòd homo contra pruden« tiam agat, nisi divertens à regulis, quibus ratio pru« dentiæ rectificatur. Unde, *si hoc contingat per aversio« nem à regulis divinis, est peccatum mortale*, puta cùm « quis quasi contemnens et repudians divina docu« menta, præcipitanter agit. Si verò præter eas agat « absque contemptu et absque detrimento eorum quæ « sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale. »

Consectarium XVI. — In hoc præsertim distinguitur ignorantia ab imprudentiâ quoad rationem peccati, quod utrique attribuitur, aut attribui potest, quòd ignorantia, quæ opponitur scientiæ, si spectetur secundùm se, non est morale peccatum, nisi ratione vel negligentiæ præcedentis, vel effectûs subsequentis : adeòque non computatur nisi inter generales causas peccati. At verò imprudentia secundùm propriam rationem importat vitium morale : et ideò habet id per quod inter specialia peccata numeretur.

Consectarium XVII. — Vitium, quod actui præcipuo prudentiæ opponitur, nempe *imperio*, est *inconstantia, quæ recessum quemdam importat à bono proposito definito*, ut docet S. præceptor, loc. laud. art. 5, ubi etiam rationem affert, quia : « Hujusmodi recessus princi« pium quidem habet à vi appetitivâ : non enim aliquis « recedit à priori bono proposito, nisi propter aliquid, « quod sibi inordinatè placet : sed iste recessus non « consummatur, nisi per defectum rationis, quæ fallitur « in hoc, quòd repudiat id quod rectè acceptaverat. « Et quia, cùm possit resistere impulsui passionum, si « non resistat, hoc est ex debilitate ipsius, quæ non « tenet se firmiter in bono proposito concepto; ideò « inconstantia, quantùm ad sui consummationem, per« tinet ad defectum rationis. Sicut autem omnis re« ctitudo rationis practicæ pertinet aliqualiter ad pru« dentiam, ita omnis defectus ejusdem pertinet ad « imprudentiam... Et sicut præcipitatio est ex defectu « circa actum consilii, et inconsideratio circa actum judi« cii, ita inconstantia circa actum præcepti : ex hoc enim « dicitur aliquis esse inconstans, quòd ratio deficit in « præcipiendo ea quæ sunt consiliata et judicata. »

Consectarium XVIII. — Sicut ex doctrinâ S. Thomæ 2-2, q. 47, art. 9, ad prudentiam pertinet sollicitudo, quæ in hoc consistit, quòd aliquis *ex quâdam solertiâ animi velox sit ad prosequendum ea quæ sunt agenda;* ita prudentiæ adversatur negligentia, quæ vitium est sollicitudini directè oppositum. Negligens siquidem ut habetur ex S. Isidoro lib. 10 Etymol. [illegible] quasi

nec eligens, sive deficit in interiori actu, ad quem spectat electio. Electio autem recta eorum, quæ sunt ad finem, præcipuum est prudentiæ munus. Unde oportet quòd ad vitium prudentiæ oppositum negligentia pertineat. An verò speciale peccatum sit, illudque mortale, aut veniale, infra constabit.

Consectarium XIX.—*Prudentiam carnis*, prout eam vocat Apostolus ad Rom. 8, veræ prudentiæ contrariam esse, ex dictis patet. Duobus articulis 1 et 2, q. 51, de eâ disserit doctor Angelicus, ut legitimam ejus notionem manifestet. Et primo quidem articulo probat eam esse peccatum, Deoque proinde inimicam : quia *prudentia carnis* propriè dicitur, secundùm quod aliquis bona carnis habet ut ultimum finem suæ vitæ; et hoc sensu peccatum est : per hoc enim homo deordinatur circa ultimum finem, qui in bonis corporeis non consistit. Sed quale peccatum sit distinctiùs exponit art. 2, his verbis : « Si prudentia carnis accipiatur secundùm absolutam prudentiæ rationem, ita scilicet, quòd in curâ carnis constituatur ultimus finis totius vitæ, sic est peccatum mortale. » Atque hujusmodi sunt, de quibus ait Apostolus, *quorum Deus venter est*, quia scilicet tantâ curâ ac sollicitudine, quæ carnis ac corporis sunt, exquirunt, ut ad ea tanquàm ad finem cætera referant. « Si verò, subjicit S. doctor, « prudentia carnis accipiatur secundùm rationem particularis prudentiæ, sic *prudentia carnis* est peccatum veniale. Contingit enim quandoque, quòd aliquis inordinatè afficitur ad aliquid delectabile carnis, puta ad cibum, absque hoc, quòd avertatur à Deo per peccatum mortale : unde non constituit finem totius vitæ in delectatione carnis. Et sic adhibere studium ad hanc delectationem consequendam, est peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis. » Hæc autem *prudentia carnis* non limitatur ad solas carnales delectationes, sed etiam ad alia studia rerum temporalium, in quibus similiter inordinatio potest esse mortalis aut venialis.

Consectarium XX.—Ad *prudentiam carnis*, quæ *mors est*, et est *inimica Deo*, meritò refert eximius vir P. Thyrsus Gonzalez Diss. 5. Fund. Th. Mor. praxim illorum, qui in conflictu opinionis probabilioris ac tutæ eligendam putant opinionem probabilem. Quid enim, ut fusè ille persequitur, vera prudentia est juxta Aristotelem? Non aliud, nisi, *habitus agendi verà cum ratione circa ea quæ sunt homini bona, atque mala.* At quænam prudentia *verâ cum ratione* homini tutiorem sententiam verosimiliorem esse cognoscenti suggerere potest, oppositam minùs tutam, minùs etiam verisimilem tutiori ac verosimiliori præferre? Non alia profectò, nisi *prudentia carnis*, quæ temporalia bona pluris facit quàm curam et observantiam divinæ legis.

Si præterea quæramus ab Angelico doctore, quodnam sit prudentiæ munus? Respondebit 2-2, q. 49, art. 7, « *ad prudentiam præcipuè pertinere rectè ordinare aliquem in finem : quod quidem rectè non fit, nisi et finis bonus sit, et id, quod ordinatur ad finem, sit etiam bonum et conveniens fini.* » Rectam ergo appetitionem finis prudentia supponit, ejusque exinde est, rectè ea ordinare, quæ ad finem obtinendum conferunt. Quare Aristot. Eth. 2, ait : « *Bonitas intellectûs practici est verum conforme appetitui recto ;* » ibi verò, ut exponit Angelicus 1-2, q. 58, art. 3, ad 2, Philosophus sermonem habet de intellectu practico, quatenùs est consiliativus circa ea quæ ad finem referri possunt. Sic enim perficitur à prudentiâ. Cæterùm et in iis quæ ordinantur ad finem, recta ratio non est, nisi fuerit appetitioni finis recti conformis.

Unde ergo delectus minùs tutæ opinionis præ tutiore et probabiliore? Quem sibi finem præstituit, qui probabiliori minùs probabilem præfert, manifesto violandæ divinæ legis periculo se committens? Haud sanè ex charitate, quæ cæteras virtutes movet, aut ex peculiari cujuspiam virtutis studio hujusmodi delectus oriri potest, quùm à recti finis appetitione, et honesto virtutis amore alienum sit in proximum divinæ legis violandæ discrimen sese conjicere. Sincerène studere medicum ægroti sanitati dixeris, qui pharmacum adhibet minùs ad illum sanandum idoneum? Quidpiam aliud ille sibi planè præstituit, qui patefacit ægri salutem sibi non admodùm cordi esse.

Si velit itaque Probabilista verum ingenuè fateri, nil aliud respondere potest, nisi se deligere opinionem minùs tutam, quam et minùs probabilem novit, quòd sit illa temporarii alicujus boni, quod appetit, assecutioni accommodata, sive assecutio hæc per legem liceat, sive non. Hoc autem *prudentia* illa *carnis* est, quam Apostolus improbat, *Deoque inimicam* declarat; nec aliud ut summum afferri valet discrimen, nisi quòd illa apertiores cum Deo inimicitias gerit, hæc autem occultas et obtectas probabilismi involucris. Hæc fermè ex laudato summo viro generali totius societatis Thyrso Gonzalez.

## CAPUT III.

*De inquirendâ veritate in judiciis de rebus agendis, ut* ratio *recta sit regula humanorum actuum.*

### DOCTRINA.

I. *S. Bernardi sententia de veritatis necessitate in rerum electione.* — II. *Differentia veritatis speculativæ et practicæ.* — III. *Practica veritas non est inventu impossibilis, aut valdè difficilis.* — IV. *Præceptum est in divinis Scripturis propositum inquirendæ veritatis in actionibus moralibus.* — V. *Idem præceptum Patrum Ecclesiæ traditione comprobatum.* — VI. *Ratio theologica præceptum idem confirmat.* — VII. *Quænam et quanta adhiberi debeat cura, ac diligentia pro inveniendâ veritate, disquiritur.* — VIII. *Quædam præmittitur egregia doctrina P. Michaelis de Elizalda.* — IX. *Regula generalis : Ea cura adhibenda est in inquisitione veritatis, quæ adhiberi consuevit in negotiis gravioribus.* — X. *Quò major, et urgentior est obligatio aliquid faciendi, eò major ac urgentior est obligatio veritatem inquirendi.* — XI. *Quænam comprehendat inquirendæ veritatis obligatio.* — XII. *Necesse non est ad prudenter agendum, ut omnis penitùs ejecta sit deceptionis trepidatio.*

I. Celebris et pervulgata est S. Bernardi sententia

lib. *de dispens. et præcept.*, expendentis illud Christi oraculum apud Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit ;* et, quo sensu accipiendum sit, ita explicantis : « Ut interior oculus sit « simplex, duo arbitror esse illi necessaria, charitatem « in intentione, et *in electione veritatem*. Nam si bo- « num quidem diligat, sed bonum non eligat, habet « quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam. « Et nescio quemadmodùm judicio veritatis vera esse « possit cum falsitate simplicitas. » Quibus verbis significat, ad veram actionum nostrarum bonitatem satis non esse, ut *humana ratio* finem bonum intendat, sed oportere ut etiam verum medium ad ipsum obtinendum eligat, sive quòd veritas inveniatur in actu, quo de bono et malo judicamus.

II. Id verò ut clariùs intelligamus, animadvertendum est duplicem esse judicii veritatem, aliam *speculativam*, et aliam *practicam*. Prima est conformitas judicii cum ipsâmet re : unde judicium *verum* dicitur, cùm exprimit rem, sicuti est in seipsâ. Altera consistit in conformitate quidem judicii cum re, at non absolutè sumptâ, sed prout subjectâ, et consonâ regulis morum, legi scilicet æternæ Dei, et rectæ rationi. Hanc utriusque veritatis differentiam exponit S. Thomas 1-2, q. 57, art. 1 ad 3, aliamque in eo sitam docet, quòd veritas *speculativa* necessaria est, atque immobilis ; *practica* autem veritas contingens, utpote, quæ in contingentibus humanis actionibus versatur, et quæritur, quæ, mutato agentium statu, variatisque circumstantiis rerum possunt esse consonæ aut dissonæ morum regulis. De hâc itaque veritate in nostris actionibus inquirendâ sermo nunc est, ut rectæ sint et honestæ, sive regulis morum consentaneæ, adeò ut bonæ sint, si judicia nostra iis conformentur, mala verò, si ab iisdem dissentiant.

III. Verùm ne quis fortasse obtendat, ut obtendere nonnulli solent, hujusmodi *practicam veritatem* in hoc miserrimo statu naturæ lapsæ, densisque ignorantiæ tenebris involuto, non esse inventu possibilem à plerisque saltem hominibus, hæc in antecessum de medio submovenda excusatio est, atque probandum, nedùm illam inveniri posse, sed nec ejus inventionem esse difficilem homini, divinæ gratiæ viribus præsertim adjuto, quæ ipsi non deficit, nisi priùs ipse Deo adjuvanti deficiat. Primum et quidem luculentissimum hujusce rei testimonium habetur *Deuteronomii* c. 30, ex ore ipsius Dei prolatum his verbis : *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrùm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, et opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris, et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valdè, et in corde tuo, ut facias illum. Considera quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum; et è contrario mortem, et malum, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus.* Non minus luculenta sunt, quæ leguntur Sapientiæ 6 : *Clara est, et quæ nunquàm marcescit, sapientia, et facilè videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illâ sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. Quoniam dignos seipsa circuit, et in viis se ostendit illis hilariter, et in omni providentiâ occurrit illis.* Ecclesiastici quoque c. 32, eadem assertio confirmatur : *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus, et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab eâ, et qui insidiosè agit, scandalizabitur in eâ. Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitias, quasi lumen accendent.* Invenient, inquam, *judicium justum*, quo nempè justè judicent de rebus agendis, et claro lumine Dei justitias ac mandata discernant.

Quòd si etiam concedamus aliqua ex his obscura et inventu difficilia fuisse in Testamento veteri, id certè asserere minimè debemus post adventum Christi Salvatoris, omniumque Magistri in mundum, de quo jam promiserat propheta Isaias quòd homines *visuri essent præceptorem suum, et audituri vocem post tergum monentis : hæc est via, ambulate in eâ, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Cui fortè vaticinio alludens mulier illa Samaritana, quam refert S. Joannes *Cap.* 4, dicebat : *Scio quòd cùm venerit* (Christus), *annuntiabit nobis omnia* quæ ad salutem scilicet consequendam necessaria sunt. Demùm, ut alia omittam, quid dubitationis superesse nobis potest de hâc veritate post apertissimam illam promissionem ab ipso Christo Domino nobis factam, Matth. cap. 7 : *Quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.* In quem locum ita scribit S. Joannes Chrysostomus hom. 18. « *Omnis qui petit, accipit,* « *et qui quærit, invenit,* etc.; quidquid desideratis inve- « nire, quærite, et invenietis, quidquid clausum vobis « videtur, obscurum, et intellectu difficile, pulsate, et « aperietur vobis, gratiâ vos prosequente; petite pre- « cibus die ac nocte orantes. »

Huic etiam suffragatur evidens ratio. *Deus enim impossibilia non jubet*, quod dogma fidei est ab Ecclesiâ jam definitum. Impossibilia autem juberet, si nobis observanda imposuisset præcepta sua, dùm, quæ verè præcepta sunt, et à nobis adimplenda, invenire minimè possemus : neque enim possibile est ut adimpleamus quæ non cognoscimus, et cognoscere nequaquàm possumus. Quare argumenta, quæ statim allaturi sumus ut probemus, præceptum nobis impositum fuisse inquirendæ veritatis in judiciis nostris de bono et malo, ut illud prosequamur, istud autem vitemus, probant etiam eamdem nos posse attingere et invenire. Neque enim alterum sine altero fas est intelligere.

IV. Præceptum itaque esse in divinis Scripturis propositum, quo adstringimur, et urgemur ad veritatem inquirendam in judiciis nostris de bono et malo

morali, innumera sunt quæ convincunt, oracula tum veteris, tum novi Testamenti. Et in veteri quidem, *Deuter.* 17, Judæorum populo præcipitur, ut in rebus *difficilibus* et *ambiguis* recurrat ad eos, qui *indicaturi* sint *judicii veritatem*, *et docuerint juxta legem Dei.* Studium quoque, cultumque veritatis eidem populo proponit Samuel *lib.* I *Reg.*, et Tobias filio suo c. 14 libri suo nomine inscripti. Et *Zach.* 8, ipse Deus ita jubet : *Hæc dicit Dominus exercituum, veritatem tantùm et pacem diligite.* Malach. c. 2, de homine rectè ambulante in viâ Domini dicitur, quòd *lex veritatis fuerit in ore ejus.* Et Isaiæ, probi omnes vocantur *Gens justa custodiens veritatem.* Apertissimum etiam est monitum illud Ecclesiastici c. 37 : *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te : et ante omnem actum consilium stabile.* Sed nullibi præceptum hocce luculentiùs se prodit quàm in toto psalmo omnium prolixiore 118, ubi vix unus versiculus est, in quo studium ac sollicitudo quærendæ veritatis divinæ legis, ne aliquis obrepat error in ejus cognitione, mirâ profectò expressionum varietate non præcipitur et inculcatur. Legatur attentiùs psalmus ille, et constabit evidenter arctissimam obligationem nobis impositam esse quærendi legem Dei, et mandatorum ejus veritatem, ne ab eâ in actionibus nostris unquàm deflectamus. Jubet, ut eam *discamus, intelligamus, consideremus, penetremus.* Jubet legem *meditari, persecutari, nunquàm ejus oblivisci, ante oculos tenere, sensum illius investigare, et exquirere mandata, judicia, justitias, vias, verba, sermones, eloquia*, etc. Unum illum expressè proferre sufficiat versiculum : *Mandâsti* Domine, *justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis ;* qui planè alteri præcedenti respondet : *Tu mandâsti mandata tua custodiri nimis*, sive impenso studio, diligentiâ, atque sollicitudine, ut et veritatem mandatorum Dei agnoscamus, et agnitam custodiamus. Paria habentur in novo Testamento ex ore præsertim Apostoli Pauli. Nam *ad Ephes.* c. 5 primùm ille monet fideles, *ut ambulent ut filii lucis : fructus enim lucis est in omni bonitate et justitiâ, et veritate, probantes, quid sit beneplacitum* Dei sive voluntas nobis per legem expressa. Deinde subdit : *Videte itaque, fratres, quomodò cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, etc. Et nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*, practicæ cujusque veritatis regula. Ad Philippenses etiam scribens commendat illis c. 4, *ut cogitent quæcumque sunt vera*, practica videlicet, *quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta*, etc. Item ad Thessal. : *Omnia probate : quod bonum est, tenete ; ab omni specie mali abstinete vos.* Numquid fortasse, inquiet aliquis, hæc esse mera consilia, non autem præcepta? Apage absurdum et inane commentum.

V. Præceptum idem inquirendæ veritatis in rebus moralibus, ut judicia nostra legi æternæ Dei cæterisque morum regulis conformia sint, tradunt Ecclesiæ Patres, quorum aliqua proferre lubet testimonia. Hoc inprimis docet S. Joannes Chrysost. *hom.* 13, *in Epist.* 2. *ad Corinth.*, ubi moralem sensum Apostoli exponens sic ait : *Vulgi opinionibus ne circumferamur, sed res ipsas expendamus*, nùm scilicet cum veritate consonent. *Nefas est enim, cùm de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero et calculo id committere : cùm autem de rebus*, mores spectantibus *judicandum est, in aliorum opiniones temerè ac veluti obtorto collo trahi*, prætermisso examine divinæ legis, quæ practicas efficit rerum veritates. Hujusce veritatis inquirendæ neglectum vituperat Chrysostomus idem, sive, quicumque sit, auctor operis imperfecti in Matth. *hom.* 44, inquiens : *Si vestimenta empturus gyras unum negotiatorem et alterum, et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori, ab illo comparas ; quomodò non oportet populum circuire omnes doctores, et inquirere ubi sincera veritas Christi venumdetur*, et quomodò non oportet doctores sibi unam præfigere in consulendo, ac docendo populum, veritatem? Gemina sunt quæ habentur apud SS. Gregorium Nazianzenum et Basilium Magnum. Ille in *tract.* 27, scribit : *Plerisque secùs videtur, inquiens : Quid verò, meâ interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo?* Alter verò in fine *Enarrat. in cap.* 8. *Isaiæ* ait : *Qui perquirit nunc accuratè veritatem, ejusque inventionem parturit, perspicuè aliquando contuebitur faciem Dei*, hoc est, æternam consequetur salutem. Quid ergo inferendum? Qui accuratè veritatem non perquirit, ac inventam non sequitur, ab æternâ salute procul dubio excidet, ac æternùm damnabitur.

Plura in locis pluribus disserit in hanc rem S. Ecclesiæ doctor Augustinus, lib. cont. Mendac. ac Consentium, *cap.* 15, admonet : *Negari non potest, quod S. David Deo dixit :* Lex tua veritas. Ex quo infert *justum esse non posse, quod est contra veritatem.* Hanc autem legem, hanc veritatem juxta ipsum *totâ vigilantiâ quærit vera prudentia*, ut legi conformes sint, quas dirigit actiones, neque ullus subrepat in judicando practicus error. *Quid illa virtus*, inquit lib. 19 de Civit. Dei c. 4, *quæ prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia sua bona discernit à malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat?* Hinc lib. 22, c. 23, justorum labores in hâc vitâ describit, quibus adversùs vitia, et peccandi pericula militant, eosdemque nobis exhibet *vigiliis continuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod est malum, bonum esse credatur.* Quid, amabo, necesse foret justis hominibus semet tot curis atque laboribus conficere pro inveniendâ veritate, et errore vitando nisi periculum violandi legem et incurrendi culpam coram Deo pertimescerent? Non minùs diserta sunt, quæ de hoc eodem argumento habet S. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. c. 6 : *In ipsis bonis operibus positi pii*, integræque vitæ homines *trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore Deo displiceant, continuis lamentis vacant*; et lib. 1 in Ezech. hom. 7: *Corpora animalium idcircò plena oculis describuntur : quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens*

*vehementer invigilat, ne se ante illorum oculos mala sub bonorum specie abscondant.*

Horum aliorumque Ecclesiæ Patrum, quibus accensendus est S. Bernardus, cujus testimonium ab initio dedimus, agmen claudat S. Thomas Aquinas, qui Patrum omnium sensum suâ doctrinâ complexus est, tum totâ quæst. 47, et sequentibus 22, ubi de prudentiâ omnibus hominibus necessariâ agit ad inveniendam veritatem sive conformitatem nostrorum actuum cum regulis morum, declaratque sollicitudinem, circumspectionem, aliasque dotes, queis pollere debet : tum q. 60, ejusdem *secundæ partis art.* 6, *ad* 2, ubi distinguit judicium, quod fertur de rebus, à judicio quo de hominibus, sive de ipsorum actionibus judicamus, docetque : *Aliud est judicare de rebus, et aliud de hominibus. In judicio enim in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei de quâ judicamus, cui nihil nocet, qualitercumque judicemus de ipsâ; sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si verè judicet, vel malum, si falsò. Et ideò unusquisque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet secundùm quod sunt;* quatenùs nempe vel consonant, vel dissonant morum regulis. Id evidentiùs significat, *quodlib.* 9, *q.* 7, *art.* 15, gravissima illa, et ab omnibus, præsertim doctoribus, sedulò perpendenda sententia : *Dicendum quòd omnis quæstio, in quâ de peccato mortali quæritur, nisi expressè* VERITAS *habeatur, periculosè determinatur.* Quibus verbis solam veritatem debere sibi præfigere prudentem hominem, in quam unicè tendat, nitidissimè docere, aut potiùs tanquàm exploratum supponere, nemo non intelligit.

VI. Eadem quoque assertio nostra evidenti theologicâ ratione comprobatur. Nemo namque salutem assequi potest, nisi mandatorum Dei observantiâ juxta illud Christi Domini : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ut autem mandata Dei, sive ab ipso immediatè, sive mediante lege humanâ nobis injuncta, servemus, præcedere cognitio debet, quâ ea cognoscamus, quam comparare minimè possumus, nisi curâ ac diligentiâ eadem inquiramus, ut ipsi conformemus opera nostra, in quo consistit veritas illas practica de quâ loquimur. Igitur eam investigare, ut ejus notitiam assequamur, necesse est ad salutem : quod paucioribus exponit doctor eximius Franciscus Suarez t. 5, in 3 p. d. 1, dicens : *In debito faciendi, intrinsecè includitur obligatio sciendi : quia nullus potest suas obligationes implere, nisi ipsas cognoscat.*

Quid quod vel ipsi Probabilistæ splendidissimam hanc doctrinam penitùs inficiari ausi non sunt, tametsi eam postea pluribus offuciis involvere conentur? Audiatur postremus probabilismi defensor P. Bovius, qui pag. 71 operis sui ita scribit, textu ejusdem ex Italico in Latinum sermonem converso : « In moralibus jubemur studiosè veritatem exquirere : notissimum « quippe naturæ scitum est, debere omnes, quæ sui « sunt muneris nôsse, reos alioquin futuros, si illa « non impleant.... Scitum, inquam, in synderesi in« situm, cujus hæc est gravissima ratio, jam nullius « usûs, et roboris fore leges, si nullius esset culpæ « reus, qui eas violat, eò quòd illas ignorat : ignorat « autem, qui scire neglexit, aut operam non dedit, « ut sciret. »

VII. At quænam, et quanta debet esse, inquiet aliquis, cura ac diligentia à nobis impendenda in investigatione veritatum moralium, uti impositæ nobis obligationi fiat satis, nec culpæ rei efficiamur coràm Deo? Hîc enim verò, ingenuè fateor, aqua mihi non parùm hæret, neque sanè quæstionem exactè definiri ab ullo mortalium posse arbitror, cùm hoc maximè pendeat à circumstantiis pluribus loci, temporis, rerum et personarum, quæ sæpissimè latent. Interim tamen aliqua dicere non omittam, quæ lucem non exiguam huic quæstioni quadamtenùs dirimendæ præstare poterunt.

VIII. Itaque inprimis animadverto hanc quæstionem de diligentiâ adhibendâ in inquisitione veritatis, sive conformitatis actionum nostrarum ad legem Dei, eamdem prorsùs esse ac illam in quâ quæritur de curâ ac studio quod adhibere oportet pro æternâ salute adipiscendâ : propterea, quæ de hâc quæstione dicuntur, de alterâ quoque dicenda sunt. Quid ergo de curâ pro adipiscendâ salute docent Patres, docentque auctores, qui eorum mentem secuti sunt? Audiamus celebrem ac piissimum theologum P. Michaelem de Elizalda, p. 1 de rectâ Doctrinâ morum, lib. 3, § 3, de re hâc ita disserentem : « In universali, inquit, « certum est nos teneri ad studium aliquod salutis « nostræ, ad curam et sollicitudinem, et affectum « demùm aliquem æternorum : quod probandum non « est, et negat nemo. Hoc autem studium, hanc « curam, et sollicitudinem taxare certâ, et nobis per« ceptibili, et quoad nos notâ et determinatâ mensurâ, fortè est impossibile; quia fortè oportuit nos « de hoc ipso esse sollicitos tam humilitatis, quàm « sancti timoris Dei causâ, utque magis in ipso spem « nostram omnem collocemus, nec ex illis simus, *qui « in se confidebant*, quorum unus justitiæ suæ certus « dicebat, jejuno bis in sabbato, etc. Dato deinde nobis « eam mensuram esse notissimam, contingit mox « alia incertitudo, an expleverimus mensuram, an « remissiores extiterimus. Rursùs auctores omnes « requirunt diligentiam aliquam pro inveniendâ veri« tate morali. Quantitatem hujus diligentiæ certâ et « infallibili mensurâ taxare, quæ fit nobis nota et in« fallibilis, ita ut jurare possimus, *tantùm requiritur, « et non plus*, est, credo, impossibile. Rursùs certi « esse non possumus, nos segniores non extitisse. « Auctores alii expressè requirunt orationem, nec « illius necessitas videtur negari posse, cùm tam fa« cile et obvium id sit ex sacrâ auctoritate. Alii requi« siverunt præterea purgationem conscientiæ et ani« mæ. Anima enim non munda facilè fallitur. Etenim ex « experientiâ uniuscujusque et omnium, et ex philo« sophiâ, et ex sacrâ auctoritate constat innegabiliter, « secundùm diversam animæ nostræ dispositionem, et « habitus, et affectus et passiones, diversa nobis « apparere objecta, ac incredibiliter mutari facies « rerum omnium. Fortè quia non quantùm debeo, in

« charitate affectus sum, et defectus ejus objecta ma-
« terialia charitatis pertinentia ad proximum, non
« tamen mihi dissonant, v. g., in detractione, et
« fortè ex eo defectu, quod est grave, videtur leve :
« sic in obedientiâ, in paupertate, in justitiâ, et
« in cæteris. Similiter etiam est in docendo, et spe-
« culando ; fortè ex elatione, ex defectu propriæ co-
« gnitionis, quia majora viribus audeo, quia sanctos
« libros non consulo, quia Deum non oro, quia con-
« scientiam non mundo. Quicumque ergo has omnes
« causas incertitudinis consideraverit, fateatur ne-
« cesse est, impossibile esse, quòd semper in sin-
« gulis nostris actibus totali certitudine ac infallibili
« dictamine conscientiæ agnoscamus : *Ego docendo,*
« *vel hoc operando non pecco.* Nam ad hanc certitudi-
« nem necesse est in studio salutis, ac in sollicitudine
« æternorum nihil à me omissum, in diligentiâ quæ-
« rendi veritatem, in orando Deo, in mundando corde
« prætermissum fuisse nihil..... Faciamus ergo alium
« syllogismum : *Omnis existimans se in aliquo suo actu*
« *non peccare, non peccat : ego existimo me in hoc actu*
« *non peccare, ergo ego in hoc actu non pecco.* Major
« illa cum distinctione est vera, sine distinctione est
« falsa ; et non solùm non est evidens et certa, sed
« clarè falsa. Distinctio est ista : *Omnis existimans se*
« *in aliquo suo actu non peccare, non peccat, si nihil*
« *prætermisit eorum quæ debuit*, est vera propositio ;
« *si aliquid prætermisit*, est falsa propositio. Nunc ad
« minorem : *Ego existimo me in hoc actu eliciendo*
« *non peccare*, distinguo, *et certus sum semper, et in*
« *omnibus, nihil à me prætermissum eorum quæ debui*,
« nego : *et certus non sum ; probabile tamen judicium*
« *facere possum, si verè diligens sum in curâ animæ, ut*
« *sunt multi*, concedo. Quare conclusio solùm erit
« probabilis, saltem loquendo de omni, et semper, et
« studiosis salutis suæ. Veritas harum distinctionum
« constat ex dictis. Hactenùs iste.

IX. Ex hâc doctrinâ Elizaldæ, licet fortè haud satis clarè, et parùm feliciter expositâ, colligamus regulam generalem in materiâ, quâ de agimus nimirùm, quamvis certa mensura definiri nequeat diligentiæ ac studii adhibenda, sicut in negotio æternæ nostræ salutis, sic, quod ex illo sequitur, in inquirendâ varietate in judiciis nostris practicis, nihilominùs probabiliter designari valet, generatim dicendo, *eam curam, illudque studium in utrâque impendendum esse, quod rei gravitas exposcit, quodque adhibere solent homines cordati ac prudentes in rebus magni momenti.* Quis enim ita desipiat, ut minorem curam, studiumque requirat pro æternâ felicitate adipiscendâ mediisque ad hoc necessariis investigandis, quàm pro rebus temporalibus comparandis, quæ si cum illis conferantur, vix ac ne vix quidem ullam æstimationem merentur? Hæc itaque sit prima generalis regula pro definiendâ, utcumque potest, diligentiâ in inquisitione practicarum veritatum.

X. Altera huic subjecta ita constitui potest, nempe, *ubi major fuerit atque urgentior obligatio aliquid faciendi, sive illa ex materiæ gravioris qualitate, sive ex circumstantiis, aliove ex capite oriatur, eò quoque major, atque urgentior est obligatio inquirendi, sciendique veritatem moralem, sive pravitatem, aut honestatem propriam objecti ipsius legis, aut voluntatis Dei, ut illud vel fugiendo vel amplectendo, suam quis voluntatem, atque actionem moralem conformet cum lege, sive voluntate divinâ.* Sic enim se gerere solent prudentes homines, ut quò majoris ponderis ac momenti negotium est, de quo deliberatur, eò majorem exactioremque curam impendant, ne in eo fallantur, aut errorem committant. Hinc in regulâ juris c. 3 *de elect. in* 6 dicitur : *Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum.* Quare cùm maximè de rebus agitur, ex quibus consequi solet plurimorum bonum, aut detrimentum, magis quisque satagere debet, majoremque conatum insumere, ut notitiam legis exquirat, ac judicium suum veritati conformet, ita exigente ipsius rei gravitate.

XI. At præterea addendum censeo, quòd quanquàm enitendum nobis sit, ut in actionibus nostris veritatem, seu conformitatem cum regulâ primâ, lege scilicet, aut voluntate Dei, assequamur, haud tamen ex præcepto requiritur, ut hæc diligentia extraordinaria sit, modumque agendi humanum excedat. Neque tamen existimandum est, mensuram diligentiæ nostræ adhibendæ, intra terminos studii et industriæ humanæ contineri (quamvis hanc etiam adhibere oporteat); sed extendi quoque ad eam media, quibus à providentiâ divinâ constitutum est, ut veritatem in actibus nostris inveniamus, nempe accessum ad Deum sapientiæ ac totius veritatis fontem, orationis studium, custodiam cordis nostri, ac id genus alia de quibus subinde sermonem habituri sumus.

XII. Verùmtamen his etiam adhibitis mediis ad inquirendam veritatem, fieri moraliter posse non credimus ut certi simus certitudine absolutâ atque perfectâ de judiciorum nostrorum assecutâ veritate, sive conformitate cum lege divinâ. Sed neque certitudinem hanc putamus esse necessariam, cùm sufficiat omninò judicium prudens, verèque probabile, quod *certum* vocari solet pro conditione materiæ moralis, sive *certitudine morali*, quæ non omnem penitùs amolitur deceptionis timorem, sed tamen sufficit ut ipsum superemus, et operemur citra omnem temeritatem, quanquàm non absque aliquâ animi trepidatione. Unde et sanctissimus Job, licet nihil prætermitteret, ut legem Dei cognosceret atque exactè impleret, dicebat : *Verebar omnia opera mea.* Et justi homines, de quibus in supra relato texu loquitur S. Greg. Magnus, in ipsis bonis operibus trepidant, et ne in eisdem occulto alique errore Deo displiceant, continuis lamentis vacant. Verùm agere cum tali trepidatione nedùm nulla temeritas est, sed etiam prudentia maxima, nobis à Deo ac sanctis omnibus, summis ubique laudibus commendata; dummodò simul judicemus actu prudenter, rationeque verè probabili nos reipsà non decipi, quamvis absolutè contingere possit, ut decipiamur. Ita, Deum oro obtestorque, semper mihi operari contingat, dùm fuero in hujus seculi caliginosâ nocte, donec

dies elucescat, et lucifer oriatur ille beatissimus, qui in plenâ me securitate constituat.

## CAPUT IV.

### CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Delirium est Scepticorum et Pyrrhonicorum veritatem moralem inveniri minimè posse contendentium.* — II. *Sola veritas regula est in actibus humanis electionis rectæ.* — III. *Absurditatis plena est, quam P. Carolus Casnedi habet, ad Christum Jesum allocutio de hoc argumento.* — IV. *Qui modernum probabilismum veluti suarum actionum regulam consectantur, discipuli Magistri veritatis vocari minimè possunt.* — V. *Ut bonæ reapse sint actiones nostræ, necesse est quòd cum æternâ Dei lege conformentur.* — VI. *Ex hoc falsitatis convincitur plurium Confessariorum, et Christianorum praxis.* — VII. *Diligentia in inquirendâ veritate morali non id solum complectitur, quod viribus naturalis facultatis præstare possumus, sed etiam quod viribus divinæ gratiæ.* — VIII. *Tres hominum classes distinguuntur qui ex propriâ culpâ veritatem non inveniunt.* — IX. *Si ea quæ præstare oportet exequamur, veritatem moraliter inveniemus.* — X. *Ex confessione sapientiorum Probabilistarum sequitur teneri nos ad opiniones verisimiliores amplectendas.* — XI. *A veritate longè recedunt qui sententiam, quam falsam judicant, ob auctoritatem aliorum sequuntur.* — XII. *Secura nullatenùs est regula resolvendi conscientiæ casus, ac dirigendi actiones hominum per solam probabilitatem opinionum.* — XIII. *Nullum studium, et curam veritatis se habere produnt, qui ad consulentium voluntatem contrarias opiniones accommodant.* — XIV. *Non minùs veritatem se cordi non habere ostendunt, qui plures doctores consulunt ut aliquem ad placitum loquentem inveniant.* — XV. *Monstrosa censenda est doctrina Tamburini, aliorumque docentium modò unam, modò aliam in eâdem re amplecti nos posse opinionem.* — XVI. *Quæcumque sit actionis materia, solliciti debemus esse de veritate acquirendâ.* — XVII. *Major tamen de eâdem cura sit oportet, dùm majoris momenti materia est.* — XVIII. *At non exigitur ut hæc extraordinaria sit, et præter communem agendi modum.* — XIX. *Prudentia in his maximè necessaria est.* — XX. *Vana et fallacissima est certitudo et securitas quam in agendo promittunt nuperi Probabilistæ.*

Consectarium primum. — Tanquàm delirium explodendum est Scepticorum et Pyrrhonicorum etiam ætatis nostræ placitum, qui nec in speculativis, nec in practicis, sive moralibus certò inveniri posse veritatem blaterant. Quid enim, ut de practicis duntaxat loquamur, requiritur ad habendam omnimodam veritatis certitudinem? Nonne certissima esse, quæ ab auctore naturæ impressa in ratione nostrâ fuère, universalia moralitatis principia intimo quodam sensu percipimus? Nonne quasdam saltem conclusiones morales ex iis principiis legitimè deductas perspicuè cognoscimus? Nec ipsos Pyrrhonicos de hoc, quod ore proferunt, commento persuasos esse crediderim. Sed neque adeò inventu difficilis moralis veritas existimanda est, ut nonnisi summo labore et extraordinario studio illam invenire valeamus, ut alii dixerunt. Hoc ita redarguit S. Clemens, sive auctor Recognitionum, quæ ipsi adscribuntur, lib. 3 : *Quid putas quòd in terram defossam absconderit Deus veritatem, et montes ei superposuerit, ut ab his qui in profundum tantùm fodere valeant, tantummodò inveniri possit?* Non ita est. Hi profectò qui sic opinantur haud *sentiunt de Domino in bonitate*, et apertam injuriam irrogant providentiæ Dei, neque divinis fidem habent promissionibus, toties in sacrâ Scripturâ iteratis, quas jam commemoravimus.

Consectarium II. — Sola veritas potest esse regula rectæ electionis in humanis actibus, quæ præcipuum est prudentiæ virtutis officium. Consectarium hocce tam verum est, quàm verum est legem æternam esse primam regulam, primamque mensuram cujusque moralis honestatis. Quare basilicè falluntur qui contendunt non solam veritatem, sed etiam probabilitatem ab ipsâ veritate præcisam et abstractam, positivam regulam esse bonitatis moralis. Ratio evidens est, quia lex æterna Dei, quæ, nemine dissentiente, est prima et universalis bonitatis moralis regula, est lex veritatis, non falsitatis, non probabilitatis. *Lex tua veritas; omnia mandata tua veritas*, etc., aiebat propheta Regius. Hæc veritas in hâc tenebrarum valle haud semper perspicua et aperta à nobis conspicitur, sed eam attingimus interdùm quidem medio certo et evidenti; sæpiùs verò solùm probabili et subobscuro. Veritas ergo, vel evidenter et certò, vel probabiliter et obscurè cognita, operationis humanæ semper regula est. Hinc, si certa veritas lateat, sequi equidem licitè possumus opinionem nedùm probabilissimam, sed etiam verè probabilem : sed tamen, si veritati consona non sit, operatio ab illâ directa apparenter quidem bona erit; bona tamen nunquàm erit in seipsâ, utpote deficiens à regulâ et mensurâ totius bonitatis.

Consectarium III. — Quamobrem à vero prorsùs abhorret, et absurditatis plena est ea, quam ad Christum Jesum habet, sententia, in dedicatione operis sui, P. Carolus Antonius Casnedi : « Cùm magister « veritatis sis, adeò humanæ condescendis insciliæ, ut « in tuo veritatis tribunali error inculpatus ipsam « coæquet veritatem. Eum enim non accusas, sed ex- « cusas, non plectis, sed præmiaris : ipsam tuam le- « gem habendo pro non lege, et tuam non legem ha- « bendo pro lege, *si lex, ut non lex, et non lex, ut lex* « invincibiliter proponatur. » Nil magis absonum et veritati ipsi dissentaneum scribi potuit, ex quo intolerabilia profluunt inconvenientia, quæ jam plures auctores prosecuti sunt. Huic auctori adeò displicet doctrina nostra, solam veritatem, seu conformitatem cum lege Dei, bonitatis regulam statuens, ut sectarios appellare non vereatur Antiprobabilistas, iisque nomenclaturam Veristarum adscribat t. 2, disp. XI, sect. XI, n. 316. Quo tamen nomine jure ac meritò gloriari possumus, cùm Deus ipse veritas sit, adeòque Veristarum caput.

Consectarium IV.—Atque hinc etiam sequitur, non esse reapse discipulos veritatis, sive Magistri illius, *qui verax est, et viam Dei in veritate docet*, qui modernum probabilismum veluti regulam humanarum actionum consectantur. Quid enim sibi licere putant? Haud planè solam veritatem aut certò, aut saltem verosimiliùs sibi perspectam sequi; sed probabilitatem æquè indifferentem ad veritatem, et falsitatem, sive in conflictu duarum opinionum vel æquè probabilem, vel etiam minùs probabilem ac tutam; quod perinde est aut æquè falsam ac veram, aut magis ipsis falsam, quàm veram amplecti. Nam quomodò discipuli *Magistri veritatis, et qui viam Dei in veritate docent*, dici valent qui nihil aut adeò parùm veritatem curant, ut eidem præferant quod minùs veritati conforme ipsis videtur, et illud eligant, quod magis à veritate dissentaneum judicant? Neque enim judicare aliter possunt, qui opinionem ipsis minùs verisimilem amplectuntur, dùm sequi respuunt probabiliorem conformioremque veritati, sive primæ regulæ, quæ nonnisi vera nobis quærenda et sequenda proponit.

Consectarium V. — Veritas, sive conformitas actionum nostrarum cum æternâ Dei lege necessaria omninò est, ut bonæ reapse sint ac honestæ. Ut autem licitæ sint, sive ad culpam nobis non imputentur, dùm ea conformitas deest, requiritur ac sufficit, ut, præmissâ debitâ diligentiâ ad inveniendam veritatem, sive conformitatem operis cem divinâ lege, ratio quidpiam proponat ut licitum. Quoniam si absque sufficienti veritatis examine, ratio judicium concipiat de operis honestate, tametsi reapse foret legi æternæ conforme, non ideò peccatum vitaret; hæc namque conformitas esset casualis potiùs, ac fortuita, non ex consilio rationis inventa. Idque satis constat, si cogitemus intellectum nostrum naturâ suâ defectibilem esse, et errori obnoxium non modò dùm judicat aliquid esse probabiliter verùm, sed etiam quando aliquid ut certum apprehendit, sibique tale persuadet. Ut igitur judicium nostrum sit recta regula secundaria moralis actûs quem elicimus, cùm indefectibilitatem desumere nequeat ab intellectu nostro defectibili et fallibili, necesse est ut ratio seriò ac diligenter investiget conformitatem actûs cum æternâ lege, quæ indefectibilis et infallibilis est. Si ergo debitam hanc in agendo diligentiam adhibeat, et conformitatem inveniat operis sui cum lege, bonus erit actus ex omni parte, et æternæ vitæ meritorius. Quòd si post diligentem hanc investigationem, contingat opus, quod bonum putatur, esse nihilominùs æternæ legi difforme, malus quidem, peccatumque erit actus in se, at non imputabilis ad culpam.

Consectarium VI. — Ex hoc consequitur falsam et erroneam esse doctrinam et praxim sive Confessariorum, sive Christianorum, qui nunquàm peccare existimant eos qui dictamine suo opus aut actionem conformem esse divinæ legi judicant, hoc ipso, quòd non formident de errore, sibique persuadeant rectum esse quod operantur: cùm decipi facilè possint in judiciis suis, interdùm errore culpabili ob debitam diligentiam prætermissam in inquirendâ veritate, interdùm sine culpâ, si eam reipsà non prætermiserint. Neque enim sufficiunt dictamina quæcumque nostra ad eam conformitatem habendam in operibus nostris, si hæc æternæ legi conformia reverà non sint.

Consectarium VII. — Diligentia in inquirendis veritatibus moralibus non id tantùm complectitur, quod viribus facultatis naturalis præstare possumus, sed etiam quod viribus gratiæ divinæ. Ut enim concedamus rationem nostram sive intellectum sibi relictum opus aliquod morale ordinis naturalis posse cognoscere, eas tamen omnes veritates, quæ ad æternam salutem obtinendam necessariæ sunt, nonnisi adjutus gratiâ divinâ attingere valet, ut jam ex theologorum doctrinâ in tractatu de Necessit. gratiæ exploratum suppono. Si igitur gratiæ auxilium requiritur, ut veritates omnes agnoscamus quæ ad salutem necessariæ sunt, neque illas fas est agnoscere absque Dei adjutorio, hoc adjutorium quæramus et comparemus oportet, ut studium ac diligentia inveniendæ veritatis ea complectatur, quæ nedùm naturæ viribus, sed et quæ viribus gratiæ consequi possumus, quod et infra manifestius fiet. Hinc antiqui superbi philosophi, qui solis naturæ viribus confisi veritatem inquisiverunt, *evanuerunt*, ut inquit Apostolus, *in cogitationibus suis*, ac dicentes, *se esse sapientes*, qui nempe ex semetipsis omnia satis haberent quibus veritates agnoscerent, *stulti facti sunt*, sive in errores turpissimos corruerunt.

Consectarium VIII. — Tres hominum classes inter ipsos Christianos distinguendæ sunt cum S. Augustino, qui practicas veritates ad salutem necessarias non inveniunt ex propriâ ipsorum culpâ: unde propterea inexcusabiles sunt coràm Deo, dùm in errores ac deceptiones prolabuntur; eorum videlicet qui aut veritatem studio debito non investigant, aut illam se novisse nimiâ confidentiâ arbitrantur, aut nec se scire existimant, nec ullatenùs quærere curant. *Tria sunt*, inquit S. doctor lib. de Utilitate credendi c. 11, *hominum genera, improbanda profectò ac detestanda, id est, eorum qui se scire arbitrantur quod nesciunt. Alterum eorum qui sentiunt quidem se nescire, sea non ita quærunt ut invenire possint. Tertium eorum qui neque se scire existimant, nec quærere volunt.* Hi postremi eò gravioris culpæ rei sunt, quò à veritate noscendà sunt remotiores.

Consectarium IX.—Ne illusorias dicamus esse (quod planè asserere nefas promissiones divinas, quibus in sacris Scripturis passim Deus nobis promittit veram lucem, veram scientiam, verum intellectum, quo legem suam exactè adimplendam cognoscere possimus, si diligenter illam quæramus, si oremus, si pulsemus, si cætera, quæ à nobis requiruntur, fideliter exequâmur; pro certo tenere debemus Deum nobis minimè defuturum in iis quorum cognitio ad salutem necessaria est. Quid enim luculentius polliceri nobis poterat Deus, aut quibus clarioribus verbis fidem suam obstringere, quàm his quæ adducta jam sunt capite superiore, et quæ recolere sæpè debemus, ne inter um-

bras, tenebrasque hujus caliginosi seculi animo deficiamus? Cùm enim impossibile sit, ut fallat nos Deus verbis inanibus, firmiter credamus ac speremus necesse est, fieri nunquàm moraliter posse, ut legem Dei, seu veritatem nobis necessariam ad honestè prudenterque operandum, recto et sincero corde quæsitam non inveniamus. Hùc animum advertere deberent quidam ex Probabilistis, quibus familiare proloquium est, legem Dei, sive veritatem moralem, gravis etiam quandoque momenti, ut plurimùm inveniri non posse, quamvis diligenter quæsitam. Falsum omninò putandum est hoc proloquium. Etenim si verum illud esset, vel nihil penitùs significarent allata Scripturarum testimonia, vel Deus ipse, quod absit opinari, mentitus nobis esset; neque enim eorum verba aliter explicari valent.

Consectarium X. — Quùm et ipsi Probabilistæ sapientiores consentiant, nos sequi teneri veritatem, sive conformitatem cum lege Dei, dùm in aliquâ sententiâ morali eam clarè conspicimus, inferendum planè est, eam quoque ipsos sequi debere, dùm veritas haud clarè quidem nobis apparet, ac certè, sed tamen illam verisimiliùs cognoscimus. Nam si clara legis notitia, ipsis fatentibus, implendæ legis obligationem imponit, ergo pro gradu notitiæ gradus erit obligationis: ergo dùm probabiliùs apparet legem existere, quæ obligationem imponit, servandæ legis debitum necessariò consequetur. Hoc modo argumentum solum attigisse sufficiat, de illo uberiùs infra fortasse dicturi. Interim verò quid de illo scripserit celebris Probabilista P. Exparza ipsâ vi veritatis nimiùm apertæ coactus, audiamus. « Superest, inquit in Append. operis sui, « n. 42, ut omnes unanimi consensu enitamur, quan- « tùm possumus, ad veritatem, et ea circa rem quam- « libet teneatur sententia, quæ vera esse convincetur, « aut omnibus hinc inde consideratis *videbitur ad ve-* « *ritatem propiùs accedere*, ea verò *rejiciatur ac repro-* « *betur*, quæ falsa convincitur, *aut ad falsitatem potis-* « *simùm vergere videbitur;* ita enim fiet, ut veritatem « facientes in charitate crescamus. »

Consectarium XI. — A veritate longissimè recedunt, eamque se minimè curare convincuntur omnes ii theologi quorum seriem contexit, sequiturque sententiam P. Lacroixius lib. 1 de Consc., n. 375, ubi quærit: *An licitum sit operari secundùm opinionem aliorum, quam tamen operans judicat reipsà esse falsam;* et n. 377 ita respondet: « Si quis judicet opinionem aliquam « esse probabilem (ob auctoritatem scilicet theologo- « rum, qui eam docent), *quamvis videatur esse falsa,* « ideòque spectatis principiis directis usus illius videa- « tur esse illicitus, si tamen de hoc certus non sit; « valdè probabile est, quòd ex principiis reflexis pos- « sit sibi formare prudens dictamen, et secundùm eam « opinionem operari dicendo: *Judico quidem opinio-* « *nem illorum esse falsam; quia tamen hoc mihi incer-* « *tum est, et auctores me sapientiores, qui opinionem* « *possunt reddere certò probabilem, dicunt illam esse ve-* « *ram, ego quoad hanc opinionem me accommodabo* « *illis, et interea præscindam à directâ opinione.* Ita « tenent Azorius, Lessius, Vasquez, Valentia, Salas, « Bonacina, Sotus, Bannez, Serarius, Bardi, Tanne- « rus, Sanchez, n. 14, aliique plures et gravissimi « auctores, etc. » Quis, quæso, prudens et cordatus asseret unquàm ita se gerentem amare et quærere veritatem, dùm opinionem illi præfert, quam judicat esse falsam?

Consectarium XII. — Falsa et admodùm, ut mitiùs loquar, periculosa dicenda est regula quæ traditur à Probabilistis resolvendi casus, ac dirigendi actiones hominum per solam probabilitatem opinionum. Hos enim neutiquàm veritatem diligere apertissimè convincuntur, quidquid verbis aliter exprimant; eosque inter alios ita convincit Elias Dupinius de Verit. c. 6: « Ad penitùs evertendum Probabilistarum systema « satis est, quòd eos interrogem: *Veritatem num dili-* « *gitis, an odistis?* Respondebunt planè illam abs se « et quidem ex animo diligi; neque enim video quid « aliud respondere ipsi valeant. Quòd si ita respon- « deant, eos sic urgeo: *Quid est verisimilitudo?* Veri- « tatis species, profectò reponent; idque nobis est « verisimile, quod verum nobis videtur, etsi verum « esse, certò non constet. Insto: *Verane vobis opinio* « *esse potest*, dùm vobis constat majorem in eâ quæ « illi opponitur veri speciem inesse? Neutiquàm sanè; « una siquidem est veritas; multæ autem verisimilitu- « dines, sibique non rarò mutuò oppositæ. Tunc verò « sapiens et sincerus veritatis amator in eam solùm « declinabit partem, quæ majorem verisimilitudinem « præfert, aut quam prudenter credit ad eam, quam « exquirit optatque, veritatem propiùs accedere. Vos « igitur minùs verisimilem consectantes, à vobis ipsi « disceditis, palàmque proditis, verbis veritatem à « vobis diligi, non reipsà. » Hæc ille, qui dignitatis, cujus exitus incertus sit, appetentem in exemplum proponit, quam amicus monet, etsi probabiliter eam obtinere hoc medio aut ratione possit, probabiliùs tamen assecuturum, si aliam ineat viam quam ipse suggerit, quod et candidato ipsi persuasum est: Nonne hic aut excors esset, aut dignitatem nihil pendere censendus foret, si viam iniret quam ipse novit minùs ad eam obtinendam idoneam, imò quæ probabiliùs obesse potest, ne illam obtineat? Idem omninò de Probabilistâ dicendum, qui se veritatem diligere et exoptare gloriatur, et tamen, probabiliore opinione posthabitâ, minùs probabili se committit. Quod ex hâc P. Ghetii juxta Probabilistarum systema loquentis confessione adhuc evidentiùs patescit, dùm ait: *Ad Probabilistarum sententiam constabiliendam nihil refert, an affirmari directè possit minùs probabilem opinionem veram esse. Satis namque est affirmari posse esse illam verè probabilem.*

Consectarium XIII. — Nullum quoque inveniendi ac docendi veritatem studium se habere, manifestè produnt ii auctores qui licitum esse tradunt theologo in rebus ad conscientiam attinentibus interrogato, pro suo arbitratu responsum ad hanc vel ad oppositam opinionem attemperare si ambæ probabiles sint, aut credantur. Audiamus quid de re hâc doceant aliqui inter

Probabilistas celebriores; neque enim fieri potest ut sapiens ac pius lector modum hunc dirigendi conscientias hominum, statim ac audierit, non exhorrescat. P. Thomas Sanchez, qui princeps moralium theologorum habetur, *lib.* 1, *cap.* 9, *n.* 19, hoc infert ex systemate suo probabilistico : « Quartò deducitur, licitè « quoque viros doctos posse *contra propriam opinionem* « aliis consulere, sequendo alienam quam probabilem « esse putant. Sic Vasquez, Salas, Sayrus, etc. Imò et « ipsis confessariis hoc licet : quia si ipsismet licet hanc « opinionem sequi, cur non licebit eam aliis consu- « lere ?... *Imò prudenter facient quandoque minùs pro- « babilem opinionem consulendo*, quando probabiliorem « difficilem fore pœnitenti, vel consilium petenti pru- « denter judicaverint, quia sic infirmitati eorum pro- « spiciunt, et peccandi periculum in eis cavent. Quare « poterunt hi, *modò juxta unam, modò juxta contra- « riam opinionem consulere :* quamvis melius sit semper « juxta eamdem, et maximè in scriptis, *ne varii de- « prehendantur...* » Ita Vasquez, etc. Laymanus eamdem doctrinam ita proponit, *lib.* 1, *tract.* 1, *c.* 5 : « Arbi- « tror nihil à ratione alienum fore, si doctor consultus « significet consulenti opinionem à quibusdam viris « doctis tanquàm probabilem defendi, quam proinde « sequi ipsi liceat, quamvis idem doctor hanc senten- « tiam *speculativè falsam esse sibi certò persuadeat*, ut « proinde ipsemet in praxi eam sequi non possit : « quùm enim consulens in re dubiâ jus habeat se con- « formandi opinioni quæ à quibusdam viris doctis de- « fenditur, nihil obstante, quòd aliqui contradicant et « *speculativè sententiam judicent improbabilem*, hoc ipsum « jus consulenti doctor indicare non prohibetur. Atque « hinc existit quòd vir doctus secundùm *oppositas* pro- « babiles sententias diversis opposita consilia dare pos- « sit, servatâ tamen discretione et prudentiâ. » Omitto P. de Rhodes, Cardenam, Tamburinum, aliosque plures ab iis laudatos, qui idem sentiunt eodemque modo loquuntur. Hæccine praxis consulendi oppositas opiniones, ex amore docendi veritatem proficisci unquàm potest? Quis vel indoctus id sibi suadeat?

Consectarium XIV. — Non minùs absurda est, et cum veritatis studio pugnat alia P. Vivæ aliorumque sententia, quam ille *in prop.* 27 ab Alex. VII damnatam sic exponit : « Hinc fit posse aliquem consulere « plures doctores, donec inveniat aliquem qui ab obli- « gatione, verbi gratiâ, restituendi vel jejunandi illum « excuset, ut docent Sanchez, *lib.* 1, *cap.* 9, Palaus, « Zumel, et alii non pauci apud Machado, etc. Ratio est « quia unicuique licitum est suo jure uti, et per licitum « et honestum medium, quale est auctores consu- « lere ad favorabilem opinionem inveniendam. » Animadvertendum unicè jubet, *id ita præstandum esse, ut auctoritas doctoris faventis libertati tanti sit ponderis, quanti debet esse auctoritas unius auctoris, ut possit reddere opinionem probabilem adversùs communem aliorum opinionem;* nimirùm si doctor interrogatus pro opinione favente libertati aut cupiditati consulentis, afferat vel Sanchesium, vel Vasquesium, vel Azorium, vel alium ex his doctoribus qui apud Probabilistas tanquàm *classici* reputantur, tunc opinio consulenti favorabilis reddetur *probabilis adversùs* etiam *communem aliorum opinionem.* At quis ita se gerens in inquisitione doctorum sibi veritatem, et non potiùs expletionem suæ cupiditatis investigat?

Consectarium XV. — Nedùm veritati apertè repugnans, sed etiam admodùm monstrosa censenda est doctrina Tamburini, Lacroixii, aliorumque, qui sentiunt integrum esse unicuique in opinionum delectu judicium pro suo solo arbitratu et commodo mutare ac sequi modò unam, modò alteram, prout sibi placuerit. Hanc doctrinam ita proponit Tamburinus, *lib.* 1 *in Decal. c.* 3, § 3, ubi quærit *an liceat modò unam, modò alteram sententiam in eâdem materiâ sequi.* Quam quæstionem, priusquàm solvat, tribus exemplis declarat, inquiens : « Probabile est hoc vectigal *injustè* esse im- « positum ; probabile item est impositum *justè*. Possum- « ne ego hodiè, qui sum exactor regius vectigalium, « exigere hujusmodi vectigal, sequendo opinionem « asserentem *illud esse impositum justè*, atque adeò li- « cere mihi sine injustitiâ illud exigere ; et cras, imò « etiam *hodiè*, quia sum mercator, illud occultè de- « fraudare, sequendo opinionem asserentem *illud à « justitiâ deficere?...* Probabile rursùs est ablationem « famæ pecuniâ compensari. Possumne ego hodiè in- « famatus velle ab infamante compensationem in pe- « cuniâ ; et cras, imò hodiè, ego infamans alium, nolle « famam proximi à me ablatam compensare pecuniâ? « Probabile item est reo licere æquivocare in judicio, « causâ semiplenâ ; probabile non licere. Possumne « ego reus æquivocare ; cras verò creatus judex cogere « reum ut non æquivocet? Hæc et innumerabilia ejus- « dem generis hìc in controversiam vocantur. » Porrò quæstionem sic expositam dirimit, n. 5, subdens : « As- « sero posse fieri ejusmodi *variationem, prout libet*, in « casibus relatis, etc., tum in similibus, modò unam « aut alteram limitationem præ oculis habeas. Ita De « Lugo, aliique. Ratio efficax (eam sanè *efficacem* « Probabilistarum principia constituunt) hujus asser- « tionis est quia in nostrâ libertate est sequi quam- « cumque opinionem *practicè probabilem*, siquidem eam « sequendo, semper prudenter humano more, ut supra « sæpè dictum est, operabitur. » Bone Deus? qui fieri potest ut *prudenter* operatur, qui ita se gerendo veritatem certò non curat, quam unicè spectat et quærit vera prudentia?

Consectarium XVI. — Quæcumque sit actionis, circa quam versamur, materia, sive magni scilicet, sive exigui momenti, sive Deum immediatè, sive mediatè tantùm respiciat, sive immineat, sive non immineat ex nostrâ actione proximo malum spirituale vel temporale, divinam semper veritatem inquirere oportet, ut actio eidem conformis sit ; alioquin non honestè, sed turpiter et inhonestè operamur. Unde regula proxima et immediata, seu rationis nostræ judicium quo proximè ad agendum dirigimur, eadem formaliter est, et quoad substantiam in omni materiâ.

Consectarium XVII. — Quoniam verò ipse rerum ordo et natura postulat, ut ea quæ graviora sunt magis etiam æstimemus, idcircò juxta ipsorum majorem minoremve gravitatem, major minorve cura ad veritatem inveniendam à divinâ ipsâ voluntate à nobis exigitur. Sic, e. g., cùm ex irritâ sacramentorum administratione plura et illa quidem gravissima mala contingere soleant, ideò studium diligentius est adhibendum, ut ea validè conferantur aut administrentur. Sic cùm ex bello illato gravissima oriantur incommoda et damna innumera populorum, maximo studio curare principes debent, ne illud inferant absque sufficienti certitudine justitiæ ipsius, gravibusque rationibus ad illud permoventibus. Atque ita de aliis similibus.

Consectarium XVIII. — Hæc tamen diligentia etiam in rebus gravioris momenti, necesse non est ut extraordinaria sit, et præter usitatum à viris prudentibus agendi modum. Quod ut clarius fiat, illud est observandum, obligationem vitandi aliquod periculum supponere potestatem in homine ad hoc præstandum, ut omnibus perspectum est. Ut autem aliquis præcavere minimè teneatur periculum quantumvis magnum, et absolutè quidem possibile, sed rarò admodùm occurrens, non est necessaria *impotentia physica*, sed sufficit *impotentia moralis*, quæ tunc exstare censetur quoties ad rarum hoc periculum evitandum necessaria forent media difficillima, asperrima, extraordinaria, atque adeò in hisce mediis exequendis vita nostra anxia continenter evaderet, perplexâ nimiâque sollicitudine premeretur. Porro *moralis hæc impotentia* non consistit in aliquo indivisibili, sed latitudinem admittit juxta rerum diversitatem et circumstantias. Ut id aliquo exemplo declaremus, nemo nescit deceptionem contingere posse, et aliquando, licet rarò admodum, contigisse in materiâ, in quâ Eucharistiæ sacramentum conficiendum est; et tamen ad hoc periculum prudentùm judicio nonnisi communis et ordinaria diligentia adhibetur, nec extraordinaria requiritur. Posset quidem sacerdos uti studio extraordinario, seipso nempe hostias conficere, vinum ex uvis ipse exprimere, ampullas propriis manibus præparare, etc., ut omne vitaret leceptionis periculum. Verùm quia extraordinaria hæc diligentia nimiam ingereret sollicitudinem et animi anxietatem, ac perpetua molestia vitam prægravaret, ideò juxta prudentùm piorumque existimationem hoc inducit *moralem impotentiam* ad præcavendum hujusmodi periculum, quanquàm gravissimum, frustrationis sacramenti, sacrificii et idololatriæ; adeòque non est necesse talem extraordinariam diligentiam adhibere, nisi fortè de ipsâ qualitate materiæ prudens aliquod dubium occurreret. Quod de hoc, idem dicas de aliis exemplis quæ possent afferri.

Consectarium XIX. — Ut igitur quæ de obligatione inquirendæ veritatis in actibus nostris dicta sunt, paucis colligamus, illud præ oculis habendum est, veræ prudentiæ munus esse, ut veritatem inveniat, circumspicere undique, et maturè considerare omnes et singulas objecti circumstantias, ut actioni eliciendæ juxta illas omnes debitum modum mensuramque præscribat; ut si actionis objectum, sive materia majoris ponderis ac momenti sit, vel quia malum imminens ex opposito errore gravius absolutè est, vel quia majus affert operanti damnum, vel quia universalius est, et ad plures se extendit, vel ex alio quocumque capite, tunc diligentia quærenda veritatis, necessariò adhibenda ex ipsius prudentiæ directione ad errorem imminentem præcavendum, major esse oportebit et exactior cum debitâ ad ipsum rei momentum proportione: unde etiam necessum erit, ut dictamen proximè directivum actionis firmius certiusque sit, minorique periculo deceptionis obnoxium.

Consectarium XX. — Tanquàm vana et fallacissima habenda est certitudo, ac securitas in agendo, quam pollicentur nuperi Probabilistæ (quos *Reflexistas* vocant), non quidem ex inventâ veritate, sed ex principiis ab ipsis excogitatis. Docent ipsi nimirùm certum omninò unumquemque esse debere, se non delinquere, et ita certum, ut si grave peccatum, dùm quidpiam agit, vel leviter timuerit, graviter eo ipso delinquat. Sed unde, quæso, certitudo tanta in tot tantisque errorum periculis, ac ignorantiæ tenebris? Non aliunde profectò, si ipsos audimus, quàm à sententiâ conscientiæ tuæ ipsius, ac proprii tui judicii dictamine, quo scilicet apud te judicas judicio certo ac determinate honestè agere, quidquid sit de veritate aut conformitate opinionis tuæ cum æternâ Dei lege. Nam tametsi contingat, hanc opinionem vel minùs, vel æquè, ac aliam probabilem, esse reipsâ falsam, et contra legem, seu voluntatem Dei; ignorantia tamen, inquiunt, veritatis invincibilis est, teque eximit ab omni timore haud rectè agendi: quidquid enim sit de violatione legis, quæ verisimilius ex tuâ actione consequitur, actio, subdunt, non potest non esse honesta, adeòque nihil de illâ penitùs formidandum, imò nec formidare licitè vales, si operari de facto velis. Vide, quæso te, quò processerit recentiorum benignitas, et planè incredibilis confidentia, dùm spondent securitatem conscientiæ iismet ipsis qui sequentes opiniones minùs tutas, minùsque probabiles, reipsà agunt contra conscientiam.

REFLEXIO.

*Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitias quasi lumen accendent*, verba sunt Ecclesiastici cap. 32; invenient scilicet lucem illam veritatis atque justitiæ, quâ de moralibus rebus et actionibus justè et rectè judicamus, et sine quâ *ambulamus in tenebris et umbrâ mortis*. Utique benignissimus Deus sapientiæ lumen nobis promittit, ut discernere possimus quæ recta sunt suæque voluntati conformia; sed si pavidi et humiles corde semper fuerimus, si spem quidem et omnem fiduciam nostram in ipso collocemus, sed conjunctam cum verâ miseriæ nostræ atque ignorantiæ cognitione, adeòque cum sancto pavore et humili timore, cum quo salutem nostram nos operari debere monet Apostolus Petrus. Si enim hic absit, jam spes et fiducia vera non est, sed vana præsumptio, et per-

versa superbia temeritate ac stultitiâ plena, quæ non lumen et auxilium Dei, sed terribilem potiùs indignationem et maledictionem promeretur. Promissiones quippe Dei, quibus tota spes nostra innititur, factæ sunt ab ipso ad humiles duntaxat, et parvulos, ac trementes sermones suos, ut sacræ litteræ innumeris in locis attestantur. Hinc inter alia Jeremiæ cap. 17, dicitur : *Benedictus vir, qui confidit in Domino*, et non in seipso, aut viribus suis, *et erit Dominus fiducia ejus.* Quam verò putas esse benedictionem, quâ Deus pavidos et humiles benedicit? Illam profectò de quâ Psalmista ait : *Benedictionem dabit Legislator.* Hæc autem benedictio quid boni conferat, egregiè exponit S. Bernardus, tract. de Grad. Humil. cap. 1, inquiens : « Benedictionem dabit Legislator, quia, qui legem dedit, « dabit et benedictionem : hoc est, qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis verò est hic legislator, nisi dulcis et rectus Dominus, qui legem dedit « delinquentibus in viâ? In viâ quippe delinquunt, qui « veritatem derelinquunt. Sed numquid vel sic à dulci « Domino derelinquuntur? » Minimè. « Ipsis ergo dulcis et rectus Dominus legem dat viam humilitatis, « per quam redeant ad agnitionem veritatis. Dat occasionem recuperandæ salutis, quia dulcis : non tamen absque disciplinâ legis, quia rectus est. »

Hoc timore et salutari humilitate moralem veritatem inveniemus, ea præsertim media adhibendo, de quibus statim dicturi sumus. Procul igitur abeant ii qui passim repetunt ipsam veritatem per se non esse inventu possibilem ; et ideò probabilitatem regulam honestatis præfigunt, ex æquo, aut potiùs complectentem errores, dummodò probabiles sint : cum quo tamen conciliant imperterritam, et omni prorsùs timore vacuam conscientiæ nostræ securitatem et pacem. Nos autem potiùs optemus et amplectamur pacem Domini aientis : *Veritatem tantùm et pacem diligite : pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Eis verò, qui viam adeò dissimilem et contrariam docere nos volunt, reponamus cum eodem Bernardo in Declam. circa finem : « Sine causâ contendunt : non eis magis « quàm Christo credimus, nec omninò acquiescimus « mendacem eum facere qui promisit : *tantùm humilis « esto, et procul dubio veritatem invenies.* Nam procul « dubio, qui dedit legem, dabit et benedictionem, hoc « est, qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. »

## CAPUT V.

*De viâ ac mediis inveniendi morales veritates, quibus dirigendæ sunt humanæ actiones.*

DOCTRINA.

I. *Pulchra S. Augustini sententia quoad inventionem veritatis.* — II. *Primum medium pro inveniendâ practicâ veritate, sedula consideratio et inquisitio divinæ legis.* — III. *Non pertinet ad solos viros religiosos, sed etiam ad secularem vitam agentes.* — IV. *Medium alterum inveniendæ veritatis, passionum et affectuum dominantium compressio.* — V. *Voluptas carnalis maximè perturbat judicium de veritate.* — VI. *Tertium inveniendæ veritatis medium est cultus virtutum moralium. Elegans de hâc re S. Thomæ doctrina.* — VII. *Studium orationis medium apprimè necessarium ad veritatem inveniendam.* — VIII. *Hoc medium non est solius consilii aut convenientiæ, sed necessitatis et obligationis.* — IX. *Postremum medium pro veritate cognoscendâ, recursus ad sapientes et peritos legum.* — X. *Quinam tanquàm veri sapientes dicendi sint, à quibus tutò consilium petere valeamus.*

I. Magnus Ecclesiæ doctor S. Augustinus, lib. de quantit. animæ, cap. 14, hæc habet præstantissima verba de veritate quam debemus inquirere, ut legi divinæ divinæque voluntati conformentur actiones nostræ, ac noxios æternæ saluti errores præcaveamus : *Fieri non potest*, inquit, *quâdam providentiâ divinâ, ut religiosis animis seipsos, et Deum suum, id est,* VERITATEM, *piè, castè ac diligenter quærentibus, inveniendi facultas desit.* Hæc sententia nititur promissioni à Deo factæ in locis pluribus divinæ Scripturæ, quæ jam supra descripsimus, ac in postremis verbis digito veluti ostendit sanctus doctor vias omnes ac media quæ necessaria sunt ad veritatem *piè, castè ac diligenter* inquirendam et inveniendam, ne ad culpam nobis imputentur errores ac deceptiones in quas sæpè in agendo prolabimur. Hæc autem media ad quinque præcipua capita revocari facilè possunt, quæ hìc paulò fusiùs exponemus.

### §. 1. *Primum medium detegendæ veritatis moralis, sedula consideratio divinæ legis.*

II. Primum medium à nobis omninò adhibendum, ut actiones nostras ad veritatis amussim dirigamus, est distincta, quam studio ac diligentiâ comparare fas est, notitia legis æternæ, à quâ omnis in actus nostros bonitas profluit, tanquàm à supremâ regulâ cujuscumque bonitatis. Hanc legem æternam, tametsi in hâc vitâ mortali cognoscere minimè possimus, prout in seipsâ est, *omnis tamen creatura rationalis*, inquit S. Thomas, 1-2, q. 93, art. 2, *ipsam cognoscit, secundùm aliquam ejus irradiationem vel majorem vel minorem. Omnis enim cognitio veritatis est quædam irradiatio et participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis, ut Augustinus dicit in lib. de verâ Relig. Veritatem autem omnes cognoscunt, ad minùs quantùm ad principia communia legis naturalis.* Hoc itaque pacto innotescit nobis lex æterna, quod ea quidem quæ juris naturæ sunt, per dictamina practica rectæ rationis cordibus nostris digito Dei impressa; quoad ea verò quæ ad divinum jus positivum attinent, per utriusque Testamenti veteris ac novi documenta litteris consignata. Hanc itaque legem seriò perpendere et continenter meditari opus est, ut juxta illam dirigamus opera nostra, et ab erroribus morum caveamus; neque enim satis est cognoscere principia practica, nisi ea rectè applicemus ad singulares actus; neque ea rectè applicare possumus, nisi eadem oculis nostris continuò obversentur. Atque hoc est, quod præstiterunt ac præstant sancti quique homines qui divinæ voluntati obsequi ac sempiternam salutem adipisci sincero animo satagunt. Horum omnium ore loquitur, et omnium ignita vox

exprimit S. Propheta David, dùm in Psalmo 118 ait : *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. — In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. — Testimonia tua meditatio mea, et consilium meum justificationes tuæ. — Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. — Quomodò dilexi legem tuam, Domine? totâ die meditatio mea est :* et alia id genus plura.

III. Sunt quidem non pauci ex iis potissimùm qui secularem vitam agunt, qui ab hoc onere, quod cæteroquin diligentibus Deum leve est, meditandi atque scrutandi divinam legem solutos se putant ob negotia curasque hujus mundi quibus implicantur, adeòque meditationem hujusmodi ablegant ad religiosorum claustra, ad eosque qui rebus temporalibus expediti solitariam vitam traducunt. Sed numquid excusatio hæc, quam prætexere sæpè solent, illos à culpâ coram majestate divinâ liberabit? Si David, tot curis ac negotiis florentissimi regni distentus totâ die nihilominus legem Dei meditabatur, ac ne à viis ejus atque voluntate deflecteret, tanto studio undique circumspiciebat, quis ab eâdem lege sedulò considerandâ jure ac merito se poterit excusare? Hoc effugium, quò se plurimi recipiunt, jam præcluserunt Ecclesiæ Patres, maximèque Joannes Chrysostomus et Basilius, quorum alibi testimonia attigimus. Satis modò sit judicium afferre gravissimum Patrum concilii Aquisgranensis, anno 816, sub Ludovico Pio Galliarum rege et imperatore celebrati, qui primùm sub oculos ponunt præcepta Dei in sacris Evangeliis et Epistolis D. Pauli declarata et confirmata, eorumque deinde accuratam considerationem communem faciunt, ac necessariam nedùm Religiosis ac solitariam vitam agentibus, sed etiam cæteris omnibus qui christianam legem amplexi sunt, et Christianorum nomine gloriantur; ac tandem concludunt: « Hæc sunt « in sacris litteris prophetica, evangelica et apostolica « documenta, quibus *infatigabiliter atque inexcusabiliter* « *devotio famulari debet Christiana.* » Hæc sunt per quæ, si seriò ac attentè ea scrutabimur, practicas veritates in iis quæ agenda sunt perspectas habebimus, et errores saluti admodùm perniciosos vitabimus.

Hinc sapienter observat S. Thomas, 2-2, q. 18, art. 2, in ipsâmet lege veteri tradita à Deo fuisse præcepta quæ pertinent ad scientiam et intellectum, sive cognitionem moralium veritatum, verbis illius quæ leguntur Deuteronomii, c. 6 : « Ibi enim, inquit, tria « posita sunt : Primò quidem acceptio scientiæ vel « intellectûs per doctrinam et disciplinam, cùm dici- « tur : *Erunt verba mea, quæ ego præcipio tibi, in corde* « *tuo;* deinde usus scientiæ vel intellectûs est meditatio « eorum quæ quis scit, vel intelligit; et quantùm ad « hoc subditur : *Et meditaberis sedens in domo tuâ,* etc. « Tertiò, conservatio autem fit per memoriam; et « quantùm ad hoc subditur : *Et ligabis ea quasi signum* « *in manu tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos tuos,* « etc. Per quæ omnia jugem memoriam mandatorum « Dei significat : ea enim quæ continuò sensibus no- « stris occurrunt, etc., è memoriâ nostrâ excidere « non possunt. Unde et Deuteronomii cap. 4 manifestiùs dicitur : *Ne obliviscaris verborum quæ viderunt* « *oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus* « *vitæ tuæ.* Et hæc, subdit S. præceptor, abundantiùs « in novo Testamento tam in doctrinâ evangelicâ, « quàm apostolicâ, mandata leguntur; mandata, in- « quam, non mera consilia à solis monachis obser- « vanda. »

§ 2. *Medium alterum inveniendæ veritatis practicæ, compressio passionum aliorumque prædominantium affectuum.*

IV. Medium hocce necessarium valdè est, ne judicia nostra facilè corrumpantur ac pervertantur in singularibus agibilibus, quorum directio in finem humanæ rationi convenientem maximè ad prudentiam pertinet, cujus proprium officium est prima et universalia legis dictata rectè applicare ad particulares actiones, ut jam dictum est. Amores namque, qui versari possunt ac solent in corde hominum, bonorum delectabilium, propriæ utilitatis ac æstimationis, vel suî ipsius, vel suæ familiæ, aliæque occultæ affectiones, sæpè sine strepitu in animo vigentes, id efficiunt frequentiùs, ut tenebras mentibus nostris offundant, à veritate judicium abducant, nobisque tanquàm bona et convenientia proponant, quæ verò prava sunt et æternæ legi Dei dissentanea. Vulgata est, jamque in axioma abiit ea philosophi sententia: *Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei;* cui consonat altera : *Unusquisque judicat, prout animo affectus est.* Hujusce veritatis nobilis et præclara inprimis expositio est, quam habet S. Thomas 1-2, q. 9, art. 2, ubi ait : « Id quod apprehen- « ditur sub ratione boni et convenientis, movet vo- « luntatem per modum objecti. Quod autem aliquid « videatur bonum et conveniens, ex duobus contingit: « scilicet ex conditione ejus quod proponitur, et ejus « cui proponitur. Conveniens enim secundùm relatio « nem dicitur; unde ex utroque extremorum depen « det; et inde est quod gustus diversimodè dispositus « non eodem modo accipit aliquid ut conveniens. Unde « philosophus dicit, in 3 Ethicor. : *Qualis unusquisque* « *est, talis finis videtur ei.* Manifestum est autem quòd « secundùm passionem appetitûs sensitivi mutatur « homo ad aliquam dispositionem. Unde secundùm « quòd homo est in passione aliquâ, videtur sibi ali- « quid conveniens quod non videtur ei extra passio- « nem existenti : sicut irato videtur bonum, quod non « videtur quieto. » Atque hinc evidens fit necessitas comprimendi affectiones nostras inordinatas, ut veritatem et conformitatem cum lege Dei in actionibus nostris inveniamus, et culpabiles errores devitemus. Quî enim fieri potest, ut practicas veritates deprehendant ii qui cor gestant cupiditatibus plenum, turbidisque aguntur passionum motibus? Num vias præceptorùm Evangelii rectè intelligent ac sequentur, qui seipsos impotenter amant, qui naturæ imbecilli atque corruptæ plus nimiò indulgere satagunt, qui propr ias commoditates unicè quærunt, qui carnem et sanguinem tantummodò sapiunt, qui popularem famam pro se suîsque aucupari impensè student, qui pecunias

depereunt et avaritiæ serviunt? Nonne oportet ut omnes ii atque alii cæteri qui pravis affectibus etiam occultioribus se illudi sinunt, à veritatis legisque divinæ semitis longè recedant, et in frequentes deceptiones præcipites ruant?

V. At quanquàm nulla sit inordinata affectio animi quæ judicia nostra non perturbet, et veritatis, quam sequi tenemur, assecutionem non impediat, nulla tamen est quæ ab eâ inquirendâ et inveniendâ mentem potentiùs avocet, quàm voluptas carnalis. Hoc declarat probatque doctor Angelicus, 2-2, tum q. 15, art. 3, tum q. 53, art. 6 : « Primo loco hæc habet : Vitia « carnalia, scilicet gulæ et luxuriæ, consistunt circa « delectationes tactûs, ciborum scilicet et venereorum, « quæ sunt vehementissimæ inter omnes corporales « delectationes. Et ideò per hæc vitia intentio hominis « maximè applicatur ad corporalia, et per consequens « debilitatur operatio hominis circa intelligibilia, ma- « gis autem per luxuriam quàm per gulam, quantò « delectationes venereorum sunt vehementiores quàm « ciborum. Et ideò ex luxuriâ oritur cæcitas mentis, « quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitio- « nem excludit; ex gulâ autem hebetudo sensûs, quæ « reddit hominem debilem circa hujusmodi intelligi- « bilia. »

Luculentiùs loco altero de eodem argumento disserit. Nam priùs quinque articulis ostendit quænam sint vitia quæ opponuntur prudentiæ, quam sæpè diximus veritatem practicam quærere atque eligere in humanis actionibus; eaque vitia recensens, docet primum esse imprudentiam, quam speciale peccatum esse definit; deindè præcipitationem in consiliis et judiciis nostris, quam esse peccatum statuit sub imprudentiâ contentum; tertio loco inconsiderationem enumerat, et quarto inconstantiam, quæ itidem vitia esse sub eâdem imprudentiâ comprehensa decernit. Quibus constitutis, art. 6, demùm inquirit : Utrùm prædicta vitia oriantur ex luxuriâ? Cui quæstioni affirmativè respondet, non quòd censeat ipse non oriri etiam ex pravis aliis animi affectionibus, sed quòd ex luxuriæ vitio præ cæteris maximè oriantur. Quod probat tum auctoritate S. Gregorii Magni id, lib. 31 Moral., disertè asserentis, tum hâc ratione ex morali philosophiâ depromptâ : « Sicut, inquit, philosophus dicit, in lib. 6 Ethic : « *Delectatio maximè corrumpit æstimationem prudentiæ*, « et præcipuè delectatio quæ est in venereis, quæ « totam animam absorbet, et trahit ad sensibilem de- « lectationem. Perfectio autem prudentiæ, et cujus- « libet intellectualis virtutis consistit in abstractione à « sensibilibus. Unde cùm prædicta vitia pertineant ad « defectum prudentiæ et rationis practicæ, sicut habi- « tum est, sequitur quòd ex luxuriâ maximè oriantur. » Hinc, in Resp. ad 1, quanquàm lubens concedat invidiam et iram, et similiter turbidas alias perturbationes animi, *causare inconstantiam, pertrahendo rationem ad aliud*, subdit tamen : *Sed luxuria causat inconstantiam totaliter exstinguendo judicium rationis. Unde Philosophus dicit, in 7 Ethic., quòd incontinens ira audit quidem rationem, sed non perfectè; incontinens autem concupiscentia totaliter eam non audit.*

### § 3. *Tertium inveniendæ practicæ veritatis medium, cultus virtutum moralium.*

VI. Affine prorsùs præcedenti est tertium hoc, quod proponimus, medium, pro inveniendâ in nostris actibus practicâ veritate, sive conformitate cum lege divinâ. Virtutes quippe morales cor nostrum ad bonum ordinant, motus effrenis concupiscentiæ comprimunt, cæterasque cupiditates in officio continent, ne in noxios errores nos pertrahant. Hinc D. Thomas 1-2, q. 65. art. 1, ait : « Cùm prudentia sit recta ratio « agibilium, procedit ipsa, sicut ex principiis, ex fini- « bus agibilium, ad quos aliquis rectè se habet per « virtutes morales. Unde sicut scientia speculativa « non potest haberi sine intellectu principiorum, ita « nec prudentia sine virtutibus moralibus. »

Sed nihil disertius in hanc rem proferri valet, quàm quæ docet idem S. doctor ead. part. q. 58, art. 5, ubi tradit virtutes quidem intellectuales, veluti fidem, esse posse sine morali virtute; sed prudentiam, quæ practicas virtutes spectat actionum nostrarum, absque virtute morali nullatenùs posse consistere; idque hâc eleganti non minùs, quam solidâ ratione confirmat, inquiens : « Prudentia est *recta ratio agibilium*, non « autem solùm *in universali*, sed etiam *in particulari*. « Recta autem ratio præexigit principia, ex quibus « ratio procedit. Oportet autem, rationem circa parti- « cularia procedere non solùm ex principiis universa- « libus, sed etiam ex principiis particularibus. Circa « principia quidem universalia agibilium homo rectè « se habet per naturalem intellectum principiorum, « per quem homo cognoscit, quòd nullum malum est « agendum, vel etiam per aliquam scientiam practi « cam. Sed hoc non sufficit ad ratiocinandum circa particularia..... Et ideò sicut homo disponitur ad benè se habendum circa universalia principia per « intellectum naturalem, vel per habitum scientiæ, ita « ad hoc, quòd rectè se habeat circa principia particu- « laria agibilium, quæ sunt fines, oportet quòd per- « ficiatur per aliquos habitus, secundùm quos fiat « quodammodo homini connaturale rectè judicare de fine. Et hoc fit per virtutem moralem : virtuosus enim rectè judicat de fine virtutis..... Et ideò ad « rectam rationem agibilium, quæ est prudentia, re- « quiritur quòd homo habeat virtutem moralem. » Hæc ille luculentissimè. Hinc experientiâ compertum est, eos qui per virtutes benè animo comparati sunt, rarissimè falli in judicio de rectitudine suorum actuum, quinimò regulis præditos esse certissimis, quibus bonum à malo discernant, caveantque, « ne opinio veri- « similis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se te- « nebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum « est, malum, aut quod malum est, bonum esse cre- « datur, » ut inquit S. Augustinus : Contra verò, qui virtutibus destituti sunt, in errores etiam turpissimos frequenter præcipites agi, quin lumen veritatis vel ante oculos suos effulgentis aspiciant.

§ 4. *Quartum medium inveniendæ veritatis, orationis studium.*

VII. Sunt nonnulli, qui theologos christianæ Moralis studiosos, verèque sapientes, pene dixerim, irrident, aut saltem veluti pro Rigoristis habent, atque contemnunt, dùm ab ipsis audiunt necessarium esse studium orationis ad inveniendam veritatem, ne in errores cum salutis nostræ discrimine incidamus, sanam humanam industriam, ac diligentiam ad eos præcavendos satis esse putantes : atque medium hoc, quod illi proponunt ut necessarium veritati, ac saluti consequendæ, vel supererogationis ipsi arbitrantur, vel ad extraordinaria amandant, cujus adeò adhibendi nulla sit obligatio. Hi planè, meo quidem judicio, non confutatione, sed commiseratione digni sunt, quos in tantâ ignoratione versari cernimus, ut ne quidem noverint quid ipsis necesse sit ad salutem, in hoc præsertim statu naturæ lapsæ, spissisque errorum tenebris circumseptæ. Profectò quis non videt orationis studium non consilii, non supererogationis opus esse, non extraordinarium medium, et humanum agendi modum excedens, sed planè ordinarium, et à Providentiâ divinâ constitutum hominibus pro cavendis periculis, et erroribus in rebus moralibus ( quod proinde tenemur exequi ), dùm Scripturas et Patres legit, dùm propriam imbecillitatem attentè considerat, quæ *sine Dei lumine*, ut piè ait S. Thomas, ad lumen veritatis pertingere nequit? Atque equidem clementissimus Deus in Scripturis suis, ut jam diximus, promittit nobis veram sapientiam, verum intellectum, veram lucem, quâ voluntatem suam, et legem accuratè implendam cognoscere possimus, sed si diligenter illam quæramus, si oremus, si pulsemus, si humiles simus, si recto corde ad ipsum accedamus ; hanc enim promissioni suæ conditionem apposuit, ut liquet in sancto Evangelio, et confirmat Jacobus Apostolus in suâ Epist. c. 1, dicens : *Si quis vestrùm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.* Hinc illa continua suspiria, precesque sanctissimi regis David : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam..... Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me..... Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua..... Viam justificationum tuarum instrue me..... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, et alia sexcenta. Hinc illa Salomonis ad Deum obsecratio : *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam : quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii, et legum.* Hinc etiam piissimi Josaphat regis Juda populum alloquentis lib. 2 Paralip. c. 20, humilis protestatio : *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Hæc sanè non medium quoddam extraordinarium *orationem* denotant, aut ex mero consilio duntaxat adhibendum pro assequendâ in nostris actibus veritate.

VIII. At ne quis adhuc pertendere pergat, hæc aliaque virorum sanctorum exempla imitari quidem congruum esse, non autem necessarium ad salutem, audiat, quæso, quid in duobus conciliis ab universâ jam Ecclesiâ approbatis definitum fuerit adversùm Pelagianos. Concilium Milevitanum c. 4, hæc inter alia statuit : *Utrumque donum Dei est et scire quid facere debeamus, et deligere ut faciamus : ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est : Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est : Charitas ex Deo est.* Et totum hoc dogma negantes anathemate percellit. Paria habet concilium Arausicanum II, can. 22, his verbis : *De his quæ hominum propria sunt, nemo habet de suo nisi mendacium. Si quis autem habet homo veritatem, atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire.* Ex quibus colligere pronum est, utrumque donum Dei esse *et cognoscere veritatem*, sive conformitatem actuum nostrorum cum lege Dei, et *diligere*, atque *perficere* id quod cognoscimus, ut ad æternam salutem perveniamus. Quod si utrumque Dei donum est, illud certè, ex ordine præstituto à divinâ providentiâ, non obtinebimus, nisi mediante oratione juxta illud : *Quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Atque hæc est theologia quam Deus ipse nos docuit tum laudatis modò verbis, tum aliis plurimis, pro erroribus practicis in nostris actionibus evitandis ; theologia, inquam, licet admodùm cognitu necessaria sit, vix ac ne vix quidem advertunt ac tradunt vulgares Casuistæ ; neque enim de hoc saluberrimo orationis medio ad hunc finem moralis veritatis inveniendæ mentionem reperire est in eorum libris ; satis quippe habent, ad culpam omnem ignorantiæ ac deceptionis declinandam, diligentiam solis viribus nostris adhibitam, quam etiam multùm extenuant. Hic est spiritus catholicæ Ecclesiæ, qui evidentem se prodit in precibus continuis, atque ferventibus, quibus in sacrâ liturgiâ divinum implorat lumen et auxilium, nosque omnes implorare docet pro dirigendis actionibus nostris in viam justitiæ ac veritatis, quarum specimen aliquod exhibere non abre futurum arbitror. En quædam inter alias : « *Vota*, « quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pie- « tate prosequere, ut *quæ agenda sunt, videant*, et ad « implenda, quæ viderint, convalescant..... Mentes « nostras *lumine tuæ claritatis* illustra, ut *videre pos-* « *simus quæ agenda sunt*, et quæ recta sunt, agere va- « leamus..... Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, *ut cogitemus, te inspirante, quæ* « *recta sunt*, te gubernante, eadem faciamus..... Deus, « à quo sancta desideria, *et recta consilia, et justa sunt* « *opera*, da servis tuis, etc..... *Largire nobis, quæsu-* « *mus, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta* « *sunt*, propitius et agendi, ut qui sine te esse non pos- « sumus, secundùm te vivere valeamus ; » aliæque id genus plurimæ, quæ passim occurrunt. Ex quibus, et ex aliis hanc animadversionem intulit S. Joannes Chrysost. lib. 1 de orando Deo, quæ magnoperè orationis necessitatem adstruit ad errores practicos devitandos : « Cùm video, inquit, quempiam non aman- « tem orationis studium, neque hujus rei fervidæ, « diligentique curâ teneri, continuò mihi palàm est « eum nihil egregiæ dotis in animo possidere, » etc.

§ 5. *Medium quintum, ac postremum inveniendæ veritatis, recursus ad sapientes, et peritos.*

IX. Quanquàm Deus primus, ac principalis magister omnium sit, qui veritatem nos edocet, ad quem proinde confugere in dubiis nostris præ cæteris oporteat, quia tamen nos immediatè non vult semper illuminare per semetipsum, sicut Paulum, quem ad se converterat, instruendum misit ad Ananiam, ita sapientûm hominum ministerio, sicut de fidei, ita et de legis suæ veritate frequentiùs illuminat. Quapropter inter partes, sive affectiones prudentiæ etiam *docilitatem* accenset S. Thomas, quâ prudentûm judicium exploramus, ab iisque consilium petimus, quin in dubiis præsertim casibus agendum nobis sit. Ut enim ait 2-2, q. 49, art. 3 : « Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus, cùm sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo ab alio erudiri, et præcipuè ex senibus qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. Unde Philos. dicit in 6, Ethic. : *Oportet attendere expertorum, et seniorum, et prudentium in demonstrabilibus, enuntiationibus, et opinionibus, non minùs, quàm demonstrationibus. Propter experientiam enim vident principia....* Hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis sit benè disciplinæ susceptivus. Et ideò convenienter docilitas ponitur pars prudentiæ. »

X. At enim verò quinam verè *sapientes* dicendi sunt, à quibus in dubiis nostris, aut ignorantiis circa bonum et malum, lumen exquirere possumus ac debemus? Ego sanè à censu sapientûm rejiciendos puto, qui passim, ac mutuò dissident, secumque pugnant in rebus etiam non levis momenti, solisque opinionibus inter se oppositis totam Moralem definiunt. Quis enim sapientes dixerit illos qui, quod proprium sapientiæ est, nempe veritatem, se ignorare satis ostendunt, dùm non certis doctrinis, sed incertis, et problematicis de actionibus hominum ut plurimum deliberant! Lege Dianam, lege Escobarium, lege Tamburinum, lege Lacroixium, similesque alios. Quid in iis offendes, nisi perpetem auctorum invicem digladiantium seriem, ex quibus quid reapsè lex divina præcipiat, aut vetet, non elicias, sed meram probabilium, ut vocant, contrariarum opinionum conflictationem, quæ certè minimè nos dirigere queunt in viam veritatis, et salutis? Hi propterea haud habendi sunt tanquàm *sapientes*, nec ab iis, plerùmque saltem, quærenda est veritas divinæ legis, licet *doctores classici, et omni exceptione majores* nominari soleant. Quinam igitur *sapientes* jure dicendi erunt, adeòque consulendi, eorumque judicio acquiescendum, ut dubia quæ occurrunt in rebus moralibus tutò resolvantur? Nemo mihi culpæ verterit si dixero eos esse qui magistrum veritatis Christum Dominum in Evangeliis, ac præcipuè in sermone habito *in monte* apud Matthæum docentem auscultant, qui Pauli, aliorumque Apostolorum epistolas legunt, alteque ipsorum doctrinas menti infigunt, qui libros sanctorum Patrum, sacrosque Canones præ manibus habent, qui viros in Ecclesiâ sanctitate præfulgentes sibi ad imitandum proponunt, qui viam salutis æternæ, quæ Christi testimonio *arcta est, et angusta, et quam pauci inveniunt*, et ipsi calcant, et ab aliis calcandam monent, qui demùm non quid probabile, sed quid verum sit, divinæque voluntati conforme, unicè inquirunt, ac cæteris inquirendum denunciant. Hos ego verè sapientes existimo, quos consulere, et à quibus legis doctrinam addiscere debeant rudiores, minùsque eruditi in rebus moralibus, casibusque conscientiæ obscuris et ambiguis. Alios verò parùm curandos arbitror, quamvis *sapientes*, ac *doctores* vulgò appellentur, qui viâ oppositâ incedunt, et *à veritate auditum avertunt*, ad meras autem probabilitates, et fabulas convertuntur, qui moribus hominum morales doctrinas accommodant, qui opiniones sibimet ipsi falsas tutò sequendas proponunt, dummodò probabilitatis fuco illitas, qui humanis cupiditatibus, et affectibus adblandiuntur, qui viam cœli dilatant, qui, ut verbis Prophetæ utar, *placentia* hominibus *loquuntur, videntque errores*, ac dissimulant, ne, ut ipsi putant, conscientias nimiùm aggravent, qui demùm ex eorum numero sunt quos describit ac redarguit magnum ecclesiæ Florentinæ, et Christianæ decus S. Antoninus in Summâ p. 2, tit. 4, c. 5, inquiens : « Vadunt in adinventionibus suis animarum rectores, adinveniendo novas vias ultra consuetas ad regendum populum, sive ut extorqueant à subditis substantias, quod pertinet ad cupiditatem, sive ut laudentur ab hominibus de morum regimine, tanquàm sapientiores antiquis, recedendo sine causâ à semitis eorum, contra illud Proverb. : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Vadunt doctores in adinventionibus suis, qui non sequuntur dicta sanctorum, sed opiniones novas, subtiles et curiosas, non utiles, ad pruriendum auribus; et, si juristæ sunt, non aspiciunt ad intentionem legis, et æquitatem, sed ad destruendum antiquorum sententias. » Ab his *falsis prophetis*, juxta præceptum Domini, cavere debemus. Unde S. Thomas loc. cit. art. 7 et 8, *docilitati* duas alias adjungit prudentiæ partes : *circumspectionem* scilicet, et *cautionem*, quibus inter alia prudens homo et considerat, à quibus consilium accipit, et cavet ab iis per quæ in malum induci potest sub specie boni.

## CAPUT VI.

### CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *In iis quæ quisque agit, tenetur advertere num opus divinæ legi conforme sit.* — II. *In quo vitium* præcipitationis *in agendo consistat.* — III. *Quodnam inter præcipitationem et temeritatem in agendo discrimen versetur.* — IV. *Nisi homo passiones comprimat, et in officio contineat, reus est errorum, ac deceptionum quas incurrit in agendo.* — V. *Eò circumspectiùs se gerere in judicando quisque debet, quò vehementior fuerit passionis motus.* — VI. *Sicut non sine auxilio divino assentiri possumus fidei veritatibus, ita*

*nec sine eodem morum veritates cognoscere.* — VII. *Ex hoc necessitas oritur orationis, quâ lucem ad veritates morales cognoscendas impetremus.* — VIII. *Oratione præsertim indigent magistri, ac doctores, qui doctrinas morales aliis tradunt.* — IX. *Si doctor veritatem certò non agnoscat, eam saltem sententiam docere tenetur, quæ probabilior visa fuerit. Laxæ quorumdam auctorum opiniones rejectæ.* — X. *A quibus cavere debeat, qui doctores consulit pro divinæ legis agnoscendâ veritate.* — XI. *Spes inventæ veritatis, adhibitis etiam mediis ad eam inveniendam, semper cum salutari timore conjuncta sit, oportet.*

Consectarium primum.—Tenentur omnes sub præcepto in iis quæ agunt, sedulò advertere et considerare, num opus quod peragunt, divinæ legi conforme sit, necne; neque enim sine consideratione rectè de rebus judicare possumus; rectum autem judicium maximè necessarium est, ut ea quæ agimus', conformia sint divinæ legi, seu veritati. Hinc Proverb. 4, dicitur : *Oculi tui videant recta, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos;* et Psalmista regius de æternâ salute suâ metuens aiebat : *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate meâ.*

Consectarium II.—Præcipitatio in agendis vitium et peccatum est sub imprudentiâ contentum. Vitium hocce in quo consistat, ejusque pravitatem pulcherrimè declarat, et probat S. Thomas 2-2, q. 53, *art.* 2, inquiens : « Præcipitatio in actibus animæ metaphoricè dicitur, secundùm similitudinem à corporali motu acceptam. Dicitur autem præcipitari secundùm corporalem motum, quod à superiori in ima pervenit, secundùm impetum quemdam proprii motûs, vel alicujus impellentis, non ordinatè descendendo per gradus. *Summum* autem animæ est ipsa *ratio; imum* autem est *operatio* per corpus exercita; *gradus* autem medii, per quos oportet ordinatè descendere, sunt *memoria* præteritorum, *intelligentia* præsentium, *solertia* in considerandis futuris, *ratiocinatio* conferens unum alteri, *docilitas*, per quam aliquis acquiescit sententiis majorum, per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit rectè consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit *præcipitatio.* Cùm ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quòd *vitium præcipitationis sub imprudentiâ continetur.* »

Consectarium III.—Exinde verò fluit discrimen inter *præcipitationem* et *temeritatem*, quæ pariter vitium est prudentiæ oppositum, et impedit in nostris actibus veritatis consecutionem. Hoc non minùs pulchrè idem S. præceptor declarat, *in resp. ad* 2 ejusdem articuli, animadvertens *illa dici fieri* temerè, *quæ ratione non reguntur; quod quidem*, ait, *potest contingere dupliciter : uno modo ex impetu voluntatis, vel passionis; alio modo ex contemptu regulæ dirigentis; et hoc propriè importat temeritas. Unde videtur ex eâ radice superbiæ provenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ.* Præcipitatio *autem se habet ad utrumque. Unde* temeritas *sub præcipitatione continetur, quamvis præcipitatio magis respiciat primum.* Ex hoc verò, quòd ob temeritatem refugiat homo in agendo subesse regulæ sive divinæ, sive humanæ, clarum est ipsam quoque vitium esse, atque peccatum, et adversari veritati, quam sequi tenemur in nostris actionibus.

Consectarium IV.—Quùm passiones, aut inordinatæ quæcumque affectiones, sive circa spiritualia, sive circa materialia objecta versentur, judicium rationis pervertant, mentemque obnubilent, ne veritatem videat et contempletur, deque rebus moralibus rectè dijudicet, ideò necesse est ut homo easdem comprimat, et in officio contineat, reus alioquin futurus errorum omnium ac deceptionum in quas incurrit, et devitare vix ac ne vix quidem potest : *Manifestum est* enim, docet S. Thomas p. 2, q. 77, art. 1, *quòd passionem appetitûs sensitivi sequitur imaginationis apprehensio, et judicium æstimativæ, sicut etiam dispositionem linguæ sequitur judicium gustûs. Unde videmus quòd homines in aliquâ passione existentes non facilè imaginationem avertunt ab iis circa quæ afficiuntur;* adeòque corrumpatur, oportet judicium rationis de rebus, et veritatem moralem non attingat. Hinc illud ab initio usque mundi præceptum cuicumque homini impositum est : *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.*

Consectarium V.—Specialiter tamen attendere opus est, ne in judicando à veritate aberremus, dùm in corde nostro obstrepentem persentimus internæ alicujus passionis motum, ratione cujus voluntas nostra valdè afficitur ad aliquod objectum, ad ipsumque amplectendum vehementer attrahitur. Tunc enim maturiùs, ac majori cum circumspectione procedendum est, nec facilè fidendum judicio nostro, licet admodùm probabile, quinimò probabilius, et etiam certum et evidens nobis appareat. Unde sapienter admonet S. Bernardus lib. de Grad. Hum : *Amor*, sicut *et odium, veritatis judicium nescit;* adeòque ab eorum præjudiciis cavere nobis diligenter debemus; eòque major circumspectio, et accuratior diligentia adhibenda est, ad objecti, in quod propendemus, naturam et qualitatem cognoscendam, quò vehementior fuerit passionis motus, intensiorve ergà illud propensio. Imò satius tunc erit, si operans satis velit sibi consulere, vel sequi omninò partem tutiorem, vel, si res moram patitur, definitam actionis determinationem suspendere, donec passionis æstus deferveat, et conquiescat, plenoque lumine et imperio suo ratio potiatur. Quapropter S. Augustinus præcipuum hoc de veritate, maximè morali, inveniendâ, vel non inveniendâ negotium, in cordis vel munditiem, vel immunditiem perpetuò refert. Nam, ut ait in Psalmum 30, Conc. 1 : *Veritas ubique præsens est, si cordis oculus ad eam patcat.*

Consectarium VI.—Quoniam, ut ait conventus Ecclesiæ Gallicanæ habitus anno 1700, *Ecclesia catholica semper intellexit Religionem christianam fide et moribus constare, dogmatum autem tum fidei, tum morum eumdem esse fontem, ac benè vivendi regulam ad ipsum fidei caput pertinere*, colligere necesse est, sicut sine auxilio Dei nos cognoscere minimè possumus, aut assentiri fidei dogmatibus, ita non sine eodem auxilio di-

vino morum regulas, et veritates practicas nobis fas esse certò cognoscere; eadem quippe militat ratio, si præsertim de moralibus veritatibus sermo sit, quæ prostant in Evangeliis, aliisque sacris libris, quibus Deus locutus nobis est, et consilia voluntatis suæ manifesta fecit.

Consectarium VII. — Hinc autem necessitas consurgit orationis, quâ impetremus à Deo rectam moralium veritatum cognitionem, quam ille ex ordinariâ suæ providentiæ lege nonnisi orantibus impartitur. Quæ fusiùs supra dicta sunt, affatim hanc necessitatem confirmant; adeòque obligationi suæ desunt et Christiani, medium hocce prætermittentes in rebus præsertim implexis ac difficilibus, in quibus diversæ hinc atque inde circumferuntur opiniones et illi theologi qui de hoc argumento inveniendæ veritatis, ac depellendæ ignorantiæ disserentes, nullam de hoc saluberrimo et necessario medio mentionem faciunt, quasi tota res isthæc ad solum humanum studium, ac industriam pertineret; in quos proinde illud meritò regerere possumus Christi Domini apud Matth. c. 22: *Erratis nescientes Scripturas*, quæ tam impense, tam efficaciter studium nobis orationis commendant, *neque virtutem Dei*, sive auxilium, ac lumen cognoscendi quæ recta sunt, quod ex hoc fonte in nos derivatur.

Consectarium VIII. — Sed in hoc magis culpandi sunt doctores illi, qui vel in libris, vel in cathedris morales doctrinas tradentes, nullam curam gerunt, ut se orationis præsidio muniant pro adipiscendâ, ac docendâ legis veritate, suoque unicè ingenio freti difficiliores quæstiones morales resolvunt, sæpiùs *non intelligentes néque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, ut de quibusdam temporis sui *legis doctoribus* scribit Apostolus 1. ad Timoth. c. 1. Humana quidem diligentia in veris morum doctrinis dignoscendis prætereunda ab ipsis non est, quemadmodùm neque alia, quæ adnotavimus media; sed Dei lucem implorare maximè debent, ut solam veritatem attingant, ac discipulis et auditoribus eamdem tradant, et ad imitationem sibi præfigere egregium S. Thomæ exemplum qui, licet esset excellenti ac penè divino ingenio præditus, nunquàm ad scribendum, aut docendum semet applicabat, nisi post orationem, planè metuens ne salutari medio hoc prætermisso in errorem incideret, *non sine periculo animæ suæ, et aliorum laqueo*, prout initio opusculi 73. legimus.

Consectarium IX.—Ex his porrò deducere oportet, teneri theologos et magistros docere in rebus præsertim moralibus veritatem, dùm eam certò cognoscunt. Quòd si eam certò minimè noverint, tenentur eam saltem tradere sententiam quæ probabilior, atque adeò veritati proximior ipsis videtur. Unde tanquàm absurdæ, et valdè periculosæ reputandæ sunt sequentes theologorum quorumdam opinationes: Tamburini, qui lib. 1, c. 3, § 4, de Doctore scribit: *Docere potest probabiles opiniones, prætermissis probabilioribus, modò non prævideatur scandalum aliquod exoriturum, quia sic jam se prudenter gerit, siquidem probabilem benè gerendi viam auditoribus ostendit.* Item P. de Rhodes, qui disp. 2, de act. hum. q. 2, sect. 3, hæc habet: *Non peccabit mortaliter, qui docet sententiam minùs probabilem, eâ relictâ quam judicat probabiliorem. Imò verius judico, quòd ille ne venialiter quidem peccat; licet enim cuilibet sequi sententiam probabilem, et sanè imponeretur alioqui onus nimis grave præceptoribus.* Eamdem amplectitur, atque ita exponit P. Castropalaus disp. 2, de Cons. punct. 3, n. 6: —*Doctores, seu rectores alicujus cathedræ non tenentur docere quæ sibi probabiliora videntur... sufficit si quæ probabilia videntur, doceant: et ita tenet Salas disp. 10, sect. 6, n. 69, et Thomas Sanchez, lib. 1 in Decal., quamvis dicat esse veniale, si nullâ ratione excusante doceat quæ sibi probabilia sunt, relictis probabilioribus. At credo nullum esse peccatum, quia semper est ratio excusans, scilicet grave jugum, quod lectoribus imponeretur.* Hujusmodi opiniones adeò laxæ sunt, prout ex dictis satis constat, ut confutatione non egeant, ipsique inter doctiores Probabilistæ eas frequentiùs rejiciunt, veluti falsas et improbabiles, tametsi minùs cohærenter ad systema quod adoptârunt.

Consectarium X. — Qui ad theologos ac sapientes recurrunt pro enodandis difficultatibus, quæ sæpè occurrunt in rebus moralibus, et addiscendâ divinæ legis veritate, eos inprimis deserere debent, qui verè sapientes non sunt; neque enim omnes, qui hoc nomine deprædicari solent, verè sapientes, ut jam diximus, vocandi sunt, iique præsertim qui non aliquando ac rarè, sed passim inter se dissident, solisque opinionibus, quas *probabiles* appellant, moralem disciplinam tradunt, uti inter alios plurimos præcipui sunt Escobarius, Diana, et Lacroixius, qui non de veritate, sed de probabilitate doctrinarum unicè solliciti, plures, ac plures sententias probabiles, ut putant, congerunt, ac lectoribus proponunt, ut eam quæ sibi gratior visa fuerit, amplectantur, nullâ habitâ de ejusdem cum divinâ lege conformitate, ratione. Horum libri ab iis qui veritatem simplici corde quærunt, ut quærere tenentur, vel non legendi omninò, vel nonnisi cum magnâ cautelâ legendi sunt pro dubiis conscientiæ resolvendis; in iis quippe certum est ex oraculo summi pontificis Alexandri VII, occurrere « plures opiniones christianæ disciplinæ « relaxativas, et animarum perniciem inferentes, quæ « partim antiquatæ iterùm suscitatæ fuerunt, partim « noviter prodiêre, et summam illam luxuriantium « ingeniorum licentiam, per quam in rebus ad con- « scientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit, « alienus omninò ab evangelicâ simplicitate, sancto- « rumque Patrum doctrinâ, et quem si pro rectâ re- « gulâ fideles in praxi sequerentur, ingens irruptura « esset vitæ christianæ corruptela. » Sola hæc summi pontificis testificatio nonne satis futura esset, ut summam ad horum studium cautionem omnes adhibeant, eosque minimè consulant, qui eorum doctrinis imbuuntur, iisque aliorum conscientias informant ac dirigunt? Hæ namque *opiniones christianæ disciplinæ relaxativæ, et animarum perniciem inferentes* planè ex-

stant in Probabilistarum libris, eorumque usus novo illo opinandi modo, Probabilismo videlicet, facilis redditur, atque expeditus. Hos ergo vitare debet, qui animæ suæ curam gerit, adeòque assequendæ veritati divinæ legis ex animo studet, ad eosque se convertere, qui aliâ viâ in conscientiæ casibus decidendis procedunt, atque ita quæ vera sunt et divinæ legi conformia sequuntur ac tradunt, ut de unoquoque jure illud dici queat Malachiæ c. 2 : *Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus... Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.*

Consectarium XI. — Quanquàm media proposita pro veritate in rebus moralibus inveniendâ, si ea fideliter, attentèque à nobis adhibeantur, solidum præbeant fundamentum sperandi ipsam nos invenisse, nihilominùs semper salutari timori locus est, semperque metuendum de rectitudine nostrarum actionum, quemadmodùm continenter timuerunt ac timent sancti Dei viri, qui nihil omiserunt, aut omittunt, ut divinæ voluntati sua opera omnia conforment. Hunc tamen timorem prudentem sanctumque appellamus, non quasi tunc, dùm actu operamur, aliquod in nobis sit motivum sufficiens ad prudenter credendum quòd decipiamur ; hoc etenim in sententiâ nostrâ minimè cohæret cum judicio absoluto verèque probabili in rebus haud planè evidentibus, de rectitudine nostræ operationis, quale omninò requiritur ad honestè operandum ; sed ideò, quia motivum nostri judicii, licet à nobis verum absolutè judicetur, cognoscimus tamen illud naturâ suâ absolutè esse fallibile, quodque ex se non repugnet actu conjungi cum ejusdem judicii falsitate. Id verò sufficit ad fundandum timorem verè prudentem, maximèque laudabilem, ne fortè nobis actu contingat, quod videmus posse contingere (præsertim cùm ignoremus, an media, ut debuimus, adhibuerimus ad veritatem agnoscendam), quamvis quod minimè de facto contingat, probabiliter judicemus ; et ideò adversum hunc timorem non temerè, sed prudenter agamus, dicamusque equidem cum sancto Jobo : *Verebar omnia opera mea ;* et simul cum prophetâ Regali : *Servavi mandata tua, et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

REFLEXIO.

Quinque vias aperuimus ad inveniendam veritatem moralem aptissimas, imò planè necessarias ; sed nunc profari liceat mihi cum Apostolo Paulo Epist. 1. ad Corinth. c. 12. *Et adhuc excellentiorem viam omnibus demonstro*, quæ illas complectitur, cæterisque compendiosior est. Quænam via hæc ? Utique illa ; quam designat Apostolus eodem loco, scilicet *charitas ;* charitas, inquam, quæ *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, sive jam inhabitantem in nobis, sive nos auxilio gratiæ suæ adjuvantem, ut tandem inhabitet. « Locutus est ad nos sermo Dei (inquit S. Pater « Augustinus, lib. de Discip. Christ.) ; accipite disciplinam, *seu veritatis agnitionem*, in domo disciplinæ... « Quid hìc dicitur ? Præcepta multa sunt in lege, quibus ipsa bona vit acontinetur, imperatur, et dicitur... « Tamen Deus propter eos qui se possent excusare, « vel quia eis non vacat legere, vel quia non nôrunt « legere, vel quia non possunt facilè intelligere, voluit, sicut scriptum est, consummare, et breviare « verbum super terram... Quid est verbum consummans, et brevians ? *Diliges Dominum Deum tuum ex « toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente « tuâ ; et proximum sicut te ipsum : in his duobus præceptis universa lex pendet, et prophetæ.* Ecce quid « dicitur in domo disciplinæ : Dilige Deum tanquàm « Deum, proximum sicut te ipsum. Non enim invenis « parem Deo, ut possit tibi dici : dilige Deum, sicut « diligis illum. De proximo inventa est tibi regula : « quia inventus es proximo tuo par tu ipse, » etc. Lex ergo universa ad duo hæc præcepta redacta est, dilectionis nempe Dei, et proximi ; imò, subdit Augustinus, ad unum solum præceptum amoris proximi, si proximum diligamus quomodò nosmetipsos diligimus Nam si nos rectè diligimus, non possumus non diligere Deum, sine quo beati esse nequimus. Si autem ignis charitatis ardet in corde, lux veritatis splendere debet in mente, adeòque charitas plana et compendiosa via est ad inveniendam veritatem.

At quomodò, inquies, charitas nos veritatem divinæ legis edocet, ad eamve perducit ? Non unâ, sed multiplici ratione. Primò namque, quia, ut scitè observat S. Thomas pluribus in locis, *dilectio Dei, ad quam dilectio proximi ordinatur, finis est omnium præceptorum. In operabilibus autem, in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principii.* Sicut ergo, qui perfectè cognoscit principium, cognoscit conclusiones omnes in ipso contentas, ita qui perfectè possidet charitatem, cognoscit præcepta omnia, quæ in ipsâ continentur. Id manifestius erit, si consideremus officium charitatis esse purgare nos ab omni culpâ, atque adeò etiam ab omni errore, et ab ignorantiâ eorum quæ ad salutem necessaria sunt ; quod sine clarâ veritatis luce nostræ menti affusâ præstare nequit.

Modus alter, quo nos charitas instruit, in hoc consistit, quòd ipsa animum nostrum rectum efficit *erga se, erga Deum, erga proximum.* Loco namque primi principii omnibus est effatum illud : *Qualis quisque est, talis finis videtur ei, et ea quæ sunt ad finem.* Quemadmodùm ergo speculum pro objectorum diversitate varia refert objecta, ita animus noster pro affectionum diversitate varia format judicia. Porrò charitas purum animum facit, atque rectum *in se, in Deum, et in proximum*, adeòque apprimè idoneum ipsum constituit ad noscendas veritates practicas, quæ hujusmodi objecta respiciunt circa quæ præcepta omnia moralia versantur.

Tertio modo charitas veritatem nos docet, quatenùs reformat falsa hominum judicia de facilitate, et difficultate, possibilitate et impossibilitate mandatorum Dei. Nihil frequentius in cujusque professionis hominibus audire est, quàm hoc, vel illud esse *impossibile*, adeòque nullam esse observandi obligationem, quoniam ad id quod impossibile est, nemo per legem adstringitur. Ju-

dicia hæc falsa non aliunde originem trahunt, quàm ex defectu charitatis in corde regnantis. Eadem quippe præcepta, quæ his difficilia, aut etiam impossibilia videntur, aliis contra facilia sunt, iis scilicet, qui non mundum, et ea quæ in mundo sunt, sed Deum ex toto corde diligunt, clamantque cum Regio vate : *Ideò dilexi mandata tua super aurum, et topazion.* Ex hâc namque dilectione Dei, et mandatorum ipsius, nedùm impossibilitatem, sed nec etiam difficultatem in his observandis experiuntur, quin potiùs *dulciora* ipsis videntur *super mel et favum.* Charitas itaque ita disponit animum, ut facilia reputet, quæ mundi amatoribus videntur impossibilia, corrigitque de his falsa hominum judicia.

Denique charitas ideò nobis veritates morales ostendere dicenda est, quia nos impellit et urget ad ea media accuratè adhibenda, quæ producta à nobis sunt, ac necessaria declaravimus pro inveniendis divinis præceptis, rectèque de his judicando, nimirùm sedulam æternæ Dei legis considerationem, passionum dominantium compressionem, cultum moralium virtutum, orationis studium, et in audiendis piorum, doctiorumque consiliis docilitatem. Ardeat igitur in cordibus nostris divina charitas; diligamus Deum ex toto corde, et ex omnibus viribus nostris, et proximum, sicut nosmetipsos; et tunc inveniemus veritatem illam tantoperè in sacris libris nobis commendatam; et hæc salutaris *veritas liberabit nos* ab omni deceptione et errore, quem incurrunt sæpissimè in hoc exilio miseri mortales charitate destituti, in ruinam et perditionem animarum suarum. (Patuzzi.)

# TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

AUCTORE P. BILLUART (1).

# DE VOLUNTARIO LIBERO,

## SIVE DE LIBERTATE CREATA,

# Dissertatio.

Cùm libertas arbitrii sit fundamentum totius moralitatis, curratque per omnes fermè theologiæ partes, eaque sit variorum errorum antiquorum et recentiorum materia, operæ pretium duxi hanc dissertationem instituere extra ordinem quæstionum S. Thomæ. De libertate creatâ agit Auctor 1 p., quæst. 83, 24 de Verit.; quæst. 6 de Malo, et alibi.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### PRÆNOTANDA SCITU NECESSARIA.

§ 1. *Multiplex acceptio libertatis.*

Libertas opponitur servituti et subjectioni; unde libertas generatim est exemptio seu immunitas à servitute et subjectione, totque modis accipitur quot modis accipitur servitus et subjectio cui opponitur. Est itaque prima libertas à pœnâ et miseriâ quâ quis detinetur et opprimitur. Dicitur libertas felicitatis et gloriæ, quæ non erit perfecta nisi in patriâ. Secunda libertas est à peccato et ab habitibus inclinantibus in illud; qui enim facit peccatum servus est peccati. Unde Apost. ad. Rom. 6 : *Cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Hæc dicitur libertas gratiæ et virtutis, et solis justis competit. Tertia libertas est à lege. Hæc primariò et principaliter competit soli Deo, qui nullum habet superiorem, sed est ipse sibi lex et regula. Secundariò autem et participativè competit justis; justus enim non eget legis directione seu coactione ut affectus suos rectè disponat, sed ex propriâ inclinatione, etiamsi non esset lex, quæ legis sunt faceret. Ad hanc reduci potest libertas à servitute, alterius hominis dominio addicente, quæ dicitur libertas civilis. De iis libertatis acceptionibus non est hìc quæstio, sed de sequentibus tantùm. Unde. Quarta libertas est à violentiâ seu coactione. Dicitur spontaneitas seu lubentia; reperitur in omnibus quæ non invita et per vim externam compulsa, sed ex inclinatione quamvis necessitante agunt, ut in omnibus actibus elicitis voluntatis quantùmvis necessariis; quoad hos enim non potest cogi voluntas. Hâc libertate beatus amat Deum in patriâ, beatitudinem in viâ; eâdem Deus amat seipsum et producit Spiritum sanctum. Extenditur etiam ad bruta, quinimò et ad res inanimatas; sic aqua dicitur spontè fluere, lapis spontè descendere deorsùm. Quinta libertas est à necessitate; et est immunitas non solùm à coactione seu violentiâ, sed etiam à naturali instinctu et determinatione ad unum sine potentiâ ad oppositum; quâ libertate gaudet qui potest velle vel non velle, hoc vel illud velle. Dicitur libertas indifferentiæ, quia est ad opposita. Et cùm sit duplex indifferentia, scilicet quoad specificationem et exercitium, ita est duplex libertas à necessitate, scilicet specificationis et exercitii. Libertas exercitii, quæ etiam dicitur contradictionis, est ad actum et ejus omissionem quâ nempe

(1) Vide vitam P. Billuart, Theologiæ tom. 8, col. 1305-1306.

potest quis agere et non agere, amare et non amare. Libertas specificationis est ad actus specie diversos : qui actus si sint contrarii, ut amare et odisse, sedere et stare, dicitur libertas contrarietatis ; si sint actus disparati, ut orare vel studere, dicitur libertas disparitatis.

§ 2. *Varii errores circa libertatem arbitrii.*

In hâc ergo libertate à necessitate, seu libertate indifferentiæ, reponimus libertatem arbitrii, circa quam variè varii errârunt, alii plus æquo illam extollendo, alii eam negando. Negârunt 1° Stoici, ex fato, quamvis tamen nonnulli velint quòd affectus humanos exemerint à fato, cui cætera subjiciebant. 2° Negârunt astrologi, ex influxu siderum. 3° Negârunt Manichæi, ex duplici animâ, bonâ, et malâ, quam in unoquoque homine constituebant, quarum altera alteram necessariè compellebat hoc ipso quo prævalebat. 4° Negârunt Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ, ex peccato originali et ex vi necessitante gratiæ. 5° Negârunt ex iisdem principiis Baïus et Jansenius, quorum primus dixit : *Quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, liberè tamen fit ;* et ejus propositio 39, à S. Pio V damnata ; et *sola violentia repugnat libertati hominis*, est propositio 66 ; alter, non solùm libertatem, quam vocat essentialem et simpliciter dictam, esse sitam in solâ immunitate à coactione cum perfectâ advertentiâ rationis, sed, quod gravius est et damnatum, hanc à coactione libertatem sufficere ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ, nec requiri libertatem à necessitate ; est tertia ejus propositio damnata.

Verùm, ad aliqualem intelligentiam systematis Jansenii in præsenti materiâ, et ad detegendas cavillationes quibus et ipse et ejus fautores illud obvolvere nituntur, observandum est Jansenium admittere verbotenùs libertatem arbitrii, sed quæ stet cum necessitate ; non autem uno modo intelligit libertatem et necessitatem. Distinguit inter libertatem quoad essentiam et quoad statum ; item, inter necessitatem fixam, invariabilem et perpetuam, quæ in nullis circumstantiis vinci potest, qualis est, v. g., illa quâ Deus se necessariò diligit, aut quâ beatus diligit Deum ; et necessitatem transitoriam ac relativam, quæ, stantibus præsentibus circumstantiis relativè ad vim oppositam superioris delectationis, vinci non potest, licet absolutè et in aliis circumstantiis vinci posset. Dicit itaque libertatem essentialem arbitrii stare cum necessitate fixâ et invariabili, unde juxta ipsum Deus liberè libertate essentiali se amat. Pater eâdem libertate genérat Filium, beatus amat Deum, etc. A libertate autem quoad statum hominis viatoris, rejicit quidem necessitatem fixam et invariabilem, quia homo viator est flexibilis in bonum et malum ; sed admittit transitoriam et relativam : unde, juxta ipsum, quamvis homo à cupiditate superiore et dominante necessariò in malum rapiatur, sicut minùs pondus in bilance necessariò elevatur à majori, liberè tamen et demeritoriè illud agit, quia non coactè, sed spontè cum perfectâ advertentiâ rationis agit. Augustino *abundè satis est*, inquit lib. 4, de Statu naturæ lapsæ, c. 24, edit. Rothomag. p. 271, col. 2, *quòd peccator... sciens et prudens plenâ voluntate feratur in malum, sive ab istâ diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit.* Quando itaque Jansenius et Janseniani dicunt sub cupiditate dominante remanere libertatem arbitrii, imò potentiam proximam et expeditam ope parvæ gratiæ ad bonum faciendum (sic enim quandoque loquuntur cum Catholicis, ut eorum argumenta declinent, vel censuris Ecclesiæ se subducant), intelligunt de potentiâ absolutâ et abstractâ, atque in sensu diviso superioris cupiditatis, non de relativâ ad superiorem cupiditatem præsentem et in sensu composito illius (qui sensus divisus et compositus est Calvinisticus). Etenim præter dicta et plura alia, Jansenius docet lib. 4 de Grat. Chr. c. 9, quòd, *vigente delectatione carnali, impossibile sit ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat* : et *patet* etiam ex illo, quod millies repetit et malè intelligit, S. Aug. dicto, in cap. 5 Epist. ad Galat. : *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Uno verbo, tota libertas arbitrii quam agnoscit Jansenius in hoc statu naturæ lapsæ, nihil est aliud quàm necessitas alternativa, seu vertibilitas ab unâ ad aliam necessitatem, quia viatores non sunt immobiliter fixi in bono sicut beati, neque immobiliter fixi in malo sicut damnati, sed flexibiles modò in bonum, modò in malum, secundùm quòd prævalet delectatio cœlestis vel terrestris, semper tamen necessariò ; eo fermè modo quo canis modò blanditur, modò irascitur, semper tamen necessariò. Consule Digressionem historicam in calce dissertationis.

Ex adverso Pelagiani erraverunt circa libertatem arbitrii, nimiùm extollendo. 1° Dicebant ipsum valere ad bonum sicut ad malum sine gratiâ Dei ; 2° stare non posse cum necessitate gratiæ prævenientis ; 3° in nullo fuisse læsum per peccatum Adæ, quod negabant traduci in posteros, sed veluti in æquilibrio positum, parem habere indifferentiam et facilitatem sive ad bonum sive ad malum ac in statu innocentiæ. 4° Volebant potentiam peccandi pertinere ad essentiam libertatis.

§ 3. *Multiplex radix libertatis.*

Nemo meliùs rem novit quàm qui ejus radices ac fontes scrutatur ; quapropter ad clariorem libertatis notitiam, quæ maximè necessaria est theologo, radices ejus sunt indagandæ.

Duplex est radix libertatis : alia extrinseca, alia intrinseca, 1 p. q. 19, a. 8, 1. Perhier. Lect. 14, et alibi. Radix extrinseca libertatis est summa efficacia divinæ voluntatis ; quia cùm Deus sit causa universalissima totius entis et omnium ejus modorum, et libertas tam potentialis quàm actualis arbitrii sit ejus modus et perfectio, atque omnium ejus actionum, planè sequitur quòd ab efficaciâ divinæ voluntatis, tanquàm à radice extrinsecâ, profluat.

Radix libertatis intrinseca est triplex : prima et remota, est ipsa conditio naturæ intellectualis, quæ ob suam immaterialitatem eam obtineat capacitatem ut absque sui alteratione possit omnium formas in se recipere et fieri omnia in esse intentionali. Hinc sequitur universalitas intellectûs, quia potest omnia cognoscere,

scrutari, rimari et in omnes partes vertere, de iisque judicare quæ fugienda, quæ prosequenda, item supra ipsum judicium reflectere, illud emendare, mutare et reprobare. Hanc autem formam universalem intellectualem sequitur inclinatio paris conditionis, scilicet voluntas capax omnis, universalis et infiniti boni. (1 p. q. 14, a. 1, et q. 82, a, 2, q. 24, De verit. a. 2, q. 6, De malo. a. unico et alibi.)

Quod ut profundiùs intelligatur, observandum est quòd omnem formam sua sequatur inclinatio ipsi proportionata. Ita enim natura est instituta, et his tribus totius naturæ ordo constat : scilicet natura seu forma quæ constituit naturam, fine ad quem natura tendit (non enim propter seipsam natura est), et inclinatione quæ naturam refert ad finem. Sunt autem triplicis generis naturæ seu formæ : quædam sunt omninò materiales, ut formæ insensibilium ; quædam aliquatenùs recedentes à conditionibus materiæ, ut formæ brutorum ; quædam tandem totaliter elevatæ super conditiones materiæ, ut animæ rationales et angeli. Itaque formam materiæ immersam et ideò admodùm limitatam, ut sunt formæ elementorum, plantarum et aliorum insensibilium, sequitur inclinatio proportionata, ad unum immutabiliter determinata, puta ad centrum, ad circumferentiam, vel aliquid hujusmodi, et dicitur appetitus naturalis. Formas verò aliquatenùs è materiâ emergentes et ad spirituales accedentes, ut sunt formæ brutorum, sequitur inclinatio quæ dicitur appetitus sensitivus, habens aliquam amplitudinem. Nam licet forma apprehensa per sensum sit individualis et ad unum determinata sicut forma rei naturalis, tamen non semper eadem forma recipitur in sensu sicut est in rebus naturalibus ; ignis enim semper est calidus, sed nunc una, nunc alia forma recipitur in sensu, puta, nunc forma delectabilis, nunc tristis ; et inde, inquam, sequitur paris conditionis inclinatio ad unum quidem determinata, sed non invariabiliter ; modò namque bruta fugiunt, modò prosequuntur ; nunc gaudent, nunc dolent, nunc abblandiuntur, nunc irascuntur, secundùm diversas formas quas apprehendunt. Formas tandem omninò elevatas super conditiones materiæ, ut sunt animæ rationales et angeli, cùm ex suâ elevatione et immaterialitate sint capaces cognoscere omne et universale verum, ut dictum est, sequitur par inclinatio quæ dicitur appetitus rationalis, capax omnis et universalis boni, ex quo fit ut omnibus bonis particularibus emineat ac dominetur, eaque, dùm non habent necessariam connexionem cum fine, cùm indifferentia respiciat, quatenùs nullum potest ejus capacitatem satiare neque amplitudinem adæquare.

Igitur prima et remota radix intrinseca libertatis arbitrii est ipsa immaterialitas naturæ intellectualis et ejus elevatio super conditiones materiæ. Secunda et propinquior est ipsa universalitas intellectûs in cognoscendo et judicando de omnibus, etiam reflexè de suo judicio. Tertia et proxima est amplitudo et capacitas voluntatis ad omne et universale bonum, ejusque eminentia super omnia bona particularia ; ex quibus resultat in voluntate dominium super suos actus, ac jus disponendi de illis ad nutum, in quo formaliter consistit libertas arbitrii.

§ 4. *Multiplex libertatis definitio ex S. Thomâ.*

1° Sanctus Th., q. 24, de Verit. a. 1, definit ex philosopho liberum arbitrium, *quod est causa suî;* quia libertas opponitur servituti et subjectioni, ut dictum est ; servus autem non est suî juris sed alterius, nec de suis rebus potest disponere nisi ad nutum alterius ; sed liber est suî juris et ab alterius potestate solutus, habetque de se et suis rebus ad nutum disponere, in quo consistit ratio dominii ; dominium autem essentialiter pertinet ad libertatem ; in hoc ergo sensu liber dicitur *causa suî.*

2° In 2, d. 24, q. 1, a. 1, definit libertatem arbitrii quod sit *facultas voluntatis et rationis.* Est rationis originativè et regulativè, quia ratio est ejus radix et regula, ut dixi § præced. Est autem formaliter voluntatis, sola enim voluntas est electiva, et electio est actus liberi arbitrii, ut dicemus modò. Liberum arbitrium igitur est ipsa voluntas realiter et entitativè, quia eligere, quod, ut dixi, est actus liberi arbitrii, est velle unum præ alio, quod est etiam actus voluntatis. Distinguitur tamen à voluntate ut voluntas est, ratione ratiocinatâ, quia voluntas, ut voluntas, magis latè patet quàm ut libera ; velle enim extenditur ad media et ad finem, ad ea quæ necessariò et quæ liberè volumus ; at eligere, quod est liberi arbitrii, fertur solùm ad media et ad ea quæ non necessariò sed liberè volumus. Et sic liberum arbitrium est quidem ipsa voluntas, sed inadæquatè sumpta.

Dicitur facultas, quasi facilis potestas, q. 24 de Verit. a. 4 ad 1. Facile autem dupliciter dicitur ; uno modo propter remotionem impedimenti, alio modo propter adjutorii appositionem. Facultas pertinens ad habitum est per adjutorii appositionem, nam habitus inclinat potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quòd, quantùm est de se, non inclinatur in unum magis quàm in aliud, sed nominat facilitatem quæ est per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente vel necessitante à propriâ operatione. Ne tamen suspiceris istud impedimentum, de quo S. Th., esse motionem divinam, ut quidam fingunt ; non enim est ista motio magis impedimentum liberæ operationis quàm succus radicis sit impedimentum fructûs ; sed istud impedimentum, ut explicat alibi S. doctor, est cùm ratio passione turbatur et ligatur, aut objecto nimiùm præoccupata non satis deliberat, ut contingit in motibus indeliberatis (1-2 q. 77, a. 7) : secluso ergo hoc impedimento, liberum arbitrium est facilitas, seu, ut dicit Auctor, facultas expedita ad operandum (1 p. q. 83, a. 2 ad 2).

3° Q. 24 de Verit. a. 3, definit liberum arbitrium quòd sit *potentia rationalis ad opposita.* Dicitur potentia, scilicet activa, non actus, quia libertas est quid naturale permanens in homine, etiam dùm non agit, 1 p. q. 83, a. 2 c. ; non habitus, quia, ut modò dicebamus, habitus inclinat ad unum tantùm, libertas

autem est indeterminata et indifferens ad opposita, ut dicitur in definitione; et hæc particula indicat propriam notionem libertatis, nomine enim indifferentiæ ad agendum vel non agendum communiter intelligitur libertas et dominium.

4° 1 p. q. 62, a. 8 ad 3 q. 83, a. 4 et alibi, definit libertatem quòd sit *electiva mediorum servato ordine finis*. Hæc definitio (quamvis præcedentes valeant et in idem fermè cum præsenti redeant) est omnium optima, et à S. doctore frequentiùs usurpata; passim enim libertatem explicat per vim electivam.

Dicitur itaque *vis*, id est, facultas, seu potentia, ut explicuimus. Dicitur *vis elective*, 1 p. q. 83, a. 3, quia ex hoc liberi arbitrii esse dicimur quòd possumus unum accipere alio recusato, quod est eligere. Dicitur vis electiva mediorum, hìc q. 13, a. 3, 0, quia electio propriè non est de fine ut finis est, sed de mediis tantùm, quia electio in operabilibus se habet ut conclusio in speculabilibus, et finis sicut principium; unde sicut non est conclusio de principiis, sed de consequentibus ad illa, ita electio non est de fine, sed de mediis ad illum. Dixi, de fine ut finis est, quia sicut in speculativis nihil prohibet id quod est unius demonstrationis principium, esse conclusionem alterius demonstrationis (primum tamen principium in demonstrabilibus non potest esse conclusio alterius demonstrationis), ita etiam contingit id quod est in unâ operatione ut finis, ordinari ad aliquid aliud ut ad finem; et hoc modo finis cadit sub electione sicut in operatione medici sanitas se habet ut finis; unde hoc non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tanquàm principium; sed sanitas corporis ad bonum animæ ordinatur; unde apud eum qui habet curam de animæ salute, potest sub electione cadere esse sanum vel esse infirmum; sed ultimus finis nullo modo sub electione cadit, quia non potest ordinari ad aliud.

Dicitur, 1 p. q. 62, a. 8 ad 3, *servato ordine finis*, quia liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusionem. Manifestum est autem quòd ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit secundùm principia data; sed quòd in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est, ex defectu ipsius; similiter ergo quòd liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis; sed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis; unde major et perfectior est libertas arbitrii in Deo, Christo et angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus. *Et hinc jam patet* potentiam peccandi non esse de essentiâ libertatis, sed esse ejus nævum, de quo iterùm infra.

Quinta tandem, et nunc valdè communis, circumfertur libertatis definitio, nempe : *Facultas quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere vel non agere.* Hanc definitionem non rejicimus, sed absque explicatione non admittimus, quia, licet non sit absolutè falsa, est tamen ambigua, et ab eis propalata qui præmotiones physicas rejiciunt; neque ulla ejus mentio reperitur in S. Thomâ. Igitur potest intelligi ista definitio de prærequisitis tempore, vel naturâ et causalitate tantùm; item potest intelligi de potentiâ agendi et non agendi in sensu composito vel diviso. Si intelligatur de prærequisitis tempore, concedimus quòd libertas sit potentia agendi vel non agendi in sensu tam composito quàm diviso, ita ut cum prærequisitis tempore ad actum possit non solùm componi potentia non agendi, quod est sensus divisus, sed etiam non actus, quod est sensus compositus. Si autem intelligatur de prærequisitis tantùm naturâ et causalitate, negamus quòd possit agere vel non agere in sensu composito et potentiâ consequente, sed tantùm in sensu diviso et potentiâ antecedente; hoc est, cum requisitis naturâ tantùm ad actum non potest componi non actus, benè tamen potentia expedita non agendi, quia eo ipso instanti quo sunt prærequisita naturâ tantùm ad agendum, ut sunt, v. g., judicium ultimum rationis practicæ, determinatio quâ voluntas seipsam determinat ad agendum, est actio; implicat autem posse componi simul non actionem cum actione; et cùm præmotio divina sit ex prærequisitis naturâ tantùm et causalitate ad agendum, et in eo ipso instanti quo datur, homo agat, liberum arbitrium sub illâ non potest non agere in sensu composito et potentiâ consequente, sed in sensu diviso et potentiâ antecedente tantùm; hoc est, non potest componere non actionem cum illâ, sed tantùm potentiam non agendi. Sic in sententiâ eorum qui hanc definitionem adeò extollunt, quia gratia congrua est de prærequisitis naturâ tantùm ad agendum, homo sub illâ non potest in sensu composito et potentiâ consequente non agere, sed in sensu diviso tantùm et potentiâ antecedente, alioquin gratia non foret congrua, et præscientia Dei falleretur, ut latiùs dixi in 1 p.

Dices 1° : Liberum arbitrium, positis omnibus prærequisitis naturâ ad agendum, potest agere in sensu composito; ergo et non agere in eodem sensu, quia membra contradictoria eodem sensu debent intelligi. — Resp. quòd, intelligendo hanc definitionem arbitrii de prærequisitis naturâ tantùm, impropriè dicatur posse agere in sensu composito, sed debet dici facultas actu agens cum potentiâ non agendi. Unde hæc definitio prout jacet non debet intelligi nisi de prærequisitis tempore, ut sunt habitus, gratia sufficiens, etc. Et tunc est definitio libertatis potentialis et in actu primo, non actualis et in actu secundo.

Dices 2° : Quandoque agens liberum tenetur componere non actum cum omnibus prærequisitis naturâ ad actum; v. g., dùm adsunt omnia prærequisita naturâ ad peccandum, tenetur homo componere cum illis non peccatum; ergo potest, nemo enim tenetur ad impossibile. Prob. ant : componere non peccatum cum prærequisitis naturâ ad peccandum, est facere ut in eodem instanti quo sunt prærequisita ad peccatum, non sit peccatum; atqui homo tenetur facere ut

in eodem instanti quo sunt prærequisita ad peccatum, non sit peccatum, alioquin peccaret; ergo. — Resp.: Nego ant.; ad probat. dist. maj. Componere non peccatum cum prærequisitis naturâ ad peccatum, est facere ut peccatum non sit in eodem instanti formali quo sunt prærequisita ad peccatum, concedo maj.; in eodem instanti materiali, nego maj.; et ad hunc sensum distinctâ minore, nego conseq. Itaque posse componere unum cum alio, non est posse facere ut unum possit esse in eâdem durationc materiali in quâ est aliud, sed est posse facere ut eadem duratio coexistentiam utriusque simul mensuret, quod est esse in eodem instanti formali. Hoc autem modo non potest homo ponere non peccatum cum prærequisitis naturâ ad peccatum, nec ad id tenetur, aliàs componeret non peccatum cum peccato, quod est impossibile. Sic, v. g., justus eo instanti quo habet gratiam, potest peccare, non potest tamen componere peccatum cum gratiâ, quia non potest facere ut idem instans quod mensurat existentiam gratiæ, simul mensuret existentiam peccati, sed tantùm quòd instans quod nunc mensurat existentiam gratiæ, posset mensurare existentiam peccati si adesset. Ita in nostro casu.

Repones : Potest homo cum prærequisitis naturâ ad actum ponere non actum in eodem instanti formali; ergo. Prob, ant. Motio divina est, secundùm Thomistas, requisita naturâ tantùm ad actum; atqui homo potest ponere non actum in eodem instanti formali; ergo. Probatur min. ex concilio Tridentino. Potest ponere dissensum huic motioni; atqui dissensus supponit rem cui dissentitur, in eodem instanti formali existere, non enim dissentitur rei quæ fuit aut erit, sed quæ est; ergo. — Resp.: Nego ant.; ad probationem, nego min.; ad probationem, dist. maj.: Potest dissentire huic motioni potentiâ antecedente et in sensu diviso, concedo maj.; potentiâ consequente et in sensu composito, nego maj. Similiter, dist. min.: Dissensus actualis supponit rem cui dissentitur, existere in eodem instanti formali, transeat; dissensus possibilis præsertim potentiâ antecedente, nego. Vide quæ de hoc argumento latiùs dixi in tractatu de Deo, dissert. 8, a. 4, § 2, in solutione primæ object.

*R. P. Franciscus Henno emendatur.*

Dùm hæc scriberem, incidenter conjeci oculos in opus R. P. Francisci Henno tract. de Principiis actuum humanorum, q. 3, ubi legi, non sine stupore, enormia quibus onerat Thomistas eosque efficit puros putosque Calvinianos ac Ecclesiæ decretis rebelles. Dicit namque 1° Thomistas docere præmotionem physicam, *quâ stante non possit esse non actio nisi in sensu diviso præmotionis, id est, ablatâ præmotione.* Ita Calvinista, at non sic Thomista, qui docet stante præmotione ad actum, et in sensu composito præmotionis, manere potentiam completam et expeditam ad non actum, quia præmotio supponit utrinque potentiam completam et se tenet duntaxat ex parte actûs secundi. Dicit 2° Thomistas docere *non esse in potestate creaturæ ut præmotionem illam habeat, aut habitam rejiciat.* Ita Calvinus, contra quem Ecclesia in concilio Tridentino definivit sess. 6, cap. 5 : *Quippe qui illam abjicere potest;* at Thomistæ omnes ad unum (sunt enim, Deo miserente, Catholici et obedientes filii Ecclesiæ) docent unicuique adesse præmotionem juxta ejus exigentiam, eamque posse abjicere, quia sub præmotione ad unum, juxta eorum principia, ut dictum est, manet potentia ad oppositum. Dicit 3° Thomistas docere *sine præmotione impossibilem nobis esse actionem.* Id nullus unquàm Thomista somniavit; docent è contra absque præmotione haberi potentiam completam ad actionem, sicque absque illâ actionem esse possibilem, quia, ut iterùm repetam, præmotio non dat, sed supponit potentiam. Dicit 4° Thomistas docere *præmotionem illam ita ex suis intrinsecis determinare hominem ad agendum, ut impossibile sit non esse actionem ad quam est præmotio.* Eâdem semper chordâ aberrat R. Pater; docent è contra Thomistæ præmotionem illam ex suis intrinsecis determinare hominem non solùm ad agendum simpliciter, sed etiam ad liberè agendum, sicque actionem, ad quam est præmotio, posse non esse, non minùs quàm qui liberè sedet, potest non sedere.

Mirum profectò et plus quàm mirum, scriptorem aliunde multis titulis commendabilem, qui laudabili, licet irrito, conatu tentavit principia Thomistica cum Scotistis conciliare, eò usque prima elementa scholæ Thomisticæ ignorâsse, ut contraria prorsùs et hæretica illi affingat. Et cùm ex his falsis suppositis statuat conclusionem quam putat nobis adversari, nihil dicit ad rem aut contra nos, quapropter omitto; at quæ dixi, omittere non licuit in defensionem fidei nostræ.

### § 5. *Non pertinet ad libertatem arbitrii quòd sit primum determinans.*

Non potest non esse maximi momenti hæc observatio pro asserendâ libertate sub præmotionibus physicis. Si enim libertas creata non sit à Deo quasi manu missa et emancipata, qualem fingunt nonnulli, sed secundum agens, secundum determinans primo subordinatum, quid illi nocet si, primò mota, secundò se moveat?

*Constat autem observatio* 1° ex naturâ entis creati, cui dependentia tam in esse quàm in operari ab ente increato ita est essentialis, ut nullâ ratione ab ipso avelli possit, siquidem concipi non possit ratio entis creati, aut ulla ejus perfectio, quæ à Deo non oriatur et dependeat. Unde Deus dicitur non solùm primum ens, sed prima causa, primum principium, primum movens, primum determinans, primum liberum, quia sicut nullum est ens nisi ab eo participatum, ita nulla causa, nullum movens, nullum determinans, nisi ab eo moveatur et determinetur, nullum liberum, nisi ipsi subordinatum. Et sicut, si esset aliquod ens ab ipso non participatum, desineret esse primum ens, sic si voluntas esset primum suî movens et determinans, desineret esse prima causa, primum principium, primum movens, primum liberum, et creatura his prærogativis decoraretur, fieretque quasi alter Deus; primum enim dicitur quod alterum prius non supponit.

Neque dicas cum adversariis, voluntatem quamvis

primò se determinaret, non ideò fore primam causam et primum principium, quia ratio primæ causæ et primi principii exigit non solùm quòd ab altero non moveatur, sed etiam quòd sit à se. Hanc etiam responsionem tanquàm falsam triplici solutione excipit et impugnat S. Th. in 2, d. 37, q. 2, a. 2, o. Prima solutio est quia *inconveniens videtur ut quod à se esse non habet, à se agere possit;* secunda, quia *per se durare non potest quod à se non est;* et utriusque solutionis ratio est, *quia omnis virtus ab essentiâ procedit, et operatio à virtute; unde cujus essentia ab alio est, oportet quòd virtus et operatio sit ab alio.*

Sensus itaque primæ solutionis est hic : necesse est eumdem ordinem et eamdem dependentiam servari inter virtutem agendi et ipsam essentiam ex unâ parte, et inter virtutem agendi et operationem ex alterâ, *quia omnis virtus ab essentiâ procedit, et operatio à virtute;* atqui repugnat id quod non est à se, habere à se virtutem agendi; ergo etiam repugnat quòd id quod non est à se nec à se habet virtutem agendi, habeat à se operationem. Sensus secundæ solutionis est hic : Agens creatum in ratione agentis non minùs dependet à primo agente, quàm ens creatum in ratione entis et existentis in rerum naturâ dependet à primo et supremo ente; atqui ens creatum, ut existat et conservetur, indiget continuo influxu Dei; ergo etiam ut agat indiget simili influxu.

*Præterea* (et hæc est tertia solutio S. Thomæ), *quamvis per hanc responsionem evitaretur quòd non esset primum simpliciter, non posset tamen vitari quin esset primum agens, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur sicut in causam.* Id est, *dato,* juxta hanc responsionem, agens creatum non esse primum simpliciter et in omni genere, quia non haberet esse à se, vitari tamen non posset quin esset primum agens et primum suæ actionis principium in eâ ratione et eo ordine in quo ab aliâ causâ et alio principio non moveretur, quia, ut dixi, illud primum est quod aliud prius non supponit.

2° Nihil vetat voluntatem creatam à Deo primò moveri et determinari, si ipsa sub istâ Dei motione se etiam moveat atque determinet, sicque suam libertatem servet et rationem laudis et meriti; non enim aliâ ratione adversarii negant voluntatem à Deo primùm determinari, quàm quia putant sub eâ determinatione voluntatem non se movere ac determinare, sed ita determinari ad unum ut non possit oppositum, sicque suâ libertate spoliari; atqui sic est quòd sub Dei determinatione ipsâ voluntas se moveat ac determinet; ad quid enim datur ista motio ac determinatio divina? non certè ut voluntas nihil agat, sed ut agat modo sibi consentaneo, id est, liberè, ita ut possit agere et non agere; unde divina motio et determinatio non solùm non impedit quin voluntas se moveat ac determinet, sed potiùs hoc ipsum facit quòd sub istâ motione ac determinatione se moveat ac determinet; ergo.

Et hæc est constans ac perpetua doctrina D. Th. in omnibus suis operibus. Ex innumeris pauca refero : Imprimis S. doct. 1 p. q. 82, a. 1, ubi cùm resolvisset hominem esse liberi arbitrii, tertio loco sibi objicit : *Liberum est quod sui causa est, ut dicitur 1 Metaph., quod ergo movetur ab alio non est liberum, sed Deus movet voluntatem;* ergo. En tritum argumentum adversariorum, quod est ipsis pro clypeo et ense adversùs præmotiones physicas. Id enim impossibile et inconceptibile ubique clamant, quòd id quod ab alio movetur et determinatur, seipsum moveat ac determinet, sitque ideò liberum. At isti quàm lato distant intervallo à S. Thomâ! « Dicendum, inquit S. doctor, « quòd liberum arbitrium est causa sui motûs, quia « homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agen- « dum; non tamen hoc est de necessitate libertatis « quòd sit prima causa sui, id quod liberum est, sicut « nec ad hoc, quòd aliquod sit causa alterius, requiri- « tur quòd sit prima causa ejus. Deus igitur est prima « causa movens et naturales causas et voluntarias; et « sicut naturalibus causis movendo eas non aufert « quin actus earum sint naturales, ita movendo causas « voluntarias, non aufert quin actiones earum sint vo- « luntariæ, sed potiùs hoc in eis facit; operatur enim « in unoquoque secundùm ejus proprietatem. » 1-2, q. 6. Cùm probâsset, art. 3, voluntatem seipsam movere, probat art. 4 eam etiam moveri à Deo, ita ut utrumque sit conjungendum, et voluntatem à Deo moveri et seipsam movere; et cùm 1° sibi objecisset esse de ratione voluntarii et liberi quòd sit à principio intrinseco, consequenter voluntatem non posse moveri à Deo, respondet : « Dicendum quòd de ratione volun- « tarii est quòd principium ejus sit intra, sed non « oportet quòd hoc principium intrinsecum sit primum « principium non motum ab alio : unde motus volun- « tarius, etsi habeat principium proximum intrinse- « cum, tamen principium primum est extra, sicut et « primum principium motûs naturalis est extra, quod « scilicet movet naturam. » Q. 10, seq. a. 4, o : « Ad « providentiam divinam non pertinet naturam rerum « corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secun « dùm eorum conditionem : ita quòd ex causis neces- « sariis per motionem divinam sequuntur effectus ex « necessitate, ex causis autem contingentibus sequun- « tur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est « activum principium non determinatum ad unum, « sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam « movet, quod non ex necessitate ad unum determi- « nat, sed remanet motus ejus contingens et non ne- « cessarius nisi in his ad quæ movetur naturaliter. » Et cùm 1° sibi objecisset *quòd omne agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet, sed Deo cùm sit infinitæ virtutis resisti non potest... ergo Deus ex necessitate movet voluntatem,* respondet : « Dicendum quòd « voluntas divina non solùm se extendit ut aliquid fiat « per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo « congruit naturæ ipsius. Et ideò magis repugnaret « divinæ motioni, si voluntas ex necessitate movere- « tur, quod suæ naturæ non competit, quàm si move- « retur liberè, quod competit suæ naturæ. » In 2, d. 25, q. 1, a. 1, ad 3 : « Deus in libero arbitrio hoc modo « agit ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso opus-

« rante liberum arbitrium agat, sed tamen determi-
« natio actionis et finis in potestate liberi constituitur :
« unde remanet sibi dominium sui actûs, licet non ita
« sicut primo agenti. » Q. 3, de potentiâ, a. 7, ad 13 :
« Voluntas dicitur habere dominium sui actûs non per
« exclusionem primæ causæ, sed quia causa prima non
« ita agit in voluntate ut eam de necessitate ad unum
« determinet sicut determinat naturam; et ideò de-
« terminatio actûs relinquitur in potestate rationis et
« voluntatis. » Vide insuper 1, c. g. c. 68, q. 6, de Malo, a. unico ad 3, opus. 129, et alibi passim. Et nota S. Thomam in his omnibus loqui de causalitate, motione, determinatione divinâ in ordine physico, ut patet legenti textus et contextus. Voluntariè ergo cæcutit quicumque non videt juxta S. Thomam voluntatem 1° moveri et determinari à Deo etiam in ordine physico, et eam sub istâ motione et determinatione se movere et determinare, proindeque sub motione divinâ illæsam manere libertatem.

## ARTICULUS II.

### *Utrùm in homine lapso sit libertas arbitrii seu indifferentiæ.*

Suppono primum hominem in statu innocentiæ fuisse liberi arbitrii. Patet 1° ex illo Eccli. 15 : *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui;* 2° Ex illo Gen. 2 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quam Dei imaginem intelligunt communiter Patres de libertate arbitrii; 3° quia libertas est proprietas naturæ intellectualis, ut vidimus de radice libertatis. Neque hanc suppositionem negant Lutherani et Calvinistæ, sed volunt per Adæ peccatum fuisse extinctum liberum arbitrium, esseque merè titulum sine re, seu rem de solo titulo, atque in homine læso remanere duntaxat libertatem à coactione. Illis quoad rem subscribit Jansenius, ut patet ex dictis art. præced. et patebit infra, quamvis quoad vocem admittat liberum arbitrium. Contra quos

Dico. : De fide est dari in homine lapsos libertatem arbitrii seu indifferentiæ, 1 p., q. 83, a. 1, q. 24 de Verit. a. 1, q. 6 de malo, art. unic.

Prob. ex S. Script. 1° Eccli. 15, jam. cit. : *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata : Si volueris servare, conservabunt te... apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc autem verba non restringuntur ad solum primum hominem, ut contendit Calvinus, sed etiam extenduntur ad præsentes quos alloquitur sacer scriptor, ut legenti patet. 2° Genes. 4, Deus alloquens Cain post Adæ lapsum : *Sub te,* inquit, *erit appetitus ejus* (scilicet peccati), *et tu dominaberis illius.* 3° Josue ultimo, dùm iste dux Israelitarum eos præsentes hortaretur ad retinendam avitam fidem majorum et ne servirent diis alienis, dicit ipsis : *Optio vobis datur, eligite hodiè quod placet, cui servire potissimùm debeatis, utrùm diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamiâ, an diis Amorrhæorum in quorum terrâ habitatis? Ego autem et domus mea servienus Domino.* Palàm est igitur non agi de Adamo, sed de hominibus tunc viventibus. Adde illud Eccli. 31 : *Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Et illud 1 Cor. 7 : *Quod vult faciat, non peccat si nubat.* Et mox : *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Et plura alia.

Probatur ex concil. Trident. sess. 6, cap. 1, ubi dicitur : Tametsi in eis (filiis Adæ) *liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.* Ibid. can. 4 : *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti..... anathema sit.* Can. 5 : *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satanâ invectum in Ecclesiam; anathema sit.* Can. 6 : *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit.*

Probatur ex Patribus, maximè ex S. Aug., quem reclamant hæretici. Inprimis S. Aug. eo duntaxat fine scripsit librum de Gratiâ et libero Arbitrio, ut probaret utrumque debere admitti : « Quoniam, inquit, sunt
« quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent
« hominis liberum arbitrium, hinc aliquid scribere...
« curavi. » Et cap. 2 : « Ipsa divina præcepta homini
« non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis ar-
« bitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perve-
« niret. » Et infra : « Quomodo jubet, si non est libe-
« rum arbitrium? » Lib. 2 de Nuptiis et Concupisc. c. 3, Pelagianos alloquens : « Liberum in hominibus
« esse arbitrium... utrique dicimus, non hinc estis Cæ-
« lestiani et Pelagiani; ista quippe catholica fides di-
« cit. » Lib. 1, ad Bonifac. cap. 2 : « Quis nostrûm di-
« cat quòd primi hominis peccato perierit liberum
« arbitrium de humano genere? » Epist. 46 : « Si non
« est gratia Dei, quomodò salvat mundum? et si non
« est liberum arbitrium, quomodò judicat mundum? »
Et infra : « Nisi libero arbitrio intelligeremus atque
« saperemus, non nobis præciperetur. » His autem significari non solùm libertatem à coactione, sed etiam à necessitate et indifferentiæ, manifestum est, cùm præciperetur frustra iis qui sunt ad unum necessitate compulsi, ut modò dicam. Quædam alia ex S. Aug. referam art. seq., sed longè plura videri possunt apud Bellarmin. lib. 5, de Grat. et lib. Arbit. cap. 27 et 28; et quantùm ad alios Patres tam Latinos quàm Græcos, capitibus anterioribus.

Probatur ratione à priori. Homo per peccatum non desiit esse naturæ intellectualis; atqui naturam intellectualem inseparabiliter sequitur liberum arbitrium, ut patet ex dictis de radice libertatis; ergo.

Probatur ab experientiâ, quâ apparet hominem liberè unum eligere et aliud respuere (q. 24 de Verit. cit).

Probatur à posteriori, sed efficaciter (1 p., q. 83, a. 1, cit). Si homo non esset liber libertate arbitrii et indifferentiæ, frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia et pœnæ; vel enim homo esset necessariò determinatus ad facienda quæ

præcipiuntur aut consuluntur, et sic frustra præciperetur aut consuleretur id quod non posset non facere; vel esset necessariò determinatus ad eo non facienda, et sic frustra prohiberetur id à quo abstinere non posset; ergo. Confirmatur : Homo in hoc statu naturæ lapsæ aliquando elicit actus meritorios et demeritorios; atqui ad hoc requiritur libertas à necessitate, ut dicam art. seq.; ergo.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° ex S. Scripturâ. Quicumque est liberi arbitrii, est dominus suorum actuum; atqui homo non est dominus suorum actuum, quia, ut dicitur Jerem. 10, *non est in homine via ejus, nec viri est ut dirigat gressus suos;* ergo. — Resp. : Nego min.; ad probat. : Sensus S. Scripturæ est quòd via hominis non sit in ejus potestate quantùm ad executionem et exitum suarum electionum à quo potest impediri, velit, nolit. Electiones autem ipsæ sunt in ejus potestate, supposito tamen divino auxilio. Ib. ad 4.

Inst. 1° : Qui non facit quod vult, et facit quod non vult, non habet in potestate suam electionem; atqui dicit Apost. ad Rom. 7 : *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio;* additque se captivari *in lege peccati;* ergo. — Resp. ad min., ib. ad 1 : Apostolum illic loqui de motibus inordinatis appetitûs sensitivi. Quamvis enim appetitus sensitivus sit rationi subjectus, potest tamen in aliquo repugnare, concupiscendo contra hoc quod dictat ratio; et hoc est bonum quod homo non facit cùm vult, scilicet non concupiscere contra rationem, et in quo se dicit Apostolus captivari sub lege peccati, sentiendo nimirùm motus concupiscentiæ quos nollet, at non illis consentiendo, nam *consentire vel dissentire propriæ voluntatis est,* inquit S. Aug. de Spiritu et Litt. c. 34.

Inst. 2° : Illius non est consentire cujus non est vellé; atqui, juxta Apost. ad Rom. 9, *non est volentis,* scilicet velle, *neque currentis,* scilicet currere, *sed miserentis Dei;* ergo. — Resp. : Dist. min. Non est volentis solius, concedo; non est volentis cum auxilio Dei, nego. Illud ergo verbum Apostoli non sic est intelligendum quasi homo non velit et non currat libero arbitrio, sed quia non vult nec currit, nisi moveatur et juvetur à Deo, juxta illud ad Philipp. : *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere;* item Proverb. 21 : *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet* illud. Ib. ad 2.

Subsumes : Atqui quod ab alio movetur, non est liberum; ergo. Probatur subsumptum. Liberum est causa sui motûs; atqui quod movetur ab alio non est causa sui motûs : ergo. — Resp. : Nego subsumpt.; ad probat. dist. maj. Liberum est causa sui motûs primâ vel secundâ, concedo maj.; necessariò prima, nego maj. et distinctione applicatâ min. Nego conseq. Solutio patet ex § præced. Ib. ad 3.

Repones : Quod merè passivè se habet, non est causa etiam secunda sui motûs; atqui homo respectu motionis divinæ se habet merè passivè; ergo. Probatur min. : Lutum se habet merè passivè in manu figuli; atqui homo comparatur Deo moventi sicut lutum in manu figuli, Isa. 45, Jerem. 18, Eccli. 39, ad Rom. 9; ergo. — Resp. : Nego min.; ad probat. Dist. min.; homo comparatur Deo moventi sicut lutum in manu figuli quoad aliquid, concedo, quoad omnia, nego. Ista itaque similitudo luti non est ad actus internos voluntatis, sed apud Isaiam et Jeremiam adducitur ad significandum hominem non posse magis impedire prospera vel adversa quæ Deus circa ipsum statuit, quàm lutum possit impedire operationem figuli; apud Ecclesiasticum et Apostolum adducitur ad significandum prædestinationem non fieri ex hominum meritis, sed ex Dei voluntate. Verùm, dato gratis utrobique sermonem esse de actibus internis voluntatis, nihil aliud significaretur quàm quod Deus tam facilè possit hominis voluntatem movere quòcumque voluerit, quàm possit figulus lutum in quamcumque formam effingere, cum hoc tamen discrimine, quòd cùm homo sit agens intellectuale, moveatur secundùm suum modum, id est, liberè, quod non competit luto.

Obj. 2° ex Patribus, præsertim ex S. Aug., S. doctor in Enchyr. c. 3, dicit : « Libero arbitrio malè utens « homo et se perdidit et ipsum; nam cùm libero pec- « caretur arbitrio, victore peccato amissum est libe- « rum arbitrium. » Epist. 107 ad Vitalem : « Liberum « arbitrium ad diligendum Deum primi peccati gran- « ditate perdidimus. » Et lib. de Perfectione justitiæ, c. 4 : « Victâ, vitio in quod cecidit, voluntate, caruit « libertate naturæ. » Ergo.

Pro intelligentiâ horum et sequentium quæ opponuntur ex S. Aug., observandum est S. doctorem in his agere contra Pelagianos, qui, ut jam observavimus, contendebant nihil homini detractum esse per peccatum originale quod negabant, sicque ejus liberum arbitrium in nullo fuisse sauciatum et debilitatum quoad bonum, sed pari libertate et indifferentiâ, pari facilitate et propensione se movere ad virtutes et vitia, non secùs ac in naturâ integrâ, neque indigere auxilio Dei ad opus bonum salutis. Hâc observatione præmissâ, — resp. liberum arbitrium dici à S. Aug. amissum peccato Adæ, non quòd sit extinctum quoad substantiam, sed quia est deterius factum et debilitatum quoad bonum eo fermè sensu quo pater dicitur perdere filium quem nimiâ indulgentiâ sinit esse flagitiosum. Patet non solùm ex scopo S. Augustini impugnantis Pelagianos, sed ex ipsis verbis objectis; dicit enim hominem peccato perdidisse liberum arbitrium, sicut seipsum perdidit; non autem se perdidit quoad substantiam, quasi desierit esse homo, sed quoad perfectionem justitiæ et facilitatem virtutis, quatenùs est obnoxius ignorantiæ, concupiscentiæ et morti. Ita ipsemet S. Aug. seipsum disertis terminis explicat lib. 1, ad Bonifac. contra duas Epistolas Pelagii, c. 2 : « Quis, « inquit, nostrûm dicat quòd primi hominis peccato « perierit liberum arbitrium de humano genere? li- « bertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in « paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate « justitiam; propter quod natura humana divinâ in- « diget gratiâ. » Et lib. 2, c. 5 : « Peccato Adæ arbi- « trium liberum de naturâ hominum periisse non di-

« cimus, sed ad peccandum valere in hominibus sub-
« ditis diabolo ; ad benè autem pièque vivendum, non
« valere, nisi ipsâ voluntas hominis Dei gratiâ fuerit
« liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, co-
« gitationis adjuta (Q. 6 de malo, a. unico ad 23). »

Inst. 1° : Nulla remanet naturæ libertas ubi est dura peccandi necessitas ; atqui juxta S. Aug. per peccatum inducta est dura peccandi necessitas ; dicit enim lib. 2 de Perfect. justit. c. 5 : « Quia peccavit (voluntas) se-
« cuta est peccantem peccandi dura necessitas. » Lib. 1 Operis imperfecti contra Julian. c. 105 : « Multùm
« erras, inquit, qui vel necessitatem nullam putas esse
« peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse
« pœnam, quod nullâ necessitate commissum est. »
Et lib. de Nat. et Grat. c. 67 : « Sunt etiam necessi-
« tate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere
« et non potest. » Eamdem necessitatem S. Bernard. serm. 81 in Cant. vocat *incorrigibilem*. Ergo. — Resp. his et aliis similibus textibus triplicem adhiberi solutionem. Prima solutio est S. Aug. loqui de necessitate morali peccandi, sumptâ pro magnâ difficultate à peccato abstinendi propter vitium naturæ corruptæ per peccatum originale, qualis, v. g., contrahitur ex consuetudine peccandi, quæ tamen, inquit idem S. Aug. lib. 2 de Actis cum Felice, c. 8, *quamvis roborata, ab homine superari potest*. Eodem sensu S. Bernardus vocat *necessitatem incorrigibilem*, non quòd sit absolutè invincibilis, sed quia difficillimè vinci potest propter vehementiam pravæ inclinationis (Opusc. 1 contra errores Græc. c. 28).

Uno verbo, S. Aug. in his et similibus textibus nihil aliud intendit contra Pelagianos, quàm hominem post lapsum Adæ non ampliùs habere æqualem facilitatem et inclinationem ad bonum ac ad malum, sed ex inversione naturæ per peccatum, ex pravis concupiscentiis et habitibus habere magnam propensionem in peccatum et magnam difficultatem ab illo abstinendi, ex quâ difficultate sequitur quædam necessitas vaga et indeterminata aliquando peccandi. Unde altera solutio ex priori sequens est S. Augustinum loqui de necessitate peccandi vagâ et indeterminatâ, secundùm quam peccata dicuntur necessaria, quatenùs in hoc statu naturæ vitiatæ et in malum inclinatæ non possint vitari omnia collectivè, quamvis possint vitari singula. Hæc autem necessitas vaga et indeterminata non officit libertati arbitrii : quippe quod non circa omnia simul, sed circa particularia determinatè et singulariter versatur, ut optimè explicatur in 2 ad Annibald. d. 28, q. unicâ, a. 1, ubi dicitur : « Sciendum
« est quòd liberum arbitrium se extendit ad aliquem
« particularem actum, non autem ad totius temporis
« cursum ; in potestate enim liberi arbitrii est, quòd
« nunc velim hoc vel illud, aut non velim ; sed non
« est in potestate liberi arbitrii, quòd nullo tempore
« aliquid voliturus sim, non enim est in ejus potestate
« immutabilitatem habere (Q. 24 de Verit. a. 1 ad 10
« et a. 12 ad 7). »

Tertia solutio est S. Augustinum aliquando loqui de peccatis materialiter sumptis, quales sunt motus indeliberati concupiscentiæ et ignorantia involuntaria, quæ dicuntur peccata materialiter et impropriè quatenùs sunt effectus peccati et movent ad peccatum, et quibus homo carere non potest in hâc vitâ.

Inst. 2° : Ibi est necessitas physica et determinata peccandi, ubi nulla est libertas indifferentiæ ; atqui S. Aug., in Opere imperfecto cont. Julian. et alibi, totus est ut impugnet libertatem indifferentiæ tanquàm basim et fontem totius hæresis Pelagianæ ; ergo.—Resp. Dist. min. Totus est ut impugnet libertatem indifferentiæ ad sensum Pelagianorum, concedo ; ad sensum Catholicorum, nego. Contendebant Pelagiani, ut jam non semel dixi, libertatem hominis in nullo esse sauciatam per peccatum originale quod negabant, neque in peccatum magis quàm in bonum esse propensam, sed in perfecto æquilibrio constitutam pari momento se movere ad virtutes et vitia sicut in naturâ integrâ. Hanc indifferentiam Pelagianam impugnat S. Aug., at non eam quam statuit fides catholica, per quam, licet viribus attenuatam et in malum inclinatam, homo ita remanet dominus suorum actuum, ut possit agere vel non agere, agere hoc vel illud, adjutus scilicet gratiâ ubi agitur de opere salutari, sed quæ gratia urgenti necessitate illi non deest secundùm ejus exigentiam, ut diximus in tractatu de Deo.

Posset insuper objici famosum illud S. Augustini dictum in c. 5 Epist. ad Galat. quod ad nauseam repetit Jansenius, scilicet : *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* —Resp. S. Aug. loqui de delectatione vel deliberatâ vel indeliberatâ. Si de indeliberatâ, intelligenda est necessitas moralis sumpta pro magnâ difficultate aliter faciendi ; docet enim ipse S. Aug. majori delectationi posse resisti ; homo, inquit lib. 83, quæst. 70, *etiam cum dolore magnam venandi delectationem potest cohibere*. Si loquatur de delectatione deliberatâ ut communiter intelligitur, intelligenda est quidem necessitas simpliciter dicta, sed hypothetica et consequens voluntatem ; id enim quod nos magis deliberatè delectat, est id quod præ alio deliberatè diligimus et eligimus ; necesse est autem nos amplecti et sequi in opere externo quod præ alio deliberatè eligimus, sicut necesse est me loqui dùm loquor ; sed hæc necessitas, *ut patet*, sequitur ipsam liberam determinationem voluntatis, sicque ejus libertati non nocet.

## ARTICULUS III.

*Utrùm ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ requiratur libertas à necessitate seu libertas indifferentiæ?*

Posito dogmate fidei, scilicet hominem in statu naturæ lapsæ gaudere libertate à necessitate seu indifferentiæ quam dicimus libertatem arbitrii, quærimus nunc utrùm hæc libertas à necessitate omninò requiratur ad merendum vel demerendum in hoc eodem statu? annon sufficiat libertas spontaneitatis seu à coactione? —Dico : 1° : Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur in homine libertas à necessitate seu libertas indifferentiæ, et non su-

ficit libertas à coactione ( Q. 6 de Malo, a. unico, o,).

Dixi : *Seu libertas indifferentiæ*, ut significarem *conclusionem* esse intelligendam de quâcumque necessitate reali et propriè dictâ, per quam tollitur indifferentia, qualis est non solùm necessitas invariabilis absoluta et totalis, quâ, v. g., Deus est necessariò, invariabiliter, absolutè et totaliter determinatus ad se amandum, beati ad bonum, damnati ad malum, ita ut nullo modo possint oppositum ; sed etiam necessitas variabilis relativa et partialis, quâ, v. g., homo in systemate Jansenii modò in bonum, modò in malum necessariò flectitur per alternativè superiorem delectationem cœlestem vel terrestrem ; quæ necessitas non est invariabilis, ut patet; neque absoluta, sed relativa ad superiorem cupiditatem ; neque totalis, quia supponit inferiorem delectationem conferre aliqualem potentiam ad oppositum ligatam, et impeditam per superiorem delectationem. Hæc, inquam, necessitas etiam excluditur à libertate requisitâ ad merendum vel demerendum, quia pariter per illam tollitur indifferentia quâ quis possit expeditè velle, vel non velle, velle hoc vel illud. Ita definierunt Innocentius XII, Alexander VII, damnando ut hæreticam hanc tertiam propositionem Jansenii *conclusioni* nostræ contradictoriam, in sensu ab auctore intento : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Idem prædefiniverat S. Pius V, et Greg. XIII, damnando hanc 67 propositionem Baii : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* His verò summis pontificibus longè ante præiverat S. Th. q. 6 cit. de Malo, his verbis decretoriis : « Quidam posuerunt quòd voluntas « hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligen- « dum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. « Non enim omne necessarium est violentum, sed so- « lum id cujus principium est extra : unde et motus « naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen « violenti... Hæc autem opinio est hæretica, tollit enim « rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non « enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod « aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non pos- « sit. Est etiam annumeranda inter extraneas philo- « sophiæ opiniones, quia non solùm contrariatur fi- « dei, sed subvertit omnia principia philosophiæ mo- « ralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed « ex necessitate movetur ad volendum, tollitur deli- « beratio, exhortatio, præceptum et punitio, et laus « et vituperium, circa quæ moralis philosophia con- « sistit... Ad hujusmodi autem opiniones ponendas in- « ducti sunt aliqui homines, partim quidem propter « proterviam, partim propter aliquas rationes sophi- « sticas quas solvere non potuerunt, ut dicitur in 4 « Metaph. » Idem docet S. doctor, q. 22, de Verit. ad 7, in 4, d. 49, q. 1 ad 3, quæstiunc. 3, ad 2; et alibi.

Neque respondeas cum Vicentio Lenis seu Fromondo in Theriaca, lib. 2, c 8. et aliis, S. Thomam excludere duntaxat necessitatem brutalem Manichæorum et Stoicorum, seu necessitatem talem quæ sit sine perfectâ cognitione finis, ut in motibus primo-primis. Nam S. Th. excludit omnem necessitatem quâ *quis sic aliquid necessariò agit, quòd vitare non possit.* Hunc autem effectum habet necessitas Jansenii ex superioritate unius delectationis ad aliam, non minùs quàm necessitas Stoicorum et Manichæorum ex fato vel ex superioritate unius animæ ad aliam : unde quamvis istæ necessitates differant origine, sunt tamen pares effectu.

Præter S. Thomam, plures alii Patres laudantur qui eâdem ratione *conclusionem nostram* asserunt. Inter eos S. Hieron. lib. 2, cont. Jovin : *Liberi arbitrii*, inquit, *nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas nec corona est.* Quæ verba referens S. Aug. lib. de Nat. et Grat., c. 65, ea ut certissimè vera approbat his verbis : *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Idem S. Aug. lib. de Fide, cont. Manich. c. 10 : *Quis non clamat stultum esse præcepta dare ei cui liberum non est quod præcipitur facere, et iniquum esse damnare eum cui non fuit potestas jussa complere?* Et lib. de duabus Animabus, cap. 11 : *Peccatum est voluntas consequendi vel retinendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere... nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione suppliciove dignum, qui... id faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis..., et in orbe terrarum genus humanum?* Et cap. 12 : *Dicere... peccati reum teneri quemquam quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ.* Et lib. 3 de Lib. Arbit. c. 18 : *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.*

Probatur ratione. Actus necessarii et merè spontanei non sunt morales : ergo nec meritorii aut demeritorii. Patet conseq.; quia hìc non agitur de merito physicè et impropriè sumpto, secundùm quod omnis bona qualitas physica, puta pulchritudo, dicitur mereri laudem et admirationem, et omnis vitiosa qualitas, puta deformitas, dicitur mereri vituperium : sed agitur de merito, vel demerito strictè et moraliter sumpto, fundato in bonitate vel malitiâ morali nostrorum actuum. Igitur

Prob. ant., 1° ex S. Th. in 2, d. 24, q. 3, ad 2, ubi dicit quòd *ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur :* atqui dominium voluntatis in suos actus non invenitur, nisi dùm est in potestate voluntatis velle et non velle, ut patet ex terminis et docet S. doct. 1 cont. Gent., cap. 68. Item in hâc parte, q. 1 ad 3, dicit *idem esse actus morales et actus humanos;* art. autem 1 ejusd q., probat *illas solas actiones dici propriè humanas quarum homo est dominus et quæ ex deliberatâ voluntate procedunt :* porrò actionum necessariarum, ut est amor beatificus, homo non est dominus, neque procedunt à deliberatâ voluntate, id est, ex liberâ electione : ergo.

Probatur 2° idem ant. ratione. In tantum actus dicuntur morales in quantum subjiciuntur regulis morum et ab iis dirigi possunt : atqui actus necessarii et

purè spontanei non possunt subjici regulis morum, neque ab iis dirigi : ergo. Probatur min. Actus secundùm se invariabiles non possunt subjici regulis morum nec ab iis dirigi; frustraneum enim foret, imò stultum, adhibere regulam actioni quæ aliter esse non posset : atqui actus necessarii et merè spontanei sunt secundùm se invariabiles, ut patet in amore beatifico, in amore beatitudinis in communi et aliis : ergo.

Confirmatur conclusio. Meritum dicit habitudinem ad præmium, unde quis dicitur propriè mereri cùm aliquid dat de suo ut accipiat de alieno, seu exhibet aliquid ex his quæ in suâ potestate habet ut accipiat aliquid ex his quæ alter habet in suâ potestate. Sic inter mercenarium et dominum reperitur propriè meritum et præmium, quia mercenarius ponit aliquid quod est suum et in suâ potestate, scilicet laborem, et accipit quod est in potestate domini, nempe stipendium. Atqui actus necessarii non sunt in nostrâ potestate sic ut possimus illos ponere et non ponere, *ut patet ex terminis*, et ampliùs dicam art. seq. Ergo. Hanc rationem his paucioribus verbis comprehendit S. Th. loco cit. « Per actum proprium quis mereri non potest nisi sit « dominus sui actûs : sic enim suum actum quasi pre- « tium pro præmio dare potest : est autem quis domi- « nus sui actûs per liberum arbitrium. » (Q. 29 de Verit. a. 6.)

Ex his tum auctoritatibus, præsertim S. Th., tum rationibus, *inferes* libertatem à necessitate seu indifferentiæ requiri ad merendum vel demerendum, non solùm ex positivo decreto Dei, ut fingit Henricus à S. Ignatio lib. 2, cap. 8, n. 54, sed ex naturâ rei; sicque requiri in omni statu, quamvis verum sit summos pontifices definivisse tantùm pro statu naturæ lapsæ.

Dico 2° : Ad merendum vel demerendum non requiritur necessariò libertas contrarietatis ad bonum vel malum, sed sufficit libertas contradictionis.

Probatur 1° in Christo, qui erat impeccabilis, et tamen meruit; 2° in angelis, qui in primo instanti meruerunt, nec tamen peccare potuerunt, *ut dixi* in tract. de Angelis; 3° in ipsâ S. Virgine, Apostolis et aliis sanctis confirmatis in gratiâ, qui meruerunt absque eo quòd peccare potuerunt; 4° ratione, quia hoc ipso quo actus est liber libertate contradictionis, ita ut possit poni et non poni, cadit sub regulis morum : de illo enim lex et ratio potest disponere, ipsum præcipere aut prohibere : ergo est moralis, consequenter meritorius aut demeritorius. Patebit magis hæc conclusio ex dicendis in secundâ conclus. art. sequent.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Ad merendum vel demerendum sufficit vera et essentialis libertas : atqui vera et essentialis libertas compatitur naturalem necessitatem : ergo.

Resp. hoc argumentum propriè spectare art. sequentem, ubi *falsam esse minorem* multis argumentis evincemus. Sed nunc *gratis dato* libertatem essentialem compati necessitatem naturalem, et sitam esse in solâ immunitate à coactione, nego maj. Et dico quod in hâc hypothesi, ultra libertatem essentialem, ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ, juxta definitionem Ecclesiæ, SS. Patres, maximè S. Thomam, requiratur insuper libertas à necessitate.

Obj. 2° Ex S. Th. S. doctor, in 2, d. 40, q. 1, ad 1, ait : *Actus sunt in genere moris ex hoc quòd sunt voluntarii :* ergo.

Resp. S. Thomam illic intelligere voluntarium liberum et non merè spontaneum, ut ostendemus art. seq., ubi varia alia S. doctoris testimonia, etiam huc spectantia, exponemus; unum duntaxat, quod parit difficultatem et *conclusionem* nostram directè videtur impetere hìc subjicio. Itaque

Inst. S. Th. in 3, d. 18, ad. 2, ad 5, sic ait : *Dicendum quòd etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, et ita est actûs sui dominus :* ergo ad merendum vel demerendum non requiritur libertas à necessitate.

Primâ fronte videtur difficilis hæc instantia, ob quam quidam restringunt conclusionem nostram ad statum naturæ lapsæ, in quo statu non erat Christus. *Fateor* equidem summos pontifices definisse duntaxat libertatem à necessitate requiri ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ; verùm rationes nostræ et Patrum auctoritates probant id etiam requiri ex naturâ rei et in omni statu. Alii respondent S. Thomam se retractâsse in suâ Summâ. Sed neque necesse est illuc confugere.

Antequàm tamen adæquatè et directè respondeam, observandum velim S. Thomam loco citato non hoc unum dixisse quod objicitur : quærit eò loci *utrùm Christus potuerit mereri*, quod resolvit affirmativè; et cùm sibi objecisset n. 5, sic : *Naturalibus non meremur quia sunt determinata ad unum ; sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum, ergo ipse per liberum arbitrium mereri non potuit ;* huic argumento respondet 1° quòd *liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundùm numerum, sed ad unum secundùm genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest; sed tamen hoc potest facere et non facere, et hoc non excludit libertatem arbitrii, quia posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit S. Anselmus.* Hæc est prima solutio S. Th. secundùm quam exigit ad merendum immunitatem non solùm à coactione, sed etiam à determinatione ad unum numero, hoc est, indifferentiam contradictionis, licet non contrarietatis. Et hanc veram esse sententiam S. doctoris inde eruitur, quòd, cùm in pluribus aliis locis, ut 3 p., q. 18, a. 8, ad 3, et q. 29, de Verit. a. 6, ad 1, idem argumentum tractet, hanc solam solutionem adhibeat, omissâ secundâ quæ nobis objicitur, cujus nusquàm alibi meminit : unde non improbabiliter multi inferunt S. Thomam secundam responsionem, quæ objicitur, adjecisse ex sententiâ quorumdam veterum, qui hanc prærogativam Christo tribuebant, quòd cùm esset comprehensor et ut sic determinatus

ad amandum Deum, potuerit tamen ut viator eodem amore promereri.

Verùm, *dato* S. Thomam respondisse, ut objicitur, ex propriâ sententiâ. resp. sensum ejus esse quòd, quamvis liberum Christi arbitrium esset determinatum necessariò ad amandum Deum secundùm se, potuerit tamen mereri, quia cum tali determinatione remanebat liber ad eamdem dilectionem Dei, prout est ratio diligendi creaturas : unde vult tantùm in eodem actu necessario reperiri meritum non quà parte est necessarius, sed quà parte est liber; aliàs contradiceret priori responsioni, in quà exigit ad meritum immunitatem à determinatione ad unum numero. Neque obstant hæc verba, *quia in illud non coactè sed spontè tendit*, nam *τὸ non coactè sed spontè* idem est ac *non necessariò sed liberè;* sæpiùs enim apud S. Th. et veteres *coactum* sumitur pro *necessario*, et *spontaneum* pro *libero*, ut videbimus art. seq. Et ita hìc sumi apertè indicant hæc verba sequentia : *Et ita est actùs sui dominus*, quod foret falsum si intelligeret de actu necessario; non enim, teste ipso S. doctore, sumus domini actuum necessariorum : *Sumus*, inquit 1 p., q. 82, ad 1, *domini nostrorum actuum secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere.* Addit ibidem, quod est notatu dignissimum et planè decretorium pro veritate interpretationis nostræ : *Electio autem, non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem; unde appetitus ultimi finis non est de his quorum sumus domini.* Ex quo principio, quod ubique constanter tenet S. doctor, præsertim totâ q. 13 hujus partis, palam sequitur non solùm ipsum in instantiâ sumere *τὸ non coactè* pro *τὸ non necessariò*, sed etiam ipsum non loqui de libero Christi arbitrio et ejus amore meritorio, prout terminatur ad Deum secundùm se, seu ut est ultimus finis, siquidem juxta constantem ejus doctrinam ultimus finis sit extra objectum electionis seu liberi arbitrii.

Repones : S. Th. q. 29, de Verit. 6, dicit quòd *Christus eâdem charitate fruebatur et merebatur, sicut eâdem voluntate :* atqui actus charitatis quo Deo fruebatur erat necessarius : ergo.—Resp. ut ante : Christus eâdem charitate fruebatur, quatenùs ferebatur in Deum secundùm se et ut ultimum finem; et eâdem charitate merebatur, quatenùs ferebatur in Deum secundùm quòd est ratio diligendi creaturas. Unde dist. min. : Actus charitatis quo Deo fruebatur erat necessarius prout attingebat Deum secundùm se et ut finem ultimum, conc.; prout attingebat Deum ut est ratio diligendi creaturas, nego. Paritas est in eâ ipsâ voluntate quam designat S. Th. Eâdem quippe voluntate fruebatur et merebatur : fruebatur, quatenùs ipsa voluntas amabat necessariò Deum in se; merebatur, quatenùs eadem ipsa voluntas amabat Deum ut est ratio diligendi creaturas.

Urgebis : Bonitas divina, etiam quatenus est ratio diligendi creaturas, non est minùs infinita quàm bonitas divina secundùm se; est enim eadem divina bonitas : atqui divina bonitas secundùm se clarè visa necessariò amatur : ergo etiam ut est ratio diligendi creaturas.—Resp. : Dist. maj. : *τὸ* quatenùs sumpto materialiter, conc.; sumpto formaliter, nego. Id est, divina bonitas, quæ est ratio diligendi creaturas, est quidem infinita; sed quatenùs est formaliter applicata creaturis, ut ratio eas diligendi, sub istâ formali ratione non est infinita, quia applicatur finito modo, sicut finito modo à creaturis participatur.

*Insistes :* S. Th. hic q. 6, a. 2, ad 3, dicit : *Laus et vituperium consequuntur actum voluntarium secundùm perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis :* atqui perfecta ratio voluntarii reperitur etiam in actibus necessariis, ut in amore beatifico, sicut diximus supra : ergo.

Resp. : S. Thomam loqui de voluntario perfecto hóminis viatoris, quod est semper cum libertate indifferentiæ, saltem contradictionis. Aut si loquatur de voluntario perfecto prout abstrahit à voluntario viæ et patriæ, sensus est quòd laus et vituperium non consequantur actum, nisi sit perfectè voluntarius, non autem quòd consequantur omnem actum perfectè voluntarium, quia requiritur quidem ad laudem aut vituperium, quòd actus sit perfectè voluntarius, sed id non sufficit nisi etiam sit liber; sicut licet laus et vituperium non consequantur nisi actum creaturæ rationalis, non tamen consequuntur omnem actum creaturæ rationalis.

*Replicabis :* S. Th. in 3, d. 12, q. 2, a. 1, ad 3, dicit quòd *impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti et demeriti, non impotentia quæ est ex perfectione in bonitate vel malitiâ, quia hæc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam in bono :* ergo. — Resp. sensum S. Th. esse quòd impotentia benè vel malè agendi orta ex perfectione seu confirmatione in bono vel in malo, non tollat rationem meriti vel demeriti, quia voluntarium scilicet liberum non tollit; et hoc est quod *dixi in secundâ conclus.* et dicam art. seq., scilicet libertatem contrarietatis ad bonum et malum non esse de essentiâ libertatis, nec requiri ad merendum vel demerendum, sed sufficere libertatem contradictionis. Sumit ergo hìc S. Th. voluntarium pro libero et coactionem generaliter tam pro violentiâ quàm pro simplici necessitate, quod ipsi familiare est, *ut dicam modò.* Et hunc esse sensum S. doctoris *patet* tum ex eo quòd in art. cit. quærat utrùm Christus potuerit peccare? tum quia impotentia benè vel malè agendi orta ex confirmatione in bono vel in malo, non est propriè ex violentiâ, sed ex inclinatione necessariò determinatâ ad unum; tum tandem ex argumento cui respondet quòd procedebat de voluntario libero et de impotentiâ peccandi ortâ tam ex violentiâ quàm ex necessitate, secundùm illud quod profert ex S. Aug. : *Nullus peccat in eo quod vitare non potest;* sive autem quis coactione propriâ, sive quis simplici necessitate compellatur ad peccatum, illud vitare non potest.

Plura alia argumenta omitto, quia recurrent art. seq. Unde sit

## ARTICULUS IV.

*Utrum et quæ indifferentia sit de essentiâ liberi arbitrii?*

Quamvis fide certum sit hominem in statu naturæ

lapsæ gaudere libertate a necessitate seu libertate indifferentiæ, eamque requirit in eodem statu ad merendum vel demerendum, ut ex superioribus articulis constat, non desunt tamen theologi catholici qui, cum Jansenio, contendunt hanc indifferentiam, seu libertatem à necessitate, non pertinere ad essentiam liberi arbitrii, sed solùm ad ejus statum in viâ; libertatem autem libero arbitrio essentialem, et quæ ipsi in omni statu competit, esse præcisè libertatem à coactione, seu spontaneitatem cum perfectâ cognitione: unde, juxta illos, Deus libertate essentiali arbitrii se amat et producit Spiritum sanctum, beati eâdem libertate Deum amant, similiter viator beatitudinem in communi.

Non paucis videtur parùm utilis hæc quæstio, et quasi de nomine. Vocetur, inquiunt, ista libertas à coactione libertas essentialis, seu libertas simpliciter dicta, quid nocet, modò in tuto sint dogmata fidei maneatque inconcussum aliam inesse homini viatori et requiri ad merendum aut demerendum in hoc præsenti statu? Ita quidem: attamen negari non potest quin hæc Jansenii opinatio multùm faveat ejus erroribus damnatis, in eâque libertatem arbitrii facilè conciliari posse cum delectatione necessitante, et fortè fuit ad id excogitata: ita ut neque ipse Jansenius neque Lutherus et Calvinus possint postulari eversi liberi arbitrii. At verò eà expugnatâ, solidè firmantur priores fidei assertiones, et doctrina Janseniana radicitùs evertitur. Insuper in hujus quæstionis discutione, varia tum S. Augustini cùm S. Thomæ principia, quibus abutuntur Janseniani et Calviniani, in bonâ luce collocantur. Quapropter accurato examini subjiciendam et pro viribus confutandam existimo. Itaque

*Dico* 1°: Vera et essentialis libertas arbitrii non consistit in solâ immunitate à coactione, cum perfectâ advertentiâ, seu, ut dicunt, in solo voluntario rationali, sed in immunitate à necessitate, seu libertate indifferentiæ. Est communis contra Jansenium, Vincentium Lems seu Fromondum, Henricum à S. Ignatio, e quosdam alios.

*Probatur* 1° ex concil. Trid. Lutherus et Calvinus damnati sunt sess. 6, can. 5 concil. Trid. tanquàm negantes liberum arbitrium hominis, consequenter libertatem veram et essentialem arbitrii: atqui hi non negabant in homine immunitatem à coactione, seu spontaneitatem cum perfectâ advertentiâ; quin è contra eam aperto ore asserebant. *Voluntas*, inquit Lutherus de servo Arbit, *merâ lubentiâ et pronitate ac sponte suâ vult et facit non coactè pro naturâ voluntatis; quæ si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potiùs est, ut sic dicam, noluntas.* Et Calvinus, lib. 2 de lib. Arbit.: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat.* Ergo vera et essentialis libertas arbitrii, juxta Trident. non consistit in solâ spontaneitate.

*Neque dicas* Lutherum et Calvinum fuisse damnatos quòd dicerent libertatem à necessitate non pertinere ad statum hujus vitæ. Equidem *fateor* ideò fuisse damnatos canone 4 et 6, at canone 5 damnantur præcisè quòd negarent liberum hominis arbitrium: *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum et extinctum esse dixerit.... anathema sit.* Immeritò autem concilium eos damnâsset tanquàm negantes liberum arbitrium, si essentia liberi arbitrii sita sit in spontaneitate quam illi ultrò admittebant.

Probatur 2° ex condemnatione duplicis propositionis Baii à S. Pio V et Gregorio XIII. Prima est: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Secunda: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Scio adversarios respondere has propositiones esse damnatas quia ad liberum nihil amplius requirunt quàm esse voluntarium, cùm tamen requiratur insuper, inquiunt, quod procedat à voluntate cum plenâ advertentiâ et deliberatione rationis; unde, juxta ipsos, motus primoprimi et indeliberati concupiscentiæ, quamvis sint voluntarii, non tamen sunt liberi.

Sed contra: 1° Ista responsio est gratuita; 2° est falsa; non enim damnatur prima saltem propositio quia componit voluntarium cum libero, ut patet, hæc enim duo sæpissimè junguntur, sed quia componit libertatem cum necessitate; at sive necessitas sit cum prævià advertentiâ, sive sine illâ, peræquè est necessitas: ergo. 3° Quæro ab adversariis quare motùs necessarii sed prævisi sunt liberi, et motus necessarii improvisi non sunt liberi? Quia, inquit Jansenius lib. de Grat. Chr. cap. 36, motus improvisi, licet voluntarii, *non sunt in hominis potestate, nec sumus eorum domini:* benè; sed subsumo: atqui etiam motus simpliciter voluntarii et necessarii, quamvis prævisi, non sunt in nostrâ potestate, nec sumus eorum domini, ut mox invictè probabo: ergo.

Probatur 2° ex D. Th., cujus auctoritate abutuntur adversarii. S. doct. repetit libertatem arbitrii in Deo, angelis et hominibus ex immunitate à necessitate seu ex indifferentiâ ad agendum et non agendum: ergo juxta S. Th. libertas arbitrii non solùm secundùm statum accidentalem quem habet in nobis viatoribus, sed secundùm rationem suam formalem et prout est communis omni statui, non consistit in solâ spontaneitate, seu voluntario rationali, sed in indifferentiâ seu immunitate à necessitate.

Probatur ant.: S. Th. q. 24, de Verit. a. 3, ubi quærit ex professo utrum in Deo sit liberum arbitrium, respondet in corpore articuli: « Oportet dicere in Deo « liberum arbitrium inveniri, similiter et in angelis; « non enim ipsi ex necessitate volunt. » Unde tertium argumentum, quod sic erat: « Liberum arbitrium est « potentia ad oppositos actus se habens; sed Deus non se « habet ad opposita, cùm sit immutabilis nec in malum flecti possit: ergo liberum arbitrium non est in « Deo, » non solvit negando majorem, prout debuisset negare si censuisset cum adversariis, sed negando minorem et ostendendo esse in Deo potentiam ad opposita seu indifferentiam. « Dicendum, inquit, quòd « voluntas divina se habet ad opposita, non quidem ut « aliquid velit et postea nolit, quod ejus immutabili-

« tati repugnat, nec ut possit velle bonum et malum, « quia defectibilitatem in Deo poneret, sed quia potest « hoc velle et non velle. » Q. 16, de Malo, ad 5 o : « Voluntas Dei, inquit, non sic fertur ad unum in suis « effectibus, quin, quantum est, de se, possit ferri in « aliud; et secundùm hoc competit ei libertas arbi- « trii. » In 2, d. 25, q. 1, a. 1, ad 2: « Ad libertatem « arbitrii pertinet ut actionem aliquam facere possit « vel non facere; et hoc Deo convenit; bona enim « quæ facit, potest non facere. » 1 p. q. 19, a. 10 o, probat Deum non se amare liberè, quia se amat necessariò, sed esse liberum ad ea quæ contingenter seu non necessariò vult extra se.

De angelis, 2 cont. Gent. c. 48, ubi agens de substantiis intellectualibus dicit « libertatem necessè eas ha- « bere si habent dominium sui actûs, ut ostensum « est; » ostenderat autem cap. præced. ratione secundâ, « eas habere dominium sui actûs ratione « voluntatis, utpote in ipsâ existens agere et non « agere. »

De homine, 1 p. q. 19, a. 1 : « Liberum arbitrium, « inquit, habemus respectu eorum quæ non necessariò « volumus vel naturali instinctu. » Q. 83, ad 1 : « Ap- « petitus naturalis non subjacet libero arbitrio. » Ibidem probat hominem esse liberi arbitrii « quia judi- « cium rationis ad diversa se habet, et non est deter- « minatum ad unum. » Et ad 3 : « Liberi arbitrii « dicimur, quia possumus unum recipere, alio recu- « sato. » Adde, juxta D. Th. ut vidimus ad 1 hujus dissertationis, primam et remotam radicem libertatis arbitrii esse naturam intellectualem, capacem omnium formarum in esse intelligibili; secundam minùs remotam, capacitatem intellectûs in intelligendo omnia; proximam ex utrâque priori secutam, ipsam amplitudinem voluntatis ad quodcumque particulare bonum, quorum nullum ejus capacitatem satiare et implere potest : ex quo habet in quodvis particulare bonum dominari, et ad nullum necessitari.

Ex his et aliis innumeris quæ longius foret referre patet quàm vanum, quàm falsum sit unicum effugium quo Henricus à S. Ignatio hæc omnia excipit, dicendo S. Thomam in his omnibus et similibus locis non tradere notionem libertatis in genere, sed notionem libertatis necessariæ ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ : quot enim verba S. doctoris retulimus, tot hunc auctorem falsi arguunt : quasi verò S. Th. loquatur tantùm de libertate necessariâ ad merendum et demerendum in hoc statu naturæ lapsæ, dùm loquitur de libertate Dei et angelorum, et notionem libertatis humanæ repetit ex principiis naturæ intellectuali intrinsecis.

Probatur 3° primâ ratione fundamentali ex principiis ejusdem Angelici doctoris petitâ. Libertas essentialis arbitrii sita est in potestate et dominio quod habemus super nostros actus : atqui actus purè spontanei et necessarii quantumvis cum advertentiâ rationis procedentes, non sunt sub nostrâ potestate et dominio : ergo. Major admittitur ab adversariis et constat ex Scripturâ, quæ libertatem explicat per dominium et potestatem hominis in suos actus. Genes. 4 : *Subter te erit appetitus ejus (scilicet peccati), et tu dominaberis illius.* 1 Cor. 7 : *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.*

Probatur min. multipliciter : 1° disertissimis S. Th. testimoniis, quæ nullum patiuntur effugium : *Dominium,* inquit 1 cont. Gent. c. 68, *quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et violentiam causæ exteriùs agentis.* 1 p. q. 60, a. 1 : *Ejus quod ex necessitate est non sumus domini.* Et q. 82, a. 1, ad 3 : « Sumus domini nostrorum ac- « tuum secundùm quòd possumus hoc vel illud eligere. »

2° Ex aliis Patribus. Clemens Alexand. lib. 4 Stromat. sub finem : « Id est, inquit, in potestate nostrâ « cujus ex æquo sumus domini, et ejus quod ei adver- « satur, ut philosophari vel non, credere vel non. » S. Aug. de Spirit. et Litt. cap. 31 : *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* De eo autem quod quis necessariò facit, non dicitur quòd si vult facit, si non vult non facit; nemo enim seriò dixerit Deum se amare si vult, se non amare si non vult.

3° Ratione. Nulla volitio naturalis est in dominio et potestate nostrâ : atqui datur volitio naturalis tam in Deo quàm in homine perfectè voluntaria et cum plenâ rationis advertentiâ : ergo ut actus sit in dominio et potestate nostrâ, non sufficit quòd sit perfectè voluntarius et merè spontaneus. Minor constat. Sic in homine amor ultimi finis est naturalis et perfectè voluntarius; in Deo amor quo se amat et producit Spiritum sanctum, est naturalis et perfectè voluntarius. Probatur maj. : 1° Naturalia præveniunt dominium nostrum, quia natura est primum in unoquoque et radix omnium, et ideo oportet omnes motus non naturales, quales sunt motus liberi in quos habemus dominium, fundari et radicari in aliquo motu naturali, consequenter ab eo præveniri. Ita perpetuò docet S. Th. q. 22, de Verit. a. 5, 1 p. q. 82, a. 1; ibidem q. 60, a. 2, et alibi : idque ostendit in homine quantùm ad intellectum et voluntatem : « Intellectus enim, inquit « ultimo loco cit., cognoscit principia naturaliter, et « ex hâc cognitione causatur in homine cognitio con- « clusionum quæ non cognoscuntur naturaliter ab ho- « mine, sed per inventionem vel doctrinam. Similiter « in voluntate finis hoc modo se habet sicut princi- « pium in intellectu, ut dicitur in 2 Physic. Unde vo- « luntas naturaliter tendit in suum ultimum finem; « omnis enim homo vult naturaliter beatitudinem, et « ex hâc naturali voluntate causantur omnes aliæ vo- « luntates, cùm quidquid homo vult velit propter « finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter « vult sicut finem, est dilectio naturalis : dilectio au- « tem ab hâc derivata, quæ est boni quod diligitur « propter finem, est dilectio electiva seu libera. » Et hoc ita naturali lumine constat apud omnes, ut inde natum sit commune proverbium : *Quod natura dedit, tollere nemo potest;* quia scilicet naturalia non subja-

cent potestati hominis, sed illam præveniunt et fundant. Ergo.

Probatur 2° eadem maj. : scilicet volitionem naturalem non esse in dominio et potestate volentis, quia aliàs sequeretur absurdum omnium maximum, nempe Patrem et Filium, qui amore naturali perfectè voluntario producunt Spiritum sanctum, eum habere sub suâ potestate et dominio. Ergo.

Neque dicas cum Fromondo quòd, sicut *producere, generare, spirare* possunt purificatis imperfectionibus verificari in mysterio SS. Trinitatis, ita et *dominari :* nam disparitas est quòd *producere, generare, spirare,* nullam in suo conceptu involvant imperfectionem, neque ex parte principii, neque ex parte termini, ut ostendimus in tract. de Trinit. Unde non mirum si, resecatis imperfectionibus quas habent in nobis, verificentur in divinis. At *dominari* in suo conceptu essentiali involvit impræscindibiliter imperfectionem ex parte termini, scilicet subjectionem et inferioritatem : *Dominari,* inquit S. Greg. hom. 84, in Evang., *nihil aliud est quàm subditum quemquam possidere;* et auctor, 1 p. q. 13, a. 7, ad 6 : *In significatione domini clauditur quòd habeat servum.*

Antequàm ad ulteriores probationes procedam, præmittenda est vulgata et communiter recepta doctrina auctoris, scilicet voluntatem posse considerari dupliciter : 1° ut natura est; 2° formaliter ut voluntas est, quia formam quamlibet sequitur sua inclinatio : formam naturalem hominis, quæ in esse intitativo una est, sequitur inclinatio ad unum determinata, et est voluntas ut natura est; formam autem per intellectum apprehensam, cùm sit multiplex, sequitur inclinatio ad multa indifferens, et est voluntas ut voluntas formaliter. Et hinc nascitur inter utramque hoc discrimen, quòd voluntas, ut natura, agat determinata ad unum ex inclinatione ab Auctore naturæ sibi inditâ; voluntas autem, ut voluntas, non agit ut determinata, sed indifferens ad opposita seipsam determinat. Audiatur S. doctor : « Natura et voluntas, inquit q. 22, de Verit. ad « 5 o, hoc modo sunt ordinatæ, ut ipsa voluntas quædam « natura sit, quia omne quod in rebus invenitur natura « quædam dicitur. Et ideò in voluntate oportet in- « venire non solùm id quod voluntatis est, sed etiam « quod naturæ est; hoc autem est cujuslibet naturæ « creatæ, ut à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter « appetens illud, unde et voluntati ipsi inest naturalis « quidam appetitus sibi convenientis boni. Et præter « hoc habet appetere aliquid secundùm propriam de- « terminationem, non ex necessitate, quod ei compe- « tit in quantum voluntas est. » Et ad quintum in contrarium : « Voluntas, in quantum est rationalis, ad « opposita se habet : hoc enim est considerare ipsam « secundùm hoc quod est ei proprium; sed prout est « natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad « unum. » Idem docet 1 p. q. 41, a. 2; q. 2, de Pot. a. 3 o; et alibi. Et hæc doctrina videtur desumpta ex S. Aug. qui, lib. de duabus animabus, cap. 12, dicit : *Illæ animæ si naturâ, non voluntate, faciunt; id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum animi motu carent :* quibus significatur animam naturâ agere, esse, agere sine libero motu; agere autem voluntate, scilicet ut voluntas est, esse sic agere ut possit non agere. Et lib. 2, cont. Felicem Manich. cap. 4 : *Cùm Dominus dicit : Aut hoc facite, aut illud facite, potestatem* (id est, voluntatem) *indicat, non naturam.*

Itaque voluntatem ut natura est sequitur libertas spontaneitatis et lubentiæ; voluntatem autem ut est voluntas formaliter sequitur libertas indifferentiæ. Prima vocatur à S. Th. libertas voluntatis, secunda, libertas arbitrii. Ita q. 24, de Verit. a. 1, ad 20. In hoc ergo maximè hallucinatus est Jansenius, quòd ubique confundat libertatem voluntatis ut natura est, cum libertate voluntatis ut voluntas est formaliter, seu libertatem voluntatis et libertatem arbitrii. Unde, lib. 6 de Grat. salvat. cap. 7, dicit *ex mille D. Augustini locis certissimum esse voluntatem, libertatem voluntatis, liberum arbitrium, arbitrium voluntatis, eadem esse apud ipsum.* Et ideò hoc ipso quòd legebat in S. Aug. aut S. Th. necessitatem non repugnare libertati voluntatis, statim inferebat eam non repugnare libertati arbitrii.

Ex his ergo quæ ab omnibus sanioris doctrinæ theologis communi calculo probantur, duplex eruo argumentum in assertionem nostræ conclusionis.

Primum. Omnis volitio essentialiter libera debet esse à voluntate ut voluntas est formaliter, et non ut est natura; non enim homo est liberi arbitrii secundùm conceptum naturæ communem omnibus entibus, quorum quaslibet formas sequitur inclinatio, sed secundùm conceptum ipsi proprium et prout distinguitur ab entibus non intellectualibus : atqui voluntas ut voluntas est formaliter non est determinata ad unum, sed se habet indifferenter ad opposita, ut patet ex dictis. Ergo. Secundum. Tunc voluntas est libera libertate essentiali arbitrii, quando agit ut voluntas et non ut natura : atqui in his quæ naturaliter et necessariò volumus, quantumvis prælucente ratione, voluntas non agit ut voluntas, sed ut natura : ergo. Maj. patet ex dictis. Probatur min. : tunc voluntas agit ut voluntas, quando ex se determinat seipsam, id enim importat idæa libertatis, et hoc ipsum sonat vox arbitrii : atqui in his quæ naturaliter et necessariò volumus, voluntas ad ea non se determinat ex se, sed est à naturâ determinata, ut patet : ergo.

Probatur ultimò conclusio ab inconvenienti. Juxta SS. Patres, præsertim Aug. lib. 1. de Grat. Chr. c. 47, concordia libertatis cum gratiâ efficaci *ita est..... difficilis..... ut quando asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri :* atqui si libertas essentialis sita sit in solâ immunitate à coactione, seu in solo voluntario rationali, nemo est qui philosophiæ aut theologiæ principiis leviter imbutus facilè non concipiat hujus libertatis cum gratiâ efficaci conciliationem, cùm omnibus notum sit voluntatem à gratiâ non cogi, quinimo id esse impossibile : ergo.

Dico 2° : Indifferentia specificationis seu contrarietatis, sive physica, sive moralis ad bonum et malum, non pertinet ad essentiam libertatis arbitrii, sed sola

indifferentia contradictionis et exercitii. (In 2, d. 25, q. 1, a. 1, ad 2 : 2 cont. G. c. 48, q. 22 de Verit a. 6, 1 p., q. 62, a. 8, ad 3.)

Probatur 1° : Ad libertatem essentialem arbitrii sufficit quòd voluntas sit domina sui actûs : atqui hoc ipso quo est indifferens ad ponendum vel non ponendum actum, est domina illius, ut patet : ergo. (2 cont. Gent. cit.) Probatur 2° : Sic se habet liberum arbitrium ad eligenda ea quæ sunt ad finem, sicut intellectus ad deducendas conclusiones ex principiis : atqui non pertinet ad perfectionem, sed ad defectum intellectûs, quod, prætermisso ordine principiorum, malè inferat conclusionem : ergo non pertinet ad perfectionem, sed ad defectum libertatis arbitrii, quod possit, prætermisso ordine finis, malè eligere media seu peccare. (1. p. q. 62. cit.) Probatur 3° : In Deo et Christo, in angelis et beatis est perfecta libertas et perfectior quàm in nobis viatoribus ; est enim libertas perfectio simpliciter simplex quæ ipsis denegari non potest : atqui tamen non habent indifferentiam contrarietatis ad bonum et malum, cùm sint impeccabiles : ergo. (Ibid.) Probatur 4° : Liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cùm bonum sit objectum voluntatis, sicut verum intellectûs : nec in malum tendit, nisi propter defectum quo apprehenditur non bonum ut bonum : ergo ubi est liberum arbitrium perfectè et sine defectu, in malum tendere non potest. Confer quæ dixi art. 1 hujus dissert. de Definitione libertatis, quòd sit vis electiva mediorum servato ordine finis. (In 2 cit.)

Cæterùm, quamvis constet in principiis D. Th. quòd potentia peccandi non sit pars libertatis secundùm essentiam spectatæ : *Velle malum,* inquit S. doct. q. 22. de Verit. cit., *nec est libertas nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum,* sicut ægritudo, v. g., est signum et defectus vitæ ; dubitatur tamen an si consideratur libertas non secundùm essentiam, sed secundùm statum præsentem quem habet in nobis viatoribus, potentia peccandi non sit pars seu extensio quædam illius sic secundùm statum spectatæ. Alii negant, alii affirmant. Qui affirmant, inter quos noster Gonet., his nituntur rationibus ; 1° quia S. Scriptura, SS. Patres et Concilia explicant libertatem hujus viæ per potestatem extendendi manum ad malum et bonum, eligendi vitam et mortem, hoc est, per potestatem benè vel malè agendi ; 2° quia peccare est actu liberè agere, aliàs non peccaretur : ergo potentia peccandi est libertas in actu primo ; non enim datur actus secundus sine primo ipsi proportionato ; 3° quia potentia non peccandi in nobis viatoribus est pars libertatis : ergo et potentia peccandi ; quia libertas circa unum è contradictoriis involvit libertatem circa alterum, ut salva sit utriusque optio. *Si operari,* inquit S. Th. 3 Ethic. lect. 11, *est in nostrâ potestate, oportet etiam quòd non operari sit in potestate nostrâ, et è converso.* Hæc sententia est probabilis.

Qui negant nituntur his momentis ; 1° auctoritate D. Th. priùs laudatâ, q. 22, de Verit ; 2° quia libertas definitur à D. Th. vis electiva mediorum, servato ordine finis ; 3° quia sequeretur quòd libertas esset perfectior in hominibus viatoribus quàm in Deo, Christo, angelis et beatis ; probatur, quia foret magis extensa : ergo ; 4° quia posse errare non est pars et extensio scientiæ : ergo posse peccare non est pars seu extensio libertatis. Ex quibus inferunt potentiam peccandi esse merum defectum libertatis, non ejus partem seu extensionem. Hæc sententia est etiam probabilis. Videtur tamen quòd possit ejus argumentis sic responderi : Ad primum, S. Th. loquitur de libertate spectatâ secundùm se, non secundùm statum accidentalem quem habet in viatoribus defectibilibus. Ad secundum, pariter : ista definitio est libertatis secundùm se, non secundùm statum accidentalem. Ad tertium, nego ant. Ad probationem, dist. Esset magis extensa servato ordine finis, nego ; prætermisso ordine finis, concedo et nego conseq., quia perfectio sicut essentia libertatis non attenditur penès qualemcumque extensionem seu indifferentiam, sed intra ordinem finis, extra quem si excurrat defectus est, non perfectio. Repones : Libertas est perfectio : ergo extensio libertatis est extensio perfectionis. Resp. : Dist. ant. Libertas secundùm se est perfectio, concedo ; libertas ut defectibilis ratione subjecti in quo est, nego. Ad quartum, disparitas est quòd errare non sit scire, peccare autem est liberè agere.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° contra primam conclus. : Illud est liberum libertate essentiali arbitrii, quod est in nostrâ potestate : atqui omnis actus voluntatis, quantùmvis necessarius, est in nostrâ potestate : ergo. Probatur min. ; illud est in potestate nostrâ quod, cùm volumus, facimus : atqui omnis actus voluntatis, quantumvis necessarius, fit cùm volumus ; si enim nolimus non erit, ut patet : ergo. Major est in terminis S. Aug. in sexcentis locis : *Hoc est in potestate nostrâ,* inquit, *quod cùm volumus facimus ;* et lib. de Spirit. et Litt. : *Hoc quisque in suâ potestate habere dicitur quod si vult facit, si non vult non facit;* sed præsertim lib. 3, de Lib. Arbit. c. 3, et lib. 5, de Civit. c. 10, in quibus continuò urget hoc principium contra Stoicos. Unde de Lib. Arbit. concludit : *Voluntas igitur nostra nec esset voluntas nisi esset in nostrâ potestate ;* quia, ut dicit de Civit. *si volumus, est ; si nolumus, non est.*—Resp. : 1° hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum Jansenii et quod maximè extollunt ejus defensores, nimiùm probare. Ex eo enim sequitur omnes omninò motus voluntatis, etiam primoprimos et indeliberatos, esse in potestate nostrâ et liberos, quia fiunt cùm volumus ad sensum instantiæ, et non fiunt cùm nolumus ; quod tamen negat Jansenius : manifestum est ergo ipsum non attigisse sensum S. Aug. Unde, — resp. : 2° quòd, dùm S. Aug. dicit id esse in nostrâ potestate quod facimus cùm volumus, vel si velimus, utrumque enim promiscuè usurpat, intelligi quòd ita volumus ut possimus non velle vel velle oppositum : unde eodem lib. 3, de Lib. Arbit. c. 18 : *Quæcumque,* inquit, *ista est causa voluntatis, si non ei*

*potest resisti, sine peccato ei cedítur : si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur potest.* Quibus verbis patet S. Aug. requirere ut aliquid sit in potestate nostrâ et liberum, quòd sic faciamus cùm volumus, v. g. peccatum, ut possimus non velle vel velle oppositum. His ergo loquendi formulis, *cùm volumus, si volumus*, usurpavit S. doctor, juxta communem usum loquendi et intelligendi. Cùm enim dicimus, *hoc facimus cùm volumus*, aut *si volumus*, intelligimus velle esse ita in potestate nostrâ ut etiam possumus non velle : de eo enim quod necessariò volumus impropriè et malè diceretur nos illud facere cùm volumus, aut si volumus. Sic benè diceretur de Deo quòd posset creare alterum mundum si vellet aut cùm vellet, quia potest id velle et non velle : at malè et absurdè diceretur quòd possit se amare si vult aut cùm vult, quòd Pater possit generare Filium si vult aut cùm vult. Et hinc quidam sic distinguunt, et benè, secundam majorem argumenti : Illud est in potestate nostrâ quod cùm volumus facimus, ita ut tota et adæquata ratio cur fiat potiùs quàm non fiat, sit quia volumus et ita ex electione determinamus, concedo; ita ut tota ratio cur fiat potiùs quàm non fiat, sit quia sumus et ad sic volendum à naturâ determinamur, nego. Vel breviùs : illud est in potestate nostrâ quod facimus cùm volumus, voluntate ut voluntas est formaliter, concedo; voluntate ut natura est, nego. Hæ omnes solutiones coincidunt et patent ex dictis de distinctione duplicis conceptûs in voluntate. Vide probationem secundam à ratione.

Inst. : S. Aug., locis cit. de Lib. Arbit. et de Civit., non aliter probat contra Stoicos præscientiam Dei stare cum nostri arbitrii libertate, quàm quia quæ Deus præscit fiant à nobis cùm volumus, id est, quia fiunt voluntariè etsi necessariò : ergo. Probatur ant. ; cit. cap. 12 de Civit. probat. libertatem arbitrii cohærere cum necessitate absolutâ, his verbis : *Si illa definitur necessitas secundùm quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis : neque enim et vitam Dei et præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum vivere et cuncta præscire : ergo.* — Resp. : Nego ant. ; ad probat. dico S. Aug. loqui illic de necessitate consequente et hypotheticâ quæ non nocet libertati, sed eam supponit, qualis est, v. g., dùm dico : Necesse est me loqui dùm loquor. Patet ex exemplis quæ profert de præscientiâ et vitâ Dei; Deus enim necessariò præscit futura ex suppositione quòd voluerit ea esse futura. Deus necessariò vivit actibus intellectûs et voluntatis (his enim continetur via actualis Dei), inter quos plurimi, nempe ii qui versantur circa creaturas, sunt liberi, et quibus Deus non vivit necessariò nisi quia voluit.

Cæterùm, quis veriùs attingat mentem S. Aug. judicet æquus lector ex observatione sequenti : S. Aug., in utroque opere cit. de Lib. Arbit. et de Civit. de quibus potissimùm est quæstio, agit contra Stoicos, qui, cùm multa subjicerent fato, ab eo tamen eximebant voluntates nostras, quas dicebant esse liberas. at cùm contenderent hanc libertatem tamen non posse stare cum Dei præscientiâ, istam negabant : unde Ciceroni exprobrat S. doctor quòd, cùm voluerit facere homines, liberos eos fecit sacrilegos. S. Aug. è contra contendit libertatem nostram stare cum Dei præscientiâ. At quomodò ? quia, inquiunt adversarii, reponit S. Aug. libertatem in solâ spontaneitate seu immunitate à coactione, quam certum est non auferri nec lædi per Dei præscientiam. Itane verò? Sed id ultrò admittebant Stoici ; non enim erant adeò mente capti ut crederent præscientiam Dei violentiam inferre voluntatibus seu volitionibus nostris, quod nemo unquàm sanæ mentis dixit, cùm id, fatente ipso Jansenio, apertam implicet contradictionem, scilicet quòd volitio foret nolitio, et quòd quis vellet nolens, ut dicit S. Anselmus. Quapropter, si hìc stetit S. Aug. nec aliter conciliavit libertatem nostram cum divinâ præscientiâ, palmas cessit Stoicis et eorum argumento succubuit. Hoc ergo absurdum devorent adversarii, aut fateantur S. Aug. conciliàsse præscientiam Dei cum libertate nostrâ, non solùm per hoc quòd præscientia non cogeret voluntates nostras, quod admittebant Stoici, sed per hoc quòd nullam ei inferret necessitatem antecedentem, quod negabant Stoici.

Obj. 2°, et simul instabis : Ille reponit libertatem essentialem arbitrii in solâ spontaneitate seu voluntario, qui definit liberum arbitrium per solam immunitatem à coactione : atqui S. Aug. et post ipsum S. Prosper, S. Th. et plures alii, tam Patres quàm theologi veteres, definiunt liberum arbitrium per solam immunitatem à coactione; sic S. Augustinus, lib. de Duabus animabus, cap. 1, dicit liberum arbitrium esse *animi motum cogente nullo;* S. Prosp. cont. Collatorem, c. 18 : *Liberum arbitrium*, inquit, *est rei sibi placentis spontaneus appetitus;* S. Th. in 2, d. 25, q. 1, a. 4 : *Liberum arbitrium dicitur ex eo quòd cogi non potest.* Similiter alii plures. — Resp. : 1° ut ante, ex hoc argumento sequi contra objicientes non solùm motus voluntatis indeliberatos, sed etiam appetitus brutorum esse liberos, quia non coguntur. — Resp. : 2° S. Aug. et post ipsum S. Thomam et alios, nomine coactionis, in definitione liberi arbitrii, non intelligere coactionem strictè, sed paulò latiùs sumptam pro necessitate, et spontaneum pro libero. Tripliciter enim sumi potest coactio : 1° strictè, pro violentiâ illatâ ab extrinseco, passo renitente ; 2° latè, pro determinatione naturali et necessariâ ad unum sine potentiâ ad oppositum ; 3° latiùs, pro vi quâdam morali, absolutè tamen vincibili; quo sensu qui metu mortis aliquid facit dicitur coactè fecisse. Et cùm spontaneum opponatur coactioni, similiter hæc vox *spontaneè* seu *lubenter*, sumitur vel strictè pro immunitate à violentiâ, vel latè pro immunitate à necessitate, vel latiùs pro immunitate à vi morali. Constat autem S. Aug. et post ipsum alios Patres et theologos sæpe sumpsisse

coactionem latè pro necessitate. Sic ipse S. Aug. lib. 1 Retract. c. 15, dicit primos parentes esse culpandos, quia *nullo cogente* peccaverunt, et *Tentator suasit ut hoc fieret, non coegit:* ubi non coactio sumitur pro non necessitate; et disp. 1, cont. Fortunatum Manich.: *Qui cogitur necessitate aliquid facere non peccat;* et alibi. Similiter S. Th. in 2, d. 25, q. 1, a. 5: *Si consideretur libertas secundùm quòd removetur perfecta coactio, sic erit libertas à coactione et necessitate:* ubi sub remotione perfectæ coactionis comprehendit immunitatem à coactione strictè et latè sumptà, scilicet necessitate. Et 3 cont. Gent. cap. 148, ubi suscipit probandum quòd *per auxilium divinæ gratiæ homo non cogatur ad virtutem*, caput inchoat his verbis: *Posset autem videri alicui quòd per auxilium divinum coactio homini inferatur ad benè agendum*, etc.; ubi iterùm coactionem sumit pro necessitate, et sic alibi sæpè; similiter alii Patres et theologi veteres. Hujus autem usûs duplex ratio proferri potest: prima, quòd Manichæi dicebant homines cogi ad peccandum à malâ animâ: *Inviti peccamus*, dicebat Fortunatus apud S. Aug. disp. 2, cont. ipsum, *et cogimur à contrariâ et inimicâ nobis substantiâ:* ut igitur S. Aug. se iis opponeret, respondebat iisdem verbis, nos non cogi ad peccandum: *Qui enim cogitur necessitate aliquid facere*, inquit disp. 1, *non peccat; qui autem peccat, libero arbitrio peccat:* unde lib. de Duabus animabus, contra eosdem Manichæos definit liberum arbitrium, ut dictum est, quòd sit *animi motus cogente nullo.* Et hinc facta est celebris in Ecclesiâ hæc definitio, ita ut sequentes Patres et veteres theologi eam passim usurparent. Altera ratio hujus usûs fuit quòd voces *necessitare*, *necessitandi*, *necessitans*, non sint latinæ, et ideò Patres et veteres theologi, purioris latinitatis studiosi, loco illarum usurpabant voces *cogere*, *cogendi*, *cogens*.

Insuper ad textum S. Th. respondetur satis communiter, liberum arbitrium, juxta S. doctorem, dici inadæquatè ex eo quòd cogi non potest, quia id reverà requiritur ad liberum arbitrium; non adæquatè, quia id non sufficit, sed ulteriùs requiritur quòd non necessitetur.

Inst. 1°: Ille reponit libertatem essentialem arbitrii in solâ spontaneitate strictè sumptâ, qui docet naturalem necessitatem non repugnare libertati voluntatis: atqui id docet S. Th. post S. Aug.: *Naturalis necessitas*, inquit doctor Angelicus, 1 p. q. 82, a. 1 ad 1, *non aufert libertatem voluntatis, ut Aug. dicit.* Idem docet q. 24, de Verit. a. 1 ad 20, et q. 10, de Pot. a. 2 ad 5. Ex quo infert Deum se liberè amare, Patrem et Filium liberè producere Spiritum sanctum. Ergo. — Resp.: Dist. maj. Ille reponit libertatem essentialem arbitrii in solâ spontaneitate strictè sumptâ, qui docet necessitatem naturalem non repugnare libertati voluntatis ut voluntas est formaliter, concedo maj.; qui docet necessitatem naturalem non repugnare libertati voluntatis ut natura est, nego maj. Similiter dist. min. Atqui S. Th. docet post S. Aug. naturalem necessitatem non repugnare libertati voluntatis ut natura est, concedo min.; ut voluntas est formaliter, nego. Libertas igitur voluntatis ut naturæ, est libertas spontaneitatis quâ fertur naturaliter in finem, et huic non repugnat necessitas naturalis; libertas voluntatis ut voluntatis formaliter, est libertas indifferentiæ ad oppositа quâ fertur in media, et huic repugnat necessitas naturalis. Unde perinde est si sic distinguas breviùs minorem. Naturalis necessitas non repugnat libertati spontaneitatis, concedo; libertati indifferentiæ, nego. Solutio est ipsiusmet S. Th., et quod singulare est, eo ipso loco de Verit. qui objicitur: *Habemus ergo*, inquit, *respectu ejus* (scilicet finis seu beatitudinis) *liberam voluntatem, cùm necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, secundùm Aug. 5 de Civit. c. 10; non autem liberum judicium propriè loquendo, cùm non cadat sub electione.* Idem est autem apud S. Th. liberum judicium et liberum arbitrium. Unde ibidem in fine corporis ejusdem art. 1, de Verit. dicit: *Homo est liberi arbitrii, ac si diceretur, liberi judicii de agendo et non agendo;* et 2 cont. Gent. c. 48: *Intellectualia sunt non solùm liberæ actionis, sed etiam liberi judicii, quod est liberum arbitrium habere.*

Quando ergo inde infert Deum liberè se amare. Patrem et Filium liberè producere Spiritum sanctum, intelligit de libertate spontaneitatis, quæ convenit voluntati ut natura est, non de libertate arbitrii. *Dicendum*, inquit, 1 p. q. 19, a. 10, *quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessariò volumus vel naturali instinctu; cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate, ut supra ostensum est, respectu illorum quæ non necessitate vult, habet liberum arbitrium.*

Sub eâdem distinctione excipies quod opponitur ex quibusdam aliis Patribus, nempe voluntatem, hoc ipso quo voluntas est, esse liberam. *Arbitrii libertas*, inquit S. Damasc. lib. 3, de Fide orthod. c. 14, *nihil aliud est quàm voluntas. Ex libertate fit*, inquit S. Anselm. lib. de Concord. q. 1, c. 2, *quod fit ex voluntate. Ubi voluntas, ibi libertas*, inquit S. Bernard. de Lib. Arbit. cap. 1. Hæc, inquam, et similia, quatenùs important libertatem arbitrii seu indifferentiæ, intelliguntur de voluntate secundùm communem significationem acceptâ, ut est voluntas formaliter; quatenùs important libertatem lubentiæ seu spontaneitatis, intelliguntur de voluntate ut naturâ.

Duplici alio sensu, fundato tamen in priori, potest intelligi dictum SS. Aug. et Th., scilicet quòd necessitas naturalis non repugnet libertati voluntatis aut eam non auferat; 1° quòd necessitas specificationis non auferat libertatem exercitii; sic Christus, sic beati, qui sunt necessariò determinati ad bonum in genere, ita ut non possint velle malum, non ideò amittunt libertatem exercitii circa hoc vel illud bonum. 2° Quòd sicut intellectus necessarius primorum principiorum non nocet rationi inferenti conclusionem, sed est ejus fundamentum, ita amor necessarius finis non nocet liberæ electioni mediorum, sed est è contra ejus principium et radix; ex amore enim necessario finis voluntas liberè movetur in media. Ita S. Th. 1 p. q. 82. a. 2: « Necessitas naturalis, inquit, non repugnat voluntati;

« quinimò necesse est quòd sicut intellectus ex necessitate inhæret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhæreat ultimo fini qui est beatitudo : finis enim se habet in operativis sicut principium in speculativis, ut dicitur in 2 Phys.; oportet enim quòd illud quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in unoquoque; et omnis motus fundatur in immobili. » Idem q. 60, a. 2; et aliàs.

Inst.: 2° Fictitia est illa distinctio ejusdem voluntatis in naturam et voluntatem formaliter : ergo corruunt hucùsque datæ distinctiones, et quantùmvis necessariò agat voluntas, semper agit ut voluntas, nunquam ut natura, consequenter semper liberè. Probatur ant. Voluntas juxta SS. Aug. et Th. differt à naturâ; S. Aug. lib. de Duabus animabus c. 12 : *Illæ animæ quidquid faciunt, si naturâ, non voluntate, faciunt*, etc. S. Th. 1 2, q. 10, a. 1, ad 1 : *Voluntas dividitur contra naturam :* ergo. — Resp. : nego ant; neque enim sine injuriâ dici potest fictitium quod tam solidè docet S. doctor assentientibus communiter theologis. Ad probationem, dist. ant.; voluntas differt à naturâ ut causa à causâ, seu penès diversos modos causandi, concedo ant.; ut res à re, subdistinguo : Si natura sumatur sub præcisione et ut est natura tantùm, concedo; absolutè, nego. Sic homo distinguitur ut res à re ab eo quod est animal tantùm, non verò ab eo quod est animal et homo. Utraque solutio est D. Th. et, quod miraberis, prima est ex eodem loco, scilicet 1-2, q. 10, a. 1, ad 1, qui nobis truncatus objicitur. Cùm sibi opposuisset S. Th. : *Agens naturale dividitur contra agens voluntarium, non ergo voluntas ad aliquid naturaliter movetur :* en planè argumentum quod nobis opponitur : respondet : « Ad primum, dicendum quòd voluntas dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam; quædam enim fiunt naturaliter et quædam fiunt voluntariè. Est autem alius modus causandi proprius voluntatis quæ est domina sui actûs, præter modum qui convenit naturæ, quæ est determinata ad unum; sed quia voluntas in aliquâ naturâ fundatur, necesse est quòd motus proprius naturæ quantùm ad aliquid participetur à voluntate, sicut quod est prioris causæ participatur à posteriori. Est enim priùs in unaquâque re esse quod est per naturam, quàm velle quod est per voluntatem, et inde est quòd voluntas aliquid naturaliter vult. » Quibus verbis habes et argumenti solutionem, et probatam distinctionem voluntatis in naturam et voluntatem formaliter.

Alteram solutionem tradit S. doctor q. 22, de Verit. a. 5. in 6 argumento in contrarium : « Dicendum, inquit, quòd voluntas dividitur contra appetitum naturalem cum præcisione sumptum, id est, qui est naturalis tantùm, sicut homo contra id quod est animal tantùm : non autem dividitur contra appetitum naturalem absolutè, sed includit ipsum sicut homo includit animal. »

Inst. 3° : Atqui, datâ distinctione voluntatis in naturam et voluntatem formaliter, necessitas naturalis juxta SS. Aug. et Th. non aufert libertatem voluntatis etiam ut voluntas est, seu libertatem indifferentiæ : ergo. Probatur ant. Homo amat necessariò suam beatitudinem, similiter Deus amat necessariò suam justitiam : atqui secundùm SS. Aug. et Th. in hoc utroque amore Deus et homo sunt liberi libertate arbitrii : ergo. Probatur min. S. Aug. lib. de Nat. et Grat. c. 46, cùm ipsi objecisset Pelagius, voluntatis arbitrio ac deliberatione privari quidquid naturali necessitate constringitur, respondet hoc modo : « Perabsurdum est ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram (id est libertatem) quòd beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nescio quâ et bonâ constrictione naturæ : nec dicere audemus ideò Deum non voluntatem (libertatem) sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare. » Et lib. Operis imperfecti, c. 99 : « Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem, quia injustus esse non potest? » Loquitur autem de libertate arbitrii, aliàs non satisfaceret argumento Pelagii. Similiter S. Th. q. 24, de Verit. a. 3, probat quòd in Deo liberum sit arbitrium, eo quòd *ipse habet voluntatis suæ finem quem naturaliter vult, scilicet suam bonitatem :* quæ probatio videretur ridicula, si liberè non amaret suam bonitatem tanquàm voluntatis suæ finem; hæc enim consecutio : *Deus in se independenter à quocumque alio habet voluntatis suæ finem quem naturaliter amat : ergo habet liberum arbitrium*, esse non potest legitima, nisi finem illum voluntatis suæ, suam utique bonitatem, sic naturaliter amet, quod tamen liberè. Ita quantùm ad S. Th. Henric., à S. Ignatio, lib. 2, c. 3. — Resp. : Distinguo subsumptum. Juxta SS. Aug. et Th. necessitas naturalis contrarietatis et specificationis non aufert libertatem, concedo subsumpt., necessitas contradictionis et exercitii, nego subsumpt. Nec aliud intendit S. Aug.; agit enim locis citatis contra Pelagianos, qui ad libertatem arbitrii requirebant indifferentiam contrarietatis ad bonum et malum, juxta illud dictum Juliani : *Liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum et malum :* contra quem infert S. Aug.: *Ergo Deus liber non est, qui malum velle non potest : siccine laudas Deum ut ei auferas libertatem?* Quasi diceret : Deus non habet indifferentiam contrarietatis, seu non potest velle malum, et tamen est liber : ergo indifferentia contrarietatis ad bonum et malum non requiritur ad libertatem. Consequenter quamvis Deus non possit esse injustus, est tamen liberè justus, quia potest justitiam exercere circa hoc vel illud. In cujus probationem profert duo exempla, nempe quòd homo necessariò amet suam beatitudinem, et Deus necessariò suam justitiam; qui tamen amores sunt liberi, quia ex aliquâ parte habent aliquam indifferentiam. De amore beatitudinis patet; quamvis enim homo non possit velle esse miser, potest tamen in exercitio suspendere amorem beatitudinis, quia potest avertere ejus cogitationem, sicque est liber et indifferens quoad exercitium circa ipsam beatitudinem. De amore justitiæ patebit ex instantiâ sequenti.

Quantùm ad S. Thomam, nescio quâ fronte nobis possit objici, nedùm contra ejus mentem, sed contra formalissima ejus verba, in eodem ipso loco qui objicitur. Ecce ejus textum, non mutilum, ut refertur, sed integrum quantùm spectat præsentem difficultatem : *Quòd in Deo sit liberum arbitrium hinc apparet quòd ipse habet voluntatis suæ finem, quem naturaliter vult : alia verò omnia vult quasi ordinata ad hunc finem, quæ quidem absolutè loquendo non necessariò vult, ut in præcedenti quæstione ostensum est, eò quòd bonitas ejus his quæ ad ipsam ordinantur non indiget, nisi ad ejus manifestationem, quæ convenienter pluribus modis fieri potest : unde remanet ei liberum judicium ad volendum hoc vel illud sicut in nobis est : et propter hoc oportet dicere in Deo liberum arbitrium inveniri. Et similiter in angelis : non enim ipsi ex necessitate volunt quidquid volunt, sed hoc quod volunt ex libero arbitrio volunt, sicut et nos.* Falsissimum est ergo S. Thomam probare liberum arbitrium in Deo ex eo quòd naturaliter amet suam bonitatem, nisi fortè radicaliter, quatenùs omnis motus liber radicatur in naturali, ut explicuimus supra ; sed probat formaliter et formalissimè, quia non vult naturaliter et necessariò ea quæ ordinantur ad suam bonitatem, sed potest velle hoc vel illud : *Et propter hoc*, inquit, *oportet dicere in Deo liberum arbitrium inveniri :* sicut angeli et homines sunt liberi quia non necessariò volunt quidquid volunt. Ita ut iste solus textus, etsi alii deficerent, sententiam nostram juxta mentem S. doctoris invictè probet et contrariam evertat. Hinc et ex præcedentibus videat sincerus lector quæ fides sit adhibenda hujusmodi scriptoribus qui tam infideliter corrodunt et truncant auctoritates Patrum, quove loco sit habenda opinio quæ non nisi falsatis et adulteratis testimoniis sustineri potest.

Inst. 4° : Juxta S. Aug. proximè cit., Deus liberè libertate arbitrii amat suam justitiam : atqui illam amat necessariò necessitate exercitii, non enim potest hunc suum amorem suspendere : ergo.— Resp. : Dist. min. Deus necessariò necessitate exercitii amat suam justitiam in se et secundùm se sumptam, concedo min. ; sic enim est ipse Deus ; ut terminatam ad creaturas, nego min. Cùm enim liberè operetur circa creaturas, ita liberè amat sua attributa prout terminantur ad illas, ut jam supra dixi.

Inst. 5° : Deus voluntate immobili, quam retractare non potest, amat suam justitiam etiam prout terminatur ad creaturas ; quod enim semel voluit, vult immobiliter, quia est immutabilis : ergo amat necessariò.—Resp. : Dist. conseq. Ergo amat necessariò necessitate consequente et hypotheticâ, concedo ; necessitate antecedente et absolutâ, nego. *Ex hoc*, inquit S. Th. 1, p. q. 10, a. 3, ad. 2, *quòd Deus vult ab æterno quidquid vult, non sequitur quòd necesse est eum illud velle nisi ex suppositione.* Hæc autem necessitas ex suppositione non nocet libertati, sed eam supponit : etenim supponit Deum liberè se determinâsse ad faciendum circa creaturas id quod potuisset non facere.

Inferes : Ergo pari jure dici debet beatos in patriâ liberè libertate arbitrii Deum amare. Probatur illatio ; quia in viâ se etiam liberè determinaverunt ad hunc amorem beatificum.—Resp. : Nego illationem Ad probationem, dist. ant. : In viâ se liberè determinaverunt ad amorem beatificum libertate meriti, concedo ; libertate principii elicientis, nego. Quamvis ergo beati in viâ habuerint voluntatem indifferentem ad merendum vel non merendum beatitudinem, ista tamen voluntas indifferens nunquàm fuit in eis principium elicitivum amoris beatifici, sicut in Deo fuit, secundùm modum nostrum concipiendi, pro priori ad decretum, voluntas indifferens elicitiva volitionis circa creaturas. Unde Deus liberè elicuit amorem creaturarum, nunquàm beati elicuerunt liberè amorem beatificum.

Repones : Angeli in viâ se liberè determinaverunt ad amorem beatificum per modum principii elicientis : ergo hi saltem sunt liberi libertate arbitrii circa amorem beatificum. Probatur ant. Idem actus charitatis, quem angeli elicuerunt in viâ, perseverat in patriâ : atqui illum elicuerunt liberè in viâ : ergo. — Resp. : Nego ant. ; ad probationem dist. maj. Idem actus charitatis quem elicuerunt in viâ perseverat quoad substantiam in patriâ, transeat maj. ; quoad modum elicientiæ, nego. In viâ enim procedebat à voluntate regulatâ judicio indifferenti, in patriâ procedit à voluntate regulatâ judicio determinato ad unum. Unde nunquàm amor beatificus, ut beatificus in angelis, elicitus fuit à voluntate indifferente, sicut amor creaturarum in Deo, etiam qualis est modo, elicitus fuit à voluntate indifferente, quæ voluntas nunc adhuc manet indifferens quantùm est ex meritis objecti, nec nisi ratione immutabilitatis divinæ est invariabilis.

Obj. 3° ex libertate Christi. Christus fuit liber libertate essentiali arbitrii, 1° in adimplendo præcepto Patris de morte subeundâ ; 2° in amando Deo ; 3° in non peccando : his enim tribus meruit. Atqui in his tribus non fuit liber libertate à necessitate seu indifferentiæ ; non enim potuit 1° non mori, quia non potuit non obedire Patri ; 2° non potuit non amare Deum, quia erat comprehensor ; 3° tandem non potuit peccare, puta, mentiri, quia erat ab intrinseco impeccabilis. Ergo. — Fateor hæc tria continere gravissimas difficultates quæ propriè pertinent ad tract. de Incarnatione. Interim nunc breviter resp. ad primum, dist. min. : Christus non potuit non mori, non obedire privativè, concedo min. ; negativè, nego min. et consequent ; quia ad libertatem non requiritur quòd potuerit recusare mortem reduplicativè ut præceptam, et non obedire privativè seu contrariè, id est inobedire ; sed sufficit quòd potuerit recusare mortem secundùm se consideratam, quod est posse non mori negativè, et posse non obedire negativè ; quia, ut dixi, potentia peccandi, seu libertas contrarietatis, non requiritur ad libertatem arbitrii. Quòd autem Christus, stante præcepto Patris de morte subeundâ, potuerit non mori negativè, inde patet quòd præceptum superveniens, utpote voluntati extrinsecum, illam non immutet, sed supponat è contra necessariò libertatem, quia non datur præceptum de actibus necessariis. Idem valet si sic distinguas : Non potuit non mori seu non

obedire potentiâ consequente, potentiâ futuritionis et in sensu composito, concedo; potentiâ antecedente, potentiâ possibilitatis seu in sensu diviso, nego. Sed latiùs alibi, ut dixi.

Ad secundum, duplex solutio adhibetur à Thomistis. Prima distinguit duplicem in Christo dilectionem, utramque ad Dei bonitatem in se et ratione suî terminatam : unam regulatam scientiâ beatâ et necessariam, alteram regulatam scientiâ infusâ et liberam. Cùm enim amor sequatur cognitionem, duplicem cognitionem comitatur duplex amor. Ita Capreol. Ferrar. Soto, Joannes à S. Th. Contensonus.

Altera solutio distinguit in eodem actu amoris duplicem terminationem : unam ad divinam bonitatem in se consideratam, et prout est ratio diligendi Deum et perfectiones ejus necessarias; alteram terminatam ad eamdem divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, cum quibus non habet necessariam connexionem. Sub primâ formalitate est necessarius, sub secundâ est liber. Utraque solutio patitur suas instantias, quas, Deo dante, diluemus in dicto tractatu de Incarnatione.

Ad tertium, dist. maj.; Christus fuit liber in non peccando, si sumatur non peccare, puta, non mentiri, negativè pro merâ cessatione ab actu peccandi, nego; nec in hoc meruit; si sumatur non peccare pro actu positivo quo vel bonum peccato oppositum faciebat, puta, veritatem dicebat, vel præcepto se positivè subjiciebat, vel volitionem non mentiendi eliciebat, aut in eâ volitione complacebat, conc. In his enim actibus positivis, cùm proponerentur sub indifferentiâ judicii quantùm ex propriis meritis, erat liber et his merebatur.

*Obj.* 4° : Omnis actus perfectè voluntarius est liber libertate essentiali arbitrii : atqui sunt plures actus perfectè voluntarii necessarii, ut amor beatificus, amor beatitudinis in communi : ergo. *Probatur maj. :* 1°. Omnis actus cui præest judicium rationis est liber libertate essentiali arbitrii, cùm tunc excedat modum agendi naturalium : atqui actui perfectè voluntario præest judicium rationis : ergo. 2°. Ille actus est liber in quo voluntas movet se ipsam ; inde enim probat S. Th. q. 24, de Verit. a. 2, bruta non esse libera, quia non se movent, sed moventur : atqui in omni actu voluntario voluntas se movet, est enim potentia vitalis cui proprium est se movere ab intrinseco : ergo. — *Resp. : Nego maj. : Ad primam prob. dist. maj. :* Omnis actus cui præest judicium rationis indifferens, est liber, concedo *maj.;* cui præest judicium rationis determinatum ad unum, *nego maj.* Voluntas enim est potentia cæca sequens ductum rationis. Unde si ratio proponat objectum sub indifferentiâ, voluntas fertur in illud indifferenter; si proponat objectum sine indifferentiâ, voluntas fertur in illud necessariò : neque hoc obstat quin in hoc voluntario necessario, si sit ex perfectâ cognitione finis, ut amor beatificus, excedat modum agendi naturalium : hæc enim agunt sine cognitione, aut cum imperfectâ cognitione (1 p. q. 83, a. 1).

*Ad secundam probationem dist. maj.* Ille actus est liber in quo voluntas se movet ex determinatione naturæ, *nego;* in quo se movet ex propriâ determinatione, *concedo; et distinctione applicatâ min., nego conseq.* Non sufficit igitur ad libertatem arbitrii quòd agens se ipsum moveat simpliciter ex determinatione naturæ, alioquin non solùm bruta, sed omnia viventia forent libera, quia de ratione viventis est quòd se moveat ab intrinseco ; sed insuper requiritur quòd se moveat ex proprio judicio et propriâ determinatione ac deliberatione, ita quòd sic unum velit et agat, ut possit non velle et non agere, quod non reperitur in actu voluntatis necessario.

*Inst.* 1°: Omnis actus imperatus à voluntate est essentialiter liber : atqui omnis actus perfectè voluntarius à voluntate elicitus, est actus imperatus : ergo. *Patet maj.*, quia inde dicitur actus liber, quòd sit sub imperio voluntatis. *Probatur min.* Omnis actus elicitus perfectè voluntarius, est supra seipsum reflexivus, sicque est volitus ex imperio voluntatis : unde S. Anselmus, dialog. de lib. Arbit. c. 3, ait : *Omnis volens ipsum suum velle vult :* et S. Th. 1, 2, q. 16, a. 4, ad 3 : *Quia actus voluntatis reflectuntur super se ipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus, et electio et usus, ut si dicatur quòd voluntas consentit se eligere et consentire, et utitur se ad consentiendum et eligendum ;* ergo omnis actus elicitus perfectè voluntarius est imperatus. — *Resp. : Dist. maj.* Omnis actus propriè et strictè imperatus est essentialiter liber, *concedo maj.;* latè et impropriè imperatus, *nego maj., et ad hunc sensum distinctâ min., nego conseq.* Quamvis ergo in omni volitione voluntas per reflexionem super suum actum velit velle, et hoc sensu possit dici volitio imperata : ut tamen propriè et strictè sit sub imperio et dominio voluntatis, debet ipsa sic velle volitionem ut possit non velle ; *Ejus enim quod est ex necessitate*, inquit Auctor, 1, p. q. 81, a. 1, *non sumus domini ;* et 1 - 2, q. 17, a. 6 : *Actus necessarius et qui aliter se habere non potest, non est in potestate nostrâ, sed in ordine naturæ, et ideò, propriè loquendo, naturæ imperio subjacet, non voluntatis.*

*Inst.* 2°. Omnis actus voluntatis qui est cum delectatione est essentialiter liber : *Liberâ voluntate facimus*, inquit S. Aug. in Psal. 134, *quia delectati facimus* : atqui omnis actus voluntatis, quamvis necessarius, est cum delectatione ; *nisi delectet et ametur*, inquit idem S. Aug. lib. de Spir. et litt., *non agitur :* ergo. — *Resp.* : *Dist. maj.* Omnis actus voluntatis qui est cum delectatione deliberatâ et vincibili, est liber, *concedo maj.;* qui est cum delectatione indeliberatâ et invincibili, *nego maj.* Alioquin motus primoprimi essent liberi, quod negant adversarii.

*Inst.* 3°. Omnis actus non coactus, est liber : atqui omnis actus voluntarius est non coactus ; ergo. *Probatur maj.* Non cogi est proprietas libertatis : atqui ubi est proprietas ibi est essentia : ergo. — *Resp. : Ad probationem nego majorem*, et dico quòd non cogi sit proprietas voluntarii, quod dividitur in voluntarium necessarium et liberum. Adde hoc argumento

probari motus primoprimos et indeliberatos esse liberos.

Obj., 5° et simul inst. : Amor beatificus est necessarius : atqui tamen est liber libertate essentiali : ergo. Probatur min. Amor beatificus est actus humanus : ergo est liber.—Resp. : Nego min. : Ad probat. nego ant. Illæ enim actiones, inquit Auctor, propriè dicuntur humanæ quarum homo est dominus et quæ ex voluntate deliberatâ procedunt. Vel dist. ant. : Amor beatificus est actus humanus quoad substantiam operis, concedo, quia procedit ab homine cum perfectâ cognitione summi boni ; quoad modum operandi, nego, quia non procedit ab homine secundùm modum agendi illi proprium, quia est cum dominio et electione voluntatis. (1-2, q. 3, art. 1.)

Inferes : Ergo amor patriæ est imperfectior amore viæ. Probatur illatio. Deest illi in patriâ perfectio quam habet in viâ : ergo. Probatur ant. : Deest illi libertas : atqui libertas est perfectio : ergo.— Resp. : Nego illationem. Ad probat. nego ant. Ad probat. dist. min. : Libertas circa media est perfectio, concedo min. ; libertas circa ultimum finem est perfectio, nego suppositum. In principiis enim D. Th. libertas non est de fine præsertim ultimo, sed de mediis : neque tamen beati carent libertate absolutè, sed secundùm quid tantùm ; licet enim amor beatificus, prout fertur in Deum secundùm se, et ut est objectum primarium clarè visum, careat libertate, est tamen liber prout fertur in Deum ut est ratio diligendi creaturas. Insuper hæc carentia libertatis circa objectum primarium abundè compensatur, imò longè superatur per felicem necessitatem adhærendi immutabiliter summo bono et ultimo fini, unde fluit omnis libertas et omnis perfectio.

Obj. 6. : Si libertas essentialis arbitrii sita sit in indifferentiâ agendi et non agendi, sequitur quòd gratia per se efficax perimat libertatem : atqui falsum consequens : ergo et ant. ; probatur sequela. Gratia per se efficax tollit indifferentiam, determinando infallibiliter ad unum : ergo. — Resp. nego sequelam. Ad probat. dist. ant. : Gratia per se efficax tollit indifferentiam passivam et potentialem, concedo ant. : indifferentiam activam seu actualem, nego ant. et conseq. Indifferentia passiva et potentialis est cùm voluntas otiosa est et suspensa ab actu : hanc quidem tollit gratia applicans voluntatem ad actum, sed non pertinet ad essentiam libertatis, quin è contra est ejus imperfectio, cùm omnis potentia perficiatur per suum actum propter quem est : et aliàs sequeretur, quòd Deus, qui semper est in actu, non esset liber, et quòd voluntas quoties ageret, etiam supposito quòd ex se solâ ageret independenter à motione divinâ, amitteret libertatem, cùm tolleretur ista indifferentia potentialis et suspensiva. Indifferentia activa seu actualis, est dùm voluntas sic agit ut retineat potentiam non agendi, et hæc indifferentia est de essentiâ libertatis, quam non tollit gratia per se efficax, sed potiùs confert ; quia non solùm movet ut fiat actus, sed etiam ut liberè fiat, et cùm sit efficacissima, sequitur quòd actus infallibiliter liberè fiat, hoc est, servatâ potentiâ non agendi. (1 p. q. 10, art. 8 et alibi.)

Inst. Ista indifferentia agendi et non agendi est æquilibrium : atqui gratia per se efficax, determinando voluntatem ad unum, etiam per modum liberi, tollit æquilibrium : ergo. — Resp. nos neque rem neque nomen æquilibrii in hâc materiâ agnoscere, quia illud non legimus neque in S. Scripturis, neque in definitionibus Ecclesiæ, neque in SS. Aug. et Th., nisi fortè dùm S. Aug. illud lepidè exprobrat Pelagianis.

Cæterùm si per æquilibrium intelligatur potentia resistendi cuivis gratiæ, simul et potentia vincendi quamlibet tentationem auxiliante Dei gratiâ mediatè vel immediatè, rem admitto, quia nihil est aliud quàm indifferentia activa quam non tollit gratia per se efficax ; sed immeritò dicitur æquilibrium. Si verò per æquilibrium intelligatur æqualitas propensionis et facilitatis, imò et facultatis sensu Molinistico sufficientis tam ad bonum quàm ad malum, partim Pelagianum, partim falsum arbitror, nec requiritur ad libertatem.

Tandem Jansenius cum suis, in suî patrocinium advocat Scotum et Scotistas, quasi reponerent libertatem essentialem arbitrii in solo voluntario seu spontaneitate. At ipsis respondet erud. P. Franciscus Henno Minorita, tract. de Principiis actuum humanorum, disp. 1, q. 4, his verbis : « Admittimus libertatem essentialem sub ideâ libertatis communiter « acceptæ, nego ; sub ideâ cujusdam immunitatis ab « aliquo onere, concedo. » Et paulò post ait libertatem à coactione « dici essentialem, non quia essentiam habet libertatis secundùm communem sensum « intellectæ, sed quia immunitas, quam importat, est « quasi homini essentialis, cùm sit ab eo inseparabilis « per quamlibet potentiam, eo quòd à nemine possit « voluntas in suis actibus cogi : è contra libertas à necessitate dicitur accidentalis, non quia non habet « essentiam veræ libertatis, sed quia accidentaliter « inest homini, cùm ab eo saltem divinitùs possit « separari. » Ita laudatus Scotista juxta suæ scholæ principia, quæ, ut patet, nullatenùs favent Jansenio.

## ARTICULUS V.

*Utrùm stante indifferentiâ judicii, voluntas possit necessariò moveri?*

In aliam partem jam convertimur ; debellatis in præcedentibus articulis Jansenio et ejus sequacibus, nunc cum Suaresio et aliis ejusdem scholæ theologis congredimur.

Thomistæ, duce doctore Angelico, libertatem voluntatis ex indifferentiâ judicii repetunt, indeque concludunt, stante hâc judicii indifferentiâ, voluntatem non posse de necessitate moveri. Verùm Suaresius et ejus symmystæ, cùm id absolutè negare non possent secundùm communes Providentiæ leges, et tamen inde viderent probari præmotionem physicam non nocere libertati, quæstionem suscitârunt, utrùm de potentiâ Dei absolutâ voluntas, stante judicio indifferenti, non possit *necessitari?* (Semel pro semper sit huic verbo venia.)

*Dico* : Implicat voluntatem, stante judicio indifferenti, necessitari (Q. 25, de Verit. a. 20.). *Probatur :* Voluntas est appetitus rationalis sequens cognitionem et ductum intellectûs, cùm non sit nisi boni quod sibi per vim cognitivam proponitur : sunt verba D. Th. loc. cit., estque principium quod passim inculcat, et quod nemo in dubium revocat, utpote in naturâ rerum fundatum. Quamlibet enim formam seu naturam sequitur sua inclinatio ipsi proportionata, ut patet in omnibus, sicque inclinatio naturæ intellectualis est appetitus rationalis sequens formam per intellectum apprehensam. Ergo, sicut implicat voluntatem appetere objectum quod sibi per intellectum non proponitur, seu incognitum, ita implicat aliter appetere quàm sibi proponitur, consequenter necessariò appetere quod sibi sub indifferentiâ proponitur; alioquin, sicut in primo casu, ita et in secundo foret et non foret appetitus rationalis.

*Confirmatur* 1° : Totius libertatis radix est in ratione constituta : unde secundùm quod aliquid se habet ad rationem, ita se habet ad liberum arbitrium : sunt iterùm verba S. doctoris ibidem, et *patet ex his quæ dixi de radice libertatis.* Ergo implicat voluntatem necessariò adstringi alicui objecto circa quod se habet indifferenter ratio. *Confirmatur* 2° : Sic se habet voluntas circa bonum, sicut intellectus circa verum : hoc principium ubique urget S. Th.; atqui implicat quòd intellectus habeat ut certissimum objectum, ipsique firmiter adhæreat, quod incertum esse advertit : ergo similiter implicat quòd voluntas necessariò adhæreat objecto quod non ex omni parte bonum et plenè satiativum, sed cum indifferentiâ proponitur. *Confirmatur* 3° : Implicat voluntatem agere sine ullâ cognitione, quia, ut dictum est, est essentialiter appetitus rationalis sequens cognitionem et ductum intellectûs : atqui id contingeret si ferretur necessariò in objectum sub indifferentiâ propositum : ergo. *Prob. min. :* Non ageret nec regeretur per illam cognitionem quæ repræsentat objectum ut indifferens, alioquin ferretur etiam in illud indifferenter, neque foret altera cognitio, ut supponitur : ergo sine ullâ cognitione ageret.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1° cum Suaresio, prolegomen. 1, de Grat. c. 4, Deum, stante judicio indifferente, posse movere necessariò voluntatem *expressè* docuit S. Th. q. 22, de Verit. a. 8, ubi in principio corporis dicit « Deum « posse immutare voluntatem de necessitate, non ta« men posse eam cogere » : ergo — Resp. S. Thomam hæc quidem verba illîc habere, sed longè diverso sensu. Dicit S. Doctor deum posse immutare voluntatem de necessitate, ubi est judicium determinatum ad unum, ut in amore beatitudinis in viâ, et in amore beatifico in patriâ; sunt ipsissima exempla quæ adhibet : at plus quàm falsum est eum dicere *expressè* Deum voluntatem posse immutare de necessitate, stante judicio indifferente, de quo est quæstio; id neque hic neque alibi unquàm somniavit S. doctor. Si totum hunc articulum legisset objiciens, aut si lectum intelligere voluisset, deprehendisset non solùm sensum quem expono, sed aliquid aliud quod illi summoperè displicuisset, nempe præmotionem physicam expressè assertam : dicit enim ibidem S. doctor : « Potest Deus « immutare voluntatem ex hoc quod ipse in voluntate « operatur sicut in naturâ : unde sicut omnis actio « naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in « quantùm est actio, non solùm est à voluntate, sed « à Deo ut primo agente qui vehementiùs imprimit : « unde sicut voluntas potest immutare suum actum in « aliud, ut ex dictis patet, ita et multò ampliùs Deus. » Non est Thomista qui magis *expressè* præmotionem physicam asserat : quid enim aliud significari potest his verbis : *Sicut voluntas potest mutare suum actum, ita et multò amplius Deus, quia est primum agens et vehementiùs imprimit*? Deinde quod spectat præsentem difficultatem, dicit S. doct. Deum posse dupliciter immutare voluntatem, 1° simplici motione; 2° imprimendo et superaddendo formam seu habitum; et si hæc forma seu inclinatio superaddita, sit perfecta, tunc de necessitate movet voluntatem : « Sicut, in« quit, per naturam de necessitate inclinatur voluntas « in appetendum finem, sicut contingit in beatis, in « quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bo« num.... Quando verò forma superaddita non est « usquequaque perfecta, sicut in viatoribus, tunc ex « formâ superadditâ voluntas inclinatur quidem, sed « non ex necessitate. » Vide modò, si potes, S. Thomam in eo loco *expressè asserentem* voluntatem, stante judicio indifferente, posse moveri de necessitate : interim videbunt contrarium qui habent oculos et sensum.

*Inst.* cum eodem. Juxta S. Aug. in Enchyr. c. 98, Deus, quia est omnipotens, potest movere voluntatem hominis quando, ubi et quomodò voluerit, si nulla sit in modo movendi contradictio : atqui quòd Deus moveat voluntatem necessitando illam, nulla est contradictio : ergo. *Probatur min. :* Quòd Deus moveat voluntatem salvâ ejus libertate, non est contradictio secundùm Thomistas : ergo à fortiori eam necessitando. *Patet conseq.* quia videtur difficilius movere efficaciter voluntatem salvâ ejus libertate quàm eam necessitando, cùm in priori modo oporteat in eâdem actione potestatem non agendi servare cum infallibilitate agendi, quod videtur difficile; in modo autem posteriori cessat illa difficultas : ergo. — Resp. S. Aug. non dixisse *quomodò voluerit*, sed *quando et ubi voluerit.* Sed hoc dato, dist. min. : Quòd Deus moveat voluntatem necessitando illam sublatâ indifferentiâ judicii, nulla est contradictio, concedo; stante indifferentiâ judicii et permanente præsenti rerum ordine, nego. Tunc enim sequeretur quòd voluntas esset et non esset appetitus rationalis : esset ut supponitur, et non esset, quia lucem et ductum rationis non sequeretur : hæc autem contradictio non habetur dùm stante indifferentiâ judicii movetur salvâ libertate, quia tunc movetur secundùm suam naturam et ut est appetitus rationalis.

*Inst.* 2° cum eodem. Licet voluntas habeat duplicem potestatem, agendi scilicet et non agendi, potest tamen per omnipotentiam secundùm unam sini ope-

rari, et secundùm alteram, subtracto concursu, impediri ne suammet operationem possit suspendere; ista potentia non operandi tunc esset defectu concursûs constricta et impedita : ergo.

Confirmatur cum professore Duaceno ejusdem societatis in dictatis anni 1724. Stante indifferentiâ judicii potest voluntas necessitari ad cessandum ab actu, Deo scilicet denegante concursum : ergo etiam necessitari ad agendum. Si enim indifferentia judicii non sufficiat ut dicatur libera omissio quæ ex concursu denegato infallibiliter sequitur, cur sufficeret ut dicatur liber actus qui ex motione prævià inevitabili et superante vires arbitrii sequeretur? — Resp. ad argumentum et confirmationem. Vel per subtractionem concursûs ad omittendum impeditur tantùm voluntas ne de facto omittat actum quem ponit, vel impeditur ne possit omittere stante indifferentiâ judicii. Si primum, nihil nocet libertati, id enim ipsi contingit quoties agit, unde omissio in hâc hypothesi non fit necessaria, sed remanet libera. Si secundum, destruitur voluntas ut voluntas est, est enim essentialiter appetitus rationalis, seu rationis ductum sequens, et sicut ipsi essentiale est ut non possit non velle objectum quod ipsi sine indifferentiâ proponitur, ita et ipsi essentiale ut possit non velle objectum quod ipsi sub indifferentiâ proponitur.

Inferes : Ergo, stante indifferentiâ judicii, voluntas non potest vinci à Deo, quod derogat ejus omnipotentiæ. — Resp. : Dist. illatum. Voluntas non potest vinci à Deo, id est, non potest infallibiliter et efficaciter mutari, nego; id est, non potest de necessitate moveri stante indifferentiâ judicii, concedo. Neque id magis derogat divinæ omnipotentiæ, quàm quòd non possit facere ut homo manens homo sit lapis.

Inferes iterùm. : Ergo saltem Deus omnipotens non poterit extrahere voluntatem à suo connaturali modo agendi; quòd enim feratur necessariò in objectum sine indifferentiâ propositum, est ipsi connaturale : id autem videtur pariter injuriosum divinæ omnipotentiæ.

Resp. Nego illationem, quia non solùm est connaturale voluntati ut necessariò feratur in objectum sine indifferentiâ propositum, sed etiam ipsi est connaturale ut objectum quod non est summum bonum ipsi proponatur cum indifferentiâ. Potest autem Deus proponere voluntati objectum creatum eâ parte tantùm quâ est bonum, non proponendo eâ parte quâ est defectuosum et limitatum, quo casu non moveret voluntatem eo modo quo petit connaturaliter moveri.

Neque dicas quòd in hoc casu Deus causaret in homine judicium falsum; non enim requiritur in casu, quòd intellectus judicet positivè hujusmodi objectum esse summum bonum, sed sufficit quòd cognoscat illud cognitione imperfectâ, eâ solum parte quâ est bonum, abstrahendo seu non cognoscendo quâ parte est limitatum et malum, ut contingit in motibus subitis : abstrahentium autem non est mendacium.

Obj. 2° cum Henno : Potest Deus, stante indifferentiâ judicii, præmovere physicè voluntatem, ut fatentur adversarii; sed voluntas physicè præmota est, determinata ad unum, ut etiam volunt ipsimet : ergo stante indifferentiâ judicii, potest necessitari. — Resp. Concessis præmissis, nego conseq.; vel, brevitatis et claritatis gratiâ, dist. min. Voluntas physicè præmota est determinata ad unum liberè, concedo; necessariò, nego. Sed hæc ad philosophos.

Obj. 3° cum eodem. Indifferentia judicii, utpote quid extrinsecum, non potest dare voluntati libertatem : ergo absentia indifferentiæ judicii nihil conferre potest ad necessitandam voluntatem. — Resp. Dist.: maj. Indifferentia judicii, utpote quid extrinsecum, non potest dare voluntati libertatem, per modum causæ formalis, concedo maj.; per modum causæ radicalis, nego maj. Sic radix vitis dat esse racemo, licet sit quid illi extrinsecum : indifferentia autem objectiva judicii est, ut diximus, radix indifferentiæ subjectivæ, in quâ formaliter consistit libertas.

Inst. cum eodem : Nihil necessitare potest voluntatem, nisi ipsam intrinsecè immutet, cùm intrinsecè sit libera : atqui extrinsecum, quale est absentiâ indifferentiæ judicii, non potest intrinsecè mutare : ergo. — Resp. ut ante, dist. maj. Nihil potest necessitare voluntatem, nisi ipsam intrinsecè immutet formaliter vel radicaliter, concedo; nisi ipsam intrinsecè immutet formaliter, nego; similiter, distinguo minorem : Absentia indifferentiæ judicii non potest mutare voluntatem intrinsecè formaliter, concedo; radicaliter, nego. Sic arescente radice arescit racemus, quamvis radix sit illi extrinseca : cùm ergo indifferentia judicii sit radix libertatis, eâ ablatâ desinit libertas.

Obj. 4° cum eodem : Si homo agens ex indifferentiâ judicii semper esset liber, malè Ecclesia condemnâsset Lutherum et Calvinum negantes in homine liberum arbitrium : falsum consequens; ergo. Probatur sequela. Illi hæretici admittebant hominem operari ex illâ indifferentiâ judicii, consequenter sustinebant quoad rem liberum arbitrium, licet voce tenùs negarent : dicere autem condemnatos fuisse propter solam quæstionem de nomine, nulla est verisimilitudo. — Resp. : Nego sequelam. Ad probat., potest 1° negari ant. Quamvis enim illi hæretici fortè non negaverint formaliter et expressè indifferentiam judicii in homine moto per gratiam, illam tamen virtualiter et arguitive negârunt, hoc ipso quo dixerunt hominem sub gratiâ moveri tantùm spontaneè, et ut equum sub sessore, sicut dicit Calvinus lib. 2 Instit., c. 3. Certum est enim neque voluntatem spontaneam neque equum sub sessore moveri cum indifferentiâ judicii. Sed datâ istâ parte antecedentis, nego secundam, scilicet consequenter hos hæreticos negâsse voce tenùs tantùm liberum arbitrium, et quoad rem admisisse. Sed dico eos errâsse non solùm ut theologos contra fidem, sed etiam ut philosophos contra rationem. Erraverun contra fidem negando reipsà liberum arbitrium, et hoc condemnavit Tridentinum. Erraverunt contra rationem, existimantes voluntatem stante indifferentiâ judicii posse necessitari, ut existimant ipsi adversarii; et hoc non condemnavit Tridentinum, sed reliqui

disputationi philosophorum et theologorum, utpote ad finem non pertinens. Confer quæ dixi, 1 p. dissertat. de Decretis, a. 4, § 4.

Inst. cum eodem.: Si Patres et theologi existimâssent stante indifferentiâ judicii libertatem non posse auferri, indubiè hanc rationem facilem et obviam adhibuissent contra hæreticos, qui cùm negarent liberum arbitrium, non tamen negabant hanc indifferentiam: atqui nullibi legimus illam adeò facilem et obviam responsionem usurpâsse : ergo.

Resp. 1° ad maj. inprimis nos non absolutè concedere hæreticos non negâsse saltem virtualiter et implicitè indifferentiam judicii, ut patet ex superiori responsione; sed dato illos eam non negâsse, illam eis theologi non opposuerunt (si reverà non opposuerint), quia supervacaneum judicârunt urgere philosophica contra illos à quibus nec ipsa ratio audiebatur, quique manifestissimis S. Scripturæ testimoniis de apertâ hæresi, scilicet sublatâ libertate, facilè poterant convinci. — Resp. 2° : Nego minorem. Hanc enim responsionem ipse Bellarminus, lib. 4, de Grat. et Lib. Arb., c. 10, adhibet contra Lutherum et Calvinum, citatque S. Greg. Niss. lib. 7 de Philosophiâ, eâdem ratione utentem : et ita legi in pluribus aliis theologis verisimile est, sed eos adire et otiosè scrutari nec tempus vacat nec momentum rei exigit: neque quod dicit Henno, se id nullibi legisse, aliquid probat; non enim omnes legit. Sed quid quærimus theologos? Sit unus pro mille S. Thomas. Is enim ubicumque agit de libero arbitrio, 1 p., q. 83, a. 1, q. 6, de Malo q. 25, de Veritate a. 1, et alibi illud constanter probat contra hæreticos ex indifferentiâ judicii, atque juxta veteres, præsertim S. Aug. et Magistrum sententiarum, illud definit, quòd sit facultas voluntatis et rationis, voluntatis subjectivè, rationis radicaliter. Ita iterum in 2, d. 24, q. 1, a. 1, q. 24, de Verit. a 5, 1 p., q. 83, cit. et alibi. Junge modò S. Thomæ quotquot sincerè ejus doctrinam profitentur.

## Digressio historico-dogmatica.

UTRUM JANSENIUS REVERA DOCUERIT HANC DAMNATAM PROPOSITIONEM : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione?*

*( Ad art. 3 præcedentis dissert. )*

Si decreta SS. pontificum, imò nunc totius Ecclesiæ, eâ quâ par est reverentiâ ab omnibus susciperentur, nulla foret hìc quæstio quæ discussione indigeret; siquidem propositio de quâ agitur, sit damnata à SS. pontificibus Alexandro VII et Clemente XI, plaudente universali Ecclesiâ, in sensu à Jansenio intento. At quia ejus defensores pertinaciter contendunt SS. pontifices in hoc errore facti fuisse deceptos, reverâque Jansenium nunquàm docuisse errorem obvium hujus propositionis, et ideò inventâ famosâ distinctione juris et facti, dixerunt juri, seu damnationi erroris in dictâ propositione contenti, sinceram obedientiam esse præstandam, facto autem, scilicet hunc errorem Jansenium docuisse, sufficere obsequiosum silentium. Quapropter veritatem Constitutionum Apostolicarum ex ipsomet Jansenio probandam et defendendam suscipimus.

Unde dico: Jansenius reverà docuit hanc propositionem damnatam : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Probatur 1° formalissimis Jansenii verbis; lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 24, pag. 27, col. 2, edit. Rothom. dicit : S. Augustino *abundè satis est quòd peccator... sciens et prudens plenâ voluntate feratur in malum, sive ab istâ diligendi mali necessitate se impedire possit, sive non possit.* Lib. 6 de Grat. Christ., cap. 24, p. 294, col. 1, dicit *opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium, ex hoc quòd est voluntarium, spontaneum, non coactum, tametsi sit determinatum ad unum* : quod falsissimè prætendit esse de mente D. Th. Et paulò post, relatis his S. Th. verbis ex 2, d. 25, a. 4, ad 4, *nunquàm liberum ad peccandum compelli seu cogi, quia jam sibi peccatum non imputaretur*, subdit, *quasi indicans sufficere ut in peccatum imputetur quia non cogitur.* Ibidem c. 28, p. 297, col. 2, contendit probare ex Richardo de Mediâ Villâ, *necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti, modò absit coactio.* Et lib. 8 de Grat. Chr., cap. 9, p. 355, col. 2, loquens de concupiscentiâ cujus impulsu in hoc statu demeremur et peccamus, dicit quòd S. Augustinus *apertissimè aliquoties tradat esse in hominibus peccandi necessitatem, et in istâ necessitate peccandi non esse securitatem conscientiæ, quasi non esset peccati rea : voluntatem jam ita peccare ut non sit ei liberum à peccato abstinere, quod Adamo liberum fuit, nec tamen idcircò desinere esse peccatum.* Ergo.

Probatur 2° ex primâ propositione damnatâ, quam in terminis habet Jansenius, lib. 3 de Grat. Chr., cap. 13, p. 138, 2 col. E, ubi dicit *esse præcepta quædam quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque et justis volentibus, conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam quâ possibilia fiant;* neque tamen ideò eos excusari à peccato, quod, inquit, S. Petri exemplo aliisque multis quotidiè manifestum est. Porrò, si, justis volentibus et conantibus, quædam præcepta sunt impossibilia secundùm præsentes quas habent vires, desitque gratia quâ possiblia fiant et tamen inde peccent et demereantur : ergo illa præcepta necessariò transgrediuntur, peccant et demerentur, quod enim impossibile est ut fiat, necessariò non fit. Ergo ad peccandum et demerendum non requiritur libertas à necessitate. Eadem autem est ratio meriti et demeriti quantùm ad arbitrii libertatem, ut patet et docet Jansenius, lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 24.

Probatur 3° ex systemate duplicis delectationis indeliberatæ quam in toto suo opere, et præsertim lib. 4 de Grat. Christ. constanter docet Jansenius. Juxta illud systema, 1° voluntas nihil potest agere boni vel mali, nisi mota à delectatione cœlesti seu terrenâ :

ita docet Jansen. lib. 4 cit., c. 3, 7, 9, 10, et innumeris penè locis. 2° Necesse est voluntatem nostram sequi motum delectationis quæ gradibus alteram superat ita ut delectatio superior nunquàm possit vinci ab inferiore; quia, ut tradit Jansen. lib. 8 de Grat. Chr., c. 2, p. 344, col. 2, *Delectatio victrix quæ S. Augustino est efficax adjutorium relativa est. Tunc est victrix quando alteram superat; quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis desideriis inefficacibus hærebit animus, nec efficaciter unquàm volet quod volendum est;* seu quia, ut centies repetit Jansenius, *quod amplius delectat, secundum id operari necesse est.* Ex quo principio infert quod modò dicebam, voluntatem necessario sequi impressionem majoris delectationis, et hanc nunquàm posse vinci à minori delectatione, quippe quæ remanet ligata à superiori. Ita lib. 4 de Grat. Chr., c. 6, 9, 10; lib. 7, c. 5; lib. 8, cap. 20, et alibi passim. Ergo ex hoc systemate duplicis delectationis indeliberatæ palàm sequitur hominem lapsum, sive in bono sive in malo, non esse liberum à necessitate simplici et variabili, sed esse duntaxat vertibilem ab unâ ad aliam necessitatem, quam vertibilitatem aliquando placet Jansenio vocar eindifferentiam, ut modò dicam; consequenter sequitur ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione.

Probatur 4° ex aliis principiis Jansenii. Ille docet ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione, 1° qui non agnoscit in hoc statu naturæ lapsæ aliam libertatem quam libertatem à coactione, seu libertatem spontaneitatis voluntariæ; 2° qui negat in hoc statu indifferentiam contradictionis, 3° qui non agnoscit in eodem statu aliam potentiam agendi et non agendi quàm potentiam quâ voluntas potest flecti in bonum et in malum, et transferri ab unâ captivitate seu necessitate ineluctabili, puta concupiscentiæ, in aliam gratiæ et è converso. Atqui hæc tria constanter docet Jansenius. Ergo. *Major est evidens.*

Probatur min. Et quantum ad primum, titulus capitis 6, lib. 6, de Grat. Chr. hic est: *Duplex necessitas S. Augustino, coactionis, et simplex, seu voluntaria. Illa, non hæc, repugnat libertati.* Ibid pag. 266, in fine: *Ex quibus apertè consentaneum est omnem omninò voluntatem, quantumcumque ad unum determinatam, nullà necessitate, quà dicitur necesse est ut velit, desinere esse liberam, quia non desinit esse voluntas, quæ non esset si nollemus; sicut enim omnis voluntas necessariò est voluntas, ita juxta hoc principium, etiam liberi arbitrii.* Et infra: Sola necessitas violenta... seu necessitas coactionis, libertati arbitrii *adversatur.* Deinde, prolatis quibusdam D. Augustini testimoniis ad probandum *solam necessitatem coactionis adimere libertatem*, caput sic concludit: *Nescio quid manifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandam cujusque volitionis libertatem, etiam illius quam nos habere necesse est.* Attende ad hæc ultima verba. Nam

Respondent defensores Jansenii eum in locis citatis agere de libertate genericè et abstractè sumptâ, non de libertate hujus statûs, ad merendum et demerendum requisitâ.

Contra, equidem scio Jansenium in præfatione 6 libri de Grat. Chr. et in 1 capite libri 7, indicare se agere de generali ratione libertatis; at quâ mente? fortè, ut quidam observârunt, quia cùm quæ traditurus erat de libertate sciret esse singularia et inde commovendos scholasticos, ut ipse fatetur lib. 6, c. 6, si quædam reprehenderentur, posset statim respondere se de libertate in genere locutum fuisse de quâ reverà aliquando loquitur. Sed quidquid sit, quantùm ad hoc, de mente Jansenii, saltem certo certius est ipsum non solùm de libertate in genere, sed etiam et maximè de libertate hominis in hoc statu ad merendum et demerendum requisitâ agere: quod multipliciter et invictè probo: 1° ex ipsis verbis Jansenii in primâ et in hâc probatione citatis, quibus disertè loquitur de libertate requisitâ ad merendum et demerendum in hoc statu, et de libertate quam necesse est nos habere. Idque iterùm patebit ex mox citandis, eritque obvium cuique qui legere voluerit Jansenium toto lib. 6 et 7, et passim. 2° Certum est Jansenium locutum fuisse de eâ libertate quam cum gratiâ Dei conatur integris voluminibus conciliare, ut ipsemet declarat primâ lineâ præfationis 6 libri de Grat. Chr. *Ordo postulat*, inquit, *ut jam de concordiâ gratiæ istius medicinalis et liberi arbitrii paulò accuratiùs disseramus*: atqui hæc libertas non est libertas genericè et abstractè sumpta, sed libertas hominis in hoc statu requisita ad benè vel malè agendum: ergo. 3° Certum est Jansenium agere de libertate quam negabant Manichæi et quam plus æquo extollebant Pelagiani, ut patet ex toto ejus opere: atqui iterùm hæc libertas non erat libertas in communi et in abstracto sumpta, sed libertas hominis viatoris, in ordine ad meritum vel demeritum: ergo. 4° Plusquàm absonum foret Jansenium tot annos (decem et octo) et tot volumina impendisse in explicandâ unius libertatis abstractè sumptæ notione, quæ vix aut-ne vix ad ejus institutum conducit, et tacuisse de libertate hominis viatoris, ex quâ ejus meritum et demeritum, salus et damnatio pendent, de quâ erat potissimum quæstio, et de quâ ipsemet Jansenius (N.B.) primis verbis primi capitis primi libri de Grat. Chr. declarat se in toto opere per decem libros integros acturum; sic enim caput istud primum primi libri et totius operis inchoat: *De liberatione arbitrii voluntatis, seu reparatione libertatis ejus acturis, potissimum sese offert difficultas de causis liberationis ejus.* Ubi palàm est ipsum loqui de libertate hominis, ut est in statu naturæ lapsæ et vulneratæ. Cæterùm qui dictis meis fidem detrectat, propriis oculis experimentum faciat, et non dubito quin miretur, sicut ego miratus sum, quàm falsum, quàm inane, quàm miserum sit istud effugium quo Janseniani suum auctorem ab errore damnato vindicare nituntur. At de hoc plusquàm satis, ad alia proposita pergamus.

Probatur secunda pars minoris. Jansenius, cap. 14 et 15, lib. 7 de Grat. Chr., contendit indifferentiam exercitii seu contradictionis non esse necessariam li-

bertati arbitrii in hoc statu naturæ lapsæ. Cùm enim cap. 13 dixisset : *Potest putari quòd indifferentia exercitii, hoc est agendi et non agendi (sub quâ comprehenditur etiam indifferentia eligendi hoc vel illud), ad libertatem necessaria sit*, cap. 14 sequenti affligit hunc titulum : *Afferuntur quatuor absurda quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur ;* et caput sic orditur : *Et sanè si non est alia libertas vera voluntatis quàm agendi et non agendi..., gravissima absurda evitari nequeunt, quibus non solùm tota doctrina S. Aug. funditùs concutitur, sed etiam sensus christianæ pietatis læditur et communis offenditur.* Duo prima absurda quæ dicit sequi ex illâ indifferentiâ contradictionis, si sit necessaria libertati, sunt quòd operatio tam gratiæ quàm concupiscentiæ ex diametro repugnaret arbitrii libertati, quia nempe juxta Jansenium voluntas nostra ligatur et vinculatur alternatim operatione gratiæ et concupiscentiæ, per quod destruitur indifferentia contradictionis, ut vidimus supra et hic iterùm repetit Jansenius. *Facit autem hoc*, inquit, *gratia* (scilicet non consentire concupiscentiæ) *fortiter affigendo affectum ipsi justitiæ ne deorsùm cadat, idque non aliter nisi cœlestis delectationis vehementiâ, quasi suavi et amoroso vinculo.* Et infra : *Ita posse augeri motum titillantis cupiditatis, ut non possit ei indifferentis libertatis nisu amplùs repugnari, sine sanæ doctrinæ violatione negari nequit.* Neque hìc dicere possunt defensores Jansenii ipsum loqui de libertate abstractè sumptâ, et non de libertate hominis in hoc statu naturæ lapsæ, siquidem loquatur de libertate qualis est sub gratiâ et concupiscentiâ in homine lapso, ad benè vel malè agendum.

Probatur tertia pars min. Jansenius, lib. 8 de Grat. Chr., cap. 20, videtur initio capitis agnoscere in homine lapso potentiam peccandi sub gratiâ, et potentiam non peccandi sub concupiscentiâ in sensu diviso, non in sensu composito, quem explicat sicut explicant ipsi Thomistæ, sic nempe ut sub gratiâ maneat potentia peccandi, non tamen conjungendi peccatum cum gratiâ : similiter de potentiâ non peccandi sub concupiscentiâ, ita ut hìc sistendo crederes ipsum genuinum Thomistam. At statim larva detrahitur dùm in sequentibus explicat se, per potentiam benè vel malè agendi remanentem sub gratiâ vel concupiscentiâ victrice, nihil aliud intelligere quàm meram flexibilitatem seu mutabilitatem voluntatis ab unâ ad alteram necessitatem. Ipsum audiamus : « Hoc est igitur, inquit cit. « cap. 20, p. 367 D, quod S. Aug. tradit quando toties docet concupiscentiam et ignorantiam per quam « nunc omnia peccata committuntur, non auferri ex « nobis quamdiù in hâc mortali vitâ versamur. Hinc « fit enim quòd in nobis non solùm ipsa potentia vo« luntatis, quâ de se ad malum flexibilis est, sed etiam « pondus ad peccandum remanet, quod est *peccandi « potestas perfectissima*, quæ sanè non solum adest « inestque voluntati quando gratiæ delectatione caret, « sed etiam quando intimâ ejus suavitate efficaciter « trahitur.... Hoc ergo modo sentit S. Aug. et S. Pro« sper sub gratiâ manere peccandi potestatem, quia, « præter naturalem flexibilitatem ad malum, manet « etiam concupiscentia, per cujus tentationes *animus « mutari potest*.... Quemadmodùm igitur qui sub gra« tiâ ad opus bonum determinante operatur, simul etiam « peccare potest ; ita quoque è contrario qui istâ gra« tiâ destituitur, sive fidelis, sive infidelis, et peccand « tentationibus quatitur, potest benè facere : non quidem « quasi semper etiam ante susceptam Christi aut Dei « fidem, gratiâ ad non peccandum sufficiente munia« tur...., sed quia quantùmcumque ad peccandum pec« cati voluptate, hoc est, voluntatis infirmitate, traha« tur, manet in arbitrio non solùm fides et habitus « boni in fidelibus, sed in infidelibus etiam *illa saltem « naturalis flexibilitas seu capacitas*, quâ liberum arbi« trium credere, sperare ac Deum diligere potest. » Et infra p. 368. 2 col. C : « Si desit gratia quæ voluntatem peccato inhiantem flectat in bonum, potestas « illa benefaciendi effectu suo cassa remanebit, nec « tamen qualiscumque potestas benefaciendi esse de« sinet, quâ sub peccandi et non credendi delectatione « ac determinatione constituti possunt credere et be« nefacere : hoc enim in eorum naturâ liberi arbitrii « constitutum est, et quamdiù hic vivitur *mutari in « utramlibet partem potest*. »

Deinde ibidem docet per delectationem, sive gratiæ, sive concupiscentiæ, non dari potentiam proximam et expeditam benè vel malè agendi antequàm ipsa voluntas actu velit, sed tantùm postquàm vult et quia vult ; neque dari omnibus gratiam *sine quâ non*, seu sufficientem, quâ possunt expeditè velle bonum. « Huc accedit, inquit pag. 369, 2 col. A, quod hujus« modi pondere delectationum, quibus efficitur ut vo« luntas rationalis actu velit bonum aut malum, non « tam posse aliquid facere quàm velle tribuant ; et « ideò consequenter posse quia tribuunt velle, quo fit « ut etiam tunc, cùm jam pondere malarum cupidita« tum ac delectationum ad peccandum trahitur, me« ritò voluntas magis quàm potestas, ideòque potestas « quia voluntas deesse censeatur. Delectatio quippe... « ipsum velle dando etiam posse largitur. Hanc autem « potestatem in ipsâ collatione mutationis seu bonæ « voluntatis esse sitam (tradit S. Aug.).... Cùm enim « potestas illa proxima benè volendi hoc ipso amissa « sit quòd illud voluntatis imperium ac nutus quo serp« sam solebat voluntas, cum gratiâ *sine quâ non*, ad « bonum, prout ei videretur, flectere et non flectere, « per introductæ concupiscentiæ delectationem *capti« vum sit et miserabili servitute depressum*, ita ut nihil « ei libeat nisi terrenis delectationibus titillantibus « consentire ; non aliter quoque redditur, nisi ex illâ « captivitate, per victricis delectationis cœlestis infu« sionem sibi consensum vindicantis, eruatur, quâ si« cut hoc ipso bona voluntas, ita etiam benè agendi « potestas redditur. Nam ista victrix delectatio, sicut « hoc ipso quo datur *è captivitate* consensum eruit, ita « hoc ipso semper cum bonâ voluntate et potestate « conjuncta est. *Velle ergo dat posse*, etc... Hæc ergo « firmitas ardorque voluntatis malæ, vehementi delec« tatione concupiscentiarum adjuta et incitata, parit

« benefaciendi impotentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, idque ideò « quia fortiter stabiliterque non vult, cum quâ tamen, « quia manet facultas liberi arbitrii interna et *flexibilis* benefaciendi, mala voluntas propter causam jam « dictam rea est; quamvis nulla detur ei gratia, et habet quamdam ad contrarium indifferentiam, quamdiù in hâc vitâ vivitur, ratione cujus, si Spiritus « sanctus aspiraverit, bonam voluntatem seu velle, « quod petulanter amissum est, iterùm suscipere potest. » Ex quibus sole clarius est Jansenium non aliam potentiam benè vel malè agendi in homine lapso agnoscere, antequàm benè vel malè agat, quàm flexibilitatem voluntatis in bonum vel malum sub alternante captivitate gratiæ et concupiscentiæ quibus ligatur; deesse quoque gratiam quâ conferatur potentia expedita benè agendi, nisi dùm voluntas actu vult et agit, quia velle dat posse, et posse sequitur velle; sicque nullam esse veram et expeditam potentiam separatam ab actu.

Ex his omnibus probationibus facilè solves quæ objiciunt Janseniani in defensionem Jansenii. Unde breviter

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Jansenius admittit passim in homine lapso liberum arbitrium : ergo. —Resp. : Dist. ant. : Jansenius admittit in homine lapso liberum arbitrium nomine duntaxat, concedo ant. ; re, nego ant., quia reponit liberum arbitrium hominis lapsi in solo voluntario cum perfectâ advertentiâ rationis, quam malè vocat deliberationem rationis, sive in immunitate à coactione et à necessitate immutabili, non à necessitate mutabili, ut dictum est.

Ins. 1° : Jansenius admittit in homine lapso indifferentiam contrarietatis et contradictionis : ergo admittit re liberum arbitrium. Probatur ant. lib. 6 de Grat. Chr., cap. 34, cùm sibi opposuisset ex S. Scripturâ et Patribus hominem habere libertatem et indifferentiam ad bonum et malum, concedit id esse verum de libertate quoad statum hominis lapsi, non verò de libertate secundùm se et generaliter sumptâ : *Inter actum quippe liberum*, inquit, *et statum libertatis magna est differentia :* unde sic concludit : « Hominum « viatorum non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse, « cum S. Scripturis, S. Augustino et Patribus et catholicâ fide fatemur libenter. » Et lib. 8, c. 20 : « Liberum arbitrium, inquit, ante gratiam, quemadmodùm etiam sub gratiâ, indifferentiam contrarietatis et contradictionis habet; ita videlicet ut, quibuscumque positis quæ ad agendum bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hâc « vitâ facere bonum et malum, facere alterutrum et « non facere. » Ergo. — Resp. : Dist. ant. : Admittit in homine lapso indifferentiam contrarietatis et contradictionis, quæ sit vera potentia activa et expedita ad agendum bonum vel malum, ad agendum et non agendum, nego ant.; quæ nihil sit aliud quàm mera flexibilitas in bonum et malum per delectationem gratiæ et concupiscentiæ alternatim voluntatem captivantis et necessitantis, concedo ant. Patet ex dictis, idque apertè indicant verba objectionis, in quibus dicit Jansenius libertatem hominis viatoris *esse expertem necessitatis immutabilis*, qualis scilicet necessitas est in Deo, beatis et damnatis. Igitur, juxta Jansenium, libertas essentialis et secundùm se sita est in solo spontaneo, seu voluntario rationali quantumvis necessario, et hæc libertas reperitur in omni statu, sufficitque ex se ad meritum vel demeritum; unde si beati non mereantur et damnati non demereantur, non est defectu sufficientis libertatis, sed quia sunt in termino. « Neque enim, inquit Jansenius, cit. cap. « 34, quisquam, spero, ita desipuerit ut hominem « etiam viatorem libertatem amissurum putaret, si liberrimâ et liberatrice charitate in humanum liberaretur et firmaretur arbitrium, ut quod in beatis « jam in præmium retributum est, in hâc vitâ constitutus ampliùs jam peccare non posset. Ex alio « igitur capite quàm ex naturâ libertatis oritur indifferentia ad agendum et non agendum, itemque ad « bonum et malum. » Et infra : « Liberum arbitrium « in omnibus sive beatis, sive damnatis, sive viatoribus... uniformem libertatis rationem obtinet, etsi « difformem statum. » Difformitas autem seu differentia statûs in eo sita est, juxta Jansenium, quòd beati sint invariabiliter necessitati in bonum, damnati in malum, viatores autem sint variabiliter necessitati modò in bonum per gratiam, modò in malum per concupiscentiam.

Inst. 2° : Jansenius, lib. 8 de Grat. Chr., c. 20, apertè agnoscit potentiam peccandi sub gratiâ efficaci et potentiam non peccandi sub concupiscentiâ, in sensu diviso non in sensu composito, eo prorsùs modo quo ipsi Thomistæ explicant sensum divisum et compositum. Ergo.—Resp. ut ante : Dist. ant. : Et sumit potentiam peccandi sub gratiâ, et potentiam non peccandi sub concupiscentiâ, sicut Thomistæ, scilicet pro verâ potentiâ activâ et expeditâ peccandi et non peccandi, nego ant.; et sumit potentiam peccandi vel non peccandi pro merâ flexibilitate ab unâ ad aliam necessitatem, concedo ant. Solutio patet ex dictis.

Inst. 3° : Jansenius admittit dari sub concupiscentiâ parvas gratias quæ dant posse saltem remotum, sicut gratiæ sufficientes Thomisticæ : ergo. — —Resp. : Dist. ant. : Admittit dari sub concupiscentiâ parvas gratias quæ dant posse absolutum et præcisâ concupiscentiâ superiori, concedo ant.; quæ dant posse relativum ad præsentem concupiscentiam superiorem, nego ant. Patet ex dictis de systemate duplicis delectationis probat. 3, et quia, ut modò dicebam, juxta ipsum Jansenium, posse sequitur velle, quia velle dat posse. Vel aliter, dist. ant. : Parvæ gratiæ Jansenii dant posse ligatum et vinculatum, concedo; expeditum, nego. In idem redit.

Inst. 4° : Necessitas quam Jansenius admittit cum libertate est moralis tantùm, hæc autem necessitas non repugnat libertati : ergo. — R. Jansenianos non

convenire inter se quo nomine sit vocanda ista necessitas orta ex superiori delectatione, an physica, an moralis. Qui tenaciùs principiis Jansenii inhærent candidè fatentur esse physicam ; alii molliori vocabulo, ad declinandam invidiam destructæ libertatis, vocant moralem : sed dicatur physica vel moralis, perinde est ; hoc ipso enim quo talis est quam voluntas non possit in his circumstantiis relativè et expeditè vincere, perimit libertatem necessariam ad merendum vel demerendum.

Inst. 5° : Jansenius admittit indifferentiam judicii : atqui, stante indifferentiâ judicii, voluntas non potest necessitari, ut diximus supra : ergo. — Resp. 1° aliquos negàre majorem, quia, inquiunt, per judicium indifferens non intelligitur tantùm advertentia intellectûs, quâ variæ rationes boni et mali in objecto apprehenduntur, sed judicium proponens objectum non necessariò amandum aut fugiendum, sed ut indifferenter ad utrumlibet eligibile : hujusmodi autem judicium non formatur in systemate Jansenii, juxta quem lib. 6 de Grat. Chr., c. 35, p. 303, col. 1 B, indeliberatæ delectationis *vinculo voluntas..... in objectum amandum figitur, illo eodem nectitur et illâ alligatur, ut neque ad momentum abrumpi aut diverti velit.* — Resp. 2°, datâ maj., Jansenium non secùs ac Calvinum errâsse non solùm contra fidem, sed etiam contra rationem (idque non est Jansenio infrequens), dùm existimavit voluntatem non pendere à judicio rationis, sed eam et stante indifferentiâ judicii posse necessitari, et posito determinato et immutabili judicio manere liberam. In hoc autem errore versatum fuisse Jansenium constat ex lib. 4 de Grat. Ch., cap. 8, p. 181, col. 1 et 2 E, ubi docet impotentiam peccandi in beatis non nasci ex clarâ Dei visione, sed illâ stante eos posse peccare.

Inst. 6° : Jansenius sæpè docet voluntatem hominis cuicumque gratiæ vel concupiscentiæ posse resistere, si velit : ergo. — Resp. : Dist. ant. : Jansenius docet voluntatem cuicumque gratiæ vel concupiscentiæ posse resistere si velit, sic tamen ut non possit velle, concedo ; sic ut possit velle, nego. Ita pariter docet Jansenius, lib. 6 de Grat. Chr., c. 35, beatos charitate perfectâ dominante posse suam volitionem mutare si velint ; velle autem non possunt. Plures alias similes æquivocationes ex sæpè dictis facilè expedies, ideòque illis supersedeo.

Obj. 2° : Sensus damnatus tertiæ propositionis non est sensus Jansenii, ergo Jansenius ; non docuit tertiam propositionem damnatam. Prob. ant. Sensus damnatus tertiæ propositionis est, non requiri ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ libertatem à necessitate absolutâ fixâ et immutabili, qualis est in beatis, neque à necessitate quæ dicitur involuntaria et quæ præcedit advertentiam rationis, ut in motibus primoprimis : atqui hunc sensum nunquàm docuit Jansenius, sed prorsùs contrarium : ergo. — Respondeo : Nego antecedens. Sensus quippe damnatus tertiæ propositionis est sensus ejus obvius et quem verba præ se ferunt : ita declaraverunt Innocentius XII et Clemens XI, neque unquàm Ecclesia sive propositionem sive librum damnat, nisi in sensu ejus obvio. Sensus autem obvius tertiæ propositionis et quem verba præ se ferunt, non est is qui assignatur in objectione, ut patet, sed iste : Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à qualicumque verâ et propriè dictâ necessitate, modò absit coactio. At Jansenium docuisse ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate variabili, relativâ, et, ut vocant, voluntariâ (quæ necessitas est vera et propriè dicta, utpote invincibilis in præsentibus circumstantiis), sed sufficere libertatem à coactione, constat ex dictis. Ita quoque passim docent ejus defensores, quamvis innumeris prope cavillationibus et involucris suam mentem quandoque obvolvant ut se Ecclesiæ censuris subducant.

Ex dictis in hâc digressione et in totâ dissertatione, colliges Jansenismum non esse phantasma neque hæresim imaginariam quam nemo defendat, ut toties decantaverunt Janseniani, sed esse veram et realem hæresim, non solùm fidei catholicæ, sed etiam moribus maximè perniciosam. Si enim in hoc statu alternante indeliberatâ delectatione, quam habere vel non habere non est in nostrâ potestate, ita necessariò et invincibiliter bono vel malo adigimur ut, stante indeliberatâ delectatione superiori ad bonum, non habeamus veram, activam et expeditam potentiam peccandi, neque stante indeliberatâ delectatione superiori ad malum habeamus veram, activam et expeditam potentiam illud vitandi, quid luctamur? quid laboramus? quid solliciti sumus? tranquillè sequamur quod nos magis delectat, aliter fieri non potest ; quietè serviamus dominanti cupiditati, hanc vincere non possumus. Si dicas peccatori : Ora ut tibi concedatur contraria delectatio superior, respondebit : Non delector oratione, nec pendet à me eâ delectari.

# Dissertatio

## DE ACTIBUS HUMANIS SPECIATIM SUMPTIS.

(D. Th. à q. 8 ad 17.)

Explicatâ conditione generali actuum humanorum, scilicet ratione voluntarii et liberi, nunc agendum est de ipsis actibus speciatim : 1° de actibus elicitis, deinde de imperatis. Sunt autem sex actus à voluntate eliciti :

tres circa finem, scilicet simplex volitio, intentio et fruitio; et tres circa media, scilicet consensus, electio et usus activus. His sex actibus voluntatis correspondent ex parte intellectûs quinque actus dirigentes, et unus ex parte potentiarum executivarum. Ex parte intellectûs duo circa finem, scilicet simplex apprehensio et judicium; tres circa media, nempe consilium seu consultatio, judicium practicum seu discretivum mediorum, et imperium. Ex parte potentiarum aliarum, usus passivus.

Horum omnium actuum hic est ordo et œconomia : Primus est simplex apprehensio, quâ intellectus aliquid ut bonum apprehendit et voluntati proponit. Huic ex parte voluntatis respondet simplex volitio, quæ est nuda complacentia et appetitus inefficax boni propositi. Dicitur *simplex volitio*, quia cùm sit de fine secundùm se, et nondùm cum ordine ad media, habet objectum simplex et non quasi duplicatum; dicitur etiam nomine suæ potentiæ voluntas, sicut primus actus intellectûs circa principia dicitur etiam nomine suæ potentiæ *intelligentia* seu *intellectus*. Hæc verò simplex volitio si sit fortis, movet intellectum ad examinandum utrùm istud bonum sit conveniens et acquisitu possibile, et fit actus secundus intellectûs, qui dicitur judicium proponens voluntati objectum ut conveniens et acquisitu possibile. Illi judicio correspondet ex parte voluntatis intentio, quæ est actus secundus voluntatis circa finem, quo scilicet tendit in finem ut per media assequibilem.

His quatuor actibus positis circa finem, vi intentionis intellectus movetur et applicatur ad inquirenda media fini obtinendo congrua, et fit tertius actus intellectûs, primus circa media; qui dicitur consilium seu consultatio de mediis; huic respondet ex parte voluntatis consensus, quo approbat et appetit utilitatem mediorum : vi hujus consensûs applicatur intellectus ad discernenda quæ sint media aptiora, et est quartus actus intellectûs, qui dicitur judicium practicum seu discretivum mediorum, cui respondet ex parte voluntatis electio, quâ unum medium præ alio acceptat : tum vi electionis applicatur intellectus ad intimandam et imperandam executionem mediorum, fitque quintus et ultimus actus intellectûs, qui dicitur imperium, cui ex parte voluntatis respondet usus activus seu applicatio potentiarum executivarum; huic applicationi activæ respondet ex parte potentiarum voluntati subditarum usus passivus, seu ipsa executio mediorum virtute cujus finis acquiritur, cui tandem succedit ex parte voluntatis fruitio, quæ est jucunda quies in fine possesso.

Hi ergo duodecim actus ad opus morale concurrunt, quando non præcipitanter aut ex solâ imaginatione, sed prudenter et maturè peragitur, licet, quia admodùm subitò fiunt et sibi succedunt, vix ab ipso operante percipiantur et discernantur.

De his sat fusè agit Auctor per decem quæstiones : plura etiam de ipsâ potentiâ volitivâ immiscet in primis quæstionibus ad accuratiorem actuum notitiam. Quæ sunt utiliora seligemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrùm voluntas possit velle malum sub ratione mali?*

( D. Th., q. 8. )

Quæstionem proponit S. Th. utrùm voluntas sit tantùm boni? alii, utrùm bonum sit objectum adæquatum voluntatis? In idem coincidunt cum titulo articuli, ut patebit.

Dico : Voluntas non potest velle malum sub ratione mali. (Hìc, q. 8, a. 1, o.) Probatur 1° auctoritate. Aristoteles, 1 Ethic., ait : *Benè veteres bonum ipsum esse dixerunt, quod omnia appetunt :* id est, id quod omnia appetunt est bonum, et nihil appetitur nisi bonum, ut interpretatur Auctor, 1 p., q. 6, a. 2, ad 2. S. Dionys., de div. Nom., c. 4, dicit *quòd malum est præter intentionem, et quòd omnia bonum appetunt.* Neque dicas cum Nominalibus nomine boni intelligi appetibile; sic enim sensus foret, solum appetibile esse appetibile, quod est nugatorium et ridiculum. Unde S. Aug., in Enchyrid., cap. 105, ait : *Sic beati esse volumus ut esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquàm prorsùs velle possimus.* (Ibid., et in arg. s. c.) Probat. 2° ratione. Voluntas est appetitus quidam rationalis; atqui omnis appetitus non est nisi boni : ergo. Prob. min. Appetitus nihil est aliud quàm quædam inclinatio appetentis in aliquid; atqui nihil inclinatur nisi in aliquid sibi conveniens; quod enim est rei conveniens allicit et trahit inclinationem, sicut quod est disconveniens ei repugnat : ergo omnis appetitus non est nisi convenientis, consequenter boni : bonum enim et conveniens unum sunt, sicut malum et disconveniens. (Ibid. o.) Notandum tamen hoc esse discrimen inter appetitum naturalem et appetitum rationalem seu etiam sensitivum, quòd id in quod tendit appetitus naturalis sit semper bonum verum et in re existens, quia appetitus naturalis consequitur formam in re existentem quæ semper tendit ad suam perfectionem et bonum verè conveniens; id autem in quod tendit appetitus rationalis non semper est bonum verè et in re existens, sed id quod judicatur et apprehenditur ut verum bonum, licet fortè non sit, quia appetitus rationalis (idem dic de sensitivo) non sequitur formam in re existentem, ut appetitus naturalis, sed formam intellectu apprehensam; sæpè autem id quod non est verum bonum apprehenditur ut bonum. Et hæc observatio conducit ad solutionem objectionum. Neque tamen inde sequitur voluntatem esse deterioris conditionis appetitu naturali; quia licet appetitus naturalis semper tendat in verum bonum, istud tamen bonum est minimum, nec in illud tendit se movendo et liberè sicut voluntas. (Ibid.)

Confirmatur conclusio. Nulla potentia ferri potest extra objectum suum adæquatum : atqui objectum adæquatum voluntatis est conveniens et bonum, non verò ens ut abstrahit à bono et malo, ut volunt adversarii . ergo. Prob. min. Eodem modo, proportione servatâ, sentiendum est de objecto voluntatis ac de objecto intellectûs, aut appetitûs sensitivi : atqui objectum adæquatum intellectûs non est ens abstrahens

à vero et falso, sed ens ut verum ; similiter objectum adæquatum appetitûs sensitivi non est sensibile abstranens à convenienti et disconvenienti, à bono et malo, sed sensibile conveniens et bonum : ergo, etc.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Si bonum esset objectum adæquatum voluntatis, voluntas nullum haberet actum circa malum : falsum consequens, cùm voluntas circa malum habeat actum nolitionis et fugæ : ergo. — Resp. hoc argumento firmari conclusionem ; unde dist. maj : Si bonum esset objectum adæquatum voluntatis, voluntas nullum haberet actum prosecutionis et volitionis circa malum, concedo maj.; nullum actum nolitionis et aversionis, nego maj. Quin imò ita est quòd potentia nolit et aversetur contrarium sui objecti, et inde probatur solum bonum esse objectum voluntatis, quia nulla potentia fugit et recedit nisi ab eo quod est sibi contrarium et repugnans, consequenter quod non est ejus objectum : quomodò enim est objectum, si sit contrarium et repugnans? Adde quòd voluntas non exerceat actum nolitionis et fugæ erga malum nisi ratione boni oppositi : sic quis fugit mortem quia amat vitam. (Ibid. ad 1.)

Inst. 1°. Potentia rationalis, cùm sit libera, fertur etiam prosequendo ad opposita, juxta philosophum, 9 Metaph. Et patet, quia libertas est ad opposita. Ergo. —Resp. : Dist ant. : Potentia rationalis fertur prosequendo ad opposita quæ sub suo objecto continentur, concedo ant.; quæ sub suo objecto non continentur, nego ant.; nam nulla potentia prosequitur nisi suum conveniens objectum; objectum autem voluntatis est bonum, ut probatum est : unde se habet voluntas ad illa opposita prosequenda quæ sub bono comprehenduntur, sicut moveri et quiescere, loqui et tacere, et alia hujusmodi; in utrumque enim horum fertur voluntas sub ratione boni. (Ibid. ad 2.)

Inst. 2° : Qui odit aliquem odio inimicitiæ, vult illi malum quà malum ; opponitur enim odium inimicitiæ amori amicitiæ, quo volumus amico bonum in ratione boni. Similiter invidus tristatur de bono alterius sub ratione boni : unde S. Th., q. 12 de Malo, a. 4, dicit : *Odium quærit malum proximi sub ratione mali, et invidia contristatur bono proximi sub ratione boni. Ergo voluntas fertur in malum prosequendo et in bonum fugiendo.* — Resp. : Dist. ant. : Qui odit aliquem odio inimicitiæ, vult illi malum quà malum inimici, concedo ant.; et in hoc opponitur amori amicitiæ, quo volumus bonum amico ut illius bonum; vult illi malum quà malum absolutè, nego ant.; ideò enim vult malum inimici, puta ejus mortem, quia apprehendit illud ut sibi bonum, quatenùs est destructivum illius quod est sibi contrarium. Similiter invidus tristatur de bono proximi, equidem ut est illius bonum, sed quatenùs istud bonum apprehendit ut sibi malum ; et hoc sensu intelligendus est S. Th.

Inst. 3° : Qui peccat ex malitiâ vult malum quà malum absolutè : ergo. Prob. ant. Qui peccat ex malitiâ in hoc distinguitur ab eo qui peccat ex passione seu ignorantiâ, quòd qui peccat ex passione vult malum ut bonum sensibile, et qui peccat ex ignorantiâ vult malum credens bonum : qui autem peccat ex malitiâ vult malum sciens malum, et quia malum atque offensivum Dei : ergo. — Respondeo : Nego antecedens ; non enim qui peccat ex malitiâ distinguitur ab eo qui peccat ex passione aut ex ignorantiâ, ex parte objecti, quasi ille velit malum sub ratione mali et iste non ; sed ex parte dispositionis inclinantis ad peccandum, quatenùs qui peccat ex passione ab ipsâ movetur et allicitur ad peccandum; similiter qui peccat ex ignorantiâ, defectu notitiæ requisitæ tanquàm removente prohibens, peccatum committit; sed qui peccat ex malitiâ, neque ex passione neque defectu notitiæ ; sed sciens et perfectè cognoscens malitiam peccati, seu hanc rem esse prohibitam et moraliter malam, eam tamen ex pravâ dispositione voluntatis vult non ut malam formaliter, sed quia judicat esse sibi conveniens et bonum illam velle et facere, sive ad libertatem aut præsumptionem ostentandam, sive ex animo obfirmato in malo à quo non vult recedere, sive quia ex consuetudine sic agere factum est illi dulce et delectabile, sive sub aliquâ aliâ ratione boni, aut utilis, aut delectabilis. Et hoc dicitur peccare ex malitiâ, quia illa inclinatio ad peccandum non est neque ex passione neque ex ignorantiâ, sed ex pravâ dispositione voluntatis.

Obj. 2° : Qui appetunt non esse, ut dæmones et homines desperantes, appetunt malum sub ratione mali; nam in non esse nulla potest apprehendi ratio boni. Item qui nondùm excæcati odio habent Deum, aversantur ipsum sub ratione boni, quia nulla ratio mali potest apprehendi in summo bono, nisi per errorem et excæcationem : ergo. — Resp. ad primum, nego ant. et ejus probationem. *Nam carere malo est bonum*, inquit Auctor hìc ad 3; dæmones autem et homines desperantes apprehendunt in non esse carere malo, quatenùs apprehendunt non esse ut medium conducens ad liberationem à suis miseriis, et sic appetunt non esse materialiter, formaliter non esse miseri, ita ut ratio formalis appetendi non esse sit quædam ratio boni, scilicet carere malo et miseriâ. Ad secundum, nego ant.; ad probationem, dist. : Nulla ratio mali potest apprehendi in summo bono ratione suî, nisi per errorem aut excæcationem, concedo ; ratione effectuum quos facit et qui nobis displicent, nego. Independenter enim ab errore infidelitatis aut excæcationis, sed ex simplici inconsideratione, peccator potest Deum apprehendere ut difficilia et ingrata præcipientem, delectabilia prohibentem, peccata punientem, et sub istis vel aliis similibus rationibus, ut sibi noxium et malum, et quà talem aversari et odio habere.

Dices. Qui vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod est de se bonum sub ratione mali. Ita in terminis S. Th. infra, q. 19, a. 7, ad 2. Ergo. — Resp. Dist. ant. : Vult quod de se bonum est sub ratione mali, ibi sistendo, nego ; sub ratione mali ut inducit rationem boni, concedo. Vult enim inanem gloriam ut quid sibi conveniens,

honorificum et bonum; unde vult bonum sub ratione mali materialiter, non formaliter.

## ARTICULUS II.

*De motivo voluntatis quoad specificationem.*

D. Th. Q. 9.

Nota. In tantùm aliquid indiget moveri ab aliquo, in quantùm est in potentiâ ad plura; oportet enim ut id quod est in potentiâ reducatur ad actum per aliquid quod est in actu; et hoc est movere. Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur esse in potentiâ ad diversa : uno modo quantùm ad agere et non agere, seu quoad exercitium; alio modo quantùm ad agere hoc vel illud, seu quoad specificationem. Movere quoad specificationem est determinare ad actum certæ speciei, puta amorem, vel odium, potentiam ad utrumlibet indifferentem. Movere quoad exercitium est applicare ad agendum potentiam indifferentem ad agere vel non agere. Quæritur ergo à quo voluntas moveatur sive quoad specificationem, sive quoad exercitium? an ab intellectu? an ab appetitu sensitivo? an à corpore cœlesti? et specialiter de primâ volitione, an à se, an à Deo, an ab aliquo alio principio exteriori? Quas omnes quæstiones breviter in hoc et sequenti articulo resolvemus. (Hic q. 9, a. 1, o.) Unde dico 1° : Intellectus movet voluntatem quoad specificationem; voluntas autem movet intellectum et alias potentias sibi subditas quoad exercitium. (Ibid.) Prob. prima pars. Movere quoad specificationem est determinare ad actum certæ speciei, ut dictum est in notamine : atqui intellectus proponendo objectum voluntati, illam determinat ad actum certæ speciei : ergo. Prob. min. Voluntas non elicit actum talis speciei, v. g., amoris, nisi quia tendit in objectum sibi propositum ab intellectu ut amabile : ergo. (Ibid.) Hinc intelligis quòd non ipse intellectus formaliter specificet actum voluntatis, sed ipsum objectum propositum, seu, si vis, intellectus quatenùs proponit voluntati objectum quo determinatur ad certæ speciei actum.

Intellige etiam intellectum non merè speculativum, simpliciter apprehendentem et proponentem objectum ut verum sine æstimatione convenientis aut disconvenientis, sed intellectum practicum apprehendentem et proponentem objectum sub ratione boni vel mali, convenientis vel disconvenientis. (Ibid. ad 2.) Prob. secunda pars. In omnibus potentiis activis ordinatis, illa potentia quæ respicit finem universalem movet ad exercitium potentias quæ respiciunt fines particulares; et hoc apparet tam in naturalibus quàm in politicis. Cœlum enim, quod agit ad universalem conservationem generabilium, movet omnia inferiora, quorum unumquodque agit ad conservationem propriæ speciei, vel etiam individui. Rex etiam, quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos præpositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. At qui objectum voluntatis est bonum et finis in communi : quælibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Ergo voluntas per modum agentis movet ad exercitium omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetativæ partis quæ nostro arbitrio non subduntur. Hæc secunda pars conclusionis specialiùs explicabitur q. 17, ubi de actibus imperatis. (Ibid. et 1. p. q. 82, a. 4.)

Cæterùm, hanc conclusionem quoad utramque partem, similiter et sequentes conclusiones, intellige de movente ut quo, non ut quod; quia propriè loquendo movere seu agere est per se subsistentis; intellectus autem et voluntas non per se subsistunt : unde sensus hujus doctrinæ est quòd homo moveat voluntatem quoad speciem per intellectum, et intellectum per voluntatem quoad exercitium : sicut ignis calefacit ut quod, calor ut quo.

Sed petes 1° in quo genere causæ intellectus moveat voluntatem quoad specificationem? — Resp. Thomistas in hujus quæstionis resolutione esse divisos. Conradus, Cajet. et quidam alii tenent intellectum movere voluntatem quoad specificationem in genere causæ efficientis, hoc sensu scilicet, quòd objectum ab intellectu propositum voluntati sit illi principium quo, seu ratio formalis eliciendi actum talis speciei. 1° Quia S. Th. inf. q. 22, a. 3, ad 2, et 1 p. q. 82, a. 3, ad 2, dicit tam objectum voluntatis quàm intellectum esse activum respectu voluntatis passivè se habentis. 2° Quia, cùm in omni volitione sint duo, scilicet exercitium actûs et ejus specificatio, oportet utriusque causam efficientem ponere, alioquin esset aliquid creatum cujus non esset causa creata efficiens : atqui sola voluntas non est sufficiens causa efficiens specificationis, aliàs omnes ejus actus forent ejusdem speciei : ergo assignandum est aliud principium quod cum voluntate effectivè concurrit ad specificationem actûs; hoc autem aliud esse non potest quàm objectum per intellectum propositum. 3° Verbum divinum subsistens effectivè producit amorem, scilicet Spiritum sanctum : ergo etiam verbum non subsistens, quale est nostri intellectûs; subsistentia enim adjuncta causæ non variat ejus causalitatem, sed tantùm ex principio quo facit principium quod. Ergo.

At contra Capreolus, Ferrar. Bannes, Gonet. et alii tenent intellectum movere voluntatem in genere causæ finalis et formalis extrinsecæ tantùm, non in genere causæ efficientis etiam ut quo; et hæc sententia videtur nobis probabilior et auctori conformior. 1° Quia S. doctor hìc o dicit : *Objectum movet determinando per modum principii formalis... et ideò isto modo motionis intellectus movet voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum.* 1. c. g., c. 72 : *Intellectus non secundùm modum causæ efficientis, sed secundùm modum causæ finalis movet voluntatem, proponendo ei suum objectum, quod est finis.* Quid clarius? 2° Principium quo, seu ratio formalis agendi debet esse intrinseca potentiæ agenti : atqui objectum ab intellectu propositum voluntati non est voluntati intrinsecum : ergo non potest esse illi principium quo, seu ratio formalis

eliciendi actum talis speciei. Min. patet. Probatur maj. 1° Principium quo, seu ratio formalis, complet et constituit potentiam agentem intrinsecè potentem, ut patet in calore respectu ignis, in specie impressâ respectu intellectûs : ergo debet esse illi intrinsecum. 2° Quod est de se impotens non potest fieri potens nisi intrinsecè mutetur, quia denominatio potentis est intrinseca ; ergo si voluntas sit de se impotens ad attingendum rationem specificam sui actûs, debet intrinsecè mutari, sicque ratio agendi quâ completur et fit potens, debet esse illi intrinseca.

Ad primum contrariæ sententiæ, respondeo S. Thomam sumere τὸ *agere* seu *activum* in latâ significatione, prout dicitur de omni genere causæ. Agere enim, juxta eumdem S. doctorem, 1 p. q. 48, a. 1, ad 4, sumi potest tribus modis : 1° formaliter, sicut albedo facit album ; 2° efficienter, sicut pictor facit tabellam ; 3° finaliter, sicut finis dicitur efficere movendo efficientem. Quando ergo dicit intellectum agere seu esse activum respectu voluntatis, intelligit causalitatem latè sumptam pro causalitate formali extrinsecâ et finali. Insuper illud aliquando dicitur concurrere efficienter ad aliquid, quod licet non influat in illud per veram actionem, est tamen conditio seu dispositio conducens ad illud : sicut dicitur habere rationem causæ materialis, non solùm quod recipit aliquid in se, sed omne illud quod per modum conditionis aut dispositionis conducit ad receptionem. Cùm ergo objectum conducat ut actus specificatus eliciatur efficienter à voluntate, isto sensu improprio potest dici principium efficiens. Similiter, cùm S. doctor vocat voluntatem potentiam passivam respectu intellectûs seu objecti, loquitur de passione metaphoricâ correspondenti causalitati metaphoricæ finis, ut docet q. 22, de Verit. a. 12, et ad 3. Ad secundum, nego min. Nec inde sequitur omnes actus voluntatis esse ejusdem speciei : ad id enim non sufficit quòd ab eâdem causâ efficienter producantur, sed etiam requiritur quòd sit eadem forma specificans. Sic motus sursùm et deorsùm ab eodem motore possunt produci, et tamen sunt diversæ speciei, quia tendunt in diversos terminos à quibus specificantur. Dicitur autem voluntas efficienter specificare suos actus, quia eos formis suis, id est, appetibilibus diversis, aptat et commensurat. Ad tertium, nego consequens ; ad probat., dist.: Subsistentia ut sic non variat causalitatem, concedo ; subsistentia divina et infinita, nego. Quia 1° cùm subsistentia divina constituat Verbum personam consubstantialem Patri, habentem eamdem voluntatem et eamdem virtutem spirativam cum illo, non mirum si constituat cum illo principium activum amoris personalis. 2° Quia Verbum, ut dictum est in primâ solutione, lato modo efficit amorem : cùm ergo subsistentia infinita elevet omnes conditiones Verbi ad esse perfectissimum, facit illud influere activè propriè et ut quod in amorem.

Petes 2° : quid sit movere potentias quantùm ad exercitium? — R. Jam dixi in capite articuli, nihil aliud esse quàm eas, si sint activæ, applicare ad earum operationes. *Voluntas*, inquit noster auctor, infra q. 16, a. 1, *movet potentias animæ ad suos actus, et hoc est applicare eas ad operationem.* Ratio est, quia exercitium est usus passivus potentiarum ; usus autem passivus non est nisi ab usu activo : atqui usus activus est applicatio rei ad operationem, ut docet loco cit. S. doctor : ergo.

Sed ulteriùs petes utrùm voluntas moveat et applicet potentias inferiores ad suos actus vi solius sympathiæ et connexionis quam habet cum illis? an imprimendo aliquid reale in illis quo physicè immutentur? — Resp. hoc posteriùs videri probabilius ; quia, ut ait S. Th. q. cit. 16, a. 1, potentiæ inferiores *comparantur ad voluntatem à quâ applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens.* Et 1 p. q. 82, a. 4, dicit voluntatem movere intellectum et alias animæ vires, *sicut alterans movet alteratum, et impellens movet impulsum :* atqui constat et principale agens instrumento, et alterans alterato, et impellens impulso aliquid reale imprimere : ergo. Insuper sympathia non sufficit ad movendum potentias quæ resistunt, resistentia enim non vincitur nisi immutando : atqui potentiæ animæ interdùm resistunt motioni voluntatis, ut patet in ipso intellectu qui, motus à voluntate in aliquod objectum, ipsâ invitâ et reluctante ad aliud distrahitur. Neque obstat actionem voluntatis esse formaliter immanentem, quia potest esse virtualiter transiens et habere extra in potentiis quas movet effectum, qui sit vel motio virtuosa, vel vis aliqua fluens et transiens, ut virtus artificis in instrumento artis.

Dico 2° : Voluntas non movetur directè quoad specificationem ab appetitu sensitivo, neque à corpore cœlesti, benè tamen indirectè et mediatè (Ibid. a. 2 et 5 o.). Probatur prima pars. Nihil materiale seu corporale, qualia sunt appetitus sensitivus et corpus cœleste, naturaliter potest agere directè in rem immaterialem qualis est voluntas : ergo. (Ibid. a. 5.) Prob. secunda pars de appetitu sensitivo. 1° Jacob. 1, dicitur : *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus ;* atqui non abstraheretur quis à concupiscentiâ nisi voluntas ejus moveretur ab appetitu sensitivo in quo est concupiscentia : ergo appetitus sensitivus movet voluntatem, non directè, ut dictum est : ergo indirectè. (Ibid. a. 2, in arg. s. c.) 2° Passione suscitatâ in appetitu sensitivo, homo certo modo afficitur, et ad certam aliquam dispositionem immutatur, quâ fit ut ejus intellectus apprehendat aliquid ut conveniens et bonum, quod non ita apprehendisset et judicâsset absente passione ; *qualis enim unusquisque est, talis finis videtur ei,* ut dicit Philosophus, 3 Ethic. c. 4. Sic iratus judicat vindictam sibi convenientem et bonam, quam non judicaret talem pacatus. Atqui, ut diximus, objectum intellectu apprehensum movet voluntatem quoad specificationem : ergo appetitus sensitivus ex quo objectum sub ratione convenientis intellectui repræsentatur, movet voluntatem quoad specificationem indirectè et mediatè, mediante scilicet judicio intellectus. (Ibid. o.)

Probatur eadem secunda pars de corpore cœlesti.

corpora cœlestia possunt alterare humana corpora, ex quâ alteratione sequuntur passiones in appetitu sensitivo qui est actus organi corporalis : atqui ex appetitu sensitivo movetur indirectè et mediatè voluntas, ut modò dicebam; ergo. (Ibid. a. 5, o.)

## ARTICULUS III.

*De motivo voluntatis quoad exercitium.*

Dico 1° : Voluntas seipsam movet quoad exercitium in aliquibus actibus (Ibid. a. 3, o.). Prob.: Sic se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus ; atqui intellectus, per hoc quòd cognoscit principium, reducit seipsum de potentiâ in actum, quantùm ad cognitionem conclusionum, et hoc modo movet seipsum; ergo similiter voluntas, per hoc quòd vult finem, movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem.

Dices 1° : Juxta commune axioma, omne quod movetur, ab alio movetur ; ergo voluntas non movetur à seipsâ. 2° Quod movet, est in actu; quod movetur, est in potentiâ ; atqui idem non potest esse in actu et in potentiâ respectu ejusdem : ergo. 3° Mobile movetur ad præsentiam moventis; sed voluntas est sibi semper præsens : ergo si seipsam moveret, semper moveretur, quod est falsum. Resp. ad primum : Nego conseq. Quia stant simul se movere et ab alio moveri. *Cum aliquid movet seipsum*, inquit Auctor, q. 3 de Malo, a. 2 ad 4, *non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quòd seipsum moveat*, scilicet à Deo. Et 1 p. q. 105, a. 4, ad 2 : *Moveri ex se non repugnat ei quod est moveri ab alio*. Idem dicit ibid. ad 3. Confer quod dixi dissert. præcedenti, a. 1, scilicet non esse de ratione liberi arbitrii quòd sit primum determinans. Ad secundum, resp. voluntatem non se movere et moveri secundùm idem, sed in quantùm in actu vult finem, reducit se de potentiâ in actum respectu mediorum : unde non est in actu et potentiâ secundùm idem. (Ibid., ad 1.) Ad tertium. Equidem potentia voluntatis semper est sibi præsens, sed actus voluntatis quo vult finem, aliquando non est in ipsâ voluntate, per hunc autem modum, hoc est, ex illo actu movet seipsam : unde non sequitur quòd semper se moveat. (Ibid., ad 2.)

Dixi in conclusione, in aliquibus actibus; quia est difficultas de primâ volitione finis : pro cujus resolutione

Notandum 1° volitionem finis posse dici primam simpliciter et respectu totius vitæ, ut cùm quis in primo instanti rationis se convertit ad Deum, aut vult vivere secundùm rationem ; vel primam secundùm quid et in aliquo negotio, ut cùm quis primo vult ingredi religionem, vel nubere : et hæc vel supponit actum seu actus priores cum quibus aliquam habet connexionem, vel nullum supponit. Notandum 2° quòd aliud sit voluntatem agere, aliud voluntatem se movere. Voluntas dicitur agere simpliciter, quando volitionem elicit; dicitur se movere propriè, quando ex uno actu procedit in alium, ut dùm ex volitione finis se applicat ad agendum pro ejus consecutione, nam unumquodque in tantùm movet in quantùm est in actu. His notatis,

Dico 2° : Voluntas in primâ volitione finis simpliciter et respectu totius vitæ, non se movet quoad exercitium, sed movetur à Deo. (Ibid. a. 4, o.)

Prob. 1° : Quod est in potentiâ indiget moveri ab eo quod est in actu ; quia, ut jam dixi, in tantùm aliquid movet in quantùm est in actu, et in tantùm movetur in quantùm est in potentiâ : atqui voluntas respectu primæ volitionis simpliciter non est in actu, aliàs non foret prima volitio : ergo. Hic a. 4 cit. 2° In omni vitâ primus motus illius vitæ est à generante, ut patet in motu cordis : atqui Deus est auctor et genitor vitæ intellectualis : ergo primus motus illius vitæ scilicet prima cognitio intellectûs et prima volitio voluntatis, est specialiter à Deo. Cave tamen ne inde inferas Deum movere duntaxat voluntatem ad primam volitionem et non ad alias ejus volitiones. Equidem movet ad primam volitionem eâ specialî motione quæ suppleat actum priorem ex quo voluntas se moveret et ad actum sequentem se applicaret ; at insuper, ut primus motor et prima universalis causa, movet voluntatem ad omnes suas volitiones, quatenùs est secunda causa primæ subordinata, de se indifferens et activa tantùm in actu primo, ut latè probatur in philosophiâ, de Præmotione physicâ.

Obj.: Prima volitio finis etiam in ipso primo instanti usûs rationis est libera saltem quoad exercitium, potest enim voluntas eam elicere vel non elicere, et potest esse meritoria, ut patet in Christo et in angelis : ergo voluntas ad eam se movet. Probatur conseq. In hoc differunt actus humani et liberi à necessariis et non humanis, quòd in illis agens se moveat in finem, non in istis, ut diximus tract. præcedenti, dissert. 1, a. 2. Ergo. — Resp.: Nego conseq. Non enim est idem se movere propriè in finem, et liberè illum velle; ad hoc ultimum sufficit quòd finis proponatur voluntati sub indifferentiâ specificationis vel exercitii, sive ad illam se moveat, sive non. Ad primum autem requiritur quòd ex actu præcedenti ad sequentem se applicet : unde ad probat. dist. ant.: In hoc differunt actus humani et liberi à necessariis et non humanis, quòd in illis agens se moveat in finem impropriè et latè, concedo ; strictè et propriè, nego. Igitur in actibus liberis et humanis dicitur agens se movere in finem, quatenùs cognoscit finem in ratione finis formaliter et tendit in illum ut talem, quod non contingit in actibus necessariis et non humanis, ut diximus loco in obj. citato : hoc autem non est se movere strictè et propriè de uno actu ad alium sicut hic intelligimus.

Inst. : Non aliter Deus movet ad primam volitionem quàm ad alias : movet enim ad omnes applicando voluntatem ad illas : atqui ad alias sic movet voluntatem, ut etiam ipsa se moveat : ergo. — Resp.: Nego maj. ad cujus probat. dist. : Movet ad omnes applicando voluntatem ad illas eodem modo, nego; diverso modo, concedo. Itaque ad secundas volitiones Deus movet duntaxat voluntatem motione generali, ut pri-

mus et universalis motor cui omnes causæ secundæ subordinantur et quæ sunt indifferentes, etc. At ad primam volitionem ultra hoc movet ut motor specialis, supplens defectum actûs prioris, ex quo, si adesset, voluntas posset se movere. Unde per hanc motionem voluntas movetur et se non movet, per alias autem movetur et se movet.

Repones : Homo potest peccare in primo instanti rationis : ergo in eo se movet, aliàs peccatum refunderetur in Deum. — Resp.: Dist.: Homo potest peccare in primo instanti initiativo usûs rationis, nego; terminativo, concedo. Cùm itaque usus rationis acquiratur per discursum à cognitione confusâ ad distinctam, non acquiritur in uno instanti physico, sed in instanti morali, seu per aliquam morulam temporis breviorem vel longiorem, secundùm quod subjectum est subtilioris vel tardioris ingenii. Istud autem instans morale seu morula temporis constat pluribus instantibus physicis, saltem duobus; in primo igitur, in quo homo specialiter movetur à Deo, peccare non potest; in sequentibus potest, quia ex actu quem in primo instanti ex speciali Dei motione elicuit, potest per consilium se movere et applicare ad quod voluerit.

Dico 3° : Supposito usu rationis, quando nova negotia incipiunt et novus finis intenditur, ad primam ejus volitionem voluntas quandoque se non movet, sed à Deo movetur, quandoque se movet ex aliquo actu præcedente formaliter aut virtualiter permanente.

Prima pars patet 1° in motibus supernaturalibus : quia Deus quandoque specialiter et subitò movet, puta infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, per gratiam operantem : atqui effectus hujusmodi gratiæ non sunt à voluntate se movente, sed motâ à Deo, ut docet S. Th. infra q. 111 a. 2. Et patet quia in voluntate nullus præcesserat actus quo ad hos effectus se moveret voluntas, sed potiùs erant contrariæ dispositiones. Ergo. (Ibid. ad 3.) 2° In motibus naturalibus, ad quos quandoque Deus subitò movet homines qui de illis nusquàm cogitaverant, de quibus intelligitur illud Machab. 4 : *Incidit illis bonum consilium*, scilicet insequendi hostes.

Prob. secunda pars. 1° Homo in volitione finis primò et noviter occurrentis potest peccare, ut quotidiana experientia constat, dùm objectum peccati primò occurrit, et voluntas consentit : atqui tunc voluntas se movet et non à solo Deo specialiter movetur, alioquin peccatum in ipsum Deum refunderetur; et ideò diximus cum Auct. 1 p. q. 63, a. 5, angelos in primâ operatione non potuisse peccare, quia erat illis à Deo, à quo habent esse. 2° In inchoatione alicujus novi negotii potest in voluntate præcessisse aliquis actus seu affectus, puta boni proprii, boni delectabilis, aut aliquis alius habens connexionem cum illo novo negotio; ex quo actu potest voluntas ad primam volitionem hujus finis particularis se movere absque eo quòd indigeat à Deo specialiter moveri.

Dico 4° : Voluntas à nullo exteriori principio nisi à solo Deo potest moveri quoad exercitium et in genere causæ efficientis; quia, quamvis aliquid quod non est causa naturæ rei motæ, possit illam movere, nihil tamen est quod motum in eâ naturalem causare potest, nisi quod est aliqualiter causa naturæ : sic movetur quidem lapis sursùm ab homine qui lapidis naturam non causat, sed hic motus non est lapidi naturalis; naturalis autem motus ejus non causatur nisi ab eo quod causat naturam. Atqui omnis motus voluntatis est naturalis, hoc sensu quòd sit secundùm intrinsecam ejus inclinationem, ita ut nullus possit esse violentus, ut diximus supra de voluntario. Ergo, licet hominem habentem voluntatem contingat moveri ab aliquo qui non est causa ejus, est tamen impossibile quòd motus ejus voluntarius efficienter causetur ab aliquo principio extrinseco quod non est causa voluntatis; causa autem voluntatis nihil aliud esse potest quàm Deus, cùm sit potentia animæ rationalis quæ à solo Deo causatur per creationem. (Ibid. a. 6, o.)

Dices : Qui projicit lapidem deorsùm, causat in eo motum hunc : atqui motus deorsùm in lapide est illi naturalis : ergo. Resp. Vel iste motus est citior quàm esset ex proprio lapidis pondere, vel non : si primum, non est ipsi naturalis; si secundum, est efficienter à naturâ lapidis, seu potiùs ab ejus auctore, et à projiciente tantùm tanquàm à removente prohibens.

*Explicatio textûs difficilis S. Thomæ.*

Multis facessit negotium responsio quam habet hìc S. Th. ad 3, in quâ dicit « quòd Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum, et sine hâc universali motione homo non potest aliquid velle : sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud quod est verè bonum vel apparens bonum; sed tamen interdùm specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur. » Ex quâ responsione non pauci inferunt S. Thomam non admittere præmotionem physicam ad omnes actus, sed tantùm ad bonos. Verùm hæc intelligentia diametraliter repugnat constanti doctrinæ D. Th. in innumeris penè locis, neque legitima est præsentis textûs. Itaque per primam motionem in istâ responsione S. doctor non intelligit illam motionem communem quâ Deus, ut primus motor, movet omnes causas secundas sibi surbordinatas, et quâ sic causæ secundæ moventur ut se moveant; sed intelligit singularem illam motionem, quâ Deus ita movet voluntatem ad primam volitionem finis, ut ipsa se non moveat, de quâ dixerat, a. 4, et nos diximus a. præced. Vocat quidem S. Th. hanc motionem universalem, tum quia est motoris universalis, tum quia est ad universale objectum voluntatis quod est bonum, tum quia est universaliter necessaria omni causæ primò agenti. Nos tamen diximus supra specialem seu singularem, non ut excluderemus istas universalitates, sed ut significaremus eam addere aliquid supra communem, scilicet quod suppleat actum priorem ex quo voluntas ipsa possit se movere, quod non facit gene-

ralis seu communis motio requisita ad omnes alias actiones causarum secundarum.

Quando autem S. doctor subdit : *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum vel apparens bonum*, non excludit motionem communem quâ Deus, ut primus motor, sic movet causas secundas ut etiam se moveant, sed illam singularem motionem quâ voluntatem sic movet ut ipsa se non moveat. Et sic satisfacit argumento quod sibi objicit, nempe quòd *si à solo Deo voluntas moveretur, nunquàm moveretur ad malum. Distinguendum est* : Si a solo Deo voluntas moveretur sic ut se non moveret, nunquàm moveretur ad malum, concedo; si sic à Deo moveretur ut etiam se moveat, nego. Ex hoc enim quòd sub communi Dei motione voluntas se etiam moveat, se movere potest ad malum seu apparens bonum, idque refunditur in ipsam causam defectibilem, non in primam indefectibilem, ut aliàs explicatur.

Tandem quando addit S. Th.: *Sed interdùm specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam*, sensus est quòd sicut Deus nos movet ad bonum ut sic absque eo quòd ad illud nos moveamus, ita quandoque specialiter nos movet ad bonum particulare determinatum, absque eo quòd ad illud nos moveamus sicut in his quos movet per gratiam operantem, v. g., infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, nihil prorsùs de fide aut pœnitentiâ cogitantes. At hæc singularis motio, ut patet ex dictis, non excludit gratias cooperantes ad alios actus supernaturales, neque motiones communes ad alios actus naturales, à quibus homo sic movetur ut etiam se moveat.

## ARTICULUS IV.

*De modo quo voluntas movetur, an liberè, vel necessariò ?*

(D. Th. Q. 10.)

Dico 1° : Voluntas movetur ad aliquid, seu appetit aliquid naturaliter et necessariò necessitate specificationis. (Q. 10. a. 1, o.)

Prob. In omnibus ea quæ non per se nec naturaliter insunt, reducuntur in aliquid quod per se et naturaliter inest sicut in primum : atqui in voluntate reperiuntur veri motus qui non per se nec naturaliter insunt, ut sunt motus liberi : ergo est in voluntate motus qui per se et naturaliter illi convenit, in quem ii motus liberi reducuntur et in quo fundantur ut in primo. Min. patet. Prob. maj. 1° quia natura est primùm in omnibus; 2° quia in omni rerum ordine varium et mutabile procedit ab uniformi et immutabili, aliàs procederetur in infinitum. Ergo. (Ibid.) Confirmatur : Principia cognitionis intellectualis sunt naturaliter nota : ergo principium motivum voluntariorum oportet esse aliquid naturaliter volitum. Ibid.

Dupliciter itaque considerari debet voluntas, ut in dissert. præced. diximus : 1° ut natura; 2° ut talis natura, scilicet libera. Ut natura, appetit naturaliter et necessariò bonum sibi conveniens, sicut quælibet natura creata. Ut autem talis natura, non necessariò, sed liberè movetur. (Q. 12 de verit. a. 5.)

Petes quid voluntas naturaliter et necessariò appetat? — Resp. Appetit 1° naturaliter et necessariò quoad specificationem bonum in communi, quia est ejus objectum ; potentia autem naturaliter tendit in suum objectum, ita ut non possit oppositum ; 2° ultimum finem seu beatitudinem sub communi notione apprehensam, quia sic se habet ultimus finis in appetibilibus sicut prima principia in speculabilibus, intellectus autem cognoscit naturaliter prima principia. Ergo voluntas vult naturaliter ultimum finem. Adde quòd in opposito tam boni in communi quàm beatitudinis in communi, nulla possit apprehendi ratio boni. (Hic cit.) Quantùm ad bona particularia, videtur quædam difficultas propter diversos auctoris textus in specie sibi contrarios. Dicit enim in hoc art. 10 : *Naturaliter homo vult, non solùm objectum voluntatis, sed etiam alia quæ conveniunt cliis potentiis, ut cognitionem veri, quæ convenit intellectui, et esse, et vivere, et hujusmodi alia quæ respiciunt consistentiam naturalem; quæ omnia comprehenduntur sub objecto voluntatis, sicut quædam particularia bona.* Articulo autem sequenti, o. dicit : *Alia quælibet particularia bona, in quantùm deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona, et secundùm hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari à voluntate.* Hæc autem apparenter contraria conciliantur dicendo S. doctorem a. 1, loqui de cognitione veri, esse, vivere et similibus bonis particularibus secundùm se et ratione suî : sic enim nihil habent mali, cùm sint perfectiones simplices quas melius est habere quàm non habere. Articulo autem secundo loquitur de illis ratione adjuncti, nam cognitio veri propter laborem discendi displicere potest, similiter esse et vivere propter quædam incommoda eis annexa, ita ut eorum opposita possint per accidens appeti. Et hoc est discrimen notandum inter bonum in communi et beatitudinem sub communi ratione beatitudinis ex unâ parte, et bona particularia ex alterâ, quòd tam boni in communi quàm beatitudinis in communi nunquàm oppositum possit appeti, sive per se, sive per accidens, quia in hoc oppositio nunquàm potest esse etiam per accidens apparentia boni : at bonorum particularium, ut vitæ et existentiæ, potest per accidens appeti oppositum, ut patet in desperantibus qui appetunt mori, quia in morte et non esse, potest per accidens excogitari quædam ratio boni, ut non esse miser. Et ratio hujus discriminis est quòd et bonum et beatitudinem in communi velimus naturaliter propter se, esse autem et vivere propter ipsam beatitudinem, quæ potest apprehendi in non esse, non secundùm se, sed per accidens et ratione adjuncti. Ex quibus omnibus finaliter resultat conclusio sequens. Unde

Dico 2° : Voluntas à nullo bono particulari moveri potest necessariò quoad specificationem, quia nullum est quod secundùm aliquam considerationem, sive ratione suî, sive ratione adjuncti, non possit apprehendi

ut non bonum, seu ab aliquo bono deficiens, cùm nullum sit ita perfectum ut nihil ei deficiat.

Dico 3° : Voluntas à nullo objecto movetur ex necessitate quoad exercitium; quia aliquis de quocumque objecto potest non cogitare, et per consequens non velle illud. (Ibid.)

Insuper, ut voluntas necessariò quoad exercitium appetat aliquod objectum, requiritur quòd non solùm in illo, sed etiam in ejus appetitione non possit apprehendi aliqua ratio mali aut disconvenientis : atqui nullum est objectum saltem creatum, in cujus appetitione et prosecutione non possit apprehendi aliqua ratio mali aut disconvenientis, vel quia est molesta, vel quia obstat operationi jucundiori, vel quia parùm utilis aut jucunda apprehenditur, etc. : ergo.

Dices : Voluntas necessitatur quoad exercitium, 1° à Deo clarè viso, 2° in motibus primoprimis ab objecto apprehenso : ergo. — Resp. ad primum, 1° S. Thomam loqui de objecto creato. Dicit enim : Quia potest aliquis de quocumque objecto non cogitare, quod non habet locum in beatis Deum clarè videntibus. 2° Intelligendo conclusionem generaliter, resp. hanc necessitatem exercitii in beatis non oriri ex ipso objecto seu Deo clarè viso, sed ex ipsâ naturâ voluntatis, quæ talis est, ut in objectum in quo aut in cujus appetione nulla potest relucere ratio mali, necessariò feratur : sicut natura lapidis postulat ut remoto impedimento necessariò feratur deorsùm, cùm tamen ea necessitas non causetur à termino, sed ab ipso auctore seu naturâ lapidis. Idem dicendum de motibus primoprimis in quibus defectu perfectæ advertentiæ et judicii objectum repræsentatur bonum sine admixtione mali.

Dico 4° : Quando ratio totaliter ligatur à passione appetitûs sensitivi, ita quòd homo usum rationis non habeat, sicut contingit in his qui propter vehementem iram aut concupiscentiam furiosi vel amentes fiunt, vel propter aliquam aliam perturbationem corporalem; tunc est eadem ratio de ipsis ac de animalibus brutis quæ ex necessitate sequuntur impetum passionis; in his enim non est aliquis rationis motus, et per consequens nec voluntatis ut voluntas est, sed tantùm ut natura est. Quando verò ratio non totaliter absorbetur à passione, sed remanet quantùm ad aliquid judicium rationis liberum, remanet etiam ex illâ parte voluntas libera.

## ARTICULUS V.

*Utrùm voluntas de necessitate moveatur à Deo.*

Dico. Voluntas non movetur de necessitate à Deo, neque quoad exercitium neque quoad specificationem, nisi in his ad quæ naturaliter movetur. (Ibid. a. 4, o.)

Prob. : Ad providentiam divinam non pertinet, ut dicit S. Dionys. c. 4, de divin. Nom. naturam rerum corrumpere, sed servare : unde omnia movet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.

Obj. 1° : Omne agens cui resisti non potest ex necessitate movet : atqui Deo, cùm sit infinitæ virtutis, resisti non potest, unde dicitur Rom. 9. : *Voluntati ejus quis resistit?* ergo. — Resp. quòd voluntas divina non solùm se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius : et ideò magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. Ibid. ad 1.

Obj. 2° : Voluntas ex necessitate movetur in illa quæ naturaliter vult, ut dictum est : atqui hoc est unicuique rei naturale, quod Deus in eo operatur, ut S. Aug. dicit contra Faustum. c. 26; ergo voluntas ex necessitate vult omne illud ad quod à Deo movetur. Resp. quòd naturale est unicuique quod Deus operatur in ipso ut sit ei naturale : sic enim unicuique convenit aliquid, secundùm quòd Deus vult quòd ei conveniat. Non autem vult quòd quidquid operatur in rebus sit eis naturale, puta quòd mortui resurgant, sed hoc vult unicuique esse naturale quòd potestati divinæ subdatur. Ibid. ad 2.

Obj. 3° : Possibile est quo posito non sequitur impossibile : atqui sequitur impossibile si ponatur quòd voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet; quia secundùm hoc operatio Dei esset inefficax : non est ergo possibile voluntatem non velle hoc ad quod Deus eam movet; ergo necesse est eam hoc velle. (Ibid. ad 3.) Resp. quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic poni quòd voluntas ad illud non moveatur, id est, non potest simul stare quòd Deus voluntatem moveat ad agendum, et ipsa non agat; non tamen est impossibile simpliciter, quia sub ipsâ motione servat potentiam non agendi : unde non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur; sed ut dicit idem S. doct. q. 6, de Malo, a. unico, ad 3 : *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen à causis contingentibus proveniunt effectus contingentes, in quantùm Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundùm suum modum.* Idem docet 1 p. q. 19, a. 8; q. 22, a. 4; et alibi. Totum hunc articulum, qui est apud auctorem quartus præsentis quæstionis decimæ, fermè de verbo ad verbum exscribere placuit, ut omnibus manifestum sit quàm disertè, quàm constanter et ex professo asserat libertatem sub præmotione physicâ, propositis et solutis præcipuis argumentis quibus eam impetere consueverunt ejus impugnatores (de eâ enim hìc agi nemo ambigere potest), quàmque longè à vero absunt qui hanc sententiam S.

doctori adjudicare conantur. Rem invictè probatam suppono ex philosophiâ, ubi de Præmotione physicâ, ad quam lectorem remitto, sicut ad ea quæ dixi in 1 p. dissert. de divinis Decretis, et ea quæ dicturus sum de Gratiâ.

## ARTICULUS VI.

*De aliis actibus elicitis voluntatis.*

(D. Th. a Q. 11 ad 16.)

### § 1. — *Fruitio. D. Th. Q. 11.*

Quamvis intentio præcedat fruitionem, priùs tamen Auctor agit de fruitione, quia est de fine simpliciter, intentio autem est de fine in ordine ad media. Nomen fruitionis à sensibilibus fructibus derivatum videtur. Fructus autem sensibilis duo importat: primum, suavitatem quâ delectat; secundum, quòd sit ultimum quod ex arbore seu agro exspectatur, seu quod finit et coronat laborem et culturam (Q. 11. a. 1, o). Ad fruitionem tres actus concurrunt, scilicet possessio boni, ejus amor, et quies seu delectatio de illo. In hâc delectatione videtur essentialiter sita fruitio, in possessione autem et amore causaliter tantùm et præsuppositivè; nam qui amat et non possidet, non potest dici fruens, neque qui amat et possidet, sed de re amatâ et possessâ non delectatur, ut patet in eo qui amat et possidet potionem amaram de quâ non delectatur, non dicitur eâ frui. Unde definitur fruitio. *Jucunda quies amantis in re possessâ.* (Hic q. 4, a. 3, o.)

Hinc sequitur fruitionem esse actum potentiæ appetitivæ, tùm quia delectatio est actus potentiæ appetitivæ, tùm quia fruitio est de fructu qui, ut dixi, est quid ultimum expectatum; hoc autem est finis qui est objectum voluntatis (Hic q. 11, a. 1. o.)

Fruitio propriè et secundùm completam suam rationem est tantùm de fine ultimo, minùs propriè et secundùm incompletam suam rationem, de fine non ultimo. Ratio primæ partis, quia appetitus non quiescit simpliciter nisi in ultimo fine; quamdiù enim aliquid exspectatur, non plenè quiescit, sed anhelat donec ad illud pervenerit. Ratio secundæ partis est, quia fructus à quo dicitur fruitio, ut diximus, duo importat, quòd sit ultimum et quòd quâdam suavitate animum quietet. Quod autem non est ultimum simpliciter, sed respectu aliquorum tantùm, licet non simpliciter quietet appetitum, potest tamen habere aliquid quod delectet, ut v. g. medicina sapida, et ita esse ex illâ parte aliquo modo objectum fruitionis (ibid. ad 3).

Item, quia finis dupliciter haberi potest, imperfectè, quando habetur in intentione tantùm, et perfectè, quando habetur in re. Fruitio perfecta est ultimi finis realiter habiti; imperfecta, finis ultimi habiti in intentione tantùm. (Ibid. a. 4, o.)

### § 2. *Intentio. D. Th. Q. 12.*

Intentio est desiderium efficax finis per media assequendi; per quod distinguitur à simplici volitione, de quâ in præcedentibus, quæ est nuda complacentia boni sine ordine ad media. Est actus voluntatis, quia intendere, ut ipsum nomen sonat, est tendere in aliquid; in aliquid autem tendit et movens et mobile, sed quòd mobile tendat in aliquid, provenit à movente; unde intentio primò et principaliter pertinet ad id quod movet in finem. Subsumo: Atqui voluntas movet omnes alias vires animæ in finem, ut diximus supra; ergo intentio propriè est actus voluntatis (q. 12, a. 1, o). Est finis ultimi et non ultimi; quia intentio respicit finem ut est terminus motûs voluntatis; terminus autem motûs vel est ultimus simpliciter in quo ultimo quiescitur, et est terminus totius motûs; vel est terminus medius, qui, licet sit principium unius partis motûs, est tamen terminus seu finis alterius, sicut in motu quo itur de *A* in *C* per *B*, *C* est terminus ultimus, *B* terminus, sed non ultimus; et utriusque potest esse intentio (ibid. a. 2, o.) Et hæc de tribus actibus voluntatis circa finem, scilicet de simplici volitione, fruitione et intentione. Nunc de actibus tùm voluntatis cùm intellectûs circa media.

### § 3. *Consultatio, consensus, judicium discretivum et electio.*

(D. Th. QQ. 13, 14 et 15.)

Positâ intentione efficaci finis assequendi, intellectus inquirit de mediis assecutioni congruis; et hic actus, qui est primus circa media, dicitur consultatio; hunc sequitur ex parte voluntatis consensus, quo mediorum propositorum utilitatem approbat, vi cujus movetur intellectus ad discernenda quæ media sint aptiora et præ aliis assumenda, qui actus dicitur judicium discretivum, et est quasi conclusio consultationis, ad quod sequitur electio. De consultatione, consensu et judicio discretivo nihil occurrit speciale dicendum, quædam verò de electione.

Electio definitur ab Aristotele, 3 Ethic.: *Appetitus præconciliati.* Ex quâ definitione sequitur hæc altera: *Acceptatio discretiva unius medii præ alio ad finem consequendum.* Est substantialiter actus voluntatis includens et præsupponens actum intellectûs, quia actus qui ab alio dirigitur, licet sit formaliter à dirigente ut à formâ extrinsecâ, sicut imperium est à formâ extrinsecâ actûs imperati, substantialiter tamen est in potentiâ quæ dirigitur, cùm ab eâ eliciatur; atqui voluntas ad electionem dirigitur ab intellectu proponente objectum voluntati; ergo electio est substantialiter actus voluntatis includens et præsupponens actum intellectûs. Confirmatur: Objectum electionis est bonum utile, sola autem voluntas versatur circa bonum; ergo. (Q. 13, a. 1, o.)

Observat appositè hìc doctiss. Sylvius, quòd, quamvis omnis actus voluntatis præsupponat actum intellectûs, specialiter tamen S. Th. dicit hìc de electione, quòd sit formaliter rationis scilicet dirigentis, et q. 22 de Verit. a. 15, quòd sit voluntatis non absolutè, sed cum ordine ad rationem, quia in electione manifestius apparet id quod est proprium rationis, scilicet unum alteri conferre et præferre( ibid. a. 3, o).

Electio non est de fine ut finis est, sed tantùm de mediis, quia illud cadit sub electione quod se habet ut conclusio in syllogismo operabilium; consequitur enim, ut dictum est, judicium practicum seu discretivum, quod est sicut conclusio consultationis in syllo-

gismo operativo; atqui finis in operabilibus non se habet ut conclusio, sed ut principium; ergo. Insuper electio, ut dixi ex Aristotele, est *appetitus præconciliati;* atqui non est consultatio de fine, sed de mediis; non enim medicus consultat an infirmus sit sanandus, sed quibus remediis sit sanandus.

Dixi : Finis ut finis est, quia si sumatur finis ut medium ordinatum ad alium finem, poterit de illo ut fine materialiter et medio formaliter dari electio; sicut in speculabilibus potest dari discursus circa principia, quatenùs sunt conclusiones superiorum principiorum, ut contingit in scientiis subalternis quarum principia sunt conclusiones subalternantis.

Dices : Electio est acceptatio unius præ altero; atqui id potest esse circa fines sicut circa media, ut dùm quis, propositis duobus finibus non subordinatis, v. g., felicitate æternâ et voluptatibus seculi, unum præ alio acceptat : ergo, (ibid.).— Resp. : Nego min.; ad Prob. Nego ejus suppositum. Quia, in casu proposito, isti duo fines non proponuntur ut habent rationem finis, sed mediorum in ordine ad unum ultimum finem sub communi ratione beatitudinis apprehensum; ultimus enim finis unus est tantùm, ut supra dictum est; unde ubicumque occurrunt plures fines, inter eos potest esse electio secundùm quòd ordinantur ad ultimum finem (ibid. ad 2).

Electio non convenit brutis, quia electio regitur judicio et collatione unius præ alio, bruta verò aguntur instinctu determinato ad unum (ibid. a. 2, o).

Neque est de medio impossibili, quia electio est de medio in ordine ad finem consequendum, impossibile autem non est consecutivum finis (ibid. a. 5. o).

### § 4. *Utrùm è duobus bonis voluntas possit eligere minus vel æquale?*

Suppono 1° quòd id quod est secundùm se et absolutè minus aut æquale bonum, imò et quod tale judicatur judicio speculativo et in communi, possit præeligi, quia voluntas non est de his quæ sunt aut judicantur bona secundùm se et in communi, sed de his quæ nobis hìc et nunc in particulari proponuntur; unde illud Medeæ apud poetam :

*Video meliora, proboque,*
*Deteriora sequor.*

Suppono 2° voluntatem posse eligere æquale aut minus bonum mediatè, movendo scilicet intellectum, ut nova motiva, novas rationes inquirat, quibus vestiatur de novo objectum ut convenientius ac melius appareat.

Difficultas est igitur, an, propositis duobus bonis, non solùm secundùm se et in communi æqualibus seu inæqualibus, sed practicè et secundùm ultimum dictamen seu judicium discretivum propositis ut talibus, possit voluntas, non retractato judicio, nec novo motivo apposito pro suâ libertate, æquale aut minus sic practicè judicatum eligere? Utrinque disputatur probabiliter. Sententia negans est communior inter Thomistas, et videtur conformior nostro Auctori. Unde dico : Quamvis simpliciter et absolutè voluntas pro suâ libertate possit ex duobus bonis æqualibus vel inæqualibus æquale vel minus eligere, id tamen facere non potest nisi mutato judicio practico et proposito novo motivo, quo unum magis emineat et judicetur hìc et nunc melius et convenientius. Hocque sensu verum est quòd electio sit semper de meliori. Deducitur hæc conclusio ex Auctore, hìc a. 6, ad 3, ubi totam rationem eligendi unum præ alio reducit ad diversam considerationem, quâ fit ut unum præemineat et sic flectat voluntatem, his verbis : *Nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat et magis flectatur voluntas in ipsum quàm in aliud.*

Prob. : Voluntas non fertur in aliquod bonum nisi trahatur et alliciatur ab illo; bonum enim comparatur ad voluntatem tanquàm movens ad mobile, et motio boni in voluntatem est metaphorica, scilicet trahendo et alliciendo; ergo non potest ferri in unum præ alio nisi ab illo alliciatur et attrahatur præ alio. Subsumo : Atqui quòd unum trahat et alliciat præ alio, non potest esse nisi quia præ alio judicatur conveniens et bonum; sola enim convenientia seu bonitas proposita per intellectum, est motivum voluntatis; ergo voluntas non potest ex duobus minus aut æquale eligere, nisi judicetur practicè melius et convenientius.

Confirmatur : Voluntas non potest ex duobus bonis propositis unum præ alio eligere, nisi intellectus judicet esse præeligendum; est enim voluntas, ut jam toties diximus, potentia cæca sequens dictamen rationis, et tendens in objectum prout ipsi ab intellectu proponitur; atqui intellectus non potest judicare unum è duobus esse præeligendum, nisi in quantùm judicat melius et convenientius, quia tota ratio eligibilitatis est bonitas et convenientia; et sicut non posset judicare esse absolutè eligendum, nisi judicaret esse absolutè bonum et conveniens, ita non posset judicare esse præeligendum, nisi judicaret melius et convenientius; ergo voluntas non potest è duobus unum præ alio eligere, nisi intellectus judicet esse melius et convenientius.

Dices : Ut voluntas unum præ alio eligat, non indiget majori motivo seu determinativo ex parte objecti, sed sufficit quòd sibi proponatur ut bonum in quod feratur, si velit; sicque pro suâ libertate, et quia vult, ad illud fertur et determinatur. Sed contra, et aperitur æquivocatio in quâ hallucinantur adversarii. Dato non opus esse majori motivo intrinseco ex parte objecti, id est quantùm ex ejus meritis intrinsecis, quia supponitur minus bonum absolutè, opus est tamen ut adjuvetur motivo extrinseco, ut judicetur hìc et nunc præ alio conveniens et eligendum; et hoc ipsum est quod dicitur : *Quia vult*, non enim τὸ *quia vult* se tenet tantùm ex parte agentis et voluntatis, ut falsò arbitrantur adversarii, sed etiam ex parte objecti et motivì, ita ut voluntas assumat pro motivo eligendi unum præ alio exercitium suæ libertatis, quod uni præ alio applicat. Cùm enim dicitur voluntatem eligere minus aut æquale bonum *quia vult*, si τὸ *quia vult* explicaret

tantùm causam agentem, nihil speciale diceretur pro electione minoris aut æqualis boni, siquidem id etiam interveniat in electione majoris boni et in omni actu voluntatis; nullum enim actum elicit voluntas, nisi *quia vult*, τὸ *quia vult* dicente causam agentem. At cùm voluntas eligit minus aut æquale bonum, relicto meliori aut æquali, *quia vult*, τὸ *quia vult* specialiter se habet, et per illud redditur ratio electionis sic factæ; quod non contingit quando eligitur majus bonum quod ex meritis sufficienter movet voluntatem. Unde τὸ *quia vult*, in electione minoris vel æqualis boni concurrit tanquàm motivum ex parte objecti. Et hoc ita verum est, quòd si interrogetur quis quare minus bonum præ majori eligat, aut istud inter æqualia, allegabit pro ratione et motivo, *quia volo*. Ergo habet pro ratione et motivo eligendi suam libertatem et suum beneplacitum, quod uni applicat et non alteri; et ita intelligitur commune dictum : *Stat pro ratione voluntas.* Hâc explicatione positâ, hæc quæstio fortè videbitur multis de nomine. Interim tamen

*Solvuntur objectiones.*

Obj. : Voluntas circa quæcumque bona particularia et limitata, est libera tam quoad exercitium quàm quoad specificationem; solùm enim circa bonum et beatitudinem in communi necessitatur quoad specificationem, et circa Deum clarè visum, quoad exercitium et specificationem; atqui quantùmvis è duobus bonis æqualibus vel inæqualibus intellectus judicet practicè unum melius, istud tamen remanet bonum particulare et limitatum; ergo circa istud voluntas emanet libera, sicque potest illud non eligere et aliud minus eligere. — Resp. in casu posito equidem voluntatem esse liberam, et quodcumque bonum sive majus, sive minus, sive æquale posse eligere, quia potest mutare judicium istud practicum, applicando intellectum ut inquirat nova motiva, novas rationes, quibus minus bonum aut æquale judicetur convenientius, quod facere non potest circa Deum clarè visum, neque circa bonum seu beatitudinem in communi, quæ nullo motivo vestiri possunt quo appareant minùs convenientes. Unde dist. consequens argumenti; ergo voluntas potest melius non eligere, et minus eligere, mutato judicio practico, concedo; eo remanente, nego.

Inst. 1° : Voluntas non sequitur necessariò judicium practicum, alioquin non maneret libera; ergo etiam illo stante potest quod voluerit eligere.—Resp.: Dist. ant.: Voluntas non sequitur necessariò judicium practicum, necessitate absolutâ et antecedente, concedo; necessitate hypotheticâ et consequente, nego. Ex suppositione enim quòd voluntas liberè velit permanere hoc judicium quod mutare potest, necessitatur illud sequi; sed ista necessitas, cùm ab ipsâ voluntate descendat, non officit ejus libertati. Unde, factâ illâ suppositione, voluntas potest aliud eligere in sensu diviso, non in sensu composito, quia non potest simul stare judicium practicum de meliori bono cum electione minoris.

Inst. 2° : Ista necessitas non provenit ex objecto quod est bonum particulare, neque ex suppositione finis, quando non est tantùm unicum medium, neque ex naturâ voluntatis quæ ex se est indifferens et libera; unde ergo oritur? — Resp. oriri ex modo naturali agendi voluntatis, quæ, cùm sit potentia cæca, sequitur dictamen intellectûs objectum proponentis. Unde sicut non potest ferri absolutè in bonum, nisi proponatur ut tale à ratione, ita non potest ferri in unum præ alio, nisi proponatur à ratione eligendum et conveniens præ alio.

Inst. 3° : Voluntas potest ferri in id omne quod habet rationem boni utilis; atqui medium æquale aut minus bonum habet rationem utilis nec illam amittit ex consortio melioris aut æqualis; ergo. — Resp.: Dist. maj. Voluntas potest ferri absolutè in id omne quod habet rationem boni utilis, concedo; comparatione factâ cum meliori aut æquali, nego, quia sequi debet dictamen rationis, et illud præeligere quod ratio dictat esse præeligendum, alioquin non foret appetitus rationalis.

Inst. 4° : Si famelico proponantur duo panes omninò et in omnibus æquales, vel unum eliget, vel utrumque, vel neutrum; si primum, habemus intentum; secundum non potest, quia, ut supponitur, non permittitur illi utrumque assumere, sed unum tantùm. Tertium est prorsùs improbabile, foret namque planè ridiculum quòd iste famelicus neutrum acciperet, ex eo præcisè quòd uterque sit æquè bonus, et sic suâ fame pereat; ergo. — Resp. quòd in isto casu, vel iste famelicus subito famis impetu absque rigorosâ electione et deliberatione in unum feretur; vel si deliberatè agat, voluntas applicabit intellectum ad investigandum in uno aliquam rationem boni et commodi quâ alteri præemineat, sive ex parte qualitatum intrinsecarum alterutrius, sive ex motivis, ut sunt variæ circumstantiæ occurrentes, sive tandem ex ipsâ experientiâ libertatis quam potest velle circa unum exercere potiùs quàm circa alterum, ita tamen quòd ipsa libertas seu beneplacitum non se teneat tantùm ex parte principii effectivi electionis, sed etiam ex parte objecti et motivi allicientis, ut dictum est. Nec obstat quòd iste famelicus sic fame urgeatur, ut ab esu diù non abstinebit; citissimè enim fit ista consideratio.

*Inst.*: 5° Eadem est ratio de electione mediorum ac de intentione finis; atqui voluntas ex duobus finibus potest minus bonum assumere, v. g.; matrimonium præ religione; ergo. — Resp. : Dist. min. Potest assumere minus bonum absolutè et secundùm se, concedo; minus bonum judicatum practicè tale, nego. Non enim assumit matrimonium præ religione nisi quia judicat illud esse sibi convenientius.

*Inst.* tandem : Deus ipse eligit minus bonum relicto meliori, etiam stante judicio et cognitione practicâ melioris; ergo et nos id possumus, quia nostra voluntas est participatio divinæ voluntatis; et si Deus, qui semper prudentissimè agit, id possit, à fortiori nos qui sæpè imprudenter agimus. *Prob. ant.* Deus eligit hunc mundum, cùm posset longè meliorem, videtque

omnes rationes quibus moveri posset, si vellet, ad meliorem : ergo.

Resp. Dist. ant.: Deus eligit minus bonum, ex parte rei electæ, seu intrinsecæ bonitatis, concedo ; ex parte motivi eligendi, nego. Quamvis enim iste mundus sit ratione suæ intrinsecæ bonitatis minus bonum quàm alii mundi quos Deus posset et potuisset creare, est tamen melius et convenientius ex parte motivi, quod motivum est ipsa sua liberalitas et gratia quam applicat huic mundo, et non alteri ; quâ applicatione fit quòd in ordine eligibili minus præemineat alteri, secundùm se meliori. In his enim quæ ex liberalitate et gratiâ fiunt, ipsa pratia seu *quia vult* se tenet ex parte objecti seu motivi, ut dictum est.

*Posset etiam negari consequentia*, quia differt voluntas divina à nostrâ, quòd nostra supponat bonitatem in rebus et ab eâ moveatur, voluntas autem Dei non supponit bonitatem in rebus, sed facit eas eligendo et diligendo : unde eas non eligit quia sunt magis vel minùs bonæ, sed è contra sunt magis vel minùs bonæ secundùm quòd eas magis vel minùs diligit.

Petes, an, suppositâ efficaci intentione finis, si unum occurrat medium ad illum obtinendum, voluntas ad ejus electionem necessitetur ? — Resp. Qui vult efficaciter finem, necessitatur ad eligendum unicum medium, eo scilicet tempore quo finis est per illud obtinendus, quia volitio efficax finis est volitio illum obtinendi per media : atqui finis obtineri nequit per media nisi sint volita ; ergo qui vult efficaciter finem, necessitatur velle media, hoc vel illud si sint plura, istud autem si sit unicum. Insuper voluntas non potest velle efficaciter impossibile ; vellet autem efficaciter impossibile, si vellet efficaciter finem et non vellet medium sine quo finis obtineri nequit.

Dixi, *pro eo tempore quo finis est per illud medium obtinendus*, quia quis potest efficaciter intendere finem, absque eo quòd velit actu unicum medium quousque est executioni mandandum pro actuali finis consecutione ; sufficit enim ad efficaciam intentionis velle in confuso quæcumque fuerint necessaria ad ejus consecutionem. Unde qui vult efficaciter sanitatem, et videt eam non posse obtineri nisi per membri abscissionem, potest divertere cogitationem et suspendere volitionem hujus medii quousque est executioni mandandum ; quod si tunc refugiat, convincitur resilire ab intentione efficaci sanitatis.

Adverte etiam quòd hæc necessitas, cùm sit hypothetica et conditionalis, nempe ex suppositione intentionis finis quam voluntas, quando vult, potest tollere, non officiat libertati requisitæ ad merendum vel demerendum in hâc electione.

### § 5. — *Usus* (D. Th. Q. 16).

Usus inter varias acceptiones hìc sumitur prout dicit applicationem alicujus rei ad aliquam operationem. Applicatio activa, seu ex parte potentiæ applicantis, dicitur usus activus. Applicatio passiva, seu ex parte rei applicatæ, dicitur usus passivus. De usu activo hìc agitur (q. 16, a. 1, o).

Et 1° videtur certum esse actum voluntatis, quia proprium munus voluntatis est applicare et movere cæteras potentias ad suas operationes. Si dicas actionem et passionem esse in eodem subjecto, usum autem passivum non esse in voluntate, consequenter usum activum non esse actum voluntatis, quia actus à voluntate elicitus in eâ subjectatur ; resp. assumptum esse verum duntaxat de actione formaliter transeunte, non verò de actione virtualiter tantùm transeunte qualis est usus activus.

2° Ibid. a. 3, o, videtur pariter certum usum activum, propriè loquendo, non versari circa finem ; quia usus, seu uti, dicitur ab utili et circà utile versatur, quatenùs applicatur in ordine ad aliud ; utile autem non est finis, sed medium ad finem ; et ideò dicimur frui fine et uti mediis. Sed aliqualis difficultas est an distinguatur ab electione, pro cujus resolutione

Dico : Usus activus est actus distinctus ab electione.

Est apertè S. Th. hìc a. 4, o, ubi dicit : *Usus sequitur electionem* ; et ad 1, quòd sit *medius inter electionem et exercitium*.

Prob. ex ejusdem S. doctoris principio a. 4, cit. ; ubi dicit voluntatem habere duplicem habitudinem ad volitum : unam secundùm quòd volitum est quodammodò in voluntate per quamdam proportionem et affectum ad illud ; sed sic voluntas non habet finem nisi imperfectè, scilicet affectivè et in intentione tantùm. Aliam habitudinem habet ad volitum, secundùm quam tendit actu ut habeat ipsum realiter, quod est perfectè habere illud. Ad primam habitudinem, quæ est in ordine intentionis, spectat electio ; ad secundam, quæ est in ordine executionis, spectat usus. Ex quo principio duplex argumentum formo in probationem conclusionis. Primum : Actus conjungens voluntatem cum volito affectivè tantùm et in ordine intentionis, est distinctus ab actu conjungente voluntatem cum volito realiter et in ordine executionis : atqui electio conjungit voluntatem cum volito affectivè tantùm et in ordine intentionis ; per eam enim complętur ordo intentionis, usus verò conjungit realiter et in ordine executionis : ergo.

Secundum argumentum ex posito S. Th. principio : Electio versatur circa medium in ordine intentionis, ut est futurum et effectus finis. Usus activus versatur circa idem medium in ordine executionis, ut est præsens et causa efficiens finis habiti in re. Ergo isti duo actus versantur circa objecta formaliter distincta, licet sit materialiter idem. Subsumo : atqui actus essentialiter distinguuntur penès objecta formaliter distincta : ergo.

Confirmatur. Ubi est nova et distincta difficultas, ibi requiritur novus et distinctus actus : atqui in executione, nova distincta et longè major difficultas reperitur quàm in electione, ut omnibus pervium est ; quot sunt enim qui facilè eligunt et in executione deficiunt !

Quædam quæ objici possunt facilè solvuntur ex dictis ; alia pauca sunt levis momenti : vide, si lubet, in nostro Gonet. disp. 11, a. 1.

## ARTICULUS VII.

*De actibus imperatis.* (D. Th. Q. 17.)

§ 1. *Utrùm detur in homine imperium respectu suî et suarum operationum?*

Quæstio non est, ut patet ex titulo, de imperio quod dicitur politicum, quo rex vel superior imperat suis subditis, sed de imperio quod dicitur monasticum, quo homo sibi ipsi et suis potentiis imperat, quodque definiri potest: *Actus ordinans aliquem ad aliquid agendum cum quâdam intimativâ motione*, q. 17. a. 2, o. Illud negant Suares, Vasques et quidam alii, putantque suf ficere judicium præcedens et regens electionem. Affirmant Thomistæ cum pluribus aliis, cum quibus

Dico. Datur in homine imperium respectu suarum potentiarum, ibid. a. 3 ad 1, et per tot. q. inf. q. 57, a. 6, 2-2, q. 83, a. 1.

Prob.: Præter electionem datur in voluntate usus activus, ut probavimus § præcedenti: ergo præter judicium regens electionem, debet dari alter actus in intellectu regens usum et executionem, qui dicitur imperium. Patet consequentia, quia voluntas nunquàm operatur sine directione intellectûs. — Respondent adversarii ad directionem usûs et executionis sufficere judicium præcedens electionem, continuatum usque ad executionem; et hoc est præcipuum ipsorum fundamentum, quod multipliciter convellitur, et simul confirmatur conclusio.

Unde contra 1°. Ideò ponitur usus activus distinctus ab electione, quia in usu est nova difficultas quæ indiget distincto actu et distincto conatu: atqui ad istam novam difficultatem non solùm opus est novo conatu ex parte voluntatis, sed etiam novo actu ex parte intellectûs judicante, ordinante, disponente executionem. Multi enim benè judicant de eligendis, qui agendo malè præcipiunt, et in executione deficiunt, quia instante executione exsurgunt difficultates, tædia, labores, impedimenta tam ex parte potentiarûm executivarum quàm ex circumstantiis occurrentibus, ad quæ vincenda opus est quandoque variare præconsiliata, uti temperamento, adhibere majorem conatum, industriam, perseverantiam, patientiam exercere; quæ omnia plerùmque non potuerunt antea prævideri, et si prævisa fuerint, nunquàm tamen ita movent sicut quando sunt præsentia; et cùm rationabiliter fiant, non impetu naturæ, sicut in brutis, præter judicium regens electionem, indigent alio tribunali, seu judicio in quo ultimo ipsa executio secundùm ultimam individuationem et occurrentes circumstantias ordinetur, atque finaliter dicatur: *Fac hoc tali vel tali modo.*

2° Ideò usus activus distinguitur ab electione, quia electio respicit medium in ordine intentionis et ut futurum, usus autem respicit in ordine executionis et præsens seu hìc et nunc ponendum; unde respiciunt objecta formaliter distincta: atqui actus intellectûs dirigentes hos actus voluntatis habent idem objectum ac isti voluntatis directi: ergo.

3° Ut id, quod princeps seu superior intendit, mandetur executioni, non sufficit quòd judicet id esse faciendum, sed opus est ut jubeat fieri, alioquin infectum manebit. Ergo imperium distinguitur à judicio.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* Imperium non requiritur ut moveat alias potentias, neque quoad exercitium neque quoad specificationem. Ergo est superfluum. *Prob. ant.* Non quoad exercitium, quia primum movens quoad exercitium est voluntas, ut dictum est; non quoad specificationem, quia operationes sufficienter diriguntur quoad specificationem per consultationem et judicium præcedens electionem; non enim istud judicium proponit tantùm media ut eligenda seu ut congrua, sed etiam ut exequibilia, quo modo, quo ordine, quo tempore executioni mandanda: ergo. — Resp. nego ant. pro utrâque parte. Ad probationem primæ partis dicendum quòd, ex hoc quòd voluntas sit primum movens quoad exercitium, seqùatur quòd sic movere per se primo illi conveniat; sed id non obstat quin possit competere secundario et per participationem actui intellectûs, sicut reverà competit imperio ex efficaciâ et influentiâ electionis quam supponit.

Ad probationem secundæ partis, nego ant. Hæc quidem assignata sufficiunt ad specificationem in ordine intentionis, at non in ordine executionis; ad eam enim requiritur quòd proponantur media, non ut eligenda, sed ut electa; non ut exequibilia postea, sed ut hìc et nunc executioni mandanda; non ut dicatur: *Hoc est faciendum tali modo, ordine et tempore*, sed ut dicatur: *Fac hoc hìc et nunc tali modo et ordine;* quousque enim intellectus sic dixerit et proposuerit, non dirigit sufficienter executionem, et electum manet infectum; sicut, quamvis subditus sciat superiorem judicàsse aliquid esse faciendum hoc vel illo modo, hoc vel illo tempore, nisi accedat ejus imperium, non movetur ad illud faciendum.

Inst. 1°: Frustra dirigitur imperium ad illum qui illud cognoscere non potest: atqui voluntas, cùm sit potentia cæca, non potest cognoscere imperium; neque etiam potentiæ executivæ, quia non sunt intellectuales: ergo. — Resp. 1° hâc ratione probari, si quid probet, voluntatem in quocumque suo actu à nullo objecto per intellectum proposito posse moveri, siquidem illud non cognoscat; quod tamen nemo admittit.

Resp. 2°: quòd, ut voluntas moveatur per imperium, non requiratur quòd illud cognoscat per se, sed sufficit quòd supposìtum volens illud cognoscat per aliquam potentiam, quia sicut in membris corporeis quodlibet membrum operatur non sibi soli, sed toti corpori, ut oculus videt toti corpori, ita est in potentiis animæ; nam intellectus intelligit non solùm sibi, sed omnibus potentiis, et voluntas vult non solùm sibi, sed omnibus potentiis: sicut ergo non est necesse quòd pedes videant ut dirigantur ab oculis, sed oculi vident pro pedibus, ita, ut voluntas moveatur et dirigatur ab intellectu, non est necesse quòd cognoscat, sed intellectus cognoscit pro ipsâ. Et ideò homo imperat sibi ipsi actum voluntatis, in quantum est intelligens et volens. (Hic, a. 5, ad 2.)

Inst. 2°: Juxta S. Th. 2-2, q. 38, a. 10, sicut oratio est ad superiorem, imperium est ad inferiorem : atqui nemo potest seipsum orare, quia nemo est sibi superior : ergo nemo potest sibi imperare, quia nemo est sibi inferior. — Resp. : Permissâ maj. nego cons. Dispar est 1° quòd intellectus imperans sit potentia superior ad voluntatem cui imperat : at intellectus orans (est enim oratio actus intellectûs) non habet aliam potentiam sibi superiorem, cùm sit omnium potentiarum prima et suprema. 2° Orare est indigentis ; nemo autem dicitur indigere eo quod ipse sibi præstare potest, sive per unam, sive per aliam potentiam.

Permisi majorem, quia S. Th. ibi loquitur de imperio politico, quod, propter vim obligantem et coercitivam, exigit distinctionem suppositorum ; secùs imperium monasticum.

Inst. 3°: In brutis non datur imperium : ergo nec in homine. — Resp. : Nego conseq. Quæ si legitima foret, sequeretur quòd etiam in homine non daretur neque consultatio, neque judicium, neque usus activus, cùm in brutis non dentur. Disparitas est ergo quòd bruta instinctu agant ; unde, positâ apprehensione et affectu objecti sensibilis, in illud necessariò feruntur. At homo liberè agit et ex propriâ directione, ideòque indiget consilio, seu judicio dirigente electionem, et imperio dirigente executionem (hìc a. 2 ad 3).

§ 2. *Utrùm imperium sit actus rationis vel voluntatis ?*

Ex § præcedenti jam satis apparet imperium esse actum intellectûs (hìc a. 1, 0) ; ut tamen id manifestius fiat,

Dico : Imperium est substantialiter actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.

Prob. Imperare tria dicit : primum, ordinare eum cui imperatur, ad opus faciendum et media hìc et nunc exequenda ad finem consequendum ; secundum, intimare seu denuntiare opus faciendum, non indicativo modo, dicendo : *Hoc est faciendum*, sed imperativo modo, dicendo : *Fac hoc ;* tertium, movere ipsum seu potentiam cui imperatur ad operis executionem. Atqui hæc tria sunt rationis. 1° Ordinare est conferre seu comparare unum ad aliud, quod est proprium rationis, cùm sit quid intelligibile. Unde rectè dixit Cajetanus hìc : *Quidquid ordinis in naturalibus et voluntariis est, à ratione proficiscitur, et in illam resolvitur ; opus enim naturæ est opus intelligentiæ : et electiones in quibus maximè apparet ordo, quia sunt eorum quæ sunt ad finem propter finem, à consilio proficiscuntur, ordinante hoc ad illud.* 2° Intimare, seu denuntiare, est manifestare et loqui, quod etiam pertinet ad intellectum. 3° Quamvis voluntati per se primò conveniat movere, quia est primum movens ad exercitium, convenit tamen secundariò et participativè intellectui ex actu præcedente voluntatis, quia virtus prioris actûs remanet in actu sequenti : unde, sicut in electione remanet aliquid de virtute actûs consilii præcedentis, scilicet ordo mediorum, ita in imperio remanet aliquid de virtute electionis, nempe efficacia movendi. Ergo imperium est actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actûs.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : S. Th. in capite hujus quæstionis 17 : *Considerandum est*, inquit, *de actibus imperatis à voluntate*, et infra q. 71, a. 6 ad 2, dicit quòd voluntas imperat omnes actus voluntarios. Similiter S. Augustinus et alii SS. Patres adscribunt imperium voluntati. Ergo. — Resp., has et similes auctoritates duplici solutione excipi ex eodem S. Th. in 4, d. 15, q. 4, a. 1, quæstiunc. 1, ad 3. Prima est, quòd in eis sit sermo de imperio latè et impropriè sumpto pro quocumque movente ad finem, sive ordinando et intimando, sive non. Secunda, quòd, si loquantur de imperio strictè sumpto, intelligantur quòd imperium sit voluntatis, non formaliter et substantialiter, sed causaliter et originativè, quia à voluntate participat vim movendi.

Inst. : Lex est formaliter voluntatis : ergo et imperium. Patet conseq., quia actus legis est imperare, consequenter ad eam potentiam pertinet lex et imperium. Prob. ant. : 1° ex S. Scripturâ, quæ nomine voluntatis legem divinam explicat, Psal. 102 : *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas ;* Psal. 142 : *Doce me facere voluntatem tuam.* 2° Ex jure ; ff. de Constit. principis, l. 1, dicitur : *Quod principi placuit, legis habet vigorem ;* et alibi similiter. Ergo. — Resp. : Nego ant. : Lex enim est actus rationis, ut dicemus de Legibus, et ibidem docet Auctor. Ad probationem, ex S. Scripturâ lex nomine voluntatis explicatur, vel quia est signum divinæ voluntatis, vel quia voluntatem divinam supponit. Sed neque tantùm nomine voluntatis exprimitur, sed etiam nomine judicii, eloquii et sermonis ; Psal. 118 : *Custodiam sermones tuos... In corde meo abscondi eloquia tua... Judicia tua non sum oblitus ;* Psal. 147 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Unde ex S. Scripturâ erui non potest quòd lex sit formaliter actus voluntatis, sed quòd eam supponat, seu quod sit voluntas ordinata et dictata. Similiter ad jus, dicitur quòd placuit principi, habere vigorem legis, quia ex voluntate principis originatur : aut loquitur de objecto legis non de ipsâ lege ; non enim quod placuit regi seu quod vult rex, est lex, sed objectum legis.

Obj. 2° : Ad eam potentiam formaliter et substantialiter pertinet imperium, ad quam pertinet dominium ; est enim domini et superioris imperare : atqui dominium formaliter pertinet ad voluntatem, quia dominium est potestas libera et sui juris, quæ se movet prout vult ; formalis autem libertas et potestas sui juris est in voluntate : ergo imperium est formaliter actus voluntatis, licet directivè sit intellectûs. — Resp. : Dist. maj. Ad eam potentiam pertinet imperium, ad quam pertinet dominium, ut movens præcisè, nego ; dominium intimans et dirigens, concedo ; ad cujus sensum, dist. min. Dominium ut movens præcisè pertinet ad voluntatem, conced. min. ; ut intimans et dirigens, nego min. et conseq. Dominium ergo non solùm importat vim movendi, sed etiam intimandi et

dirigendi, quia non est dominium merè impulsivum, sed rationabile et ordinatum. Imperium autem pertinet ad potentiam ad quam pertinet dominium, quoad vim intimandi et ordinandi, quia licet importet vim movendi ex voluntate, consummatur tamen in intimatione et ordinatione.

Inst. 1°: Charitas pertinet ad voluntatem : atqui charitas imperat aliis virtutibus etiam intellectualibus, ut fidei : ergo. — Resp. : Dist. min. Charitas imperat aliis virtutibus, imperio latè et inadæquatè sumpto pro simplici motione ad finem, concedo; imperio strictè et adæquatè sumpto pro motione intimatâ et ordinatâ, nego. Imperat enim charitas sicut ipsa voluntas in quâ est, scilicet quantùm ad id quod motionis est in imperio præsuppositivè, non quoad id quod est in eo formale, scilicet intimativum et regulativum; sed hoc facit mediante actu intellectûs.

Inferes: Ergo dùm imperatur actus intellectûs, v. g., fidei, intellectus sibi ipsi imperat, et sic est imperans ei imperatus, quod videtur inconveniens. — Resp., quòd hoc modo ratio imperat sibi ipsi, sicut voluntas movet seipsam, in quantùm scilicet utraque potentia reflectitur super suum actum, et ex uno ad aliud tendit : quando itaque charitas imperat latè actum fidei, movet intellectum ut formet quasi reflexè dictamen ordinans et denuntians quo actum fidei sibi imperat; et sic distinguuntur actus imperans et imperatus. (Hic a. 6, ad 1.)

Urgebis : Si imperium importet motionem ex parte voluntatis et intimationem ad directionem ex parte intellectûs, quo jure dicimus pertinere formaliter ad intellectum et præsuppositivè ad voluntatem, eodem jure dici potest pertinere formaliter ad voluntatem et præsuppositivè ad intellectum. Ergo. — Resp. : Nego sequelam; quia si præcederet actus intellectûs dirigens et denuntians, et sequeretur motio efficax voluntatis, intellectus non posset denuntiare istam motionem efficacem voluntatis per hunc anteriorem actum, quia tunc nondùm est ista motio efficax; sed indigeret altero actu istam motionem consequente, in quo consummaretur imperium : ad imperium enim maximè pertinet hanc efficaciam intimare, quam si non intimet, nec obligat, nec movet saltem ordinatè et rationabiliter.

Si dicas voluntatem movere alias potentias executivas absque alio actu intellectûs consequente, resp. voluntatem movere potentias executivas, mediante imaginatione seu phantasiâ, quâ ejus motio istis potentiis intimatur.

Obj. 3°: Omnis actus intellectûs, vel est simplex apprehensio, vel compositio, seu judicium, vel discursus : atqui imperium non est simplex apprehensio, neque compositio, neque discursus : ergo. (2-2, q. 83, a. 1, ad 3.) — Resp. quòd illi tres actus pertineant ad rationem speculativam; sed ulteriùs ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperii vel petitionis. Insuper dici potest imperium reductivè pertinere ad compositionem seu judicium, illudque virtualiter aut eminenter continere; qui enim dicit : *Fac hoc*, virtualiter et æquivalenter dicit : *Hoc est tibi faciendum;* et vocatur à quibusdam judicium practicè practicum, ut distinguatur à judicio præcedente electionem, quod, quamvis sit practicum respectu electionis, est tamen speculativum respectu executionis.

§ 3. *Quinam actus subjiciantur imperio rationis?*

Dico, et sit regula generalis : Illi actus qui sunt in potestate et arbitrio nostro, et ad quos ratio suadens movere nos potest, imperari possunt, illi verò qui non sunt in potestate et arbitrio nostro, et ad quos ratio suadens nos movere non potest, imperari non possunt. Colligitur hæc regula ex ipsâ naturâ imperii; imperare enim est superioris gubernantis et potestatem habentis ad movendum et obligandum ut sibi obediatur, alioquin inane foret imperium. (Hic 5 ultimis art.)

Ex hâc regulâ sequitur 1° actum voluntatis posse imperari, quia sicut ratio potest judicare quòd bonum sit aliquid velle, ita potest ordinare imperando quod homo velit. (Ibid. a. 5, o.) Excipiendus est tamen primus actus voluntatis, scilicet simplex volitio finis, quia prima apprehensio ex quâ sequitur simplex volitio, non supponit priorem actum voluntatis, à quo participet vim movendi quoad exercitium. Unde, quamvis ista prima volitio sit libera, quia regulatur cognitione indifferenti, ad eam tamen homo non se movet, sed movetur à Deo. Confer art. 2. (Ibid. ad 2.)

Quantùm verò ad consensum et electionem, quamvis consultatio vi præcedentis intentionis moveat ad consensum, et judicium vi consensûs ad electionem, et ideò possint dici imperium latè, non tamen strictè, quia movent indicativo modo tantùm, non imperativo.

Sequitur 2° actum rationis posse imperari, tum quia secundùm arbitrium utimur ratione, tum quia, cùm ratio sit potentia immaterialis, super seipsam reflectitur : unde sicut ordinat et disponit de actibus aliarum potentiarum, ita potest ordinare et disponere de suis actibus, ut jam diximus. Ibid. a. 6, in arg. s. c. et o. Non tamen omnes actus rationis possunt imperari, quia non omnes sunt in potestate nostrâ. Quantùm ad exercitium possunt semper imperari, quia sicut alicui indicitur et imperatur ut attendat et ratione utatur, ita homo potest sibi indicare et imperare. Id tamen circa primum actum rationis, seu circa primam cogitationem, non sic est intelligendum quasi ex imperio rationis adveniat; multæ enim cogitationes sunt vel à Deo, si bonæ, vel à diabolo ejusque ministris, vel aliunde; si malæ; sed sic quòd prima cogitatio, licet improviso exorta, possit ex imperio rationis admitti vel respui, continuari vel interrumpi. (Ibid. o.) Si autem actus rationis considerentur quantùm ad objectum, apprehensio veritatis circa aliquid non subjacet imperio rationis, quia non est in potestate nostrâ, sed contingit per virtutem luminis naturalis vel supernaturalis; similiter actus rationis, quo assentimur primis principiis apprehensis et conclusionibus demonstratis, non subjacent imperio rationis quoad specificationem, quia sic illis naturaliter assentimur ut non possimus dissentire. Circa objecta verò apprehensa, quæ non planè convincunt intellectum quin possit eis

assentire vel dissentire, in talibus assensus vel dissensus est in potestate nostrâ et sub imperio cadit. (Ibid.)

Sequitur 3° quosdam actus appetitûs sensitivi cadere sub imperio rationis, quosdam non cadere, quia quidam sunt in potestate nostrâ, quidam non sunt. Etenim appetitus sensitivus est virtus organi corporalis, omnis autem actus virtutis utentis organo corporali dependet non solùm ex potentiâ animæ, sed etiam ex dispositione organi corporalis, sicut visio ex potentiâ visivâ et qualitate oculi per quam juvatur vel impeditur : unde et actus appetitûs sensitivi non solùm dependet ex vi appetitivâ, sed etiam ex dispositione corporis. Igitur actus appetitûs sensitivi, quatenùs pendent ex dispositione organi corporalis, ut dùm ex motu causatur calor et ex calore motus concupiscentiæ, non subjacent rationis imperio, quia qualitas et dispositio corporis non sunt in potestate nostrâ. Quatenùs verò dependent ex vi appetitivâ, cadunt sub imperio rationis, quia id, quod se tenet ex parte potentiæ, sequitur apprehensionem imaginationis, quæ, cùm sit particularis, regulatur ab apprehensione rationis, quæ est universalis, sicut virtus activa particularis à virtute activâ universali. Et ideò ex istâ parte actus appetitûs sensitivi subjacet imperio rationis. Contingit tamen quandoque quòd motus appetitûs sensitivi subitò concitatur ad apprehensionem imaginationis vel sensûs, et tunc ille motus est præter imperium rationis, quamvis potuisset impediri à ratione si prævidisset : unde Philosophus, 1 Politic. c. 3, dicit quòd ratio præest irascibili et concupiscibili, non principatu despotico, qui est domini ad servum, sed principatu politico aut regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subduntur imperio, sed rebellare possunt. (Ibid. a. 7, o.)

Sequitur 4° actus animæ vegetativæ non subdi imperio rationis, tùm quia non producuntur mediante apprehensione, nullus autem actus potest imperari nisi sequatur aliquam apprehensionem ; tum quia actus animæ vegetativæ, v. g., nutriri, augere, pendent ex dispositionibus corporum quæ non sunt in nostrâ potestate. (Ibid. a 8, o.)

Sequitur 5° quosdam actus membrorum exteriorum subjici imperio rationis, quosdam non subjici, quia membra corporis sunt organa quædam potentiarum animæ : unde eo modo quo potentiæ animæ se habent ad hoc quòd obediant rationi, hoc modo se habent et corporis membra. Quia igitur vires sensitivæ subduntur imperio rationis, ut dictum est, non autem vires naturales, natura enim non est in potestate nostrâ, ideò omnes motus membrorum quæ moventur à potentiis sensitivis, quales sunt motus pedum, manuum et similes, subduntur imperio rationis : motus autem membrorum quæ sequuntur vires naturales, non subduntur imperio rationis. Talis est motus cordis qui est principium omnis motûs corporalis ; primum autem in unoquoque est natura, et ideò dicitur à generante sequens per se unionem animæ ad corpus, sicut motus gravium et levium sequitur formam substantialem eorum. (Ibid. ad. 2.) Item, motus genitalium non subditur imperio rationis, quia ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio, scilicet caliditatis et frigiditatis, quæ alteratio non subjacet imperio rationis. Aliam rationem theologicam affert S. Aug. 14 de Civit., cap. 16, scilicet, ut anima suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipuè membro pœnam patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducitur. (Ibid. ad 3.)

# DE ACTIBUS HUMANIS IN ESSE MORIS

# Dissertatio.

(Divus Thomas, QQ. 18, 19 et 20.)

## ARTICULUS PRIMUS.

*In quo consistat moralitas in communi actuum humanorum ?*

Actus moralis dicitur hìc, non à more qui sit consuetudo, hæc enim in ipsis brutis reperiri potest, sed à more à quo homines dicuntur et sunt boni vel mali, laude vel vituperio digni. Unde actus moralis definiri potest : *Actus procedens à deliberatâ voluntate cum subjectione ad regulas morum*, quæ sunt lex æterna et recta ratio. Definitio patebit ex sequentibus. Duplex esse distinguendum est in actu humano : esse naturæ seu physicum, et esse moris. Esse naturæ est ipsa entitas physica actûs. Quid sit esse morale non ita facilè dictu. Quidam moralitatem reponunt in denominatione extrinsecâ, quidam in ipsâ libertate, alii in relatione rationis, alii in relatione prædicamentali, alii tandem in relatione transcendentali ad objectum subditum regulis morum.

Dico 1° : Moralitas in communi non consistit in denominatione extrinsecâ petitâ à regulis morum. Est certò D. Th. hìc q. 18, a. 4, ad 2, ubi dicit quòd moralitas, quæ desumitur à fine, *inhæret actioni, quamvis finis sit extrinsecus.* Et a. 1 dicit bonitatem moralem consistere in plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ ; constat autem hanc plenitudinem non esse denominationem extrinsecam, seu ens rationis.

Probatur ratione : 1° Esse morale, et præsertim bonitas moralis, est perfectio in actibus humanis existens à parte rei, causata à virtutibus, à voluntate liberâ et

à Deo : ergo non est mera denominatio extrinseca et ens rationis. Confirmatur 1° : In actibus supernaturalibus est bonitas moralis quæ est fundamentum meriti : atqui hæc est realis, cùm sit supernaturalis : ergo. Confirmatur 2°. Deus remunerat et punit in æternum propter actus bonos vel malos moraliter : atqui absurdum est quòd æternum præmium aut supplicium propter denominationes extrinsecas aut entia rationis decernat : ergo. Probatur 2° : Forma à quâ actus humanus denominatur moralis, debet esse alicui subjecto intrinseca, sicut v. g., forma à quâ paries denominatur extrinsecè visus est intrinseca alicui subjecto, nempe oculo : atqui hæc forma non potest esse intrinseca alteri subjecto quàm actui humano : ergo. Probatur min. Hæc forma, cùm sit ipsa formalis moralitas, denominat formaliter morale subjectum cui intrinsecè inest : atqui solus actus humanus potest denominari formaliter moralis, bonus vel malus : ergo.

Confirmatur : Voluntas denominatur moralis quia producit actum moralem ; lex, quia ipsum dirigit ; objectum, quia ipsum terminat ; finis, quia ad ipsum movet : circumstantiæ, quia ipsum afficiunt : ergo nihil dicitur morale, nisi per ordinem ad actum moralem ; ergo in eo solo est principaliter et formaliter moraliter. Patet hæc ultima consequentia, quia analoga attributionis dicuntur per ordinem ad illud in quo principaliter et formaliter est forma denominans, ut patet in pulsu, urinâ, medicinâ, quæ dicuntur sana per ordinem ad sanitatem quæ est formaliter in animali.

Dico 2° : Libertas requiritur ad moralitatem, non tamen formaliter in eâ consistit. Prima pars constat, quia actus necessarii non subjiciuntur regulis morum, nec ab eis sunt dirigibiles, sed soli actus liberi ; frustra enim adhiberetur lex actui necessario et invariabili. Est ergo libertas fundamentum aut conditio sine quâ non moralitatis. Et ideò doctor Angelicus dicit : *Ibi incipit genus moris ubi primò dominium voluntatis invenitur.* Probatur secunda pars 1° : Priùs concipitur in actu libertas quàm moralitas ; hoc ipso enim quo concipitur actus egredi à voluntate sub indifferentiâ judicii, concipitur liber et nondùm moralis, quia nondùm concipitur lex cui subjiciatur. Imò, dato quòd non esset lex seu regula morum, adhuc conciperetur liber, et non esset moralitas. Ergo. Probatur 2° : Immultiplicatâ et invariatâ libertate, moralitas potest multiplicari et variari in eodem actu : ergo moralitas in communi non consistit in libertate. Patet consequentia, quia impossibile est quòd multiplicetur et varietur moralitas, non multiplicato nec variato eo in quo formaliter consistit. Probatur ant. Dùm quis committit adulterium vel furatur ad mœchandum, est ibi duplex moralitas, scilicet injustitiæ et luxuriæ, et una libertas ; dùm quis comedit carnes feriâ quintâ, instante duodecimâ nocturnâ, et eâ auditâ continuat comestionem, variatur moralitas ; hæc enim comestio de bonâ fit mala, et tamen perseverat eadem libertas. Ergo. Confirmatur. Esse liberum pertinet ad ordinem naturæ ; eo enim physicè distinguuntur agentia libera à non liberis : ergo. Cæterùm, observandum est quòd, quamvis diversa sit ratio libertatis et moralitatis, quia tamen omnis actio moralis est humana et deliberata, et vicissim omnis actio humana et deliberata est moralis, ex eo quòd non detur actio indifferens in individuo, ut dicemus infra, hinc fit quòd actio humana et moralis promiscuè sumatur pro eâdem ; et hinc Auctor, q. 2, a. 3, dicit : *Idem sunt actus moralis et actus humanus* : non est tamen, ut dixi, eadem utriusque ratio ; dicitur enim humana, quatenùs à liberâ voluntate procedit ; dicitur moralis, quatenùs est conformis vel difformis rectæ rationi. Hæc observatio juvat ad solutionem quarumdam instantiarum ex D. Th.

Dico 3° : Moralitas in communi consistit formaliter in tendentiâ seu relatione reali transcendentali ad objectum subditum regulis morum. Probatur : Eodem modo, proportione servatâ, loquendum est de actu in esse moris, sicut de actu in esse naturæ ; actus enim in esse physico est fundamentum actûs ut moralis : atque actus in esse naturæ constituitur formaliter per ordinem et tendentiam realem transcendentalem ad objectum in esse naturæ seu physico consideratum, comparatur enim ad objectum ut motus et via ad terminum : ergo actus moralis constituitur formaliter per ordinem et tendentiam realem transcendentalem ad objectum in esse moris consideratum, id est, ut subditum et regulabile per regulas morum.

Confirmatur : Moralitas dicitur per ordinem seu relationem ad regulas morum : atqui iste ordo seu relatio non est rationis neque prædicamentalis : ergo realis transcendentalis. Prob. min. 1° Non est rationis, tum quia, independenter ab omni fictione intellectûs, actus humanus à parte rei est moralis bonus vel malus ; tum quia, ut dixi supra in primâ conclus., absurdum est Deum æterna præmia et æterna supplicia præparâsse entibus fictis. 2° Neque est prædicamentalis, tum quia relatio prædicamentalis est ad terminum ut purum terminum, moralitas autem est ordo sive ad regulas, sive ad objectum subditum regulis, non ut ad purum terminum, sed ut perfectibile ad perfectivum et specificativum ; tum quia relatio prædicamentalis non existit desinente termino, existit autem moralitas non existente termino, ut in eo qui delectatur de re præteritâ vel futurâ. Ergo.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° contra primam conclusionem : Moralitas in actibus humanis desumitur ab extrinseco, nempe à lege : ergo est denominatio extrinseca. — Resp. : Dist. ant. : Desumitur à lege mediatè, concedo ; immediatè, nego. Est enim immediatè ipse ordo actus ad objectum, prout cadit sub regulis morum ; hic autem ordo est intrinsecus actui.

Inst. 1° : Moralitas objectiva, seu in objecto, est denominatio extrinseca : ergo et formalis. Patet consequentia, tum à pari, tum quia moralitas objectiva est specificativum moralitatis formalis. — Resp. : Nego conseq. ; ad primam probat., disparitas est quòd objectum non dicat ordinem realem ad legem, sicut ac-

tus ad objectum. Ad secundam probat., dist. : Moralitas objectiva est specificativum extrinsecum moralitatis formalis, concedo; specificativum intrinsecum, nego. Id enim est ipse ordo realis ad objectum; sicut dicimus in logicâ quòd ejus specificativum extrinsecum sit ens rationis, specificativum autem intrinsecum, ipsa habitudo realis ad ens rationis, unde est scientia realis.

Inst. 2° : Esse morale in monetis est denominatio extrinseca petita à voluntate principis : ergo similiter in actibus humanis.—Resp. : Nego conseq. Disparitas est eadem, scilicet, quòd nullus sit ordo realis in monetis ad voluntatem principis, sicut in actu est ordo realis ad objectum. Est enim actus, ut jam dixi, via ad objectum ut ad terminum, sicut perfectibile ad perfectivum, mensurabile ad mensuram.

Obj. 2° contra eamdem : Idem numero actus sine aliquâ reali mutatione potest fieri de bono malus, ut comestio carnium inchoata ante mediam noctem feriæ sextæ, et post mediam noctem continuata. Item potest fieri de non morali moralis, ut motus primoprimus cum advertentiâ continuatus : ergo moralitas non est quid reale intrinsecum actui, aliàs non posset idem manens mutare speciem moralitatis, et fieri de non morali moralis.—Resp. : Dist. ant. Idem numero actus sine aliquâ mutatione reali physicâ potest fieri de bono malus, et de non morali moralis, concedo; sine aliquâ mutatione reali morali, nego; in his enim casibus actus mutatur realiter, non quidem in esse physico, sed morali, quatenùs mutat respectum ad objectum ut subditum regulis morum.

Obj. 3° contra secundam conclusionem : S. Th. hìc et alibi sæpè dicit actum voluntatis esse moralem in quantum est liber, seu in quantum procedit à ratione : ergo.—Resp. S. Th. esse intelligendum in sensu non formali, sed causali, quia libertas est fundamentum, seu saltem conditio sine quâ non moralitatis : sicut si dicam : Ignis in quantum approximatus calefacit; sensus est causalis, non formalis, quia approximatio est conditio sine quâ non calefactionis, non forma quâ fit calefactio.

Inst. : S. Th. in 2, d. 4, q. 1, a. 1, o, dicit : *Actus voluntatis qui per se et immediatè ad voluntatem pertinent* (scilicet actus eliciti) *per se in genere moris sunt : unde simpliciter specie dividuntur interiores actus voluntatis per bonum et malum, sicut per differentias essentiales :* ergo. — Resp. S. Th. loqui de actu voluntatis ut subest rationi et ejus regulis, consequenter de actu voluntatis, non physico, sed morali ut sic, qui per bonum et malum tanquàm per differentias essentiales dividitur : sicut si consideraretur arte factum in communi, quod per se divideretur differentiis artificialibus diversorum arte factorum. Ita se explicat S. doct. hìc q. 18, a. 5, o, ubi dicit : Differentia boni et mali circa objectum considerata, comparatur per se ad rationem, scilicet, secundùm quòd objectum est ei conveniens vel non conveniens.

Obj. 4° contra eamdem : In eo consistit formaliter moralitas quo posito ponitur, quo ablato aufertur : atqui positâ libertate ponitur moralitas, eâ ablatâ aufertur : ergo — Resp. 1° : Nego. maj. universaliter sumptam. Nam, positâ approximatione ignis ad stupam, comburitur stupa; ablatâ approximatione, non comburitur; et tamen approximatio non est ratio formalis comburendi, sed tantùm conditio requisita. Unde 2° dist. maj. : In eo formaliter consistit moralitas quo posito, tanquàm essentiâ rei, ponitur, etc., concedo maj. ; quo posito, tanquàm prærequisito, etc., nego maj. Ad cujus sensum distinctâ min. nego conseq. Itaque positâ libertate, ponitur moralitas, quia nullus est actus liber in individuo de quo non detur lex, ut infra dicemus, et ideò omnis actus liber in individuo est moralis, bonus vel malus; ablatâ libertate aufertur moralitas, quia ad moralitatem necessariò requiritur libertas, sicut ablato voluntario aufertur liberum, quia liberum fundatur in voluntario; sicut tamen alia est ratio voluntarii, alia liberi, ita alia est ratio liberi, alia moralitatis, ut patet ex probationibus conclusionis. Insuper posset absolutè negari minor secundùm se; si enim non esset lex, esset libertas et non esset moralitas.

Inst. 1° : Positâ libertate et præciso quocumque alio, est moralitas : ergo. Prob, ant. Positâ libertate, hoc ipso actus est dirigibilis per regulas morum : atqui hæc dirigibilitas est ipsa moralitas : ergo. — Resp. : Nego ant.; ad probat., nego min. Hæc enim dirigibilitas est capacitas moralitatis, non ipsa moralitas : moralitas autem est ipsa subjectio regulis morum. Unde si non esset regula, actus liber foret quantùm est ex se dirigibilis, et non foret moralis : sicut in arte facto artificialitas, ut ita dicam, seu esse artificiale, non consistit in dirigibilitate per regulas artis, hæc enim convenit rebus secundùm suam substantiam ante omnem artem, sed est habitudo per modum subjectionis actualis ad regulas artis.

Inst. 2° : Positâ libertate, quocumque alio præciso, actus est imputabilis ad meritum vel demeritum : ergo moralis. Prob. ant. Positâ libertate, quocumque alio præciso, actus procedit cum dominio et potestate ponendi, vel non ponendi : atqui actus est imputabilis ad meritum vel demeritum, ex hoc quòd sit sub dominio et potestate causæ : ergo.—Resp. : nego ant.; ad probat., dist. min. : Actus est imputabilis ad meritum vel demeritum, ex hoc quòd sit sub dominio causæ ut subjecto regulis morum, concedo; non subjecto regulis morum, nego. Non enim actus dominii puniretur aut præmiaretur, si non esset lex vel regula cui conformis esset vel difformis.

## ARTICULUS II.

### *De speciebus moralitatis.*

Posito quòd moralitas genericè sumpta, sit ordo realis actûs ad objectum subditum regulis morum, quærimus nunc quæ et quot sint ejus species? Assignari solent bonitas et malitia; an etiam assignanda sit indifferentia? difficultas est quam hoc articulo expendendam suscipimus, prius paucis prælibatis de bonitate et malitiâ. Igitur bonitas moralis nihil aliud est quàm ordo realis transcendentalis actûs ad objectum consonum regulis morum. Patet ex dictis de moralitate in

genere. Si enim bonitas sit species moralitatis, debet participare rationem generis, scilicet habitudinem ad objectum morale, et addere differentiam quâ distinguatur à malitiâ, scilicet consonantiam cum regulis morum à quibus deviat malitia.

Neque obstat quòd Auctor, hìc q. 18, a. 1, reponat bonitatem moralem in essendi plenitudine quæ debetur actioni humanæ, scilicet quòd sit cum debito fine, in debitâ quantitate, debito loco et aliis circumstantiis debitis. Sicut, inquit, bonitas naturalis consistit in plenitudine essendi, seu in collectione omnium quæ rei debentur, ut patet in homine, equo, lapide, etc., non obstat, inquam, quia S. doct. loquitur in sensu causali, non formali. Equidem ad bonitatem moralem actus requiritur plenitudo essendi, ita quòd actus vestiatur omnibus debitis circumstantiis, et in hoc S. Th. facit paritatem cum bonitate physicâ entis naturalis : non tamen in eâ plenitudine essendi, seu collectione, formaliter consistit bonitas moralis actûs; quia actus est de genere respectivorum quæ ordinantur ad aliquid extrinsecum, et per ordinem ad illud specificantur, ut patet in habitibus et potentiis; unde eorum bonitas non potest formaliter consistere in collectione istorum extrinsecorum, sed in habitudine ad illam. Unde dicit S. Th. a. seq. ad 3, *quòd ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius.* Et in hoc differt bonitas moralis actûs à bonitate physicâ entium absolutorum, ut sunt homo, lapis, lignum, etc., in quibus regula bonitatis non est quid extrinsecum, sed ipsum subjectum; et ideò ejus bonitas sumitur ex convenientiâ ad illud, et ex collectione omnium formarum ipsi debitarum, seu in plenitudine essendi ut appetibili.

Quantùm ad malitiam moralem, si reponatur in positivo, patet quòd sit ordo realis actûs ad objectum dissonum regulis morum. Si autem reponatur in privativo, erit privatio consonantiæ et rectitudinis. Quomodò in hâc sententiâ salvatur quod sit species moralitatis, conabimur explicare in tractatu de Peccatis, ubi hæc difficultas pleniùs ventilabitur.

Superest ergo discutiendum nunc an hæc divisio moralitatis in bonitatem et malitiam sit adæquata? an non indifferentia sit etiam species moralitatis? Non quærimus modò utrùm dentur actus indifferentes ex objecto seu secundùm speciem, sed, hoc nunc supposito de quo infra, quærimus utrùm eorum indifferentia pertineat ad genus moralitatis et sit ejus species? Utrinque disputatur probabiliter in scholâ Thomisticâ : negant Salmanticenses, quibus subscribit Gonet., affirmant Joannes à S. Th., Serra., Contenson. et plures alii, et, ut nobis videtur, conformiùs textibus D. Th. Unde cum illis breviter, nam non videtur res tanti momenti,

Dico : Probabilius videtur indifferentiam esse speciem moralitatis.

Probatur ex S. Th. 1° S. doct., q. 2 de Malo, a. 5, o, dicit : *Si ergo loquamur de actu morali secundùm suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus vel malus, sed aliquis indifferens.* Quid expressius? Respondere autem cum Gonet. quòd S. Th. vocet actum indifferentem moralem initiativè tantùm et radicaliter, quatenùs adjuncta aliqua circumstantia potest inducere moralitatem, videtur non solùm gratis dictum, sed planè violentum; loquitur enim S. Th. de moralitate actûs indifferentis eodem prorsùs modo ac de moralitate actûs boni vel mali. Actus autem bonus vel malus non est moralis initiativè tantùm et radicaliter, sed formaliter. Insuper verba D. Th. non solùm dicunt actum indifferentem esse moralem, sed dicunt actum indifferentem constituere speciem moralitatis distinctam ab actu bono et malo. Attentè perpendantur : *Si loquamur*, inquit, *de actu morali secundùm speciem, sic non omnis actus moralis est bonus vel malus, sed aliquis indifferens;* perinde est ac si diceret : Si loquamur de speciebus moralitatis, non solùm bonitas aut malitia sunt ejus species, sed etiam indifferentia. Hic est sensus planus et obvius verborum S. doctoris, nec nisi violenter ad alium detorqueri possunt. 2° S. doct. infra, q. 92, a. 2, docet legem habere tres actus, scilicet prohibere, præcipere et permittere; et addit : « Sunt autem tres differentiæ actuum humano-« rum : quidam sunt boni ex genere suo, et respectu « horum ponitur legis actus præcipere seu imperare; « quidam autem sunt actus mali ex genere suo, sicut « actus vitiosi, et respectu horum lex habet prohibere, « quidam verò ex genere suo sunt actus indifferentes, « et respectu horum lex habet permittere. » Subsumo : Atqui iste actus est verè et formaliter moralis qui subjicitur legi, et circa quem lex habet specialem actum : ergo.

Respondet Gonet. S. Th. vel loqui de actibus prohibitis in quibus lex dispensat et positivè permittit, ut est comestio carnium in quadragesimâ; vel si loquatur de actibus indifferentibus, non sumere actum propriè et strictè, sed latè pro eo quod in re non est actus, sed significatur ad modum actûs, ut quiescere, otiari, etc., ex quo actus indifferens non subditur legi positivè, sed negativè tantùm, quatenùs lex de illo non curat, non prohibet, neque præcipit, sed ei suam dispositionem negat.

Sed contra, primam responsionem non posse admitti manifestum est, cum S. doctor expressè loquatur de actibus indifferentibus. Secunda responsio etiam textui non est consentanea; loquitur enim S. Th. de actu legis circa actus indifferentes, eo modo quo loquitur de actu legis circa actus bonos et malos; sumit autem actum legis circa actus bonos et malos strictè et propriè, quidni circa actus indifferentes? Et ita esse patet in eo qui, dubius de opere an liceat, ab eo abstinet donec lex aut ratio consulta respondeat positivè licere. Ergo lex habet actum propriè dictum circa actus indifferentes, quod magis constabit ex ratione sequenti.

Unde probatur ulteriùs conclusio ratione, seu potiùs præcedens ratio D. Th. magis instauratur. Ille actus est verè moralis qui procedit à deliberatâ voluntate cum subjectione positivâ ad regulas morum; atqui actus ex objecto indifferens potest procedere à deliberatâ ratione cum subjectione positivâ ad regulas morum : ergo. Prob. min. In exemplo jam posito de eo qui,

dubius an aliquod opus liceat, puta, an liceat hodiè laborare, opus suspendit, consulit legem aut rationem, nec labori indulget nisi priùs lex aut ratio responderit non agi diem festum, licere laborare : ille, ut evidens est, deliberatè agit et cum subjectione ad legem quam priùs consulit et cui ita subjicitur ut ab opere abstineret si lex prohiberet, atque illud exercet quia videt illud non prohiberi à lege, sed per eam ei relinqui liberum : quod sanè est omninò subjici legi et per legem regulari, non legis dispositionem denegari, ut dicit opposita sententia.

Urgetur à paritate : Dùm pædagogus adolescentes suæ curæ commissos videt aliquibus rebus indifferentibus interdùm occupari, quas neque prohibet, neque præcipit, sed sciens et volens permittit ob debitos fines; nemo dicit illum ideò ab eis subtrahere suam directionem, sed è contra eos per illam tolerantiam et permissionem illi subjici et ab eo dirigi. Ita similiter in nostro casu.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° Cum Gonet. : Omnis species moralitatis debet esse positiva seu consistere in positivo : atqui indifferentia actûs secundùm speciem non consistit in aliquo positivo : ergo. Patet maj., quia ratio generica positiva moralitatis non potest contrahi ad certam speciem per puram negationem, cùm ex ente et non ente non constituatur aliqua species. Prob. min. : Omnis species positiva debet posse salvari in aliquo individuo : atqui non potest dari aliquis actus indifferens in individuo, ut dicemus infra cum Auctore : ergo. — Resp., Datâ maj., quam negant qui malitiam reponunt in privativo, nego min. Etenim indifferentia est positiva tendentia actûs ad objectum lege permissum, ideòque legis dispositioni subditum. Ad prob. dist. maj. ex ipso Gonet disp. 5, a. unico, § 2, n. 10. Omnis species absoluta et completa debet posse salvari in aliquo individuo, concedo; omnis species incompleta et sub præcisione tantùm, nego. Indifferentia autem non convenit actui humano absolutè, sed sub aliquâ præcisione et statu tantùm, nempe prout respicit objectum solum sine circumstantiis; sub hoc autem statu et præcisione non potest descendere ad individua, quia in individuo reperiuntur circumstantiæ sine quibus individuatio non fit. Ita ipse Gonet solvens in uno loco quod nobis objicit in altero. Ad cujus majorem elucidationem, observandum est cum Auctore, hìc, q. 19, a. 9, ad 1, actum dici indifferentem secundùm speciem, non hoc sensu quasi debeatur ei quòd sit indifferens, seu quasi ei repugnet habere bonitatem vel malitiam aliunde quàm ex objecto, nempe ex fine et circumstantiis; non est enim aliquod objectum actûs humani, quod non possit ordinari ad malum vel bonum per finem et circumstantias : sed hoc sensu dicitur actus indifferens secundùm speciem, quia ex specie suâ et meritis objecti non habet quòd sit bonus vel malus, sed quòd sit capax alterutrius et via ad alterutrum; sicut homo non habet ex specie suâ quòd sit albus vel niger, non tamen ex specie suâ habet quòd non sit albus vel niger, seu quòd ei repugnet albedo vel nigredo; potest enim albedo vel nigredo homini aliunde supervenire quàm ex principiis speciei. Sicut ergo, quamvis homo secundùm speciem sit indifferens ad albedinem et nigredinem, non potest tamen dari homo in individuo indifferens ad albedinem et nigredinem, quia ista indifferentia non est completa, sed secundùm præcisionem tantùm et ex principiis speciei præcisè; ita quamvis actus sit indifferens secundùm speciem ad bonitatem vel malitiam, non potest tamen dari actus in individuo qui non sit bonus vel malus, quia ista indifferentia non est completa, sed secundùm præcisionem tantùm et ex meritis objecti tantùm. Ita ex Auctore, loco citato in margine, quem ideò miror nobis objici à Goneto.

Inst.: Unum individuum non potest habere duplicem speciem, sic idem numero animal non potest esse homo et equus : atqui in nostrâ sententiâ idem numero actus haberet duplicem speciem, scilicet indifferentiæ ex objecto, et bonitatis vel malitiæ ex fine aut circumstantiis : ergo. — Resp.: Dist. maj. : Unum individuum in entibus absolutis et naturalibus non potest habere duplicem speciem, concedo, quia species in eis sumitur à formâ substantiali, quæ unica est in quolibet individuo; in entibus respectivis, maximè quæ pendent à voluntate, qualia sunt moralia, nego. Cùm enim ex voluntate possint habere diversas habitudines, ita et diversas species; sic qui furatur ad mœchandum habet duplicem malitiam, qui jejunat ex charitate habet duplicem bonitatem : consequenter nihil repugnat actum habere indifferentiam ex objecto, et bonitatem vel malitiam ex fine vel circumstantiis. Insuper, ista indifferentia actûs, præter ordinem positivum quem importat ad objectum lege permissum, duo dicit, scilicet negationem bonitatis et malitiæ, et capacitatem alterutrius, quamvis hoc ultimum remaneat in individuo, non tamen primum, quia illud ipsi competit tantùm sub præcisione et secundùm statum consideratæ.

Obj. 2° cum eodem Gonet. : Duæ sunt tantùm species moralitatis objectivæ : ergo et moralitatis formalis. Patet consequentia, quia moralitas formalis desumitur ab objectivâ. Prob. ant.: Objectum non respicit rationem et regulam, nisi aut ipsam adæquando aut non adæquando : atqui si ipsam adæquet, est ipsi conforme et bonum; si non adæquet, est difforme et malum : ergo.

Confirmatur : Quod non pertinet ad ordinem rationis, non est morale : atqui objectum actûs indifferentis non pertinet ad ordinem rationis : ergo. Prob. min. ex D. Th. hìc a. 8. *Contingit,* inquit, *quòd objectum actûs non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terrâ, ire ad campum, et hujusmodi; et tales actus secundùm speciem suam sunt indifferentes :* ergo.

Resp. : Nego ant. ad probat. dist. min. : Si objectum adæquet legem præcipientem aut prohibentem, est bonum, concedo; legem tantùm permittentem, nego. Tunc enim est indifferens. Vel aliter, dist. eamdem min. : Si non adæquet, est difforme negativè, id est, non est conforme, quia non debetur conformitas, concedo; est difforme positivè seu privatè, id est, deest

conformitas debita, nego; ad confirmationem, similiter respondeo objectum actûs indifferentis non pertinere ad ordinem legis prohibentis aut præcipientis, benè tamen ad ordinem legis permittentis. Et in hoc sensu loquitur S. Th.

Quæ possunt ulteriùs objici militant pariter contra actum indifferentem ex specie, quò ideò remittimus solvenda.

## ARTICULUS III.

### *De principiis moralitatis.*

Principia moralitatis intelligimus ea omnia ex quibus fit quòd actus sit vel bonus, vel malus, vel indifferens. Tria assignat Auctor, hìc q. 18, a. 2, 3 et 4, scilicet objectum, circumstantias et finem ; quamvis enim finis sit etiam circumstantia, quia tamen maximè influit in actionem, ideò specialiter de illo tractat S. doct. et cum eo communiter theologi. Quæ ergo disputari solent circa hæc tria moralitatis principia, in hoc articulo per varios §§ expendemus. Unde sit

#### § I. *Utrùm prima et specifica bonitas vel malitia actûs humani sit ex objecto ?*

Per objectum hìc non intelligimus quidquid objicitur voluntati ; sic enim ipsæ circumstantiæ forent etiam ejus objectum ; sed id quod primò et per se attingitur à voluntate, quo modo circumstantiæ non sunt objectum, quippe quæ ut tales attinguntur tantùm secundariò ; sic Deus est objectum charitatis, res aliena objectum furti, etc.

Objectum verò potest considerari dupliciter : 1° physicè et in esse entis, prout est aliquid extra nihil ; 2° in esse moris et prout subest rationi dirigenti, prohibenti, vel præcipienti. Quæstio non est de objecto physicè considerato ; sed moraliter : sic, v. g., objectum furti non est res aliena præcisè ut res est, sed quatenùs ratio vetat ne auferatur invito domino ; objectum temperantiæ non est præcisè potus aut cibus, sed potus aut cibus sumptus conformiter ad rationem. Quærimus ergo utrùm actus humanus desumat bonitatem vel malitiam, eamque primam et specificam ab objecto sic moraliter considerato? Pro quo

Dico : Prima et essentialis bonitas vel malitia actûs humani desumitur ab objecto moraliter considerato. (Hic, q. 18, a. 2, o.) Probatur : Sic ut in naturalibus prima et essentialis bonitas sumitur à formâ quæ dat speciem, ut in homine à formâ rationali, et primum malum ex defectu formæ quæ dat speciem, ut si res generata non consequitur formam specificam, putà si non generetur homo, sed aliquid loco hominis ; ita in moralibus prima et essentialis bonitas attenditur ex formâ quæ dat speciem actui humano, et prima malitia ex hujus formæ defectu : atqui forma dans speciem actui humano est objectum : ergo. Prob. min. Actus humanus est motus et tendentia ad objectum sicut ad terminum : atqui motus et tendentia respicit terminum ut formam propriam ; comparatur enim ad illum ut potentia ad actum, perfectibile et determinabile ad perfectivum et determinativum : ergo. (Ibid.) Et dicitur hujusmodi bonum vel malum ex objecto, bonum vel malum ex genere, accepto genere pro specie, quomodò dicimus humanum genus totam speciem humanam. Bonitas enim generica actûs humani sumitur equidem etiam ex objecto, sed non considerato in hâc vel illâ specie, sed generaliter ut est conveniens rationi ut sic. At, quia à parte rei nullum est bonum quod non sit in aliquâ specie, ideò dicimus cum Auctore, bonitatem quæ sumitur ex objecto esse specificam et essentialem, quia non advenit illi ex aliquo accidente, sed ipsi convenit ex ipsâ naturâ actûs secundùm se moraliter considerati. (Ibid.)

Dixi, *ex objecto moraliter considerato :* sequitur ex prænotamine, et ulteriùs patet, quia circa idem objectum physicè consideratum possunt versari actus specie diversi, bonus et malus : ut circa eamdem rem alienam actus injustitiæ auferendo, actus justitiæ restituendo ; circa eamdem uxorem adulterium et actus conjugalis, circa eumdem hominem amor et odium. Debet ergo sumi objectum moraliter et prout rationi dirigenti substat, eique est conforme vel difforme.

Confirmatur : Prima et essentialis bonitas aut malitia actûs ea est quæ ante omnem aliam in eo concipitur, sine quâ concipi non potest, et quæ aliis mutatis invariabilis permanet : atqui bonitas vel malitia quæ est ex objecto in actu, concipitur inesse ante bonitatem vel malitiam quamcumque aliam ex circumstantiis, sine eâ concipi non potest, et, mutatis circumstantiis extrinsecis et fine, non mutatur ; sic adulterium, hoc ipso quo est accessus ad uxorem alienam, intelligitur primò et essentialiter malum sine ordine ad alias circumstantias, sine hâc malitiâ non potest concipi, et mutatis circumstantiis aut fine invariabilis permanet : ergo.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Objectum actionis moralis est res : atqui in rebus non est malum, sed in usu peccantium, ut dicit S. Aug. lib. 3 de Doct. christ. c. 12 : ergo. — Resp.: Dist. maj. : Objectum actionis moralis est res physicè sumpta, nego maj.; sumpta moraliter et ut subest regulis morum, concedo maj. Similiter, dist. min. In rebus physicè consideratis non est malum, concedo min.; consideratis moraliter et ut subsunt regulis morum, subdistinguo. Non est malum objectivè, nego ; formaliter, concedo. Malum enim formaliter est in ipso actu, seu, ut dicit S. Aug. in usu peccantium, sed non est in actu, nisi quia actus est ad objectum dissonum regulis morum, et ad quod non habet debitam porportionem. (Ib., ad 1.)

Inst. : Objectum comparatur ad actum ut materia : atqui bonitas rei non est ex materiâ, sed magis ex formâ ; ergo.—Resp.: Dist. maj.: Objectum comparatur ad actum, ut materia ex quâ et in quâ, nego ; ut materia circa quam, concedo : sic autem habet rationem formæ, in quantum dat speciem. (Ib., ad 2.)

Obj. 2° : Objectum potentiæ activæ comparatur ad actionem, sicut effectus ad causam : atqui bonitas causæ non dependet ab effectu : ergo. — Resp.: Dist. maj. : Objectum potentiæ activæ in facto esse comparatur ad actionem, ut effectus ad causam, concedo

maj.; in fieri, nego maj. Vel aliter, et in idem redit : Objectum potentiæ activæ in executione comparatur ad actionem, ut effectus ad causam, concedo maj.; in intentione, nego maj.; specificat autem potissimùm ut in intentione. Insuper, dist. min. Bonitas causæ non dependet ab effectu in genere causæ efficientis, concedo min.; in genere causæ formalis, nego. min.; effectus enim est terminus actionis, consequenter dans illi formam et speciem. (Ib., ad 3.)

Obj. 3° : Actus moralis habet suam bonitatem aut malitiam à lege : ille enim actus est bonus, qui est conformis legi; malus, qui est illi difformis; ergo. — Resp.: Dist. ant. : Actus moralis habet suam bonitatem vel malitiam à lege mediatè et tanquàm à regulâ, concedo; immediatè et tanquàm à formâ specificante, nego. Cùm enim actus sit motus et via ad objectum, illud primò et immediatè respicit ut terminum, consequenter ut formam specificantem : objectum autem non specificat, nisi ut subest legi præcipienti vel prohibenti.

Obj. 4° : Actus humanus primam et specificam moralitatem desumit ab eo quod primò respicit : atqui primò respicit finem, ut docet S. Th., hic, a. 6, et supra, q. 1, a. 3; et patet quia objectum est volitum propter finem : ergo finis est priùs volitus. — Resp. : Dist. min. : Actus humanus primò respicit finem operis, concedo; finem operantis, nego. Finis operis, qui et dicitur intrinsecus, coincidit cum objecto; finis operantis illi advenit ab extrinseco et accidentaliter, ita ut sine illo staret idem actus. Sic, v. g., in eo qui vult dare eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, accidit illi volitioni quòd ordinetur ad satisfactionem peccatorum, et isto fine ablato remaneret semper honestas eleemosynæ ex fine suo extrinseco, scilicet subveniendi alienæ miseriæ; illo autem intrinseco fine sublato, non remanet honestas eleemosynæ. Finem ergo hunc intrinsecum et operis qui coincidit cum ipso opere seu objecto, primò et per se respicit actus eleemosymæ, secundariò autem et per accidens finem extrinsecum operantis, scilicet satisfactionem pro peccatis. Loquitur autem S. Th., locis citatis, de fine operis; vel si loquatur de fine operantis, intelligendus est de actu imperante respectu cujus finis operantis est objectum et finis operis, ut in exemplo allato satisfactio pro peccatis est objectum et finis operis respectu actûs imperantis eleemosynam, qui est intentio satisfaciendi pro peccatis; vel tandem si loquatur de actu imperato, intelligendus est de actu imperato formaliter et reduplicativè tali, non specificativè et ex suo genere, de quo infra.

Obj. 5°, et simul instabis : Sunt plures actus humani qui non desumunt suam primam et specificam bonitatem vel malitiam ab objecto, sed à solo fine operantis, vel aliunde : ergo. Prob. ant. 1° Actus circa objectum indifferens ab eo non desumit suam bonitatem vel malitiam, sed à solo fine operantis ut patet in eo qui spatiatur ruri causâ sanitatis; nulla inest huic actui bonitas nisi ex fine sanitatis. Similiter actus ex objecto bonus ordinatus ad malum finem, ut eleemosyna ad seducendam puellam, nullam bonitatem haurit ex objecto, sed solam malitiam ex fine operantis. 2° Actus fortitudinis et virginitatis secundùm D. Th. 2-2, q. 124, a. 3, et q. 152, non habet bonitatem nisi adjuncto fine bono, puta, fidei aut religionis. 3° Actûs qui versatur circa verba totam bonitatem suam vel malitiam habet à fine operantis : sic qui afficit aliquem verbis injuriosis correptionis gratiâ, hujus actûs habet bonitatem moralem; si ex intentione ipsi nocendi, habet malitiam moralem, utique diversam, aut contumeliæ, aut detractionis, aut irrisionis, secundùm diversas ejus intentiones. 4° Actus exterior est objectum interioris; v. g., restitutio exterior est objectum intentionis restituendi, et tamen actus interior non desumit suam bonitatem ab exteriori, sed è contra actus exterior ab interiori. 5° Tandem hi actus, *Volo honestè vivere*, vel *Volo scelestè vivere*, habent suam bonitatem vel malitiam specificam; sunt enim actus singulares distincti ab aliis in genere moris, primus bonus, secundus malus : atqui non habent suam bonitatem vel malitiam ab objecto, aliàs continerent bonitatem omnium virtutum, vel malitiam omnium vitiorum, quia implicitè in objecta omnium virtutum vel vitiorum feruntur : ergo.—Resp.: Nego ant. Ad primam probationem, respondeo nostram conclusionem esse intelligendam de objecto quod habet bonitatem vel malitiam; si enim non habeat, non est mirum si eam actui non communicet. In actu indifferenti igitur prima et specifica bonitas vel malitia desumitur à circumstantiâ primò et principaliter intentâ, quæ ideò transit in rationem objecti, quia primò et per se intenditur in ratione boni vel mali. Similiter in eo qui dat eleemosynam ad seducendam puellam, eleemosynæ honestatem nullatenùs intendit, ut suppono, sed assumit ut merum medium ad finem malum; unde eleemosyna nullam habet bonitatem quam communicet actui, sed malus finis primò et unicè intentus transit in rationem objecti. De hoc ultimo casu redibit sermo infra. Ad secundam probationem, respondeo, actum fortitudinis et virginitatis habere suam bonitatem ex objecto; hæc enim ex proprio objecto sunt veræ virtutes ab aliis distinctæ, et ad superandas graves difficultates ex parte sui objecti requisitæ, licet dependeant à bono fine extrinseco, non tanquàm à ratione formali objectivâ et specificante, sed tanquàm à conditione seu connotato extrinseco, quia bonum benè fieri debet, præsertim in ordine ad Deum. Hæc est enim differentia inter actus ex objecto bonos, qui tamen requirunt bonum finem extrinsecum tanquàm conditionem aut connotatum, et eos qui requirunt bonum finem extrinsecum tanquàm rationem formalem specificantem, quòd istis nulla sit alia bonitas quàm finis, ut patet in eo qui ambulat causâ sanitatis, nulla est in eâ ambulatione bonitas, nisi bonitas finis : inprimis autem habetur bonitas ex propriâ ratione et objecto, dependenter tamen ab aliquo extrinseco connotato; et sic est in actibus fortitudinis et virginitatis, ut diximus. Ad tertiam probationem : Non est mirum peccata, quæ consistunt in verbis, variari in suâ moralitate penès intentionem loquentis, quia verba, cùm non sint formaliter verba nisi in quantum sunt

expressiva conceptuum ex intentione loquentis, hæc loquentis intentio ingreditur rationem formalem illorum et pertinet ad rationem objecti : unde variato illo fine intrinseco, variatur opus; neque tamen id obstat quominùs eis possent etiam apponi fines extrinseci, ut si quis aliquem verbis injuriosis appetat propter vanam gloriam. Ad quartam probationem respondeo, actum exteriorem et interiorem sibi mutuò conferre bonitatem vel malitiam in diverso genere causæ : actus exterior in executione habet bonitatem formalem ab interiori in genere causæ efficientis, et interior habet in intentione bonitatem objectivam ab exteriori in genere causæ formalis extrinsecæ. Vel dicendum utrumque habere bonitatem ab objecto, exteriorem immediatè, interiorem mediante exteriori, et ideò actus interior et exterior non ponunt in numero in genere moris. Ad quintam probationem, relictis variis solutionibus, respondeo quòd, licet hic actus, *Volo honestè vivere*, plura objecta materialia respiciat, ea tamen respiciat sub eodem motivo et sub unâ et eâdem ratione formali honestatis in communi et consonantiæ ad rationem, in quâ unâ ratione communi omnia conveniunt; et sic quamvis sint plura materialiter et in ratione entis, sunt tamen unum in ratione objecti; ad unitatem enim specificam actûs, non tam est attendendum ad unitatem vel multiplicitatem rei quæ attingitur, quàm ad motivum et rationem formalem sub quâ attingitur : et id est commune omnibus habitibus, scientiis et potentiis; sic v. g., objectum scientiæ, putà metaphysicæ, est valdè amplum et commune, est enim ens in ratione entis continens sub se omnia entia; quia tamen attingitur à metaphysicâ sub eâdem ratione formali, scilicet sub eâdem abstractione à materiâ, confert illi unitatem specificam.

Si petas à quo habitu eliciatur ille actus, respondeo quòd si sequatur justificationem, eliciatur ab habitu charitatis; diligere enim Deum super omnia, est velle in omnibus honestè vivere. Si præcedat justificationem, elicitur à solâ voluntate seu appetitu boni qui nobis est à naturâ; appetitus enim rationalis ex se inclinatur ad bonum rationi consonum, neque ad hoc indiget habitu, quia in amore boni honesti in communi nulla est difficultas, quæ tunc tantùm reperitur quando ad aliquod bonum particulare exercendum descenditur.

Quantùm verò ad actum oppositum, *Volo scelestè vivere*, cùm nemo intendens malum operetur, non potest elici iste actus nisi ex motivo alicujus boni utilis aut delectabilis, à quo speciem suam sortitur.

§ 2. *Utrùm et quomodò actus humanus sumat bonitatem vel malitiam ex circumstantiis?*

PRÆNOTANDA.

I. Circumstantia est *accidens actûs humani, ipsum in esse morali jam constitutum moraliter afficiens.* Hic, q. 7, a. 1, o. Explicatur : Dicitur *accidens*, quia circumstantia dicitur metaphoricè à loco. Sicut ergo illud in localibus dicitur circumstare aliquid, quod est quidem ei extrinsecum, ipsum tamen attingit aut ei appropinquat, ita in moralibus circumstantia dicitur id quod est extra substantiam actûs, ipsum tamen aliquo modo attingens. Quod autem est extra rei substantiam, utpote sine quâ res esse et concipi potest, ad ipsam tamen pertinet, et dicitur ejus accidens. Sic est, v. g., circumstantia loci sacri respectu furti (ibid). Dicitur *afficiens actum humanum in esse morali jam constitutum* : quia si daret primam et essentialem speciem moralem, jam non esset circumstantia, sed transiret in conditionem objecti et differentiæ essentialis.

Dicitur *ipsum moraliter afficiens*, id est, ipsum modificans in ordine ad regulas morum; quia si afficiat physicè, erit quidem circumstantia actûs quâ physicus est, non quâ moralis : ut quòd quis det eleemosynam in auro vel argento, manè vel vespere, manu dexterâ vel sinistrâ, de quo non est hìc quæstio.

II. Assignantur communiter septem circumstantiæ actuum humanorum, hoc versu comprehensæ : *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò quando.* In actibus enim considerandum est, quis fecit, quibus auxiliis aut instrumentis fecerit, quid fecerit, ubi fecerit, cur fecerit, quomodò fecerit, et quando fecerit? (Ib., a. 3, o.)

Ratio hujus numerationis sic accipi potest. Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actûs existens, ita tamen quòd ipsum aliquo modo attingat, ut diximus. Hoc autem tripliciter fieri potest : 1° quatenùs afficit substantiam actûs, vel per modum mensuræ, ut tempus et locus, et est *quando* et *ubi;* vel per modum qualitatis, sicut modus agendi, et est *quomodò;* 2° quatenùs afficit actum ex parte causæ vel finalis, vel efficientis principalis, aut instrumentalis, et est *cur, quis, quibus auxiliis;* 3° quatenùs afficit actum ex parte effectûs, et est circumstantia *quid.* (Ibid.)

*Quoties* à quibusdam etiam numeratur inter circumstantias, sed malè; importat enim tantùm multiplicationem actuum, unus autem actus propriè non est circumstantia alterius ejusdem rationis.

III. Ex dictis collige et diligenter adverte hæc, quæ recensuimus, ut sint circumstantiæ, non esse accipienda quatenus ab eis dependet substantia actûs, sed quatenùs ipsum accidentaliter afficiunt. Unde *quis* non significat substantiam agentis, sed ejus qualitatem, v. g., quòd sit sacerdos, religiosus vel laicus, solutus vel conjugatus, dives vel pauper, superior vel subditus. *Quid* non denotat pariter substantiam effectûs, sed aliquod accidens ipsi conjunctum, putà, qualitatem vel quantitatem : v. g., in furto, non denotat quòd res furtiva sit aliena, id enim pertinet ad substantiam furti, sed quòd sit sacra vel profana, quòd sit magnæ vel parvæ quantitatis; in homicidio, quòd occisus sit parens vel clericus; in luxuriâ, quòd complex sit consanguinea, vel nupta, etc. *Ubi* non significat nudum locum, certum est enim actum qui fit alicubi fieri, sed qualitatem loci, ut quòd sit publicus, sacer, etc. Si enim fornicatio fiat in loco publico, oritur scandalum; si in loco sacro, est sacrilegium. *Quibus auxiliis* significat accidentalia instrumenta, seu media quibus usus est operans, ut si adhibuerit opem dæmonis vel malefici, si occiderit veneno vel gladio, etc. *Cur* denotat finem, non intrinsecum et operis, hic enim pertinet ad substantiam

actûs, sed extrinsecum et operantis, ut si quis furetur ad se inebriandum. *Quomodò* significat modum accidentalem quo fit actus, v. g., intensè vel remissè, ex contemptu vel levitate, ex ignorantiâ vel metu, ex malitiâ vel passione. *Quandò* significat conditionem accidentalem temporis, nempè vel qualitatem, ut si opus fiat die festo vel communionis; vel quantitatem, ut si actus diù vel parùm duret.

*Resolvitur quæstio.*

Dico 1° : Actus humanus desumit aliquam bonitatem vel malitiam à circumstantiis. (Hic q. 18, a. 1, o.) Probatur 1° : De bonitate vel malitiâ actuum humanorum censendum est eodem modo, saltem analogicè, sicut de bonitate et malitiâ rerum naturalium : atqui in rebus naturalibus tota bonitas et perfectio non sumitur à solâ formâ quæ dat speciem, sed etiam ab accidentibus; sic, v. g., tota bonitas et perfectio hominis non sumitur à solâ ejus formâ substantiali, sed ex variis accidentibus, ut ex colore, figurâ, debitâ membrorum proportione, etc.; ergo tota bonitas actûs humani non sumitur à solo objecto quod dat speciem, sed etiam ex circumstantiis quæ sunt ejus accidentia. Ibid. 2° Ideò actus humanus desumit bonitatem vel malitiam ab objecto, quia dicit habitudinem convenientiæ vel disconvenientiæ ad rectam rationem : atqui circumstantiæ etiam possunt importare habitudinem convenientiæ vel disconvenientiæ ad rectam rationem ; sic, v. g., non solùm est disconveniens rationi furari, sed etiam furari in loco sacro. 3° Inter actus morales, alii sunt aliis meliores, vel pejores, etiamsi ferantur in idem objectum et ex eodem fine; sic, v. g., qui furatur in templo ut subveniat suæ indigentiæ, graviùs peccat quàm qui furatur extra templum ex eodem fine : atqui ista differentia aliunde peti non potest quàm ex circumstantiâ loci, ut patet : ergo.

Dices 1° : Circumstantia non potest conferre actui bonitatem vel malitiam, nisi sit volita : atqui omne quod est volitum est objectum voluntatis : ergo actus humanus à solo objecto desumit bonitatem vel malitiam. Ita Durandus. Confirmatur ex D. Th. qui, q. seq., a. 9, docet actum interiorem sumere à solo objecto suam bonitatem. — Resp. : Dist. min. : Omne quod est volitum primariò est objectum voluntatis, concedo; secundariò, subdistinguo. Est objectum strictè et propriè, prout hìc intelligimus, nego; latè et impropriè, concedo. Circumstantia autem est secundariò tantùm volita. Ad D. Th. pariter est dicendum quòd eo loci sumat objectum latè pro omni eo quod attingitur à voluntate, sive primò per se, sive secundariò ratione alterius. Neque enim fas est de ejus mente dubitare, cùm et conclusio nostra et ejus prima probatio sint ex ipso, idemque doceat a. 10 et 11 ejusdem quæstionis.

Dices 2° : Si circumstantia *quid*, seu quantitas, augeret bonitatem vel malitiam actûs, sequeretur quòd actus quo quis vellet infinitis pauperibus subvenire, vel infinitis nocere, haberet bonitatem vel malitiam infinitam. Similiter si circumstantia *quando* augeat bonitatem vel malitiam, ita ut, quò bonus actus est diuturnior, eò sit melior, et malus pejor; sequitur quòd actus bonus durans per horam habeat infinitam bonitatem, et malus infinitam malitiam ; nam elicitus in hoc instanti vel in hâc parte temporis habet bonitatem determinatam, continuatus sequenti instanti vel parte habet majorem : atqui in horâ sunt infinita instantia et infinitæ partes : ergo.—Resp. ad primum: Nego sequelam, quia actus conditionatus et inefficax non recipit ab objecto bonitatem vel malitiam, nisi juxta proportionem conatûs et affectûs præsentis : unde amor Dei, licet sit de objecto infinito, non est infinitus, quia illum attingit finito modo. Item qui vellet amare Deum tantùm quantùm illum diligunt omnes beati, non ideò haberet tantam bonitatem quanta inest omnibus actibus amoris omnium beatorum; non enim iste actus æquivalet omnibus actibus charitatis omnium sanctorum, sed proportionatè ad suum præsentem conatum et affectum : ita in nostro casu. Ad secundum pariter, nego sequelam. Ad probat. dist. min. : In horâ sunt infinita instantia et infinitæ partes proportionales et designabiles, concedo; infinitæ partes aliquotæ et designatæ, nego. Argumentum autem bonitatis in actu fit secundùm partes aliquotas et non secundùm partes proportionales.

Dico 2° : Actus humanus aliquando desumit à circumstantiis speciem boni vel mali, aliquando tantùm aggravationem aut diminutionem bonitatis vel malitiæ intra eamdem speciem ; seu, ut communiter dicitur, quædam circumstantiæ sunt mutantes speciem, quædam tantùm aggravantes intra eamdem speciem. Explicatur et probatur : Moralitas desumitur ex ordine ad rationem seu regulas morum : sicut autem quædam sunt circumstantiæ quæ secundùm se, seorsim et independenter à specie morali petità ab objecto, important specialem et distinctum ordinem conformitatis vel difformitatis ad rationem seu regulas morum, v. g., qui dat eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, aut qui furatur rem sacram; circumstantia finis in primo casu, nempe pœnitentiâ, secundùm se et independenter ab honestate eleemosynæ dicit specialem et distinctam conformitatem ad regulas morum; similiter circumstantia sacri in secundo casu dicit secundùm se difformitatem specialem et distinctam à difformitate furti, scilicet profanationem rei sacræ cui debetur reverentia : quædam verò sunt quæ secundùm se nullum dicunt ordinem ad regulas morum, sed tantùm ratione prioris circumstantiæ seu conditionis objecti quo actus constituitur in specie morali quam supponunt et modificant tantùm, ut sunt magis et minùs, multùm et parùm, intensum et remissum, etc. ; sic tollere multùm aut parùm, non dicit secundùm se ordinem ad regulas morum, quippe quæ de hoc nihil disponunt; sed tunc demùm, si istud multùm aut parùm præsupponat aliquid per quod actus habeat bonitatem vel malitiam, putà, quod sit alienum, tunc multùm aut parùm istam præsuppositam malitiam auget aut minuit.

Itaque circumstantia mutans speciem ea est quæ secundùm se specialem et distinctam bonitatem vel malitiam actui humano superaddit ; aggravans tantùm.

quæ præsuppositam bonitatem vel malitiam auget tantùm et modificat intra eamdem speciem.

Inter circumstantias aggravantes, aliæ notabiliter, aliæ leviter aggravant. Censetur notabiliter aggravans in materiâ quantitativâ, seu quæ consistit in numero, pondere et mensurâ, quando seorsim sumpta et ab actu separata sufficeret ad peccatum mortale; ut qui ultra viginti quinque asses, quos suppono sufficere ad peccatum mortale, furaretur alios viginti quinque. In aliis autem materiis censetur notabiliter aggravans, quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujusmodi materiis; ut si quis totam noctem transigeret in impudicitiis cum muliere, si quis per menses et annos perseveraret in odio fraterno, si quis inimicum occidisset membratim concidendo, etc. Si neutrum ex his occurrat, censetur leviter aggravans, putà quòd fur surripuerit triginta asses, quòd post rixam quis iratus aliquantulo tempore in odio permanserit, etc.

Cæterùm, observa inter circumstantias mutantes speciem, quasdam superaddere speciem bonitatis vel malitiæ alteri primæ et essentiali ex objecto quæ permanet, ut qui furatur ad mœchandum, seu in loco sacro; permanet species essentialis furti, et illi accidit species luxuriæ aut sacrilegii : quasdam conferre primam et essentialem speciem bonitatis vel malitiæ, sive quia non supponunt primam, ut in actu indifferenti, sive quia illam destruunt, aut potiùs impediunt ne resultet; sic qui ambulat sanitatis causâ, prima et specifica bonitas habetur à fine, quia nullam habet ab objecto quod est indifferens; qui dat eleemosynam præcisè ob vanam gloriam, iste finis dat primam et essentialem speciem, quia species ex objecto non permanet, cùm operans non appetat eleemosynam propter ejus honestatem, sed præcisè ut medium utile ad malum finem, et æquè appeteretur, etiamsi nullatenùs esset honesta. Id tamen non sic intellige quasi eleemosyna in actu exercito priùs existat bona, deinde per circumstantiam fiat mala, sed quòd ex se et naturâ suâ specificâ foret bona, si illâ pravâ circumstantiâ non inficeretur; et ideò dixi, *aut potiùs impediunt ne resultet.* (Q. 2. de malo, a. 6, ad 7.)

Dices contra hanc observationem et primam partem conclusionis : Circumstantia est accidens in genere moris; quomodò ergo potest dare speciem et præsertim primam? — Resp. : circumstantiam, ut circumstantia est et accidens in genere moris, non conferre speciem, sed quatenùs transit in conditionem objecti et habet rationem differentiæ essentialis in genere moris. Id enim quod est circumstantia et accidens respectu actûs sub unâ ratione considerati, potest esse objectum et differentia essentialis respectu ejusdem actûs sub aliâ ratione inspecti; sic locus sacer est circumstantia et accidens respectu furti, sed est objectum et essentialis differentia respectu sacrilegii seu furti ut sacrilegium est. Similiter dùm circumstantia dat primam speciem boni vel mali, ut in eo qui ambulat sanitatis causâ vel dat eleemosynam merè ob vanam gloriam, in his, inquam, est similibus casibus circumstantia habet rationem objecti et differentiæ essentialis, quia circumstantia non censetur manere circumstantia, quando est immediatum objectum à quo actus habet primam et essentialem speciem boni vel mali. (Hic, a. 10, ad 1 et 2.)

Circumstantiæ mutantes speciem certò sunt accusandæ in confessione : circumstantias notabiliter aggravantes etiam esse accusandas tenet communior et tutior sententia, de quo in tractatu de Pœnitentiâ.

### § 3. *Utrùm actus humanus habeat aliquam bonitatem vel malitiam à fine.*

Supponenda est hìc trita distinctio inter finem operis, qui dicitur proximus et intrinsecus, et finem operantis, qui dicitur remotus et extrinsecus. Finis operis, ut jam dixi, non distinguitur ab ipso opere, ut qui facit eleemosynam ad sublevamen pauperis. Finis operantis est quem sibi præfigit ad libitum operans, ut qui facit eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, vel propter vanam gloriam aut quemcumque alium finem quem voluerit. Quandoque finis operis et finis operantis, coincidunt, ut qui facit eleemosynam præcisè in sublevamen pauperis. Non agitur hìc de fine operis; de illo enim actum est § 1, ubi de objecto, sed de fine operantis : et quamvis hujus quæstionis resolutio jam sit data § præcedenti; finis enim operantis est circumstantia, quia tamen est inter circumstantias præcipua quâ agens movetur ad opus, ut jam observavi, S. Th. de eâ specialiter agit. Unde breviter

Dico : Actus humanus desumit bonitatem vel malitiam à fine. (Hìc q. 18, a. 4, o.)

Patet ex § præcedenti, quia finis non secùs ac aliæ circumstantiæ potest dicere ordinem conformitatis vel difformitatis ad rationem : sic rationi conforme est non solùm dare eleemosynam, sed etiam dare in satisfactionem peccatorum; sicut rationi repugnat non solùm furari, sed etiam furari ad se inebriandum. Insuper, omnis actus humanus pendet à fine et ejus influxu, et in hoc distinguitur ab actione hominis, ut probavimus diss. 1, de ultimo Fine, a. 2. Ergo fieri non potest quin bonitatem influat si sit bonus, vel malitiam si sit malus. (Ibid.) Hinc monet Christus, Matth. 6, ut à fine superbiæ caveamus in bonis operibus : *Attendite,* inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Et ibid : *Lucerna corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit :* per oculum autem communiter interpretes intelligunt intentionem finis. Id tamen non sic intellige, quasi finis boni intentio actionem ex se malam reddat bonam; non enim qui furatur ad dandam eleemosynam benè facit, ut dicam § seq.; sed intelligendum est de intentione non finis præcisè, sed finis per media assequendi, atque adeò quæ feratur simul in finem et media : hoc sensu verum est quòd si intentio sit bona, opus semper sit bonum. Quòd si intelligatur de intentione finis præ-

cisè, tunc tantùm verum est illud dictum quando actio assumpta ad bonum finem est medium de se ordinatum ad illum, ut sunt actus virtutum respectu beatitudinis, et aliunde nullum sit impedimentum, ut rectè advertit Sylvius. Tertiam explicationem hujus dicti dabo infra.

Ex dictis in hoc articulo colliges quadruplicem bonitatem posse considerari in actione humanâ : primam naturalem, quæ consequitur actum in esse physico, quia quantum habet de entitate, tantum habet de bonitate; secundam moralem et specificam, ex objecto moraliter considerato; tertiam ex circumstantiis ; quartam ex fine.

§ 4. *Quædam difficultates circa præcedentes §§ breviter resolvuntur.*

*Prima difficultas.* — A quo actus ex objecto bonus, ad bonum finem ordinatus seu imperatus, desumat bonitatem specificam et essentialem ?

Dico : Actus ex objecto bonus ad bonum finem imperatus, desumit bonitatem suam specificam et essentialem ab objecto, accidentalem à fine.

Prob. : 1° Quod advenit actui in suâ specie constituto, est ipsi accidentale : atqui imperium et ordinatio actûs ex se boni ad finem extrinsecum advenit illi jam in suâ specie constituto : ergo. Confirmatur. Finis operantis est circumstantia actûs humani : atqui actus non desumit suam speciem essentialem à circumstantiâ quæ est illius accidens : ergo. 2° Actus ab eo sumit speciem essentialem quod primariò et immediatè respicit : atqui actus imperatus primariò et immediatè respicit objectum; sic, v. g., volitio dandi eleemosynam, imperata à pœnitentiâ, primariò et immediatè respicit honestatem misericordiæ, secundariò tantùm et mediatè honestatem pœnitentiæ : ergo. 3° Habitus seu virtus eliciens actum imperatum non specificatur essentialiter à fine operantis : ergo nec ipse actus imperatus; est enim idem specificativum habitûs et actûs ab eo eliciti, cùm habitus non specificentur ab objecto nisi mediantibus actibus. Prob. ant. Virtus seu habitus eliciens eleemosynam, v. g. imperatam à pœnitentiâ, non est pœnitentia, sed misericordia; habitus eliciens martyrium imperatum à charitate, non est charitas, sed fortitudo, ut diximus cum Auctore, 2-2, q. 124, a. 2. Aliàs in homine justo, qui omnia operatur ex imperio charitatis, nulla esset virtus præter charitatem, aut saltem aliæ forent otiosæ et superfluerent. Atqui neque misericordia à fine pœnitentiæ, neque fortitudo à fine charitatis essentialiter specificantur, sed à propriis objectis. Ergo. Huic conclusioni apertè suffragatur S. Th. hìc, a. 2 : *Sicut prima bonitas naturalis*, inquit, *attenditur ex suâ formâ quæ dat speciem ei, ita et prima bonitas actûs moralis attenditur ex objecto convenienti.* Et in 4 d. 16, q. 3, a. 1, quæstiunc. 2, ad 3, distinguens finem operis à fine operantis, dicit : *Iste*, scilicet finis operis, *dat speciem actui, unde non est circumstantia..... Alius verò est finis agentis, et hic finis dicitur circumstantia cur: ab hâc autem actus non recipit speciem propriam* Vide etiam hìc a. 4, o, et supra q. 7, a. 3, ad 3

Pro solutione omnium fermè objectionum quæ fieri possunt sive ab auctoritate sive à ratione, observandum est actum imperatum posse dupliciter considerari : 1° secundùm se et specificativè; 2° formaliter et reduplicativè ut imperatum. Si consideretur ut est formaliter et reduplicativè imperatus, fatemur quòd speciem essentialem habeat à fine, quia ut talis reputatur unus et idem cum actu imperante, idemque objectum respicit. Quia tamen illi actui secundùm se considerato accidit quòd sit imperatus, eique jam in suâ specie constituto supervenit imperium et ordinatio ad finem extrinsecum, semper verum manet quòd, comparatione factâ inter illas species, ea quam habet ex objecto sit essentialis, et ea quam habet ex fine sit accidentalis.

Dices nihilominùs 1° ex S. Th.: S. doctor sæpè docet post Aristotelem 5 Ethic. c. 2, quòd qui furatur ad mœchandum sit magis mœchus quàm fur, et quòd qui mœchatur ad furandum sit magis fur quàm mœchus. Unde, q. unicâ de Virtutibus, a. 10, ad 10, dicit : *Actus alicujus habitûs, prout imperatur, ab illo habitu accipit speciem moralem, formaliter loquendo de ipso actu : unde cùm quis fornicatur ut furetur, actus iste, licet materialiter sit intemperantiæ, tamen formaliter est avaritiæ.* Ergo actus imperatus est magis in specie finis quàm objecti, consequenter species ex fine est essentialis. Item hìc a. 6, ait : *Sicut actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem à fine sicut à proprio objecto.* Et, hìc a. 7, dicit quòd, quando actus per se ordinatur ad finem, ut pugna ad victoriam, fornicatio ad delectationem, bonitas quæ est ex objecto contineatur sub eâ quæ est ex fine tanquàm species sub genere ; species autem non continetur sub genere accidentaliter : ergo species quæ est ex fine non est actui imperato accidentalis. — Resp. 1°, hæc omnia posse intelligi ad sensum præcedentis observationis de actu imperato formaliter et reduplicativè tali. — Insuper resp. 2° ad singula. Ad primum : Qui furatur ad mœchandum dicitur magis mœchus quàm fur, non quia actus furandi habet speciem essentialem à fine mœchiæ, sed quia voluntas mœchandi imperans est principalior, et agens magis afficitur ad mœchiam quàm ad furtum, cùm velit furtum propter mœchiam; denominamur enim non ab actu, sed ab affectu et habitu. Ad confirmationem, ex q. unicâ de Virtutibus, manifestum est S. Th. ibi loqui de actu imperato reduplicativè ut imperato. (Q. 8, de malo a. 1, ad 15.) Ad secundum : S. Th. eò loci per actum exteriorem intelligit quemcumque actum imperatum, sive sit à voluntate, sive ab aliâ potentiâ elicitus ; per actum autem interiorem intelligit actum imperantem tantùm. Quo sensu verum est quòd actus interior, id est imperans, sumat speciem à fine, ut à proprio objecto, et actus exterior, id est, imperatus, ab objecto circa quod versatur ; sicque manet quòd volitio dandi eleemosynam, imperata à volitione pœnitentiæ, sumat speciem à proprio objecto. Hanc interpretationem esse legitimam patet, quia in

eodem art. ad 2, dicit actum interiorem comparari ad exteriorem sicut formale ad materiale; juxta verò eumdem S. doct., q. præcedenti 17, a. 4, o et q. 13, a. 1, o, actus qui se habet ut formale est imperans, et qui se habet ut materiale est imperatus. Ad tertium : S. Th. sumit ibi genus latè et impropriè pro eo quod est magis universale in causando, quia finis movet ad plures actus circa diversa objecta, sive objecta sint per se ordinata ad finem, sive non : sic charitas movet ad omnes actus virtutum; sic victoria, quæ est finis per se pugnæ, movet non solùm ad fortiter pugnandum, sed etiam ad fortiter standum et ad plura alia.

Dices 2° : Actus voluntatis non specificatur ab objecto materiali, sed formali, id est, à motivo et ratione formali volendi : atqui in actu imperato ratio formalis volendi est finis; sic in volitione dandi eleemosynam imperatâ à pœnitentiâ, ratio formalis volendi eleemosynam est pœnitentia, si quidem velit eleemosynam propter pœnitentiam : ergo. — Resp. : Solutione jam datâ, dist. min. : In actu imperato reduplicativè ut imperato ratio formalis volendi est finis, concedo; specificativè sumpto, nego. Vel majoris explicationis gratiâ, dist. min., aliis terminis. In actu imperato ratio formalis volendi inadæquata est finis, concedo; adæquata, nego. Sic in exemplo posito, qui dat eleemosynam propter pœnitentiam non solùm movetur à bonitate pœnitentiæ, sed etiam à bonitate ipsius eleemosynæ : unde eleemosyna sic est medium ad pœnitentiam, ut sit etiam finis intermedius, et illius volitio non sit tantùm electio, sed intentio, subordinata tamen ulteriori intentioni, sicut ipse finis intermedius est subordinatus ulteriori fini.

*Secunda difficultas. — Quomodò debeat intendi bonitas vel malitia tam objecti quàm circumstantiarum, ut actus sit bonus vel malus?*

Nota. Dupliciter aliquid potest esse volitum seu intentum : 1° directè, formaliter et explicitè; 2° indirectè, virtualiter et implicitè. Tunc aliquid est directè, formaliter et explicitè volitum, quando voluntas in illud per se fertur, sive tanquàm in motivum volendi, sive tanquàm in rem volitam, ita quòd non sit volitum ratione alterius cui adjungitur, vel in quo continetur : sic qui vult eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, vult directè et explicitè misericordiam et pœnitentiam, quia, licet misericordia non sit principale motivum, est tamen secundarium et res formaliter in se volita. Id autem è contra est volitum indirectè, virtualiter et implicitè tantùm, quod est volitum mediante alio cui est annexum, vel in quo continetur, vel ad quod consequitur : sic qui vult ludum tempore quo instat auditio Missæ, vult indirectè et implicitè omissionem Missæ; qui vult furtum, vult indirectè et implicitè malitiam ipsi annexam.

Dico 1° : Ut actus sit moraliter malus, sufficit quòd malitia sit indirectè, virtualiter et implicitè volita; ut autem sit bonus, requiritur quòd bonitas seu honestas sit formaliter et directè volita, saltem in actu exercito.

Totam hanc conclusionem his verbis exprimit doctor noster, hìc q. 19, a. 7, ad 3 : *Malum contingit ex singularibus defectibus, bonum autem ex totâ et integrâ causâ : unde sive voluntas sit ejus quod est secundum se malum et sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala : sed ad hoc quòd sit voluntas bona, requiritur quòd sit boni sub ratione boni, id est, quòd velit bonum et propter bonum.*

Probatur prima pars 1° quia aliter non potest intendi malitia, cùm malum non possit appeti nisi ratione boni adjuncti, ut dixi supra et communiter docent philosophi; 2° quia malitia non solùm non est appetenda, sed vitanda, non vitatur autem hoc ipso quo indirectè et implicitè intenditur; 3° à posteriori, quia aliàs vix aut ne vix ullus peccaret, cùm vix aut ne vix ullus sit qui directè intendat malitiam et non vellet potiùs eam abesse à suo actu; et si quis sit ita scelestus ut eam appetat, id non potest nisi mediante aliquâ bonitate quam in eâ apprehendit, quia, ut dixi et communiter dicitur, nemo intendens malum operatur. Sufficit ergo quòd appetat in re delectabilitatem cui videt esse annexam malitiam.

Ratio secundæ partis est, quia honestas est per se et propter se appetibilis, sicque esse appetendam dictat recta ratio.

Dixi, saltem in actu exercito, quia non est necesse quòd agens dicat in actu signato, v. g.: Volo dare eleemosynam quia honestum est, sed sufficit quòd velit eleemosynam sub eâ ratione quâ est honesta, scilicet quia sublevat miseriam proximi.

Colliges ex dictis actum bonum præcisè et unicè volitum propter finem indifferentem, ut qui jejunat præcisè ut parcat sumptibus, et à fortiori volitum propter malum finem, ut qui jejunat præcisè propter vanam gloriam, non esse bonum, quia non intenditur formaliter honestas jejunii; imò esse malum, ut patebit ex sequentibus.

Si dicas : Qui ordinat actum bonum ad bonum finem, ut eleemosynam ad pœnitentiam, intendit bonitatem medii : ergo pariter qui ordinat actum bonum ad finem saltem indifferentem, resp. : Nego conseq. Disparitas est quòd utilitas medii ad finem bonum fundetur in ipsius honestate; non enim eleemosyna conducit ad pœnitentiam, nisi ratione propriæ honestatis : unde cùm intenditur ut utile, intenditur ut honestum, saltem tanquàm res volita. At verò bonum medium ordinatum ad finem indifferentem non conducit ad illum ut honestum est, nec ideò ut tale intenditur : sic qui jejunat ut parcat sumptibus non curat an jejunium sit honestum necne, modò conducat ad finem intentum, ita ut si nullâ bonitate cohonestaretur, nihilominùs illud assumeret.

*Tertia difficultas. — Quomodò electio et intentio pendent ab invicem in bonitate et malitiâ?*

Hoc est : utrùm bona intentio cohonestet malam electionem, an è contra bona intentio vitietur ex malâ

electione? Item, utrùm mala intentio vitiet bonam electionem, an è contra ex bonâ electione cohonestetur mala intentio? Hanc duplicem difficultatem duplici conclusione resolvemus.

Dico 1° : Bona intentio, ut movens ad malam electionem, ex eâ vitiatur; et electio mala ex bonâ intentione non cohonestatur, ejus tamen malitia minuitur secundùm quid.

Prima pars probatur et explicatur in casu. Titius furatur ad dandam eleemosynam, vel mentitur ad salvandam vitam proximi : intentio salvandi vitam proximi aut subveniendi ejus indigentiæ, formaliter ut movens ad furtum aut ad mendacium, vitiatur et fit mala, 1° quia sic est causa mali, scilicet furti aut mendacii : atqui causa mali non dicit bonum, sed defectum : ergo. 2° Intentio ut movens ad electionem continet virtualiter illam, est enim intentio et voluntas finis non quomodòcumque, sed ut assequendi per media : ergo hoc ipso quo vult acquirere per malum medium, est inordinata et mala.

Dixi: Formaliter ut movens ad malam electionem, quia secundùm se et ex objecto est bona; bonum est enim velle succurrere proximo indigenti. De quo art. seq.

Probatur secunda pars, quæ est contra Cassian. Collat 17. Malitia ex objecto, quamdiu objectum manet immutatum, est immutabilis et invariabilis; unde nec ipsa intentio bona vitiaretur ex pravâ electione, nisi quia ut movens includit virtualiter in suo objecto ipsam electionem malam, ut dictum est, sicque mutatur ejus objectum : atqui objectum malæ electionis, v. g. furti, non mutatur ex bonâ intentione : ergo. Unde Apost. Rom. 3, damnat eos qui dicunt : *Faciamus mala ut eveniant bona;* et Alexander III, c. 4, de Usuris, dicit : *Scriptura sacra prohibet pro alterius vitâ mentiri.*

Probatur tertia pars. Malitia seu gravitas peccati attenditur ex affectu voluntario ad peccatum, seu ad id quod in peccato solet placere, scilicet bonum delectabile : atqui in casu, licet non minuatur malitia furti vel mendacii petita ex objecto, minuitur tamen affectus voluntarius ad peccatum, seu ad bonum delectabile quod in peccato placere solet, quia non appetit malum seu peccatum nisi ex amore boni honesti, et ut induit rationem boni utilis ad istud bonum honestum consequendum. Ergo. Hinc S. Aug. lib. cont. Mendac c. 8 : *Pejor est,* inquit, *qui concupiscendo, quàm qui miserendo furatur.* Et S. Th. 2, 21, q. 110, a. 2 : *Quantò bonum intentum est melius, tantò magis minuitur culpa mendacii.*

Obj. : 1° contra primam part. : Matth. 6, dicitur : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit;* id est, juxta S. Aug., si intentio tua fuerit recta, totum opus tuum bonum erit : ergo. — Resp., me jam duplicem explicationem dedisse huic textui, § præcedenti, quarum potiorem innui in secundâ probatione hujus primæ partis. Addo, cum SS. Ambrosio, Chrysost. Hieron., per oculum posse intelligi cor, quod si mundum fuerit et à terrenorum cupiditate liberum atque in cœlum erectum, totum corpus reliquorum affectuum et actionum luce justitiæ fulgebit.

Obj. 2° : Mentiti sunt Abraham, Jacob, Judith, obstetrices Ægyptiæ; item Samson se occidit, Moyses Ægyptium; S. Apollonia se projecit in ignem, etc.; atqui tamen hi omnes excusantur ratione bonæ intentionis : ergo.— Resp., nunc breviter, vel hæc non fuisse vera mendacia, vel non esse excusanda; de quibus vide dissert. 9, de Relig. a. 2, ubi de restrictionibus mentalibus : facta autem Samsonis, Moysis et S. Apolloniæ excusari quòd egerint ex instinctu Spiritûs sancti. Vide digressionem historicam primam et secundam ad dissert. 10 de Jure et Justitiâ.

Inst. : E duobus malis minus est eligendum : atqui minus est malum mentiri quàm proximum perire : ergo. — Resp. : Quòd pereat proximus non est tibi malum morale, si non possis ipsum salvare nisi mendacio, et ideò non proponuntur tibi duo mala.

Obj. contra tertiam partem : Intentio bona movens ad malam electionem fit mala, ut dictum est in primâ parte conclusionis : ergo ejus malitiam non minuit. Unde S. Aug. hom. 7, inter 50 cit. in jure, c. *Fortè* 14, q. 5, dicit : *Si fur totum quod abstulit tribuat pauperibus, auget potiùs peccatum quàm minuat.* Ergo. — Resp., intentionem moventem ad malam electionem esse quidem malam, attamen eo sensu minùs mala est, quòd malam electionem non appetat, nisi ex amore boni honesti et ut medium utile ad illud consequendum. Ad S. Aug., respondeo furem qui totum quod abstulit tribuit, augere peccatum, quia se reddit impotentem ad restituendum.

Petes utrùm bonus finis sic minuat malitiam operis, ut possit totam tollere aut saltem de mortali facere venialem? — Resp. negativè, quia non minuit malitiam operis seu electionis, minuendo malitiam petitam ex parte objecti, sed minuendo affectum ad illam. Quantùmcumque autem supponatur finis bonus et optimus, remanet idem objectum electionis eademque malitia invariabilis.

Dices : Supponatur minimum furtum mortale ex parte objecti, puta, viginti quinque assium, et minimus affectus ad illud; si superveniat novus finis bonus, adhuc minuetur : ergo fiet veniale. — Resp., non posse censeri minimum affectum ad malum opus ratione boni finis, nisi supponatur relatus ad omnes fines bonos ad quos referri potest : hoc autem supposito, non potest superadjici novus finis bonus, ratione cujus iterum minuatur.

Dico 2° : Electio bona, ut electio, sordescit ex malâ intentione, et intentio mala non rectificatur ex bonâ electione.

Probatur : In bonâ electione, præcisè ut est electio, non amatur honestas medii, sed medium amatur præcisè ut utile ad malum finem; v. g., qui dat eleemosynam unicè ob vanam gloriam non curat honestatem eleemosynæ, sed solùm intendit vanam gloriam, ita ut si eleemosyna ex se non esset honesta et conduceret ad vanam gloriam, illam assumeret. Ipsa autem intentio vanæ gloriæ inde fit pejor, quòd ordinet id, quod de se bonum est, ad malum; est enim perversitas bonum servire malo, et nobilius ordinari ad ignobilius tan-

quàm ad finem ibi sistendo. Tota hæc ratio magis clarebit ex art. seq.

## ARTICULUS IV.

*De concursu multiplicis moralitatis simul in eodem actu.*

Quæstio est duplex : prima, de multiplici moralitate ejusdem rationis, scilicet de multiplici bonitate aut multiplici malitiâ ; secunda, de multiplici moralitate oppositæ rationis, quarum nempe una sit bona, altera mala. Primam quæstionem, quæ levis est, expediemus breviter § seq., alteram graviorem § subsequenti.

§ 1. *Utrùm idem actus possit simul habere duplicem bonitatem vel duplicem malitiam, unam ex objecto, alteram ex fine.*

Dico : Idem actus potest simul habere duas species bonitatis vel malitiæ, unam ex objecto, alteram ex fine. Est communis contra Vasquem.

Probatur 1° ex S. Th., qui hìc q. 18, a. 4, o, dicit : *Actiones humanæ habent rationem bonitatis ex fine à quo dependent, præter bonitatem absolutam quæ in eis existit ;* et postea ibid., dicit quadruplicem bonitatem posse reperiri in actu, ut observavi in fine § 3 artic. præcedentis. Vocat autem hic bonitatem ex objecto absolutam, non quòd non consistat in respectu reali ad objectum, sed ut distinguat illam à bonitate finis, quæ consistit in relatione accidentali ad aliquid extrinsecum. Probatur 2° ratione : Bonitas vel malitia in actu humano desumitur ex conformitate vel difformitate ad rationem : atqui idem actus potest esse conformis vel difformis ratione duobus distinctis modis, ex objecto et fine, quorum unus ab alio non dependet et à quo separari potest ; sic in eo qui facit eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, conformitas ad rationem ex parte objecti, scilicet eleemosynæ, est distincta et independens à conformitate ad rationem quæ ipsi inest ex parte finis, scilicet satisfactionis pro peccatis ; et à distinctis virtutibus procedunt, prima à misericordiâ, secunda à pœnitentiâ : ergo.

Dices cum Vasque : Quod assumitur propter aliud, v. g. eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis, non assumitur propter se, sed tanquàm medium ad pœnitentiam : atqui medium, quà tale, non habet rationem boni honesti, quæ soli fini convenit, sed utilis tantùm : ergo.—Resp. : N. maj. : Dùm enim fit eleemosyna pro peccatis, non solùm appetitur eleemosyna ratione pœnitentiæ, sed etiam ratione suî et propriæ honestatis ; imò non appetitur ut medium utile ad pœnitentiam, nisi quia in se est bona et honesta, ita ut ejus honestas sit fundamentum utilitatis. Ad cujus majorem intelligentiam, revocandum est quod dixi a. 1 dissert. 1 de Ultimo fine, non omnem finem esse ultimum, sed dari finem intermedium, qui licet ulteriori fini subordinetur, attamen propter se et ratione suî appetitur ; sic medicina sapida propter sanitatem assumpta, præter bonitatem utilis conducentis ad sanitatem, habet propriam et intrinsecam suavitatem quæ per se et propter se placet. Sicut ergo prima causa secundæ causæ influxum non destruit, sed adjuvat et perficit, ita finis appetibilitas non destruit honestatem medii, sed auget : alioquin qui eligeret martyrium ex fine charitatis non plus bonitatis et meriti haberet quàm qui eligeret jejunium ex eodem fine ; et quod pejus est, innumerabilis honestas tot virtutum periret, solaque maneret charitas, cujus est ultimum finem intueri, sicque foret non forma, sed exterminium aliarum virtutum.

Hinc itaque collige opus ex objecto bonum ad finem bonum relatum, puta, eleemosyna aut jejunium ex voto, seu ad satisfaciendum pro peccatis, esse melius et majoris meriti ; è contra, opus ex objecto malum ad malum finem extrinsecum relatum, ut furtum ad fornicandum, esse pejus et majoris demeriti : quam tamen malam intentionem dùm opere non completur, sæpè tacent in confessione pœnitentes minùs instructi, ideòque super eam à confessariis interrogandi.

§ 2. *Utrùm idem actus possit esse simul bonus et malus ex diverso capite, bonus ex objecto, malus ex fine, aliâve circumstantiâ ; et è contra ?*

Dixi simul, quia certum est eumdem actum non interruptum physicè posse successivè de bono fieri malum per moralem mutationem objecti, ut voluntas comedendi carnes, inchoata ante mediam noctem feriæ sextæ, et post ipsam sine interruptione continuata. Quæstio itaque est de eodem actu pro eodem tempore : an, sicut in naturalibus idem subjectum potest esse ex parte pulchrum et ex parte difforme, puta, facie decorum et dorso gibbosum, ita in moralibus possit esse actus ex objecto bonus et ex fine aliâve circumstantiâ malus, aut è contra ? Quo casu fatemur equidem dicendum simpliciter malum, et tamen secundum quid bonum ; sicut homo pulcher facie, dorso aut pedibus difformis, dicitur simpliciter difformis, et pulcher secundùm quid tantùm ; quia bonum ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu.

Hujus difficultatis resolutioni jam prolusimus § ultimo præcedentis articuli, difficultate tertiâ ; pro cujus faciliori et clariori intelligentiâ, et fortè diversarum de eâ opinionum in scholâ nostrâ aliquâ conciliatione,

Nota actum bonum posse dupliciter eligi propter finem malum : 1° sic ut malus finis sit ratio totalis et adæquata cur eligatur bonum opus, in quo casu honestas operis nullo modo movet seu appetitur, sed se habet ut merum medium utile ad malum finem assequendum ; sic dùm juvenis lasciviens occurrit puellæ pauperi stipem roganti, explendæ libidinis occasionem nactus, eo duntaxat fine erogat illi eleemosynam, non erogaturus si crederet eo medio non expleturum libidinem : 2° sic ut pravus finis non sit causa totalis et adæquata cur eligatur bonum opus, sed propria ipsius operis honestas etiam moveat et propter se appetatur ; in quo casu assumptio talis operis non est tantùm electio, sed etiam intentio, et ipsum opus bonum non purum medium, sed finis intermedius : sic dùm quis, miserià proximi motus, ex sincero fine misericordiæ vult illi dare eleemosynam, sed quia pauper petit in

publico, subintrat stimulus vanitatis venialis, quæ etiam movet ad dandam eleemosynam; vel subrepit aliqua alia circumstantia mala venialiter in ipso actu, puta, præcipitatio, tepor, inconsideratio, repulsæ motus, levis indignatio, etc. Juxta hanc duplicem hypothesim duplici conclusione difficultatem resolvo. Unde

Dico 1° : Actus aliàs secundùm se bonus, cujus malus finis est totalis et adæquata ratio cur eligatur, ex nullâ parte est bonus, sed totus malus. Est communis, et id duntaxat probant præcipuæ rationes Joannis à S. Th. Goneti et aliorum, qui generaliter et sine distinctione statuunt nullum actum posse esse simul bonum et malum; cum quibus et quorum rationibus conclusio

Probatur 1° auctoritate : 1 Cor. 5, dicit Apost. : *Modicum fermentum totam massam corrumpit;* per fermentum intelligitur prava intentio, quæ dùm est totalis causa actûs aliunde boni, ipsum totum inficit et corrumpit. Matth. 6, qui benè operantur ut videantur ab hominibus, *receperunt mercedem suam :* ergo opera eorum nullatenùs erant bona, aliàs potuissent mercedem à Deo exspectare. S. Th. hìc q. 19, a. 7 ad 2 : *Voluntas,* inquit, *non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi; qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se bonum est sub ratione mali; unde voluntas ejus est mala.* Et in 2, d. 38, q. 1, a. 4, ad 4 : *Cùm aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab omni eo quod in eo est malitiam habeat.*

Probatur 2° ratione : Quando quis dat eleemosynam præcisè propter vanam gloriam aut luxuriam, ita ut vana gloria seu luxuria sit totalis et adæquata causa erogandæ eleemosynæ, honestas eleemosynæ nullatenùs appetitur, sed appetitur duntaxat ut medium assequendæ gloriæ vel luxuriæ, ita quòd, si etiam nullam haberet ex se honestatem, nihilominùs assumeretur pro fine malo assequendo : atqui honestas objecti nullam refundit in actum bonitatem, nisi directè in se appetatur, ut dictum est art. præced. § ult. difficultate secundâ : ergo. Confirmatur : Eleemosyna in casu ut terminat electionem est objectum omninò malum : ergo nullam in electionem refundit bonitatem. Prob. ant. : Eleemosyna in casu terminat electionem præcisè ut est medium et instrumentum mali : atqui esse præcisè medium et instrumentum mali est malum : ergo.

Probatur 3° : Erogatio eleemosynæ in casu ex nullâ parte est conformis dictamini rectæ rationis et prudentiæ : ergo ex nullâ parte est bona. Prob. ant. : Recta ratio seu prudentia sic dictat bonum esse benè et ex bono fine faciendum, ut ipsi omninò repugnet quòd bonum serviat malo, et ad malum tanquàm ad finem ordinetur : atqui eleemosyna in casu non assumitur nisi præcisè ut serviat malo, et ut merum medium ad malum ut ad finem ordinatum : ergo.

Dico 2° : Actus aliàs secundùm se bonus, cujus finis malus non est totalis et adæquata ratio cur eligatur, potest esse bonus ex objecto et malus ex fine : *à fortiori,* actus ex objecto et fine bonus, cui supervenit aliqua circumstantia venialiter mala, potest esse partim bonus partim malus. Idem censendum de bonâ intentione respectu malæ electionis, sensu infra explicando in *solutione penultimæ objectionis.* Est Cajetani, Serræ, Contensoni et communiùs extraneorum, contra Salmantic. Joannem à S. Th. Gonet. et quosdam alios, quorum præcipuæ rationes, ut jam notavi, non probant nisi primam conclusionem.

Probatur 1° ex S. Th., qui hìc q. 18, a. 4, ad 3, dicit : *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam : et secundùm hoc contingit actionem quæ est bona secundùm speciem vel circumstantias, ordinari ad finem malum, vel è converso; non tamen est actio simpliciter bona, nisi omnes bonitates concurrant.* Nihil videtur expressiùs. Respondet Gonet. hæc S. Th. verba non facere sensum compositum, sed divisum, et significare quòd illa actio habuisset bonitatem nisi malitia finis aut circumstantiæ supervenisset; sicut si diceretur : Nihil prohibet parietem habentem albedinem fieri nigrum, hominem sanum fieri infirmum; sensus non esset quòd paries posset esse simul albus et niger, homo simul sanus et infirmus, sed quòd paries albus posset denigrari, et quòd remansisset albus nisi supervenisset nigredo.

Sed contra 1° : Cùm S. doctor affirmat actioni habenti unam bonitatem deesse aliam, inde infert actionem illam non esse simpliciter bonam, quia non concurrunt omnes bonitates : ergo censet ibi aliquam adesse, licet non concurrant omnes; alioquin si nulla adesset, actio non solùm deberet dici non bona simpliciter, sed nullatenùs bona. Contra 2° : S. doct. in 2, d. 36, q. unicâ, a. 5, dicit : *Contingit actum habere bonitatem ex materiâ, et tamen eum malè fieri propter indebitas circumstantias :* atqui quod contingit fieri importat non potentiam, sed actum et sensum compositum, ut si diceretur : Contingit hominem habere præmotionem ad bonum, et tamen malè operari propter liberum arbitrium; significaretur liberum arbitrium posse dissentire præmotioni in sensu composito, imò de facto dissentire, si quidem de facto dissensus contingeret. Ita et benè Contensonus.

Probatur 2° ratione à priori : Actus bonus cujus malus finis extrinsecus non est causa totalis et adæquata cur assumatur, v. g., eleemosyna facta partim propter propriam honestatem misericordiæ, partim propter vanam gloriam, haurit et retinet bonitatem ex objecto, non obstante concursu ulterioris finis extrinseci mali, scilicet vanæ gloriæ : ergo est bonus ex objecto et malus ex fine. Prob. ant. : Fieri non potest quin bonitas objecti in se et propter se volita refundat bonitatem in actum; etenim amare bonum in se et propter se est necessariò et essentialiter bonum : atqui eleemosynæ honestas in casu amatur in se et propter se, et non præcisè et unicè propter vanam gloriam, quam supponimus non esse illius causam totalem et adæquatam : ergo.

Confirmatur : Actus qui non est mera electio, sed etiam intentio tendens in honestatem proprii objecti

propter se tanquàm propter finem intermedium, ab hujus objecti honestate desumit speciem et quidem essentialem, ut probavimus § ultimo articuli præcedentis, primâ difficultate, quia non respicit objectum ut purum medium ad finem, sed à propriâ et intrinsecâ ejus bonitate movetur, quam ideò in se et propter se amat : atqui actus in casu, v. g., largitio eleemosynæ, non est mera electio, sed etiam intentio; non enim assumitur præcisè propter vanam gloriam, quæ, ut supponitur, non est ejus causa adæquata, sed etiam propter propriam et intrinsecam honestatem, sicque eleemosyna non est merum medium, sed etiam finis saltem intermedius qui ab ulteriori fine non destruitur, ut jam non semel diximus : ergo.

Quod dixi de actu bono ex objecto et malo ex fine, dicendum est à fortiori de actu bono ex objecto et fine cui se immiscet aliqua alia circumstantia venialiter mala ; v. g., si eleemosynæ factæ ex solo fine misericordiæ se immisceat tepor aut inconsideratio; si enim finis malus qui partim influit in actum non destruat bonitatem quam habet ex objecto, à fortiori illam non destruet circumstantia quæ in illum non influit, sed comitatur tantùm.

Probatur 3° à posteriori : Si levis inordinatio finis, aut quævis mala circumstantia totum inficiat actum, ita ut nihil in eo bonitatis remaneat, vix ullum actum bonum etiam in viris sanctis reperire poterimus : durum nimis et absurdum *consequens;* ergo. Probatur sequela. Paucissima sunt opera etiam in viris sanctis attentè vigilantibus, quibus in hâc vitâ vel non deest aliqua debita circumstantia, vel non immisceatur aliqua mala, puta, vanæ, gloriæ, amoris proprii, nimiæ complacentiæ, remissionis, excessûs, præcipitationis, inconsiderationis, etc. Sic paucissimi sunt pœnitentes quorum pœnitentiam non comitetur aliquis excessus aut defectus; paucissimi superiores qui in correptionibus aliquem excessum zeli aut iræ non patiantur; paucissimi concionatores qui, quamvis gloriæ Dei zelo ducti, inter auditorum applausus alicujus complacentiæ titillatione non moveantur; paucissimi orantes qui levem distractionem non admittant; et sic de cæteris. Unde S. Greg., lib. 35 Moral., cap. 16 : *Si de his operibus*, inquit, *divinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra pura mala sunt, et bona quæ nos habere credimus pura bona esse nequaquàm possunt?*

Respondet Joannes à S. Th. opera pietatis compati quidem imperfectiones et levia peccata, at hæc opera illorum amore non elici, fieri quidem cum illis, non tamen oriri ex illis. Sed contra 1° subsumo : Atqui opus habere imperfectiones et circumstantias leviter malas atque fieri cum illis malum est, sicut eas non habere et fieri sine illis bonum est : ergo dantur opera mixta, non pura bona, sed parùm vitiata, quod intendimus.

Contra 2° : In hypothesi *conclusionis*, quamvis opus bonum fiat ex amore mali finis, non tamen totaliter et adæquatè, sed etiam fit ex amore honestatis proprii objecti : unde sicut haurit malitiam eâ parte quâ fit ex amore mali finis, ita non potest non haurire bonitatem eâ parte quâ fit ex amore boni finis proprii et intrinseci.

*Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.*

Obj. 1° : Voluntas dandi eleemosynam præcisè propter vanam gloriam est bona ratione objecti, et mala ratione finis : ergo. Prob. ant. pro primâ parte; constat enim de secundâ. Illa voluntas est bona cujus objectum est bonum : atqui eleemosyna est objectum bonum : ergo. — Resp. : Nego ant. pro primâ parte. Ad probat. dist. ant. : Illa voluntas est bona cujus objectum est bonum formaliter et in ratione objecti, concedo ant.; cujus objectum est bonum materialiter et in ratione entis, nego ant. Ad cujus sensum distinctâ min., nego conseq. In hoc ergo actu : *Volo dare eleemosynam propter vanam gloriam*, objectum formale hujus voluntatis non est eleemosyna ut quid honestum, sed ut purum medium ad malum et instrumentum mali, secundùm quam rationem est malum; unde formaliter in ratione objecti attacti ab hâc volitione non est bonum objectum.

Inst. 1° : Finis est quid extrinsecum objecto : ergo ejus naturam non mutat. — Resp. : Dist. ant. : Est quid extrinsecum objecto in esse entis, concedo ant.; in esse moris, subdist. ant. : Si objectum appetatur ratione suî, concedo; si appetatur præcisè ratione finis, nego. Tunc enim istud objectum, v. g., eleemosyna, ingreditur objectum intentionis finis; non enim est intentio finis quomodocumque, sed finis ut assequendi per tale medium, scilicet per eleemosynam; unde istud medium includitur in objecto hujus intentionis, quæ ideò non est illi extrinseca.

Inst. 2° : Qui dat eleemosynam aut jejunat propter vanam gloriam adimplet præceptum : ergo opus bonum facit. Item meliùs facit quàm qui non dat aut non jejunat : ergo benè facit. — Resp. ad primum : Dist. consequens : Ergo facit opus bonum materialiter et quoad substantiam, concedo; bonum opus formaliter, nego. Leges autem præcipiunt tantùm substantiam actûs, non modum, nisi modus sit de intrinsecâ ratione actûs, vel secundùm se, vel prout cadit sub lege. Ad secundum, nego ant. Non enim meliùs facit qui non benè facit; neuter autem in casu benè facit, sed primus minùs peccat quàm secundus.

Inferes : Ergo in hoc actu, v. g., largitione eleemosynæ propter vanam gloriam, erit duplex malitia, una ex objecto, altera ex fine. Resp. : Nego illationem, quia tota malitia oritur ex fine; unde est una finis malitia quæ totum opus inficit.

Urgebis : Actus fidei elicitus præcisè ob vanam gloriam est ex objecto bonus : ergo. Prob. ant. Procedit à virtute supernaturali fidei : ergo. — Resp. 1° : Vel est sermo de actu interno fidei, vel de externo. Si de interno, non videtur quòd fieri possit ob vanam gloriam, seu ob aliud commodum temporale, cùm nemini pateat nisi soli Deo. Si de externo, potest quidem externa fidei confessio fieri ob vanam gloriam, sed illa non indiget assensu interno fidei, sed solâ si-

mulatione per verba prolatâ; unde non cogimur admittere quòd talis actus externus procedat ab habitu supernaturali fidei. — Resp. 2°, dato confessionem externam fidei esse cum assensu interno propter vanam gloriam, est duplex solutio. Prima est Goneti, qui concedit hunc actum elici à virtute fidei, negat tamen ideò esse bonum moraliter, quia, ut de aliis actibus ob malum finem dictum est, non appetitur propter propriam honestatem, sed ut merum medium ad malum finem : nec obstat quòd eliciatur à virtute fidei, quia non est eadem ratio de virtute fidei ac de virtutibus moralibus et merè practicis; fides enim est virtus per se primò speculativa, nec secundùm se respicit objectum sub ratione boni, sed sub ratione primi veri : unde ejus actus non habet bonitatem moralem ex proprio objecto, sed veritatem tantùm et infallibilitatem, nec ideò destruitur ejus actus ex hoc quòd sit malus, modò sit certò et infallibiliter verus.

Altera solutio est Joannis à S. Th. qui negat hunc actum seu assensum, si sit propter vanam gloriam, non solùm comitantem et supervenientem actui jam formato, sed etiam influentem in illum, esse à virtute fidei supernaturalis, quia actus fidei supernaturalis est principium justificationis nostræ et est à gratiâ excitante; implicat autem actum malum, qualis est iste actus præcisè ob vanam gloriam, esse principium justificationis nostræ et esse à gratiâ. Neque obstat quòd sit ex testimonio divino, quia non est ex testimonio divino firmiter apprehenso, sed ut subjicitur et fovetur motivo temporali et malo; et ex hâc parte infirmatur motivum infallibile fidei, quia non utitur illo simpliciter ut hìc et nunc, cujus signum est quòd, cessante illo fine vanitatis aut altero motivo temporali, non crederet. Ergo si credat, non est fides supernaturalis, quia magis diligit gloriam hominum quàm Dei.

*Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.*

Obj. 1°. Apost. 2 Cor. 6, dicit : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras?* Unde S. Aug. Contra mendac. c. 7 et 15 : *Nihil*, inquit, *potest dici absurdius quàm opus aliquod esse simul justum et injustum.* Ergo.—Resp. ad Apost., illum ibi monere duntaxat Corinthios, ut à convictu et consortio infidelium separentur. Ad S. Aug.; intendit solùm mendacia, furta et similia, quæ sunt intrinsecè mala, nullo bono fine posse cohonestari, adeòque non posse esse simul justa et injusta; quod omnes fatentur.

Objiciuntur insuper quædam alia, tam ex S. Scripturâ quàm ex S. Th., sed quæ probant primam conclusionem et nullatenùs infringunt hanc secundam; partim ea retulimus in probationem primæ conclusionis : vide.

Obj. 2° : Objectum de se bonum in malum finem relatum, non est bonum nec rationi conforme, sed potiùs boni profanatio et omninò malum : atqui quod nullo modo est bonum nullam actui tribuit bonitatem : ergo idem actus non potest esse ex objecto bonus et ex fine malus. Confirmatur : Cùm aliquis dat eleemosynam propter vanam gloriam, objectum illius actûs desinit esse bonum et fit malum, cùm evadat medium conducens ad pravum finem et instrumentum criminis : ergo idem quod ante. — Resp. hoc præcipuum adversariorum argumentum esse verum ad sensum primæ conclusionis; unde præmissas utriusque instantiæ concedo de opere bona electo ut puro medio ad malum finem qui sit causa adæquata illius, nego verò de opere bono assumpto ut fine intermedio ex propriâ bonitate placente et movente.

Alteram solutionem subjungit Contenson, et dicit quòd dùm elicitur actus bonus in ordine ad malum finem, aut intenditur bonus finis per malum medium, interveniant duo actus qui tamen pro eodem computantur, quia ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantùm, ut ait Philosophus : idque videtur apertè docere S. Th., q. 2 de Malo, a. 4, ad. 2, ubi sic ait : *Dare eleemosynam pauperi est actus secundùm se bonus; sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scilicet cupiditatis aut inanis gloriæ, est quidem alius actus malus; qui tamen duo actus quodam ordine in unum rediguntur.* Hâc doctrinâ semel admissâ, omnia ferè argumenta concidunt, et evanescit difficultas. Si enim voluntas ordinans bonum in malum aut è contra, duos actus partiales producit in unum quasi coalescentes, nihil mirum, si ratione unius sit bona et ratione alterius mala.

Verùm ista solutio videtur, meo saltem judicio, fugere difficultatem, nec secundùm hypothesim conclusionis procedere. Est enim quæstio de uno et eodem actu physico, v. g., utrùm eadem volitio dandi eleemosynam ex fine misericordiæ, simul movente et excitante vanâ gloriâ, sit bona et mala? utrùm eadem intentio salvandi vitam proximi per mendacium, sit ex parte bona et ex parte mala? Neque negamus in his posse reperiri duplicem actum, ut dicit D. Thom., nempe velle dare eleemosynam et illam referre ad vanam gloriam; sed, inquam, non est quæstio de isto duplici actu, sed de uno tantùm, nempe de unâ volitione dandi eleemosynam, seu de unâ largitione eleemosynæ propter se et propter vanam gloriam. Insuper non video quomodò duplex actus possit reperiri in eleemosynâ factâ vel remissè, vel inconsideratè, vel voluntate aliqualiter renitente, aut cum simili circumstantiâ venialiter malâ.

Quidam intelligunt hanc solutionem de actu quidem formaliter uno et eodem, sed virtualiter multiplici propter diversos fines et diversa objecta : hoc sensu admitti potest solutio, saltem de actu bono relato ad malum finem aut è contra, sed tunc solutio videtur coincidere cum primâ quam dedimus.

Inst. 1° : Nulla potest esse bonitas in actu, nisi sit conformis judicio prudentiæ : atqui actus aliquâ, etsi levissimâ, circumstantiâ vitiatus, non est conformis judicio prudentiæ : ergo. Probatur min. Judicium prudentiæ non est de objecto præcisè, sed ut vestito circumstantiis; dictat enim prudentia non

solum bonum esse faciendum, sed esse faciendum benè et cum omnibus circumstantiis debitis : ergo. — Resp. : Dist. min. : Actus circumstantiâ aliquâ etsi levissimâ vitiatus, non est conformis judicio tali prudentiæ, concedo ; partiali, nego ; seu non est conformis judicio prudentiæ ex omni parte, concedo ; ex aliquâ parte, nego. Actus ergo bonus aliquâ circumstantiâ vitiatus, quà talis non est conformis prudentiæ, at honestatem ejus objecti propter se amati est omninò conforme prudentiæ. Duo itaque præcipit prudentia : primum, bonum esse propter se amandum et faciendum ; secundum, esse benè et cum omnibus circumstantiis debitis faciendum. Actus ergo qui fertur in bonum propter se, sed non cum omnibus circumstantiis, est partiali judicio prudentiæ conforme, ex parte consonum, ex parte dissonum, consequenter non purè malum nec purè bonum, sed mixtum, bonum secundùm quid, malum simpliciter ; quia, ut jam advertimus, non dicitur aliquid simpliciter bonum, nisi concurrant omnes bonitates ; bonum enim ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu.

Inst. 2° : Voluntas eleemosynæ propter vanam gloriam derivatur ex pravo dictamine : ergo nullatenùs est bona. — Resp. : Solutione jam datâ, dist. ant. : Voluntas eleemosynæ assumptæ tanquàm purum instrumentum vanitatis derivatur ex pravo dictamine, concedo ; assumptæ propter intrinsecam honestatem et amatæ per modum finis intermedii, nego. Solutio patet ex dictis.

Inst. 3° : Actus bonus est actus virtutis : atqui actus virtutis non potest ullâ ratione esse malus, quia virtute nullus malè utitur : ergo non potest dari actus ex parte bonus et ex parte malus. — Resp. : Dist. min. : Actus virtutis, prout à virtute procedit, non potest esse malus, concedo ; prout procedit à voluntate quæ deficit, aut à malo habitu qui se ingerit, nego. Non quæritur hìc utrùm actus virtutis prout est à virtute possit esse malus, sed utrùm possit ex alio capite vitiari, remanente ejus bonitate substantiali.

Obj. 3° specialiter de bono fine respectu mali medii, v. g., de fine salvandi vitam proximi per mendacium. *Arbor bona non potest malos fructus facere*, Matth. 7 : ergo hoc ipso quo facit malos fructus non est bona, sed mala. Subsumo. Atqui finis bonus movens ad mala media est radix mali : ergo desinit esse bonus. — Resp. 1° : Dist. ant. : Arbor bona non potest malos fructus facere per se, concedo ant. ; per accidens, nego ant. Contingit ex intemperie aeris, incongruitate loci, aliisve causis accidentaliter occurrentibus, procedere ex arbore bonâ fructus, si non omninò malos, saltem ex parte infectos et alteratos. Ita pariter contingit quòd ex intentione bonâ procedat per accidens opus aliquâ pravâ circumstantiâ vitiatum. Sic ex piâ intentione satisfaciendi læso Numini procedit opus pœnitentiæ quandoque levi defectu vel excessu maculatum ; sic ex zelo disciplinæ in adolescentem dissolutum procedit quandoque in magistro vel parente correptio leviter excedens ; sic ex zelo promovendi gloriam Dei et salutem proximi procedit nonnunquàm in prædicatore concio aliquo vanæ complacentiæ motu sordescens ; sic ex honestâ intentione subveniendi per cibum et potum necessitati corporis sæpè procedit comestio aut potatio insidianti sensualitati paululùm indulgens ; et plura alia similia. Nemo tamen dicit has pias et bonas intentiones ideò perire, et earum merita penitùs amitti ; alioquin, ut jam ponderavimus, vix ulla pia et honesta intentio daretur quæ in electione non periret, cùm vix ulla sit executio quam non comitetur subrepens aliqua venialis circumstantia. Et ut id pro cumulo adjiciam, quis audeat dicere sanctissimum martyrem qui, ex ferventissimâ charitate vitam pro fide profundens, inter durissima tormenta et acerbissimos dolores levem vel impatientiæ vel pusillanimitatis motum admittit, illicò privari absolutè et merito et coronâ martyrii ? — Resp. 2° : Dist. subsumptum : Finis bonus movens ad malum medium fit radix mali subindeque malus, quatenùs amatur et intenditur formaliter et reduplicativè ut movens ad malum medium, concedo ; quatenùs amatur et intenditur propter intrinsecam bonitatem in se et propter se placentem, nego. Sicut igitur in bono opere ad malum finem relato duo distinximus, rationem puri medii et rationem finis intermedii, et diximus quòd si opus bonum eligatur ut purum medium ad malum finem, fit totaliter malum ; si autem assumatur ut finis intermedius, etiam propter propriam honestatem in se placentem, non sit totaliter malum, sed ex proprio objecto bonitatem habeat : ita similiter amor finis honesti ex quo sequitur mala et vitiata electio, potest considerari dupliciter, vel ut est volitio finis boni propter se et in se, vel ut est formaliter causa movens ad mala media. Sub primo respectu, non potest non esse bona, quia amare bonum quà tale, bonum esse necesse est ; sub secundo respectu, est mala, quia causa mali.

Si urgeas electionem mali medii, v. g., furti, mendacii et similium intrinsecè malorum, nullatenùs fieri bonam ex honesto fine, ut nos ipsi probavimus superiùs ; respondeo nos iterùm id ultrò concedere, neque hoc asserit conclusio nostra, sed duntaxat intentionem boni finis malà electione sordescere, ut habes in variis exemplis jamjam prolatis. Tunc enim verum est dari actum ex fine et objecto bonum, scilicet ipsam intentionem boni finis et circumstantiis vitiatam. Ideò autem media intrinsecè mala, ut furtum et mendacium, bono fine non cohonestantur, quia malitia ex objecto est essentialis et invariabilis, manente objecto immutato ; pia tamen intentio succurrendi proximo secundùm se est bona, cujus signum est quòd licet Deus malam electionem reprobet, affectum tamen et intentionem laudet et remuneret, ut patet in obstetricibus Ægyptiis.

Obj. 4° ab inconvenientibus. Si idem actus possit esse ex parte bonus et ex parte malus, sequitur 1° quòd possit esse simul meritorius et demeritorius ; 2° quòd Deus simul et diabolus in eumdem actum influat ; 3° quòd possimus simul duobus dominis ser-

vire, contra oraculum Salvatoris : atqui hæc sunt implicatoria et absurda : ergo. — Resp. ad primum : Nullum est inconveniens actum partim bonum, partim malum, esse simul meritorium et demeritorium, modò non intelligas meritorium simul et demeritorium vitæ et mortis æternæ, sed meritorium vitæ æternæ et demeritorium pœnæ temporalis, aut è contra, ut modò dicebamus de obstetricibus Ægyptiis. *Frequenter* enim, inquit S. Th. ex D. Greg. lib. 5 Moral. c. 1, *Deus in hoc mundo remunerat eum qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut sic nullum bonum irremuneratum inveniatur.* Et hinc docent SS. Patres, præsertim Aug., Romanos orbem universum subjugare meruisse ob præclara gesta ex objecto bona, licet fine pravo vanæ gloriæ sordentia. (In 2 d. 27, q. 1, a. 4.) Ad secundum, dico nihil implicare aut absurdi esse, quòd Deus influat in actum quâ parte est bonus, in quem etiam influit diabolus quâ parte est malus, siquidem etiam influat in actum qui totus est malus. Ad tertium, resp. in nostrâ sententiâ neminem posse servire duobus dominis absolutè tanquàm duobus finibus ultimis, quo sensu loquitur Christus, sed uni simpliciter, alteri secundùm quid. Eleganter more suo hanc materiam tractat Contenson, à quo nonnulla quæ fusiùs discutit circa secundam conclusionem breviùs hìc contraximus. Vide si lubet.

## ARTICULUS V.

### *De indifferentiâ actuum humanorum; et primò : An detur actus indifferens secundùm speciem?*

Dùm superiùs probavimus indifferentiam esse speciem moralitatis, supposuimus quod nunc probandum suscipimus, nempe dari actus indifferentes secundùm speciem.

Actus humanus potest dupliciter considerari : 1° secundùm speciem et ex parte objecti tantùm; 2° in individuo et ut est à parte rei vestitus suis circumstantiis; sicut homo potest considerari 1° secundùm speciem et sua essentialia tantùm, sub quâ ratione est animal rationale et nihil aliud ; 2° in individuo et ut est à parte rei sub omnibus accidentibus individuantibus, secundùm quòd non est tantùm animal rationale, sed sanus vel æger, doctus vel indoctus, albus vel niger, etc. Quæstio est itaque in præsenti articulo utrùm detur actus humanus secundùm speciem et ex parte objecti tantùm spectatus indifferens, id est, nec bonus nec malus, sed utriusque capax? De actu indifferenti in individuo dicemus art. seq.

Dico : Dantur actus humani indifferentes ex suâ specie. Ita communiter cum auctore contra Scotum, saltem ut multi volunt, quod tamen negat R. P. Henno. (Hic q. 18, a. 8, o.)

Probatur 1° : S. Aug. lib. 2 de Serm. Dom. in monte, cap. 18 : *Sunt quædam facta media*, inquit, *quæ possunt bono vel malo animo fieri, de quibus judicare temerarium est.* S. Hieronymus, Epist. 89 : *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.* (Ibid. in arg. s. c.)

Probatur 2° ratione. Actus humani desumunt suam speciem ab objecto moraliter considerato, ita ut qui habent objectum bonum sint boni; qui malum, mali; qui indifferens, indifferentes : atqui sunt actus humani qui habent objectum indifferens, hoc est, neque præceptum neque prohibitum à lege, ut levare festucam, ire ad campum, et similia : ergo. (Ibid. o.)

Obj. Inter privativè opposita, ut inter tenebras et lucem, inter cæcitatem et visum, non datur medium : atqui bonum et malum privativè opponuntur. — Resp. 1° minorem negari ab iis qui peccatum reponunt in positivo. Resp. 2° : dist. maj. : Inter privativè opposita non datur medium absolutè et in re, transeat maj.; non datur medium sub aliquâ præcisione et statu, nego. Sic homo absolutè et in re est sanus vel infirmus, aer absolutè in re est lucidus vel tenebrosus; si tamen consideretur homo secundùm se, non est neque æger neque sanus; aer secundùm se, neque est lucidus neque tenebrosus, sed indifferens et utriusque capax : ita similiter actus humanus absolutè et in re est bonus vel malus, ut dicemus art. seq.; consideratus tamen secundùm speciem nec est bonus nec malus, sed indifferens et capax boni et mali ex circumstantiis.

Dixi : *transeat maj.*, quia, juxta auctorem, non est vera nisi quando privatio est in facto esse et totaliter tollit formam oppositam, ut tenebræ respectu lucis, mors respectu vitæ; non verò quando privatio consistit in privari et non tollit totaliter formam oppositam, ut ægritudo respectu sanitatis : sic est autem in malo seu peccato; non enim tollit totaliter formam oppositam, quia licet totaliter tollat rectitudinem rationis, non tamen tollit principia practica rationis ex quibus potest haberi medium inter bonum et malum. Patitur quidem hæc solutio aliquam difficultatem quam explicandam remittimus dùm agemus de paritate peccatorum, ubi recurret. (Ibid. ad 1.)

Inst. 1° : Omnis species debet posse salvari in aliquo individuo : atqui secundùm nos non potest dari actus indifferens in individuo : ergo. — Resp. Dist. maj. : Omnis species absoluta et completa debet posse salvari in individuo, concedo; species incompleta et sub præcisione tantùm, nego. Sic homo secundùm speciem et sub præcisione non est sanus nec æger, sed indifferens; in individuo tamen esse non potest nisi sanus vel æger. Vide art. 2 hujus dissert., obj. 1, ubi ea solutio fusiùs explicatur. Vel dic dari etiam in individuo actum indifferentem ex objecto seu specie, quia quòd sit bonus vel malus non habet ex objecto, sed ex circumstantiis. Non dicitur autem indifferens secundùm speciem, quòd ei repugnet habere bonitatem vel malitiam ex circumstantiis, sed quia illam habere non potest ex objecto. (Ibid. a. 9, ad 1.)

Inst. 2° : Omnis actus voluntatis, etiam secundùm speciem consideratus, est circa bonum : si sit bonum honestum, est bonus; si delectabile et non honestum, est malus : si utile, vel in eo sistitur, et est malus, vel ordinatur in finem, et tunc erit bonus vel malus secundùm qualitatem finis : ergo nullus indifferens. —

Resp. objectum actûs voluntatis secundùm speciem considerati, esse bonum honestum non actu, sed potentiâ, quia potest honestari fine, actu autem esse bonum delectabile et utile, ut ambulare, loqui, etc. Cùm autem dicitur bonum delectabile non honestum esse malum, verum est de non honesto privativè aut contrariè, non de non honesto negativè tantùm et quod potest honestari fine; sic enim non est malum, sed permissum et indifferens. Similiter est utile, non sic ut in eo nistatur, sed quia potest deservire ad malum vel bonum finem, et ideò utile, indifferens et permissum.

Inst. 3° : Non datur habitus indifferens secundùm speciem : ergo nec actus. — Resp. : Nego conseq. Disparitas est quòd habitus acquiratur per actus, non secundùm speciem, sed in individuo; et cùm omnes actus in individuo sint boni vel mali, ita et habitus quos producunt.

## ARTICULUS VI.

*Utrùm detur actus indifferens in individuo ?*

Non est quæstio de actibus indeliberatis qui ex imaginatione vel naturæ impulsu procedunt, ut plerumque fricare barbam, manum aut pedem movere : hi enim cùm non sint actus humani et morales defectu libertatis, satis constat non esse neque bonos, neque malos moraliter. (Ibid. a. 9, o.) Item, non est quæstio de indifferentiâ ad bonitatem et malitiam moralem in ordine supernaturali, sed in ordine naturali tantùm : constat enim dari actus indifferentes neque bonos neque malos, neque meritorios neque demeritorios in ordine supernaturali. Sic eleemosyna facta ab infideli aut peccatore ex motivo misericordiæ, quamvis sit bona moraliter in ordine naturali, quia tamen non procedit à gratiâ quæ est principium bonitatis et meriti in ordine supernaturali, non est bona neque mala in isto ordine, nec meritoria præmii aut supplicii in isto ordine, quia nullo modo ad illum pertinet. Est ergo quæstio tantùm de actibus deliberatis et eorum indifferentiâ ad bonitatem et malitiam in ordine naturali : quo sensu

Dico : Nullus est nec esse potest actus indifferens in individuo. Est communior cum auctore contra Scotum, Scotistas et Vasquem (Ibid.). Probatur 1° ex S. Aug., qui lib. 2 de peccat. Merit. et Remiss., postquàm probavit bonam voluntatem esse à Deo et non à nobis, dicit cap. 18 : *Mirum, si* (voluntas) *potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona; si minùs, minùs bona est; aut si omninò non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est aut mala, et utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* Ubi S. Aug. eodem discursu utitur quo nos infra, ad probandum non dari actum indifferentem, quia nempe aut diligimus justitiam, id est, finem justum, aut non; si diligimus, est bonus; si non diligimus, est malus : unde, juxta S. Aug., ut actus sit malus, sufficit quòd careat bono fine, quod utique reperitur in actu quem adversarii dicunt indifferentem. Respondet R. P. Henno S. Augustinum non loqui de actu voluntatis, sed de ipsâmet voluntate quam dicit esse bonam vel malam habitualiter, quia est vel in statu gratiæ, ratione cujus dicitur habitualiter diligere justitiam, vel in statu peccati, ratione cujus dicitur illam non diligere : alioquin, inquit, volens spuere sine relatione ad finem honestum esset pessimus, quod nemo sanæ mentis dixerit.

Sed contra, hanc responsionem esse liberaliter fictam et S. Augustino planè contrariam, tria manifestè evincunt. 1° S. Aug. ibi probat contra Pelagianos voluntatem bonam non esse à nobis, sed à Deo; nemini autem non notum est in eo maximè S. Augustinum insudâsse contra Pelagianos, ut probaret non solùm bonam voluntatem habitualem seu gratiam sanctificantem, sed et potissimùm bonum actum voluntatis esse à Deo. 2° Probat S. Aug. voluntatem bonam, de quâ loquitur, esse à Deo, ex illo Psal. 36 : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet;* et ex illo ad Philip. 6 : *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bonâ voluntate.* In his autem apertum est agi non de ipsâ voluntate habitualiter bonâ, sed de ejus actibus. 3° Et præcipuè sic prosequitur et infert S. Aug. : *Quocirca quòd à Deo nos avertimus nostrum est, et hæc est voluntas mala; quòd verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus; et hæc est voluntas bona.* Ergo S. Aug. non loquitur de ipsâ voluntate bonâ vel malâ habitualiter per gratiam sanctificantem aut peccatum, sed de ejus actu bono vel malo, scilicet de aversione actuali à Deo per peccatum, et de conversione actuali per gratiam excitantem et adjuvantem. Et hæc ita sunt aperta, ut Vasques ingenuè fateatur S. Augustinum esse sibi contrarium.

Ad inconveniens quod opponit R. P., respondeo nullum esse quod culpa etiam venialis dicatur malum pessimum comparativè ad aliud genus mali, quod est pœna vel damnum. Verùm neque id sequitur necessariò ex verbis S. Augustini; cùm enim dicit voluntatem quâ non diligitur justitia esse pessimam, loquitur de voluntate pessimâ in genere; intra hoc genus autem sunt diversi gradus, unus altero pejor.

Ante probationem à ratione suppono ex art. 2 et 3 dissert. 1, tract. de ultimo Fine, hominem, quotiescumque deliberatè agit, agere propter finem quem sibi ex judicio rationis præstituit; et patet, quia aliàs ejus actus contingeret casu, nec esset ratio cur unum ageret potiùs quàm aliud. Finis autem vel est bonus et honestus, vel malus, vel indifferens : si sit bonus, actio erit bona, nisi sit aliunde mala; si malus, erit mala : restat ergo difficultas de fine indifferente, qui nec sit bonus nec malus. Unde conclusionem invictè demonstravero, si probem hominem non posse licitè agere propter finem indifferentem, sed debere semper agere propter finem bonum et honestum. Igitur probatur 2ª conclusio ratione fundamentali. Quotiescumque homo

deliberatè agit, tenetur actioni suæ præstituere finem bonum et honestum : quod si faciat, actus erit bonus, modò aliunde non sit malus; si non faciat, erit malus, quia carebit fine sibi debito. Ergo non datur, nec dari potest actus indifferens in individuo. (Ibid.)

Probatur multipliciter ant., in quo est tota difficultas. 1° Quotiescumque homo deliberatè agit, debet agere ut homo, id est, juxta conditionem et exigentiam suæ naturæ rationalis. Patet ex se; id enim omnibus ab Auctore naturæ inditum est, ut unumquodque agat secundùm conditionem et exigentiam suæ formæ seu naturæ : brutum secundùm formam sensitivam, homo secundùm formam rationalem; unde in eo sita est tota hominis perversitas, dùm, neglectâ et contemptâ ratione, agit ut bestia secundùm conditionem et exigentiam naturæ sensitivæ : atqui agere ut homo, seu secundùm conditionem et exigentiam naturæ rationalis, est agere propter bonum honestum; dicitur enim bonum honestum quod convenit et conforme est rationi, in hocque distinguitur homo à brutis insipientibus, quæ agunt propter bonum delectabile secundùm sensum : ergo quotiescumque homo deliberatè agit, tenetur actioni suæ præfigere finem bonum et honestum. Probatur 2° primum ant. Agentia naturalia determinantur ab Auctore naturæ per inclinationem naturalem ad fines sibi proprios et suis naturis consentaneos : ergo agens liberum, ut est homo, determinatur per leges et præcepta ad finem sibi proprium et naturæ suæ consentaneum. Patet consequentia, quia non minùs pertinet ad Auctorem naturæ determinare et regere moraliter per leges et præcepta causas morales et liberas, quàm dare causis naturalibus inclinationem naturalem. Subsumo : Atqui bonum proprium et consonum naturæ rationali atque ejus finis est bonum honestum, ut jam dictum est : ergo tenetur homo semper agere propter bonum honestum. Probatur 3° primum ant. Apost. 1 Cor. 10, præcipit omnia fieri in gloriam Dei : *Sive manducatis*, inquit, *sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* atqui id non potest intelligi nisi de relatione in Deum virtuali implicitâ, inclusâ in bono honesto, ut alibi explicabimus : ergo tenetur homo semper agere propter finem honestum. Quid respondeant adversarii huic auctoritati videbimus et refutabimus in sol. obj. Probatur 4° idem primum ant. : Verbum otiosum est malum et prohibitum, cùm de eo debeamus reddere rationem Deo in die judicii, juxta illud Matth. 12 : *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii,* non solùm ad discussionem, ut quidam existimant, sed ad condemnationem; nam subjungit immediatè Christus : *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis,* et hic est sensus communis non solùm SS. Patrum, sed omnium timoratorum qui apprehendunt verba otiosa ut mala et peccata venialia de quibus se accusant. Porrò si verbum otiosum sit malum, pari et potiori ratione opus otiosum est malum, cùm utrobique tempus teratur inutiliter, et jactura rei otiosæ sit major quàm damnum verbi otiosi. Unde S. Hieron. in Psal. 16 : *Si de verbis otiosis*, inquit, *redditur ratio, quantò magis de operibus?* atqui sive verbum, sive opus dicitur otiosum, non quod habet malum finem, sed quod non habet finem bonum et honestum : ergo homo tenetur agere propter finem honestum. Prob. min. 1° ex ipsâ definitione otiosi traditâ à SS. Patribus : *Otiosum verbum est*, inquit S. Greg., *quod aut utilitate rectitudinis aut ratione justæ necessitatis caret.* Origenes, hom. 1 in Psal. 38 : *Otiosus, qui neque boni neque mali agit.* D. Bernard. lib. de Triplici Custodiâ : *Otiosum verbum est quod nullam rationabilem causam habet;* et tract. de Vitâ Solit. ad Fratres : *Quicumque quodcumque agit, et non propter hoc agit ut Deo serviatur, in eo quod agit otiatur.* Unde S. Th. 2-2, q. 132, a. 1, et q. 167, a. 1, docet quòd appetitus gloriæ et scientiæ non relatus ad gloriam Dei aut salutem proximi sit vanus, quia, ut ait in 1, d. 1, q. 3, ad 3, actus procedens à deliberatâ voluntate, si est referibilis in Deum et non refertur, vanus est et otiosus. Ergo otiosum est quod caret honesto fine. Probatur 2° eadem min. Ille dicitur otiosus non qui facit aliquid mali, sic fur aut homicida non dicitur otiosus, neque qui nihil omninò facit, sed qui non facit quod debet facere et quod conducit ad suum debitum finem. Sic Matth. 20 operarii dicuntur otiosi, non quòd nihil omninò agerent (fortè enim confabulabantur aut ambulabant), sed quia finem suum non exercebant, scilicet excolere vineam. Sic quotidiè dicimus homines aut mulieres otiosas, non quòd aliquid mali agant, aut nihil omninò agant, sed quia, posthabitis quæ sunt sui muneris, rebus indifferentibus, puta, confabulationibus, deambulationibus et aliis similibus, neque bonis ex se, neque malis, indulgent. Ergo dicitur otiosum id cui non apponitur bonus et honestus finis. Huic ultimæ rationi, quâ non parùm urgentur, adversarii respondent quòd ut aliqua actio non sit otiosa, sufficit quòd ad aliquam naturæ commoditatem referatur.

Sed contra, et simul detegitur eorum allucinatio. Per commoditatem naturalem vel intelligunt sanitatis conservationem, corporis rectam consistentiam, sustentationem, quietem, aut quid simile conducens ad bonum rationis vel delectationem aliquam corpoream et sensibilem. Si primum, fatemur actionem non esse otiosam, neque tantùm indifferentem, sed bonam; quia conservatio sanitatis et recta consistentia corporis pro suis et animæ functionibus necessaria, est bonum et honestum cui debet invigilare ratio : convenit namque homini, etiam ut est rationis particeps, consulere parti vegetativæ et sensitivæ sibi individuè sociatæ et cujus ministerio suas partes agit, et ideò dictat recta ratio his naturæ indigentiis subveniendum, ad idque nos impellit dilectio naturalis in nos quæ est honesta et bona moraliter. Unde S. Th. hìc ad 3, dicit : *Hoc ipso quo aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis; et idem patet de aliis.* Si verò per commoditatem naturalem intelligunt delectationem corpoream et sensibilem, tunc absolutè sustinemus actionem esse otio-

sam et malam. 1° Quia, juxta Patres laudatos, caret utilitate aut necessitate, ut dicit S. Greg.; nihil boni neque mali operatur, ut dicit Origenes; nullam habet rationabilem causam, neque per illam Deo servitur, ut dicit S. Bernar. 2° Quia caret debito fine, cùm bonum delectabile secundùm sensum non sit finis rationalis creaturæ, quod licet jam satis constet ex dictis, ulteriùs tamen probo, et erit simul quinta probatio primi et principalis antecedentis quam sic propono.

Probatur 5° primum et principale antecedens : Homo deliberatè agens non potest agere propter bonum delectabile sensibile tanquàm propter finem : ergo tenetur agere propter bonum honestum. Patet consequentia, quia cùm distinguatur tantùm triplex bonum, scilicet honestum, utile et delectabile, non potest hìc esse quæstio de bono utili, quia cùm propter se non appetatur, sed propter aliud ad quod conducit, non potest habere rationem finis. Restat ergo bonum honestum et bonum delectabile : unde si homo non possit agere propter bonum delectabile tanquàm propter finem, sequitur quòd teneatur agere propter bonum honestum. Prob. igitur ant. 1° Bonum delectabile sensibile, seu bonum proportionatum et conforme sensibus, est finis partis sensitivæ : constat, quia nihil aliud potest assignari. Non enim bruta apprehendunt pabulum aut coitum ut media necessaria et proportionata ad conservationem speciei aut individui tanquàm ad finem, id enim est aliquid intelligibile cujus non sunt capacia; sed edunt, coeunt, fœtus educunt, nutriunt et alia agunt propter solam delectationem quam in his operationibus apprehendunt. Ergo bonum delectabile sensibile non potest esse finis partis rationalis : ergo homo ratione præditus deliberatè agens, non potest agere propter bonum delectabile sensibile tanquàm propter finem. Patet consequentia, quia non potest esse idem finis partis sensitivæ et partis rationalis, brutorum et hominum. Verum quidem est quod, cùm homo constet parte sensitivâ inferiori ut regendâ, et parte rationali ut superiori et rectrice (non enim pars sensitiva inferior, sed ratio superior, data est homini à Deo ut regula suarum operationum, ut omnibus pervium est), non prohibeatur percipere secundùm partem sensitivam delectationem sensibilem annexam ab Auctore naturæ operationibus conservationi individui aut speciei necessariis; sed prohibetur in eâ tanquàm in fine sistere, sicut sistunt bruta, quæ, ratione destituta, nihil aliud in objecto vel actu apprehendere possunt. Homo autem cùm secundùm rationem quæ, ut dixi, data est ipsi ut regula suarum actionum, sit capax boni superioris et honesti, ad illud tanquàm ad finem referre debet bonum delectabile partis sensitivæ; et ideò dixit S. Th. sup. q. 4, a. 2, delectationes esse propter operationes, et non operationes propter delectationes. Prob. 2° ant. Nihil magis est indignum ac perversum quàm voluntatem, quia est facultas rationalis, cæterarum potentiarum reginam servire et ancillari parti sensitivæ et inferiori, seu appetitui animali, cui debet dominari : atqui ita contingit dùm homo deliberatè agens agit propter delectationem sensibilem tanquàm propter finem; tunc enim ordinat operationem deliberatæ voluntatis ad delectandum appetitum inferiorem tanquàm ad finem ibi sistendo : ergo homo non potest agere propter bonum delectabile tanquàm propter finem.

Hinc jure damnatæ sunt ab Innocentio X sequentes propositiones : *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs culpâ caret et defectu veniali.* Est nona. Et. : *Licet comedere et bibere usque ad satietatem absque necessitate ob solam voluptatem, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Respondet Henno non licere quidem operari propter solam delectationem, quando delectatio non est finis à naturâ intentus, ut contingit in dictis propositionibus damnatis; finis enim comestionis aut operis conjugalis à naturâ intentus non est voluptas, sed hujus, procreatio prolis; illius, sustentatio corporis : at licere operari propter solam delectationem, quando delectatio est finis à naturâ intentus, ut recreatio aurium ex musicâ, oculorum ex visione pulchri, narium ex olfactione floris.

Sed contra. Nego suppositum assumpti; falsum quippe est et maximè falsum delectationem sensibilem in ullâ operatione esse à naturâ seu Auctore naturæ intentam tanquàm finem creaturæ rationalis, ut hucusque probavimus; unde neque in auditione musicæ, neque in visione pulchri, neque in olfactione floris, natura annexuit aut intendit delectationem sensitivam aurium, oculorum, narium, ut in eâ tanquàm in fine sistamus, sed ut ordinabilem et ordinandam à ratione ad finem honestum, puta, sublevamen naturæ, bonam consistentiam corporis, etc., quantùm opus est animæ functionibus, eo modo quo delectationes in ludis, jocis, aliisve recreationibus, per virtutem eutrapeliæ temperatæ assumuntur ad dictos fines honestos.

Totum hoc argumentum paulò fusiùs deductum compendio sic rèsumo. Homo, quotiescumque deliberatè agit, etiam circa objectum secundùm se indifferens, tenetur agere propter finem honestum; quod si faciat, benè agit; si non faciat, malè agit : ergo non datur actus indifferens in individuo. Probatur ant. 1° Homo, quoties deliberatè agit, tenetur agere ut homo, seu secundùm dignitatem et exigentiam naturæ rationalis et prout distinguitur à brutis : atqui hoc est agere propter bonum honestum quod est finis creaturæ rationalis : ergo. 2° Sicut entia naturalia per naturalem inclinationem diriguntur ab Auctore naturæ in fines proprios, ita agens liberum et morale ut est homo, dirigitur per præcepta ad finem sibi proprium, quod est bonum honestum et rationi conforme : ergo. 3° Apost. 1 Cor. 10, præcipit omnia fieri propter gloriam Dei, id est, propter finem honestum in quo virtualiter implicitè includitur gloria Dei : ergo. 4° Opus quod non dirigitur in finem honestum est opus otiosum, ideòque malum, quia opus dicitur otiosum, non quod fit ob finem malum, sed quod caret bono et honesto fine, seu, ut dicunt SS. Patres, quod caret utili-

tate aut necessitate : ergo. 5° Homo deliberatè agens non potest agere propter bonum delectabile sensibile tanquàm propter finem : ergo tenetur agere propter bonum honestum. Patet ant., quia bonum delectabile sensibile est finis brutorum et partis sensitivæ, non creaturæ rationalis.

Quod autem dicunt adversarii, licitum esse agere propter commoditatem et recreationem naturæ, concedimus, si id fiat juxta dictamen rationis ; agere autem propter commoditatem et recreationem naturæ juxta dictamen rectæ rationis non est quærere delectationem ut finem, sed eam referre ad fines honestos et consequenter benè agere.

Huic rationi fundamentali sequentes subjungo. 1° Omnis actus in individuo fit juxta dictamen rectæ rationis vel non : si primum, est bonus ; si secundum, est malus ; bonitas enim moralis nihil aliud est quàm conformitas ad rectam rationem, et malitia, quàm defectus hujus conformitatis : ergo. 2° Omnis actus in individuo vel est vestitus omnibus debitis circumstantiis, vel non : si primum, est bonus, quia nihil ipsi deest ; si secundum, est malus, quia malum ex quovis defectu. 3° Finis actûs humani in quo agens quiescit, vel est Deus, sive actualiter sive virtualiter, sive explicitè sive implicitè (perinde est ad propositum) intentus ; vel est creatura ; sub his enim duobus finibus omnes fines continentur : si primùm, est bonus ; si secundum, est malus, quia hoc est uti fruendis et frui utendis, in quo est tota vitæ perversitas, ut alicubi dicit S. Augustinus.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° illud tritum S. Hieron. Epist. 89 ad S. Aug. : *Bonum est*, inquit, *continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare : digerere ulvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata facere ; hoc nec bonum est nec malum.* Et Greg. Nazian. orat. 3 in Julianum, dicit *christianam philosophiam medium quoddam inducere inter bonum et malum, inter pœnæ meritum et laudis.* Ergo. — Respondeo S. Hieronymum loqui de actibus indifferentibus spectatis ex parte objecti et secundùm speciem. Idem dici potest de S. Greg. Nazian., aut quòd loquatur de medio inter meritum et demeritum vitæ æternæ, consequenter de actu indifferenti in ordine supernaturali, quem fatemur dari.

Inst. 1° : S. Hieron. immediatè subjungit : *Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam ;* ergo apertum est ipsum loqui de actibus indifferentibus in individuo secundùm finem et circumstantias ; quidquid enim fit, utique fit individuo, cùm actiones sint singularium. Ita P. Henno. Et hæc est vis argumenti quod multùm extollunt Scotistæ. — Resp. : Nego conseq. et sto in solutione datâ, quæ ut explicetur et stabiliatur, observandum est S. Hieronymum illic loqui de observantiâ legalium, et intendere probare eam non esse indifferentem, sed bonam vel malam, quod utique procedebat de ipsâ observatione spectatâ ex parte objecti et secundùm speciem. Non enim erat quæstio an observatio legalium esset bona vel mala, aut indifferens in individuo, sed utrùm esset bona vel mala secundùm speciem et ex objecto. Ut autem ostendat S. Hieronymus non esse indifferentem, sed bonam vel malam ex objecto, adducit plura exempla actionum quæ secundùm speciem et ex objecto sunt indifferentes, et dicit observationem legalium non esse sic indifferentem. Neque te moveat quòd dicat : *Sive feceris, sive non feceris ;* id enim in proprietate et omni rigore sermonis dicitur de actione secundùm speciem. Sic strictè loquendo dicimus de specie : Facere misericordiam est bonum, facere adulterium est malum, facere iter est indifferens ; et qui fecerit misericordiam, habebit justitiam ; qui fecerit adulterium, habebit injustitiam ; qui fecerit iter, neque justitiam neque injustitiam habebit : sic, inquam, strictè loquendo dicimus de actionibus secundùm speciem et ex parte objecti spectatis ; indeque magis evincitur hunc esse sensum S. Hieronymi, quòd post verba objecta subdat : *Observare autem legis cæremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum est, aut malum :* ubi τὸ observare æquivalet τὸ facere, et tamen S. Hieronymus loquitur de observatione legalium secundùm speciem, quam sic constat non esse indifferentem, sed malam. Ergo similiter quando dicit : *Sive feceris, sive non feceris*, loquitur de actibus indifferentibus secundùm speciem et quantùm ex meritis objecti. Utrùm verò ex oppositione vel omissione finis illæ actiones ex specie indifferentes quas refert fiant bonæ vel malæ, non dicit S. Hieronymus in verbis citatis.

Quantùm ad id quod dicit P. Henno, id quod fit fieri in individuo, verum est, et dicitur etiam de specie quòd fiat scilicet in aliquo suo individuo ; non tamen inde sequitur quòd id quod tribuitur actioni factæ, illi conveniat ratione individuationis et non ratione speciei ; cùm enim dico : Facere misericordiam est bonum, bonitatem tribuo misericordiæ spectatæ non secundùm individuationem, potest enim sic malè fieri, sed secundùm speciem et ex meritis objecti. Ergo similiter quando dico : Facere iter, jacere sputum, etc., est indifferens, indifferentiam tribuo illis actionibus spectatis non secundùm individuationem, sed secundùm speciem. Sive ergo feceris vel non feceris illas actiones de se indifferentes, non habebis justitiam nec injustitiam præcisè quia illas fecisti vel non fecisti ; et hic est planus sensus S. Hieronymi ; habebis tamen justitiam vel injustitiam quia fecisti vel non fecisti illas bono fine.

Cæterùm, S. Hieronymum nullum agnovisse actum indifferentem in individuo, constat ex ejus Epistolâ ad Ctesiphontem adversùs Pelagianos, tom. 2, pag. mihi 548, ubi referens verba Pelagii quibus impugnat necessitatem gratiæ ad singulos actus, ait : *Audite sacrilegum* (Pelagium) : *Si, inquit, voluero currere digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere... semper mihi auxilium Dei necessarium erit ? Audi, ingrate, Apostolum prædicantem : Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Agnoscit ergo S. Hieronymus

actiones de se indifferentes referendas esse in Dei gloriam; consequenter si non referantur, esse malas, bonas autem si referantur.

Inst. 2° : S. Hieron. in cap. 20 Ezech. explicans illud : *Dedi eis præcepta non bona*, ait : *Neque dixit : Dedi eis præcepta mala, sed non bona : neque enim statim ut quoa bonum non est sit malum; sicut et Apostolus docet : Bonum est homini uxorem vel mulierem non tangere, sed propter incontinentiam unumquemque possidere vas suum in sanctificatione et castitate; quod si feceris, nec bonum nec malum est.* Ergo. — Resp. S. Hieronymum illic accipere bonum pro perfecto et meliori : quo sensu præcepta veteris legis dicuntur non bona, quia non erant perfecta sicut præcepta novæ legis. Similiter dicit tangere uxorem non bonum, quia non est perfectum sicut virginitas. Ut enim ipse S. Hieronymus exponit in Apologiâ adversùs Jovinian. post medium, quæ sunt secundùm se bona comparativè ad meliora dicuntur non bona, imò mala : *Ergo*, inquit, *secundùm hunc comparationis sensum, malum diximus mulierem tangere, quia bonum* seu melius *est non tangere.* Quando itaque dicit in objectione mulierem tangere nec bonum nec malum esse, intelligit non bonum, quia non est tam perfectum sicut non tangere, nec tamen malum quia secundùm se est bonum.

Obj. 2° cum eodem Henno. Non datur præceptum præfigendi cuilibet actioni finem honestum : ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ conclusionis. Prob. ant. Vel illud præceptum esset naturale, vel positivum : neutrum dici potest. Non positivum, quia cùm Apostolus 1 Cor. 10, dicit : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, non dat præceptum, sed consilium saluberrimum, ut benè advertit doctor Seraphicus. Non naturale, aliàs quilibet homo in cujus corde scripta est lex naturalis obligationem singulis momentis recurrentem in seipso experiretur. Tamen consulat se Thomista, consulat se quilibet nobis in hoc adversarius, et fateri tenebitur se nunquàm credidisse, dubitâsse, aut suspicionem vel minimam habuisse sibi inesse obligationem, dùm spueret, purgaret ventrem, nares emungeret, etc., actiones illas in finem honestum referendi. Ergo. — Resp. : Nego ant. Ad probat., nego min. pro utrâque parte; est enim præceptum et naturale et positivum. Esse naturale patet ex primâ et ultimâ probatione rationis nostræ fundamentalis; esse positivum, aut saltem naturale esse promulgatum in novo Testamento, patet ex Apost. 1 Cor. 10, cit. Quantùm ad id quod opponit Henno contra primum, nego neminem hanc legem naturalem in se experiri. Fateor equidem in quibusdam minùs attentis aut præjudiciis præoccupatis obscurari et fortè ignorari; sed attentè se consulat Scotista aut quisquis alius, præjudicia exuat, illam experietur, et cum Thomistis agnoscet hominem teneri agere in omnibus secundùm dignitatem et exigentiam suæ naturæ, indignumque esse quòd more brutorum prosequatur bonum sensibile ut finem, et quòd appetitus rationalis serviat et mancipetur appetitui sensitivo, consequenter quòd in omnibus teneatur intendere bonum rationis seu bonum honestum.

Quantùm ad id quod opponit 2°, scilicet Apostolum non dare præceptum, sed consilium, ut advertit doctor Seraphicus, doctori Seraphico (si tamen ita sentiat, quod quidam negant) oppono doctorum aquilam, lib. de Corrept. et Grat. c. 3, ubi ait : *Præcipit Apostolus : Omnia vestra in charitate fiant* (quod intelligitur de charitate latè sumptâ pro amore boni honesti); oppono doctorem Angelicum, scholarum magistrum, qui in 2, d. 40, a. ult. ad 7, expressè docet quòd, sicut est præceptum nihil agendi contra gloriam Dei, ita etiam est præceptum omnia virtualiter in gloriam Dei referendi, quod alibi pluries docet, sed disertè in c. 3 ad Coloss. lect. 3 : *Quidam dicunt*, inquit, *quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum;* oppono Cœlestinum I, SS. Maximum, Bernardum et alios plures; tandem oppono ipsa Apostoli verba, quæ afferuntur imperativo modo : *Facite;* quod ubique in S. Scripturâ denotat præceptum rigorosum, quando materia est præcepti capax, nec ulla adest circumstantia quæ ad præceptum latè dictum seu consilium deflectat, ut cùm dicitur : *Quod superest date eleemosynam : Hoc facite in meam commemorationem*, etc. Hic autem materia est apta præcepto, nec ulla est circumstantia sive ex præcedentibus, sive ex subsequentibus, quæ ista verba ad præceptum latè sumptum pro consilio detorqueat.

Urget P. Lector Jubilatus. Si hæc verba Apostoli continerent præceptum, *non tantùm in finem honestum, sed etiam in Deum teneremur omnia referre, quod videtur S. Sedes condemnâsse in variis propositionibus, ut ostendimus in tract. nostro de Virtut. Theologicis, disp.* 7, q. 8; *et ideò, dùm SS. Aug., Bernardus aliique SS. Patres asserunt verba Apostoli importare præceptum, intelligendi sunt de præcepto largè sumpto, sive prout importat directionem, non obligationem; aliàs non viderentur à censurâ apostolicâ satis immunes.* — Resp. in hâc instantiâ plura esse animadversione digna. 1° Equidem ex verbis Apostoli tenemur omnia referre in Deum, non relatione actuali, aut virtuali explicitâ, sed implicitâ, quod est agere propter bonum honestum, in quo Deum implicitè intendimus. 2° Hanc autem relationem virtualem implicitam à S. Sede fuisse condemnatam nec probavit nec probare potuit P. Lector, cùm sit absolutè falsum. 3° Consequenter, ut SS. Patres qui agnoscunt præceptum in verbis Apostoli à censurâ apostolicâ sint immunes, non est necesse eos intelligere de præcepto latè sumpto pro consilio dirigente. Et dic velim quomodò eximere à censurâ apostolicâ doctorem Angelicum qui formalissimè dicit : *Quidam dicunt quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum.*

Inst. contra præceptum naturale : Si istud præceptum esset naturale deberet reduci ad aliquod præceptum Decalogi, in quo omnia præcepta naturalia continentur : atqui ad nullum potest reduci, aut assignetur : ergo. — Resp. huic argumento duplicem adhiberi solutionem. Quidam negant min., et dicunt hoc præceptum reduci ad præceptum dilectionis Dei, quia cùm

præcepti dilectionis Dei teneamur habere Deum pro ultimo fine, ita etiam ad eum referre omnes actiones nostras, saltem implicitè et mediatè eas ordinando ad finem honestum. Alii negant majorem et dicunt quòd, sicut dantur quædam veritates quæ per se non pertinent ad objectum fidei, sed sunt quædam præambula ad fidem, ut Deum existere, esse unum, sicut docet auctor 1 p., q. 2, a. 2, ad 1, ita sunt quædam præcepta naturalia quæ non continentur in Decalogo, sed sunt quasi præambula ad illud, quale est præceptum diligendi seipsum; et ad hoc, inquiunt, reducitur præceptum non agendi nisi ex fine honesto, quatenùs homo ratione elevatus supra naturam brutorum debet diligere dignitatem suam, consequenter semper agere ut homo, hoc est, secundùm dictamen rationis, et non assimilari brutis insipientibus quibus non est intellectus. Utraque solutio est bona.

Repones : Qualecumque sit istud præceptum, sive naturale, sive positivum, est affirmativum : atqui præcepta affirmativa, licet semper obligent, non tamen obligant pro semper : ergo. — Resp. 1° nos non obligari pro semper referre actiones nostras in bonum honestum, quia non semper agimus deliberatè ; conclusio autem nostra est de actibus deliberatis. Si dicas nos non magis teneri referre actiones nostras in bonum honestum, quàm agere deliberatè, nego; quia non est in potestate nostrâ semper deliberatè agere, benè tamen omnes actus deliberatos in finem honestum referre. Resp. 2° præceptum continens universalitatem actionum deliberatarum, quale est istud de quo agitur, obligare pro semper, quando actiones sunt deliberatæ. Resp. 3° istud præceptum non tantùm esse affirmativum, sed etiam negativum, nihil agendi otiosè et sine dictamine rationis.

Replicabis : Præceptum hoc, semper et in omnibus agendi propter finem honestum, est nimis rigorosum et onus intolerabile, ex quo nempe sequitur homines fermè continuò peccare, saltem venialiter; continuò enim occurrunt communes et leves actiones ex se indifferentes, ut spuere, fricare manus aut barbam, movere pedem, pileum, librum, surgere, sedere, ambulare, etc., quas homines non solent nec recordantur referre ad finem honestum. Item, qui ludunt, bibunt, comedunt, se calefaciunt, etc., in iisque delectationem percipiunt, peccant quoties has actiones et delectationem perceptam ad finem honestum non referunt, quod frequenter accidit. — Resp. hoc præceptum ritè intellectum non esse neque nimis rigorosum, aut onus intolerabile, neque sequi ex eo homines continuò peccare ; quia non requirimus actualem relationem in finem honestum, seu reflexivam cognitionem ordinativam in bonum finem ; sed sufficit virtualis, quæ habetur vi intentionis præcedentis actualis, saltem generalis, vivendi et semper agendi secundùm rationem et meliori quo potest modo, quæ virtualiter permanet nisi revocetur per contrariam intentionem. Non ergo ex nostrâ sententiâ sequitur in his communibus et levibus actionibus continuò peccari, quia vel virtualiter referuntur ad finem honestum, vel sunt indeliberatæ, ut ordinariè accidit. Quòd si sint deliberatæ et ad nullum finem honestum referantur, non est inconveniens eas computare inter peccata, sicut varias alias actiones otiosas quæ carent piâ utilitate aut justâ necessitate. Similiter, in aliis actionibus ludendi, se calefaciendi, comedendi, bibendi et similibus, non ita frequenter, ut fingitur, peccant homines probi, quia non rarò referuntur virtualiter ad finem honestum. Sic, v. g., cùm fame urgente, aut horâ invitante, accedis ad mensam, delectationemque in cibo et potu percipis, non ideò statim accusandus es peccati, si moderatè bibens et comedens sis in eâ generali intentione virtualiter remanente, quam quilibet vir probus habet, vivendi et agendi semper secundùm rationem et meliori quo potest modo ; tunc enim illæ actiones et percepta in eis delectatio referuntur virtualiter ad finem honestum, nempe ad rectam et bonam habitudinem corporis, quantùm necessaria est ad suas et animæ functiones. Accedit quòd qui salutis suæ non sunt incuriosi manè et pluries in die soleant referre actiones suas in Deum.

Repones cum Henno : Non potest assignari quis sit iste finis honestus quem habere debet homo dùm fricat barbam, purgat ventrem, etc. Ergo. — Resp. harum et similium actionum dùm deliberatè fiunt (sæpiùs enim fiunt indeliberatè) finem se ultrò ingerere, nempe, ut modò dicebam, sublevamen naturæ et rectam habitudinem corporis, secundùm dictamen rationis, ad suas et animæ functiones necessariam.

Insistes cum eodem : Spuere propter levem indigentiam aut commoditatem naturæ, non est malum, quia in eo actu nulla est inhonestas ; neque bonum moraliter, cùm nemo dicat hominem dignum laude eò quòd spuerit, pulices occiderit, etc., ergo indifferens. Item, quæ honestas vel inhonestas fingi potest in hoc quòd quis faciat actum indifferentem ex se, v. g., deambulet merè ad exercitium libertatis, aut quia placet? — Resp. ad primum : Nego ant. pro secundâ parte. Isti enim actus leves qui fiunt propter indigentiam seu commoditatem naturæ, sunt boni; et qui illos faciunt, sunt laude digni, non præcisè quia hoc faciunt, sed quia faciunt ex honesto fine et ut hominem decet. Ad secundum, respondeo quòd semel aut iterùm experiri et exercere suam libertatem in aliquo actu indifferenti sit honestum et conforme rationi ; sæpiùs et otiosum, quia tunc caret utilitate aut necessitate.

Inferes : Ergo illæ actiones leves quæ fiunt propter honestum finem, et ideò secundùm nos sunt bonæ, possunt esse materia voti; et quæ non fiunt propter honestum finem et sunt malæ, possunt esse materia confessionis et absolutionis : utrùmque autem est falsum et absurdum. 1° Absurdum videtur quòd quis voveat se calefacere, spuere, purgare ventrem, ambulare, etc. 2° Nemo est qui se accuset se spuisse, purgâsse ventrem, fricuisse barbam, ambulâsse, se calefecisse, etc., absque honesto fine, neque auderet confessarius his solis actionibus absolutionem impendere. Ergo. — Resp. ad primam partem illati, inter has

actiones quasdam esse quæ licet sint bonæ dùm fiunt ex honesto fine, meliùs sit tamen ab eis abstinere : sic ambulare, se calefacere ad sublevamen naturæ, est bonum, meliùs tamen est ab iis abstinere causâ mortificationis ; et de his non potest esse votum, quia votum debet esse de meliori bono. Sunt autem aliæ quæ sunt necessariæ ad rectam corporis consistentiam et sanitatem, et à quibus abstinere non esset meliùs ; et hæ quatenùs sunt necessariæ et quatenùs fiunt propter finem propter quem sunt necessariæ, possunt voveri, non secùs ac alia bona quorum oppositum non est melius. Ad secundam partem illati, respondeo has actiones communes et leves sæpè esse indeliberatas, et si sint deliberatæ, sæpè referri virtualiter ad finem honestum, et idcò esse materiam dubiam confessionis et absolutionis ; quapropter pœnitentes de iis non se accusant, et si se accusarent, prudens confessarius absolutionem non impenderet. Si tamen certò constaret has actiones esse deliberatas et factas absque honesto fine et sine dictamine rationis, possent esse materia confessionis et absolutionis, sicuti actus otiosi de quibus se accusant pœnitentes timorati saltem in genere, dum dicunt se in multis egisse otiosè.

Obj. 3° et simul instabis : Omissio actûs non præcepti, v. g., auditionis missæ die feriali, aut recitationis officii in laico, non est mala, quia ad illud non tenetur ; neque bona, quia ejus oppositum est bonum : ergo indifferens ; ergo etiam indifferens actûs quo quis vult omittere. — Resp. omissionem actûs non præcepti voluntariam et deliberatam de quâ hìc agitur, si sit rationabilis, seu secundùm dictamen rationis, esse bonam ; si non sit rationabilis, esse malam. Quamvis enim laicus non teneatur simpliciter et vi præcepti ecclesiastici recitare officium aut audire missam die feriali, quando tamen voluntariè et deliberatè omittit, tenetur omittere secundùm dictamen rationis, ex generali præcepto quo quilibet tenetur in omnibus actibus deliberatis agere ut homo et rationabiliter : quod præceptum cadit non solùm super actus, sed etiam super omissiones actuum quatenùs sunt voluntariæ et deliberatæ. Unde S. Th. 2-2, q. 54, a. 3, agnoscit culpam venialem in omissione actûs non præcepti, si sit ex defectu fervoris. Qui ergo omittere vellet actum non præceptum, puta, auditionem missæ aut recitationem officii propter honestam occupationem, benè faceret ; si ex pigritiâ aut contemptu, malè faceret, imò etiam si precisè et solùm quia non tenetur ; tunc enim ista volitio esset otiosa, carens piâ utilitate aut justâ necessitate.

Obj. 4° et simul instabis. Potest quis reputare sententiam Scoti probabiliorem, et ignorare invincibiliter esse præceptum præfigendi bonum et honestum finem cuilibet actioni deliberatæ. Si ergo agat opus ex objecto indifferens et propter finem indifferentem, ejus actus non erit bonus, quia ex objecto et fine est indifferens ; neque malus, quia ratione ignorantiæ invincibilis excusatur : ergo indifferens. — Resp. : Quidam existimant posse in hoc casu dari actum indifferentem per accidens et ratione ignorantiæ invincibilis, ideòque sententiam S. Th. esse intelligendam per se et ex naturâ rei. Meliùs tamen videtur negandum posse dari ignorantiam invincibilem obligationis præfigendi suis actionibus finem honestum, quia nemo ratione compos videtur posse invincibiliter ignorare se teneri agere ut hominem et secundùm rationem, cùm hoc sit dictamen generale syndereseos et primum principium practicum quod à nemine invincibiliter ignoratur, nec ab ipsâ gentilitate fuit ignoratum ; unde illud poetæ : *Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas.*

Obj. 5° : Concilium Constantiense, sess. 15, act. 6, damnavit hanc propositionem Joannis Hus : *Nulla sunt opera indifferentia ; sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quòd sint vel virtuosa vel vitiosa.* Ergo. — Resp. dist. ant. : Concilium Constantiense damnavit hanc propositionem in sensu hæretico Joannis Hus, concedo ; in sensu catholicorum, nego. Idcò Joannes Hus dicebat nulla opera esse indifferentia, sed omnia virtuosa aut vitiosa, quia contendebat omnes actus hominis justi esse bonos, et omnes actus hominis peccatoris esse malos : *Sicut* enim, inquiebat, *peccatum inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* Hoc autem est apertè falsum et à nostrâ sententiâ alienum ; potest enim et justus facere opus venialiter malum, et peccator opus moraliter bonum, ut dare eleemosynam. Ab hâc doctrinâ Joannis Hus non multùm abludit hæc propositio Quesnelli : *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat :* est 45 inter damnatas : affines sunt 44, 46, et sequentes usque ad 59.

Obj. 6° : Potest dari actus indifferens secundùm speciem : ergo et in individuo. Probatur consequentia : 1° quia omnis species debet posse salvari in aliquo individuo ; 2° quia species et individuum à parte rei identificantur : ergo. — Resp. : Nego conseq. Ad primam probationem, illam concedo de specie absolutâ et completâ, nego de specie incompletâ et sub præcisione, qualis est indifferentia. Vide explicatam solutionem art. præced. Ad secundam probationem, dist. ant. Species et individuum identificantur à parte rei inadæquatè, concedo ; adæquatè, nego. Individuatio enim addit speciei finem et circumstantias.

## ARTICULUS VII.

*Utrùm et quomodò voluntas humana ut sit bona, debeat conformari voluntati divinæ ?*

Postquàm S. Th. egit q. 18 de bonitate et malitiâ actuum humanorum in communi, agit q. 19 de bonitate et malitiâ actûs interioris seu imperantis à voluntate eliciti ; et q. 20, de bonitate et malitiâ actûs exterioris seu imperati.

Quantùm ad primum, quamvis ex dictis constet bonitatem et malitiam sumi ab objecto quod respectu actûs interioris seu imperantis est finis, quia tamen objectum non specificat nisi ut subest regulis morum estque illis conforme vel difforme, examinat S. doctor quomodò bonitas voluntatis pendeat ab istis regulis.

Est autem duplex regula morum, una remota et extrinseca, scilicet lex æterna, quæ est ipsa ratio divina omnes creaturas in suos fines dirigens; altera proxima et intrinseca, scilicet dictamen nostræ rationis, seu conscientia. De lege æternâ dicemus cum auctore in tract. de Legibus. De conscientiâ verò, quia est quasi basis totius theologiæ moralis et materia apprimè necessaria, specialiter dicam dissert. sequenti, hic duntaxat perpensurus, circa hanc q. 19, utrùm et quomodò voluntas humana ut recta sit debeat conformari voluntati divinæ, à quâ lex æterna habet suam efficaciam et vim obligandi. Quantùm ad q. 20, explicat in eâ S. doctor quomodò actus exterior et interior pendeant ab invicem in bonitate et malitiâ, de quo nos supra : unde circa illam superest nobis tantùm examinandum an actus exterior addat bonitatem vel malitiam actui interiori, et eventus sequens actui exteriori; sicque hanc præsentem dissertationem tribus articulis complebimus.

Circa difficultatem præsentis articuli, suppono voluntatem humanam ut si bona, generaliter loquendo, debere esse conformem divinæ voluntati, quia prima bonæ voluntatis humanæ regula et mensura est divina voluntas; primum enim in unoquoque genere est mensura cæterorum illius generis, divina autem voluntas est primum et summum bonum; sed in quo et quomodò debeat conformari difficultas est.

Quadrupliciter namque humana voluntas potest intelligi conformari divinæ voluntati, juxta quadruplex genus causarum, efficientis, formalis, materialis et finalis. 1° In ratione causæ efficientis, quando scilicet voluntas humana vult et facit quod voluntas divina vult et facit eam velle et facere : et hæc conformitas semper adest; impossibile est enim quòd Deus faciat hominem velle aut facere, et quòd homo non velit aut non faciat. 2° In genere causæ formalis, quando voluntas humana agit analogicè per formam per quam Deus agit, scilicet per charitatem. De hâc duplici conformitate non est hìc quæstio, sed de conformitate in genere causæ materialis et finalis, seu quoad rem volitam et motivum volendi. Ib. a. 10, o. Pro cujus majori elucidatione,

Notandum est insuper in objecto voluntatis duo esse consideranda : unum quod est quasi materiale, scilicet ipsa res volita; aliud quod est quasi formale, scilicet ratio volendi, quæ est finis : sicut in objecto visûs, color est quasi materiale, lux verò quasi formale, quia per eam efficitur color visibilis actu. Et sic ex parte objecti duplex conformitas inveniri potest : una ex parte voliti, ut quando homo vult aliquid quod Deus vult; alia ex parte rationis volendi, sive ex parte finis, ut cùm aliquis propter hoc vult aliquid propter quod Deus vult : hæc dicitur conformitas in volito formali; prima conformitas, in volito materiali : et de utrâque procedit quæstio, supposito tamen quòd voluntas divina innotescat circa particulare opus; nam si non innotescit, potest esse bona voluntas absque conformitate, quantùm ad istud opus; sic 2 Reg. 7 David laudatur quòd voluerit ædificare domum Domini, quod tamen Deus non volebat. (Q. de Verit., a. 7.)

Tripliciter autem potest nobis innotescere divina voluntas, scilicet per revelationem, per operationem et per præceptum. Hoc ipso enim quòd Deus revelat aliquid, aut operatur, sive immediatè per se, sive mediantibus causis secundis, vel præcipit fieri, manifestum est idipsum velle. *His notatis et suppositis*,

*Dico :* Voluntas humana ut recta sit, tenetur conformari divinæ voluntati in volito formali, non autem in volito materiali, nisi ejus voluntas innotescat præcepto, vel prohibitione. Est communis cum auctore. Hìc q. 9, a. 10, o. et q. 23 de Verit., a. 8.

*Probatur prima pars.* Volitum formale divinæ voluntatis, seu ejus motivum ut ultima ratio volendi, est bonum commune et divinum, seu bonum commune totius universi, prout ultimatè ordinatur ad ipsum Deum et ejus gloriam; omnia enim propter semetipsum fecit Dominus : atqui voluntas humana ut recta sit, debet velle quodcumque vult propter bonum commune et divinum ut ultimum finem : ergo. (Hìc ibid.) *Probatur min.* 1° Appetitus naturalis cujuslibet partis ordinatur in bonum commune totius : ergo à fortiori quod appetitur ab appetitu rationali, debet referri in bonum commune. 2° Voluntas humana non potest esse recta, nisi quatenùs appetit bonum verum et honestum, *ut probavimus supra;* atqui appetendo bonum verum et honestum virtualiter implicitè appetit bonum divinum, cujus bonum honestum est inchoatio et participatio : ergo. (Ibid. ad 1.)

*Probatur secunda pars.* Eadem res volita quæ est objectum materiale voluntatis, potest sub diversâ consideratione esse bona et mala : v. g., mors latronis considerata à judice ut necessaria bono communi, est bona; considerata ab uxore ut noxia familiæ, est mala : consequenter voluntas quâ judex, cujus est attendere ad bonum commune, vult mortem latronis, est bona; et voluntas quâ uxor, cujus est attendere ad bonum familiæ, non vult mortem mariti, est etiam bona : quia voluntas quæ rem non vult sub ratione mali, non est minùs bona quàm ea quæ vult rem sub ratione boni. Atqui Deus, ut provisor universalis, attendit in volendo ad rationes universales, quales sunt bonum commune universi, ad quod necesse est esse et conservari contraria; et manifestatio suorum attributorum, secundùm quas rationes res à Deo volita est bona, quæ tamen secundùm rationes particulares ad quas homo debet attendere, et ad quas Deus vult ipsum attendere, est mala : ergo voluntas humana ut sit recta, non tenetur conformari divinæ voluntati in volito materiali. *Minor clarebit exemplo :* Deus, ut supremus totius mundi director et provisor, secundùm exigentiam et rationes universales boni communis et suæ gloriæ, vult patrem meum mori in hæresi et damnari; ista mors et damnatio secundùm istas rationes universales considerata est bona, et ideò bona voluntas quæ illam vult. Ego privatus homo, cujus non est ad istas rationes universales attendere, sed ad particulares, sive proprii suppositi secundùm in-

clinationem naturalem quæ bona est et à Deo, sive parentis secundùm pietatem quam, etiam Deo mandante, sectari teneor, nolo istam mortem et damnationem. Ista mors et damnatio secundùm istas rationes particulares considerata, est mala : ergo bona voluntas quæ eam non vult ; ità ut, quamvis videar ex unâ parte recedere à voluntate divinâ, ex aliâ tamen sic volendo conformor indirectè ipsi voluntati divinæ, quia sic me velle Deus ipse vult. Unde S. Aug. in Enchirid. c. 101, ait : *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult : tanquàm si bonus filius patrem velit vivere quem Deus bonâ voluntate vult mori.* ( Ibid. o. )

Confirmatur 1°. Nemo sanæ mentis dicet me teneri velle omnia mihi nociva quæ, Deo volente, mihi accidunt, famem, morbum, conflagrationem domûs et horrei, rigorem frigoris, ardorem solis, serpentes, pulices, et, ut modò dicebam, mortem et damnationem parentum meorum, ita ut mihi non liceat, quantùm possum, illa fugere aut contra conari.

Confirmatur 2°. Si voluntas humana teneretur conformari voluntati divinæ in volito materiali, sequeretur quòd qui contrahit matrimonium aut vovet religionem, teneatur contrahere aut vovere, sicque nullum esset respectu agentis opus consilii ; quia hoc ipso quo profert verba contractûs matrimonii aut voti, scit Deum ita velle : absurdum consequens : ergo.

Dixi : *Nisi voluntas divina innotescat præcepto vel prohibitione ;* quia voluntas Dei præcipiens aut prohibens habet semper annexam voluntatem obligandi hominem ad volendum et agendum quod præcipit, aut non volendum nec agendum quod probibet ; quod non habent aliæ voluntates, sive beneplaciti, sive consilii, sive permissionis.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : S. Th. in 1, d. 48, q. unicâ, a. 4, dicit : Licet voluntas ut natura et appetitus *sensitivus possit refugere id quod Deus vult, deliberatâ tamen voluntate tenemur conformari divinæ voluntati in volito :* atqui ibi loquitur de volito materiali, quia circa volitum formale non habet locum appetitus sensitivus aut voluntas ut natura ; et sic Christus refugiebat mortem atque orabat ut transiret calix ex appetitu sensitivo ut naturâ, secundùm autem rationem deliberatam volebat mortem et conformabatur voluntati divinæ in volito materiali. Item S. doct. q. 23 de Verit. a. 8, ad 3, dicit quòd *voluntas prælati non est regula nostræ voluntatis sicut divina voluntas, sed præceptum.* Ergo voluntas divina independenter à præcepto est regula voluntatis nostræ. — Resp. indubitatam prorsùs esse mentem S. Th. cùm et conclusio nostra et ejus probatio sint in terminis ex ipso hìc a. 10. Unde ad primum, dist. min. Atqui ibi loquitur de volito materiali, quantùm ad primum membrum propositionis, seu respectu appetitûs sensitivi et voluntatis ut naturæ, concedo min. ; quantùm ad secundum membrum, seu respectu voluntatis deliberatæ, subdistinguo. Loquitur de volito materiali secundùm se, nego ; de volito materiali formaliter et reduplicativè prout subest volito formali, concedo. Igitur S. doct. non facit hìc oppositionem inter appetitum sensitivum, seu voluntatem ut naturam, et voluntatem deliberatam, in hoc simpliciter quòd appetitus sensitivus, seu voluntas ut natura, non teneatur conformari volito materiali, teneatur autem voluntas deliberata ; sed in hoc quòd, cùm appetitus sensitivus et voluntas ut natura non attingant rationes superiores et universales propter quas Deus vult, sed tantùm particulares sibi proprias et connaturales, possunt secundùm illas refugere volitum Dei materiale, neque tenentur conformari in volito formali quod non cognoscunt. At verò voluntas deliberata potest attingere rationes superiores et particulares, et quamvis secundùm rationes particulares non teneatur conformari volito Dei materiali, tenetur tamen secundùm rationes superiores et universales conformari illi, non secundùm se, sed formaliter et reduplicativè, ut subest volito formali superiori et universali, quod est conformari in ipso volito formali.

Ad id quod dicitur de Christo, nego assumptum. Cùm enim in Christo nullus actus appetitûs sensitivi præveniret rationem, mortem refugit et oravit ut transiret calix, non solùm voluntate ut naturâ aut solo appetitu sensitivo, sed etiam voluntate et actione deliberatâ, non quidem deliberante secundùm rationes æternas et superiores, sed particulares et temporales.

Ad secundum, nego conseq. ; loquitur enim ibi S. doct. de formali volito, et sensus est quòd cùm voluntas divina procedat ex motivo superiori et universali boni divini, illi nos teneamur conformari independenter à præcepto : at superior agit secundùm motiva et rationes particulares quibus non tenemur conformari nisi accedat præceptum.

Obj. 2° : Tenemur, secundùm primam partem conclusionis, conformari voluntati divinæ in volito formali : ergo et in materiali. Probatur conseq. dupliciter. 1° Motivum formale voluntatis divinæ est ratio universalissima : atqui sub ratione universali volendi continentur omnes particulares : ergo, si teneamur conformari voluntati Dei formali ejusque universali motivo, tenemur etiam conformari particularibus motivis. Subsumo. Atqui conformari in volito materiali est conformari illi secundùm particulares rationes : ergo. 2° Volitum Dei formale non reperitur in abstracto, sed in concreto, et ut illi vel illi materiæ applicatum : ergo si teneamur conformari in volito formali, etiam et in materiali. — Resp. : Nego conseq. Ad primam probationem, dist. maj. : Motivum formale voluntatis divinæ est ratio universalis in attingendo et causando, concedo maj. ; in essendo et prædicando, nego maj., et distinctâ min. ad sensum maj. nego conseq. Est ergo motivum divinæ voluntatis ratio universalissima non in prædicando, quasi genus aut species prædicabilis de suis inferioribus, sed est universalissima quatenùs spectat bonum universi et bonum infinitum : modus autem agendi secundùm illam rationem universalissimam est specialis et distinctus à modo agendi creaturarum secundùm rationes particulares. Imò, in

hoc quòd iste modus infinitus causandi sit secundùm rationes universalissimas, sequitur quòd non tenear conformari volito materiali, excepto præcepto; quia tanta est universalitas illa dispositionis divinæ, ut etiam complectatur motivum meæ voluntatis, et velit Deus secundùm has rationes universales quòd ea quæ vel non præcipit vel mihi sunt nociva aut ad me non pertinent, non tenear velle secundùm rationes particulares; unde dùm sic eas nolo, licet à Deo volitas secundùm rationes universales, indirectè conformor voluntati divinæ, ut jam notavi.

Ad secundam probationem respondet Joannes à S. Th. non repugnare quod voluntas aliquid in abstracto consideret, et sub abstractâ et inadæquatâ consideratione illud velit, quia voluntas potest velle aliquid in universali et in abstracto, saltem amore simplicis complacentiæ; sed, hâc responsione in suâ probabilitate relictâ, — resp. cum auctore : Dist. cons. : Ergo tenemur conformari volito materiali secundùm se et absolutè, nego cons.; reduplicativè ut subest formali, seu, ut loquitur auctor, secundùm quod consideratur sub ordine ad finem divinæ voluntatis, concedo conseq., quia iste ordo semper debet nobis placere, et hoc est conformari in volito formali. Nostra autem conclusio intelligenda est de volito materiali secundùm se et attentis rationibus particularibus. Sic Christus mortem quam secundùm se et secundùm rationes temporales nolebat, eamdem volebat prout stabat sub ordine divinæ providentiæ. (Q. 23 de Verit. a. 8, o.)

Obj. 3° : In oratione Dominicâ petimus ut *fiat voluntas Dei, sicut in cœlo et in terrâ :* atqui in cœlo beati conformantur divinæ voluntati, etiam in volito materiali : ergo. — Resp. : Dist. maj. : Petimus ut fiat voluntas Dei sicut in cœlo et in terrâ, quantùm ad ea quæ præcipit, concedo; quantùm ad omnia volita materialia non præcepta, subdistinguo. Si secundùm se considerentur, nego; si considerentur prout subsunt divinæ providentiæ et ejus fini universali, concedo. (2-2, q. 82, a. 9, ad. 1, et in Catenâ aur. in hæc verba.) Petimus ergo in oratione Dominicâ gratiam adimplendi omnia Dei præcepta sicut adimplentur in cœlo, non autem ut conformentur nostræ voluntates divinæ in omni volito materiali; id namque nec debemus nec quandoque possumus, nisi ista volita materialia considerentur formaliter ut substant fini universali divinæ providentiæ, quod est conformari in volito formali. (Q. 23 de Verit., cit.) Quòd beati conformentur volito materiali, ideò est quia sunt in statu perfecto in quo, cognitâ Dei voluntate, non operantur ampliùs secundùm rationes particulares et temporales, sed solùm secundùm rationes æternas et superiores, atque ex eodem motivo quo Deus vult, quia fixè et immobiliter adhærent Dei voluntati quoad omnia, etiam complacendo in aliorum damnatione, juxta illud Psal. 57 : *Lætabitur justus cùm viderit vindictam.* Id autem non competit nobis viatoribus qui debemus attendere ad rationes particulares et temporales, secundùm quas nobis est licitum et quandoque debitum velle oppositum voliti materialis, ut in permissione peccati aut mali proximi cui Deus vult nos benè velle et benè facere.

Inst. 1°. Omnis Dei voluntas sive præceptiva, sive non, sive in volito formali, sive in materiali, est justissima, imò et regula nostræ voluntatis : unde S. Aug. super Psal. 35 : *Voluntas tua,* inquit, *corrigenda est ad voluntatem Dei, non illa curvanda est ad te, et rectum habebis cor.* Ergo tenemur illi conformari in omni volito etiam materiali non præcepto.—Resp. ad ant. 1° nos non teneri velle omne quod justum est nisi sit præceptum, alioquin teneremur ad omnia consilia. 2° Contingit quòd id quod justum est respectu Dei ut universalis provisoris secundùm rationes superiores et universales agentis, sit injustum respectu hominis, qui, cùm non sit provisor universalis, sed agens particulare, debet attendere ad rationes particulares sibi proprias. Id patet in permissione peccati aut damnatione hominum quam Deus secundùm superiores causas justissimè vult, quam tamen homo non debet nec potest velle. Ad id quod additur voluntatem Dei esse regulam voluntatis nostræ; est equidem, at non semper obligans, sed aliquando oppositum permittens, imò ad oppositum secundùm rationes particulares obligans. Si dicas quòd ipsum volitum divinum, ut primum in tali genere, sit regula et mensura cæterorum, respondeo primum volitum à Deo, quod est regula cæterorum, esse volitum ejus formale, scilicet finem voluntatis ejus qui est sua bonitas. Unde, cùm voluntas nostra divinæ voluntati in fine conformatur, ad primum volitum omnia nostra volita regulantur. Ad S. Augustinum, respondeo ipsum loqui de eo qui curvat ad se voluntatem divinam præceptivam; si enim non sit præceptiva, non obliquatur cor nostrum nolendo quod vult. (Q. 23 de Verit. cit. ad 3, secundo loco.)

Inst. 2°: Lex amicitiæ exigit inter amicos concordiam voluntatum, quòdque habeant idem velle et idem nolle : unde 1 Reg. Deus increpat Samuelem quòd lugeret Saülem reprobatum : *Usquequò,* inquit, *tu luges Saül, cùm ego projecerim eum ne regnet?* Ergo.—Resp. quòd amicitia consistat in concordiâ voluntatum magis quoad finem quàm quoad ipsa volita materialia : plus enim esset amicus febricitanti medicus qui ei vinum negaret propter desiderium sanitatis, quàm si vellet ejus desiderio satisfacere de vini potatione in periculum sanitatis. (Ibid. ad 1.)

Addit Joannes à S. Th., et post ipsum Gonet., non eodem modo loquendum esse de legibus amicitiæ cum Deo et cum hominibus, nam voluntas Dei est universalissima et complectitur omnia : unde non solùm vult aliquid fieri, sed etiam vult aliquid illi rei contrariari et in oppositum tentari; vult enim multa non pertinere ad nos, nec circa illa nos obligari ad velle vel nolle. Unde implet leges amicitiæ cum Deo qui aliquando conatur in oppositum, secluso præcepto, nam id totum complectitur voluntas talis amici.

Ad id quod additur de Samuele lugente Saül, respondeo Samuelem non reprehendi quasi peccaverit, sed instrui Saülem esse absolutè rejectum, ideòque cessandum à luctu inutili.

## Appendix.

Petes 1° utrùm, quamvis non teneamur conformari voluntati divinæ in volito materiali, non sit saltem melius et laudabilius illi conformari? — Resp. Melius et laudabilius est conformari volito materiali, quando est nobis liberum illud velle vel nolle; secus si non sit nobis liberum nec licitum istud velle. Secunda pars patet ex terminis. Probatur prima pars. 1° Quia si mihi sit licitum hoc volitum materiale velle ex particularibus motivis, puta, aliquam humiliationem aut afflictionem temporalem, eò melius erit quò meliùs motivum adjunxero : atqui voluntatem Dei impleri per se loquendo est melius motivum, modò non interveniat impedimentum quo mihi id non maneat licitum : ergo ex tali motivo conformari volito materiali est melius et laudabilius. 2° Quia tunc voluntas humana magis subjicitur voluntati Dei, cùm tunc illi magis conformetur.

Petes 2° in quibus casibus nobis licitum sit aut illicitum velle vel nolle volitum Dei materiale?—Resp. id esse nobis illicitum in duplici casu : 1° quando objectum non est positivè volitum, sed permissum tantùm, ut peccatum; 2° quando præceptum est de opposito illius quod Deus vult secundùm rationes superiores, ut dùm vult damnationem meam aut alterius, aliudve quod vergat in damnum spirituale meum aut proximi, item quod nocet temporaliter proximo aut interdùm mihi; quia ex præcepto charitatis teneor velle mihi et proximo bonum spirituale, item proximo regulariter bonum temporale, aut saltem indemnitatem à damno temporali; respectu verò mei quandoque teneor, ut si bonum meum temporale sit alteri, v. g. familiæ necessarium; quandoque non teneor, ut si bonum meum temporale me solum afficiat. Extra autem hunc duplicem casum, liberum est nobis velle volitum Dei materiale, ideòque ejus voluntati in eo conformari melius est et laudabilius; et ita communiter se gerunt viri perfecti in laboribus, ærumnis et afflictionibus hujus vitæ, dicendo : Fiat voluntas Dei.

Petes 3° utrùm in volitis materialibus quibus non tenemur conformari, qualia sunt omnia in quibus non intervenit præceptum, possimus conari contra? — Resp. Si res sit facta irrevocabiliter, quamvis non teneamur illi complacere, imò possimus de eo dolere et optare ut non sit si fieri posset; stultum tamen foret conari contra, et ideò injuriosum Deo quia esset velle eum mutabilem.

Si verò res non sit facta, sed tamen certò futura, et hoc scitur vel ex revelatione, vel aliunde, resp. subdistinctione. Non licet conari ut non fiat quatenùs est formaliter volita efficaciter à Deo : quia 1° hoc esset frustraneum; voluntati enim ejus absolutæ quis resistit? 2° esset impium velle voluntatem Dei reddere inefficacem, nec velle illi et hujus potestati subjici. Licet autem conari contra illam materialiter consideratam et prout pendet à causis particularibus : 1° quia sic non frustrabitur divina voluntas; 2° quia non tenemur cedere causis particularibus, nec Deus id magis jubet quàm jubeat conformari ipsi volito materiali. 3° Patet exemplis; sic Deus multis sanctis revelavit mortem eorum, qui tamen adhibuerunt et adhibere tenebantur medicamina contra infirmitatem. Sic Christus revelavit Petro trinam negationem, qui tamen debebat conari ne peccaret. Sic Christus ipse noverat mortem suam proximè futuram, et tamen rogavit Patrem ut transiret ab eo hora.

## ARTICULUS VIII.

*Utrùm actus exterior addat bonitatem vel malitiam actui interiori?*

Non quærimus utrùm actus exterior sit bonus vel malus; ita esse pro certo supponimus. Hoc ipso enim quo est voluntarius, conformis vel difformis rationi, habet totum quod requiritur ut sit bonus vel malus. Insuper de actibus exterioribus sunt octo præcepta Decalogi. Sed quærimus utrùm actus exterior sit bonus vel malus bonitate vel malitiâ formali distinctâ à bonitate vel malitiâ actûs interioris quam ei superaddat? Et est quæstio de actu exteriori ut est mera executio interioris. Si enim actui exteriori esset accidentaliter et ab extrinseco annexa aliqua bonitas, v. g. specialis gratia susceptioni exteriori sacramentorum, aut gratia indulgentiæ eleemosynæ seu orationi exteriori, certum est quòd actus exterior hanc bonitatem accidentalem adderet actui interiori. Item, si ad executionem actûs exterioris necesse sit actum interiorem intendi vel multiplicari, ut sæpè contingit, etiam constat actum exteriorem addere bonitatem vel malitiam interiori, hoc tamen non per se et ratione suî, sed occasionaliter tantùm, quia occasione actûs exterioris intenditur aut multiplicatur actus interior.

Sit ergo casus : Petrus vult efficaciter facere eleemosynam, illam de facto facit : quæritur utrùm ista exterior erogatio eleemosynæ, ut est præcisè executio interioris hujus perfectæ voluntatis, illi addat aliquam bonitatem, et Petrum reddat meliorem, ita quòd, si Petrus invitus impediretur ab erogatione eleemosynæ, puta, quia fur aufert paratos nummos, non esset æquè bonus coràm Deo, et non tantùm mereretur ac si de facto dedisset eleemosynam? Pone exemplum à contrario de actu malo, v. g. furto. Pro cujus resolutione, dico : Actus exterior, ut est præcisè executio actûs interioris, illi non addit bonitatem aut malitiam simpliciter in ordine ad præmium aut pœnam essentialem, sed tantùm secundùm quid in ordine ad præmium vel pœnam accidentalem : unde non reddit operantem meliorem aut pejorem simpliciter, sed secundùm quid tantum. Est quoad utramque partem in terminis S. Th. locis cit. præsertim in 2, et q. de Malo cit. omnium Thomistarum et communiùs extraneorum contra Scotistas, qui tamen non videntur admodùm à nobis dissidere; admittunt enim conclusionem iisdem fermè terminis. In quo autem dissentiant patebit ex sol. obj. (Hic, q. 20, a. 4, o in 2, d. 40, q. 1, a. 3 et q. 2 de Malo, a. 2 ad 8.) Probatur prima pars ex S. Scripturis et SS. Patribus, apud quos

perfecta voluntas non minùs laudatur aut redarguitur, remuneratur aut punitur, ac si opere fuisset completa. Sic Genes. 22, Deus dixit Abraham : *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi* : et tamen non opere sed voluntate tantùm mactaverat filium. Matth. 5 : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Quæ verba expendens S. Bernard., Epist. 77 : *Quid planius*, inquit, *quàm quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?* S. Aug., de lib. Arb., c. 3 : *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge alienâ, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Chrysost., hom. 26 in Matth. : *Sola voluntas est quæ remuneratur, sive bona in bonis, sive mala in malis; opera autem sunt testimonia voluntatis.* Probatur 2° ratione : actus exterior vel consideratur ut objectum interioris, vel ut ejus effectus seu executio : atqui neutro modo addit interiori bonitatem vel malitiam distinctam : ergo. Probatur prima pars min.; si actus exterior consideretur ut objectum interioris, tota bonitas vel malitia quæ est in illo objectivè transfunditur in actum formaliter, ita ut objectum nihil habeat objectivè quod non sit in actu formaliter : ergo actus exterior ut objectum non habet aliquam bonitatem vel malitiam distinctam quam superaddat bonitati vel malitiæ actûs interioris, cùm sit utrumque eadem, cum hâc differentiâ quòd sit objectivè in actu exteriori ut in objecto et motivo voluntatis, et in actu interiori formaliter ut in subjecto. Probatur secunda pars min. de quâ est præsertim difficultas. Actus exterior, ut effectus et executio interioris præcisè, nullam habet bonitatem vel malitiam moralem intrinsecam, sed est bonus vel malus denominativè extrinsecè tantùm à bonitate vel malitiâ actûs interioris : ergo non addit interiori ullam bonitatem vel malitiam distinctam. Probatur ant. 1° verbis formalissimis D. Th. hìc, a. 3 ad 3 : *Sicut*, inquit, *à sano quod est in animali derivatur sanum ad medicinam et urinam; hoc modo à bonitate voluntatis derivatur bonitas actûs exterioris* : ergo, sicut sanitas est in medicinâ et urinâ denominativè extrinsecè tantùm, ita bonitas vel malitia moralis in actu exteriori. Probatur idem ant. 2° ratione peremptoriâ : libertas est fundamentum moralitatis, ideòque bonitas vel malitia moralis intrinseca ibi solùm esse potest ubi est libertas intrinseca : atqui in actu exteriori potentiæ executivæ non est libertas intrinseca, hæc enim in solâ voluntate intrinsecè subjicitur : ergo.

Confirmatur : Si actus exterior aliquid addat interiori, vel illud superadditum est volitum ab actu interiori sicut ab exteriori est exercitum, vel non : si non sit volitum, non est bonum aut malum morale, et sic nihil addit bonitatis aut malitiæ : si sit volitum, hoc ipso præhabetur in actu interiori voluntatis, in quâ est fundamentum totius moralitatis. Ergo. Probatur 3° aliâ ratione : Si positio actûs exterioris adderet interiori bonitatem vel malitiam distinctam, cius omissio vel defectus detraheret eidem interiori bonitatem vel malitiam, nempe quam adderet positio actûs exterioris : atqui in hypothesi conclusionis omissio seu defectus actûs exterioris nihil potest detrahere de bonitate vel malitiâ interioris : ergo. Probatur min. : in nostrâ hypothesi omissio seu defectus actûs exterioris est involuntarius, loquimur enim in casu quo voluntas sit efficaciter, quantum est ex se, ad executionem disposita, ita ut non exequatur quia non potest : atqui sicut involuntarium non facit bonum aut malum morale, ita non tollit aliquid de bonitate aut malitiâ morali : ergo. (Hic, q. 20, a. 4, o.) Et hinc, probatur 4° ab inconvenienti : Si actus exterior addat bonitatem vel malitiam distinctam actui interiori, sequitur quòd quis possit alterum invitum privare bonitate morali, consequenter præmio essentiali ipsi bonitati correspondente. Potest enim quis alterum invitum impedire ab actu exteriori, ut si fur volenti facere eleemosynam, auferat paratas pecunias, aut si euntem ad ecclesiam vi detineat : atqui falsum consequens, alioquin bonum virtutis, dona gratiæ et gloriæ subjacerent morositati fortunæ et hominum violentiæ, non secùs ac ipsa bona exteriora, quod est maximum inconveniens et absurdum : ergo.

Si opponas non esse inconveniens quòd inviti per accidens et indirectè perdamus bonitatem moralem et meritum, quatenùs auferuntur nobis occasiones exequendi illud bonum et meritum, contra recurrit ratio Auctoris : Quod à nobis invitis tollitur, etiamsi per accidens, involuntarium est; meritum autem vel demeritum involuntarium esse non potest; unde dicebat S. Lucia : *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Fatemur equidem posse nobis invitis tolli plures occasiones meriti, non tamen istâ ablatione aufertur meritum, sed quia non datâ occasione merendi sæpè deest voluntas merendi; quot sunt enim qui non cogitâssent subire martyrium, aut non cogitarent facere eleemosynam, si occasio defuisset aut deesset! vel quia ablationi occasionis merendi postea voluntariè consentimus.

Repones : Qui invitus impeditur à martyrio sibi instanti, perdit meritum aureolæ et ipsam aureolam. —Resp. non perdere meritum essentiale nec præmium essentiale, sed extensionem duntaxat meriti et præmium accidentale huic extensioni debitum, in quo non est inconveniens, ut magis patebit ex secundâ parte conclusionis : unde prob. secunda pars conclusionis : Actus interior comparatur ad exteriorem tanquàm tendentia et motus ad terminum et finem : atqui omnis tendentia et motus perficitur et consummatur in hoc quòd consequatur finem et attingat terminum; unde non est perfecta voluntas, nisi sit talis quæ opportunitate datâ operetur : ergo actus exterior addit interiori bonitatem vel malitiam non simpliciter, seu distinctam à bonitate vel malitiâ interioris, sed secundùm quid; id est, eâmdem extensam et consummatam, seu ejusdem extensionem et consummationem. (Ibid.)

Ex quo sequitur quòd faciat agentem meliorem non simpliciter, sed secundùm quid, et quòd sit in ordine

ad pœnam aut præmium non essentiale, sed accidentale : quia præmium essentiale est de Deo possidendo per visionem et amorem, quod respondet quantitati bonæ voluntatis seu charitatis : præmium accidentale est gaudium de bono creato, et respondet speciei actûs secundùm quod habet quamdam bonitatem ex objecto et circumstantiis, quæ ideò dicitur objectiva et non formalis; unde qui non solùm vult dare eleemosynam, sed dat, gaudebit non solùm quia dare voluit, sed quia dedit, et de omnibus bonis quæ ex illâ elargitione provenerunt. Idem, proportione servatâ, dicendum de pœnâ essentiali quæ est privatio Dei et respondet quantitati malæ voluntatis, et de accidentali quæ est de malo creato et respondet malitiæ ex objecto et circumstantiis : atqui in hypothesi conclusionis est æquè perfecta voluntas, sive ponatur, sive non ponatur actus exterior; et si ponatur, fit tantùm extensio interioris voluntatis ad bonitatem vel malitiam objectivam ponendam in re, in cujus positione perficitur et consummatur : ergo (q. 2 de Malo, a. 2, ad 8).

Confirmatur : In communi sensu theologorum post S. Th., qui voluntate tantùm sunt martyres, licet æquale præmium essentiale mereantur, non tamen merentur præmium accidentale, quod dicitur aureola quam obtinent ii qui reipsà pro Christo sanguinem fundunt. Ergo.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : S. Aug., lib. 13 de Trinit., c. 5, dicit : *Malâ voluntate quisque miser efficitur, sed miserior potestate quâ desiderium malæ voluntatis impletur :* atqui non efficeretur miserior, si actus exterior non adderet malæ voluntati novam et distinctam malitiam : ergo. — Resp. nego min. : Pluribus enim aliis titulis actus exterior malus efficit operantem miseriorem. 1° Quia in eo perficitur et consummatur mala voluntas, unde operans per illum fit extensivè et secundùm quid miserior, non tamen simpliciter et multiplicativè, quia non multiplicatur malitia, sed est eadem perfecta et consummata, ut fert secunda pars conclusionis. 2° Quia in actu exteriori sæpè intenditur aut innovatur mala voluntas. 3° Quia ex actu exteriori sequuntur varia incommoda à quibus eximitur solus actus interior : nam ex actu exteriori hebetantur sensus, generantur mali habitus quibus homo fit pronior ad peccandum, oriuntur scandala, inducitur obligatio restituendi, incurruntur censuræ; quæ omnia non sequuntur ex actu interiori.

Obj. 2° : Si fit eadem utriusque actûs interni et externi malitia, sufficiebat ut uno et eodem præcepto prohiberentur : atqui prohibentur distinctis præceptis; sic his verbis : *Non furtum facies,* prohibetur furtum exterius; his autem : *Non concupisces rem proximi tui,* prohibetur voluntas furandi; similiter de adulterio et concupiscentiâ uxoris alienæ : ergo.—Resp. nego maj., et assigno rationem distinctorum præceptorum. Inprimis non satis erat prohibere voluntatem peccandi sed debebat prohiberi peccatum exterius, quia est reverà malum et peccatum consummatum, quale non est sola voluntas, estque obnoxium variis augmentis et effectibus quæ in solâ ejus voluntate non habentur, ut jam dictum est. Non satis etiam erat prohibere actum externum in materiâ furti et luxuriæ, sed debebat distinctè prohiberi intentio, quia cùm concupiscentia rei et uxoris alienæ sit pro hoc statu maximè connaturalis homini, periculum erat, si solum opus externum prohiberetur, ne rudes et inculti, quales erant Judæi et quales sunt etiam nunc plurimi, hanc concupiscentiam ut malam non apprehenderent, sicut quidam hæretici narrantur reipsà sustinuisse, eumque errorem apud Judæos viguisse contra verba legis, innuunt hæc Christi verba Matth. 5 : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Ex hàc et præcedenti responsione sponte fluit solutio sequentis instantiæ quam præcipuè urgent adversarii : itaque,

Inst. Saltem si actus exterior non addit interiori novam et distinctam malitiam, sequitur quòd non tenea-mur illum accusare in confessione, sed sufficiat dicere nos habuisse intentionem efficacem perpetrandi crimen; tunc enim juxta nos tota malitia quoad speciem et numerum exprimitur : atqui consequens est falsum et contra constantem Ecclesiæ praxim : ergo. —Resp. nego sequelam quam non satis probat ratio instantiæ, ut patet ex rationibus sequentibus. Tenemur itaque actum externum confiteri, 1° quia, licet sit tantùm denominativè extrinsecè malus à malitiâ interioris voluntatis, in eo tamen perficitur et consummatur interior malitia; tenemur autem præcepto confessionis accusare non solùm distinctam malitiam, sed eamdem perfectam, extensam et consummatam : seu, ut alii dicunt, tenemur accusare actum malum, sive intrinsecè sive denominativè extrinsecè sit malus; ab hoc enim abstrahit præceptum Christi de confessione, quippe quod, juxta communem Ecclesiæ sensum intellectum, jubet confiteri omnem actum malum quovis modo sit malus. 2° Tenemur confiteri actum exteriorem, quia in actu exteriori regulariter intenditur et multiplicatur mala voluntas (hìc a. 4, o), quatenùs plures actus exteriores, in quantum sunt delectabiles aut pœnosi, nacti sunt voluntatem intendere aut remittere et etiam multiplicare, quatenùs quis vult aliquid mali et tamen non facit, postmodùm autem vult et facit. Id notent confessarii, et meminerint, dùm pœnitentes de actu exteriori se accusant, eos interrogare quoties ante actum perpetratum ejus intentionem iteraverint, id enim plerùmque omittunt minus instructi. 3° Tenemur accusare actum exteriorem, quia est certum et evidens indicium voluntatis efficacis, quæ aliter vix certò dignosci potest; multoties enim in hoc decipimur, et arbitramur habere voluntatem efficacem alicujus rei bonæ vel malæ faciendæ, cùm non nisi velleitatem habemus. 4° Tandem tenemur confiteri actum exteriorem sive propter damna alteri illata, sive propter majorem adhæsionem peccato difficilioremque medelam : confessarius enim non solum est judex, sed etiam medicus.

Obj. 3° : Meliùs facit et plus meretur 1° qui subit

reipsà martyrium quàm qui æquà voluntate desiderat et non subit : primus enim meretur aureolam quam alter non meretur. 2° Meliùs facit qui dat eleemosynam, jejunat, aut aliter corpus affligit, quàm qui hæc non facit, quamvis habeat voluntatem quantùm ex se efficacem hæc faciendi ; quia primus plus satisfacit. 3° Meliùs facit et plus meretur qui exteriùs frequentat sacramenta quàm qui habet tantùm voluntatem frequentandi, primus enim recipit gratiam sacramenti quam non recipit secundus. Item, qui jejunat aut dat eleemosynam lucratur indulgentias, quas non lucratur qui tantùm habet voluntatem, etsi ex se efficacem, ista faciendi. 4° Christus plus nobis meruit suâ morte quàm solâ voluntate moriendi. 5° David agit gratias Deo quòd homicidium animo conceptum non compleverit. Ergo. — Resp. his ut plurimum haberi solutionem ex dictis. Unde ad primum, qui subit martyrium plus meretur in ordine ad præmium accidentale quod respondet extensioni actûs interioris et difficultati quæ occurrit in ejus executione, ut dicit secunda pars conclusionis, non verò quoad præmium essentiale. Ad secundum similiter ; qui jejunat aut aliter corpus macerat, licet plus satisfaciat, non tamen plus meretur in ordine ad præmium essentiale ; quia meritum attenditur penès affectum charitatis seu bonæ voluntatis, satisfactio autem ulteriùs attenditur penès pœnalitatem quæ est in actu exteriori. Ad tertium : casus est extra hypothesim ; hypothesis enim est de actu exteriore prout est præcisè executio interioris, non secundùm quòd illi annectitur ab extrinseco quædam gratia aut privilegium, ut dictum est in prænotaminibus. Quod autem exteriori susceptioni sacramentorum seu alteri operi externo annectatur gratia seu indulgentia, hoc habet ex dispositione Christi, vel summi pontificis, non ex hoc quòd sit præcisè interioris executio. Ad quartum : voluntas moriendi in Christo, sicut et quilibet ejus actus interior, fuit sufficientis valoris, utpote infiniti, ad redemptionem nostram ; nihilominùs verum est quòd plus nobis contulerit reipsâ moriendo quàm per voluntatem solam moriendi, non quòd voluntas moriendi sine opere externo esset minùs bona quàm cum illo, sed quia divinâ ordinatione dispositum erat ut sola mors esset pretium redemptionis nostræ. Ad quintum : qui malam voluntatem opere non complevit, jure ideò gratias agit Deo propter scilicet easdem rationes propter quas qui complevit debet confiteri, et insuper quia opus externum pœnâ accidentali punitur non solùm ab hominibus sed etiam à Deo, sicut bonum opus externum præmio accidentali remuneratur, ut dictum est.

Obj. 4° : Ideò actus interior est bonus vel malus, non quia est internus, sed quia liberè ponitur : atqui actus externus etiam liberè ponitur : ergo. Hanc rationem vocat fundamentalem P. Henno. — Resp. dist. min. : Actus externus liberè ponitur libertate ipsi extrinsecâ, concedo ; libertate ipsi intrinsecâ, nego. Solutio patet ex primâ ratione conclusionis.

Inst. P. Lector : Libertas est etiam extrinseca actui interno : ergo. Probatur ant. : libertas non est in actu voluntatis, sed in ipsâ voluntate : ergo. — Resp. : Nego ant. : Ad probat. : dist. ant. : libertas potentialis et in actu primo non est in actu voluntatis, concedo ; libertas actualis et in actu secundo, nego.

Obj. 5° cum eodem ex Scoto. Ubi est diversa convenientia aut disconvenientia cum ratione, ibi est diversa bonitas aut malitia ; sed in actu exteriori informato ab interiori est alia convenientia aut disconvenientia cum rectâ ratione, quàm sit in actu interiori : ergo. Probatur min. : per largitionem eleemosynæ juvatur proximus, per furtum læditur, per desiderium autem illorum nec juvatur nec læditur ; sed illud quod de facto juvat aut lædit proximum videtur habere aliam convenientiam aut disconvenientiam ad rectam rationem, quàm illud quod non juvat aut lædit : ergo. Resp. : Dist. maj. : Ubi est diversa convenientia aut disconvenientia voluntaria et formalis cum rectâ ratione, ibi est diversa bonitas vel malitia, concedo maj. ; ubi est diversa convenientia vel disconvenientia objectiva tantùm, subd. ; est diversa bonitas vel malitia objectiva, concedo ; formalis nego. Ad cujus sensum, distinctâ min., nego conseq. Itaque per largitionem eleemosynæ juvatur proximus, per furtum læditur, quod non contingit per simplex desiderium ; sed istud juvamen et istud damnum non habent convenientiam aut disconvenientiam, bonitatem vel malitiam moralem, formalem et imputabilem, nisi quatenùs sunt voluntaria et libera : consequenter tota eorum bonitas vel malitia præhabetur in voluntate à quâ dependent, in ipsis autem est tantùm objectivè seu formaliter denominativè extrinsecè, quia eo duntaxat modo sunt voluntaria et libera. Sic, si amens daret eleemosynam aut furtum faceret, juvaret aut læderet proximum, et tamen istud juvamen aut istud damnum non haberent bonitatem aut malitiam formalem, sed objectivam tantùm, quia non essent voluntaria libera.

Instat P. Scotista : Actus exterior actualiter juvat aut lædit proximum : ergo ejus convenientia aut disconvenientia actualis est et consequenter formalis. —Resp. simili argumento : Actus exterior stulti dantis eleemosynam aut furantis, actualiter juvat aut lædit proximum : ergo ejus convenientia vel disconvenientia actualis est et consequenter formalis : ergo stultus meretur et demeretur, est dignus laude vel vituperio, præmio vel supplicio ; quod est absurdum. Malè ergo arguens confundit disconvenientiam aut convenientiam actualem cum formali. Potest enim esse actualis et non formalis, sed objectiva tantùm, ut in actu exteriori amentis ; potest esse actualis formalis denominativè extrinsecè tantùm, ut in actu exteriori agentis liberè ; at non est formalis intrinsecè, nisi in actu interiori voluntatis, in quo solo est intrinseca libertas. Unde neganda est ultima consequentia argumenti.

Obj. 6° cum eodem ex D. Th., qui, in 2, d. 40, q. 1, a. 3, dicit : *Actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale :* sed nihil meretur præmium etiam accidentale, nisi quod bonum est et laudabile. Ergo actus exterior habet suam bonitatem et laudabilitatem ; et

ideò immediatè ante dixerat S. Th. : *Ad præmium autem accidentale ordinatur per bonitatem quæ est ipsius actus exterioris secundùm se.* — Resp. Dist. min. : Nihil meretur præmium accidentale, nisi quod bonum est et laudabile objectivè, concedo; formaliter, subd. : Formaliter denominativè extrinsecè, concedo; formaliter intrinsecè, nego. Sæpè enim præmium accidentale correspondet actui exteriori secundùm bonitatem objectivam, prout procedit à liberâ voluntate, et in eo voluntas perficitur et consummatur. Et hunc esse S. Th. sensum patet legenti textum : *Dicendum*, inquit S. doct. *quòd actus exterior et actus interior hoc modo cõmparantur ad invicem quòd uterque quodam modo est alteri bonitatis causâ... Et quia actus exterior comparatur ad voluntatem sicut objectum, inde est quòd hanc bonitatem voluntatis actus interior ab exteriori habet, non quidem ex eo secundùm quod est exercitus, sed secundùm quòd est intentus et volitus, quia secundùm quòd est exercitus sequitur actum voluntatis : sed quædam ratio bonitatis consistit in actu interioris voluntatis secundùm se, secundùm quòd voluntas est domina suorum actuum, secundùm quam bonitatem actus habet rationem meriti vel laudabilis, et hæc bonitas ex actu interiori in exteriorem procedit : loquendo igitur* (attende) *de illâ bonitate quam voluntas actui exteriori præbet, actus exterior nihil bonitatis addit, dummodò voluntas æqualiter intensa sit... Ideò actus exterior nihil adjungit ad præmium essentiale, tantùm enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantùm si faceret multos voluntate æqualiter perfectâ manente; ad præmium autem accidentale ordinatur per bonitatem quæ est ipsius actûs exterioris secundùm se, et ideò actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale.* Dixit autem superiùs bonitatem quæ est actûs exterioris secundùm se, esse bonitatem objectivam, seu, ut loquitur, bonitatem quam habet actus exterior ut *objectum voluntatis, ut intentus et volitus, non ut exercitus.*

Dicat nunc P. Henno, prout ipsi familiare est in aliis materiis sicut in præsenti, prolatis quibusdam laciniis ex D. Th. truncatis aut perperàm intellectis, *se adversari Thomistis, sed non S. Thomæ; sic sentire Thomistas, sed non sic S. Thomam; ita Thomistæ, sed non ita S. Thomas;* et similia quæ passim in eo leguntur, quasi ipse, scholæ Thomisticæ extraneus, haberet clavim doctrinæ S. Thomæ et in eâ cæcutirent omnes Thomistæ, præsertim Dominicani, qui S. doctoris opera perpetuò volvunt. Hoc dico non ad invidiam, sed ut propulsem injuriam, omnibusque semel pateat quàm falsò, quàm illiberaliter theologus Scotista Thomistas tanquàm à S. Thomâ alienos passim traducat, quod quisque facilè percipiet in omnibus capitibus in quibus hunc scriptorem impugnamus.

Inst. : S. Th. in præsenti quæst. a. 1, 2 et 3, agnoscit bonitatem vel malitiam in actibus exterioribus distinctam à bonitate vel malitiâ actûs interioris. — Resp., ut ante, S. Th. loqui de bonitate vel malitiâ objectivâ, non formali, de quâ hìc est quæstio.

Itaque, ut præoccupentur variæ instantiæ, distingue semel pro semper duplicem bonitatem vel malitiam actûs exterioris : unam quæ convenit ei ex objecto seu materiâ circa quam versatur, et dicitur objectiva; alteram quæ ei competit ut exercetur à potentiâ exequente motâ à voluntate, et dicitur formalis. Objectiva est intrinseca actui exteriori; formalis inest illi tantùm denominativè extrinsecè ab actu interiori, sicut ipsa libertas à quâ procedit. Objectiva præcedit actum internum; formalis illum sequitur. Intercedit ergo inter actum externum et internum mutua causalitas et dependentia in diverso genere, ut dixit Auctor mox citatus. Actus externus in intentione præcedit internum, eumque specificat in genere causæ motivæ et finalis; et eo sensu verum est quòd velle furari, v. g. sit malum, quia furari est malum. Actus autem interior in executione præcedit exteriorem, eumque specificat in genere causæ efficientis seu etiam formalis; et hoc sensu verum est quòd furari sit formaliter malum, quia volitio à quâ procedit est formaliter mala, seu quia velle furari est formaliter malum; est autem formaliter malum, quia est voluntarium. Et ab hâc bonitate vel malitiâ formali, non objectivâ, dicitur agens justus vel injustus, dignus laude vel vituperio, præmio vel pœnâ. Sic, dùm quis ex ignorantiâ invincibili aufert alienum, vel amens furatur, utrobîque est furtum objectivè malum, neuter tamen peccat, neuter meretur vituperium vel pœnam, quia defectu libertatis deest malitia formalis.

Obj. 7°, et simul inst. : Effectus distinguitur à causâ : atqui bonitas aut malitia actûs exterioris derivatur ab interiori ut effectus à causâ, ut dictum est : ergo. — Resp. Dist. maj. : Effectus distinguitur à causâ in univocis, concedo; in analogis, nego. Quando enim aliquid ab uno ad alterum secundùm analogiam derivatur, tunc est idem numero cum eo à quo derivatur : sic quia sanitas medicinæ et urinæ derivatur à sanitate animalis per analogiam, non est alia formaliter sanitas quàm sanitas animalis, à quâ medicina et urina denominantur extrinsecè sanæ : bonitas autem formalis actûs exterioris derivatur ab interiori per analogiam, quia eàdem bonitate quâ actus interior est bonus formaliter, actus exterior denominatur extrinsecè bonus; non enim, ut probatum est, gaudet bonitate formali intrinsecâ. (Hic, q. 20, a. 3, ad 3.)

Obj. 8° : Peccatum definitur à D. Th. q. 71, a. 4 : *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei;* et q. 72, a. 7, dividit illud in peccatum cordis, oris et operis : atqui hæc doctrina stare non potest, si actus externi non sint peccata ab internis distincta : ergo. — Resp. : Nego min. : Non enim in hâc definitione et divisione sumuntur dicta et facta, seu peccata oris et operis, pro solis actibus exterioribus quasi importantibus distinctam malitiam ab interioribus, sed pro actibus exterioribus junctis interioribus : et sensus est dari quædam peccata purè interna quæ in solâ voluntate consistunt, et in opus ad extra non prorumpunt, ut sunt malæ cogitationes; et hæc sunt peccata cordis : quædam sunt quæ ad externa verba

vel facta transeunt; et hæc, prout includunt tam actus interiores quàm exteriores, sunt peccata oris et operis.

Obj. 9° : Juxta quosdam Thomistas imò et S. Th. appetitus sensitivus ex conjunctione ad voluntatem participat aliquam libertatem : ergo eâ mediante potest participare bonitatem vel malitiam distinctam ab eâ quæ est propria voluntatis. — Resp. Quidquid sit de hâc difficultate, de quâ suo loco, quæstio præsens est de actu exteriori, qui non est capax libertatis intrinsecæ.

Inst. Saltem, secundùm nos, voluntas movendo alias potentias imprimit aliquid reale in illis : ergo aliquid bonitatis vel malitiæ. — Resp. : Nego conseq. : Quia quod imprimitur à voluntate imperante in potentias inferiores est quid physicum, dicens ordinem ad actum imperantem ut moventem, non ut regulantem ; actus enim imperans non est regula, sed regulatus : moralitas autem desumitur ex ordine ad regulam et non ad physicè movens.

Obj. 10° : Si actus exterior nihil addat bonitatis interiori, sequitur 1° superfluere exteriorem, adeòque nos nihil debere agere, sed tantùm velle : frustra enim fit per duo quod potest fieri per unum. Sequitur 2° voluntatem convertendi mille homines, aut exercendi mille actus charitatis erga proximum, esse æquè bonam et meritoriam ac foret actualis conversio mille hominum, vel actuale exercitium mille actuum charitatis : utrumque consequens est absurdum : ergo. — Resp. ad primum : Nego sequelam et ejus suppositum. Non est enim actus interior perfectus, nisi voluntas operetur exteriorem dum potest, cùm in eum tendat ut in finem et terminum. Insuper actus exterior cadit sub præcepto et confert ad præmium accidentale, generat bonos habitus, diutius bonam voluntatem fovet et sæpè intendit, ædificat proximum, bono communi conducit, etc.

Ad secundum, nego pariter sequelam. Quia conversio mille hominum, aut executio mille actuum charitatis, non est nata sequi ex uno actu interioris voluntatis, sed ex pluribus tum internis tum externis : sententia autem nostra intelligitur de actu exteriori, qui natus est sequi interiorem tanquàm mera ejus executio, habens eamdem cum ipso rationem voluntarii.

Obj. ultimò : Inter errores damnatos Abaylardi recensetur iste : *Nos vero dicimus quòd sola voluntas à Deo æternaliter remuneretur, sive ad bonum sive ad malum ; nec propter opera pejor vel melior efficitur homo, nisi fortè, dùm operatur, in aliquo ejus voluntas augetur* : atqui hæc doctrina videtur eadem prorsùs ac nostra : ergo. — Resp. : Dato hunc fuisse errorem Abaylardi, neque enim S. Bernardus neque Alphonsus à Castro eum ipsi tribuunt, sed solus Gregorius Arimin., nego min ; non enim nos dicimus Deum solam voluntatem remunerare, sed etiam opera exteriora, quatenùs tamen sunt voluntaria et participant eamdem bonitatem voluntatis à quâ procedunt, non autem quòd ei novam et distinctam bonitatem addant. Non etiam negamus hominem propter opera exteriora fieri pejorem aut meliorem, non tamen simpliciter et multiplicativè, sed secundùm quid et extensivè, quia bonitas interior extenditur ad exteriorem in quo perficitur et consummatur. Insuper, juxta Sylvium, Abaylardus sic docuit opera exteriora etiam ut procedunt à voluntate interiori esse inutilia, ut qui exteriùs posset operari, ad id non teneretur : quod est apertè erroneum, cùm et actus exteriores præcipiantur, nec sit perfecta voluntas quæ non operatur dùm potest, ut in responsione præcedenti diximus.

## ARTICULUS IX.

*Utrùm eventus sequens addat ad bonitatem vel malitiam actûs exterioris?*

Dico 1° : Eventus sequens prævisus et aliquo modo intentus, addit ad bonitatem vel malitiam actûs exterioris, sive per se sequatur, sive per accidens. ( Hìc, q. 20, a. 5. o.)

Probatur : Eò melior vel pejor est actus, quò melior vel pejor est voluntas : atqui melior vel pejor est voluntas ejus qui, prævidens et intendens multa bona vel mala ex opere suo secutura, illud facit, quàm si nihil horum prævideret et intenderet : ergo. (Ibid.)

Dices : S. Th., hìc a. cit., ut eventus sequens addat ad bonitatem vel malitiam, non requirit quòd sit intentus, sed tantùm quòd sit præcogitatus : ergo. — Resp. præcogitatum apud S. Th. idem valere ac aliquo modo volitum et intentum : dupliciter enim cogitare potest accipi : 1° prout importat tantùm actum intellectûs considerantis, sine ullo voluntatis consensu aut desiderio; 2° prout importat actum intellectûs simul cum actu voluntatis consentientis aut desiderantis, quomodò sumitur Matth. 9 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* et Genes., ultimo, cùm dicebat Joseph fratribus : *Vos cogitâstis de me malum.* Hoc autem ultimo sensu sumi hìc à S. Th. patet, ex q. 73, a. 8 ad 1, ubi se remittens ad præsentem articulum, dicit : *Sicut supra dictum est cùm de bonitate vel malitiâ exteriorum actuum ageretur, eventus sequens, si sit prævisus et intentus, addit ad bonitatem vel malitiam.* Et aliàs sequerentur varia absurda, inter ea, quòd peccata quæ Christus præviderat secutura ex suâ prædicatione, eam vitiâssent.

Dixi, *aliquo modo intentus,* quia ut effectus sequens addat ad malitiam, non est necesse quòd directè intendatur, sed sufficit quòd sit indirectè et interpretativè intentus. Tunc autem est indirectè et interpretativè intentus, quando sic prævidetur secuturus ut potuerit et debuerit impediri. Tunc autem est obligatio impediendi et cessandi ab actu ad quem sequitur, quando non subest jus seu legitima ratio illum actum ponendi. At quando adest vel abest jus seu legitima ratio non ponendi actum, non obstante malo eventu inde secuto? Hoc opus, hic labor est, nec potest una regula assignari. Ad id debet attendi an eventus sequatur ex illo actu per se, vel per accidens et interventu alterius causæ? an actus in eum malum eventum influat graviter vel leviter, remotè vel proximè? Item conferendum est malum eventûs cum bonitate actûs : major

enim ratio requiritur ut legitimè ponatur actus ex quo per se sequitur malum, quàm si per accidens et interventu alterius causæ sequatur; major, si actus proximè et graviter influat, quàm si leviter et remotè; major, si utilitas actûs non præponderet, aut saltem non æquivaleat malo eventui : quibus omnibus attentis, judicandum est moraliter utrùm sit vel non sit jus et legitima ratio ponendi actum. Pro quo consule quæ circa hanc materiam dixi dissert. 8 de Restit., a. 13, § 6, concl. 2; dissert. 8 de Temperantiâ, a. 12, et aliis locis ibidem citatis.

Cæterùm pro praxi accipe unum aut alterum casum ex quibus alios resolvas. Mulier quæ prævidet ex confessione faciendâ suo parocho ejus lapsum futurum, potest illi confiteri, si non possit commodè alteri; quia utitur jure suo, et lapsus sequens non per se sequitur ex ejus confessione, sed per accidens et interveniente alterâ causâ, scilicet malitiâ aut fragilitate confessarii. Si autem possit commodè alteri confiteri, illicitè confitetur parocho; quia, licet videatur habere jus illi confitendi, jus tamen non est cum præjudicio charitatis. Sic qui habet superfluum, si indigenti non eroget, non excusatur per hoc quòd utatur re suâ et jure suo, quia jus proprium non contradicit charitati, quæ jubet superflua erogare indigentibus. Sicut ergo iste tenetur ex charitate dare indigenti id quo ipse non indiget, ita mulier in casu tenetur quasi ex charitate erogare seu dimittere illam actionem quâ non indiget, per modum eleemosynæ, ne sequatur malum proximo; quia, licet habeat jus ad illam, hoc tamen est sine præjudicio charitatis : quod si non faciat, malum sequens est ipsi virtualiter et interpretativè voluntarium ac moraliter imputabile, eò quòd non indigens actione ex quâ videt sequi malum, dum illam vult censetur velle malum, quia potiùs tenetur velle bonum proximi quam actionem quâ modò non indiget; sicut qui non dat indigenti id quo ipse non indiget, censetur velle malum indigentis : unde illud S. Ambrosii : *Si non pavisti, occidisti;* quod intelligitur de occisione non contra justitiam, sed contra charitatem. Idem dic de muliere pulchrâ aut decenter ornatâ, quæ non tenetur se perpetuò continere domi, ne ejus aspectu peccent aspicientes, sed potest uti jure quod habet exeundi, sive ad templum, sive ad alias causas utiles aut honestas; si tamen occurrat casus particularis in quo nullatenùs indiget exire, et prævidet inde aliquem lapsurum, tenetur ex charitate dimittere hanc particularem egressionem sibi tunc omninò inutilem. Ex his alios similes casus resolve et consule quæ locis citatis dixi in diversis materiis.

Dico 2°. Eventus per se sequens ad actum, etiam si non sit prævisus nec in se volitus, addit ad bonitatem vel malitiam; quia quod per se sequitur ad actum quodam modo ad ejus speciem pertinet, et ideò est virtualiter et implicitè volitum in ipso actu. Insuper, ille actus est melior ex cujus naturâ nata sunt sequi plura bona, et ille pejor est ex cujus naturâ nata sunt sequi plura mala. Eventus autem per se sequi censetur ex actu, quando semper aut ut plurimùm accidit. Hinc scandalum ex publicâ fornicatione secutum auget ejus malitiam, quamvis fornicator de eo non cogitaverit, quia per se sequitur ex tali actu. (Ibid.)

Intellige tamen hanc conclusionem cum hâc modificatione, quòd ex eodem actu non sequatur per se æquè immediatè duplex effectus, unus bonus, alter malus, juxta aliud principium S. doctoris, 2-2, q. 64, a. 7, scilicet, quòd quando unius actûs sunt duo effectus æquè immediati, unus possit esse ex intentione, alter præter intentionem nec imputabilis, ut patet in defensione sui contra injustum invasorem, ex quâ æquè immediatè sequitur salus invasi et mors invasoris. De quo vide quæ dixi dissert. 10 de Jure et Justitiâ, a. 5, § 1, versùs finem.

Dices contra hanc secundam conclusionem : Si eventus per se sequens ex actu addat ad malitiam, sequitur quòd qui inducit mulierem ad fornicandum gravius peccet quàm qui facit homicidium : falsum consequens : ergo et ant. Probatur sequela. Mors spiritualis mulieris sequitur per se ex illâ inductione, et est gravius nocumentum quàm mors corporalis : ergo. — Resp. : Nego sequelam; ad probat. nego ant.; non enim mors spiritualis mulieris, seu ejus peccatum, sequitur per se ex inductione fornicatoris, sed ex libero consensu hujus mulieris, alliciente quidem et suadente fornicatore : mors autem corporalis sequitur per se, nullâ aliâ causâ interveniente, ex actione homicidæ.

Inst. : Mors spiritualis mulieris non minùs sequitur ex inductione sollicitantis, quàm sequatur ex fornicatione publicâ mors spiritualis eorum qui ex eâ scandalizantur : atqui hæc sequitur per se ex fornicatione publicâ : ergo. Probatur min. : Scandalum per se oritur ex fornicatione publicâ, et ideò diximus quòd addat ad malitiam; ergo etiam mors spiritualis seu peccatum scandalizatorum. — Resp. : Nego min. : Ad probat. Nego conseq., quia aliud est scandalum, aliud peccatum cui præbet occasionem. Scandalum enim est dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis seu peccati; unde fornicatio publica est per se scandalosa, sed peccatum scandalizatorum cui occasionem præbet non minùs sequitur per se ex liberâ eorum voluntate, quàm in muliere secretò inductâ.

Dico 3° : Eventus sequens per accidens ex actu, si non sit aliquo modo intentus, non addit ad bonitatem vel malitiam 1° Quia non datur judicium de re aliquâ secundùm id quod est per accidens. 2° Quia hujusmodi eventus nullo modo est voluntarius. Exemplum habes superiùs de muliere quæ ex justâ causâ procedit in publicum ex quo prævidet secuturum lapsum alicujus. (Ibid.)

# DE ULTIMO FINE.

(Divus Thomas, 1-2, à q. 1 ad 6.)

## Dissertatio prima.

DE ULTIMO FINE IN COMMUNI.

(Div. Thomas, q. 1.)

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid et quotuplex sit finis?*

Finis, relictis variis ejus acceptionibus, sumitur hic pro illâ causarum quæ allicit agens ad operandum, et definitur, *id cujus gratiâ aliquid fit*, sive, *cujus gratiâ agens operatur*. Ex quo inferes 1° quòd finis sit principium in operabilibus ab homine et omnium causarum prima; unde communiter dicitur sic se habere finem in operabilibus, sicut se habet principium in speculativis; sicut enim ex principiis movetur intellectus ad conclusiones, ita à fine movetur voluntas ad media. (Q. 1, a. 1, in arg. s. c.) Inferes 2° finem et bonum esse idem materialiter, quia voluntas non potest moveri nec allici, nisi à bono vero vel apparente, quod est ejus objectum adæquatum: differunt tamen formaliter, quia bonum dicitur prout est conveniens appetitui, finis prout movet ad media; est enim id cujus gratiâ aliquid fit (Ibid. o, a. 3, o.) Inferes 3° finem, cùm sit primus in intentione, esse ultimum in executione; unde dicitur finis, quia ut obtineatur finis in re, debent præcedere media. Inferes 4° finem non movere nec finalisare, nisi apprehensum, quia voluntas non fertur nisi in cognitum. (Ibid. a. 1, ad 1.)

*Variæ divisiones finis.*

1° Finis dividitur in finem *cujus gratiâ* et finem *cui*: finis *cujus gratiâ* est res quæ appetitur, finis *cui* est persona seu subjectum cui finis *cujus gratiâ* appetitur: sic finis *cujus gratia* in medico est sanitas, finis *cui* est æger cui appetit sanitatem. Hæc tamen divisio non est in duos fines distinctos, sed in duas res integrantes unum finem totalem; non enim finis *cujus gratiâ*, v. g., sanitas, appetitur secundùm se et in abstracto, sed ut bona ægro. (Hic q. 2, a. 7, ad 2.) 2° Finis dividitur in finem objectivum seu finem *qui*, et finem formalem seu finem *quo*. Finis objectivus, seu *qui*, est res seu objectum quod assequi cupimus; finis formalis, seu *quo*, est ejus assecutio et possessio. Sic divitiæ sunt finis objectivus avari; earum acquisitio, finis formalis. (Q. 1, a. 8, o.) Hæc divisio, ut præcedens, non est divisio in duos fines distinctos, sed in duas formalitates, seu res integrantes unum finem totalem; non enim avarus intendit divitias, nisi ut eas possideat. (Infr. q. 11, a. 3, ad 3.) 3° Dividitur finis, in finem operis et finem operantis. Finis operis est ille ad quem ex naturâ suâ tendit opus; finis operantis est quem sibi ad libitum constituit operans: v. g. in eleemosynâ, finis operis est subventio pauperis, finis operantis vel est Deus, vel vana gloria, vel fornicatio; potest etiam esse ipse finis operis, quandoque enim coincidunt. Finis operis dicitur physicus, proprius, intrinsecus et universalis: finis operantis dicitur moralis, extrinsecus et particularis. (2-2, q. 141, a. 6, o, et in 2, d. 1, q. 1, a. 1; et d. 38, q. 1, a. 5.) 4° Dividitur in finem primarium seu principalem, et secundarium seu minùs principalem. Primarius est qui per se primò intenditur, seu per se primò movet operantem; secundarius, qui non per se primò, sed secundariò et consecutivè, atque alio præsupposito movet seu intenditur; et ideò fini primario subordinatur, non ut medium, sed vel ut effectus, vel ut aliquid illi consecutivè annexum. Sic finis primarius recitationis Breviarii est cultus divinus, secundarius stipendium. (In 2 cit., a. 3, et quodl. 5, a. 19.) 5° Dividitur in finem effectum et finem obtentum. Finis effectus est qui operatione agentis fit et producitur, ut sanitas operatione medici. Finis obtentus est qui operatione agentis acquiritur sed non producitur, ut præmium certaminis. Non differunt isti duo fines in ratione causandi, uterque enim causat prout est in intentione; sed in ratione essendi, quia unus existit ante operationem et dicitur antecedens, alter post operationem et dicitur consequens. (In 2 cit., a. 3, et quodl. 5, a. 19.) 6° Tandem dividitur in finem ultimum et non ultimum. Finis ultimus est qui nullius alterius gratiâ appetitur, sed ejus gratiâ cætera appetuntur, vel qui sic appetitur gratiâ suî, ut in nullum alium referatur. Finis non ultimus, seu intermedius, est qui ratione suî quidem appetitur, cum relatione tamen et dependentiâ ab ulteriori fine.

Auctor tribus primis articulis hujus quæstionis agit de fine simpliciter; in sequentibus, de ultimo fine ut sic. Circa hanc ultimam divisionem in finem ultimum et non ultimum, seu intermedium, est difficultas.

*Utrum finis intermedius verè et propriè habeat rationem finis?*

*Resp.* affirmativè. Ita communiter contra Vasques.

*Probatur.* Non solùm mediis, sed et finibus convenit subordinari aliis perfectioribus, et tamen ratione et gratiâ suî appeti: ergo eis convenit ratio finis, non ultimi, cùm finis subordinatus alteri fini non possit esse ultimus in eâ serie; ergo intermedii. *Prob. ant.*: Sunt certa media quæ non appetuntur ut merè et præcisè

utilia, dantia simpliciter transitum ad finem, sed ut importantia in se bonitatem appetibilem et sufficientem terminare aliquem motum in illo genere, quamvis subordinatè et dependenter ab ulteriori bonitate : v. g., appetitur cibus sapidus propter sanitatem, sanitas propter exercitium virtutis, virtus propter Deum; cibus sapidus, sanitas, virtus in eâ serie habent in se bonitatem sufficientem ratione cujus appetuntur, non sic tamen quin et ipsa eorum bonitas ulteriori bono subordinetur, nam ipse sapor cibi conducit ad sanitatem, bonitas sanitatis ad virtutem, honestas virtutis ad Deum. Ergo.

*Confirmatur* exemplo causarum efficientium et principiorum in speculativis, quæ se habent ut fines in moralibus. In causis efficientibus, licet detur prima causa efficiens ex cujus subordinatione aliæ causæ secundæ et intermediæ operantur, nihilominùs istæ causæ secundæ verè et propriè causant in genere causæ efficientis. Item in speculativis, ratio formalis principii non salvatur tantùm in primis et universalissimis principiis, sed etiam in intermediis ex quibus immediatè deducuntur conclusiones. Ergo similiter ratio finis non salvatur solùm in ultimo fine, sed etiam in finibus intermediis; ita ut sicut principia intermedia habent duplicem respectum, unum ad conclusiones quæ ex ipsis inferuntur, sub quo habent rationem principii; alterum ad prima principia ex quibus derivantur, sub quo habent rationem conclusionis : ita fines intermedii habent duplicem respectum, unum ad finem ultimum ad quem conducunt, et sic habent rationem medii; alterum ad anteriora media quæ ad illos ordinantur, et respectu illorum habent rationem finis, in quantum talia media appetuntur propter ipsos.

*Dices :* Quod appetitur ut utile tantùm, non potest appeti propter se; quia utile, ut tale, non est bonum nisi prout conducit ad alterum, adeòque non habet bonitatem absolutam, sed tantùm relatam et ex participatione finis, alioquin non appeteretur ut utile tantùm, sed ut, vel honestum, vel delectabile secundùm se : atqui id quod dicitur finis intermedius in tali serie appetitur tantùm ut utilis ulteriori fini assequendo : ergo.

*Resp.* : *Dist. maj.* : Quod appetitur ut utile bonitate tantùm relatâ et ex solâ participatione finis, non potest appeti propter se, *concedo maj.;* quod appetitur ut utile bonitate absolutâ, subordinatâ tamen, non potest appeti propter se, *Nego maj.:* Ad cujus sensum *distinctâ min., nego conseq.* Dupliciter itaque dicitur utile, uno modo bonitate purè relatâ et ex solâ præcisè participatione, ut medicina amara; alio modo bonitate non purè relatâ, sed cum fundamento bonitatis alicujus absolutæ, subordinatæ tamen fini ulteriori et ut talis deservientis ejus assecutioni, ut medicina sapida.

Repones : Medium utile quod appetitur propter bonitatem absolutam in se, erit quidem finis, sed ultimus in aliâ serie, quod non negat Vasques; at nullatenùs erit finis in eâ serie in quâ est medium utile.— Resp. Dist. ant. : Si appetatur propter bonitatem absolutam non subordinatam, concedo; subordinatam, nego. Igitur intra eamdem lineam et seriem appetibilium, medium utile bonitate absolutâ subordinatâ utrumque habet, et quod sit medium et quod sit finis, sub diverso tamen respectu : appetitur enim ut medium, quatenùs conducit ad assecutionem finis; appetitur ut finis, quatenùs est appetibilis in se, subordinatè tamen ad majus bonum : et hoc totum habet in eâ serie in quâ subordinatum est, atque una ex his formalitatibus juvat et conducit ad alteram; id enim quod est aliàs in se appetibile, faciliùs et congruentiùs acceptatur ut medium, et hoc quod est esse medium conducens ad finem, etiam juvat ut res aliàs appetibilis magis appetatur.

## ARTICULUS II.

### *Utrùm homo omnibus suis actionibus agat propter finem?*

Nota. Actiones quæ ab homine procedunt sunt duplicis generis : aliæ dicuntur hominis, aliæ humanæ. Illæ actiones propriè dicuntur humanæ, quæ procedunt ab homine in quantum homo est, hoc est, in quantum differt ab irrationalibus creaturis, non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum operandi; differt autem homo ab aliis creaturis irrationalibus quoad modum operandi, in hoc quòd agat liberè, et ita sit suorum actuum dominus ut eos pro libitu ponat vel non ponat : unde illæ sol. actiones dicuntur propriè humanæ quæ ex voluntate deliberatâ procedunt. Actiones autem quæ ab homine quidem procedunt, sed non ex deliberatâ voluntate, sunt actiones hominis; et quamvis quædam possint dici humanæ quoad substantiam, non tamen quoad modum, nec propriè secundùm theologiam moralem, quæ considerat hominem ut est agens morale, ejusque actiones ut sunt dignæ laude vel vituperio, atque habent rationem meriti vel demeriti. Omnes itaque actus humani sunt actus hominis, sed non è contra. (Hic, q. 1 c., a. 1, o.) Hic inferes 1° motus tam intellectûs quàm voluntatis indeliberatos, ut sunt motus primoprimi, esse quidem actus hominis, aut etiam humanos impropriè et quoad substantiam, sed non quoad modum, nec propriè; similiter actus ridendi, flendi, admirandi, loquendi, prævenientes deliberationem rationis; item actus puerorum et amentium, cùm non sint ex perfectâ deliberatione; non enim preces aut suasiones quibus interdùm erga pueros et amentes utimur, eò tendunt ut unum præ alio eligant, sed ut quod eis proponimus appareat illis sine ullo malo aut incommodo, sicque necessariò in illud ferantur. Inferes 2° è contra actus comedendi, bibendi, ambulandi, aliosve actus imperatos, dum fiunt ex deliberatâ voluntate, quamvis sint homini et brutis communes quoad substantiam, esse tamen propriè et quoad modum humanos, non prout egrediuntur à suis potentiis, sed prout subjacent rationis deliberationi et imperio. 3° Tandem inferes amorem beatificum non esse propriè actum humanum, quia non est ex liberâ voluntate, ut dicemus dissert. seq. Neque refert quòd sit bonus bonitate morali; id quidem ve-

rum est de bonitate objectivâ, quia fertur in objectum consonum regulis morum, non tamen bonitate exercitii, quia necessarius est ideòque non meritorius. His notatis,

Dico : Homo in omnibus suis actibus humanis agit propter finem. Ibid.

Probatur 1° : Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur à principio illius generis ; seu, ut aliter dicitur, quod est primum in aliquo genere est causa cæterorum ejusdem generis ; est, inquam, causa in eodem genere causæ in quo est primum, ita ut si sit primum in genere causæ efficientis, sit prima causa efficiens cæterorum ; si sit primum in genere causæ finalis, omnia dependeant ab illo ut à causâ finali ; et sic de aliis generibus causarum. Atqui finis est principium seu primum in operabilibus, sicut principium in speculabilibus. Ergo omnia operabilia ab homine, seu omnes actus humani, pendent et derivantur à fine, consequenter fiunt propter finem ; causalitas enim finis est ut aliquid fiat propter ipsum. (Ibid. in arg. s. c.) Probatur 2° : Omnes actiones quæ procedunt ab aliquâ potentiâ, causantur ab eâ, secundùm rationem sui objecti ; hoc est, nulla actio procedens ab aliquâ potentiâ potest ferri extra objectum adæquatum hujus potentiæ : sic nulla est cognitio nisi circa verum, quod est objectum adæquatum potentiæ cognoscitivæ ; nulla volitio nisi circa bonum, quod est objectum adæquatum potentiæ volitivæ ; et sic de cæteris. Atqui objectum adæquatum voluntatis est finis et bonum : voluntas enim ferri non potest in bonum, nisi ab illo sibi proposito alliciatur ; bonum autem alliciens est finis. Ergo. (Ibid. o.) Si dicas media etiam allicere voluntatem, si quidem in ea feratur ; resp. ista media, vel esse fines intermedios, et sic ratione suî, ut fines, alliciunt voluntatem, ut dictum est ; vel esse pura media, sic autem alliciunt, non ratione suî, sed ratione finis propter quem appetuntur. Et sic semper verum est quòd objectum adæquatum voluntatis sit finis et bonum. Probatur 3° discurrendo per omnes actus voluntatis, et simul præoccupantur præcipuæ objectiones. Inter actus voluntatis quidam versantur circa finem in ordine intentionis, ut simplex volitio et intentio finis ; quidam versantur circa media, ut consensus, electio et usus ; quidam iterùm circa finem in ordine executionis, ut finis possessio seu fruitio, et delectatio seu gaudium ; tandem sunt quidam actus imperati à voluntate, scilicet usus passivus aliarum potentiarum.

De actibus qui versantur circa media, non est difficultas ; cùm enim voluntas in ea feratur ad consequendum finem, planum est hujusmodi actus esse propter finem.

Quantum ad primam, volitionem finis, licet non sit ex præcedente amore finis, cùm ipsa sit prima ejus volitio seu primus amor, causatur tamen à fine : ergo est propter finem. Probatur ant. : Causalitas finis non solùm in hoc consistit quòd moveat et alliciat voluntatem ad media ex amore suî, sed etiam quòd moveat voluntatem ad suî ipsius amorem et desiderium propter intrinsecam suam bonitatem ; sicut principia non solùm nos movent ad assensum conclusionis, sed etiam ad assensum suî propter intrinsecam suam veritatem. Ergo prima volitio seu primus amor finis, causatur à fine. De intentione efficaci finis præsupponente primam volitionem, non est difficultas, ut patet.

Dices : Finis non causat nisi in intentione : ergo ut causet, supponit intentionem seu primam suî volitionem ; ergo prima ejus volitio non est ejus effectus. Item prima volitio finis non procedit ex deliberatione prævîâ, cùm sit unde incipit deliberatio : ergo non est formaliter propter finem. — Resp. has instantias laborare in æquivoco : unde ad primam : Cùm dicitur finem causare quatenùs est in intentione, non intelligitur de intentione specialiter sumptâ pro actu voluntatis qui versatur circa finem in ordine intentionis, sed de intentione generaliter sumptâ pro statu quem res habet in intellectu seu apprehensione et non à parte rei ; unde sensus est quòd finis causet prout est apprehensus, et secundùm esse intentionale quod habet in intellectu. Ad secundam resp. primam volitionem finis non esse ex deliberatione formali et propriè dictâ, qualis est quæ versatur circa electionem mediorum, sed esse ex deliberatione virtuali, scilicet ex prævîâ cognitione discernente inter bonum et malum.

Quantum ad possessionem seu fruitionem, et delectationem inde secutam, est dubium. Quidam Thomistæ probabiliter tenent saltem delectationem esse propter finem, tum quia sicut finis absens causat suî desiderium, sic præsens causat suî delectationem ; tum quia delectatio habet causam efficientem, scilicet voluntatem : ergo debet habere finalem ; omne enim agens agit propter finem.

Alii Thomistæ, ut minùs æquè probabiliter tenent fruitionem et delectationem non esse propter finem, 1° quia tota causalitas finis in hoc sita est quòd moveat et excitet voluntatem ad suî amorem, et ex amore ad media pro illo adipiscendo, quo adepto quiescit voluntas et cessant actus humani in ordine ad finem acquirendum ; 2° quia possessio seu fruitio est finis *quo*, delectatio naturaliter sequens ad possessionem est ipsius complementum : unde nec possessio, nec delectatio ponunt in numero cum ipso fine, sed ex fine *qui* et fine *quo* atque ejus complemento integratur unus finis totalis et completus ; finis autem non est propter finem. Et ita videtur sentire S. Th. q. seq., a. 6, ad 1, ubi docet delectationem non esse propter aliud, tanquàm propter causam finalem, sed tanquàm propter formalem seu objectum ; nec loquitur, ut volunt alii, de delectatione objectivâ, sed formali, cùm loquatur de eâ ut est quietatio appetitûs in bono possesso. Juxta hanc secundam sententiam dicendum est delectationem non esse rigorosè actum humanum, sed metam et complementum actuum humanorum, quod propriè non efficitur per veram actionem, sed connaturaliter resultat ex fine adepto ; nostramque et Auctoris conclusionem esse intelligendam de actibus humanis qui non sunt ipse finis nec ejus complementum. Quantùm ad actus aliarum potentiarum imperatos à voluntate quà tales, manifestum est quòd sint

propter finem, cùm voluntas eos imperet ex amore finis, nempe ut per eos tanquàm per media finem assequatur.

Ex his benè intellectis, habes omnes fermè objectiones aut solutas aut præoccupatas.

Petes utrùm actiones hominis indeliberatæ et necessariæ quæ non sunt actus humani, non sint etiam propter finem?—Resp esse propter finem, vel imaginatum ut dùm quis subitò movet manum aut pedem; vel naturaliter desideratum, ut dùm quis sine attentione fricat barbam ad sedandum pruritum : non autem esse propter finem à ratione præstitutum, et ad quem se moveat homo ex proprio judicio et deliberatione. Et quia auctor agit hìc de actibus in ordine morali, quales sunt soli actus deliberati et propriè humani, de illis solis quæstionem propositam resolvit, solosque actus propriè humanos dixit esse propter finem. (Ibid. ad 3.)

## ARTICULUS III.

*Utrùm sit proprium creaturæ rationalis agere propter finem.*

Resolvimus art. præcedenti hominem agere propter finem; quærimus in præsenti, utrùm id ipsi soli sit proprium, ita ut aliis agentibus non competat? Pro quo nota unumquodque eo modo agere propter finem quo modo eum cognoscit, quia finis non causat nisi ut apprehensus. Dupliciter autem potest cognosci finis, materialiter et formaliter. Cognoscere finem materialiter tantùm est cognoscere bonitatem finis, ut quid conveniens et appetibile, ibi sistendo. Cognoscere finem formaliter est cognoscere non solùm bonitatem finis ut convenientem, sed etiam cognoscere proportionem finis ad appetentem et ad media, et è converso proportionem mediorum et appetentis ad finem, finem esse dignum quòd talis illum prosequatur et talia media ponantur, vicissim talia media esse congrua et proportionata huic fini. Quæ igitur cognoscunt finem formaliter, agunt propter illum formaliter et ut se moventia ad illum; quæ illum cognoscunt tantùm materialiter, agunt propter illum materialiter tantùm et ut mota ab alio. Hoc notato,

Dico 1° : Omnia agentia agunt aliquo sensu propter finem. (Ibid. a. 2, o.) Probatur : Inter causas ad invicem ordinatas, hæc est subordinatio, ut si prima subtrahatur, necesse sit alias subtrahi : atqui prima inter omnes causas est finalis : ergo si subtrahatur, nullæ causæ causabunt; ergo omnis causa agit aliquo sensu ex causalitate finis seu propter finem. Prob. min.; materia non consequitur formam nisi secundùm quod movetur ab agente, nihil enim se reducit de potentiâ ad actum : atqui agens non movet nisi ex intentione finis; si enim agens non intenderet aliquem finem, seu si non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis hoc ageret quàm illud : ergo prima inter omnes causas est finalis. (Ibid.)

Dico 2° : Proprium est naturæ rationali agere propter finem formaliter et movendo se; brutorum autem, agere materialiter et ut ab alio mota. (Ibid.) Probatur : Ille dicitur agere propter finem formaliter et movendo se, qui apprehendit finem cum proportione illius ad media et mediorum ad finem, atque ex illâ apprehensione et judicio rationis se liberè movet ad finem, ut patet ex prænotamine : atqui id est proprium naturæ rationalis et non brutorum : ergo. Prob. min, tum quia illa proportio inter finem et media est aliquid intelligibile et non sensibile; tum quia sola natura rationalis habet dominium super suos actus per liberum arbitrium, quo liberè se moveat ad finem. Ergo. (Ibid.)

Multa opponi possunt de brutis quæ videntur agere propter finem formaliter : v. g. canis appetit cibum et propter illum rumpit vincula; hirundo appetit nidum, et propter illum colligit paleas : sed hæc propriè pertinent ad physicos et solvuntur ex dictis, dicendo scilicet bruta non apprehendere, nec appetere finem et media formaliter, sed materialiter tantùm sub ratione boni convenientis, quatenùs ex fine et mediis integratur unum objectum totale sui appetitûs:sic,v.g., hirundo non fertur ad nidum formaliter ut finem, nec ad paleas formaliter ut ad medium et ex desiderio nidi, sed naturali instinctu fertur eodem modo ad utrumque tanquàm ad bonum conveniens. Est autem instinctus naturalis vehemens quædam motio à naturâ seu naturæ Auctore brutis impressa ad prosequendum bonum sibi conveniens.

Petes 1° : An etiam Deus agat propter finem? — Resp : Effectus seu opera Dei ad extra sunt propter finem; agit enim Deus illa per providentiam et ex intentione, non casu et fortuito : ergo propter finem; qui finis est ipse Deus, juxta illud Proverb. XVI : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Ipsæ autem operationes Dei, sive necessariæ et immanentes, sive liberæ et virtualiter transeuntes, non sunt propter finem, sunt enim ipse Deus : unde cùm dicitur Deum agere propter finem, hoc debet intelligi ex parte operis, non ex parte operationis, quod Auctor expressit his verbis : *In Deo velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea quæ sunt ad finem ordinari in finem* : *vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* (1. p, q. 19, a. 5.)

Petes 2° : Utrùm actus humani specificentur à fine? —Resp. affirmativè, quia actus humanus est quidam motus; motus autem distinguitur per actionem et passionem : actus enim humanus fit secundùm quòd homo se movet, et est actio; et secundùm quòd movetur, et est passio. Actiones autem sortiuntur speciem à principio, passiones à termino : atqui finis, ut est in intentione, est principium actuum humanorum; ut est in executione, est terminus illorum. Ergo actus humanus, sive consideretur ut actio, sive ut passio, specificatur à fine. Sed de hoc infra. (Hìc q. 1, a. 3, o.)

## ARTICULUS IV.

*Utrùm idem homo possit appetere simul duos fines ultimos totales et adæquatos?*

Finis ultimus potest dupliciter considerari : 1° for-

maliter et in abstracto, sub ratione communi beatitudinis ut sic, quodcumque illud sit; 2° materialiter, pro re illâ particulari in quâ quis existimat consistere suam beatitudinem, quamque ideò sibi constituit finem ultimum. Quæstio præsentis articuli non procedit de ultimo fine formali et in abstracto, quia cùm abstractum ut abstractum sit unum, evidens est quòd ultimus finis sic sumptus non possit concipi nisi per modum unius, sed de ultimo fine materiali, seu, si vis, de ipso ultimo fine formali, sed in particulari et in concreto, an scilicet ipsa formalitas finis ultimi sit una, an multiplex in diversis rebus quæ appetuntur ut ultimi fines. Pro quo dico : Impossibile est quòd idem homo simul appetat diversa tanquàm plures ultimos fines totales et adæquatos. (Hìc a. 5, o.) Probatur 1° : Finis ultimus totalis et adæquatus in quo quiescit homo, totaliter dominatur voluntati hominis, quia ex eo totius vitæ suæ regulas sumit : unde de gulosis Apost. dicit, Philipp. 3 : *Quorum deus venter est*, quia scilicet constituunt ultimum finem in deliciis ventris. Atqui implicat quòd sint duo vel plures supremi totaliter dominantes voluntati et quibus voluntas totaliter serviat et subjiciatur; amor enim unius non subjiceretur amori alterius, alioquin non esset supremus dominans : unde dixit Christus, Matth. 6 : *Neque potest duobus dominis servire*, scilicet ad invicem non ordinatis. Ergo. (Ibid., in arg. s. c.) Probatur 2°. Id quod appetitur ut ultimus finis, debet appeti ut bonum perfectum plenè completivum et satiativum appetitûs hominis, non quidem hoc sensu quòd sit omne bonum et se solo det appetitui quidquid appetere potest; qui enim ponit ultimum finem in venere, v. g., per illum non habet quidquid illi opus est, et potest appetere in cibo, potu, honore, divitiis, etc., quin potius contrarium accidit; sed hoc sensu quòd sit ultimum ad quod terminantur omnia desideria appetentis, ita ut alia quæ desiderat illi subordinentur, sitque sic completè satiativum, non ut solo dans omnia, sed ut terminans omnia et nihil extra ipsum appetendum relinquens quòd non appetatur propter ipsum, alioquin non appeteretur ut ultimum : atqui implicat dari duo sic plenè satiativa appetitûs : ergo. Prob. min. : Si essent duo plenè et ultimò satiativa appetitûs sensu dicto, essent plenè satiativa et non essent; essent ut supponitur, et non essent, quia extra quodlibet restaret aliquid appetendum quòd non ipsi subordinaretur, scilicet alterum ex his duobus : ergo. (Ibid. o.)

Si dicas quòd restaret unum appetendum, non necessariò, sed ex abundanti et superfluo (licet enim natura superfluum abhorreat, voluntas tamen sæpè excedit et multiplicat entia sine necessitate), resp. quòd id quod appetitur ut superabundans et superfluum, non possit appeti ut ultimus finis; quia quod appetitur ut ultimus finis, appetitur ut principale objectum appetentis unde cætera pendent : ergo non potest appeti ut minùs necessarium et superfluum. Confirmatur utraque probatio. Quilibet ex illis finibus esset ultimus ut supponitur, et non esset. Probatur : Finis ultimus est qui ad nullum alium refertur et ad quem omnia referuntur; est enim id quod propter se appetitur, et cætera propter ipsum : atqui non omnia ad illum referrentur, scilicet ille alter qui etiam supponitur ultimus, alioquin hoc ipso desineret esse ultimus : ergo.

Duas alias rationes reconditiores profert Auctor, quæ in ipso videri possunt cum interpretibus; eas omittimus quia præcedentes sufficiunt.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Peccans mortaliter constituit ultimum finem in creaturâ : atqui potest simul plura peccata disparata committere, v. g. furtum, homicidium, etc. : ergo. Confirmatur : Gentiles plures deos colebant : ergo plures fines ultimos habebant.

Resp. : Peccantem mortaliter suum finem ultimum constituere in creaturâ communiter tenent theologi cum S. Th.; at quomodò id fiat et quæ sit illa creatura in quâ constituit suum finem ultimum, non levis est difficultas, quam pleniùs ventilabimus dùm de peccatis. Interim sunt duo communiores dicendi modi apud Thomistas : quidam dicunt finem ultimum peccantis mortaliter esse ipsum peccantem, non secundùm se, sed ut instructum bonis quæ inordinatè appetit; v. g., finis avari est ipse avarus, non secundùm se sumptus, sed ut dives, seu ut possidens divitias. Alii dicunt esse bonum proprium et privatum peccantis inordinatè amatum usque ad contemptum Dei; et hic dicendi modus non multùm differt à primo : quovis autem modo dicatur, patet in multis etiam disparatis peccatis, esse unum finem ultimum. Sed et dato peccantem mortaliter constituere in objecto cujuslibet peccati finem ultimum, tunc dicendum quòd quilibet foret ultimus partialiter, non totaliter, quatenùs illa plura acciperentur in ratione unius boni perfecti ex his partialiter constituti. (Ibid. ad 1.)

Obj. 2° : Justus peccans venialiter habet simul duos fines ultimos, nempe Deum quia justus est, et creaturam quia peccat : omne enim agens agit propter ultimum finem, ultimus autem finis peccati venialis non est Deus : ergo creatura. Idem argumentum, servatâ proportione, fit de infideli aut peccatore bonum opus morale, puta eleemosynam, faciente, quatenùs infidelis aut peccator habet pro fine ultimo creaturam, non verò quatenùs facit bonum opus morale; alioquin omnia opera infidelium essent peccata, quod est damnatum in Baio.

Et hæc est altera gravis difficultas, cui respondent quidam ex nostris, justum peccantem venialiter habere creaturam pro ultimo fine inefficaciter; quia existimant non repugnare duos fines ultimos simul intendi, si unus intendatur inefficaciter, alter efficaciter : sicut, inquiunt, non pugnant inter se volitio efficax et nolitio inefficax ejusdem objecti, neque duæ formæ contrariæ in eodem subjecto in gradibus remissis. Verùm ista solutio, quamvis aliunde probabilis, difficilè videtur posse conciliari cum principiis D. Th. modò positis : nam vel ille finis inefficaciter volitus subordinatur fini efficaciter volito, et tunc non erit finis ultimus, sed intermedius; vel ipsi non subordi-

natur, et tunc finis efficaciter volitus non erit ultimus et totalis : quia de ratione finis ultimi, ut diximus, est totaliter dominari voluntati et omnes alios fines sibi subjicere, utpote ad quem omnia referuntur : in casu autem non sibi subjiceret omnia, scilicet illum finem inefficaciter volitum.

Alii respondent justum peccantem venialiter habere Deum pro ultimo fine positivè, negativè autem creaturam, putantque non implicare eumdem hominem habere duos fines ultimos, unum positivè, alterum negativè ; finem autem ultimum negativè dicunt qui non refertur ad alium, sed ad quem cætera non referuntur. Verùm ista responsio eodem pede claudicat ac præcedens : nam implicat pariter dari duos ultimos fines, unum positivè, alterum negativè : quia de ratione ultimi finis est, ut diximus, non solùm quòd ad nullum alium referatur, sed etiam quòd omnia ad ipsum referantur ; omnia autem in casu non referrentur ad finem ultimum positivè, nempe ipse finis ultimus negativè. His itaque responsionibus omissis, — resp. tam justum peccantem venialiter, quàm infidelem aut peccatorem bonum opus morale agentem, habere pro fine ultimo bonum in communi satiativum appetitûs ; nec enim est necesse operantem in omni suo opere habere finem ultimum materialiter et in particulari, sed sufficit si habeat finem ultimum formaliter et in communi sub ratione beatitudinis, ut dicam iterùm art. seq. ubi redibit præsens difficultas.

Obj. 3° : Potest quis constituere suum ultimum finem in duabus rebus disjunctivè, veluti si sic desideraret honorem et divitias, ut alterutro adepto proponeret nihil ultra desiderare : ergo potest habere, etc. — Resp. : Nego ant. : Quia vel in utroque casu apprehenderet unam et eamdem rationem satiativam appetitûs, vel diversas. Si primum, erit tantùm unus finis formalis ex pluribus materialibus integratus. Si secundum, neutrum erit finis ultimus, quia neutrum erit bonum perfectum et plenè satiativum propter quod omnia appetuntur, non enim illud alterum propter istud appeteretur.

Obj. 4° : Fieri potest saltem per Dei omnipotentiam ut unus effectus procedat à duabus causis totalibus non subordinatis : ergo etiam à duplici fine ultimo totali. — Resp. Dato antecedente, nego conseq. Quia finis ultimus non debet comparari cum quâlibet causâ efficiente etiam totali, sed cum primâ, quia finis ultimus est primùm in genere appetibilium ; repugnat autem per Deum esse plures causas primas efficientes.

## ARTICULUS V.

### *Utrùm omnia quæ deliberatè vult homo, velit propter ultimum finem?*

Nota quòd homo possit intelligi quadrupliciter actiones suas referre in finem seu agere propter finem : 1° actualiter formaliter, 2° virtualiter, 3° interpretativè, 4° habitualiter. De actuali formali intentione non est difficultas, ipsa se prodit ex terminis, et est quando quis actuali et expressâ volitione finem cognitum intendit.

Virtualis intentio potest fieri dupliciter : 1° quando quis vi intentionis præteritæ, non retractatæ, operatur et media eligit, licet actu de fine non cogitet ; ut dùm medicus colligit herbas ex priori intentione medicinæ aut sanitatis, de quâ non cogitat.

Si petas quid sit illa virtus primæ intentionis, — resp. quòd sit determinatio quædam relicta ex primâ intentione. Illa autem determinatio est aliquod dictamen ortum ex primo ; unum enim oritur ex alio.

Si iterùm petas quamdiù duret illa virtus seu virtualis intentio, — resp. probabilius per se durare donec per contrariam intentionem amoveatur : quia non videtur aliud assignabile per quod destruatur. Non solus non usus, etiam longi temporis decursu ; cùm enim sit quid spirituale, non pendet à tempore : non cessatio ipsius primæ intentionis, non enim pendet ab ejus continuatione : aliàs cessante actuali cogitatione aut recordatione ipsius primæ intentionis, cessaret statim virtualis illa intentio, quod nemo admittit et cujus contrarium patet ipsâ experientiâ. Sic in illo qui intendit ire Romam, non oportet quòd singulis passibus Romæ recordetur, et tamen vi intentionis perveniendi Romam iter prosequitur. Ergo restat quòd solâ intentione contrariâ per se desinat et destruatur. Per accidens tamen ex non usu per longum tempus potest destrui, quia cùm ipsa instabilitas mentis nostræ in tam varias intentiones præceps ruat, ut experientiâ constat, ex ipso longo non usu, datur locus ut aliæ contrariæ intentiones insurgant et primam destruant, ut docet S. Th. de habitibus, infra q. 53, a. 3. Sed quidquid sit et quamvis duret ista virtualis intentio, non est tamen necesse quòd influat in omnia opera deliberata, vel quia fortè non sunt in suum finem referibilia, ut patet in justo peccante venialiter, vel quia fiunt ex motivo contrario huic intentioni, ut in infideli faciente eleemosynam ex motivo honestatis misericordiæ, non cogitando de idolo ; sicut, v. g., quamvis intentio eundi Romam virtualiter permaneat in eo qui in hunc finem aggressus est viam, si tamen aliquando curiositatis causâ deflectat à viâ, non est ex influxu hujus intentionis virtualiter permanentis, sed præter illam. Tunc autem dignoscitur in praxi hanc virtualem intentionem influere in opus, quando quis suî compos et moraliter agens nihil quidem de priori intentione actu cogitat, sed est in eâ mentis dispositione ut reflectens supra se, vel interrogatus quid aut quare agat, statim allegaret suam priorem intentionem et responderet : Hoc facio propter hoc. 2° Modo habetur virtualis intentio finis, quando quis facit aliquid ex naturâ suâ ordinatum et tendens ad aliquem finem, ut minùs perfectum ad suam perfectionem, sive ut participationem et inchoationem boni ad suum complementum et consummationem, sive finem cognoscat, sive non, nisi fortè violenter et contra naturam sui operis illud detorqueat in alium finem ; quia, inquit Auctor, semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his quæ fiunt per naturam quàm in his quæ fiunt per artem. Sic natura formans embrionem virtualiter intendit hominem ; sic inferior artifex con-

struens ex mandato superioris artificis opus juxta regulas suæ artis inferioris, virtualiter intendit artificis superioris finem, quem fortè ignorat; sic qui jacit fundamenta domûs intendit in eis domum; qui projicit semen in terram, intendit fructum, quem fortè non novit. Ex quo principio probat S. doctor quòd cùm omnis inchoatio perfectionis ordinetur in perfectionem consummatam quæ est per ultimum finem, quilibet deliberatè agens intendat ultimum finem, si non explicitè in se, saltem implicitè in suî inchoatione. Quidam vocant hanc secundam intentionem virtualem, *interpretativam*, sed impropriè; datur enim altera strictè et propriè interpretativa, quæ sequitur: meliùs ergo hæc secunda intentio virtualis dicenda est *virtualis implicita*; prima autem, quæ est ex vi prioris intentionis explicitæ, dicitur *virtualis explicita*. (Hic, a. 6. o.)

Interpretativa intentio prout distinguitur à virtuali secundo modo, dicitur non quæ sit aut fuerit de facto, sed quæ præbet fundamentum existimandi quod foret, si de fine cogitaretur, quatenùs scilicet, ex dispositone et modo operandi subjecti, judicatur et præsumitur aliquem sic voliturum, si adverteret, vel casus occurreret: v. g. qui dat eleemosynam pauperi quem sub veste peregrinâ credit extraneum, et tamen est propinquus, dicitur interpretativè voluisse dare propinquo, quia præsumitur quòd libentiùs dedisset propinquo si cognovisset.

Habitualis intentio, seu relatio, dicit puram concomitantiam habitûs alicujus cum actu, absque ullo influxu, sive actuali, sive virtuali, in actum; ut si justus dormiens recitaret preces, aut suî potens peccaret venialiter. Dicitur ista referre habitualiter in Deum, propter concomitantiam habitûs charitatis. Unde differt, ut patet, habitualis intentio ab actuali et virtuali. Differt etiam ab interpretativâ: quia habitus, præcisè ut informans potentiam, est tantùm inclinatio in actu primo et quoad specificationem actûs solùm, indigens intentione et dictamine ut in actum exeat, et de se compatitur intentionem et dictamen in oppositum, ut patet in justo peccante venialiter: unde præcisè ut talis non inducit præsumptionem quòd agens tale quid vel tali intentione ageret, nisi aliundè in acquisitione hujusmodi habitûs per actus ex primâ intentione elicitos, remaneat aliqua virtus seu determinatio vi cujus agat; sed tunc reincidit cum virtuali primo modo, et non est purè habitualis.

His paululùm immorari libuit, quia per totam fermè theologiam currunt: sint ergo dicta semel pro semper et firmiter memoriâ teneantur.

Dico: Quæcumque homo vult deliberatè, vult actu vel virtute propter ultimum finem. (Hic, a. 6, o.)

Probatur 1°: Quidquid appetit homo, appetit sub ratione boni: ergo quæcumque vult deliberatè, ea vult actu vel virtute propter ultimum finem. Prob. conseq. Illud quod appetit sub ratione boni, vel appetit ut summum et perfectum plenè satiativum, et sic est ultimus finis, vel appetit ut minùs perfectum tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummâtionem ipsius, et ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est ultimus finis. Ergo. Vide prænotamina. (Ibid.)

Probatur 2°: Sic se habet ultimus finis in movendo appetitum, sicut prima causa efficiens in movendo alias causas secundas ad agendum: atqui causæ secundæ non movent nisi moveantur à primâ: ergo fines secundarii seu secunda appetibilia non movent appetitum nisi dependenter à primo appetibili, quod est ultimus finis. (Ibid.)

Neque dici potest quòd in omni actu appetitur finis ultimus ut ratio volendi, non ut res volita; non potest enim finis esse ratio volendi, nisi sit in se volitus, sicut lux non est ratio videndi cætera nisi in se videatur.

Sed petes quis sit iste finis ultimus quem homo intendit in omni actu deliberato, an materialis, an formalis? Resp. aliquando esse materialem et in concreto, aliquando esse formalem, nempe beatitudinem in communi: nec plus evincunt rationes D. Th. Ita Sylvius, Serra, Contenson, et alii contra Joannem à S. Th. et Gonet: eâque responsione faciliùs solventur difficultates aliundè multùm implicatæ, ut patebit ex sequent. Unde,

*Solvuntur objectiones.*

Ut itaque redeamus ad difficultates præcedentis articuli, justus peccans venialiter habet pro fine proximo creaturam, seu voluptatem aliquam particularem, infidelis seu peccator agens aliquod bonum opus morale, habet similiter pro fine proximo honestatem istius operis: uterque autem habet pro fine ultimo esse beatum, seu beatitudinem ut sic appetitûs satiativam. Et hinc solvuntur difficultates. Nam sequitur 1° peccatum veniale justi non evadere mortale, quia iste communissimus finis beatitudinis ut sic, utpote necessariò amatus et de se indifferens ut applicetur objecto honesto vel turpi, nullam tribuit actui honestatem vel malitiam. Sequitur 2° neque justum peccantem venialiter, neque infidelem aut peccatorem facientem aliquod bonum opus morale, habere duos ultimos fines totales, quia finis ille communis non ponit in numero cum particulari, scilicet Deo aut creaturâ; sed se habent ut *quo*, et ut *quod*, sicut abstractum et concretum, quæ non ponunt in numero, nec censentur absolutè plura. Sequitur 3° neque peccatorem neque infidelem peccare in suis operibus moraliter bonis, quia, ut dictum est, iste finis communis de se non tribuit bonitatem aut malitiam actui, sed est indifferens et potest determinari aliquo fine vel objecto particulari honesto, cui si nulla prava circumstantia admisceatur, actus erit moraliter bonus.

Inst.: Juxta prænotamina et rationes D. Th. infidelis aut peccator aliquod bonum opus faciens intendit virtualiter finem ultimum in particulari, nempe Deum, quia intendit aliquod bonum quod est participatio divinæ bonitatis, in quam ideò virtualiter tendi: ergo saltem ille habet duos fines ultimos.

Resp. ex prænotabilibus et rationibus D. Th. nihil aliud sequi quàm quòd Deus sit finis ultimus hujus

operis, non simpliciter et absolutè, sed ultimus secundùm quid et in eâ serie tantùm : finis autem simpliciter et absolutè ultimus est beatitudo ut sic.

Inferes : Ergo saltem creatura non remanet finis ultimus materialis hujus infidelis seu peccatoris, quia ad ipsum non refertur istud bonum opus morale; finis autem ultimus est ad quem omnia referuntur.

Resp. hoc opus bonum referri ad creaturam ut ad finem ultimum eo modo quo est finis ultimus; est autem finis ultimus respectu hujus operis habitualiter tantùm, et ita habitualiter tantùm refertur ad ipsum materialiter consideratum; referri autem habitualiter, ut diximus, nullum importat influxum, sed tantùm concomitantiam habitûs. Neque repugnat finem habitualiter ultimum permittere aut pati aliquem motum præter aut contra se; sicut, v. g., permanente habituali dispositione lapidis deorsùm potest moveri sursùm : virtualiter autem istud bonum opus refertur ad ultimum finem formalem, scilicet beatitudinem ut sic, quæ, ut dictum est, non ponit in numero cum ultimo fine materiali, sive bono sive malo.

Obj. 2° et simul instabis : Nemo potest intendere ultimum finem formalem in communi, nisi intendat aliquem ultimum finem materialem in particulari : ergo. Prob. ant. Eo modo finis intermedius dependet ab ultimo fine in movendo voluntatem, quo causæ secundæ pendent à primâ in influendo : atqui causa secunda non influit in effectum nisi dependenter à causâ primâ in singulari : ergo.

Resp. nego ant. ; ad probationem dist. maj. : Eo modo finis intermedius dependet ab ultimo fine in movendo voluntatem, quo causæ secundæ pendent à primâ in influendo, servato tamen modo efficiendi utriusque causæ, concedo maj.; non servato modo efficiendi utriusque causæ, nego maj. Porrò modus agendi causæ efficientis est per influxum physicum in effectum singularem, qui influxus non procedit à causâ in communi, sed singulari, quia actiones sunt suppositorum et existentium, subindèque singularium; modus verò agendi causæ finalis est moralis, in hoc consistens quòd mediâ suî apprehensione alliciat voluntatem. Sicut ergo intellectus potest apprehendere beatitudinem in communi, ita voluntas ad illam anhelat in omni actu : *Quoniam verum est*, inquit S. Aug. 13 de Trinit. c. 5, *quòd omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cætera quæcumque appetunt.*

Repones : Intentio est appetitus efficax finis, et illum ut futurum et obtinendum respicit : atqui appetitus efficax non potest ferri in rem communem et abstractam à subjecto, sed in rem ut in subjecto in quo reverà existere potest, vel existimatur posse existere : ergo.

Resp.: Dist. min. : Appetitus efficax non potest ferri in rem communem abstractam à subjecto, eâ parte quâ est efficax, concedo min.; eâ parte quâ est inefficax, nego min. Appetitus igitur beatitudinis ut sic, non est omninò et simpliciter efficax in nostro casu : non enim, v. g., justus peccans venialiter intendit efficiter totam suam et completam beatitudinem in hoc actu vel per hunc actum venialiter malum; sed ex naturali inclinatione quam habet ut sit beatus, fertur in hanc rem ut in quamdam participationem et derivationem totalis hujus beatitudinis quam in omni casu incessanter quærit, licet eam totam non intendat in hoc actu particulari; sed desiderio partim per illum expleto, in alia desideria erumpit, donec omninò compleantur. Unde talis intentio quâ parte est efficax, fertur in aliquam rem particularem; quâ parte autem est inefficax, in rem communem.

Obj. 3°, et simul instabis : Sæpè appetimus bona particularia absque cogitatione et appetitu ultimi finis in communi : ergo.

Resp. : Dist. ant. : Absque cogitatione et appetitu ultimi finis in communi expresso et explicito, concedo ant.; implicito et tacito, nego ant. Hoc ipso enim quòd bonum particulare explicitè appetimus tanquàm portionem et inchoationem nostræ felicitatis, virtualiter et implicitè illam appetimus; quia, juxta principium S. Th., inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem illius.

Obj. 4° : Si omnis actio esset propter finem ultimum, nullus daretur actus otiosus : falsum consequens, ergo et ant.

Resp.: Dist. maj.: Si omnis actio esset propter finem ultimum materialem et particularem honestum, nullus daretur actus otiosus, transeat maj.; si esset propter ultimum finem formalem et communem, nego maj.: quia, ut dictum est, cùm iste finis necessariò ametur, et sit indifferens ut applicetur objecto bono vel malo, nullam tribuit actibus bonitatem vel malitiam, et ideò semper actus ille est otiosus qui caret debito fide materiali. Et si dicas non esse otiosum amare beatitudinem, respondeo esse otiosum et inutile illam quærere per actus qui non habent piam utilitatem vel justam necessitatem, quæ sunt conditiones quas requirunt SS. Patres ut actus non sit otiosus. Dixi insuper, transeat maj., quia actus non solùm est otiosus ex defectu finis, sed etiam ex aliis circumstantiis, putà si quis in aliquo actu aliundè bono nimis immoretur, aliis prætermissis quibus debet intendere.

Inst. : Homo est liber circa ultimum finem formalem; ergo non amat illum necessariò; ergo potest non agere propter illum.

Resp. : Dist. ant. : Homo est liber circa ultimum finem formalem libertate contradictionis et exercitii, transeat ant.; libertate specificationis, nego ant. Dato enim quòd homò possit suspendere omnem actum circa beatitudinem in communi, supposito tamen quòd velit aliquod bonum particulare, necessariò vult in ordine ad beatitudinem saltem virtualiter et implicitè, cùm sit inchoatio et participatio illius.

Inferes : Ergo homo, dùm peccat, intendit Deum et propter illum operatur. Probatur illatio : Appetit bonum quod est participatio bonitatis divinæ, scilicet ipsius beatitudinis in communi : ergo.

Resp.: Nego illationem : ad probationem, dist. ant Appetit aliquod bonum particulare secundùm se præ-

cisè, nego; ut vestitum malitiâ morali, concedo; ut sic autem non est ordinatum et referibile ad Deum, sed ab eo aversum : unde, nego conseq.

Petes 1° : Utrùm omnes homines conveniant in ultimo fine? (Hic, a. 7, o.)

Resp. omnes homines convenire in ultimo fine formali, quia omnes appetunt suam perfectionem et benè esse : non autem conveniunt omnes in ultimo fine materiali, seu in re in quâ ratio beatitudinis invenitur; quidam enim appetunt divitias ut bonum consummatum, quidam voluptates, quidam verò quodcumque aliud, pauci Deum, qui solus est res verè beatificans.

Petes 2° : Utrùm omnes aliæ creaturæ conveniant in vero fine materiali hominis?

Resp. omnes convenire in vero fine ultimo *qui* hominis, scilicet Deo : quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Non conveniunt autem in ultimo fine *quo*, quia Deus non possidetur nisi per actus intellectûs et voluntatis, quorum aliæ creaturæ sunt expertes. (Ibid. a. 8, o.)

---

## Dissertatio secunda.

### DE BEATITUDINE.

(Divus Thomas, qq. 2, 3, 4, 5.)

Dissertatione præcedenti diximus de ultimo fine generatim, nunc dicendum de speciali ultimo fine hominis, qui est beatitudo. Definitur à Boetio, lib. 3 de Consol. : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus;* ab auctore, q. 2, a. 8, o : *Bonum perfectum totaliter quietans et satians appetitum*, scilicet rationabilem et ordinatum.

Dupliciter considerari potest, objectivè et formaliter. Beatitudo objectiva est res illa in cujus possessione appetitus quiescit. Formalis est ipsa hujus rei adeptio et possessio : sic divitiæ sunt beatitudo objectiva avari, earum possessio beatitudo formalis; eo modo quo diximus de fine *qui* et *quo*. Et ista distinctio, ut etiam ibidem diximus de fine, non est in duas beatitudines, seu duos ultimos fines, sed in duas formalitates, seu partes integrantes unam totalem beatitudinem; non enim res ipsa beare potest nisi possideatur, et possessio non est possibilis sine re possidendâ. Quærimus ergo 1° in quo consistat beatitudo objectiva hominis? 2° in quo formalis consistat? 3° quando habetur? 4° de proprietatibus ejus. Et est quæstio de beatitudine supernaturali patriæ, ad quam homo est elevatus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*In quo consistat beatitudo hominis objectiva.*

Dico : Beatitudo objectiva hominis consistit in solo bono increato, scilicet Deo (Hic, q. 2, per 8 a.).

Probatur 1° auctoritate. Psal. 15, Propheta dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ;* Psal 72 : *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram?* subdit : *Pars mea Deus in æternum;* Psal. 102 : *Qui replet in bonis desiderium tuum;* Psal. 16 : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Unde S. Aug. de Moribus Ecclesiæ c. 8 : *Bonorum summa Deus vobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum : alterum enim periculosum, alterum nullum est;* et lib. 5 Conf. c. 3 : *Infelix homo qui scit illa* (bona creata), *te autem nescit : beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat; qui verò et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.*

Probatur 2° ratione. Solum bonum increatum potest satiare appetitum hominis : ergo solum bonum increatum est beatitudo objectiva hominis (Ibid. a. 8. o.) Patet conseq. ex definitione beatitudinis; prob. ant. Solum omne et universale bonum potest satiare appetitum hominis : atqui solus Deus est omne et universale bonum : ergo min. est certa, tum ex illo Exod. 13 : *Ego ostendam omne bonum tibi*, tum quia omnia bona creata sunt participata à Deo. Prob. maj. : Objectum voluntatis est omne et universale bonum, sicut objectum intellectûs ad quem sequitur voluntas, est omne et universale verum : ergo solùm omne et universale bonum potest satiare appetitum hominis.

Dices : Ex hâc ratione sequitur quòd objectum voluntatis nostræ sit bonum universale in prædicando : Deus autem non est bonum universale in prædicando, sed in essendo. Prob. sequela : Eo modo, ex dictis, objectum voluntatis nostræ est bonum universale, sicut objectum intellectûs est verum universale : atqui objectum intellectûs est verum universale in prædicando et per abstractionem : ergo. — Resp. : nego sequelam; ad probat., dist. maj. : Objectum voluntatis nostræ est bonum universale, sicut objectum intellectûs est verum universale, ita ut sit paritas, quoad rem tantùm, concedo maj.; ita ut sit paritas quoad statum et modum rei, nego maj. Non est ergo sensus quòd sicut intellectus fertur in objectum sub statu abstractionis, ita voluntas feratur in suum objectum sub statu abstractionis. E contra in hoc differunt intellectus et voluntas, quòd intellectus feratur in res abstractas à singularibus, quia sic sunt intelligibiles; voluntas verò in res ut existentes, quia sic sunt assequibiles. Sensûs est ergo quòd sicut objectum adæquatum intellectûs non est hoc vel illud verum, sed omne omninò verum, ita objectum adæquatum voluntatis non est hoc vel illud bonum, sed omne omninò bonum. Deus autem est omne omninò bonum continens omnes bonitates creatas ut participationes suî.

Probatur 3° discurrendo per omnia bona creata. Beatitudo hominis non consistit in ullo bono creato : ergo in solo bono increato. Prob. ant. Bona creata sunt triplicis generis, scilicet bona externa seu fortunæ, bona corporis, et bona animæ : atqui nullum ex his constituere potest beatitudinem objectivam hominis (per tot. q. 2). Non bona fortunæ, quæ sunt divitiæ, honor, fama et potestas : 1° quia non permanent, sed facilè elabuntur; 2° non excludunt omnia mala, sed sunt bonis et malis communia; 3° non plenè satiant, quò enim plus abundant, eò plus desiderium incendunt, juxta illud tritum : *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ;* 4° non sufficiunt; ea enim habentibus

plura alia necessaria deesse possunt, ut sapientia, sanitas, etc.; 5° ex eis potest malum alicui provenire, ut experientiâ patet : hæc autem omnia veræ beatitudini repugnant; 6° tandem ab exterioribus causis proveniunt, beatitudo verò hominis acquiritur per principia interiora, scilicet intellectum et voluntatem. (Ibid., a. 4, o.) — Non bona corporis. Vel enim bonum corporis intelligitur conservatio in esse seu ipsum vivere, et hoc non potest esse beatitudo hominis et ultimus finis, quia homo ordinatur ad aliud tanquàm ad finem; non enim homo est summum bonum, sed est propter aliquem finem creatus : et dato quòd beatitudo consisteret in esse hominis, esse animæ est principaliùs esse corporis; esse enim hominis consistit in corpore et animâ; esse autem corporis pendet ab animâ, non esse animæ pendet à corpore. (Ibid., a. 5 et 6, o.) Insuper tam istud bonum corporis, quàm alia quæ pendent à corpore, ut sanitas, pulchritudo, robur, voluptas et alia hujusmodi, sunt instabilia, sunt bonis et malis, imò brutis communia, quin etiam bruta in horum pluribus præcellunt homini, ut cervi in velocitate, leones in robore, etc. Militant etiam aliæ rationes quas protulimus contra bona fortunæ. — Non bona animæ. 1° Non ipsa anima in se considerata : sic enim est in potentiâ, putà ad scientiam et ad virtutem; cùm autem potentia sit propter actum sicut propter complementum, impossibile est quòd id quod est secundùm se in potentiâ existens habeat rationem ultimi finis. Non alia quæ pertinent ad animam, ut sunt potentiæ, actus, vel habitus etiam virtutum; quia hæc sunt accidentia et bona finita ordinabilia ad Deum tanquàm ultimum finem : et quantùm ad virtutes, pertinent quidem ad felicitatem, sed ut via ad terminum; via autem distinguitur à termino : item felicitas est præmium virtutis; ergo virtus non est ipsa felicitas : tandem virtus non satiat appetitum, sed rectificat tantùm. (Ibid., a. 7.)

Obj. : Appetitus hominis est finitus : ergo potest satiari bono finito. — Resp. : Dist. ant. : Est finitus in essendo, concedo; in appetendo, nego. Sic enim est infinitus syncategorematicè, quia non tot appetit, quin possit plura appetere in infinitum, cùm, ut dictum est, ejus objectum sit bonum universale : unde non satiatur nisi bono infinito.

Inst. : Appetitus humanus satiatur per beatitudinem formalem finitam, nempe per visionem Dei à se elicitam, quidni per beatitudinem objectivam finitam? — Resp. disparitatem esse quòd appetitui finito in essendo repugnet actuali per formam infinitam à se elicitam, ideòque illam non appetit; non autem repugnat terminari ad objectum infinitum.

Repones : Si appetitus humanus esset infinitus in essendo, non exigeret nisi objectum infinitum : ergo cùm sit finitus in essendo, aliquid minus exigit quàm objectum infinitum, consequenter finitum. — Resp. : Dist. ant. : Si appetitus humanus esset infinitus in essendo, non exigeret nisi objectum infinitum, infinito modo attingendum, concedo ant.; finito modo attingendum, ut nunc attingit, nego ant.

Replicabis : Appetitus humanus non satiatur attingendo Deum finito modo : ergo vel non exigit bonum infinitum, vel illud attingere debet infinito modo. Prob. ant. : Homo, cognoscens Deum finito modo, appetit illum cognoscere perfectiùs et perfectiùs, consequenter infinito modo; sicut qui cognoscit objectum creatum, appetit cognoscere perfectiùs et perfectiùs in infinitum : ergo. — Resp. : Nego ant. ad probat : nego ant. ad paritatem. Disparitas est quòd cognoscere Deum infinito modo sit impossibile creaturæ; appetitus autem beati cùm sit rectus, non fertur ad impossibile : qui verò cognoscit objectum creatum imperfectum, potest appetere cognoscere perfectiùs et perfectiùs usque in infinitum, quia sic potest cognoscere.

Urgebis : In beatis, alter est altero beatior visione Dei inadæquatâ; ergo qui minùs perfectè videt Deum, non satiatur, sed desiderat videre perfectiùs. — Resp. : Nego conseq., quia cùm plus illi non debeatur, non plus appetit. Sic qui minùs famet, minùs manducat, et tamen satiatur sicut ille qui plus famet et plus manducat : sic iterùm parvus homo æquè contentus est breviori veste sicut homo grandior ampliori.

Insistes : Qui possidet Deum, adhuc alia desiderat, v. g., glorificationem corporis, salutem parentum, quasnam ulteriores cognitiones, etc. Ergo Deus non est objectum plenè satians. — Resp. : Dist. ant. : Qui possidet Deum, adhuc alia desiderat consequenda vi ipsius possessionis Dei, concedo ant.; non consequenda vi possessionis Dei, nego ant., ad cujus sensum dist. consequens : ergo Deus non est objectum plenè satians formaliter et immediatè, transeat; virtualiter seu radicaliter, nego. Vi enim possessionis Dei beatus certò habebit quæ desiderat et eo tempore pro quo desiderat : unde de sui desiderii adimpletione securus et quasi jam possidens, sine anxietate et sub beneplacito Dei quiescit; sicque verum manet Deum possessum plenè satiare appetitum, sive per se formaliter et immediatè, sive radicaliter et mediatè per suas proprietates. Imò posset etiam dici quòd formaliter et immediatè per se satiet, et ideò dixi, transeat consequens, quia cùm quæ desiderat beatus, eminentiori modo contineantur in Deo quàm sunt in se, potest dici quòd possessione Dei formaliter et immediatè omne desiderium beati sit satiatum quoad intensionem, extensivè autem duntaxat protendatur ad quasdam leves appendices ipsius beatitudinis. De hoc iterùm infra.

Utrùm Deus, ut unus, sit sufficiens objectum ad nos beatificandum, ita ut, si lateret ut trinus, subsisteret perfecta beatitudo hominis? Resolvimus alibi negativè.

## ARTICULUS II.

*In quo consistat essentialiter formalis beatitudo hominis?*

Posito quòd beatitudo objectiva hominis sit Deus, sequitur quòd beatitudo ejus formalis sit assecutio Dei. Quærimus ergo hìc per quid homo assequitur Deum, et consequenter in quo consistat essentialiter hominis beatitudo formalis. Circa hanc quæstionem

varia sunt theologorum placita. Quidam beatitudinem hominis formalem reponunt in quodam illapsu divinitatis in essentiam animæ; tribuitur Henrico Gandavensi : quidam in habitu deificante essentiam animæ et perficiente potentiam ad operationem; tribuitur S. Bonaventuræ in 4, d. 49, a. 1, q. 1, n. 5 : quidam in intellectione Dei increatâ; ita magister Bonæ Spei, et ipsum sequentes Carmelitæ calceati in Belgio : quidam in solo actu voluntatis, scilicet vel amore amicitiæ, ut vult Scotus; vel fruitione, ut volunt alii : quidam in actibus intellectûs et voluntatis simul; ita plures ex Societate : alii tandem in solo actu intellectûs; ita Thomistæ cum suo doctore, hìc q. 3. Et hæ sunt celebriores circa præsentem difficultatem sententiæ.

Supponimus hìc ex dictis in 1 p. dissert. 4 de visione Dei, intellectum creatum, adjutum lumine gloriæ, posse videre Deum, eumque de facto videre, immediatè in se, sine specie impressâ vel expressâ.

§ I. — *Tres priores sententiæ exploduntur.*

Dico 1° : Beatitudo formalis hominis non consistit essentialiter in quodam illapsu et quasi transfusione Dei in ipsam essentiam animæ, neque in habitu deificante essentiam animæ et perficiente potentiam ad operationem; sed in operatione aliquâ elicitâ. (Hìc, q. 3, a. 2, o.)

Probatur 1° auctoritate. S. Scriptura beatitudinem nobis exprimit per operationem. Matth. 5 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Et alibi. Conformiter loquuntur SS. Patres Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus et alii. Accedit definitio Benedicti XII, qui postquàm statuit animas quibus nihil deest purgandum, statim visuras divinam essentiam, eàque fruituras, subdit *quòd tali visione et fruitione... sunt verè beatæ.* Probatur 2° ratione. Deus non illabitur in essentiam animæ nisi producendo in eâ, vel esse, vel gratiam sanctificantem : atqui in hoc illapsu non consistit essentialiter beatitudo hominis, aliàs omnes creaturæ in quibus Deus producit et conservat esse, aut saltem omnes viatores justi et animæ in purgatorio, in quibus, ultra esse quod conservat, produ-ét fidem, spem, charitatem et gratiam sanctificantem, forent beatæ beatitudine essentiali : ergo. Probatur maj. : Deus non est præsens rebus nisi per operationem, ut diximus in primâ parte : atqui nihil potest operari in essentiâ animæ nisi ejus esse, vel aliquam qualitatem supernaturalem quæ non potest esse alia quàm gratia sanctificans; hæc enim sola residet in essentiâ animæ, aliæ, ut fides, spes, charitas, in ejus potentiis : ergo. Prob. 3° aliâ ratione. Beatitudo formalis est ultima hominis perfectio assecutiva ultimi finis : atqui ultima perfectio hominis non est per modum habitûs aut potentiæ, sed est actus et operatio : ergo. Probatur min. Nihil perfectum est prout in potentiâ et actu primo, sed prout in actu secundo, cùm actus primus ordinetur ad secundum. (Ibid.)

Confirmatur : Beatitudo formalis hominis est vita, ut constat ex S. Scripturis citatis, et ut infra dicemus, non substantialis, sic enim vivit homo substantialiter per informationem animæ : ergo accidentalis. Subsumo : Atqui vita est aliquis motus à vivente procedens, quod utique ad operationem et actum secundum pertinet, de quo fusiùs infra : ergo.

Dico 2° : Beatitudo formalis non consistit in visione Dei increatâ communicatâ creaturæ per actionem unitivam ab ipsâ creaturâ elicitam, ut vult Bonæ Spei cum suis, qui opinionem Joannis de Ripâ jam antiquatam nostris temporibus suscitavit.

Probatur 1° ex D. Th. quem suum esse volunt Speani. S. Th., hìc, q. 3, agens de beatitudine formali, quærit, art. 1, an beatitudo nostra sit aliquid creatum? et respondet sic : *Si beatitudo hominis consideretur quantùm ad causam vel objectum, sic est aliquid increatum. Si autem consideretur quantùm ad ipsam essentiam, seu formam beatitudinis, sic est aliquid creatum.* Quid sit autem istud creatum? art. 2 respondet quòd *sit operatio;* art. 3, quòd sit *operatio intellectivæ partis;* art. 4, in arg. s. c. et in o, quòd sit *cognitio Dei quæ est actus intellectûs;* art. 5, quòd sit *operatio maximè propria homini,* scilicet *contemplatio divinorum;* art. 7, quòd *non consistit nisi in cognitione Dei;* art. 8, quòd non potest esse *nisi in visione divinæ essentiæ;* ergo à primo ad ultimum, secundùm D. Th., beatitudo formalis est visio divinæ essentiæ, quæ est creatum illud quod art. 1 dicit esse ipsam essentiam et formam beatitudinis. Idem docet 1 p., q. 26, a. 3, expressis terminis et pluribus aliis locis, ita ut cæcum esse oporteat qui hanc sententiam in D. Th. non videat.

Probatur duplici ratione fundamentali. Prima sic proponitur : Beatitudo formalis est vita beatorum, seu operatio vitalis quâ in actu secundo vivunt : atqui non possunt vivere per visionem Dei increatam, quantùmvis ipsis communicatam per actionem unitivam à se elicitam : ergo. Major videtur de fide, juxta hæc S. Scripturæ loca, Rom. 6 : *Gratia Dei vita æterna,* Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* Joan. 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.* Difficultas ergo est in minori. Itaque

Prob. min. : Impossibile est quidpiam in actu vivere per actum vitalem qui non sit ab ipso sive ab intrinseco : atqui visio Dei increata non est à beatis, sed à Deo, imò ab ipso Deo indistincta : ergo. Prob. maj. 1° ex communi omnium sensu, juxta quem vivere, est se movere ex se, seu ab intrinseco, et ea dicuntur mortua quæ non se movent ampliùs, licet ab extrinseco moveantur. 2° Vivere in actu, est actu agere et operari : atqui implicat quidpiam agere per actionem quæ non sit ab ipso per formalem aut virtualem egressionem : ergo. (1, p., q. 18, a. 1, o.)

Minorem hanc negant adversarii contra communem sensum, et dicunt aliquid posse denominari agens, saltem ut quòd, per actionem alterius præcisè in se receptam, modò pro priori ad receptionem sit activum in eodem genere et capax denominationis agentis, eaque actio sine violentiâ in ipso recipiatur : et hoc est eorum fundamentum. Sed contra

Prob. ista min. : 1° Actio etiam non violenta solùm denominat agens illud à quo est, non illud in quo est præcisè, quantumcumque in priori sit activum ut quo in eodem genere : atqui actio aliena solùm dicitur esse ab eo à quo egreditur, non ab eo in quo præcisè recipitur sine violentiâ quantumcumque in priori naturæ sit activum in eo genere : ergo. Minor patet, quia fingere aliquid esse ab aliquo per receptionem, est apertè contra notionem terminorum disputare et confundere rationem essendi ab aliquo cum ratione essendi in aliquo, siquidem hucusque inauditum fuit subjectum receptionis, seu in quo actio aliena ab extrinseco recipitur, esse subjectum à quo. Prob. ergo maj. : Actio solùm denominat agens illud respectu cujus est actio ut actio, prout ex terminis patet : atqui non est actio ut actio respectu ejus in quo est præcisè, sed respectu ejus à quo est, ut docent omnes philosophi, apud D. Th. 3 Physic., c. 3, lect. 4 et 5, discrimen actionis à passione constituentes in eo quòd actio sit actus agentis tanquàm *hujus ab hoc*, ut loquitur philosophus, passio verò actus patientis tanquàm *hujus in hoc ;* sicut doctio non dicitur actus docentis quia in ipso, sed quia ab ipso est; nec denominatur docens ille in quo, sed à quo est doctio, nec ille in quo recipitur, sed à quo traditur doctrina : ergo. Proba tur 2° ista min. : Agere est se habere activè et non merè passivè, ut constat ex terminis : atqui id à quo actio nullo modo est per egressionem formalem aut virtualem, sed in ipso merè ab extrinseco recipitur, etsi sine violentiâ et tanquàm in activo ejusdem generis, nullo modo se habet activè hìc et nunc ad illam actionem, sed merè passivè : ergo. Probatur min. : Quod se habet activè, se habet per modum dantis; agere enim est dare esse, et non per modum merè recipientis : atqui id à quo actio nullo modo est, etc., non se habet per modum dantis, sed per modum merè recipientis, ut patet in terminis : ergo. Probatur 3° ead. min. : Si ratio adversariorum sufficeret ut aliquid denominaretur agens, sequeretur quòd canis quem, impositum dorso meo, defero, ex hoc diceretur agere seu se habere activè ad hunc motum : falsum consequens; ergo.

Secunda ratio fundamentalis. Operatio in quâ consistit beatitudo formalis, nempe visio Dei, constituit beatos actu et formaliter operantes, seu cognoscentes: atqui visio, seu operatio Dei increata, non potest constituere beatos actu et formaliter operantes : ergo. Prob. min. : Operatio maximè vitalis et immanens non potest constituere aliquem actu et formaliter operantem, nisi quatenùs procedit ab operante, ut effectus à causâ, vel nisi informet illum per modum causæ formalis : atqui repugnat intellectionem Dei increatam, aut procedere ab intellectu beati ut effectum à causâ, aut eum informare per modum causæ formalis : ergo. Major est certa : operatio enim est aliquid operantis et ad ipsum pertinet, cùm ipsum constituat actu operantem; non est autem aliquid ipsius, aut ad ipsum pertinet ut prædicatum ejús intrinsecum, aut pars integralis, aut existentia, aut complementum intrinsecum, quia sine operatione esse potest operans, seu operativum intrinsecè completum et integrum, et modò hanc, modò illam operationem habere : ergo restat quòd ad eam pertineat vel ut effectus vel ut causa formalis; non est enim alius modus assignabilis, quo operatio ad operantem pertineat. Insuper cùm cognitio sit actus vitalis et immanens, constituit ipsum operantem intrinsecè in se actuatum et reductum de potentiâ ad actum, atque ei præbet aliquam speciem operationis, et consequenter informat ipsum, sicut, v. g., albedo aut calor, quia sunt formæ specificæ, id est, speciem determinatam præbentes, non per terminationem, sed per informationem veram, debent subjectum afficere. Itaque probatur min., et quoad primam partem est plus quàm evidens; visio enim Dei increata non potest esse effectus beati. Probatur quoad secundam partem : Informatio seu causalitas formalis essentialiter involvit intrinsecam imperfectionem; ergo. Probatur ant. : De ratione formæ informantis est quòd per conjunctionem suam ad alterum reducat formaliter illud de potentiâ ad actum, et sic constituat unum tertium, sive substantiale, sive accidentale, quod sit majus ipsâ formâ seu actu informante, totum enim est majus suâ parte, adeòque quod admisceatur potentialitati et ex tali conjunctione limitetur : atqui hæc omnia involvunt intrinsecam imperfectionem : ergo. Patet min. Probatur maj. : Omnis forma informans est pars respectu totius quod constituit, et informatio ad hoc ordinatur ut formetur et perficiatur id quod informe est seu formatione indigens : ergo de ratione formæ informantis est quòd per conjunctionem suam ad, etc. (3 p., q. 9, a. 1, ad 1, et q. 20 de Verit. a. 1, o.)

Dices : Talis informatio et actuatio poterit suppleri à Deo modo eminentiori, seclusâ imperfectione, sicut supplet subsistentiam creatam in unione hypostaticâ.

Sed contra implicat concipi rem constitutam et formatam, nisi per informationem formæ, quia si non est informatio formæ, non est effectus ejus formalis, adeòque nec res formata seu constituta. Si ergo Deus non informet nec actuet constituendo rem seu aliquod tertium, et ipsum subjectum reddendo intrinsecè actuatum et formatum, hoc ipso non habetur effectus formalis formæ (qui est ipsa forma informans et communicata), et res non est constituta : quòd si res supponatur constituta, constituetur per aliud, et illud habebit rationem formæ. De subsistentiæ paritate dicemus in sol. obj.

*Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.*

Obj. 1° ex D. Th. : S. doctor, 3 cont. Gent. cap. 51, sic ait : *Oportet quòd si Dei essentia videatur, quòd per ipsammet essentiam intellectus ipsam videat, ut sic in tali visione divina essentia sit id et quod videtur et quo videtur :* atqui id quo aliquid videtur, est visio : ergo, secundùm D. Th. beati vident Deum per ipsam divinam essentiam, seu ejus visionem increatam.—Resp. : Dist. min. : Id quo aliquid videtur est visio, si τὸ id

*quo* sumatur pro eo quod se tenet ex parte potentiæ, concedo; si *τὸ id quo* sumatur pro eo quod se tenet ex parte objecti, nempe pro specie intelligibili quâ tanquàm semine et imagine objecti fœcundatus intellectus visionem elicit, nego min. Porrò S. Th., loco citato, dùm dicit divinam essentiam esse id quo ipsa videtur, intelligit de ipsâ specie intelligibili cujus vices supplet divina essentia, ut diximus in 1 p., non autem de ipsâ intellectione Dei : ita se explicat S. doctor cap. 53 sequenti, his verbis : *Ad hoc quod intellectus aliquis creatus Dei substantiam videat, oportet quòd divina essentia copuletur ei ut intelligibilis species;* hâcque distinctione solves omnia loca quæ congerunt adversarii ex D. Th.

Obj. 2° illud 1 Cor. 13 : *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*, utique à Deo ; atqui à Deo cognoscimur cognitione increatâ : ergo cognoscemus tunc Deum cognitione increatâ. — Resp. : nego conseq. *Neque enim necesse est*, inquit Damasc. 3 Orth. Fid. 26, *exempla prorsùs esse similia; nam quod ex omni parte simile est, idem est, non exemplum.* In hoc ergo Apostolus facit paritatem quòd sicut Deus nos cognoscit sicuti sumus in nobis, ita nos cognoscemus eum sicuti est in se, et non ampliùs per species et in ænigmate sicuti nunc, quod patet ex his quæ immediatè præmiserat Apostolus : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Alia quædam loca ex S. Scripturis afferunt adversarii, sed quæ parùm urgent, utpote quæ intelliguntur vel de lumine gloriæ, vel de divinâ essentiâ, ut gerente vices speciei intelligibilis, non de ipsâ visione. Unde his supersedemus.

Obj. 3° ex S. Aug. : L. 8, cap. ultimo de Trinit., ait : *Secundùm eamdem visionem Deus bonus est et beatus, secundùm quam apparet mundis corde :* atqui Deus non est bonus et beatus visione creatâ : ergo. Et infra subjungit quòd *sola visio beatificata est summum bonum cujus adipiscendi causâ præcipimur agere quidquid ratione agimus.* — Resp. utrobique sermonem esse de visione beatâ objectivè sumptâ, seu de objecto ipsius visionis, non verò de ipsâ visione formali.

Inst. : S. Aug. lib. 7 de Trinit. cap. 6 et 7, probat dilectionem, quâ diligimus proximum et Deum, esse ipsam Dei charitatem et ipsum Deum : ergo pariter visio beatifica est; etc. — Resp. quòd dilectio nostra sit charitas Dei participativè seu causaliter, non formaliter : *quia charitas quâ formaliter diligimus Deum et proximum, est quædam participatio divinæ charitatis : hic etiam modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum dictis imbutus fuit Augustinus, quod quidam non advertentes, ex verbis ipsius sumpserunt occasionem errandi.* Ita S. Th., 22, q. 23, a. 2, ad 1.

Repones : Secundùm istam solutionem Deus non deberet dici simpliciter charitas vel dilectio, sed *charitas mea, dilectio mea*, sicut dicitur *spes mea, patientia mea :* atqui hoc impugnat S. Augustinus 15 de Trinit. cap. 6. — Resp. : Dist. maj. : Deus non deberet dici simpliciter charitas, sed, etc., si charitas esset solùm donum creatum, sicut spes et patientia, concedo maj.; si sit insuper quoddam attributum formaliter in Deo existens, nego. Et hoc sensu rectè negat S. Augustinus Deum debere dici *charitatem meam*, sicut dicitur *spes mea, patientia mea*, quia istæ virtutes sunt tantùm dona creata, et non attributa in Deo formaliter existentia sicut charitas.

Replicabis : Charitas beatorum etiam minimorum est major charitate viatorum etiam sanctissimorum, juxta illud Math. 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo* : atqui hoc verificari non potest de charitate creatâ, cùm incredibile sit minimum beatorum superare in charitate creatâ maximum viatorum : ergo solùm verificari potest de charitate increatâ. — Resp. : dist. maj. : Charitas beatorum etiam minimorum est major charitate viatorum etiam sanctissimorum quoad intentionem habitûs, nego; non enim est verisimile quòd infans statim post baptismum mortuus habeat tantam intentionem gratiæ et charitatis quantam habuerunt B. Virgo et sanctissimi homines in viâ : quoad conditiones statûs, concedo; quia in patriâ objectum amatum est præsens status, cùm sit terminus, est perfectior, actus est permanentior, et habitus non potest amitti. Locus autem Matth. non est ad rem, his enim verbis seipsum designavit Christus : unde sensus est : Ego, qui sum Joanne minor ætate, et, secundùm multorum opinionem, sanctitate, in regno cœlorum, id est, in Ecclesiâ, sum major illo, et naturâ, et sanctitate, et donis, etc. Ita SS. Hilar., Chrysost., Aug., Cajet., et communiter interpretes.

Obj. 4° : Increata Verbi subsistentia unitur naturæ creatæ, eamque reddit formaliter subsistentem : ergo à pari visio Dei increata potest uniri intellectui creato, eumque reddere formaliter operantem. — Resp. : Nego conseq. : Disparitas est 1° quòd intellectio sit actus vitalis, adeòque essentialiter petat esse ab intrinseco, vel per identitatem et egressionem virtualem, si identificetur in operante, ut in Deo, vel per egressionem formalem, si distinguatur ab operante, ut in creatis : subsistentia autem neque est actus neque vitalis, sed purus terminus reddens rem alteri incommunicabilem. 2° Intellectio, cùm sit operatio, est informativa potentiæ operantis et per modum partis efficiens unum totum cum illâ, non secùs ac albedo informat corpus constituendo album, quod involvit imperfectionem. De ratione autem subsistentiæ secundùm se non est informare, quia non constituit ut pars unum in naturâ, sed supponit naturam constitutam et eam tantùm terminat. Unde cùm ex suo essentiali conceptu nullam involvat imperfectionem, potest suppleri à Deo.

Inst. 1° : De ratione subsistentiæ creatæ est quòd dimanet à subsistente : atqui subsistentia increata potest supplere munus ejus terminandi sine tali imperfectione : ergo similiter visio increata potest supplere munia visionis creatæ sine ejus imperfectionibus. — Resp. : Dist. maj. : De ratione subsistentiæ

creatæ, quâ subsistentiæ, est dimanare, nego, ut sic enim est tantùm de ratione ipsius terminare naturam et reddere eam ulteriori supposito incommunicabilem : de ratione subsistentiæ creatæ, quâ creatæ, est dimanare, concedo maj.

Subsumes : Atqui similiter non est de ratione intellectionis ut sic esse ab intrinseco et informare, sed tantùm quatenùs creata est : ergo stat paritas. Probatur subsumptum : Intellectio in Deo neque egreditur ab intrinseco, neque ipsum informat : ergo.—Resp.: Nego subsumptum, ad probat., nego primam partem, seu dist. : Intellectio in Deo non egreditur ab intrinseco formaliter, concedo ; quia identificatur cum illo virtualiter, nego ; est enim verè ab intrinseco. Ad secundam probationem similiter dist. : Non informat formaliter, concedo ; eminenter, nego : est enim identificata cum Deo ; ubi autem est summa identificatio, vacant processio formalis et informatio. At respectu naturæ extraneæ quâcum identificari non potest, si illi communicari debeat, necesse est quòd illi communicetur juxta naturam vitalis operantis, scilicet per egressionem ab intriseco et per informationem.

Repones : Intellectio, secundùm D. Th., non petit essentialiter esse ab intrinseco per formalem aut virtualem egressionem, neque informare in esse naturæ : ergo. Prob. ant. ex verbis S. doct. 1 p., q. 34, a. 1, ad 3 : *Intelligere*, inquit, *importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam in quâ nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro.* Ergo. — Resp. : Nego ant. Ad probat. ex S. Th. dico sensum ejus planum esse quòd, comparatione factâ intelligentis ad rem intellectam, nulla sit ratio originis, sed tantùm informatio intelligibilis, quod admittimus ; non autem dicit quòd, comparatione factâ intellectionis ad intelligentem, nulla sit ratio originis.

Obj. 5° : Intellectus creatus actuari potest, imò de facto actuatur actu increato in ratione speciei intelligibilis, ut diximus alibi : ergo pariter actuari potest per eumdem in ratione intellectionis. Resp. : Nego conseq. Disparitas est quòd species intelligibilis non petat ex naturâ suâ neque esse ab intrinseco, neque informare, aut constituere per modum partis incompletæ aliquod totum inesse naturæ, ut intellectio, sed tantùm repræsentare intelligibiliter objectum intellectui, et ipsum determinare ad eliciendum actum, in quo nulla est imperfectio aut informatio entitativa. Ista enim species cùm nihil aliud sit quàm ipsum objectum repræsentativè seu in esse intelligibili, non est actualitas accidentalis potentiæ, sed res ei intrinseca, ad cujus esse intelligibile trahitur intellectus.

Inst. : Species intelligibilis dat speciem actui seu agenti, non secùs ac operatio : ergo.—Resp. : Dist. ant. : Dat speciem actui seu agenti objectivè determinando, seu terminando, concedo ant. ; entitativè informando, nego ant. Cùm enim species, ut dictum est, sit ipsum objectum in esse intelligibili, objectum autem sit terminus extrinsecus juxta cujus speciem determinatur specificatio actûs, ideò illa actuatio seu informatio objectiva quam imprimit in potentiâ, se habet ut forma determinans, id est trahens ad communicationem alterius rei in esse intelligibili ipsam potentiam et cognitionem, non autem ut informans per modum partis.

Repones : De ratione speciei est quòd inhæreat et informet, cùm sit species accidentalis : ergo.—Resp.. De ratione speciei est, etc., entitativè consideratæ, seu quatenùs est accidens, concedo ; consideratæ in esse intelligibili et repræsentativo, seu quatenùs est species, nego. Ut sic enim habet tantùm esse imago et repræsentatio objecti, adeòque tantùm terminare et determinare seu objectivè et in esse intelligibili informare intellectum.

Replicabis : De ratione speciei intelligibilis etiam ut species, est quòd informet potentiam unum constituendo cum ipsâ : ergo. Prob. ant. : Species intelligibilis fœcundat intellectum et se habet ut coprincipium illius influxûs in suum actum : ergo.—Resp. : Nego ant. ad probat. Dist. ant. : Species se habet ut coprincipium se tenens ex parte objecti, concedo. ; se tenens ex parte subjecti seu potentiæ, nego. Licet enim species ut accidens inhæreat subjecto, ut dictum est, ipsa tamen ut species cùm sit ipsum objectum repræsentatum, non inhæret intellectui nec entitativè informat illum, est enim quid ipsi intrinsecum ; sed tantùm determinat intellectum ad talem actum, se illi communicando non ut partem, sed ut totum in esse intelligibili seu repræsentativo, ita ut non fiat unum entitativè cùm intellectu, sed è contra intellectus dicatur fieri res intellecta in esse intelligibili. Operatio autem se tenet ex parte subjecti ut actus secundus ejus, adeòque informans illud et constituens entitativè operans.

Urgebis ex dictis et solutione datâ : Operatio est actus secundus adeòque ultimus potentiæ : ergo informat tantùm terminando et non entitativè ut pars, sicut patet, v. g., in existentiâ, quæ cùm sit terminus ultimus in essendo, informat tantùm terminando : ergo.—Resp. : Nego conseq. et paritatem. Disparitas est quòd existentia supponat naturam constitutam, et eam ut pars non constituat ; est enim ultimus actus quo res jam formata ponitur de facto extra causas ; operatio autem non supponit potentiam in actu constitutam et formatam, sed ut perfectio accidentalis ipsam format et constituit operantem actu.

Obj. ultimò : In sententiâ Thomistarum Deus supplet verbum seu speciem expressam in beatis : atqui verbum seu species expressa est terminus vitalis : ergo poterit Deus similiter supplere operationem vitalem. —Resp. : Dist. maj. : Deus supplet verbum seu speciem expressam quoad processionem, originem et dictionem, nego ; quoad repræsentationem per modum termini repræsentantis in esse intellecto, concedo. Cùm enim Deus supplet verbum seu speciem expressam, non facit quòd verbum sit originatum vitaliter à nostro intellectu, hoc enim suppleri non potest, nec hoc requiritur sicut requireretur quod faceret ut actio à me vitaliter procederet, ut dicerer operari per illam, ut

probatum est; sed facit tantùm quòd essentia sua loco verbi repræsentet per modum termini seipsam. Unde ad min. dist. : Verbum est terminus vitalis respectu illius à quo procedit, concedo min.; respectu illius cui communicatur præcisè, nego. Nec hoc requiritur ad intellectionem, sed sufficit quòd in se vitalis existens, etsi aliundè, communicetur ei, et suppleat repræsentationem termini vitalis, non processionem.

§ 2. *Duæ posteriores sententiæ impugnantur, et vera asseritur.*

Supposito quòd beatitudo hominis formalis sita sit in operatione ab ipso elicità, ut probatum est, controvertitur nunc quæ sit ista operatio, an intellectûs, an voluntatis, an utriusque simul. Certum namque est non esse operationem partis sensitivæ, cùm purus spiritus qualis est Deus sit extra objectum illius, ut patet ex his quæ diximus in 1 p. dùm probavimus Deum non posse videri oculo corporeo quantùmvis elevato et glorificato. (Hic, q. 3, a. 2, o.)

Ante resolutionem, observandum est beatitudinem posse considerari dupliciter, quantùm ad statum et quantùm ad essentiam. Quantùm ad statum, complectitur omnia quæ hominem efficiunt plenè beatum quoad animam et corpus omnesque ejus potentias; et sic importat amorem, visionem, fruitionem, gaudium, perpetuitatem, impeccabilitatem, gloriam corporis, etc.; definiturque à Boetio, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quantùm ad essentiam, importat tantùm id quod inter hæc omnia primum concipitur, quo summum bonum seu beatitudo objectiva acquiritur, et est radix unde cætera assignata profluunt : sic homo quoad statum spectatus dicit non solùm rationalitatem, sed omnes proprietates à rationalitate manantes, risibilitatem, facultatem admirandi, loquendi, certam membrorum quantitatem, colorem, proportionem, etc., quoad essentiam verò præsisè et metaphysicè consideratus, dicit solam rationalitatem, ut quod in eo primum concipitur tanquàm radix et causa cæterorum. Quæstio hæc igitur est metaphysica de ipsà beatitudine quoad quidditatem et essentiam. Et semper præ oculis habendum est essentiam beatitudinis formalis nihil aliud esse quàm assecutionem beatitudinis objectivæ, quia est id quo objectum beatificans unitur subjecto beatificabili : et ideò illa actio constituit essentiam beatitudinis formalis quæ est formaliter assecutiva ultimi finis; quæ verò concomitanter vel consequenter se habent ad illam, sunt ejus proprietates et ornatus, atque ad ejus statum pertinent.

Dico 1° : Beatitudo formalis non consistit essentialiter in pluribus actibus, scilicet intellectûs et voluntatis.

Probatur. Beatitudo formalis est essentialiter prima assecutio ultimi finis : atqui id uni tantùm operationi competere potest : ergo. Prob. min. Plures operationes diversarum potentiarum, scilicet intellectûs et voluntatis, non possunt æquè simul procedere à suis potentiis, sed in eis necessariò intervenit ordo prioritatis et posterioritatis; actus enim voluntatis subordinatur actui intellectûs, et illum supponit, cùm nihil sit volitum quin præcognitum : ergo non possunt isti duo actus esse æquè simul assecutivi ultimi finis, sed unus priùs altero, nempe actus intellectûs, qui prior est et potior actu voluntatis.

Si dicas quòd utraque operatio concurrat partialiter ad assecutionem finis, ita ut ex utrâque integretur una totalis prima assecutio, sed contra, vel illa partialitas se tenet ex parte rei possessæ quæ unico actu possideri non potest, sed pars per unum et pars per alterum; vel ex parte operationum quæ divisim non sufficiunt reddere rem illam possessam et consecutam. Primum dici non potest, quia res possessa est Deus indivisibilis et impartibilis. Et hinc secundum etiam dici non potest, quia res indivisibilis per unam operationem quovis modo attacta et possessa, tota attingitur et possidetur quoad substantiam, ita ut si duplex operatio concurrat ad ejus assecutionem, necessariò una erit tantùm ut præparatio, altera ut consecutio formalis, vel una ut consecutio formalis, et altera ut novus modus consequendi et possidendi, quod non impedit quin prius verè et substantialiter possideatur. Sicut, v. g., dùm manibus crumenam teneo, verè et substantialiter illam possideo; quòd autem illam et dentibus et pedibus possim tenere, non facit novam essentialem et substantialem possessionem, sed tantùm novum modum possidendi. Sic igitur dùm actu mentis Deum possideo et assequor, verè essentialiter et substantialiter illum totum assequor et possideo; et dato quòd eum etiam actu voluntatis possim assequi, non addit ad essentialem conceptum assecutionis, sed tantùm novum modum assequendi. Insuper, quod difficultatem planè dirimit, probabimus conclusione sequenti, actum voluntatis non esse assecutivum.

Confirmatur conclusio : Cùm beatitudo objectiva sit objectum perfectissimum, beatitudo formalis illius assecutiva debet esse operatio perfectissima : atqui non possunt esse duæ operationes perfectissimæ assecutivæ objecti beatifici : ergo. Prob. min. : Vel enim illæ operationes distinguuntur specie, et sic non erunt ejusdem perfectionis, sed una perfectior alterâ; vel numero tantùm, et sic una est superflua ad assecutionem : cùm enim sint ejusdem perfectionis et virtutis, una non plus conducit ad assecutionem quàm altera.

Dico 2° : Beatitudo formalis non consistit essentialiter in actu voluntatis. (Hic q. 3, a. 4 et 8; 3 contra Gent. c. 26, in 4, d. 49, q. 1, a. 1, q. 2, quodl. 8, a. 19, et alibi.)

Probatur : Beatitudo formalis est essentialiter consecutio summi boni : atqui nullus actus voluntatis est consecutio summi boni : ergo. Prob. min. : 1° Actus voluntatis est vel desiderium, vel amor, vel fruitio et gaudium : atqui nullus ex his actibus est consecutivus ultimi finis, seu summi boni : non desiderium quia desiderium est de bono absente et nondùm possesso; non amor, tum quia amor abstrahit à præsentiâ et absentiâ, amamus enim bonum præsens et absens, tum quia amor viæ et patriæ sunt ejusdem speciei, amor autem viæ non est consecutivus ultimi finis; non fruitio seu gaudium, quia cùm fruitio sit jucunda quies in bono possesso, non

facit possessionem, sed eam sequitur : voluntas enim fruitur bono et delectatur de ipso ex eo quòd sit præsens et illud possideat sive in re, sive in spe, sive in memoriâ, non autem è converso illum possidet quia eo fruitur et in eo delectatur; sic avarus non assequitur divitias quia illis fruitur, sed è contra illis fruitur quia illas possidet. (Hîc, a. q. cit et 3, c. gent. cit.)

Prob. 2° prima min. : Voluntas est inclinatio in bonum : atqui inclinatio in bonum non est boni assecutiva, tum quia aliàs ut obtineretur bonum sufficeret illud velle, et hoc ipso quo avarus vellet divitias, illas haberet; tum quia conatus voluntatis in bonum est per se affectivus tantùm quatenùs bonum terminat ejus affectum ; est autem effectivus et possessivus per aliquid aliud, ita ut, si sit bonum sensibile, possideatur per sensum, v. g., sonus per auditum, color per visum, sapor per gustum ; si sit bonum naturale, per unionem naturalem, putà per contactum aut indistantiam localem, ut lapis in centro ; si sit bonum intelligibile, per intellectum, sicut doctus dicitur possidere sapientiam intellectu. Ergo.

Prob. 3° eadem prima min. : Omnis actus voluntatis præsupponit actum intellectûs, nihil enim volitum quin prægnitum, ut jam sæpè dictum est : ergo omnis actus voluntatis supponit suum objectum præsens et assecutum per cognitionem ; ergo non est assecutivus. Hæc conclusio magis adhuc confirmabitur ex sequenti. Unde dico 3° : Beatitudo formalis hominis consistit essentialiter in actu intellectûs, clarâ scilicet Dei visione.

Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus. Si enim beatitudo formalis sit essentialiter operatio partis intellectivæ, et non sit operatio voluntatis : ergo intellectus. Sed et insuper

Probatur 1° ex S. Scripturis. Joan. 17 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum;* ibid. cap. 14 : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis;* Psalm. 16 : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua;* Matth. 15 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* 1 Joan. 5 : *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* Et alibi.

Probatur 2° ex Patribus. S. Iren. lib. 4 cont. Hæres. c. 37, de vitâ æternâ dicit : *Quæ unicuique evenit ex eo quòd videt Deum.... percipiunt ergo vitam qui vident Deum.* S. Cyrill. Alexand. lib. 3 cont. Jul. : *Hominum felicitas est habere summam contemplationem.* S. Aug. lib. 83 Quæstionum, q. 35 : *Nemo beatam vitam novit, et miser est, quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est eam nôsse, quòd habere. Quæ cùm ita sint, quid est aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere?... Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est : et propterea id habere non possumus, nisi eâ re quâ præstantiores sumus, id est, mente : quidquid autem mente habetur, noscendo habetur; nullumque bonum perfectè noscitur quod non perfectè amatur.* Hîc S. Aug. distinguit inter intellectum et voluntatem, inter cognoscere et amare : ad intellectum refert consequi, dùm dicit : *Hoc est nôsse, quòd habere;* et, *quòd beatè vivere sit æternum aliquid cognoscendo habere* : ad voluntatem autem refert amare quod noscendo habetur et possidetur. Ergo, juxta S. Aug., Deus non voluntate, sed intellectu acquiritur et possidetur; sicque beatitudo formalis consistit essentialiter in actu intellectûs, non voluntatis.

Scio adversarios respondere, S. Scripturam et SS. Patres non attingere hanc quæstionem metaphysicam de quidditate beatitudinis, sed loqui de beatitudine quoad perfectionem et statum, prout communiter apprehenditur tanquàm quid plenè satiativum omnium potentiarum ; ideòque eam indifferenter reponere modò in actu voluntatis, modò in actu intellectûs, modò in utroque, quia uterque concurrit ad ejus perfectionem et statum ; quid sit autem in eâ essentiale, relinquere disputationi theologorum. Et quantùm ad S. Aug. qui videtur magis urgere, specialiter respondent, id quod dixit, q. 35 laudatâ, retractâsse lib. 1 Retract. cap. 26, ubi dicit : *Illud quod dixi id esse amandum, quod nihil est aliud habere quàm nôsse, non satis approbo. Neque enim Deum non habebant, quibus dictum est : Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis? Nec tamen eum noverant, vel non sicut noscendus est noverant.*

Sed contra, non negamus S. Scripturam et Patres quandoque loqui de beatitudine quoad statum, et hanc ipsam solutionem nos adhibemus contra ea quæ adversarii nobis objiciunt ex S. Scripturâ et Patribus ; sed ultra quòd locis à nobis citatis videantur assignare quod præcipuum est et essentiale in beatitudine, saltem negari non potest quin inter actus quos recensent pertinentes ad beatitudinem, etiam explicent illum in quo essentialiter consistit : alioquin diminutè admodùm procederent, nec nos sufficienter instruerent, cùm, cognito beatitudinis objecto quod nobis promittitur, nostrum referat nôsse id per quod possumus illud consequi, maximè cùm possit errari circa illius consecutionem, sicut circa ipsum objectum consequendum. Et sanè mirum foret S. Scripturam et Patres nobis descripsisse accuratè modos et actus accidentales beatitudinis formalis, et essentialem omisisse. Hoc ergo supposito tanquàm certo, expendamus modò quos actus S. Scriptura et Patres assignant pertinentes ad beatitudinem formalem.

Quantùm ad S. Scripturam, assignat ex parte intellectûs visionem, ex parte voluntatis fruitionem et gaudium, nullibi et nusquàm amorem amicitiæ : et hoc jam palmare est adversùs Scotum; is namque negat et benè, fruitionem seu gaudium esse beatitudinem essentialem ; quia, inquit, et verè, fruitio seu gaudium supponit objectum præsens et consecutum. Ergo Scotus, qui ponit beatitudinem essentialem in amore amicitiæ, non habet fundamentum in S. Scripturâ, imò cogitur juxta illam fateri reponendam esse in visione : sic enim arguo ex principio posito : Beatitudo formalis essentialiter consistit in aliquo actu ex his quos S. Scriptura enumerat pertinentes ad beatitudinem, et enumerat duntaxat ex parte intellectûs visionem, ex parte voluntatis fruitionem et gaudium, seu delectationem, non amorem amicitiæ : atqui, tacente Scoto,

non consistit in fruitione et gaudio : ergo in visione.

Sed quidam Patres meminerunt amoris : esto ; neque illi, neque S. Scriptura ullum actum voluntatis, sive dicas amorem, sive fruitionem et gaudium, assignârunt ut formalem et essentialem assecutionem finis ultimi, quia amor, fruitio, gaudium, sunt quid commune felicitati ut sic ; felicitas enim hoc ipso quo felicitas est, implet voluntatem, causat amorem et gaudium, idque neminem latet aut latuit unquàm : unde explicare beatitudinem per amorem, fruitionem et gaudium, non est explicare propriam et specialem rationem hujus rei in quâ ponenda est assecutio summi boni, sed solùm generalem conditionem felicitatis ut sic, quòd sit satiativa voluntatis, amoris et gaudii, quod nemo unquàm negavit. Certissimum est ergo Deo (si sit ultimus finis) esse fruendum et gaudendum ; sed difficultas est quomodò sit assequibilis ut de eo sit fruitio et gaudium, idque potest esse occasio erroris apud negantes Deum esse beatitudinem nostram, qui modum assequibilitatis ejus non satis attingunt. Dicere autem quòd ipsa fruitio sit assecutio, est rem magis involvere et difficiliorem reddere, cùm philosophi communiter doceant fruitionem supponere consecutum objectum. Ergo S. Scriptura et Patres recensentes inter actus pertinentes ad beatitudinem formalem actum intellectûs seu claram Dei visionem, ipsam assignant ut essentialem consecutionem Dei, consequenter ut beatitudinem formalem.

Ad S. Aug. respondeo ipsum duntaxat retractâsse quod dixerat nimis generaliter, quòd *Deum habere est nôsse*, quia hoc verificari non potest de notitiâ Dei in hâc vitâ, siquidem justi viatores habeant Deum, et tamen non noscunt ut noscendus est, scilicet in se ; et ideò hæc propositio, ut nimis generalis, indigebat explicatione : at non retractavit quod dixerat loquendo de notitiâ habendâ in alterâ vitâ, quòd *beatè vivere nihil aliud est quàm Deum cognoscendo habere, et quòd non possumus habere ipsum nisi mente.*

Probatur 5° ratione ex eodem semper principio petito. Beatitudo formalis est essentialiter prima assecutio summi boni : atque hæc fit per actum intellectûs, et non voluntatis : ergo. Prob. min. : 1° Summum bonum est bonum intelligibile : atqui bonum intelligibile acquiritur non appetendo, sed intelligendo, sicut sensibile sentiendo : ergo. Probatur min. : Sic natura intellectiva se habet ad bonum intelligibile, sicut natura sensitiva ad bonum sensibile : atqui natura sensitiva non assequitur nec possidet bonum sensibile per appetitum, sed per sensum, ut sonum per auditum, saporem per gustum, etc. : ergo natura intellectiva non assequitur bonum intelligibile per voluntatem, sed per intellectum. Probatur 2° prima min. ex discrimine quod est inter intellectum et voluntatem. Intellectus versatur circa suum objectum illud apprehendendo et attrahendo ad se, sicque faciendo illud sibi præsens, effectivè vel per species, vel immediatè in se si sine speciebus cognoscatur, ut Deus : voluntas è contra fertur in objectum extra se, et est tantùm inclinatio et ponderatio in illud, juxta dictum S. Aug. : *Amor meus, pondus meum, eò feror quòcumque feror* : ergo voluntatis est res quærere et in eis inventis quiescere, intellectûs autem res apprehendere, acquirere et possidere ; idque experientiâ constat. Quantumvis enim conetur voluntas, nunquàm per se consequitur bonum intelligibile, sed quamdiù non cognoscitur, dicitur absens et voluntas inquieta manet : ubi autem mente percipitur, motus voluntatis quiescit.

Probatur 6° : Beatitudo formalis cùm sit ultima hominis perfectio et summi boni consecutio, debet esse actus præstantissimæ potentiæ : atqui intellectus est potentia præstantior et nobilior voluntate, tum quia respicit objectum abstractiùs et immaterialiùs quàm voluntas, tum quia est propinquior ipsi animæ quàm voluntas, cùm hujus sit radix : ergo. Sed de hâc ratione consule physicam Thomisticam. ( Hîc, q. 26, a. 2 et 3, cont. gent. cit.)

*Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.*

Obj. 1° : S. Scripturæ et Patres, modò visioni, modò fruitioni, modò utrique rationem beatitudinis tribuunt : visioni, patet ex dictis ultimâ conclusione ; fruitioni, Psal. 35 : *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis potabis eos ;* Matth. 25 : *Intra in gaudium Domini tui ;* Joan. 16 : *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, etc. ; utrique Psal. 16 : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua ;* S. Aug. lib. 1 de moribus Eccl. c. 5 : *Beatus quantùm existimo, neque ille dici potest qui non habet quod amat, nec qui non amat quod habet ;* S. Iren. l. 4, c. 37 : *Participatio Dei est, videre Deum et frui benignitate ejus.*

His addit magnum pondus Benedictus XII, Extravag. : *Benedictus Deus*, ubi definit *animas justorum visione et fruitione Dei verè esse beatas.* Etiam manifestè et valdè favet Concil. Viennense in Clementinâ : *Dudùm*, ubi dicitur *beatitudinem consistere in visione et fruitione.* Ita Platelius. Potuisset addere Cathechismum Romanum, parte 2, ad illa verba Symboli : *Vitam æternam*, ubi ait : *Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo posita est, ut eum videamus ejusque pulchritudine perfruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons et principium.* — Resp., hæc omnia triplici solutione excipi. 1° S. Scriptura, SS. Patres, concilia, pontifices, etc., locis citatis, referunt operationes quæ reipsà reperiuntur in beatitudine, non autem explicant quæ in illis sit essentialis et assecutiva ultimi finis ; seu quod idem est, loquuntur de beatitudine non quidditativè et metaphysicè sumptâ, sed secundùm statum et consummatam perfectionem ad quam certum est concurrere actus intellectûs et voluntatis. 2° Vel intelligunt beatitudinem formalem esse fruitionem et gaudium, non formaliter, sed radicâliter, quia ex visione Dei quæ est beatitudo essentialis nascitur fruitio et gaudium. 3° Vel sumunt fruitionem non pro gaudio et delectatione consequente possessionem, sed pro ipsâ possessione rei amatæ, ut satis communiter sumitur juxta illud S. Aug. lib. 1, de Moribus Eccles. c. 4 : *Quid est aliud frui quàm præstò habere quod diligis ?*

Unde te movere non debet quòd Catechismus Romanus dicat beatitudinem essentialem consistere in visione Dei et fruitione ejus pulchritudinis; vel enim intelligit fruitionem non formaliter, sed radicaliter sumptam, vel sumptam pro ipsâ possessione; vel per *essentialem* non intelligit quidditatem beatitudinis metaphysicè consideratam, sed integram ejus substantiam ad quam pertinet fruitio, quasi dixisset substantialem.

Inst. : S. Th. q. seq., a. 8. ad 3, dicit quòd dilectio charitatis sit essentialis beatitudini quantùm ad dilectionem Dei, non quantùm ad dilectionem proximi; ergo. — Resp. S. Th. loqui de beatitudine perfectâ et consummatâ, seu quoad statum ad quem essentialiter requiritur dilectio Dei non proximi; unde, inquit S. doctor, *si esset una sola anima fruens Deo, beata esset, non habens proximum quem diligeret.*

Obj. 2° : Beatitudo formalis est summum bonum summaque perfectio : atqui plures operationes sunt meliores quàm una; ergo. — Resp. : Dist. maj. Beatitudo formalis est summum bonum ut quod et entitativè, nego; sic enim est ipse Deus; est summum bonum ut quo, hoc est, consecutio summi boni, concedo. Hæc autem fit per unam operationem intellectûs, ut probatum est. Vel aliter, dist. maj. Beatitudo formalis est summum bonum per se formaliter, nego; id enim pertinet ad statum beatitudinis, non ad ejus essentiam; est summum bonum radicaliter, concedo. In consecutione enim Dei per claram ejus visionem continentur tanquàm in radice omnes perfectiones quæ concurrunt ad consummationem et statum beatitudinis.

Inst. 1° : Beatitudo formalis debet implere omnia justa desideria beati : atqui unica operatio non implet, desiderat enim ulteriùs alias operationes, ut amare Deum clarè visum, etc. Ergo. — Resp. : Dist. maj. ut ante. Beatitudo formalis debet implere omnia justa desideria beati formaliter vel radicaliter, concedo maj.; formali ter, nego maj. Aliàs sequeretur quòd ad beatitudinem essentialem requireretur glorificatio corporis, cùm illam etiam desideret beatus. Unde distinctâ min. ad sensum maj. nego conseq. Sufficit ergo ad beatitudinem essentialem quòd consequatur summum bonum, et quòd vi hujus consecutionis contineat radicaliter omnes alias perfectiones ad statum beatitudinis pertinentes, sicut essentia hominis non debet formaliter continere et dare omnia quæ pertinent ad hominem, sed radicaliter tantùm ea præcontinere; essentia enim est id quod primùm in re concipitur ut fons et radix cæterorum.

Inst. 2° cum perfectore Tournely : Visio, amor fruitivus quo summo bono tanquàm præsenti voluntas ad hæret, et gaudium quod est sensus intimus mentis creatæ quo sibi ita conscia est se benè esse ut nihil ultra expetat; hæc, inquam, tria ingrediuntur primariò et essentialiter ideam beatitudinis formalis; ergo in eis consistit. — Resp. : Dist. ant. Hæc tria ingrediuntur primariò et essentialiter ideam beatitudinis formalis consummatæ et quoad statum, concedo ant.; ideam beatitudinis metaphysicè et quoad essentiam sumptæ, nego ant. Solutio patet ex jam dictis.

Inst. 3° cum eodem : Supponamus aliquem è sanctis, sanctum, v. g., Petrum, Deum possidere in eo gradu in quo eum de facto possidet, ita tamen ut sciret sibi enitendum esse ut ad ulteriorem gradum ascendat, nisi Deo displicere velit; hâc factâ hypothesi, quæ ex naturâ rei non est impossibilis, sic argumentor : Sanctus ille vitaliter possideret Deum ut nunc possidet : atqui tamen non esset beatus essentialiter, ut unusquisque sentire potest attendendo; ideò autem non esset beatus, quia anima ejus non ita quiesceret in possessione Dei, ut nihil ampliùs haberet sibi expetendum; ergo. — Resp. : Datâ et non concessâ hâc hypothesi ut possibili, nego min. Esset enim iste sanctus in hâc hypothesi essentialiter beatus, ejusque mens non minùs quiesceret circa hunc altiorem gradum obtinendum, quàm circa impeccabilitatem suam, inamissibilitatem suæ beatitudinis et corporis sui futuram glorificationem, quia certò sciret, vi possessionis Dei ut summi boni, desiderium istius gradûs altioris esse implendum, sicut alia sua desideria.

Omisi hypothesim, quia non constat esse possibilem, nam possessio Dei in patriâ juxta mensuram meritorum viæ est terminus et ultimus finis hominis; in hâc hypothesi foret adhuc terminus et ultimus finis hominis ut supponitur, et non foret, quia ulteriùs deberet progredi, quod implicat.

Inst. 4° cum eodem : Formalis miseria non consistit solùm in mali possessione, si ita loqui fas est, imò nec in dolore; sed insuper requiritur tristitia ex mali possessione orta; unde martyres qui superabundabant gaudio in omni tribulatione, non erant verè miseri; ergo à contrario formaliter beati non sunt qui de bono possesso non gaudent. — Resp. : Dist. ant. Formalis miseria, completè sumpta et quoad statum, non consistit solùm in mali possessione, concedo ant.; metaphysicè sumpta et quoad essentiam, nego ant. Quoad id quod additur de sanctis, verum est ipsos non fuisse verè miseros in suis tribulationibus, quia tribulationes hujus mundi non sunt verum malum nec vera miseria, sed sola damnatio ex quâ nata est sequi tristitia, quæ si miraculosè impediatur, non obstat quin damnatus sit verè miser essentialiter, licet non consummatè.

Inst. 5° : Si amor fruitivus seu gaudium non esset de essentiâ beatitudinis, sed tantùm ejus proprietas, posset quis saltem de potentiâ Dei absolutâ esse beatus sine amore Dei, Deo suspendente concursum ad hunc amorem; possunt enim de potentiâ Dei absolutâ proprietates separari ab essentiâ, ut calor ab igne : atqui falsum et absurdum videtur consequens; ergo. — Resp. : Quidam negando sequelam, et ad probationem dicunt quòd, quamvis visio Dei, ut visio præcisè, possit divinitùs separari ab amore, quia sic tantùm facit hominem videntem Deum, non tamen visio ut beatitudo est, quia sic essentialiter importat amorem fruitivum, non ut partem essentiæ, sed ut terminum essentialiter connotatum.

Alii simpliciter concedunt amorem posse divinitùs separari à visione beatificâ; sed utrùm tunc videns Deum deberet dici beatus, dissentiunt. Quidam opi-

nantur dicendum fore beatum simpliciter et essentialiter, non perfectè et consummatè, quia careret perfectione sibi debitâ; et si inferas ex hâc parte fore miserum, respondent non repugnare aliquem esse simpliciter felicem, et secundùm quid miserum. Alii putant hunc non dicendum fore simpliciter beatum, quamvis habeat id quod essentialiter est beatitudo, quia hæc vox *beatitudo* non est imposita ad significandam solam essentiam beatitudinis, sed ad significandam illam ut affectam suis proprietatibus connaturalibus, quia ex vi et impositione suâ videtur significare bonum completum appetitûs satiativum. Neque est novum, inquiunt, quòd alicujus rei essentia subjecto insit, et tamen illud non denominet; id autem accidit quando ad denominationem requiritur aliquid aliud præter essentiam, puta quod insit secundùm notabilem suî aut subjecti partem, vel aliquid simile; unde aqua, licet essentiam caloris habeat quando ipsi inest unus aut alter gradus caloris, non tamen denominatur calida quamdiù manent illi gradus remissi. Similiter hoc vocabulum, *perfectum*, non semper denominat suum subjectum simpliciter tale, quamvis illi adsint quæ ad perfectionem essentialem requiruntur; non enim puer aut cæcus vocari solet homo perfectus, licet perfectionem essentialem hominis habeat. Ita doctissimus Sylvius, qui videtur propendere in hanc sententiam quam haurit ex Curiel, Tannero, Estio et aliis. Cæterum nihil habent melius quod respondeant qui nobis hæc objiciunt. Etenim si secundùm nos amor fruitivus sit tantùm proprietas beatitudinis, et ideò ab eâ separabilis, secundùm illos et alios, satietas, pax, delectatio, securitas, perpetuitas, impeccabilitas, etc., sunt proprietates beatitudinis, et consequenter, juxta argumentum, ab eâ separabiles; quæro igitur utrùm qui videret et amaret Deum, esset beatus si divinitùs impediretur resultantia istarum proprietatum? Quam dabunt responsionem, nos ipsis eam reddemus.

Inst. 6°. Beatitudo formalis consistit in perfectissimâ unione cum Deo : atqui perfectior est illa unio quæ fit per actus intellectûs et voluntatis, quàm quæ fit per actum solius intellectûs; ergo. (Hic q. 28, a. 1, o.)

Resp. : Dist. maj. : Beatitudo formalis consistit in perfectissimâ unione effectivâ cum Deo, concedo maj.; affectivâ, nego maj. Verùm quia istud argumentum militat etiam contra secundam et tertiam conclusionem, accuratiùs discutietur infra.

*Solvuntur objectiones contra secundam et tertiam conclusionem.*

Obj. 1° auctoritate Patrum (de S. Scripturis enim jam dictum est). S. Aug. serm. 53 de Tempore, charitatem commendans : *Hæc*, inquit, *præmium summum est sanctorum in cœlo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei;* 10 Confess. c. 21 : *Omnes ipsum gaudium vitam æternam vocant;* et cap. 12 : *Hæc sola est vita æterna gaudere ad te et de te.* S. Anscl. l. 2 *Cur Deus homo*, ait, *creaturam rationalem à Deo factam esse justam ut fruendo beata sit.* S. Chrysost. hom. 46 in Matth. : *Voluntas est quæ remuneratur in bono* Ergo. — Resp. triplici solutione jam datâ ad primam objectionem præcedentem, 1° SS. Patres locis laudatis non loqui de beatitudine metaphysicè consideratâ et quoad essentiam præcisè, sed de beatitudine perfectâ et consummatâ, seu quoad statum; 2° beatitudinem essentialem, quæ est visio Dei, posse dici fruitionem, gaudium, delectationem, non formaliter, sed causaliter et radicaliter, quia ex visione consecutivâ summi boni nascuntur amor fruitivus, gaudium et delectatio; 3° fruitionem non rarò sumi pro ipsâ possessione; et aliquo ex his sensibus optimè intelliguntur testimonia Patrum laudata. Sic juxta S. Aug. charitas est summum præmium sanctorum, vel quia consummat et complet beatitudinem essentialem, vel quia continetur radicaliter in visione quæ est formaliter essentialiter summum præmium. *Nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei*, quia amor est id quo consummatur et decoratur beatitudo, non tamen id quo ejus essentia consistit; vel intellige de perfecto Dei amore, non formaliter, sed causaliter, id est, de clarâ Dei visione, unde fluit perfectus amor; et sic de cæteris. Hanc autem esse mentem S. Aug. patet non solùm ex dictis in secundâ probatione tertiæ conclusionis, sed ex ipso serm. 35 in objectione laudato, ubi reddens rationem cur sancti nihil dulcius habent perfecto amore Dei, ait : *Quem quia præsentem vident, suaviùs diligunt, dulciùs fruuntur ipso bono.* Non ergo ipsa dilectio apud S. Aug. est id quo primo et essentialiter fit adeptio beatitudinis, sed id quod ex tali adeptione consequitur. Similiter explicandi sunt alii Patres laudati.

Obj. 2° : Beatitudo formalis essentialiter consistit in perfectissimâ unione et consecutione Dei ut est ultimus finis : atqui hujusmodi consecutio fit per amorem et perfectiùs quàm per intellectum; ergo. Prob. min. ex SS. Aug. et Th. S. Augustinus 8 de Trinit. c. 10, dicit quòd *amor est junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens;* in Expositione Epist. Joan. tract. 2 : *Si terram diligis, terra es; si Deum diligis; quid dicam? Deus eris;* et 4 Confess. c. 6 : *Benè quidam dixit suo amico : Dimidium animæ meæ.* S. Th. infra, q. 28, a. 1, probat quòd proprius effectus amoris est unire amantem cum amato, ex divo Dionysio, c. 4, de divin. Nomin., ubi dicit quòd *amor est virtus unitiva;* et ad 3 concludit quòd *amor est magis unitivus quàm cognitio, quia cognitio unit secundùm similitudinem intentionalem, amor verò ad ipsam rem refertur;* et in 4, d. 49, q. 1, a. 1, q. 2, ad 5, *quòd per affectum homo perfectiùs conjungitur Deo quàm per intellectum;* et hìc q. 4, a. 3, ad 2, dicit quòd *ad voluntatem vertinet comprehensio et delectatio.* — Responderi posset 1°, dato amorem esse per se consecutivum, non esse tamen consecutivum primariò, sed supponere objectum jam consecutum per intellectum; amare enim Deum clarè visum, supponit illum consecutum per visionem, consequenter non esse beatitudinem essentialem, quæ est prima assecutio ultimi finis ad

quem cætera sequuntur, sed addere tantùm novum modum assequendi, et pertinere ad consummationem et perfectionem seu statum beatitudinis. At veritas est quòd amor non sit per se formaliter assecutivus : unde resp. : Dist. min. Assecutio ultimi finis fit per amorem per se immediatè, nego; mediatè per intellectum, concedo. Amor itaque seu voluntas per amorem tendit, ponderat in bonum, quærit illud dùm est absens, movetque potentias ad illius assecutionem et in assecuto quiescit; per se tamen illud non assequitur, sed secundùm affectum tantùm illi unitur et per alias potentias assequitur, quod generaliter verum est in omni appetitu tam innato quàm elicito. Sic lapis appetit centrum, non tamen per appetitum illud formaliter assequitur, sed per contactum; sic appetitus sensitivus concupiscit bonum sensibile, non tamen illud per se formaliter assequitur, sed per sensus, puta per tactum, visum, auditum. Ergo pariter appetitus rationalis amat bonum intelligibile, at non per seipsum immediatè, sed per intellectum consequibile.

Neque aliquid ampliùs evincunt allatæ auctoritates SS. Aug. et Th. Quantùm ad S. Aug. nulla videtur difficultas. Quantùm ad S. Th. quàm constanter teneat et quàm invictè probet sententiam nostram, ex dictis manifestum relinquitur : non ergo quæ ex ipso objiciuntur eum sensum referunt quem intendunt objicientes. Itaque ad primum, ex q. 28, a. 1, S. doctor distinguit, O. duplicem unionem, unam realem, alteram affectivam, et dicit quòd amor causet efficienter unionem realem, audi, *quia movet ad desiderandum et quærendum præsentiam amati quasi sibi convenientis.* Secundam unionem, scilicet affectivam, *facit formaliter, quia ipse amor est talis unio et nexus;* et hoc ipsum est quod dicimus. Quando ergo dicit ad 3, quòd *amor est magis unitivus quàm cognitio, quia cognitio perficitur per hoc quòd cognitum unitur cognoscenti secundùm suam similitudinem, sed amor facit quòd ipsa res, quæ amatur, amanti aliquo modo uniatur*, loquitur de cognitione, quæ non est ipsa realis unio objecti amati, quam quærit amor, ut contingit quando objectum amatum est quid corporeum aut sensibile et aliter acquisibile quàm per cognitionem. Sic, v. g., ex hoc quòd avarus cognoscat divitias, non illâ unione intellectuali per similitudinem auri quiescit amor, sed aliam quærit et efficit, realem scilicet per contactum. Hoc autem non impedit quominùs si objectum amatum non sit aliter acquisibile quàm per intellectum, ut est ultimus finis noster nempe Deus prima veritas (aliter enim veritas acquiri non potest quàm per intelligentiam et cognitionem ), ipsa cognitio sit ipsa realis unio quam quærit et efficit amor, non per se formaliter, sed per intellectum.

Ad secundum, ex 4, d. 49, resp. ipsismet S. doctoris verbis ibidem, *quòd per affectum homo perfectius Deo conjungitur quàm per intellectum, in quantùm conjunctio quæ est per affectum supervenit* perfectæ conjunctioni quæ est per *intellectum perficiens* ( scilicet accidentaliter ) *et decorans eam; sed tamen oportet quòd prima conjunctio sit semper per intellectum.* Unde mirum est hæc nobis ex S. doctore opponi, cùm inde juguletur opposita sententia.

Ad tertium, ex q. 4 cit., resp. iterùm ejus verbis ibid. ad 3, *quòd comprehensio* (de quâ loquitur ad 2 ) *non est aliqua operatio præter visionem, sed quædam habitudo ad finem jam habitum; unde etiam ipsa visio vel res visa quæ præsentialiter adest, objectum comprehensionis est.* Dupliciter igitur comprehensio sumi potest, 1° pro ipsâ essentiali apprehensione quâ res capitur et tenetur, et sic in subjectâ materiâ est ipsa visio quâ res intelligibilis apprenenditur et possidetur; 2° pro perfectione consecutâ ad istam apprehensionem, quatenùs re jam habitâ aliquis utitur et fruitur tanquam suâ; et ista comprehensio, quæ nihil aliud est quàm fruitio, pertinet ad voluntatem, et de illâ benè dicit S. doctor quòd non est aliqua operatio præter visionem. Uno verbo, comprehensio pertinet ad voluntatem non elicitivè, sed objectivè, quia est objectum fruitionis quæ est actus voluntatis.

Inst. : 1° Deus ut beatitudo objectiva est summum bonum et ultimus finis : atqui bonum et finis est objectum voluntatis; ergo acquiritur et possidetur per actum voluntatis. Patet consequentia, quia actus et objectum sunt ejusdem potentiæ. — Resp. : Dist. min. Bonum et finis ut appetibilis est objectum voluntatis, concedo min.; ut assequibilis, nego min. Aliàs omne quod appetimus ut bonum, per ipsum appetitum assequeremur; quod quàm falsum sit, patet ex dictis, et omnium experientiâ.

Inst. 2° : Voluntas per amorem tendit in Deum ut consequibilem ; ergo. Prob. ant. Per amorem meretur illum; ergo. — Resp. : Dist. ant. ut ante : Voluntas per amorem tendit in Deum ut consequibilem per se immediatè, nego ant.; ut consequibilem mediatè per intellectum, concedo ant. Solutio patet ex dictis.

Inst. 3° : Ejus est potentiæ assequi terminum cujus est tendere in illum; sic, v. g., per motum quo tendimus in terminum alterationis aut motûs localis, illum assequimur : atqui voluntas per amorem tendit in Deum; ergo. — Resp. : Dist. maj. Ejus est potentiæ assequi terminum cujus est tendere in illum tendentiâ executivâ, concedo maj.; tendentiâ affectivâ tantùm, seu intentivâ, nego maj.; et distinctâ min. ad sens. maj. nego conseq. Verum est ergo quòd quando potentia tendit ad terminum in executione et in ipso fieri, ipsa etiam sit assecutiva termini, quia sic tendere est acquirere, et talis terminatio est acquisitio ; at si tendentia sit solùm quoad affectum et intentionem, ut in voluntate, benè stat, imò sic debet esse quòd assecutio pertineat ad aliam potentiam, cujus actuationem et impletionem voluntas desiderat, quia ibi debet esse assecutio ubi desideratur perfectio, et quia creatura intellectualis in ipsâ intellectualitate indiget perfici tanquàm in eo quod magis intimum, proprium et summum est, ideò in intellectu debet esse assecutio ultimæ et maximæ perfectionis quæ est finis ejus.

Inst. 4° : Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ratione summi boni et ultimi finis : atqui in-

tellectus non assequitur Deum sub ratione boni et finis, id enim est proprium objectum voluntatis, sed sub ratione veri tantùm ; ergo. — Resp. : Dist. maj. Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ratione boni et ultimi finis ut appetibilis, allicientis, et moventis affectivè, nego maj., sic est objectum voluntatis ; est assecutio sub ratione boni et finis ut præsentis et realiter possessi, concedo maj., et distinctione applicatâ min. nego conseq. Beatitudo enim non consistit in appetendo, sed in possidendo bonum ; unde actus, quo constituimur beati, non debet respicere bonum ut appetibile, sed ut possessum. Vel aliter, quod in idem redit, dist. maj. Beatitudo nostra formalis est assecutio Dei sub ratione boni et finis, *τὸ sub*, importante rationem *sub quâ* attingitur, nego maj.; *τὸ sub*, importante rationem *quæ* attingitur, concedo maj., et ad hunc sensum distinctâ minore, nego conseq. Quamvis ergo intellectus non attingat Deum formaliter sub ratione boni et finis allicientis et finalisantis, attingit tamen ipsam rationem boni et finis ; distinguit enim inter verum et bonum ; ergo attingit rationem boni. Item voluntas non fertur in bonum nisi prout ipsi proponitur ab intellectu ; ergo intellectus attingit bonum, et hoc sufficit ad formalem beatitudinem ; ad eam enim non requiritur quòd objectum beatificans et satians acquiratur et possideatur sub omni ratione, sed sufficit quòd reipsà habeatur. Sic, v. g., avarus appetit divitias sub ratione boni, et tamen eas tactu assequitur, non sub ratione boni, sed sub ratione tangibilis ; sic curiosus appetit videre pulchrum objectum sub ratione boni, et tamen illud visu assequitur non sub ratione boni, sed sub ratione colorati lucidi; sed quia uterque assequitur id quod bonum est aut reputat bonum, ejusmodi assecutio est appetitûs satiativa et ejus felicitas in quantùm esse potest.

Inst. 5° : Beatitudo formalis est id quod inter intrinseca est maximè volendum et amabile, sicut beatitudo objectiva est id quod inter extrinseca est maximè volendum : atqui actus voluntatis est inter intrinseca maximè volendus ; ergo. Prob. min. : Voluntas plus appetit actum proprium quàm actum intellectûs ; ergo.— Resp. 1° : Dist. ultimum ant. Voluntas plus appetit actum proprium in ratione conjuncti, concedo ant. ; in ratione conjungentis, nego ant. Sic, v. g. voluntas plus appetit actum proprium simpliciter, ut est effectus sibi conjunctus, quàm actum oculi aut pedis ; attamen in ratione vivendi aut ambulandi plus appetit actum oculi aut pedis quàm actum proprium. Ita in nostro casu.—Resp. 2° : Dist. idem ant. Voluntas plus appetit actum proprium quàm actum intellectûs, appetitu innato, concedo ; appetitu elicito, nego. Quamvis enim appetitus innatus sit propter potentiam appetentem, appetitus tamen elicitus est propter ipsum suppositum, quia actiones sunt suppositorum ; bonum autem supposiți est realiter conjungi ultimo fini, quæ conjunctio fit per intellectum, ut probatum est.

Dices : Visio seu cognitio pecuniæ non est consecutio aut possessio pecuniæ ; ergo visio Dei non est consecutio aut possessio Dei.—Resp. : Nego. conseq. Disparitas est quòd cùm pecunia non videatur aut cognoscatur immediatè in se, sed mediantibus speciebus, ejus visio seu cognitio non facit eam oculo vel intellectui immediatè præsentem. Deus verò immediatè in se sine speciebus cognoscitur ab intellectu beato, ut diximus in 1 p.; unde illi immediatè fit præsens et unitur.

Obj. 3 : Beatitudo formalis consistit essentialiter in perfectissimâ operatione naturæ intellectualis, ut dictum est : atqui actus voluntatis est perfectior actu intellectûs ; ergo. Prob. min. : Voluntas est potentia perfectior intellectu ; ergo ejus actus est perfectior actu intellectûs. Prob. ant. : Illa potentia est perfectior cujus objectum est perfectius, virtus efficacior et proprietas præstantior : atqui objectum voluntatis est perfectius quàm objectum intellectûs ; illud enim dicit ordinem ad existentiam quæ est ultima rei perfectio, istud autem abstrahit ab existentiâ ; voluntas movet intellectum in genere causæ efficientis, non intellectus voluntatem, et tandem libertas est proprietas voluntatis, non intellectûs ; ergo.— Resp. 1° : Dato actum voluntatis esse operationem perfectissimam in ratione entis, non ideò esset beatitudo formalis, quia beatitudo formalis est operatio perfectissima in ratione consecutivi, amor autem seu actus voluntatis non est consecutivus, ut probatum est. Sed et negamus actum voluntatis esse operationem perfectissimam etiam in ratione entis. Unde resp. 2° : Nego min. ad probat., nego ant. ad probat. Dist. min. per singulas partes. Ad primam, dist. : Objectum voluntatis est perfectius in ratione entis, transeat ; in ratione objecti, nego. Objectum enim intellectûs est abstractius, universalius et immaterialius; perfectio autem potentiæ desumitur ab objecto perfectiori in ratione objecti, non in ratione entis ; alioquin sensus qui fertur in singularia et existentia, foret perfectior intellectu. Addo quòd intellectus attingat etiam existentiam non exercitam, sed signatam et in ratione quidditatis. Ad secundam, licet voluntas moveat intellectum in genere causæ efficientis et quoad exercitium, movetur tamen ab intellectu quoad specificationem et in genere causæ finalis per propositionem objecti ; iste autem modus movendi est nobilior, quia nobilius est dirigere opus quàm illud exequi. Ad tertiam, quamvis libertas formalis sit in voluntate, radicalis est in intellectu per judicium rationis ; causa autem est nobilior effectu et radix fructu. Insuper, dato quòd libertas sit perfectior necessitate in esse moris, non tamen in esse physico ; alioquin operationes Dei ad extra quibus producit creaturas, forent perfectiores operationibus ejus immanentibus et ad intra quibus seipsum intelligit et diligit ; illæ enim sunt liberæ, non istæ. Adde quòd amor beatificus, de quo hìc est quæstio, sit necessarius; unde ex parte libertatis non præeminet visioni. Hoc argumentum fusiùs tractant nostri Thomistæ in Physicâ, vide si lubet.

Inst. : Saltem amor Dei est perfectior visione Dei; ergo. Prob. ant. multipliciter. 1° Charitas est perfectior fide, juxta illud Pauli 1 Cor. 13 : *Nunc autem*

*manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas ;* ergo est etiam perfectior visione beatificâ. Prob. conseq. Species generis imperfectioris non potest præcellere speciei generis perfectioris, et ideò dicimus quòd cœlum, quantumvis nobile secundùm speciem, sit vilius muscâ, quia genus viventis est perfectius non vivente; ergo si charitas, quæ est species pertinens ad genus volitivum, sit perfectior fide, quæ pertinet ad genus intellectivum, genus volitivum est perfectius intellectivo ; consequenter omnis actus voluntatis, perfectior quolibet actu intellectûs ; ergo ex præcellentiâ charitatis supra fidem rectè colligitur præcellentia amoris beatifici supra visionem beatificam. 2° S. Th. 1 p. q. 82, a. 3, docet quòd, licet cognitio eorum quæ infra nos sunt sit perfectior eorum amore, tamen amor eorum quæ supra nos sunt sit perfectior eorum cognitione ; ex quo infert quòd amor Dei sit melior quàm ejus cognitio, et è contra quòd cognitio rerum corporalium sit melior quàm earum amor. 3° Ordo Seraphinorum, qui dicitur ab ardore charitatis, præcedit ordinem Cherubinorum, qui dicitur à perfectione scientiæ. 4° Visio Dei ordinatur ad ejus amorem, juxta illud S. Anselmi, l. 2 *Cur Deus homo*, cap. 1 : *Rectus ordo est cognoscere ut diligamus, perversus autem diligere ut cognoscamus :* atqui quod ordinatur ad aliud, imperfectius est eo ad quod ordinatur; ergo. 5° Quod posterius est generatione, perfectius est; natura enim semper ab imperfectioribus incipit : atqui amor etiam patriæ est posterior visione, siquidem amor supponat cognitionem ; ergo. Confirmatur. Beatitudo essentialis est quid ultimum : atqui actus voluntatis, scilicet amor fruitivus, est ultima operatio in beatis ; ergo. 6° Tandem illud est melius cujus oppositum est pejus ; nam, ut dicit Aristot. 7 Eth., *pessimum opponitur optimo* : atqui odium Dei quod opponitur charitati, est pejus carentiâ visionis Dei quæ opponitur visioni ; ergo charitas est melior visione.—Resp. : Nego. ant.; ad primam probat. nego conseq., ad probat. nego ant. universaliter sumptum. Contingit enim quòd genus imperfectius contrahatur per speciem perfectiorem specie alterius generis perfectioris; sic corpus incorruptibile, ut cœlum, genericè sumptum est perfectius corruptibili, et tamen corruptibile contrahitur per differentias viventis et rationalis, quæ sunt perfectiores differentiis cœlorum; cujus ratio est, quia genus est totum potentiale, non continens actu differentias, sed potentiâ tantùm, assimilaturque materiæ in ordine ad formas ; unde sicut materia imperfectior potest actuari per formam perfectiorem, ut patet in materiâ sublunari quæ est imperfectior cœlesti, et tamen actuatur per formas perfectiores ; ita genus imperfectius potest contrahi per differentias perfectiores. Ex hoc ergo quòd charitas sit perfectior fide tenebris involutâ, malè infertur quòd genus volitivum sit perfectius intellectivo, et consequenter quòd charitas sit perfectior visione clarâ Dei.

Ad secundam probationem, resp. S. Thomam loqui de amore et cognitione secundùm statum viæ, in quo amor rerum superiorum secundùm quid est perfectior earum cognitione, quia amor fertur in res ut sunt in se, earum autem cognitio in viâ non attingit illas ut sunt in se, sed per species haustas à materialibus, quæ ideò non repræsentant res superiores ut sunt in se, sed secundùm similitudinem materialium à quibus sunt haustæ ; et hàc ratione amor rerum superiorum est perfectior earum cognitione. At verò in patriâ intellectus non cognoscit Deum per speciem, sed ut est in se.

Ad tertiam, resp. similiter Seraphim et Cherubim denominatos fuisse ab amore et cognitione viæ ; unde Auctor, 1 p. q. 109, a. 1, dicit *dæmones aliquando fuisse in ordinibus angelorum, sed ab eis excidisse.* Vel, ut alii dicunt, Seraphim et Cherubim denominantur non ab amore proprio et scientiâ propriâ, sed à ministerio et influxu quem habent in alios ; influunt autem Seraphim amorem, Cherubim scientiam non beatam, sed infusam per revelationem extra verbum ; cognitio autem Dei extra verbum, cùm sit per effectus et ut est in se, est secundùm quid imperfectior amore beato.

Ad quartam, dist. maj. Visio Dei ordinatur ad ejus amorem ut causa ad effectum, vel essentia ad proprietatem, concedo maj. ; ut medium ad finem, nego maj., et distinctione applicatâ min. nego cons. Nec aliud vult S. Anselmus. Cùm enim sit talis ordo inter intellectum et voluntatem ut prior sit intellectus, deinde sequatur voluntas, perversus ordo foret amare ad intelligendum, rectus intelligere ad amandum, *τὸ ad*, dicente habitudinem causæ ad effectum, non medii ad finem aut ejus consecutionem.

Si dicas : Visio ordinatur ad amorem, ut perfectibile ad perfectionem : atqui perfectibile ordinatur ad perfectionem, ut medium ad finem ; ergo.—Resp. : Dist. maj. : Visio ordinatur ad amorem ut perfectibile ad perfectionem accidentalem, concedo ; essentialem, nego ; et ad hunc sensum distinctâ min., nego conseq. Itaque perfectio essentialis rem constituens in esse, se habet ad illam ut finem ad medium ; at perfectio accidentalis supponens rem essentialiter constitutam, è contra se habet ad illam ut medium ad finem non consequendum, sed exornandum, ut patet in omnibus proprietatibus quæ perficiunt accidentaliter essentiam ex quâ fluunt, perfectione quam ex illâmet hauriunt et ad quam ordinantur ut ad finem condecorandum.

Potest etiam intelligi S. Anselmus cum Cajetano de amore et cognitione viæ, in quâ verum est quòd cognitio Dei ordinetur ad amorem, ut ad finem non ultimum, sed proximum quò tanquàm merito ad finem ultimum progredimur. Sed in patriâ beatus non videt clarè Deum, nec eum possidet ut amet ; sed ex eo quòd videat eum clarè, eumque possideat, ipsum amat et ardentiùs amat eoque fruitur, quamvis ulteriùs per charitatem, quæ est amor amicitiæ, et se et suam visionem seu beatitudinem referat ad Deum propter se dilectum. Verùm amor quo appetimus visionem Dei, non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ ; appetimus enim illam nobis ut bonum nostrum, non ut bonum Dei.

Ad quintam, dist. maj. Quod est posterius generatione ante rem constitutam et tanquàm dispositio ad illam est perfectius, concedo maj., quia dispositiones ad constitutionem rei eò sunt perfectiores quò constitutioni rei sunt propinquiores, et hæ sunt posteriores generatione; quia, ut dictum est, natura sicut à remotioribus, ita ab imperfectioribus dispositionibus incipit. Quod est posterius generatione, post rem constitutam tanquàm proprietas sequens ad illam, est perfectius, nego maj., quia post rem constitutam, quod est posterius generatione, est ab essentiâ remotius et ideò imperfectius; unde intellectus qui priùs dimanat ab essentiâ, et eo mediante voluntas, est voluntate perfectior.

Ad confirmationem similiter, dist. maj. Beatitudo formalis est quid ultimum simpliciter et per modum consecutionis, concedo; est quid ultimum secundùm quid et per modum complementi et proprietatis, nego. Solutio patet ex dictis.

Ad sextam, resp. hoc argumentum nimis probare; ex eo enim, si quid probet, sequitur actum cujusvis virtutis ctiam infimæ esse perfectiorem et meliorem visione Dei, cùm oppositum hujus virtutis, scilicet vitium, sit pejus carentiâ visionis divinæ. Istud ergo principium ex Aristotele desumptum, intelligendum est in esse morali non in esse physico, in quo privatio visionis Dei est pessima et pejor odio Dei utpote privatio ultimæ perfectionis hominis constituens ejus damnationem. Sed et dato hoc principium currere etiam in esse physico, neganda est consequentia, quia comparatio amoris et visionis quoad sua opposita, scilicet odium Dei et privationem visionis, non rectè instruitur, cùm non sit oppositio in eodem genere; odium enim Dei opponitur amori contrariè, carentia visionis opponitur visioni privativè; et ideò ab uno ad aliud non est legitima consequentia. Ut ergo justa foret comparatio et legitima consequentia, deberet amori Dei opponi privatio amoris, sicut visioni opponitur privatio visionis; et tunc verum est pessimum opponi optimo; privatio enim visionis Dei est pejor privatione amoris Dei, quia illa est privatio majoris perfectionis quàm ista.

Obj. ultimò: In eo consistit essentia rei ex quo sequuntur ejus proprietates: atqui proprietates beatitudinis, scilicet fruitio, pax, gaudium, impeccabilitas, perpetuitas, etc., non videntur sequi ex actu intellectûs, sed potiùs voluntatis, cùm hæc pertineant ad voluntatem; ergo. — Resp. has et alias beatitudinis proprietates sequi ex visione Dei, vel immediatè, vel mediatè, mediante scilicet voluntate, cujus et eorum quæ in illâ fiunt intellectus est radix, ut magis patebit ex art. subsequenti.

## ARTICULUS III.

*Utrùm animæ justorum corporibus solutæ et plenè purgatæ, statim consequantur suam beatitudinem?*

Circa propositam quæstionem duplex fuit error. Primus Millenariorum, qui ex c. 20 Apocal. malè intellecto docebant Christum post universalem carnis resurrectionem secundùm aliquos, vel post resurrectionem justorum duntaxat secundùm alios, regnaturum in terris cum justis mille annis ante judicium universale, et priùsquàm hi justi Dei visione fruerentur in cœlis. Hoc ultimum colligo ex S. Epiph. hær. 77, ubi contra Apollinarem, qui hunc errorem suscitaverat, scribens, dicit: *Sed ita ille statuit primùm in toto illo millenario curriculo naturalibus nos voluptatibus esse fruituros, labore ac dolore sublato; quo quidem evoluto tempore, eorum quæ dicta sunt participes futuros, quod hæc verba declarant: Quæ nec oculus vidit nec auris audivit;* et ex S. Aug. 20 de Civ. c. 7, ubi recensità Millenariorum sententiâ, etc. 20 Apocal. cui innitebantur, ait: *Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbato affuturæ sanctis per præsentiam Domini crederentur.*

Hujus erroris auctores fuerunt Cerinthus hæresiarcha et S. Papias martyr, diverso tamen sensu. Cerinthus revelationes sibi ab angelo factas mentiens, hoc millenarium regnum commentus est transigendum in immoderatis et obscœnis voluptatibus ventris et carnis; hujus regni sedem fore urbem Jerusalem de novo ædificandam, item templum restaurandum, præcepta et sacrificia legis Mosaïcæ innovanda, et homines more Judaico circumcidendos; unde ejus sectatores dicti sunt Græcè *Chialistæ*, Latinè *Millenarii*. Papias autem hos mille annos in terrestri Jerusalem dixit explendos in voluptatibus corporis quidem, sed moderatis et licitis; neque sive templi, sive legis, sive circumcisionis, sive sacrificiorum instaurandorum meminit.

Fuit autem iste Papias episcopus non Jerosolymitanus, ut scripsit quidam recentior, sed Hierapolitanus in Asiâ, auditor Joannis, non Evangelistæ, juxta Euseb. hist. lib. 3, c. ultimo, sed alterius Joannis dicti Senioris seu Presbyteri, qui fuit etiam episcopus Ephesi, licet S. Irenæus, S. Hieron. et alii in hoc Eusebio contradicant. Papiam virum fuisse pertenuis ingenii colligit Eusebius ibidem ex ejus scriptis; attamen propter convictum sive cum Apostolis, sive cum discipulis Apostolorum, atque coronam martyrii, magnam in Ecclesiâ venerationem erat adeptus. Hujus errorem in hâc parte secuti sunt plures trium priorum seculorum Patres, Tertullianus, Irenæus, Justinus martyr et alii, decepti apochryphis Domini sermonibus, quos ipse Papias conscripserat ex malè intellectis quibusdam Apostolorum traditionibus.

Alter error tribuitur Joanni XXII, pont. max., qui dicitur censuisse et docuisse animas sanctorum purgatas non visuras Deum facie ad faciem, seu, ut ipse dicebat, *facialiter*, ante generale judicium. An ita sit, dicemus in Digressione historicâ.

Dico 1°: Millenarium Christi in terris regnum cum sanctis est fictitium.

Probatur 1° ex S. Scripturâ; 1° Matth. 22, dicitur: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei;* ergo Christi regnum cum sanctis non erit in voluptatibus carnalibus etsi moderatis. 2° Regnum Christi futurum æternum angelus vaticinatur, Luc. cap. 1: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis;* et Matth. 24 et 25 in extremo judicio, Sicut reprobi mittuntur in gehennam æter-

nam, ita sancti invitantur in regnum æternum; quod et definivit Ecclesia in concil. Constantinopol. his verbis Symboli : *Cujus regni non erit finis.* Ergo regnum Christi cum sanctis non est circumscribendum mille annis. Probatur 2° ex Patribus qui hunc errorem oppugnârunt. 1° Ex Caio perantiquo scriptore apud Euseb. lib. 3, c. 22. 2° Ex S. Dionys. Alexand. lib. de Promissionibus. 3° Ex Euseb. lib. 3, cit. c. 33, ubi de S. Papiæ Commentariis agens, dicit : *Quæ peregrinas quasdam Servatoris parabolas et novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commentitiis fabulis referta continent; in quibus asserit regnum Christi, post universæ carnis à mortuis resurrectionem, mille annos, humano et corporeo more in terrâ hâc continuatum et stabilitum fore. Quæ quidem dogmata credo eum propterea excepisse, quòd Apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent arcanis figuris et parabolis subobscuris expositæ, malè intellexisset.* 4° Ex S. Hieron. in præfat. lib. 18 Comment. in Isa. 5° Ex S. Epiph. hæres. 77, hunc errorem ab Apollinari suscitatum refellente. 6° Ex S. Aug. lib. 20 de Civit. cap. 7, ubi fatetur se aliquando fuisse hujus sententiæ. Probatur 3° ratione. Fictitium est millenarium Christi regnum in terris cum sanctis post generale judicium, si sancti statim à morte, dùm plenè purgati sunt, consequantur in cœlo claram Dei visionem, et in eo beatitudinem summam, inamissibilem et æternam : atqui sic est, ut probabitur conclusione sequenti; ergo.

Obj. 1° celebrem et obscurum Apocalypsis locum cap. 20, ubi hæc habentur : *Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem Abyssi, et catenam magnam in manu suâ; et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per mille annos, et misit eum in Abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni; et post hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis; et animas decollatorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis; et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Hæc est resurrectio prima. Beatus est sanctus qui habet partem in resurrectione primâ; in his secunda mors potestatem non habet; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog,* etc. Atqui illud ipsum est regnum Millenariorum; ergo. — Resp. : Nego subsumptum. Quia nulla fit ibi mentio neque legis, neque circumcisionis reviviscendæ, neque templi Hierosolymitani restaurandi, ut commentus est Cerinthus, neque voluptatum corporearum, etiam moderatarum, ut fabulatus est Papias. Itaque intelligitur ille locus Apocalypsis de regno spirituali quod justi agunt et agent cum Christo, toto illo intervallo quod intercedit à morte Christi usque ad adventum Antichristi; ita ut *mille annos*, inquit S. Aug. lib. 20 de Civ. c. 7, *pro omnibus annis hujus seculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa plenitudo temporis*, juxta phrasim S. Scripturæ solemnem quæ multitudinem maximam et indefinitam sæpè numero millenario designat, secundùm illud Psal. 104 : *Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes*, id est, in multas generationes; item Psal. 89, et Job 9. Totum hunc locum ad sensum datum interpretatur S. Aug. loc. cit. et illustrissimus Bossuetius in Exposit. Apocal. cap. 2. Videsis.

Obj. 2° et urgebis auctoritates plurium Patrum trium priorum seculorum, Justini, Irenæi, Tertulliani, Lactantii, Severi Sulpitii, et aliorum qui millenarium Christi regnum propugnârunt; ergo. — Resp. laudatos Patres, ut jam dixi, fuisse deceptos apochryphis sermonibus Domini quos Papias ex quibusdam malè intellectis traditionibus oralibus Apostolorum conscripserat; at ubi innotuit hos sermones esse supposititios, statim omnes Patres hanc de millenario Christi regno opinionem impugnârunt.

Inst. : Juxta Tertull. de Præscrip. hæret. c. 31, *id est Dominicum et verum quod est priùs traditum, id autem extraneum et falsum quod est posteriùs immissum :* atqui opinio de millenario Christi regno cum sanctis priùs tradita est, cùm eam asseruerint Patres trium priorum seculorum; ergo. — Resp. : Nego min. Quia censetur illud traditum, seu habere vim traditionis, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*, ut ait Vincentius Lirin. in Commonit. Sententia autem de millenario Christi regno cum sanctis, nec semper, nec ubique, nec ab omnibus tradita est tribus prioribus Ecclesiæ seculis, siquidem Caïus antiquissimus scriptor secundi aut saltem tertii seculi, et S. Dionysius Alexand., qui florebat circa medium tertii seculi, illam oppugnaverint, et ipse S. Justinus martyr, hujus sententiæ patronus, in dialogo cum Tryphone testatur multos, qui piè christianèque sentirent, huic sententiæ fuisse refragatos; verba ejus sunt : *Non eò sum miseriæ redactus, ô Trypho, ut alia quàm sentiam loquar; confessus sum tibi et antea me quidem et alios plures eadem mecum sentientes arbitrari, id sicut planè scitis futurum; multos verò etiam qui puræ piæque sunt christianorum sententiæ, hoc non agnoscere tibi significavi* Hunc locum à Josepho Mede, hæretico Protestante, fuisse depravatum, observat illustrissimus Bossuetius in Expositione Apocal. c. 20.

Obj. 3° illud Matth. 26 : *Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* ergo in regno Christi deliciis corporalibus cibi et potûs perfruentur sancti.— Resp. : Nego conseq. Quia illa verba, sicut alia S. Scripturæ loca in quibus fit mentio de cibo et potu, mysticè sunt intelligenda de spiritualium deliciarum fruitione. Vel, ut interpretatur Chrysost., illa verba referenda sunt ad tempus quod inter resurrectionem et ascensionem Christi intercessit, quo novo modo bibit de hoc genimine vitis, ut suæ resurrectionis veritatem probaret.

Dico 2° : Animæ justorum corporibus solutæ et plenè purgatæ statim consequuntur suam beatitudinem, claram scilicet et facialem visionem Dei.

Est nunc de fide decisâ in concil. Florent. sess. ultimâ, ubi dicitur, *animas corporibus exutas et purgatas in cœlum mox recipi, et intueri clarè Deum unum et trinum sicuti est.* Idem antea definiverat Benedictus XII, Joannis XXII successor, atque contrarium declaraverat hæreticum, decretali : *Benedictus Deus.*

Hanc veritatem apertè indicat Apost. ad Philip. 1, dùm dicit : *Cupio dissolvi et esse cum Christo;* fuisset namque inutile hoc desiderium Apostoli, si non sperâsset se statim à morte visurum Deum.

Idem docent SS. Patres. Fulgentius, serm. de S. Steph. : *Hodiè miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cœlum.* Cyprianus, libello ad Fortunat. c. 12, ait *martyres claudere in momento oculos quibus homines videantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus.* Greg. super 4 Psalm. pœnit. : *Beatitudo et animabus sanctorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominùs post judicium.* Similiter S. Chrysost. hom. 10 in 2 ad Cor.; S. Ambros. lib. 10 in Luc. ; S. Aug. in Psal. 119; et alii. Ecclesiam autem in eâ semper fuisse sententiâ ex eo constat, quòd ab omni retrò tempore diem mortis sanctorum semper vocaverit et vocet *natalem*, quia tunc nascuntur ad vitam gloriæ.

Ratione suadetur. Animæ sanctorum quibus nihil purgandum restat, habent meritum gloriæ, neque est aliquid quod ipsas impediat aut retardet à consequendâ gloriâ; ergo sine fundamento dicitur differenda in diem judicii. Ant. pro primâ parte constat; probatur pro secundâ parte. Si esset aliquod impedimentum ipsas retardans à consequendâ gloriâ, vel esset ex parte cœli quod nondùm esset apertum, vel ex parte corporis quod foret necessarium ad visionem beatificam; non primum, quia Christus ascendens in cœlum illud nobis reseravit (3 p., q. 49, a. 5, ad 4) ; non secundum, quia visio beata non pendet à phantasmatibus corporalibus; ergo (hìc, q. 5, a. 50).

Cæterùm quamvis anima justa independenter à corpore possideat beatitudinem essentialem, quia tamen naturaliter appetit uniri corpori et operari in illo, non erit completa et omnibus numeris absoluta beatitudo, nisi in resurrectione generali, in quâ totus homo, et quoad animam et quoad corpus, beatificabitur.

Obj. 1° : S. Scriptura pluribus in locis testatur beatitudinem essentialem, quæ est merces bonorum operum, reservari in diem judicii ; ergo. Probatur ant. 1° Matth. 25, ubi describitur judicium universale, dicitur : *Ibunt mali in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* 2° Apost. 2 Timoth. 4 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex.* 3° Apoc. 6 : *Vidi subtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, et dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum,* hoc est, ut expectent tempus resurrectionis et generalis judicii, in quo, electorum numero completo, omnes simul recipient mercedem. 4° Denarius evangelicus solvitur tantùm sub vesperam, Matth. 20 : atqui per denarium intelligitur beatitudo, per vesperam finis mundi; ergo.—Resp. : Dist. ant. Beatitudo essentialis reservatur in diem judicii, ut absolutè conferatur, nego ant. ; ut conferatur solemniter cum publico honore et manifestatione bonorum operum, concedo ant. Item reservatur in diem judicii ut conferatur animæ, nego ; ut conferatur toti homini, concedo. Et hoc alterutro sensu intelligitur primum testimonium. Ad secundum, Apostolus loquitur de die mortis suæ de quo præmiserat : *Tempus resolutionis meæ instat.* Ad tertium, intelligitur de desiderio animæ ad corpus, quod complebitur in resurrectione, cùm totus homo beatificabitur. Interim autem animas sanctas beatitudine essentiali esse donatas, constat ex eodem loco, ubi dicitur : *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Per stolam autem intelligunt Patres beatitudinem essentialem. Et cap. 7 seq. dicuntur esse ante thronum Dei. Ad quartum, nego min. pro secundâ parte, quia per vesperam finis vitæ cujuslibet in vineâ Domini laborantis intelligitur.

Inst. 1° : Non est decisum de sorte mortuorum ante judicium generale; ergo. Probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ in missis pro defunctis sic orat pro iis etiam qui ab exordio Ecclesiæ obierunt : *Domine... libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni;* ergo. —Resp. : Nego ant. Ad probat. nego conseq. Sic enim orat Ecclesia, quia cùm sciat Deo nihil esse præteritum nec futurum, agit quasi fideles isti actu obirent; sicut in Adventu cantat expectando adventum Christi, licet venerit.

Inst. 2° : Si mortui statim præmientur ac sunt purgati, non expectatâ resurrectione, non esset superfluum pro ipsis orare, etiamsi nulla esset spes resurrectionis : atqui 2 Machab. 12 dicitur : *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis;* ergo.—Resp. : Dist. maj. : Si mortui, etc., non foret superfluum pro ipsis orare, etiamsi nulla esset spes resurrectionis corporalis, transeat maj. ; etiamsi nulla esset spes resurrectionis à flammis purgantibus ad beatam et æternam vitam, nego maj. De hâc autem secundâ resurrectione loquitur S. Scriptura. Non enim est spes nisi de bono, et ideò sola resurrectio justorum ad vitam beatam speratur, resurrectio autem impiorum ad supplicium non speratur, sed creditur.

Obj. 2° : Joannes XXII definivit contrarium nostræ conclusioni ; ergo. Pro solutione hujus objectionis, vide Digressionem historicam, in calce hujus dissertationis.

## ARTICULUS IV.

### *De proprietatibus beatitudinis.*

Essentiam sequuntur proprietates. Beatitudinis essentialis proprietates sunt præsertim amor, impeccabilitas et perpetuitas, seu inamissibilitas. De ouibus sequentibus §§ dicemus.

§ 1. *Utrùm videntes Deum illum necessariò ament, necessitate quoad exercitium?*

Nota est distinctio necessitatis in necessitatem quoad specificationem, et necessitatem quoad exercitium. Necessitas quoad specificationem est, quâ quis potest quidem suspendere actum circa aliquod objectum, sed si velit in aliquem actum erumpere circa illud, non potest nisi actum talis speciei, puta amorem, elicere, non odium. Necessitas quoad exercitium est, quâ quis constringitur non solùm ad actum talis speciei, si velit agere, sed ad ipsum agere, ita ut non possit actum suspendere, nec ab illo cessare. De hâc necessitate hìc est quæstio. Certò enim constat beatum non posse odisse Deum clarè visum ut est in se, cùm in eo non possit apparere ratio mali, subindeque necessitari ad ejus amorem, necessitate specificationis.

Dico : Visionem beatificam sequitur felix amandi necessitas, etiam quoad exercitium. Est communior contra Scotistas.

Probatur : Tunc est necessitas exercitii, quando non remanet in voluntate facultas suspendendi actum: atqui in conspectu Dei clarè visi non remanet in beatis facultas suspendendi amorem erga illum; ergo. Probatur min. : Tunc non remanet in voluntate facultas suspendendi actum, dùm non remanet indifferentia judicii circa illum actum; voluntas enim est potentia cæca sequens ductum intellectûs, in cujus indifferentiâ radicatur ejus libertas : atqui in conspectu Dei clarè visi non remanet indifferentia judicii circa ipsum et ejus amorem exercendum; ergo. Prob. min.: Per claram Dei visionem intellectus proponit Deum voluntati ut summum bonum summè amabile, ejus amorem ut tanti ac infiniti boni complexum et fruitionem; nec aliter repræsentare potest, quia est immunis ab errore; ita ut neque in objecto neque in ejus amore possit apparere vel umbra mali, aut tædii, aut defatigationis, vel alicujus ex ullâ parte disconvenientis, aut impeditivi majoris boni; ergo in conspectu Dei clarè visi non remanet indifferentia judicii circa ipsum et ejus amorem.

Confirmatur. Tunc non est in voluntate potestas suspendendi actum circa bonum, quando totaliter à bono impletur, adæquatur et vincitur : atqui voluntas beatorum totaliter impletur, adæquatur, imò inundatur et vincitur à summo bono, quod est Deus, juxta illud Exod. 33 : *Ostendam tibi omne bonum;* ergo. Probatur min.: Voluntas est potentia mobilis à bono proposito per intellectum; ab illo enim trahitur et allicitur : atqui in mobili non manet indifferentia, seu facultas resistendi suo moventi, quando tota potentia mobilis adæquatur, impletur et vincitur à virtute moventis. Si enim tota potentia mobilis impletur et adæquatur, totum quod poterat resistere moventi vincitur. Ergo.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Munus objecti non est movere quoad exercitium, sed tantùm quoad specificationem, quia motio quoad exercitium est causæ efficientis et impellentis, objectum autem non habet rationem causæ efficientis, sed formalis tantùm, quatenùs dat speciem actui; ergo Deus clarè visus non necessitat ad amorem quoad exercitium. Unde S. Th. infra q. 10, a. 2, o., dicit : *Voluntas movetur dupliciter, uno modo quoad exercitium, alio modo quantùm ad specificationem actûs quæ est in objecto. Primo ergo modo voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur, potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, et per consequens neque actu velle illud.*—Resp.: Dist. consequens : Ergo Deus clarè visus non necessitat ad amorem quoad exercitium, immediatè vi et ex formalitate objecti, concedo conseq.; mediatè et ex naturâ ipsius voluntatis, nego conseq. Explicatur : Verum est quòd objectum vi et ratione objecti præcisè, non habeat nisi determinare voluntatem ad speciem actûs; sed voluntatis dispositio et natura est, quòd si objectum ipsi proponatur sine indifferentiâ, adæquans et implens omnem ejus capacitatem, necessariò feratur in illud. Est enim voluntas, potentia naturalis et libera; agit ut libera circa objectum sub indifferentiâ propositum; agit ut natura circa objectum sine indifferentiâ propositum, sive iste indifferentiæ defectus proveniat ex imperfectione cognitionis, ut in motibus subitaneis, sive ex perfectione cognitionis exhibentis bonum universale, ut est in se adæquans imò et superans omnem capacitatem voluntatis, ut est visio clara Dei. Sic ergo intelligendus est S. Thomas, quòd voluntas à nullo objecto necessitatur quoad exercitium vi et ex formalitate objecti præcisè, non autem ex naturâ suâ, si objectum sine indifferentiâ proponatur. Insuper S. Th. ibi non loquitur universaliter de omni objecto voluntatis, sed de objecto voluntatis pro hâc vitâ, in quâ fatemur voluntatem à nullo objecto necessitari quoad exercitium, nisi ex defectu cognitionis, ut jam dixi. Patet ex ipsis verbis S. doctoris : *A nullo objecto*, inquit, voluntas *ex necessitate movetur quoad exercitium; potest enim aliquis de quocumque objecto non cogitare;* quæ ratio verificari tantùm potest pro hâc vitâ, non de clarâ Dei visione in patriâ, à quâ quis oculum mentis divertere non potest, cùm sit æterna et immutabilis, ut docet ipsemet S. doctor.

Inst. 1° : Juxta S. Aug. in Enchirid. c. 105 : *Voluntas non est, aut libera est;* ergo omnis ejus actus est liber.—Resp.: Nego conseq. seu dist. Ergo omnis actus voluntatis, ut liberæ, est liber, concedo; ut natura est, nego. Non ergo ex hoc quòd voluntas sit libera, sequitur quòd in omni suo actu sit libera, neque hoc dixit S. Aug., sed sufficit quòd sit libera in aliquo suo actu. Sicut ex hoc quòd intellectus noster sit discursivus, non sequitur quòd in omni suo actu discurrat; discurrit enim tantùm circa conclusiones, non circa principia. Potest etiam dici quòd S. Augustinus loquatur de libertate à coactione, ut ipsi familiare est; quæ libertas comitatur voluntatem in omni suo actu; non enim potest cogi voluntas in actibus suis elicitis, ut dicam infra.

Inst. 2° : Actus necessarius non potest crescere;

cùm enim necessariò emanat à voluntate, toto conatu emanat : atqui amor est intensior in uno beato quàm in alio, et qui inferior est in amore, potest desiderare gradum altiorem; ergo.— Resp. : Nego ant. cujus falsitas patet in motibus tum naturalibus, tum sensitivis brutorum, tum subitaneis voluntatis. Hi omnes motus sunt necestarii, et tamen possunt crescere et esse majores in uno quàm in altero. Sic lapis et palea necessariò moventur in centrum, velociùs tamen lapis quàm palea. Sic bruta necessariò moventur in cibum, unum tamen vehementiùs altero. Sic motus primo-primi sunt necessarii, et tamen alii aliis impetuosiores, potestque unus per illos desiderare quod alter habet. Et ut extra præsentem materiam non excurramus, visio beata est necessaria, et tamen major in uno quam in altero; quidni pariter amor, quantùmvis necessarius, possit esse major in uno quàm in altero? Nec refert quòd toto conatu à voluntate emanet, quia non sub omni totalitate; potest enim altiori modo emanare, si majori charitate feratur et clariori visione reguletur, quia non emanat à voluntate, nisi mediante habitu charitatis, et principiante atque regulante visione beatâ ; sicuti, ut jam dixi, motus in centrum est à lapide et paleâ toto conatu, et tamen major est impetus in lapide quàm in paleâ.

Ad id quod additur, unum beatum posse desiderare gradum superiorem, negandum est id fieri, quia unusquisque beatus est suâ sorte contentus et plenè satiatus, ex eo quòd assecutio ultimi finis et summi boni satiet appetitum ratione substantiæ, quia est summum bonum possessum, non ratione modi quo datur magis vel minùs intensè, sicut alimentum ratione suæ substantiæ satiat stomachum, non ex modo comedendi aut digerendi magis vel minùs intensè. Præfigitur autem modus à Deo unicuique juxta mensuram charitatis et gratiæ quam habuit in termino vitæ, et majorem non desiderat, quia major illi non debetur. Sicut qui minùs famet et minùs manducat, ut alicubi dicit S. Th. non plus desiderat et æquè satiatur ac ille qui plus famet et plus manducat. Item parvus homo breviori veste est contentus, nec ampliorem desiderat, qualem habet alter grandior.

Inst. 3° : Amor patriæ est idem ac amor viæ : atqui amor viæ est liber; ergo.— Resp. : Dist. maj. : Amor patriæ est idem ac amor viæ, et eodem modo regulatus, nego maj.; et diverso modo regulatus, concedo maj. Amor enim viæ dirigitur et originatur à judicio et dictamine indifferenti ; in patriâ verò, à judicio proponente bonum universale ut est in se, absque mixturâ vel umbrâ mali, consequenter absque indifferentiâ. Utrùm autem sit idem numero, an specie tantùm, amor viæ et patriæ, nihil refert, ut non excidat charitas.

Inst. 4° : In viâ Deus per fidem proponitur etiam voluntati, ut summum et universale bonum; atqui tamen amor inde proveniens est liber; ergo.—Resp. : Dist. maj. : Deus per fidem in viâ proponitur voluntati, ut summum et universale bonum, obscurè et per alienas species, consequenter relinquens locum judicio indifferenti, concedo maj. ; clarè ut est in se, absque indifferentiâ, nego maj.; et concessâ min., nego conseq.

Inst. 5°. Beatitudo ut sic proponitur voluntati sine indifferentiâ : atqui tamen voluntas non coarctatur circa illam quoad exercitium ; ergo similiter circa Deum clarè visum. — Resp. Si agatur de amore actuali et explicito beatitudinis ut sic, nego conseq. Disparitas est, 1° quòd intellectus possit cessare et quandoque cesset à propositione beatitudinis ut sic, ut quando homo dormit; 2° quia in isto amore exercito et explicito beatitudinis ut sic, non est situs ultimus finis hominis, nec omne bonum, sed potest illi esse tædiosus, lassans, disconveniens vel impeditivus majoris et necessarii boni, ut dùm necessitas urget aliquid aliud faciendi : secùs in amore Dei exercito, in quo nec vel umbra tædii aut disconvenientis esse seu apparere potest. Si verò agatur de amore beatitudinis virtuali et implicito, ab eo cessare non potest voluntas; quidquid enim vult, vult ut benè sit et propter felicitatem in communi ; unde etiam cùm abstinet ab amore actuali et explicito felicitatis ut sic, quia fortè tædiosus aut disconveniens est, id facit ut benè sit et propter felicitatem in communi.

Inst. 6°. Amor Dei in Christo erat liber; per illum enim Christus meruit : atqui amor Dei in Christo regulabatur scientiâ beatâ; Christus enim erat simul viator et comprehensor; ergo. — Resp. : Dist. maj. : Amor Dei, secundùm se considerati, in Christo erat liber, nego maj.; amor Dei, ut est ratio diligendi creaturas, concedo maj. Quâ distinctione applicatâ min., nego conseq. Sed de hoc argumento latiùs in tract. de Incarnat.

Inst. 7° : Amor beatorum est perfectissimus : atqui amor liber est perfectior necessario. — Resp. : Dist. min. : Amor liber est perfectior necessario, si necessitas oriatur ex imperfectione cognitionis, ut in motibus subitis, concedo min.; si necessitas oriatur ex perfectiori et pleniori cognitione objecti, ut in beatis, nego min. Quia cùm indifferentia libertatis oriatur ex capacitate et universalitate voluntatis, quæ à nullo bono particulari et limitato impleri potest, et ideò possit ab illo divertere et ad aliud se convertere, si tale ac tantum objectum ipsi proponatur quod adimpleat et adæquet ejus capacitatem et universalitatem, tollitur indifferentia, non quidem minuendo capacitatem et universalitatem, sed adimplendo, adæquando et satiando. Iste autem modus non est imperfectior quàm modus libertatis, sed è contra est altior et eminentior, quia totam universalitatem et in eâ fundatam indifferentiam implet et adæquat; et ideò eminenter habet libertatem. Iterùm de hoc argumento tract. seq.

Dices : Deus potest stante visione beatâ impedire amorem per suspensionem sui concursûs ; ergo amor non habet essentialem connexionem cum visione ; ergo homo beatus potest illum suspendere. — Resp. : Nego ultimam conseq. Ut enim homo non possit suspendere amorem stante visione, non requiritur quòd amor habeat essentialem connexionem cum visione, sed sufficit quòd necessariò ex illâ fluat tanquàm proprietas, ut patet in omnibus proprietatibus quæ non habent

essentialem, sed tantùm necessariam connexionem cum essentiâ; quas tamen nulla causa creata, sed solus Deus impedire potest, sicut calorem ignis impedivit in fornace Babylonis.

§ 2. *Utrùm beati sint impeccabiles ab intrinseco?*

Suppono tanquàm certum de fide, rectitudinem voluntatis seu immunitatem à peccato requiri ad beatitudinem antecedenter et concomitanter. Antecedenter; dicitur enim ad Heb. 12 : *Pacem sequimini et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum.* Apoc. 21 : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium.* Psal. 14, interrogat propheta : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet : *Qui ingreditur sine maculâ, et operatur justitiam.* (Hic, q. 4, a. 4, o.) Et ita passim in SS. Scripturis et Patribus. Ratio etiam suadet, quia beatitudo est adeptio ultimi finis; finis autem comparatur ad id quod ordinatur ad finem, sicut forma ad materiam : atqui nihil consequitur formam, si non sit debitè ordinatum ad illam; ergo neque finem, si non sit debitè ordinatum ad illum. Quidquid ergo deordinat à fine, incongruenter se habet ad illum finem, et ideò non consequitur illum. Concomitanter. Patet ex Apostolo ad Ephes. 5 : *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.* Quæ verba communiter intelliguntur de Ecclesiâ triumphante. Et si intelligas de militante, quantò magis conveniunt triumphanti! 1 Petr. 1 : *Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem;* et alibi. Id etiam deducitur ex ipsâ ratione beatitudinis, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Non esset autem perfectus in omni bono, si peccatum et consequenter debitum pœnæ admitteret.

Supposito itaque beatos neque peccare, nequè ampliùs peccaturos, quæstio est utrùm etiam careant facultate peccandi, et unde proveniat ista impeccabilitas? Scotus cum suis dicit eam provenire ab intrinseco, scilicet ex voluntate et auxilio Dei protegentis et conservantis beatos à peccato. S. Th. cum suis et communiùs dicit eam provenire ab intrinseco beatitudinis, scilicet ex visione et amore. Cum quibus

Dico : Beati sunt absolutè impeccabiles ab intrinseco, nimirùm et ex visione Dei et ex ejus amore. (Ibid. et 4, c. gent. c. 92.)

Prob. prima pars : 1° Non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit in intellectu dictamen defectuosum, vel ex errore, vel ex ignorantiâ, vel ex inconsideratione, quo proponat voluntati aliquid volendum hìc et nunc, quod reverà non est volendum, utpote contrarium aut deficiens à recto et vero fine : atqui intellectus clarè videns Deum non potest habere hoc dictamen defectuosum; ergo. Prob. min. dupliciter : 1° In intellectu vidente Deum clarè non potest esse error aut ignorantia, cùm in Deo videat omnia quæ pertinent ad suam perfectionem; neque inconsideratio, cùm illa Dei visio sit semper in actu et tantæ efficacitatis ut qui sic videt Deum non possit attentiùs cogitare aut advertere objectum peccati, quàm ipsum Deum et id quod ejus voluntati est consentaneum; ergo. Prob. 2° eadem min. : Intellectus videns Deum clarè, videt summum et omne bonum hìc et nunc amandum necessariò : atqui positâ tali visione, non potest intellectus apprehendere et proponere voluntati aliquod bonum amabile contra aut extra Deum, seu sine subordinatione et cum deficientiâ ab illo; aliàs jam ipsum Deum non apprehenderet ut summum et omne bonum, cùm apprehenderet aliquod bonum amabile extra ipsum; nec etiam apprehenderet ut necessariò amandum, sed cum indifferentiâ ut ametur aut deseratur per amorem incompossibilem boni extranei et deficientis ab ipso; ergo.

Probatur 2° eadem prima pars conclusionis : Beatus clarè videns Deum non potest aliquid, nisi secundùm Deum et sub ordine ad illum; ergo non potest peccare. Prob. ant. : Essentia divina, quæ est ipsa bonitatis essentia, sic se habet ad videntem Deum, sicut se habet ratio boni in communi ad non videntem Deum : atqui qui non videt Deum nihil potest velle nisi sub ratione boni; ergo qui videt Deum nihil potest velle nisi sub ordine ad Deum.

Si dicas disparitatem esse quòd bonum in communi includatur essentialiter in singulis objectis in quæ voluntas fertur actu prosecutionis, et ideò non possit aliquid velle quod non sit bonum; at verò Deus non sic includitur essentialiter in singulis objectis voluntatis, —resp. : Licet Deus non includatur essentialiter in objectis voluntatis sicut bonum in communi, attamen, secundùm omnes, voluntas videntis Deum necessitatur quoad specificationem, sicut voluntas necessitatur à bono in communi : atqui ex hoc quòd voluntas necessitetur quoad specificationem à bono in communi, non potest velle aliquid ei oppositum; ergo nec voluntas videntis Deum potest aliquid ei oppositum velle, sed quidquid vult necessariò vult sub ordine ad Deum.

Prob. secunda pars conclusionis : Per amorem beatificum homo convertitur actu continuo ad Deum, tanquàm ad ultimum finem, et illi inseparabiliter unitur atque adhæret; per peccatum verò actu avertitur à Deo, ut ultimo fine, vel saltem deflectit, si peccatum sit veniale : atqui aversio seu defectio actualis à Deo, stare non potest simul cum conversione et adhærentiâ actuali ad illum; ergo.

Ex his rationibus habes, non solùm peccatum commissionis, sed etiam omissionis, esse incompossibile cum beatitudine, quia ad hoc non minùs quàm ad illud requiritur dictamen defectuosum; et utrumque est contra aut præter Deum.

Obj. 1° : Beatus est capax legis imperantis et prohibentis; ergo est capax transgressionis, alioquin frustra lex illi imponeretur. — Resp. : Nego conseq Beato enim potest imponi lex, non quia eam transgredi potest, nisi sensu mox explicando, sed quia dirigi potest et amat subjici superiori cujus regulæ immobiliter adhæret.

Inst. 1° : Illam legem liberè adimplet; ergo posset illam transgredi; libertas enim est ad opposita. —

Resp.: Dist. conseq.: Ergo posset illam transgredi potentiâ antecedente et in sensu diviso, concedo; potentiâ consequente et in sensu composito, nego; eo scilicet modo quo Christus poterat non adimplere præceptum Patris de morte subeundâ. De quo in tract. de Incarnat.

Inst. 2°: Actu omittere actum præceptum, est actu peccare; ergo posse omittere est posse peccare. — Resp.: Dist. consequens ut ante: Posse omittere actum præceptum potentiâ consequente, et in sensu composito, est posse peccare, concedo; posse omittere actum præceptum potentiâ antecedente, et in sensu diviso, est posse peccare, nego. Vide pro utrâque hâc instantiâ in 1. p. diss. 8, a. 4, § 2, et quæ dicam de libertate et merito Christi in tract. de Incarnat.

Inst. 3°: In beatis remanet libertas: atqui potentia peccandi est de essentiâ libertatis creatæ; ergo. — Resp.: Nego min. Potentia enim peccandi est potiùs nævus et defectus libertatis ipsi proveniens per accidens et ratione subjecti nondùm confirmati in gratiâ; ad essentiam ergo libertatis non requiritur potentia contrarietatis ad bonum et malum, sed sufficit potentia contradictionis ad agere et non agere; unde in Deo est perfectissima libertas absque potentiâ peccandi.

Inst. 4°: Non magis repugnat beatitudini peccatum quàm tristitia et dolor: atqui in beato potest esse tristitia et dolor; fuit enim in Christo, qui erat beatus et comprehensor; ergo. — Resp.: Nego maj. quia malum pœnæ neque avertit à Deo, neque procedit ex dictamine defectuoso sicut peccatum. Unde non pugnat essentialiter cum beatitudine, sed est tantùm disconvenientia; quam quidem beatitudo petit excludere, sed quæ exclusio potest miraculosè impediri maximè in viâ, cùm non pertineat ad essentiam, sed tantùm ad statum beatitudinis.

Dico 2°: Probabilius est etiam peccatum habituale esse incompossibile cum beatitudine, prout importat præcisè visionem beatificam.

Plures probant hanc conclusionem ex eo quòd visio beatifica supponat gratiam sanctificantem, in cujus privatione consistit peccatum habituale. Probant autem assumptum, quia visio beatifica, cùm sit actus vitalis supernaturalis connaturaliter elicitus, supponit principium radicale vitæ supernaturalis, quæ est gratia sanctificans. Hæc quidem probatio valeret si principium esset certum; verùm illud negant alii Thomistæ, et dicunt gratiam habitualem suppleri posse per auxilium actuale, ut patet in actu supernaturali fidei elicito à peccatore privato gratiâ, sed habente fidem. Insuper reputant inconveniens et minùs conforme S. Thomæ, quòd incompossibilitas peccati habitualis cum beatitudine videatur repeti ex gratiâ, et non ex ipsâ visione. Posset tamen reponi, ex parte aliorum, suum principium esse intelligendum de actu supernaturali connaturaliter elicito, qualis est visio beatifica, non actus fidei in peccatore; item incompossibilitatem peccati habitualis cum visione beatificâ semper repeti ex ipsâ visione, quia ipsa visio est quæ exigit gratiam sanctificantem. Cæterùm quidquid sit de istâ ratione, non desunt aliæ. Unde probatur conclusio: 1° Per visionem beatificam homo est conversus ad Deum, et Deus condonat illi offensam: atqui hæc duo sufficiunt ad justificationem et expulsionem peccati habitualis; ergo. Min patet. Major etiam pro secundâ parte constat, quia Deus illi confert gloriam et gratiam consummatam, illumque constituit hæredem; ergo condonat illi offensam. *Probatur prima pars maj.*: Per visionem beatam homo taliter disponitur, ut nihil nisi Deum aut in ordine ad Deum diligere possit, ut patet ex præcedentibus; ergo per illam est conversus ad Deum; non enim potest haberi major rectitudo voluntatis. 2° Peccatum habituale est voluntarium; est enim privatio gratiæ connotans actum præcedentem à quo causatur et fit voluntaria: atqui videnti Deum nihil quod sit contra Deum potest esse voluntarium, sicut cognoscenti bonum in communi nihil quod sit ipsi contrarium potest esse voluntarium, ut modò diximus; ergo. 3° Per visionem beatam homo adipiscitur ultimum finem: atqui implicat quòd homo sit adeptus ultimum finem et simul sit ab eo aversus per peccatum; ergo. 4° Tandem implicat aliquem esse summè beatum et summè miserum, qualis foret per peccatum habituale; ergo.

Obj.: Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ sanctificantis: atqui non tollitur privatio nisi per formam oppositam; ergo non potest tolli peccatum habituale sine infusione gratiæ sanctificantis; subsumo: Atqui Deus potest donare hominem visione beatâ absque infusione gratiæ sanctificantis; ergo. Probatur subsumptum: Ad visionem beatam non requiritur nisi lumen gloriæ: atqui istud lumen potest esse sine infusione gratiæ sanctificantis; ergo.

Hujus argumenti solutio est facilis juxta rationem positam in capite probationum dicendo, visionem beatam, ut eliciendam connaturaliter qualis est et debet esse, necessariò requirere gratiam sanctificantem; sed quia hæc responsio patitur difficultatem, aliter. — Resp.: Dist. min.: Non tollitur privatio nisi per formam oppositam formaliter, nego; nisi per formam oppositam, vel formaliter, vel virtualiter eminenter, concedo. Sic, v. g., unio hypostatica non est forma formaliter opposita peccato habituali; si tamen Deus sibi hypostaticè uniret naturam peccato infectam, hoc ipso ista natura mundaretur à peccato et sanctificaretur, quia unio hypostatica est virtualiter eminenter opposita peccato habituali. Sic autem visio beatifica est virtualiter eminenter opposita peccato habituali, quatenùs ita rectificat hominem, ut ejus voluntas non possit quidquam nisi Deum, aut in ordine ad Deum diligere.

Inst. Opposita sunt in eodem subjecto: atqui visio est in intellectu, gratia in animâ aut voluntate; ergo visio Dei nullatenùs opponitur gratiæ privationi. — Resp.: Dist. consequens: Visio Dei non opponitur privationi gratiæ immediatè, concedo; mediatè, nego. Visio enim residet in intellectu, intellectus in animâ;

et anima, mediante intellectu, est radix voluntatis. Unde, positâ firmitate visionis beatæ in intellectu, anima firmatur in bono, et voluntas in suâ radice rectificatur.

§ 3. *Utrùm beatitudo semel adepta sit ab intrinseco perpetua et inamissibilis?*

Certa fides est, contra errorem Origenis, beatitudinem esse sine fine duraturam in perpetuas æternitates. Sic passim testantur S. Scripturæ; Sap. 5 : *Justi autem in perpetuum vivent;* Joan 10 : *Ego vitam æternam do eis;* Matth. 25 : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam;* et alibi pluries. Idque definitum est in concil. Lateran. sub Innocentio III, *c. Firmiter*, de SS. Trinit.; omnesque fideles profitentur in Symbolo *credere vitam æternam.*

Sed quæstio est, ut in præcedentibus, an hæc perpetuitas conveniat beatitudini ab intrinseco et ex naturâ suâ, ut volunt S. Th. et Thomistæ? an solùm ab extrinseco, Dei concursu illam conservante, ut volunt Scotus et Scotistæ? Et nota benè, in sententiâ Thomistarum non negari Deum posse de potentiâ absolutâ destruere beatitudinem, id enim apud omnes in confesso est, sed tantùm asseri beatitudinem ex principiis suis intrinsecis exigere quòd nunquàm desinat. Sic dicimus angelos et animas rationales esse ex naturâ suâ incorruptibiles, licet Deus posset absolutè illos annihilare.

Dico : Beatitudo sanctorum est ab intrinseco perpetua et inamissibilis. Est communior cum Auctore. (Hic q. 5, a. 4, o.)

Probatur duplici ratione. Prima petitur ex communi ratione beatitudinis; secunda, ex ratione hujus specialis beatitudinis, scilicet visionis Dei.

Prima ratio. Cùm beatitudo sit perfectum bonum et sufficiens, oportet quòd desiderium hominis quietet et omne malum excludat : atqui homo naturaliter desiderat retinere bonum quod habet, et quòd ejus retinendi facultatem obtineat; alioquin necesse est quòd timore amittendi, vel dolore de certitudine amissionis affligatur; ergo requiritur ad veram beatitudinem, quòd homo certam habeat opinionem, bonum quod habet nunquàm se amissurum. Quæ quidem opinio si vera sit, consequens est quòd nunquàm beatitudinem amittet; si autem falsa sit, hoc ipsum est quoddam malum, falsam opinionem habere; nam falsum est malum intellectûs, sicuti verum est bonum ejus. Adde quòd in hâc ultimâ suppositione beatitudo erit imaginaria, sicut beatitudo dormientium, qui, dùm expergiscuntur, nihil reale inveniunt.

Dices : Ut beatus sit quietus et plenè satiatus, sufficit quòd ejus beatitudo sit perpetuò conservanda à Deo, idque sciat; ergo. — Sed contra. Vel illam conservationem ex naturâ suâ exigit beatitudo, vel non. Si primum, ergo ex se exigit perpetuitatem et inamissibilitatem, quod intendimus. Si secundum, ergo ex se non est plenè satiativa et quietativa appetitûs beati, quod tamen est de ratione beatitudinis.

Repones : Falsum supponit S. Th., nimirùm beatitudinem esse bonum perfectum, plenè satians appetitum, ergo. Probatur ant. : Visio Dei, quæ est beatitudo hominis, non plenè satiat ejus appetitum; videntes enim habent ulteriora desideria satianda, v. g., desiderant uniri suis corporibus, habere certas cogitationes, salutem parentum, etc. Imò Christus erat comprehensor, et tamen multa mala perpessus est. — Resp. : Nego ant.; ad probat. dist. ant. secundùm solutionem jam alibi datam. Visio Dei non plenè satiat appetitum hominis per se formaliter et immediatè, concedo ant.; radicaliter per suas proprietates, nego ant. Quando ergo dicimus cum Auctore beatam Dei visionem esse plenè satiativam, non est sensus quòd omnia omninò hominis desideria se solâ, aliis exclusis, satiet, sed quædam per se formaliter, quædam virtualiter et radicaliter per proprietates sibi connaturaliter debitas. Et ideò nihil obest quominùs beatus, præter Dei visionem, possit aliquid aliud desiderare, modò non desideret (sicut reverà non desiderat), nisi vel quod statim accipit, vel quod certò accepturus est, et eo tempore pro quo desiderat. Hoc autem sufficit ut inde eruatur beatitudinis inamissibilitas, quia sine illâ nec formaliter nec radicaliter satiaret, cùm tunc nec ipsa nec ejus proprietates securè haberentur. Non est autem perfecta beatitudo, nec plenè satians, quæ cum anxietate possidetur.

Quantùm ad Christum, resp. impassibilitatem corporis, quæ connaturaliter debebat resultare ex visione Dei, miraculosè et ex dispensatione divinâ fuisse impeditam, quia necesse erat illum pati pro redemptione generis humani.

Secunda ratio. Visio beata nullam ex se habet causam per quam possit amittere esse; ergo ex se petit inamissibilitatem. Prob. ant. : Visio beata ex triplici tantùm causâ cessare potest : 1° ex parte subjecti videntis Deum, quia non vult ampliùs videre; 2° ex parte Dei subtrahentis illam visionem; 3° ex parte alicujus causæ creatæ corrumpentis illam per introductionem formæ contrariæ. Atqui non potest cessare ex parte subjecti videntis, quia cùm illa visio conjungat actu animam fonti totius boni, voluntas non potest invenire in eâ aliquam insufficientiam vel aliquod incommodum, vel aliquam rationem mali, quo moveatur ad cessandum ab illâ; neque ex parte Dei, quia, licet Deus, ut dictum est, possit absolutè eam annihilare, quia tamen subtractio beatitudinis semel datæ judicialiter, tanquàm merces et præmium, est maxima pœna et maximum damnum, Deus secundùm exigentiam rerum et potentiam ordinariam non infligit aliquam pœnam, præsertim summam, nisi propter aliquam culpam, quam, ut probavimus supra, beatus non potest committere; neque tandem ex parte agentis creati, quia cùm per istam visionem et conjunctionem, quæ est immediatè ad Deum, mens elevetur supra omnia agentia creata, nullum est quod possit agere in illam. Ergo.

Adde in confirmationem hujus rationis, quòd principia visionis beatæ, quæ sunt lumen gloriæ et essentia divina unita intellectui per modum speciei, sint ex se

invariabilia et incorruptibilia, quia carent materiâ, quæ est principium corruptibilitatis.

*Solvuntur objectiones.*

Obj. 1° : Visio beatifica habet ex se potentiam ad non esse; ergo ex se non est incorruptibilis et inamissibilis. — Resp. : Dist. ant. : Visio beatifica habet ex se potentiam connaturalem ad non esse, nego ant.; potentiam præternaturalem et obedientialem, concedo ant. Licet enim ex se petat non desinere et non destrui, potest tamen Deus potentiâ suâ absolutâ eam destruere; sed id non officit ejus intrinsecæ incorruptibilitati et inamissibilitati, quia non hoc sensu dicimus esse inamissibilem, quasi Omnipotens non possit illam annihilare, sed quia ex naturâ suâ exigit ut semper conservetur; sicut dicimus angelos esse ex naturâ suâ incorruptibiles, licet à Deo possint absolutè annihilari.

Inst. 1° : Esto visio beata ex principiis intrinsecis et in se sit incorruptibilis, non est tamen incorruptibilis ut in tali subjecto, scilicet beato; ergo potest amitti. Prob. ant. : Non est debita tali subjecto, nec cum eo habet connexionem necessariam; ergo. — Resp. : Nego ant.; ad prob. dist. ant. : Non est debita tali subjecto, ut ipsi primo conferatur, concedo ant.; confertur enim gratuitâ Dei voluntate, ut semel collata conservetur, nego ant. Cùm enim ex suis principiis intrinsecis sit incorruptibilis, nec possit assignari causa à quâ expellatur à subjecto cui inest, petit ex se semper inesse.

Inst. 2° : Forma recepta in subjecto extraneo et non connaturali inest ei amissibiliter et corruptibiliter, ut patet in calore recepto in aquâ; secùs si sit in subjecto connaturali, ut calor in igne : atqui visio beata est in homine tanquàm in subjecto extraneo et non connaturali; nam lumen gloriæ à quo dependet, nulli intellectui creato aut creabili est connaturale, ut alibi diximus; ergo. —Resp. : Dist. maj. : Forma ex se corruptibilis in subjecto extraneo inest ei amissibiliter, concedo maj.; forma ex se incorruptibilis, subdistinguo ut antè; est in subjecto amissibiliter, si sit assignabilis causa per quam destruatur, concedo maj.; secùs, nego.

Inst. 3° : Omne accidens, cujus proprium est in esse, sequitur naturam subjecti; ut enim communiter dicitur, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur : atqui anima seu intellectus beati est ex se variabilis; ergo. — Resp. : Dist. maj. : Omne accidens sequitur naturam subjecti, si subjecto subjiciatur et subordinetur, transeat maj.; si subjectum sibi subjiciat et subordinet, ipsumque elevet ad suam immutabilitatem, nego maj. Sic autem est in nostro casu; ex visione namque clarâ Dei, cùm sit gratia consummata et assecutio ultimi finis, voluntas beati immobiliter et necessariò etiam necessitate exercitii adhæret Deo, ut summè bono, ut probavimus in prioribus §§. Et hinc differt visio beata à gratiâ viæ quæ hominis arbitrio subditur. Hujus rei habemus exemplum in subsistentiâ Verbi unitâ humanitati, cujus mutabilitatem et corruptibilitatem non participat, sed cui è contra suam incorruptibilitatem communicat. Unde ad mm. dist.: Anima seu intellectus beati est ex se variabilis absolutè, concedo min.; respectivè ad Deum clarè visum, nego min., quia, ut dictum est, ex visione beatâ voluntas beati immobiliter adhæret Deo. Insuper, ad commune adagium, non sic debet intelligi quasi accidens sortiatur omnem modum subjecti in quo recipitur, sed quòd in ipso recipiatur eo modo quo subjectum est aptum illud recipere, seu juxta capacitatem et dispositionem ejus. Et ideò dixi in distinctione, transeat maj.

Obj. 2° et simul instabis : Visio Dei quam Apostolus habuit in viâ, est ejusdem speciei cum visione beatorum; habet enim idem specificativum, scilicet essentiam Dei : atqui ista visio fuit in Apostolo amissibiliter; ergo sic est in beatis. — Resp. ; Omissa maj. quam quidam negant, dist. min. : Ista visio fuit in Apostolo amissibiliter ex se et principiis intrinsecis, nego min.; sic enim postulabat perpetuitatem; miraculosè et per potentiam Dei absolutam, concedo min.; idque quia Apostolus erat constitutus doctor gentium, qui ad eam visionem, cujus transeunter fuerat particeps, innumeros perducere debebat.

Si dicas S. Thomam docere lumen gloriæ communicatum fuisse S. Paulo per modum transeuntis ad instar luminis prophetici, ergo non postulabat ex principiis intrinsecis perpetuitatem. — Resp. habuisse quidem modum dispositionis transeuntis, fuisse tamen habitum quoad substantiam. Comparatio autem S. Thomæ cum lumine prophetico stat quoad modum tantùm.

Obj. 3° : Visio beata est proprietas gratiæ : atqui gratia non est ex se inamissibilis, ut patet experientiâ quotidianâ; ergo nec visio beata. Patet conseq., quia implicat proprietatem esse magis firmam et immobilem quàm essentiam. — Respondent nonnulli minorem esse veram de gratiâ viæ, non verò de gratiâ consummatâ patriæ. Sed, ut advertit Joannes à S. Th. et post ipsum Contensonus, ista solutio patitur graves difficultates, et vix concipitur quid sit ista gratia consummata, seu quid ista consummatio addat supra gratiam viæ; non quòd sit confirmata; talis enim fuit in divâ Virgine, quæ tamen non erat beata; non quòd sit extra viam, quia animæ in purgatorio sunt extra viam, et tamen non sunt beatæ; non tandem quòd importet gloriam seu visionem; sic enim visio non flueret ab eâ tanquàm proprietas, sed constitueret illam confirmatam. — Resp. itaque faciliùs cum præfatis theologis negando maj., scilicet visionem beatam esse propriè et rigorosè proprietatem gratiæ, quia visio datur gratiæ ut merces et præmium. Quod autem datur alicui ut merces et præmium, non dimanat ab ejus principiis intrinsecis, sed ab extrinseco confertur. Eatenùs verò visio beata dicitur proprietas gratiæ, quatenùs gratia ad illam tendit et illam meretur.

Plura alia visionem beatificam spectantia, v. g., utrùm oculus corporis possit videre Deum? utrùm possit intellectus creatus? utrùm ad id requiratur lumen gloriæ? quid sit lumen gloriæ? utrùm essentia Dei

videatur absque specie impressâ vel expressâ? utrùm beati inæqualiter videant Deum et unde oritur ista inæqualitas? utrùm comprehendant Deum? et alia, require in tract. de Deo, dissert. 4.

## ARTICULUS V.

### *De dotibus et aureolis beatorum.*

### § 1. *De dotibus beatorum.*

Cùm per beatitudinem sit intima inter animam et Deum conjunctio, et quoddam spirituale matrimonium, dos hìc dicitur ad instar dotis quæ datur in sublevamen matrimonii carnalis et ornatum sponsæ, eam aptans ac disponens matrimonio. Et quamvis ordinariè dos conferatur à patre vel parentibus sponsæ, quandoque tamen certis de causis etiam confertur à sponso, puta ex nimio ejus amore in sponsam; et sic est in præsenti. Definitur ergo dos beatorum, *perpetuus animæ et corporis ornatus à Deo collatus, vitæ sufficiens et in æternâ beatitudine jugiter perseverans.* (In Sup. q. 95, a. 1, o.)

*Dotes animæ beatæ.*

Tres communiter assignantur animæ dotes in beatis, scilicet visio, comprehensio seu tentio, et dilectatio, correspondentes tribus virtutibus theologicis : visio fidei, comprehensio spei, et delectatio charitati (ibid. a. 5, o). Quamvis autem hæc nomina sonent operationem, non tamen hìc sumuntur pro operationibus videndi Deum, ipsum comprehendendi et de eo delectandi; in his namque operationibus consistit ipsa beatitudo et conjunctio animæ cum Deo, sed pro habitibus seu qualitatibus ornantibus et disponentibus animam ad perfectam hanc conjunctionem; sicut dos, in matrimonio carnali, non est ipsa conjunctio sponsæ cum sponso, sed aliquid ornans et disponens sponsam ad illam conjunctionem. Hi autem habitus seu qualitates nihil aliud sunt quàm lumen gloriæ et habitus charitatis, non ut sunt principia elicitiva operationum, sed ut elevant animam ad statum altiorem et perfectiorem statu viæ cujus imperfectiones excludunt.

Igitur visio, ut dos, est lumen gloriæ, non quatenùs est, ut jam dixi, principium elicitivum visionis beatæ, sed ut est qualitas disponens et perficiens intellectum ad recipiendam divinam essentiam loco speciei, ipsumque ita clarificans ut sit ab omni obscuritate immunis. Comprehensio, secundùm aliquos, est etiam ipsum lumen gloriæ, non ut clarificans intellectum et ipsum disponens ad recipiendam divinam essentiam loco speciei, sed ut tenens habitualiter ipsam visionem actualem; secundùm alios, est habitus charitatis, non ut elicitivus amoris, sed ut complectens ita firmiter summum bonum, ut sit in statu nihil ultra sperandi, sed omnia possidendi quæ et quando voluerit; et hic est status proprius comprehensoris, ut opponitur statui viatoris qui est status contingentiæ, spei et amoris. Delectatio est etiam ipse habitus charitatis ut causans delectationem beatificam. Vide auctorem, q. cit. per 5 art.

*Dotes corporis.*

Dos corporis beati nihil aliud est quàm qualitas supernaturalis dimanans ab animâ beatâ in corpus sibi unitum et plenè sibi subjectum, ipsum perficiens et disponens ad beatitudinem et gloriam. Sicut enim anima per quasdam dotes disponitur et perficitur in ordine ad conjunctionem cum Deo, ita etiam corpus dùm in resurrectione iterùm unitur animæ beatæ.

Quatuor assignantur dotes corporis gloriosi, scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas; quas expressit Apostolus 1 Cor. c. 15, his verbis : *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione;* en impassibilitas. *Seminatur in ignobilitate, surget in glorià;* en claritas. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute;* en agilitas. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale;* en subtilitas. (In Sup. qq. 82, 83, 84 et 85.)

Itaque impassibilitas *est qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus, excludens ab eo passionem corruptivam.* Subtilitas, *qualitas supernaturalis dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, reddens ipsum alterius corporis penetrativum*, ita ut possit ad libitum deponere aut retinere suæ quantitatis modum repletivum loci et aliorum corporum exclusivum; sic corpus Christi gloriosum intravit ad discipulos januis clausis, et sepulcrum ac ipsos cœlos penetravit. Agilitas, *qualitas supernaturalis ab animâ beatâ dimanans in corpus, ipsum reddens celerrimè, mobile*, non tamen in instanti, juxta illud Isa. 40 : *Assumunt pennas sicut aquilæ.* Claritas, *qualitas supernaturalis ab animâ beatâ dimanans in corpus, ipsum efficiens lumi nosum et diaphanum*, simile cristallo, ita ut in eo appareat mirabilis organisatio interior omnium suarum partium. Vide multò plura in Auctore, qq. citatis.

### § 2. *De aureolis beatorum.*

Aurea est corona, aureola, parva corona superadditа majori coronæ, juxta illud Exod. c. 25 : *Facies-que illi.... coronam interrasilem* (id est, exsculptam) *altam quatuor digitis, et super illam, alteram coronam aureolam.* Aurea itaque significat præmium essentiale beatorum, aureola præmium accidentale et diminutum; et definitur *gaudium accidentale de excellenti victoriâ.* Duplicem namque victoriam reportant justi in hâc vitâ; unam communem vi charitatis, et huic respondet aurea seu præmium essentiale; alteram specialem vi alicujus alterius virtutis, scilicet vel fortitudinis, vel virginitatis, vel zeli instruendi et docendi viam salutis, contra triplicem hostem, mundum scilicet, carnem et dæmonem; mundum vincunt martyres contemptu mortis, quod est omnium malorum quæ mundus potest inferre maximum; carnem vincunt virgines illius illecebris resistendo; dæmonem vincunt quotquot viam salutis docent, dùm suis salutaribus monitis et instructionibus illum è cordibus hominum, in quibus regnabat, expellunt. Et huic triplici præcellenti victoriæ respondet triplex aureola, scilicet martyrum, virginum et doctorum. (Ibid. q. 96 per 13 art.)

Martyr cui competit aureola, is est qui vel mortem, vel plagas mortiferas passus est in testimonium fidei, vel alterius virtutis; de quo vide tractatum nostrum de Fortitudine, dissert. 1, a. 2. Virgo cui debetur

aureola, est persona alterutrius sexûs, servans firmo proposito integritatem carnis, omnis voluntariæ libidinis expertem. Quòd si consensu mentali in voluptates carnis sive licitas sive illicitas hoc propositum interrumpat et postea resumat, non amittit aureolam; secùs si opere externo interrumpat, quia reparabilis est virginitas mentis voluntariè amissa, non carnis. Vide tractatum nostrum de Temperantiâ, dist. 4, a. 5. Doctor cui competit aureola est non solùm qui doctorali laureâ est insignitus, sed quicumque, sive vir sive mulier, qui salutarem fidei et morum docet doctrinam, sive scripto, sive verbo, sive privatim, sive publicè, juxta illud Daniel. 12 : *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Petes utrùm aureola etiam corpori debeatur? — Resp. quòd aureola propriè est in mente; est enim gaudium de operibus illis quibus aureola debetur. Sed sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis, ut dictum est de dotibus corporis; ita ex gaudio aureolæ resultat aliquis decor in corpore : ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam refulgeat etiam in carne. Probabile reputat Soto in 4, d. 49, q. 5, a. 2, claritatem gloriæ efformare in capite virginum coronulam albam, in capite martyrum purpuream, in capite doctorum subviridem. Vide si lubet q. cit. Auctoris. (Ibid. a. 10, o.)

## Digressio historica.

### QUID SENSERIT ET DOCUERIT JOANNES XXII CIRCA TEMPUS GLORIFICATIONIS SANCTORUM?

*(Ad artic. tertium præced. dissert.)*

Hunc SS. pontificem docuisse animas justorum corporibus solutas et plenè purgatas, non fruituras faciali Dei visione ante generale judicium, multorum est opinio. An ita sit inquirimus. Itaque

Dico : Joannes XXII in eam quidem propendit vehementer sententiam, quòd sanctorum animæ ad extremum usque judicium faciali Dei visione non fruantur; eam tamen assertivè non docuisse probabile est. Certum est autem eam ut fidei dogma ab omnibus credendum non definivisse.

Prima pars à nemine negatur, et facilè probatur, 1° ex Odorico Raynaldo auctore coævo, qui refert ex bibliothecâ Vaticanâ ad annum 1331, Joannem XXII in tribus sermonibus habitis, scilicet in festo omnium sanctorum, tertiâ dominicâ Adventûs et in vigiliâ Epiphaniæ, hanc sententiam dogmatizatum esse (quod tamen fecit non asserendo, sed recitando, ut dicemus modo); insuper idem refert ex regesto ipsius Joannis XXII, ipsum sæpius in curiâ coram cardinalibus hanc opinionem in utramque partem ventilâsse ad inquirendam veritatem. 2° Ex continuatore chronici Guillelmi Nangii auctore coævo, qui ad annum 1333 dicit : « Hoc anno prædicatio quam dominus Joannes « papa debuit prædicare, in quâ publicè, ut ferebatur, « dixerat quòd animæ decedentium in gratiâ non vi- « dent Deum, nec sunt perfectè beatæ usque post re- « surrectionem corporum, etc. » 3° Idem continuator ibidem, Gobelinus Persona in Cosdromii ætate sextâ, c. 71; Paulus Langius, Citizensis monachus, in chronico cœnobii sui, referunt quòd Joannes papa incarcerari jussit Thomam Valas Anglum, ordinis Prædicatorum, insignem theologum, eò quòd prædicâsset publicè Avenione contra hanc papæ opinionem. Insuper Albertus Krantzius, lib. 8 Wandaliæ, cap. 16, sic ait : « Hoc erat illud tempus quo sub Joanne ejus nomi- « nis XXII scindebatur Ecclesia de visione separata- « rum animarum, cùm nonnulli ex fratribus Minori- « bus pertinaciter tuerentur illam differri usque ad « novissimum diem, quibus multum videbatur inhæ- « rere pontifex. Sed fratres ex adverso Prædicatores « docebant, etc. » Unde illud Ludovici Bavari imperatoris, aliàs nostro ordini infensi, quòd contra ejus schisma partibus pontificis adhæreremus : « Ordo fra- « trum Prædicatorum est ordo veritatis, quam intre- « pidè ac liberè contra errores quantumvis potentes « adverso pectore tuetur. » Ita refert Bzovius ad annum 1333, ex antiquioribus et probatis auctoribus. Tandem patet ista pars ex omnibus auctoribus coævis et aliis, qui hâc de re scripserunt, et ex congregationibus habitis hâc de re in Saltu Vincennarum auctoritate Philippi regis Franciæ.

Probatur secunda pars ex ipsius Joannis XXII protestatione factâ coram cardinalibus, anno 1334, tertiâ januarii, quam refert Benedictus XII ejus successor in diplomate quod ex MS. Vaticano refert Odoricus Raynaldus : « Protestamur expressè, inquit, quòd quid- « quid in quæstione seu materiâ visionis animarum.... « diximus, allegavimus seu proposuimus, non inten- « dentes aliquid determinare, vel decidere, seu cre- « dere quod esset quovis modo Scripturæ sacræ ob- « vium, vel contrarium orthodoxæ fidei, sed illud so- « lum tenere et credere quod et Scripturæ sacræ po- « test et poterat catholicæ fidei convenire : etsi forsan « in prædictis sermonibus vel collationibus aliqua « quæ, vel Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ quo- « vis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter « intentionem à nobis fuisse prolata dicimus et asse- « rimus, eaque revocamus expressè, non intendentes « illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec « etiam in futurum. » 2° Ex aliâ protestatione ejusdem Joannis quam 3 decemb. ejusdem anni morti proximus fecit coràm cardinalibus et prælatis convocatis, et quam Benedictus XII præfato suo diplomati etiam inseruit : « Ne super iis, inquit, quæ de animabus « purgatis separatis à corporibus, an citra resumptio- « nem corporum divinam essentiam, illâ visione vide- « licet quam vocat Apostolus facialem, videant, tam « per nos quàm nonnullos alios in præsentiâ nostrâ « recitando et allegando sacram Scripturam ac origi- « nalia et dicta sanctorum, vel aliàs ratiocinando sæ- « pius dicta sunt, aliter quàm per nos dicta et intel- « lecta fuerant, intelligantur.... ecce nostram inten- « tionem, etc. » Deinde se credere profitetur quòd animæ separatæ et purgatæ videant Deum clarè facie

ad faciem; et si quid ipsi contrarium exciderit, expressè revocat. 3° Ex epistolâ ipsius Joannis XXII ad Philippum Franciæ regem, quam ex Vaticano codice exscripsit Odoricus Raynaldus ad annum 1333, n. 46, in quâ sic habet : « Cùm autem hanc quæstionem beatus Augustinus in scriptis suis reputaverit valdè dubiam.... et nedùm ipse, sed et multi doctores circa istam materiam varient : propter hoc ut veritas possit melius aperiri, nos interdùm in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite, sed dicta Scripturæ sacræ et sanctorum.... multique tam cardinales quàm alii, coràm nobis et alibi in suis sermonibus, pro et contra de illâ materiâ sunt locuti.... ut sic posset pleniùs inveniri veritas,... utinam, fili, vellet audire quæ in nostris sermonibus diximus Regia Celsitudo, et unum verbum de capite nostro nos non protulisse reperies, sed quæ Christus vel Apostoli, vel sancti Patres et doctores Ecclesiæ protulerunt. » Et postea negat in eâdem epistolâ quòd miserit generalem ministrum Minoritarum Parisios, ut ferebatur, ad astruendam illam sententiam; sed rogat ut cuilibet permittat dicere in hâc re quid verius existimaverit, donec fuerit ordinatum per sedem apostolicam. 4° Ex instrumento cœtûs prælatorum et doctorum habiti in saltu Vincennarum auctoritate regis, in quo sic habent : « Adversentesque quod multorum fide dignorum relatione audivimus quòd quidquid in hâc materiâ Sua Sanctitas dixit, non asserendo seu opinando, sed solummodò recitando. » Hujus instrumenti autographum in scriniis theolog. Facult. Parisiensis, et in archivo majoris conventûs FF. Prædicatorum Parisiis servari testatur Natalis Alexander sec. 13 et 14, dissert. 11, quod totum exscribit.

Prob. tertia pars, 1° ex dictis in probationem secundæ partis; 2° ex Benedicto XII, bullâ Benedictus Deus, in quâ sic loquitur SS. Pontifex : « Cùmque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in consistorio suo publico tam fratribus suis S. R. E. cardinalibus de quorum numero tunc eramus, quàm prælatis et magistris in theologiâ, qui multi aderant præsentes, injungendo districtius et mandando ut super materiâ de visione prædictâ, quando requirerentur ab eo, deliberatè dicerent unusquisque quod sentiret : tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit. » Adde quòd ipse Joannes XXII in diplomate canonizationis S. Thomæ Aquinatis, dicat « ipsum in perpetuas æternitates receptum in patriâ, ejus animam cœlum possidere et in cœlestibus agminibus positum Deum glorificare. »

Obj. contra secundam partem conclusionis testimonium Gersonis, Adriani VI et Guillelmi Okami Minoritæ, referentium Joannem XXII hunc errorem docuisse et propugnâsse : ergo. — Resp. majorem fidem adhibendam esse probationibus nostris ex ipso Joanne et Benedicto XII auctoribusque coævis, quàm Gersoni et Adriano posterioribus, qui ex rumoribus, non ex accuratâ historiæ discussione talia protulerunt. Okamo verò, Ludovici Bavari stipendiario, Joannis XXII hosti, homini schismatico, multò minùs credendum est.

Inst. 1° : Ex dictis in probationem primæ partis, Joannes XXII hunc errorem in tribus concionibus dogmatizavit : ergo. — Resp. : Dogmatizavit, id est, exposuit recitando quid S. Scriptura, quid Patres in favorem talis sententiæ dicerent, concedo; id est, docuit ut veram et asseruit, nego. Solutio patet ex probationibus secundæ partis conclusionis.

Inst. 2° : Ex dictis ibidem jussit incarcerari et vexari qui sententiam contrariam docerent et prædicarent : ergo. — Resp. : Dist. ant. : Jussit incarcerari qui docerent sententiam contrariam, præcisè quia illam docerent et prædicarent, nego; cùm ipse permiserit in utramque partem ventilari in suâ præsentiâ, ut patet ex dictis, et unicuique libertatem reliquerit promendi quid de hâc re sentirent, atque petierit eam dari à rege Franciæ doctoribus Parisiensibus. Quia illam docerent ut de fide et contra sentientes anathemate configerent ante definitionem Ecclesiæ, concedo. Sic enim concionatus fuerat Thomas Valas. Quis autem horum excesserit, an prædicator sic concionando, an Pontifex incarcerando? Favent concionatori, quòd præjudicata videtur jam fuisse hæc sententia in formulis fidei quas Græcis præscripserant Clemens IV et Joannes XXI, in quibus habebatur animas purgatas *mox in cœlum recipi,* ut refert Odoricus. Et opinionem contrariam Parisienses doctores, à rege Philippo Valesio interrogati, responderant *falsam et hæreticam esse.* Et Durandus, episcopus Meldensis, in libello ad ipsum Joannem XXII dixerat esse errorem Scripturæ sacræ, auctoritati totius Ecclesiæ ac sinceritati fidei contrarium, ut reverà in se erat, sicut patuit ex definitionibus posterioris concilii Florent. quod non novum articulum fidei condidit, sed doctrinam ex traditione acceptam clariùs exposuit ac confirmavit.

Inst. 3° : Joannes XXII, in duabus fidei declarationibus datis anno 1334, de quibus supra, expressè revocat quæ priùs dixerat in materiâ visionis beatificæ. Idemque testantur Benedictus XII et Odoricus Raynaldus. Ergo erroneè senserat et docuerat. — Resp. Dist. ant. : Expressè revocat absolutè, nego; conditionatè, concedo; si nempe aliquid contrarium fidei dixerit. Verba ejus sunt : *Si verò alia vel aliter circa materiam hujus visionis per nos dicta, prædicata seu scripta fuerant... ea revocamus expressè.* Nihil autem dixerat, prædicaverat seu scripserat, nisi recitando et allegando, ad inquirendam veritatem, ut ipsemet protestatur in utrâque declaratione et in litteris ad regem christianissimum. In eodem sensu locuti sunt Benedictus XII et Raynaldus, declarationes Joannis XXII referentes.

Inst. 4° : Philippus Valesius rex christianissimus, in litteris ad Joannem XXII datis, minatus est illi rogum ni revocaret sententiam de dilatione visionis beatificæ : *et manda qu'il se révoquât, ou qu'il le ferait ardre.* Ita refert Petrus de Alliaco, cardinalis et archiepiscopus Cameracensis, in oratione habitâ coràm

rege Carolo VI. Ergo hunc errorem docebat et asserebat. — Resp 1° Petrum de Alliaco, qui fertur hæc dixisse septuaginta annis post obitum Joannis XXII, verosimiliùs deceptum fuisse et applicuisse Joanni XXII minas quas rex Philippus intentaverat ministro generali FF. Minorum, qui hanc sententiam de dilatione visionis beatæ usque ad generale judicium publicè prædicaverat Parisiis cum plurium offensione et scandalo. Id conjicio 1° ex silentio auctorum coævorum, qui istarum minarum contra pontificem non meminerunt; 2° ex litteris Joannis XXII ad regem Philippum datis, in quibus conqueritur de minis, ut fama ferebat, à rege intentatis contra religiosos et sæculares, de minis autem contra se intentatis nullam mentionem facit; 3° ex censorio decreto doctorum Parisiensium quo significabant regi, ex multorum fide dignorum relatione, quòd quidquid Sanctitas Sua dixit in hâc materiâ, non asserendo seu opinando protulit, sed solummodò recitando.

Dist. 2° : Dato regem Philippum reverà sic minaciter scripsisse SS. Pontifici, id fecit famâ mendaci deceptus. Et hæc sufficiant ad probabilitatem sententiæ nostræ adstruendam, non enim illam ut certò veram asserimus.

# TRACTATUS DE PECCATIS.(1)

## AUCTORE NATALI ALEXANDRO (2)

*Delicta quis intelligit?* inquit propheta; difficilis sanè peccatorum tractatio et explicatio, et tamen ecclesiasticis viris maximè necessaria, cùm sacramentorum, quorum ministri sunt ac dispensatores, quædam ad remissionem peccatorum per se sint instituta, scilicet Baptismus, Pœnitentia, Extrema-Unctio, et legi Dei, cujus sunt interpretes, æternæque hominum saluti, cujus adjutores sunt ac procuratores, hæc monstra capitaliter adversentur. Cùm verò sacerdotibus omnibus necessaria sit accurata peccatorum cognitio, tum maximè rectoribus animarum, et conscientiarum moderatoribus, qui in administratione sacramenti Pœnitentiæ frequentes sunt; quod ministerium exercere, ut par est, nequeunt, nisi crimina noverint, quorum judices in sacro tribunali sedent, Christi nomine ac auctoritate; nisi morborum naturam et qualitates perspectas habeant, quos ex divinæ medicinæ regulis, Christique præscripto curare debent; in iis præsertim explicandis theologia moralis versatur, cujus institutum sequemur, sepositis scholasticis quæstionibus. Nonnulla tamen quæ dogma spectant, et quæ sacerdotibus ignorare non licet, de originali peccato, de peccati causâ, effectibus, pœnis, de venialis à mortali peccato discrimine, breviter delibabimus, sine quibus peccati definitio et divisio plenè intelligi non possit.

## CAPUT PRIMUM.

### DE PECCATI DEFINITIONE ET DIVISIONE.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Peccati divisio in originale et actuale, et originalis definitio ac propagatio explicatur.*

I. Peccatum est Dei offensa, sive injuria Deo irrogata. Aliud est originale, aliud actuale. Originale dicimus, quod per originem contrahitur; actuale, quod actu proprio ac propriâ voluntate committitur. Hæc notio nominum, sed res ipsa diligentiùs et accuratiùs explicanda est. *Peccatum originale est privatio justitiæ originalis, per communem originem, seu propagationem in omnes homines, ab uno homine, scilicet Adamo, totius humani generis capite ac primo parente, derivata.*

Dicitur privatio, quod ipsi cum actuali peccato commune est; peccatum enim naturam et essentiam subsistentem non esse, sed boni privationem, constans est Patrum doctrina: SS. Dionysii, lib. de divinis Nominibus, cap. 4, Athanasii Oratione contra Gentes; Basilii Homilià 9; Gregorii Nazianzeni Oratione 40; Ambrosii libro de Fugâ seculi, cap. 4; Augustini libro 7; Confessionum, cap. 12, ubi ait : *Quæcumque sunt, bona sunt; malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* Et cap. 16 : *Quæsivi quid esset iniquitas, et non inveni substantiam, sed à summâ substantiâ te Deo detortæ in infimam voluntatis perversitatem.* Ac passim contra Manichæos docet nullam esse mali naturam. Istud catholicæ Fidei dogma esse S. Leo tradit Epistolâ aliàs 93, nunc 15, ad Turribium Asturicensem episcopum, cap. 6 : *Fides vera, quæ est catholica,* inquit, *omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium, bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam : quia Deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum facit.* In hoc igitur peccatum originale cum omni genere peccatorum convenit, quòd sit privatio. Dicitur privatio justitiæ originalis, quo veluti charactere differt à cæteris peccatis. Erat autem justitia originalis eximium quoddam donum, quod gratiam virtutesque complectebatur omnes, et quod primo homini statim in ipsâ origine à Deo infusum, mentem ejus Deo, vires inferiores animæ rationi, corpus animæ subjiciebat, ita ut anima, nullis perturbationibus repugnantibus, Deo obediret, nullaque in membris ad-

(1) Dogmaticam peccati partem mirè versavit Clericus à Belliberone (Leclère de Bauberon), in eximio opere *de Homine lapso et reparato*, quod edidimus in volumine præcedenti *Cursûs Theologiæ*. Consule.

(2) Vide vitam Natalis Alexandri, Cursûs Theologiæ vol. 6, ad Symbolum fidei.

versùs legem mentis concupiscentiæ lex insurgeret. Donum illud, velut effectus causam sequebatur impassibilitas corporis et immortalitas. Donum illud supernaturale, quo primus homo in semetipso rectus dicebatur, ob præclarum facultatum ejus ordinem inter se et ad Deum, non sibi uni, sed universo hominum generi Adamus acceperat, ita decernente Deo, qui in eo, velut hominum cæterorum ab ipso propagandorum primo parente et capite, posterorum omnium voluntates constituit; adeò ut si in gratiâ perseverâsset, justitiam eamdem, ejusque appendices largiente Deo, omnes homines cum animâ ipsâ in primâ suî origine accepissent. Verùm in peccatum prolapsus, præclaro illo dono, cœlestique indumento à latronibus, angelis scilicet noctis ac tenebrarum, exspoliatus, plagisque gravissimis, ignorantiâ scilicet veri, difficultate boni operandi, ex voluntatis infirmitate, et perduelli adversùs legem mentis concupiscentiâ consurgente, ac insuper moriendi necessitate, affectus, ac vulneratus, in viâ semivivus relictus est. Justitiam porrò originalem non sibi solùm, sed posteris omnibus amisit, profligavit. *In illo* enim omnes *peccaverunt*, quia *omnes ille unus fuerunt*, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1 de peccatorum Meritis, cap. 10, lib. 3, c. 7; lib. 2 de Nuptiis et Concupisc., cap. 5, et alibi. In Adamo quippè, ut omnium hominum primo parente et capite, natura illa insita erat, in quâ eos gignere poterat, quamvis nondùm agerent vitas proprias.

Quam dicimus, justitiæ originalis privationem, S. Augustinus sæpè vocat *concupiscentiæ reatum;* non enim concupiscentia ipsa originale peccatum est, quia manet in baptizatis ad agonem, cùm tamen nihil sit damnationis iis qui sunt in Christo Jesu : sed reatus concupiscentiæ. Concupiscentia enim *manet actu, transit reatu*, cùm per Baptismum reatus ille, seu labes originalis, quæ nos reos efficit, Deique inimicos, dimittatur, ac deleatur.

II. Privationem illam justitiæ originalis, peccatum illud originale, per communem originem, seu propagationem, in omnes homines ab uno homine, scilicet Adamo, derivari et transfundi, dogma fidei est, à summis pontificibus Innocentio I et Zozimo, à synodis Diospolitanâ, Africanis, Arausicanâ II, et Tridentinâ definitum, sessione 5; canonibus secundo et quarto, quorum hæc sunt verba : *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam à Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non etiam nobis peraidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animæ; anathema sit :* cùm contradicat Apostolo dicenti, *Rom.* 5 : « Per unum « hominem peccatum intravit in mundum, et per pec« catum mors : et ita in omnes homines mors per« transiit, in quo omnes peccaverunt. » *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiare ad vitam æternam consequendam... anathema sit.*

III. Non *imitatione* porrò, sed *propagatione*, in omnes homines transfundi labem illam originalis peccati dogma pariter fidei est. Et certè Apostolus, cap. 5 Epistolæ ad Romanos, mox indicato, antithesim instituens inter Christum et Adamum, sic per primum hominem invectum peccatum asserit, sicut per Christum collata justitia est : *Igitur*, inquit, *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Justitiam autem à Christo imitatione solâ acceptam non esse, manifestum est : cùm et veteres sancti qui Christum præcesserunt, ideòque non potuerunt eum imitari, justitiam tamen suam ipsi acceptam ferant; et parvuli, qui Christum cognoscere, adeòque imitari non possunt, per ipsum tamen justificentur. Itaque nec per primum hominem peccatum in cæteros aditum habuit imitatione solâ; sed sicut Christus occultâ gratiæ suæ inspiratione justos nos efficit, ita et Adamus occultâ naturæ depravatione, corruptelâ, tabe nos constituit peccatores. Sed et aliis Scripturæ locis nititur Ecclesiæ catholicæ fides de peccato originali, scilicet Davidis oraculo, Psalmo 50 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* S. Hieronymus vertit, *in iniquitate*, secundùm vim Hebraicæ vocis. Nec verò iniquitatum, in quibus conceptus est, nomine, parentum peccata intellexit David, cùm ex sancto conjugio, non ex adulterio aut fornicatione, fuerit progenitus. Fulcitur dogma catholicum et Joannis Baptistæ Christum indigitantis oraculo, 1 : *Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi.* Peccatum à sancto præcursore expressum, commune mundo, id est, hominibus omnibus, peccatum est; ad quod præcipuè tollendum et remittendum Filius Dei carnem assumpsit. Idem confirmatur ex Epistolâ 2 S. Pauli ad Corinthios, cap. 5 : *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Ex hoc etiam Apostoli ratiocinio certissimè colligitur omnes et singulos homines, etiam ipsos infantes, mortuos esse morte peccati; siquidem Christus, qui pro mortuis duntaxat, id est, pro peccatoribus mortuus est, pro parvulis etiam est mortuus. Item ex Epistolæ ad Ephesios, cap. 2 : *Eramus*, inquit Apostolus, *naturâ filii iræ, sicut et cæteri;* id est, à primâ naturæ nostræ origine, sive ex nativitate, non ex consuetudine et imitatione, iræ Dei ac vindictæ obnoxii eramus. Iræ porrò ac vindictæ Dei obnoxius nemo est nisi ob peccatum; nascuntur igitur omnes homines cum peccato. Hæc loca Ecclesia catholica ubique diffusa ita semper intellexit, ut ex Patrum omnium consentientibus testimoniis compertum est, quibus etiam originale peccatum S. Augustinus probavit in libris adversùs Pelagianos editis. Plura de hoc fidei,

dogmate ex doctrinâ Patrum suppeditabit dissertatio nostra *de peccato originali contra Pelagianos*, quæ prima est in Panopliâ adversùs hæreses seculi 5. Histor. eccles. ejusdem seculi p. 2.

IV. Idem confirmant rationes gravissimæ, quibus Pelagianum errorem S. Augustinus impugnavit, elisit. Prima sumitur ex formâ Baptismi, et sacris ritibus ab Ecclesiâ in eo jam ab antiquo usurpatis ante Pelagianorum ortum. Cur enim in remissionem peccatorum confertur, semperque collatus est Baptismus, etiam infantibus, si nullo peccato sunt obstricti? Quorsùm exorcismi, et exsufflationes, et abrenuntiatio Satanæ, si diabolus eis non dominatur? Quâ verò ratione ipsis dominatur, si à peccato sint immunes? Ratio altera sumitur ex parentum christianorum sollicitudine, ut Baptismum filiis suis procurent, et ex Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivatâ, quæ ipsis, etsi à partu recentibus conferendum illum semper docuit, ne ab æternâ vitâ et regno cœlorum excluderentur, secundùm illam Salvatoris nostri sententiam : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Optimus porrò justissimusque Deus homines ad imaginem suam conditos, et propter æternam beatitudinem, quæ regnum cœlorum est, ab eâ non excluderet immeritos et insontes. Essent autem insontes, etiam cùm è vitâ rapiuntur non suscepto Baptismo, si peccatum originis in eis nullum esset, siquidem nulla peccata proprii operis commiserunt. Tertia ratio petitur ex miseriis corporis. Grave enim illud jugum, quod est super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, injustum prorsùs esset, si nullius peccati rei essent infantes. Injustus, inquam, videretur Deus, si tot miseriis creaturas innocentes addixisset. Quod argumentum ethnicos ipsos ita permovit, ut quamvis primi parentis peccatum ignoraverint, ex humanæ tamen naturæ conditione judicaverint insontem non esse hominem, qui tot ærumnis esset addictus. Hinc admissa in superiore vitâ commenti sunt aliqua peccata ab eo, qui ab ipsis vitæ initiis ad labores et molestias damnatus videretur. Hinc S. Augustinus, lib. 4 contra Julianum, cap. 15, veteres illos ethnicorum vates et philosophos, qui errores miseriasque humanæ vitæ ad æquum Dei judicium retulerunt, ad christianum dogma accedere ait; profertque insigne ex Ciceronis Hortensio testimonium, quo probat ethnicos illos philosophos grave jugum super filios Adam, et Dei potentiam justitiamque vidisse, etiamsi gratiam quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt. Nos enim ob aliqua scelera suscepta in vitâ superiore, pœnarum luendarum causâ natos esse dixerunt, verumque esse illud Aristotelis dictum, sic animos nostros cum corporibus esse conjunctos, ut à prædonibus Etruscis corpora viva cum mortuis conjungebantur. Et cap. 12, cùm Ciceronem dicentem induxisset, non ut à matre, sed ut à novercâ, naturâ editum esse hominem in vitam, corpore nudo, fragili, et infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tanquàm obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis, tum subjungit S. Augustinus: *Non hoc auctor iste malè viventium moribus dixit effectum, sed naturam potiùs accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum cur esset grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium; quia sacris litteris non eruditus, ignorabat originale peccatum.*

V. Quamvis porrò filium non portare iniquitatem patris Dominus asserat Ezechielis 18, non sequitur quòd peccatum originale ex Adamo non contrahant omnes homines. Non portat quidem filius iniquitatem patris, quæ nullatenùs sua sit, sed tamen portat iniquitatem patris quæ facta est sua, vel imitatione, vel nativitate. Peccatum autem Adami alienum est *proprietate actionis*, nostrum est autem *contagione propaginis*, ut loquitur S. Augustinus, libro 6 contra Julianum cap. 9.

VI. Ex his Apostoli verbis ad Romanos, cap. 5 : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi;* perperàm colligebant Pelagiani, Adami peccatum omnibus hominibus non imputari, sed illis tantùm qui ipsum peccatum imitantur. Vocabulum enim istud *multi*, eo loci idem significat quod omnes, ut ex versu præcedenti liquet : *Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sic respondet S. Augustinus libro 6 contra Julianum, cap. 24.

VII. Frustra verò quis objiceret sine voluntate nullum esse posse peccatum; nullum ergo esse in parvulis, qui propriæ voluntatis liberique arbitrii usum non habent. In promptu enim responsio est, sine voluntate propriâ nullum esse peccatum propriæ actionis; sine voluntate alienâ nullum esse peccatum originis. Peccatum itaque originale non est sine voluntate primi hominis, quâ seminatum est, ut et in illo esset, et in omnes transiret, ut loquitur S. Augustinus, libro 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 28. Nam *fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt*, inquit idem Pater, lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum, cap. 46. Quæ S. Ambrosii verba sunt, ut ibidem monet. Sicut ergo Israël erat in lumbis Abraham patris sui, quando est decimatus, id est, quando decimas dedit Melchisedech de præcipuis, et ideò etiam in illo decimatus fuit, sive decimas dedit, ut ratiocinatur Apostolus ad Hebræos cap. 7; ita in lumbis Adam fuerunt omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis oriundi; adeòque Adamo peccante, et ipsi ejus voluntate peccaverunt. Hinc S. Augustinus, libro 1 *Retractationum*, cap. 13, ait : *Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè, vocatur etiam voluntarium, quia ex primâ hominis malâ voluntate contractum, factum est quodammodò hæreditarium.*

VIII. Verùm, inquies, quâ ratione fieri potest ut parentes baptizati peccatum originale, quod ipsis dimissum est, transfundant in filios? Illud enim trans-

fundere non possunt quod non habent. Respondetur etsi id humanâ ratione comprehendi non possit, non minùs verum esse, nec minùs credendum, cùm à Deo, qui summa veritas est, nec fallere potest aut falli, sit in Scripturis sacris et traditione revelatum. Nam et in ipsâ naturâ multa Deus occultare voluit, quorum rationem assequi non potest humana mens. Utcumque tamen id explicari potest obviis exemplis. Si enim palea, quæ tantâ diligentiâ separatur à tritico, manet in fructu qui de purgato tritico nascitur; si de oleâ nascitur oleaster; si præputium quod per circumcisionem aufertur, manet in eis quos generant circumcisi homines; si ex Christianis non Christiani generantur; quid mirum, si peccatum quod mundatur per Baptismum, in eos transfundatur, quos gignunt baptizati, vi quâdam tabificâ concupiscentiæ? *Renovati namque parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt: et filii ex parentum reliquâ vetustate toti vetusti, et in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento spiritualis regenerationis et renovationis evadunt;* inquit S. Augustinus, libro 2. De peccatorum Meritis et Remissione, cap. 27. Qui et prolatis mox exemplis, traductionem originalis peccati à parentibus, quibus in Baptismo dimissum est, explicat, libro 3, cap. 8, et libro 6 contra Julianum, capp. 6 et 7. Ex concupiscentiâ, inquam, carnis *gignitur peccator adhuc actu nullus, et ortu novus, sed reatu vetus: homo à Creatore, captivus à deceptore, indigens redemptore.* Ex hâc *concupiscentiâ quod nascitur, utique mundo, non Deo nascitur: Deo autem nascitur, cùm ex aquâ et Spiritu sancto renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit*, inquit idem doctor, libro 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 19.

IX. Anima quidem pura et innocens à Deo creatur, et creando corpori infunditur; sed ut primùm infusa est, in eo tanquàm in vitiato vase corrumpitur; sicut si flos in loco fœtido seratur, quantumvis naturâ suâ pulcher sit et elegans, vitium quoddam atque labem inde contrahit. Et sicut anima, si corpori vulnerato, vel flammis circumdato et ardenti conjungeretur, mox doleret; ita cùm infundatur corpori, in quo peccati quoddam germen est, quia ab Adamo propagatum fuit, et fiat pars hominis ex Adamo progeniti, in quo ut in capite, ut in radice, ut in fonte vitiata natura est, peccati labem statim contrahit. Quamvis igitur concupiscentia in baptizatis remanens non sit peccatum, quia reatus ejus Baptismo remissus est, germen tamen est peccati, et per ipsam peccatum originale traducitur. Unde S. Augustinus, libro 5, contra Julianum, cap. 18, ait: *Qualitas affectionalis mali de substantiâ ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, id est, concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Non enim continuò sanatur in Baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas, sicut continuò reatus ejus aboletur.

X. Cùm peccatum originale in omnes homines derivari ab Adamo catholicâ fide credamus, Christum, qui *Sanctus Sanctorum* est, *impollutus, segregatus à peccatoribus*, exceptum, eâdem fide credimus; quia sine concupiscentiâ conceptus est, non ex virili semine, sed de Spiritu sancto. Unde S. Augustinus, libro 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 24, scribit: *Ex hâc concupiscentiâ carnis, tanquàm filiâ peccati, et quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcumque nascitur proles originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine istâ concupiscentiâ Virgo concepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.* Et cap. 12 ejusdem libri de Christi secundùm carnem conceptu disputans: *Solus*, inquit, *ibi nuptialis concubitus non fuit; quia in carne peccati fieri non poterat sine illâ carnis pudendâ concupiscentiâ quæ accidit ex peccato, sine quâ concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati; ut hinc etiam doceret, omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.*

XI. Excipitur etiam beatissima Dei mater Virgo Maria, non quidem à lege et debito contrahendi originalis peccati, quia et parentis utriusque commixtione genita, et à Christo redempta est; adeoque peccati originalis labe contaminanda erat, nisi ejus animam uberiori gratiâ præventam, munitam, ornatam corpori Deus infudisset; sed excipitur à peccati originalis adhæsione; id est, spectatâ communi hominum ex Adamo per sexûs utriusque commixtionem propagatorum sorte, contrahere vitium originale debuit, sed illud reverâ non contraxit, Christi redemptoris gratiâ servante. Unde hæc verba cœlestis Sponsi in Canticis illi accommodat Ecclesia: *Tota pulchra es, et macula non est in te.* Et certè cùm beata Virgo peccatum actuale nullum omninò commiserit, etiam veniale, ut tenet Ecclesiæ fides in Tridentinâ synodo, sessione sextâ, canone vigesimo tertio expressa, utque docet S. Augustinus, libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 36, Pelagii dictum approbans, asserentis, *Necesse esse pietati confiteri Domini ac Salvatoris nostri Matrem sine peccato;* ac subjungens: *De sanctâ Virgine Mariâ, propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Cùm, inquam, Beata Virgo nullo peccato actuali, etiam veniali, fuerit contaminata, rectè colligitur illam ab originalis quoque peccati labe fuisse exemptam. Ex originalis enim peccati maculâ semel contractâ consequens est peccatum actuale, ut docet S. Augustinus, libro 5 contra Julianum, cap. 15, de Christo sic loquens: *Profectò peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis ex ortu.* Cùm itaque Virgo Deipara peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, ut credit Ecclesia, sequitur illam peccatum non habuisse infantilis ætatis ex ortu, et originali maculâ penitùs caruisse.

Id quidem ad fidem non spectat, variæque sunt eâ de re theologorum catholicorum opiniones, sed in eam

propensior est Ecclesia, quæ Dei Matrem sine peccato conceptam asserit. Unde diem conceptioni ejusdem beatissimæ Virginis sacrum publico et solemni ritu ubique celebrandum constituit sexto idus decembris, cui Sixtus IV Missam et Officium canonicum proprium decrevit, iisdem attributis indulgentiis, quas Urbanus IV instituto abs se solemni Festo Corporis Christi, et ejus Officio ecclesiastico concesserat. Quod ex illius constitutione constat editâ anno millesimo quadringentesimo septuagesimo-sexto, quâ universos Christi Fideles invitat, ut *de ipsius immaculatæ Virginis mirâ conceptione Deo gratias et laudes referant.* Cùm verò postea vehemens eâ de re orta esset contentio, ac mutuis altercationibus turbata pax et tranquillitas videretur, quibusdam temerè prædicantibus aut scribentibus omnes illos qui tenerent aut assererent gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos; idem pontifex huic dissidio intercessit anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, editâ constitutione alterâ, quæ incipit : *Grave nimis*, quâ hujusmodi assertiones ut *falsas, erroneas, et à veritate penitùs alienas* damnat; et prædicatores verbi Dei, et quoscumque alios qui hæc prædicare vel affirmare præsumpserint, excommunicationis sententiam eo ipso incursuros declarat, à quâ ab alio, quàm à Romano pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Simili etiam pœnæ ac censuræ subjicit eos qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet *gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cùm nondùm sit à Romanâ Ecclesiâ et Apostolicâ Sede decisum.* Utramque Sixti constitutionem confirmavit Tridentina synodus, sessione 5, piæ opinioni de immaculatâ Deiparæ Virginis conceptione nihilominùs favens : *Declarat tamen*, inquit, *hæc ipsa sancta synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papæ IV sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Statutum Sixti IV renovavit et confirmavit pariter B. Pius V anno millesimo quingentesimo septuagesimo, editâ constitutione quæ incipit, *Super speculam*, quâ mandat insuper, *Quatenùs nemo cujuscumque ordinis, gradûs, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutrâ parte disputare, rationibus vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando; vel de hâc ipsâ quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit, suspensionis pœnam à divinis ipso facto absque novâ declaratione incurrat, si modò fuerit in sacris institutus, et quocumque præterea gradu, sive dignitate vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non possit.* Cæterùm graviter illos perstringit Pius V, qui *cùm de gloriosæ Virginis Mariæ conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutrâ parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur : Dicunt, ait Dominus, cùm ego non sim locutus.* Addit sanctissimus pontifex : *Cùm sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, et doctrix disciplinæ, de eâ re hucusque non definierit, nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest.* Quamobrem liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile esse judicaverit, salvis decessorum suorum decretis à sacrosanctâ synodo Tridentinâ confirmatis. Sixti IV et Pii V, decessorum suorum, constitutiones de conceptione beatæ Mariæ Virginis Paulus V, anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, edito diplomate quod incipit : *Regis pacifici*, approbavit, confirmavit, innovavit; ac, præter supra dictarum constitutionum pœnas respectivè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscumque electionibus, eo ipso, absque aliâ declaratione privatum existere statuit ac decrevit, qui pontificias illas constitutiones violaverit, necnon perpetuæ inhabilitatis ad concionandum et publicè docendum pœnas incurrere, à quibus solus pontifex absolvere seu dispensare possit.

Gregorius XV, anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo die 24 maii, decrevit ac præcepit ut in posterum, donec articulus hujus modi à sanctâ Sede Apostolicâ fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, nullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere quòd beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, alioquin obnoxium fore censuris et pœnis in constitutionibus decessorum suorum expressis. Alteram tamen opinionem se propterea non reprobare, nec ullum ei præjudicium inferre velle declaravit. Ulteriùs sub eisdem censuris et pœnis mandavit ut negativam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de eâ aliquo modo agant seu tractent. Prohibuit pariter ne in sermonibus etiam privatis et colloquiis, scriptisque aliquis audeat asserere quòd eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hâc opinione affirmativâ aliquo modo agere seu tractare, iis tamen exceptis quibus id à Sede Apostolicâ fuerit concessum. Omnibus denique et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus, quàm cujusvis ordinis, et instituti regularibus mandavit ac præcepit ut in sacrosancto Missæ Sacrificio ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quàm *conceptionis* nomine utantur, sub iisdem censuris et pœnis. Alexander VII, constitutione editâ anno millesimo sexcen-

tesimo sexagesimo primo, constitutiones et decreta decessorum suorum, et præcipuè *Sixti IV*, *Pauli V*, *et Gregorii XV*, *edita in favorem sententiæ asserentis animam beatæ Mariæ Virginis in sui creatione et in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ donatam, et à peccato originali præservatam fuisse, necnon et in favorem festi et cultûs conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam exhibiti*, innovat, et sub pœnis et censuris in eisdem constitutionibus contentis observari mandat. Et insuper omnes et singulos, qui præfatas constitutiones et decreta *ita pergent interpretari, ut favores per illas dictæ sententiæ et festo seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur; vel qui hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè vel indirectè quovis prætextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint*, præter pœnas et censuras in constitutionibus Sixti IV contentas, concionandi et publicè docendi facultate, necnon voce activâ et passivâ in quibusvis electionibus ipso facto privat. Contrariam tamen opinionem, videlicet, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, tenentes, *hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis* damnari vetat sub pœnis in Sixti IV aliorumque pontificum constitutionibus, suâque istâ expressis et inflictis, cùm à Romanâ Ecclesiâ et Apostolicâ Sede quæstio illa nondùm finita fuerit. Nihil in favorem piæ opinionis de conceptione immaculatâ Virginis Deiparæ ex S. Petri cathedrâ magnificentius ac luculentius pronuntiatum est iis quæ hujus constitutionis initio, quæ incipit, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, Alexander VII habet : *Vetus est*, inquit, *Christi Fidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam, in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis redemptoris, à maculâ peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas à felicis recordationis Sixto IV, PP. prædecessore nostro, in ejus commendationem Apostolicas constitutiones, quas sacrum concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursùs et propagata fuit pietas hæc et cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis pontificibus, monasteria religiosorum Ordinum, et confraternitates ac indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.*

De peccato originali hæc scire ut necesse est, ita sufficiet clericis, qui in seminariis instituuntur, et rectoribus animarum, cæterisque sacerdotibus.

### Articulus II.

### *Quid sit peccatum actuale ?*

Peccatum actuale est *voluntas retinendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere.* Ita definit S. Augustinus, libro de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 11, et libro 1 *Retractationum*, cap. 5. Sive : *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex* verò *æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Naturalis ordo in eo positus est, ut sicut anima corpori, ita ipsius animæ ratio cæteris ejus partibus præponatur, Deoque obtemperet : *Ut homo subdat sibi quod habet commune cum bestiis; subdat Deo quod habet commune cum Angelis.* Pro modulo itaque infirmitatis nostræ : *Secundùm naturalem legem, quâ naturalis ordo servatur, justè vivimus, si vivamus èx fide non fictâ, quæ per dilectionem operatur; habentes in conscientiâ bonâ spem repositam in cœlis immortalitatis et incorruptionis, et ipsius perficiendæ justitiæ, usque ad quamdam ineffabiliter suavissimam saturitatem, quam in istâ peregrinatione oportet esuriri ac sitiri, quamdiù per fidem ambulamus, non per speciem. Quapropter hominis actio serviens fidei servienti Deo, refrenat omnes mortales delectationes, et eas coercet ad naturalem modum, meliora inferioribus ordinatâ dilectione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potiùs quàm refrenat. Est autem illicitum, quod lex illa prohibet, quâ naturalis ordo servatur.* Ita S. Augustinus, libro 22 contra Faustum, cap. 27 et 28.

Peccatum definitur *factum, dictum, vel concupitum*, id est, actus humanus, deliberatus, quo fit, vel dicitur, vel concupiscitur aliquid. Quibus verbis peccati materia designatur, quæ vel opus externum est, ut verba, aut interni animi motus. Additur *contra legem æternam;* quibus verbis forma, ut ita loquar, seu potiùs deformitas peccati, quæ aversio à Deo est, et defectio ab illius lege, designatur. Rursùs definiri potest peccatum *perversa Dei imitatio.* Quæ definitio colligitur ex S. Augustino libro 2 Confessionum, cap. 6, ita Deum alloquentis : *Perversè te imitantur omnes qui longè se à te faciunt, et extollunt se adversùm te. Sed etiam sic te imitando, indicant creatorem te esse omnis naturæ; et ideò non esse quòd à te omni modo recedatur.* Id egregiè explicat ibidem : *Nam et superbia*, inquit, *celsitudinem imitatur, cùm tu sis unus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit et gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus unus et gloriosus in æternum? Et sævitia potestatum timeri vult; quis autem timendus nisi unus Deus, cujus potestati eripi aut subtrahi quid potest? Quando, aut ubi, aut quò, vel à quo potest? Et blanditiæ lascivientium amari volunt; sed neque blandius est aliquid tuâ charitate, nec amatur quidquàm salubriùs quàm illa præ cunctis formosa et luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studium scientiæ, cùm tu omnia summè noveris. Ignorantia quæque ipsa atque stultitia simplicitatis et innocentiæ nomine tegitur, quid te simplicius quidquam non reperitur. Quid autem innocentius, quia opera tua malis inimica sunt? Et ignavia quasi quietem appetit; quæ verò quies certa præter Dominum? Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari; tu autem es plenitudo et indefi-*

*ciens copia incorruptibilis suavitatis. Effusio liberalitatis ostendit umbram; sed bonorum omnium largitor affluentissimus tu es. Avaritia multa possidere vult, et tu possides omnia. Invidentia de excellentiâ litigat, quid te excellentius? Ira vindictam quærit, te justiùs quis vindicat? Timor insolita et repentina exhorrescit, rebus quæ amantur adversantia, dùm præcavet securitati; tibi enim quid insolitum, quid repentinum? Aut quis à te separat quod diligis? Aut ubi nisi apud te firma securitas? Tristitia rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas; quia ita sibi nollet, sicut tibi auferri nihil potest. Ita fornicatur anima, cùm avertitur abs te, et quærit extra te ea quæ pura et liquida non invenit, nisi cùm redit ad te.*

### Articulus III.

*Deum non esse auctorem peccati, dogma fidei est.*

Ex peccati definitione liquet Deum peccati non esse auctorem, siquidem justitiæ et æternæ legi, quæ Deus est, adversatur, et aversio est atque defectio ab ultimo fine; Deus autem voluntates hominum à se non avertit, cùm ad seipsum omnia convertat et ordinet. Scripturæ sacræ testimoniis hæc veritas nititur; scilicet Deuteronomii 32 : *Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia : Deus fidelis, et absque ullâ iniquitate, justus et rectus.* Psalmo 5 : *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapientiæ 11 : *Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Odio autem habet Deus peccatum, Sapientiæ 14 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Non est igitur auctor peccati. Ecclesiastici 15 : *Non dixeris : Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris...; non dicas : Ille me implanavit... Nemini mandavit impiè agere, et nemini dedit spatium peccandi;* id est, nemini vitam prorogavit eâ intentione ut peccet. Habacuc 1 : *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Ad Romanos 5 : *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Jacobi 1 : *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Hinc S. Augustinus libro de Spiritu et Litterâ, cap. 31 observat nusquàm legi in sanctis Scripturis : *Non est voluntas nisi à Deo; et rectè,* inquit, *non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo; quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit defectus, id est, si non habeat potestatem.* Et libro 5 de Civitate Dei, cap. 9 : *Sicut,* inquit, *omnium naturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Item libro 2, de Libero Arbitrio, cap. 20 : *Omne bonum ex Deo : nulla ergo natura est quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quò pertineat, et ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus, quoniam est voluntarius, in nostrâ est positus potestate.* Et tractatu 1 in Joannem, ad illa verba : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* ait : *Peccatum quidem non per ipsum factum est : et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cùm peccant.* Idem confirmat S. Prosper in Responsione ad objectiones Vincentianas, cap. 10 : *Detestanda,* inquit, *et abominanda opinio quæ Deum cujusquàm malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem... Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.* Et S. Fulgentius, libro 1 Ad Monimum, cap. 6 : *Sicut,* inquit, *peccatum in Deo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est. Quod autem nunquàm est in opere ejus, nunquàm fuit in prædestinatione ejus.* Et cap. 13 : *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam... Iniquos condemnabit pro impietate vel injustitiâ, quam in eis ipse non fecit.*

Quamobrem concilium Arausicanum II, canone 25, et Valentinum, canone 3, errorem illorum detestantur, illosque anathemate feriunt qui dixerint Deum aliquos ad malum prædestinare. Concilium denique Tridentinum, sessione 6, canone 6, dogma Catholicum, cujus in explicatione versamur, luculenter confirmat his verbis : *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissivè solùm, sed etiam propriè et per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Ex hoc canone colligitur explicatio locorum illorum Scripturæ sacræ, 2 Regum 16 : *Dominus præcepit Semei ut malediceret David.* Et cap. 24 : *Et addidit furor Domini irasci contra Israel et Judam, commovitque David in eis dicentem : Vade, numera Israel et Judam.* Et Joannis 13, Christus Judæ proditori dixit : *Quod facis, fac citiùs.* Hæc enim peccata non propriè et per se operatum esse Deum Scriptura significat, sed solùm permisisse. Verbum *præcepit* priori loco jussionem ac mandatum propriè dictum non significat, sed opportunitatem loci, fugæ, calamitatisque Davidis, à Deo procuratam; quorum occasione Semei proprio vitio depravatus, regi maledicere ausus est. Significat deinde ordinationem maledicentiæ et injuriæ Semei in regis castigationem et pœnam, quia Deus malà iniqui illius hominis voluntate usus est ad humiliandum Davidem, quamvis malam illam voluntatem non fecerit. Significat denique Deum permisisse ut Semei malediceret Davidi, non verò id operatum esse; dedisse ei potestatem, non pravam voluntatem. Atque ita etiam S. Augustinus intelligendus est, libro de Gratiâ et Libero Arbitrio, cap. 20 : *Quomodò,* inquit, *dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens et intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quòd ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit, ideò dictum est :* Dixit ei Dominus. *Nam si jubenti obtemperàsset Deo, laudandus potiùs quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum.* Præterea, Deus voluntatem Semei inclinavit ad substantiam actionis, non ad ejus pravitatem:

motum voluntatis ejus operatus est, non malitiam; sicut natura causa est oculi, non cæcitatis; et anima, facultasque motrix causa est motûs tibiæ atque incessûs, non claudicationis. Ad aliquid inclinavit quod per se malum non erat, sed quo mala ejus voluntas abusa est ad peccatum externo opere complendum; et id permisit Deus ad probandum et exercendum Davidem. *Nec causa tacita est*, inquit S. Augustinus, *cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit*, « ut videat, *inquit*, Dominus humilitatem meam, « et retribuat mihi mala pro maledicto ejus in die « isto. » *Ecce quomodò probatur Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum. Sic usus est Judâ tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum.* Et infra, cap. 21 : *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit.* Hoc sensu dicitur Psalmo 104 : *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolos facerent in servos ejus.* Et ad Romanos 1 : *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam... Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ... Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt.* Et 2 ad Thessalonicenses 2 : *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Iis enim locis Apostolus significat, Deum permittere ut homines impii et mali in graviora subinde peccata ruant, gratiam illis subtrahendo suam, justoque judicio ordinare ut peccata subsequentia pœnæ sint præcedentium, cùm tamen nec illorum, nec istorum auctor sit. *His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum*, inquit S. Augustinus, *manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcumque voluerit, sive ad bona pro suâ misericordiâ, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen justo. Fixum enim debet esse et immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis à Deo sevauci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur... Si autem potens est sive per angelos vel bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem; quid verum est si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona?*

Idem est alterius loci sensus, Deum scilicet adversùs populum Israel indignatione commotum, permisisse ut David incitaretur à Satanâ ad numerandum populum, ut dicitur 1 Paralipomenon cap. 21 : *Consurrexit autem Satan contra Israel; et concitavit David ut numeraret Israel.*

Non absimilis est sensus tertii loci; quod enim Christus ait Judæ proditori : *Quod facis, fac citius*, vox *non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati, qui habens omnium temporum potestatem, ostendit se et moram non facere traditori; et sic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret*, inquit S. Leo sermone 7 de passione Domini.

Permissivè quoque accipiendum est quod dicitur 3 Regum 22 : *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium prophetarum Achab*, et Ezechielis 14 : *Propheta cùm erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum*, et Isaiæ 63 : *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis?* Ut enim ait S. Augustinus libro de Spiritu et Litterâ, cap. 31 : *Cùm voluntas mala potestatem accipit implere quod intenditur, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas; punit enim etiam isto modo, nec ideò injustè, quia occultè.* Sicut ergo venator, qui canem currendi et mordendi cupidum tenet ligatum, si visâ ferâ solvat, rectè dicitur immisisse in feram, quia permisit ut illam insequeretur; ita Deus dicitur decipere pseudoprophetas, et spiritum mendacii in ore eorum dare, et facere ut errent peccatores à viis ejus, quia permittit ut diabolus illos decipiat, et à recto tramite abducat; quem tamen ligatum tenere, et impedire potest ne noceat. *Nec* enim intelligendum est *ex Dei potentiâ vel in malum, vel in bonum aliquem cogi, sed Deo deserente pro meritis ire in malum, et Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum*, inquit S. Augustinus, libro 1 ad Bonifacium, cap. 18. Id confirmat S. Thomas, quæstione 3 de Malo, articulo 1 : *Deus*, inquit, *dicitur tradere aliquos in reprobum sensum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo vel movendo, sed potiùs deserendo, vel non impediendo. Sicut si aliquis non daret manum cadenti, diceretur esse causa casûs illius*, quamvis reverà causa non esset, si manum illi porrigere non teneretur, sed justam causam haberet subtrahendi manum, et casum illius permittendi.

Quanquàm verò Deus excæcet oculos, et obduret cor peccatoris, ut dicitur, Joannis 12 : *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias; excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum;* et ad Romanos 9 : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat;* non propterea peccati auctor est, quia *non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; at potiùs ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur*, inquit S. Augustinus epistolâ 194, aliàs 105 ad Sixtum. Id præclarè omninò S. Thomas explicat, primâ secundæ, quæstione 79, articulo 3 : *Excæcatio*, inquit, *et obduratio duo important. Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo, et aversi à divino lumine. Et quantùm ad hoc Deus non est causa excæcationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex quâ sequitur quòd mens*

*divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, et cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum. Et quantùm ad hoc Deus est causa excœcationis et obdurationis. Est autem considerandum, quòd Deus est causa universalis illuminationis animarum, secundùm illud Joannis* 1 : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; » *sicut sol est universalis causa illuminationis corporum, aliter tamen et aliter. Nam sol agit illuminando per necessitatem naturæ. Deus autem agit voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem licet, quantùm est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo cujus fenestræ sunt clausæ; sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol; non enim suo judicio agit ut lumen interius non immittat, sed causa ejus est solùm ille qui claudit fenestram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excœcationis, et aggravationis aurium, et obdurationis cordis.* Sic autem sumpta excœcatio et obduratio pœna est, non culpa. Denique cùm Deus dicitur *creans malum*, Isaiæ 45, et, *si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit*, Amos 3, non peccatum, sed pœnam fecisse intelligendus est, ut explicant S. Augustinus, libro Contra Adimantum, cap. 26; S. Gregorius, libro 3 Moralium, cap. 6, et S. Thomas 1 p., quæst. 49, a. 2. Idem est sensus horum verborum Domini Davidi comminantis, 2 Regum 12 : *Suscitabo super te malum de domo tuâ*, etc. Eodem etiam sensu Isaiæ 13 dicitur Deum suscitâsse Medos contra Babylonem, ipsisque mandâsse ut illam disperderent ac vastarent.

Hunc articulum absolvat præclara S. Augustini sententia 14, libro de Civitate Dei, cap. 13 : *Ut natura sit, ex eo habet quòd à Deo facta est; ut autem ab eo quod est deficiat, ex hoc quòd de nihilo facta est.* Cui consonat S. Fulgentius, libro de Fide ad Petrum, cap. 3 : *Ideò naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt; ideò deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas ducit conditio originis; ad profectum verò provehit potentia Creatoris.* Neminem moveat locus ille S. Augustini, libro de Perfectione Justitiæ, cap. 13 : *Hoc bonum quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum.* Nihil enim aliud S. Augustinus significat, cùm ad interitum quosdam prædestinatos affirmat, *nisi ad interitum supplicii, non delicti; neque ad malum quod injustè admittunt, sed ad cruciatum quem justissimè patientur; nec ad peccatum quo primæ resurrectionis beneficium amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas malè parit, et æquitas divina benè retribuit.* Ita hanc S. Augustini locutionem explicat S. Fulgentius, libro 1 ad Monimum, cap. 5.

### Articulus IV.

*Explicatur divisio peccati actualis in mortale et veniale.*

Peccatum actuale aliud *mortale*, aliud *veniale* est. Id inter utrumque discriminis intercedit, quòd mortale sit *aversio à Deo tanquàm ab ultimo fine, et conversio ad creaturam;* sive, *adhæsio creaturæ tanquàm ultimo fini.* Quod tunc fit, cùm homo creaturis fruitur, quibus uti duntaxat debet. *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti* verò est, *quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Res illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, et quasi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire atque his inhærere possimus.* Nos igitur qui fruimur et utimur inter utrasque constituti: *Si eis quibus utendum est, frui voluerimus, impeditur cursus noster, et aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum est, obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.* Solo Deo fruendum est, utendum creaturis. *Quomodò ergo si essemus peregrini, qui beatè vivere nisi in patriâ non possemus, eâque peregrinatione utique miseri, et miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam quâ fruendum erat, pervenire valeremus; quòd si amœnitates itineris, et ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, et conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus citò viam finire, et perversâ suavitate implicati, alienaremur à patriâ, cujus suavitas faceret beatos : sic in hujus mortalitatis vitâ peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc mundo, non fruendum, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur; hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna et spiritualia capiamus.* Ita S. Augustinus libro 1 *de Doctrinâ Christianâ, capp. 3 et 4.*

Veniale autem peccatum est *inordinatus ad creaturam affectus servato ordine ultimi finis.* Quod tunc fit, cùm homo ita comparatus est ut creaturam Deo præponere nolit, et à Deo velut ab ultimo fine averti, atque in re temporali velut in ultimo fine quiescere, Dei amicitiam violare, et legem ejus transgredi in re gravi, divinamque amicitiam solvente seu charitatem extinguente.

Peccatum igitur mortale penitùs evertit ordinem hominis ad Deum ut ad finem ultimum, seu conjunctionem illius cum Deo ut ultimo fine, quæ fit per charitatem : peccatum autem veniale hunc ordinem non evertit, adeòque charitatem non exstinguit, sed minuit duntaxat ejus fervorem; et ordine ad finem ultimum servato, perturbat ordinem eorum quibus ad finem obtinendum utendum est. Plus scilicet rebus creatis afficitur quàm par sit, in illisque nimiùm hæret : extra viam non aberrat, nec à viâ penitùs deflectit, sed in ipsâ viâ per aliquas ambages et circuitus tendens, à finis consecutione retardatur. Hinc peccatum mortale contra legem esse, veniale præter legem, ait S. Thomas, non quòd veniale non sit etiam divinâ lege prohibitum, sed quòd non ita repugnet legi, ut ordinem ac finem ejus evertat, scilicet charitatem : quia tamen in aliquo recedit ab ordine legis, præter legem esse dicitur. Cùm autem Deus vita sit animæ, ipsique

per charitatem conjungatur, secundùm illud 1 Joannis, 4 : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in illo;* mortale peccatum, quod hominem penitùs à Deo separat, et charitatem extinguit, dicitur *mors animæ*, non autem veniale. Discrimen alterum inter mortale et veniale peccatum est, quòd peccatum mortale sit irreparabile habitâ ratione statûs in quo constituit peccatorem; cùm in eo penitùs extinguat vitæ spiritualis principium : sicut mors dicitur malum irreparabile, quia nullum in naturâ principium est, quo mortuus ad vitam revocari valeat, quamvis Deus mortuos suscitare possit. Veniale autem peccatum reparabile est; quia principium interius vitæ spiritualis, scilicet charitas, manet in homine justo venialiter peccante, quâ peccatum illud curari ac deleri potest. Unde vel in hoc seculo, vel in futuro, nimirùm in purgatorio dimittitur; mortale verò nusquàm in futuro, si in hoc seculo dimissum non fuerit. Tertium discrimen est, quòd peccatum mortale hominem pœnæ æternæ, quæ *secunda mors* in Scripturis vocatur, obnoxium faciat; veniale verò pœnæ duntaxat temporali.

### Articulus V.

*Veniale peccatum à mortali suâpte naturâ, non ex solâ relatione ad misericordiam Dei illud facilè condonantis, distingui ostenditur.*

Intrinsecum venialis mortalisque peccati discrimen ex Scripturâ sacrâ et traditione demonstratur. Nam *Matthæi* cap. 7 quædam peccata comparantur *festucæ*, quædam *trabi*; et cap. 22, quædam *culici*, quædam *camelo*; et 1 ad Corinthios 3, quædam *ligno*, *fœno*, *stipulæ*, quæ facilè absumuntur, ut significetur illa facilè remitti, quia super fundamentum superstruuntur, id est, charitate, quæ spiritualis ædificii fundamentum est, manente in animâ, committuntur. Unde Apostolus ibidem ait eorum auctorem salvum fore : *Ipse tamen salvus erit sic tamen quasi per ignem;* cùm è contrario de aliis qui graviora committunt ibidem dicat : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ad Galatas 5 : *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Præterea, justi ipsi quotidiè peccant, nec tamen in peccata mortalia quotidiè labuntur, cùm nihilominùs justi, sancti, mundi, immaculati in sacrâ Scripturâ dicantur. Justos ipsos quotidiè peccare, constat ex sequentibus testimoniis. Proverbiorum 22 : *Septies cadet justus, et resurget.* Ecclesiastis 7, 21 : *Non est homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.* Jacobi 3, 2 : *In multis offendimus omnes.* 1 Joannis 1 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quòd autem justi nihilominùs permaneant, sequentia testimonia perspicuè probant. Genesis 6 : *Noe vir justus atque perfectus fuit.* Job 1 : *Erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens à malo.* Psalmo 118 : *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini.* Danielis 6 : *Coram eo justitia inventa est in me.* Lucæ 1 de Zacharià et Elizabeth : *Erant justi ambo ante Deum.* Joannis 13 de Apostolis : *Vos mundi estis, sed non omnes;* mundi autem, justi, et immaculati dici non possunt, qui mortalibus peccatis animam suam inquinant; de quibus dicitur Osee 9 : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*; Ezechielis 14 : *Qui posuerit immunditias suas in corde suo;* et ad Titum 1 : *Inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Procul ergo hæretici Lutherus et Calvinus, qui omnia fidelium ac justorum peccata venialia esse propugnant, non suâpte naturâ, sed quia ex Dei misericordiâ veniam consequuntur. Eorum error sanctorum Patrum testimoniis etiam refellitur. Ex multis Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Cæsarium Arelatensem seligo. S. Hieronymus in cap. 2 Jeremiæ : *Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis. Porrò peccata graviora, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herbâ borith dilui possunt, sed gravioribus tormentis indigent.*

S. Ambrosius libro 2 de Pœnitentiâ, cap. 10 : *Quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc* (quotidiana scilicet pœnitentia) *delictorum leviorum : illa graviorum* (quæ scilicet publicè agitur). Et enarratione in Psalmum 43 explicans hunc versum : *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum;* ait : *Est etiam illud, ut non sit multitudo in commutationibus gravium peccatorum, secundùm quod scriptum est, quia* « quorumdam « hominum peccata manifesta sunt, præcedentia in ju- « dicium : quosdam autem et subsequuntur, 1 ad Ti- « moth. 5, 24. » *Quæ gravia sunt atque manifesta, præcedunt, et sine ullâ dubitatione merguntur : quæ autem leviora sunt, bonis operibus sæpè relevantur... Ubi autem iniquitas propendet, nullâ bonorum operum commutatione revocatur.* S. Augustinus in Enchiridio, cap. 54 : *Interest*, inquit, *quantùm peccent. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideò crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam inveniri posse dicimus sine crimine : peccatum autem si dixerimus quia non habemus, nos seducimus.* Et cap. 70 : *Sanè cavendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidiè perpetranda, et eleemosynis quotidiè redimenda. In melius quippe est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impunè committere... De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit... Delet omninò hæc oratio minima et quotidiana peccata.* Idem sermone 3 in Psalmum 118 : « Quo- « niam, inquit, tentatio est vita humana super ter- « ram; etiamsi à criminibus longè simus, non tamen « deest ubi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel « cogitatu obediamus; quando adversùs majora vigi- « lantibus, quædam incautis minuta subrepunt : quæ « si adversùs nos colligantur, etsi non singula suis « molibus corruunt, omnia tamen acervo nos obruunt « et propter hæc, etiam hi qui ambulant in viis Do- « mini, dicunt : *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam « ad vias Domini et ipsa oratio pertinet, quamvis non « ad eas peccata pertineant. Et sermone 351, aliàs 50, inter homilias quinquaginta, quotidianam pœnitentiam agendam esse docet ob leviora illa quotidiana

que peccata, qualia sunt habere inter se judicia et lites de secularibus rebus, quod Apostolus 1 Cor. 6, *delictum* esse dicit, quamvis ferendum, si ad infidelium tribunalia non deferantur : conjugii usus voluptatis solius causâ, non generandæ prolis; quem tamen Apostolus ut peccatum esse demonstraret, sed infirmitati concessum, *secundùm veniam* permitti, *non secundùm imperium*, 1 Cor. 7, fieri ait; et alia hujus modi, dequibus idem S. Augustinus subjungit : « Quàm « multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus « et negotiis alienis, quæ non ad te pertinent, sive in « vanis cachinnationibus, cùm scriptum sit Eccli. 21: « *Stultus in risu exaltat vocem suam, sapiens autem « vix tacitè ridebit;* sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus, sæpè excessum « modum postridianâ cruditate contestans; sive in vendendis et emendis rebus charitatis et vilitatis vota « perversa. Piget cuncta colligere, quæ quisque in se « ipso certiùs comprehendit, si divinarum Scripturarum speculum non negligenter attendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, sicuti homicidium et adulterium, tamen omnia simul « congregata, velut scabies, quò plura sunt, necant, « aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ « pœnitentiæ desiccentur. » Omnia simul congregata necare, aut animæ decorem ita exterminare, ut illam à cœlestis sponsi castis amplexibus separent, S. Augustinus ait : non quòd plura peccata venialia mortem animæ per se inferant, aut in eâ gratiam et charitatem, in quibus posita est ejus pulchritudo, exterminent; sed quòd ad mortale peccatum disponant, cùm eorum frequentatione cupiditas augeatur, charitas minuatur et refrigescat, animus violationi legis Dei in minoribus rebus assuescens sensim propensionem contrahat ad lapsum etiam in majoribus, et divinæ gratiæ ad graves tentationes vincendas necessariis auxiliis, in pœnam venialium peccatorum, quæ vitare negligit, interdùm privetur. Hinc illud Ecclesiastici 19 : *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Hinc S. Gregorius libro 10 Moralium, cap. 9 : « Ex vanitate, inquit, ad « iniquitatem ducimur, cùm priùs per levia delicta « deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquàm « post committere etiam graviora timeamus. Nam dùm « moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ « remissionis capta, audax ad noxia prorumpit... Si « enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, « audenter etiam majora perpetramus. »

Atque juxta hunc sensum intelligenda sunt similia S. Augustini loca scilicet tractatu 13 in Joannem : *Evigilate*, inquit, *cùm dies est : Christus est dies. In dilectione et misericordiâ ejus qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus et grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria, propter illa quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis, et venit ad lucem in operibus bonis : quoniam minuta pœna peccata, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens : paulatim per sentinam intrat, sed diù intrando, et non exhauriendo mergit navim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo ?*

Ita etiam intelligendus est S. Cæsarius Arelatensis episcopus, homiliâ 7, aliàs S. Augustino adscriptâ, et inter sermones illius de Sanctis 41, ubi mortalium et venialium peccatorum distinctionem confirmat, et quænam illa sint exemplis ostendit. *Quamvis*, inquit, *Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sint illa : sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; et si longo tempore teneatur, iracundia; et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicumque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, et à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit; aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos et in vinculis positos tardiùs requisierit. Quoties infirmos tardiùs visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit. Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quàm oportet; si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit. Si cuicumque majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimiùm deliciosa aut sumptuosa sibi convivia præparaverit. Si se in Ecclesiâ, aut extraEcclesiam, fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si dùm incautè juramus, et cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique perjuramus, et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus, cùm scriptum sit* 1 Cor. 6, 10 : « Neque maledici regnum Dei possidebunt. » *Et cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, sine ullâ dubitatione delinquimus. Hæc enim et his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ, sicut jam dixi, enumerari vix possunt, et à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus; ita tamen eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis ea*

*vix, aut cum grandi confusione venire permittant : de quo scriptum est* Ephes. 5 : « Aptavit sibi Ecclesiam « non habentem maculam aut rugam. » *Et ideò continuis orationibus, et frequentibus jejuniis, et largioribus eleemosynis, et præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta cumulum faciant, et demergant animam.* Denique, *nullum esse peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum mereri mortem æternam*, vigesimus est inter articulos Michaelis Baii à Pio V et Gregorio XIII damnatos.

Huic nihilominùs assertioni favere quispiam objiciet S. Basilium in regulis brevioribus, ad interrogationem 213 scribentem : *Primò scire illud convenit, differentiam hanc majorum et minorum peccatorum nusquàm in Novo Testamento reperiri.* Favere videtur et illud S. Augustini libro 2 de Peccatorum Meritis et Remissione, cap. 5 scribentis : *Quis cum aliquâ spe adipiscendæ salutis æternæ ex hâc vitâ migraret, manente illâ sententiâ, quòd quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* Jacobi 2, *nisi post paululùm sequeretur, superexaltat autem misericordia judicio?* Item illud ejusdem S. doctoris lib. 9 *Confessionum*, cap. 13 : *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam.*

Verùm facilis est ad hæc testimonia responsio. Ad primum enim respondetur, mentem S. Basilii hanc esse, quòd non reperitur differentia majorum et minorum peccatorum in eo posita, quòd minora contemni debeant, aut lubenter committi, graviora duntaxat caveri : non autem quòd nullum prorsùs inter illa discrimen reperiatur. Id constat ex interrogatione cui respondet, his verbis conceptâ : *Quomodò agi par est cum iis, qui cùm majora peccata declinent, minora perinde ac si nihil referret, committunt?* Quo sensu ad interrogationem 4 dixerat *nihil omninò tanquàm minutum contemni debere.* Et in Psalmum 61. *Dùm exigui sunt momenti, et eadem in pauco numero quæ admittimus peccata, leviter ac sensim aliquò usque movemur. Mox ubi plura accesserint gravioraque peccata, juxta proportionem coalescentis peccati intendi solet animæ agitatio.*

Ad primum S. Augustini locum respondetur, illum ita scripsisse, non quòd existimaret peccatum veniale pœnam æternam mereri, sed quòd nemo certò sciat an peccati alicujus lethalis non sit reus, quòd peccata venialia sensim ad mortale disponant. Nam S. Augustinum laudatam Apostoli Jacobi sententiam : *Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*, de peccato mortali duntaxat intellexisse, quo à charitate excidit homo, constat ex epistolâ illius 167, aliàs 22 ad S. Hieronymum scriptâ. Necesse tamen est ut superexaltet misericordia judicio, quia regnum cœlorum adipisci non possumus, nisi Christi sanguine à peccatis etiam venialibus emundati. Quam misericordiam justus misericordiæ et pietatis operibus quodammodò debitam sibi fecit. En integrum S. Augustini locum : *Acutè sibi videntur dicere, quasi nostrûm hoc ullus ignoret : quòd si nolumus, non peccamus, nec præciperet Deus homini, quod humanæ esset impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla superanda vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando et totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit :* « Non justificatur in conspectu tuo omnis vi- « vens. » *Tales itaque nos Dominus futuros prævidens, quædam salubria remedia contra reatum et vincula peccatorum etiam post baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cùm ait :* « Dimitte, et « dimittetur vobis, date, et dabitur vobis. » *Quis enim cum aliquâ spe adipiscendæ salutis æternæ ex hâc vitâ migraret?* etc.

Respondetur secundò S. Augustinum, cùm ait : *Quis cum aliquâ spe adipiscendæ salutis æternæ ex hâc vitâ migraret?* etc., non loqui de justis tantùm, qui solis peccatis venialibus obstricti sunt, sed de omnibus omninò hominibus, quatenùs in graviora peccata ruere possunt præcipites, nisi gratiæ divinæ præsidio servarentur. Quæ nisi ex divinæ misericordiæ inexhaustis fontibus ubertim manaret, nemo cum aliquâ spe adipiscendæ salutis æternæ ex hâc vitâ migraret, quia tentationibus, quæ non solùm ad venialia, sed etiam ad lethalia peccata alliciunt et abripiunt, facilè vinceretur. Eam esse S. Augustini mentem, evidens est ex errore quem sibi proponit eo in libro oppugnandum. *Sunt enim quidam*, inquit, *tantùm præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitùs opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit consequens ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne in tentatione vincamur, vel cùm fallit et præoccupat nescientes, vel cùm premit atque urget infirmos. Quàm sit autem noxium, et saluti nostræ, quæ in Christo est, perniciosum atque contrarium, ipsique religioni quâ imbuti sumus, et pietati quâ Deum colimus, quàm vehementer adversum, ut pro tali accipiendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipsâ oratione Dominicâ :* Ne nos inferas in tentationem, *frustra positum existimemus, verbis explicare non possumus.* Id itaque probandum sibi sumpsit contra Pelagianos hoc in libro S. Augustinus, nullum in hoc seculo vivere aut vixisse, aut victurum esse sine ullo omninò peccato, excepto uno mediatore Dei et hominum homine Jesu Christo (deiparam Virginem cum ipso pariter excipimus), et hujus quæstionis solutionem de hominis vitâ sine ullâ subreptione peccati, propter quotidianas etiam orationes nostras maximè necessariam esse notat. Unde fit ut cùm ait interrogando : *Quis enim ex hâc vitâ cum aliquâ spe adipiscendæ salutis æternæ ex hâc vitâ migraret?* etc., non spectet justorum duntaxat statum quatenùs peccatis venialibus obnoxii sunt; sed omnium hominum, quatenùs tentationum periculis sunt expositi, quibus concuti possunt et abripi in peccatum lethale.

Ad alterum S. Augustini locum respondetur, his verbis non significari, quòd vitæ laudabilis homines pœnæ

æternas mereantur propter venialia peccata quæ committunt, sed quòd acerbis et prolixis purgatorii pœnis plerùmque digni sint, quas reipsà experirentur nisi Deus propter Christum eas remitteret, vel temperaret. Unde ipsi sancti divinâ misericordiâ maximè indigent, præsertim cùm plurima, quæ hominum judicio levia censentur, Dei judicio graviora sint. Unde pro omnibus fidelibus defunctis, etiam illis qui laudabiliter vixerunt, orandum est, ut Deus illis ignoscat, et ut suam erga illos misericordiam magis quàm judicium exerceat. Id occasione matris suæ piissimæ Monicæ dictum à S. Augustino, cujus sensum aperit loci series. *Fundo ibi*, inquit, *Deus noster, pro illâ famulâ tuâ longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur. Quanquàm illa in Christo vivificata, etiam nondùm à carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerâsti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum est à Veritate Filio tuo*, Matth. 5 : Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua?..... Ego itaque laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte, obsecro, ne intres cum eâ in judicium. Superexaltet misericordia judicium, quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus.*

### Articulus VI.

*Peccatum actuale aliud commissionis, aliud omissionis.*

Peccatum commissionis est actio prava quâ id facit homo quod lex prohibet, sicut cùm occidit, mœchatur, mentitur, etc. Peccatum omissionis est prætermissio boni quod lex præcipit, ut cùm rem alienam non restituit, eleemosynam non erogat, statas preces non recitat, sacrum non audit, etc. Prius nomine *peccati* simpliciter, posterius nomine *delicti*, in Scripturâ sacrâ interdùm significatur, Levit. 7 : *Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto.* Et cap. 14, 13 : *Sicut pro peccato, ita et pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia.* Quâ de re S. Augustinus, quæst. 20 in Leviticum : *Fortassis*, inquit, *peccatum est perpetratio mali : delictum autem desertio boni. Num ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud erit delictum, quàm derelictum : et qui derelinquit, quid derelinquit nisi bonum?* Quamvis aliàs promiscuè usurpentur in Scripturis peccati et delicti nomina, vel etiam aliud inter utrumque discrimen Patres assignent. Peccatum commissionis est contra præcepta affirmantia; peccatum omissionis contra præcepta negantia. Præcepta negantia sunt ea quæ malum prohibent, verbi gratiâ, *non occides; non mœchaberis; non furtum facies.* Affirmantia sunt ea quæ bonum præcipiunt, verbi gratiâ, *memento ut diem sabbati sanctifices; honora patrem tuum et matrem tuam.* Præcepta negativa obligant semper et pro semper, ut loquuntur theologi post. S. Thomam ; affirmativa obligant semper, sed non pro semper : *Et ideò solùm pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat*, inquit S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 71, a. 5, ad 3, sive, cùm implendi præcepti tempus adest, et facultas, et tamen non impletur deliberatâ voluntate. Si enim præceptum implendi facultas non adsit, verbi gratiâ, si quis propter gravem infirmitatem sacro non adsit die festo, aut non jejunet die quæ jejunio consecrata est ex præcepto Ecclesiæ, omissio illa non est peccatum. Similiter, si omissio sit omninò involuntaria, tum in se, tum in suâ causâ, nullum peccatum est. Si verò in se quidem sit involuntaria, sed tamen volita sit in suâ causâ ; verbi gratiâ, si quis ebrietate sepultus aut operi ex objecto, vel ex circumstantiâ illicito vacans ; aut somno indulgens, quia noctem totam ludendo, aut aliquod aliud opus ad charitatem non pertinens agendo consumpsit, non cogitat de præcepto implendo, reus est omissionis. Si enim actus ex quo sequitur peccatum sit illicitus, *non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actûs, in quantum aliquis dans operam rei illicitæ incidit insequens peccatum. Diminuitur autem peccatum sequens, sicut et diminuitur ratio voluntarii. Unde* S. Augustinus lib. 20 contra Faustum, cap. 44, *dicit quòd Loth culpandus est, non quantùm ille incestus, sed quantùm ebrietas meruit.* Ita S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 150, a. 4. Ex quo sequitur illum peccare, qui rationis usu suâ culpâ destitutus, aut facit quod non licet, aut non facit quod debet, si id præviderit, aut prævidere debuerit.

### Articulus VII.

*Peccata quædam spiritualia sunt, alia carnalia.*

Peccatum ratione objecti, à quo speciem et distinctionem habet, dividitur in spirituale et carnale. Peccata spiritualia sunt illa quæ perficiuntur in delectatione spirituali ; carnalia, quæ consummantur in delectatione carnali. Superbia, verbi gratiâ, peccatum spirituale est, quâ nimirùm propriâ excellentiâ homo delectatur ; gula verò quæ consummatur in delectatione ciborum, et luxuria quæ consummatur in delectatione venereorum, carnalia peccata sunt. Septem capitalium vitiorum quinque spiritualia esse, scilicet superbiam, avaritiam, invidiam, iram, acediam ; duo carnalia, scilicet luxuriam et gulam, S. Gregorius docet lib. 31 Moralium, cap. 17. In Scripturâ sacrâ fundamentum habet ista peccatorum divisio, dicente Apostolo 2 ad Corinthios 7, 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes san-*

*ctificationem in timore Dei.* Carnis enim inquinamentum est peccatum, quod carnali voluptate consummatur; inquinamentum verò spiritûs est peccatum, cujus consummatio sine sensuum voluptate consistit.

Alio modo peccata carnalia dicuntur generali quâdam ratione, quæ ab homine carnali, sive secundùm carnem vivente perpetrantur, quamvis in carnis voluptate non consummentur. Vivit autem homo secundùm carnem, cùm vivit secundùm seipsum, quia Scriptura hominem nomine carnis appellat; et vivendo secundùm seipsum peccat, cui secundùm Deum vivendum est. Homo enim ita à Deo factus est rectus, *ut non secundùm seipsum, sed secundùm eum à quo factus est, viveret; id est, illius potiùs, quàm suam faceret voluntatem : non autem ita vivere, quemadmodùm est factus ut viveret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse, etiam non sic vivendo ut possit esse. Quid est istâ voluntate mendacius?... Ergo mendacium est quod cùm fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs malè est nobis; vel cùm fiat ut melius sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis. Unde hoc, nisi quia de Deo potest benè esse homini, quem delinquendo deserit; non de seipso, secundùm quem vivendo delinquit?* Verba sunt S. Augustini lib. 14 de Civitate Dei, cap. 4. Hoc sensu vitia carnis dicuntur, quæ recenset Apostolus, ad Galat. 5 : *Manifesta sunt opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et ad Romanos 8 : *Non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt : qui vero secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sentiunt.... Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.... Ergo fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Alio sensu paulò minùs communi dicuntur peccata carnis, quæ circa res corporeas et externas versantur. Sic avaritiam inter peccata carnalia recenset Apostolus ad Ephes. 5, 3 : *Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet,*

Strictiori tandem acceptione peccatum carnis luxuria dicitur, vel quia in delectatione carnis omnium maximâ consummatur, vel quia in hujusmodi peccato ita servit anima corpori, ut nihil aliud homini tunc cogitare liceat, cùm in fœdam illam voluptatem immersus est.

### Articulus VIII.

*Peccatum aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum.*

Cùm enim peccatum omne sit defectio ab ordine, triplex autem ordo in homine esse debeat, scilicet ordo ad Deum, ad seipsum, et ad proximum; rectè dividitur peccatum ex parte eorum in quos peccatur, in peccata contra Deum, contra nos ipsos, et contra proximum.

Quanquàm verò omnia peccata generali quâdam ratione sint contra Deum, quia sunt transgressiones legis æternæ; illa tamen peccata propriè dicuntur contra Deum, quæ directè et immediatè contra divinam illius majestatem pugnant, aut defectiones sunt ab ordine illo humanâ ratione superiori, quo homo speciatim in Deum ordinatur; sive quæ prævaricationes sunt divinæ legis in his quæ debentur soli Deo. Hujus generis sunt idololatria, hæresis, desperatio vel præsumptio de misericordiâ divinâ, odium Dei, blasphemia, sacrilegium, impœnitentia, et generatim quæcumque theologicis virtutibus, religioni, et pœnitentiæ quæ justitia quædam est hominis ad Deum, resarciens injuriam ejus irrogatam majestati, repugnant. Peccata contra nos ipsos sunt ea quibus violatur ordo rationis, quem quisque servare debet erga seipsum, ut ebrietas, fornicatio, prodigentia. Peccata in proximum sunt ea quibus violatur ordo rationis erga cæteros homines servandus, sive superiores nobis sint, sive æquales, sive inferiores; sive nobis conjuncti, sive alieni; sive domestici, sive extranei; ut furtum, homicidium, perduellio, inobedientia, contumelia, calumnia, detractio, et quæcumque verbis aut factis alteri fit injuria.

Triplicem illum ordinem hominis, ad Deum scilicet, ad seipsum, et ad proximum hâc sententiâ complexus est Apostolus, 2 ad Titum, 2, 12 : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc seculo.* Hinc S. Fulgentius lib. 1 de Remissione Peccatorum, cap. 28, hunc locum explicans, ait : *Sobrietatem custodit, quisquis mores suos vitamque componit. Et ille justè vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, et in quantum potest, adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui perversum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat sobriùs in semetipso, justitiam servet proximo, pius perseveret in Deo.* Et S. Bernardus, Declamatione in Evangelium : *Ecce nos reliquimus omnia*, § 38, ait : *Exhibeatur ergo sobrietas nobis, justitia proximo, pietas Deo. Pietas enim cultus Dei est.*

Hanc peccati divisionem tradit venerabilis Beda, lib. 1 in epistolam ad Corinthios, cap. 6 : *Duo sunt*, inquit, *genera peccatorum; aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem.* Et infra : *Peccatur in Deum etiam corrumpendo templum ejus, quod est in nobis.*

### Articulus IX.

*Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis est.*

Peccatum secundùm diversos gradus, intra eamdem speciem, dividitur in peccatum cordis, oris et operis : quia inchoatio peccati est in corde : *Quæ enim procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem; de corde enim exeunt cogitationes malæ, homici-*

*dia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem*, inquit Christus, Matth. 15, 18, 19. Secundus itaque gradus peccati est in ore, secundùm quòd homo facilè prorumpit ad manifestandum conceptum cordis. Tertius gradus est in consummatione operis. Sic iracundus ex appetitu vindictæ primùm quidem perturbatur in corde; secundò, in verba contumeliosa prorumpit; tertiò ad facta injuriosa procedit. Idemque in luxuriâ, et aliis peccatis perspicuum est.

Hæc divisio peccati colligitur ex Psalm. 23, 3, 4 : *Quis ascendet in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* S. etiam Hieronymus in cap. 43 Ezechielis tria generalia delicta distinguit, quibus humanum subjacet genus : *Aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus;* et hæc tria delictorum genera significari dicit hirco, vitulo, et ariete quos offerri pro peccato lex jubet. *Cogitatio*, inquit, *refertur ad arietem, quæ prima est omnium peccatorum, et ex quâ duo alia peccata nascuntur; hædus autem sive hircus ad eloquium sive sermonem qui semper de excelsioribus disputat; opera vitulo deputantur, quoniam vomeri, et labori, et terrenis operibus mancipatus est.*

Peccatum cordis tribus gradibus perficitur, suggestione, delectatione, consensu. *Sicut enim in illo manifesto conjugio duorum hominum qui primi facti sunt, non manducavit serpens de arbore vetitâ, sed tantummodò manducandum persuasit; mulier autem non manducavit sola, sed viro suo dedit, et simul manducaverunt; quamvis cùm serpente sola locuta, et ab eo sola seducta sit : ita et in hoc quod etiam in homine uno geritur et dignoscitur, occulto quodam secretoque conjugio, carnalis, vel ut ita dicam qui in corporis sensus intenditur, sensualis animæ motus, qui nobis pecoribusque communis est, seclusus est à ratione sapientiæ.... Cùm ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tanquàm bono quodam privato et proprio, non tanquàm publico atque communi quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si solâ cogitationis delectatione contentus est; superioris verò auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato; sic habendum existimo velut cibum vetitum mulier sola comederit. Si autem in consensione malè utendi rebus quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur : intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solùm cogitandum suaviter, verùm etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penès quam summa potestas est membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat et serviat.* Verba sunt S. Augustini, libro 12 de Trinitate, cap. 12. Et lib. 1 de Sermone Domini in monte, cap. 12 : *Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, consensione. Suggestio sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cùm aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cùm jejunamus, et visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione; sed huic tamen non consentimus, et eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi à serpente suggestio fiat, id est, lubrico et volubili, hoc est, temporali corporum motu... In appetitu autem carnali tanquàm in Evâ delectatio : in ratione verò tanquàm in viro consensio; quibus peractis, tanquàm de Paradiso, hoc est, de beatissimâ luce justitiæ in mortem homo expellitur; justissimè omninò. Non enim cogit qui suadet... Veruntamen delectatio ante consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis, ut prope nulla sit; cui consentire magnum peccatum est, cùm illicita est. Cùm autem quisque consenserit, committit peccatum in corde; si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et extingui cupiditas; sed postea cùm suggestio repetitur, major accenditur delectatio : quæ tamen adhuc multò minor est quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est... Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquàm tres mortes : una quasi in domo, id est, cùm in corde consentitur libidini; altera jam prolata quasi extra portam, cùm in factum procedit assensio; tertia, cùm vi consuetudinis malæ tanquàm mole terrenâ premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitâsse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortassè considerat quas differentias habeat ipsa vox resuscitantis, cùm Matth. 9, 25, dicit :* « Puella surge; » *et Luc. 7, 14 :* « Juvenis tibi dico, surge; » *et Joan. 11, 33 :* « Infremuit spiritu, et flevit, et rursùs fremuit, « et post deinde voce magnâ clamavit : LAZARE, VENI « FORAS. » Et sermone 98, aliàs 44, *de Verbis Domini*, cap. 5 : *Ista tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos hodièque suscitat Christus. Illa enim mortua filia Archisynagogi intùs erat in domo; nondùm erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intùs suscitata est, viva parentibus reddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondùm in sepulchro, parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitavit mortuam nondùm elatam, suscitavit mortuum jam elatum, nondùm sepultum. Tertium restabat, ut et sepultum suscitaret, et hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo qui peccatum intùs in corde habent, in facto nondùm habent. Nescio quis commotus est aliquâ concupiscentiâ. Dicit enim ipse Dominus, Matth. 5, 28 :* « Qui « viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam « mœchatus est eam in corde suo. » *Nondùm accessit corpore, consensit in corde : mortuum intùs habet, non-*

*dùm extulit. Et ut fit, ut norimus, ut quotidiè homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tanquàm Domino dicente :* Surge; *condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem atque justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit cor in cogitationis secreto... Alii post consensum eunt in factum, tanquàm efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid jam isti, qui in factum processerunt, desperati sunt? Nonne et illi juveni dictum est :* Tibi dico : Surge? *nonne et ille redditus est matri suæ? Sic ergo et qui jam fecerit, si fortè commonitus et commotus verbo veritatis, ad Christi vocem resurgit, vivus reditur, potuit progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam malâ consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum : irascuntur cùm reprehenduntur..... Tales consuetudine malignâ pressi, tanquàm sepulti sunt. Sed quid dicam, fratres? ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, jam putet. Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem :* Quatriduanus est. *Reverà ad istam consuetudinem, de quâ loquor, quarto quodam progressu pervenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertia factum, quarta consuetudo.* Lege et S. Gregorium, libro 4 Moralium, cap. 25.

### Articulus X.

*Peccata quædam sunt ex ignorantiâ; quædam ex cupiditate, sive infirmitate; alia ex malitiâ.*

Peccatum ratione causarum interiorum dividitur in peccata ex ignorantiâ, ex cupiditate sive infirmitate, et ex malitiâ. Ignorantia namque est causa peccati ex parte rationis; cupiditas ex parte appetitûs sentientis; malitia ex parte voluntatis.

I. *Ignorantia est privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos.* Ratio porrò secundùm duplicem scientiam actuum humanorum directrix est, scilicet secundùm scientiam universalem, et secundùm scientiam particularem. Peccatum igitur esse potest vel ex ignorantiâ alicujus universalis principii, quod est quædam regula rationis, vel ex ignorantiâ singularis circumstantiæ. Cæterùm non quælibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa duntaxat quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati. Unde si quis ita sit affectus, ut à parricidio non prohiberetur, etiam si cognosceret hominem quem interficit esse patrem, ignorantia patris non est illi causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; et ideò non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans, inquit S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 76, a. 1.

Ignorantia multiplex est; vel enim spectari potest ex parte mentis, vel ex parte objecti, vel ex parte hominis ignorantis, vel ex parte voluntatis actui pravo consentientis. Ex parte mentis quam afficit, dividitur à theologis in ignorantiam negativam, privativam, et pravæ dispositionis. Ignorantia negativa est simplex scientiæ negatio, sive nescientia rerum quas scire aliquis non potest, nec debet. Sic pueri et amentes ignari dicuntur. Sic etiam ignarus aliquo sensu dici potest, quicumque nescit ea quæ ad statum suum non pertinent. Et hæc quidem minùs propria est ignorantiæ acceptio. Ignorantia privativa est privatio scientiæ rerum illarum quas aliquis scire potest et debet, sine quarum scilicet notitiâ debitum actum rectè exercere non potest, ut loquitur S. Thomas. Ignorantia pravæ dispositionis est habitus vel dispositio scientiæ contraria; cùm videlicet homo falsis principiis et falsis opinionibus imbutus est. Ignorantia ex parte objecti quod ignoratur, alia est facti, alia juris. Ignorantia facti est respectu alicujus particularis contingentis, circa materiam vel circumstantiam actûs quæ facilè potest ignorari. Talis fuit ignorantia Jacob Liam pro Rachele cognoscentis. Genes. 29, 23, 24. Ignorantia juris est privatio scientiæ rerum illarum, quæ lege, vel legitimâ consuetudine vim legis obtinente sunt constitutæ. Alia est juris divini, alia juris humani. Ignorantia juris divini, alia est juris divini naturalis, alia juris divini positivi. Ignorantia juris humani, alia est juris ecclesiastici, alia civilis.

Ex parte hominis, dividitur ignorantia in eam quæ vincibilis, et in eam quæ invincibilis est. Ignorantia vincibilis est ea quæ humano studio et diligentiâ vinci potest. Talis est ignorantia rerum quas homo scire tenetur, sive quia necessariæ sunt absolutè ad salutem æternam consequendam, sive ad officium, ad quod eum divina Providentia vocavit, incorruptè et integrè gerendum, et tamen illas discere non curat. Ignorantia invincibilis est ea quæ nullâ industriâ, nullâ diligentiâ superari potest. Hanc proinde nulla negligentia, nulla malitia voluntariam reddit. Talis est ignorantia mysteriorum fidei in iis qui nihil unquàm de Evangelio audierunt, quos theologi vocant infideles negativè. *Quomodò* enim *credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante?* inquit Apostolus ad Rom. 10, 14. De quibus ait Christus Joan. 15 : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Magnum illud scilicet peccatum infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata, ut S. Augustinus loquitur.

Ex parte voluntatis, ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem et consequentem. Ignorantia antecedens illa est quæ licet non sit volita, causa tamen est volendi aliquid, quod aliàs nollet homo qui ex hujusmodi ignorantiâ agit; verbi gratiâ, cùm ignorat aliquam circumstantiam actûs, quam scire minimè tenebatur, et inde aliquid agit, quod cognitâ illâ circumstantiâ non ageret; ut cùm aliquis diligentiâ adhibitâ, nesciens aliquem transire per viam, vibrat sagittam quâ interficit transeuntem. Quod fit ex illâ ignorantiâ, penitùs involuntarium est. Ignorantia concomitans est ea quæ ita conjuncta est consensui voluntatis, ut, etiamsi abesset, nihilominùs voluntas operi pravo consentiret, ut cùm aliquis odio sic accensus est in ho-

stem. ut illum occidere velit, atque ignorans occidit, cervum se occidere putans. Quod fit ex ignorantiâ concomitante non est involuntarium, cùm illud non repugnet voluntati aliàs ad illud agendum propensæ; sed est non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Ignorantia consequens est ea quæ judicium rationis et motum voluntatis sequitur, adeòque est voluntaria.

Duplicis hæc generis; quædam directè, quædam indirectè volita est. Directè volita est illa in quam fertur voluntas, et quam ultrò amplectitur; sicut cùm aliquis vult ignorare quæ salutem æternam spectant, ut liberiùs peccet, nullisque conscientiæ stimulis à peccato deterreatur, vel ut ignorantiæ suffragio peccatum excuset, secundùm illud Job. 21, 13, 14 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo : Recede à nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Quæ verba S. Gregorius sic explicat lib. 15 Moralium, cap. 25 : *Hæc verbis dicere, vel stulti minimè præsumunt; sed tamen perversi omnes Deo, Recede, non verbis, sed moribus dicunt..... Qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiamsi verbis laudare videantur. Dicunt etiam :* « Scientiam variarum tuarum nolumus; » *eo ipso quò ejus scientiam apprehendere contemnunt. Sunt namque nonnulli qui ex eo quod Veritas dicit,* Luc. 12 : « Servus qui non cognovit voluntatem Domini sui, et « facit digna plagis, vapulabit paucis; et servus sciens « voluntatem Domini sui, et non faciens juxta eam, « vapulabit multis; » *nolunt scire quod faciant, et quasi minùs se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, et non valet. Qui autem ut nesciat, aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur.* De hujusmodi ignorantiæ reis dicitur in eodem cap. Job, vers. 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* De his dicitur Psalm. 35 : *Noluit intelligere ut benè ageret.* Hæc etiam ignorantia dicitur affectata. Ignorantia indirectè volita est illa quæ licet non sit in se volitâ, ratione tamen negligentiæ in illis rebus ediscendis et considerandis, quas ediscere et considerare homo potest et debet, voluntaria censetur. Hæc ignorantia dicitur etiam crassa et supina, sive ignorantia malæ electionis, vel ex animi perturbatione, vel ex habitu proveniens; sive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere. Hujus generis est ignorantia universalium juris naturæ principiorum, et præceptorum Decalogi, quæ ex illis facilè colliguntur; et ignorantia Symboli Apostolorum, ac præcipuorum mysteriorum fidei, orationisque Dominicæ in christianis hominibus. De his S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 6, a. 8.

Plurima esse ignorantiæ peccata, constat ex sacris litteris in quibus sacrificia pro peccatis ex ignorantiâ commissis præscribuntur, vel pœnitentiâ exigitur. Levitici 4, 2 et 13, et cap. 5, 17, Numerorum 15, 22; Psalmo 24, 7 : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Ecclesiastici 13, 3 : *Ne accrescant ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent,* Actuum 3, 17 : *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.... Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* 1 ad Timotheum 1, 13 : *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

II. Peccatum ex cupiditate, sive animi perturbatione, illud est ad quod voluntas inclinatur et allicitur à concupiscentiâ mentis considerationem distrahente vel impediente, juxta illud Danielis 13, 56 : *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Et Jacobi 1, 14, 15 : *Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum : peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Istius generis peccatum dicitur etiam *ex infirmitate,* quia perturbationes sive cupiditates, animæ ægritudines meritò nuncupantur. Hinc illud Davidis Psalm. 6 : *Miserere meî, Domine, quoniam infirmus sum.* Talia fuêre Davidis et S. Petri peccata; talia sunt quæcumque ex metu, irâ, concupiscentiâ, vel aliâ animi perturbatione committuntur.

Animi autem perturbatio sive cupiditas, vel antecedens est, vel consequens. Antecedens illa est quæ judicium rationis et motum voluntatis antevertit, eamque trahit vel inclinat ad consensum. Consequens illa est, quæ motum voluntatis sequitur, sicut libido vel ira spontè excitatæ, ut quis alienâ muliere fruatur, vel ut inimicum ulciscatur. Passio antecedens libertatem minuit, rationem enim perturbat; ratio perturbata singulas operis circumstantias minùs accuratè cognoscere et expendere potest : quod tamen ad perfectam libertatem est necessarium. Passio consequens auget voluntarium, aut certè signum est voluntatis vehementioris, et ad peccatum propensioris. Nemo autem existimet concupiscentiam reddere peccatum, quod ex illâ ortum habet, prorsùs involuntarium, quia scribit Apostolus ad Galat. 5, 17 : *Caro concupiscit adversùs spiritum; spiritus autem adversùs carnem : hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Vel enim postrema illa verba referenda non sunt ad externum actum, quasi concupiscentia sit causa quòd fiat contra voluntatem; sed referenda sunt ad primum concupiscentiæ motum; vellet enim homo justus motus illos non experiri, et tamen velit nolit, eos patitur. Quo sensu ab eodem Apostolo dictum est ad Rom. 7, 15 : *Quod odi malum, illud facio.* Vel referri possunt ad voluntatem, quæ passionis impetum præcedit. Plerumque enim facit homo passione incitatus et abstractus, quod antea se minimè facturum proposuerat, et quod restinctâ vel defervescente cupiditate agere nollet. Sic explicat S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 77, a. 7, ad 1. Quamobrem totis viribus eniti debemus, ut *non regnet peccatum in mortali nostro corpore ad obediendum desideriis ejus. Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur,* inquit S. Augustinus sermone 30, aliàs 12 de Verbis Apostoli. *Non quod volo ago, carnalis dicit : Non legem, sed se accusans. Nam lex spiritualis non habet culpam : carnalis venumdatus incurrit in culpam. Non agit quod vult, cùm vult*

*non potest, quia quando poterat noluit. Per malum velle perdidit bonum posse; et captivus jam loquitur, et dicit :* Non quod volo ago... *Tu non vis ut concupiscentia illa quæ resistit menti tuæ omninò non sit in te? Mali voti homo es, si tali adversario non vis carere. Ego fateor tibi, quicquid in me rebellat adversùs mentem meam, et litigat mecum delectione contrariâ, quicquid in me tale est, omninò interficere volo. Et si ei fortè adjuvante Domino non consentio, nolo habere cum quo litigem. Multò est mihi optabilius inimicum non habere quàm vincere. Neque enim illud ipsum quòd caro concupiscit adversùs spiritum, non est meum : aut verò ex contrariâ naturâ compactus sum. Et illud meum est, et quòd eis non consentio, meum est. Pars aliquantùm libera resistit reliquiis servitutis. Totum sanum sit volo, quia totus sum ego. Nolo ut à me caro mea, tanquàm extranea in æternum separetur, sed ut mecum tota sanetur.... Mentis et carnis unus est Artifex. Ipse quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit, carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub Domino suo, semper et ista obediret dominæ suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem, pœnas patitur per inferiorem.* « Caro enim concupiscit adversùs spiritum, spi- « ritus autem adversùs carnem. Hæc enim, *inquit*, in- « vicem adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis. » *Inde et iste :* « Non quod volo ago. » *Concupiscit enim caro adversùs spiritum, et nolo concupiscat : pro magno habeo, si non consentiam, opto tamen ut caream. Ergo,* non quod volo ago. *Volo enim ut non concupiscat caro adversùs spiritum, et non possum. Quid mihi hàc calumniaris? Ingrate medico, quid calumniaris infirmo? Sine ut medicum rogem.* « Redime me à calumniis hominum, « et custodibo legem tuam. » Psal. 118, 134. *Custodibo per redemptionem tuam, non per potestatem meam. Ideò mihi sanitatem, quam nondùm habeo, non arrogo, quia medicum rogo. Tu autem naturæ defensor, vel potiùs oppugnator, dùm quasi de naturâ sanâ laudas Creatorem, excludis à languidâ Salvatorem. Qui creavit, sanat; ruentem per se ipsam levat per se ipsum. Ipsa fides est, ipsa veritas, hoc est Christianæ fidei fundamentum, unus et unus : unus homo per quem ruina, alius homo per quem structura; per illum ruina, per hunc structura. Cecidit qui non mansit, erigit qui non cecidit. Ruit ille quia dimisit manentem; manens ille descendit ad jacentem. Si ergò concupiscit caro adversùs spiritum, ut in hoc ipso non quòd vis agas, quia vis ut non concupiscat, et non potes; tene saltem in gratiâ Domini voluntatem, et in ejus adjutorio persevera : dic ei :* « Gressus « meos dirige secundùm verbum tuum, et ne domi- « netur mihi omnis iniquitas. » *Quid est,* ne dominetur « mihi omnis iniquitas? *Audi Apostolum :* Non regnet « peccatum in vestro mortali corpore. *Quid est,* non « regnet? Ad obediendum desideriis ejus. » *Non dixit : Noli habere desideria mala; quomodò enim in hâc carne mortali, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem, non habeo desideria mala? Illud ergo fac,* « non regnet peccatum in vestro mortali cor- « pore, ad obediendum desideriis ejus. » *Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Non fiant membra tua arma iniquitatis, et non dominetur tibi omnis iniquitas... Cùm enim non fiunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis, in desideriis illicitis, sed non regnat. Quomodò regnat, qui arma non habet? Pars tua, caro tua, concupiscentia carnis tuæ languore rebellat adversùs te. Languor iste tyrannus est : si vis te tyranni esse victorem, Christum invoca imperatorem.* Hæc S. Augustinus. Ex quibus patet quis sit sensus Apostolicæ illius sententiæ : *Quod odi malum illud facio :* et quomodò peccata ex concupiscentiâ et animi perturbatione commissa, nihilominùs volita sint, quia desideriis illicitis homo non cogitur, sed liberè obedit; et quomodò ipsa cupiditas est infirmitas naturæ nostræ, adeòque peccata ex cupiditate profectà peccata sunt infirmitatis.

Infirmitas illa et difficultas operandi bonum sicut et ignorantia, naturæ peccatricis vulnera sunt, per peccatum primi hominis, qui et scientiâ suâ, et summâ ad bonum agendum facilitate infeliciter abusus est, hominum generi universo inflicta *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti noluit, cùm sine ullâ posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit, et qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt reverà omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia et difficultas. Ex ignorantiâ dehonestat error; ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Verba sunt S. Augustini, lib. 3 de Libero Arbitrio, cap. 18.

Triplicem cupiditatem, ceu triplicem omnis peccati fontem S. Joannes indigitat Epist. 1, cap. 2 : *Omne,* inquit, *quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ad ista enim tria revocantur omnes animi perturbationes, omnisque inordinatus boni appetitus. Ad concupiscentiam quidem carnis, et concupiscentiam oculorum, passiones omnes appetitûs concupiscentis; ad superbiam vitæ passiones appetitûs irascentis revocantur. Per carnis enim concupiscentiam intelligitur perversus appetitus rerum quæ carnem delectant, ut cibi, potûs, et venereorum. Per oculorum concupiscentiam intelligitur tum curiositas, quâ concupiscitur quidquid aspectu delectabile est, quæ in spectaculis, in theatris, magicis artibus, in ipso etiam miraculorum desiderio interdùm se prodit : tum cupiditas strictè sumpta, sive avaritia, quâ opes, aliæque res externæ inordinatè appetuntur, ita tamen ut in eis non quæratur delectatio carnis, quæ tactum afficit, sed potiùs possessio, aut oculorum seu cujuscumque facultatis cognoscentis delectatio. Ad hanc concupiscentiam pertinet quod de avaro dicitur Ecclesiastis 4, 8 : *Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis.* Et proverb. 27 : *Infernus et perditio nunquàm implentur : similiter et oculi hominum insatiabiles.* Et Ecclesiastici 14 : *Insatiabilis ocu-*

*lus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Per vitæ denique superbiam intelligitur honoris, propriæque excellentiæ inordinatus appetitus. Tres illæ lanceæ sunt, quibus diabolus hominum corda petit, sicut Joab tribus lanceis cor Absalon confixit 2 Reg. 18. Tribus illis usus fuit ad seducendum Evam, ut observat Julianus Pomerius, lib. 2 de Vitâ contemplativâ, cap. 19, concupiscentiâ quidem carnis, cùm persuasit ut de fructu vetito comederet; concupiscentiâ oculorum, cùm ait : *Aperientur oculi vestri ;* superbiâ vitæ, cùm dixit : *Eritis sicut dii.* His etiam tribus Christum Dominum nostrum aggressus tentator est : concupiscentiâ carnis, cùm ait : *Dic ut lapides isti panes fiant ;* concupiscentiâ oculorum, cùm *ostendit ei omnia regna mundi, et dixit : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me;* superbiâ vitæ, cùm ait : *Mitte te deorsum : scriptum est enim, quia angelis suis mandavit de te.* Quæ tamen tentationes Christo merè extrinsecæ fuerunt, nullâ intùs concupiscentiâ ipsum impellente aut illiciente, quippe qui nec peccatum, neque concupiscentiam, aut ignorantiam habuit, ejus dignitati et Incarnationis fini repugnantes. *Tentatus* igitur fuit *per omnia absque peccato,* ut loquitur Apostolus, adeòque per solam externam suggestionem dæmonis, non eâ tentatione quæ à carne est, *quæ non potest esse sine peccato, quia fit per delectationem et concupiscentiam,* inquit S. Thomas, 3 p. q. 41, a. 1, ad 3.

De his S. Gregorius, homiliâ 16 in Evangelia : *Quibus modis,* inquit, *primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit. Per gulam quippe tentat, cùm dicit :* Dic ut lapides isti panes fiant. *Per vanam gloriam tentat, cùm dicit* : Si Filius Dei es, mitte te deorsùm. *Per sublimitatis avaritiam tentat, cùm regna mundi ostendit dicens :* Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. *Sed eisdem modis à secundo homine vincitur, quibus primum hominum se vicisse gloriabatur, ut à nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.* Hinc Luc. 4, 13, dicitur : *Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quem locum S. Ambrosius expendens lib. 4 in Lucam, ait : *Propè omnium criminum fontes hæc tria genera demonstrantur esse vitiorum. Neque enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset, nisi in his tribus esset omnium materia delictorum quorum semina in ipsâ origine sunt cavenda. Finis ergo tentationum, finis est cupiditatum; quia causæ tentationum causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiæ.*

Triplicis hujus cupiditatis, adeòque omnium peccatorum radix est perversus amor suî. Omne namque peccatum procedit ex inordinato appetitu alicujus temporalis boni : quòd autem inordinatè appetat homo temporale aliquod bonum, procedit ex hoc quòd inordinatè amat seipsum, inquit S. Thomas, primâ secundæ, quæst. 77, a. 4. Hinc S. Augustinus, lib. 4 de Civitate Dei, cap. 28, ait : *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor suî usque ad contemptum Dei, cœlestem verò amor Dei usque ad contemptum suî.* Et Enarratione in Psalm. 64 : *Duas istas civitates faciunt duo amores, Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor seculi. Interroget ergo se quisque quid amet, et inveniet unde sit civis : et si se invenerit civem Babyloniæ, exstirpet cupiditatem, plantet charitatem ; si autem se invenerit civem Jerusalem, toleret captivitatem, speret libertatem.* Unde autem seculi amor, nisi ex perverso amore suî ? *Nec enim essent homines amatores pecuniæ, nisi eò se putarent excellentiores, quò ditiores,* inquit idem Augustinus lib. 11 de Genesi ad litteram, c. 15. Ubi rectum amorem à perverso similiter distinguens, addit : *Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus ; alter communi utilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem ; alter subditus, alter æmulus Deo ; alter tranquillus, alter turbulentus ; alter pacificus, alter seditiosus ; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus ; alter amicalis, alter invidus ; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi ; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam; præcesserunt in angelis, alter in bonis, alter in malis, et distinxerunt conditas in genere humano civitates duas, sub admirabili et ineffabili providentiâ Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis et ordinantis, alteram justorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quâdam temporali commixtione peragitur seculum, donec ultimo judicio separentur, et altera conjuncta angelis bonis in rege suo vitam consequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege suo mittatur æternum.*

Perversus hic amor exscindendus, ut radix peccatorum evellatur. Unde Christus ait : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Ratio humana dicit : *Quomodò negat se, qui amat se ? Sed dicit Deus homini, Neget se, si amat se. Amando enim se, perdit se : negando se, invenit se.* « Qui amat, *inquit,* animam suam, « perdet eam... » Joann. 12, 25. *Nemo est qui non se amet; sed rectus amor est quærendus, perversus cavendus. Quisquis enim dimisso Deo amaverit se, Deumque dimiserit amando se, non remanet nec in se, sed exit à se. Exit exsul pectoris suî, contemnendo interiora amando exteriora... Ergo quia contempsit Deum, ut amaret se, amando foris quod non est ipse, contempsit et se.. Quid est ergo, nega te ? Noli tu ipse vivere in te. Quid est, Noli tu ipse vivere in te ? Noli facere voluntatem tuam, sed illius qui habitat in te. Redi ad te, sed iterùm sursùm versùs cùm redieris ad te, noli remanere in te. Priùs ab his quæ fortis sunt redi ad te, et deinde redde te ei qui fecit te, et perditum quæsivit te, et fugitivum invenit te, et aversum convertit te ad se.* S. Augustini verba sunt, sermone 33, aliàs 29, ex editis à Sirmondo. Et sermone 96, aliàs de Diversis 47 : *Cùm tales,* inquit, *sint homines plures, quales sunt amores, nihilque aliud curæ esse debeat quomodò vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur, quid miraris, si ille qui diligit Christum, et qui vult sequi Christum, amando negat seipsum ? Si enim perit homo amando se, profectò invenitur negando se. Prima hominis perditio*

*fuit amor sui. Si enim se non amaret, et Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet : non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, et faciendam voluntatem suam. Hoc enim est amare se, velle facere voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei : disce amare te, non amando te. Nam ut sciatis vitium esse se amare, sic Apostolus dicit* 2 Timoth. 5 : « Erunt « enim homines se ipsos amantes. » *Et numquid qui amat se, fidit in se? Incipit enim deserto Deo amare se, et ad ea diligenda quæ sunt extra se, pellitur à se : usque adeò ut cùm dixisset idem Apostolus :* « Erunt homines se ipsos amantes, *continuò subjiceret,* amatores pecuniæ. » *Jam vides quia foris es. Amare te cœpisti : sta in te, si potes. Quid is foras? Cœpisti diligere quod est extra te, perdidisti te. Cum ergo pergit amor hominis etiam à se ipso ad ea quæ foris sunt, incipit cum vanis evanescere, et vires suas quodammodo prodigus erogare. Exinanitur, effunditur, inops redditur, porcos pascit : et laborans in passione porcorum, aliquando recordatur et dicit.* « Quanti mercenarii patris mei panem manducant, et « ego fame hìc pereo? » *Sed quando hoc dicit, quid narratum est de ipso filio, qui omnia effudit in meretricibus, qui habere voluit in potestate quæ benè illi apud patrem servabantur; habere illa voluit in arbitrio suo, factus est inops : quid de illo dicitur?* Et reversus ad semetipsum. *Si reversus est ad se, exierat à se. Quia ceciderat à se, et exierat à se, redit priùs ad se, ut redeat in illo unde ceciderat à se. Sicut enim cadendo à se, remansit in se, sic redeundo ad se, non debet remanere in se, ne iterùm exeat à se. Reversus ad semetipsum, ut non remaneret in semetipso, quid dixit?* « Surgam, et « ibo ad patrem meum. » *Ecce unde ceciderat à se, ceciderat à patre suo. Redit ad se, et pergit ad patrem, ubi tutissimè servet se. Si ergo exierat à se, et à quo exierat, redeundo ad se, ut eat ad patrem, neget se. Quid est, neget se? Non præsumat de se, sentiat se hominem, et respiciat dictum propheticum,* Jerem. 17: « Maledictus omnis « qui spem suam ponit in homine. » *Subducat se sibi, sed non deorsùm versùs. Subducat se sibi, ut hæreat Deo. Quicquid boni habet, illi tribuat à quo factus est : quicquid mali habet, ipse sibi fecit. Deus quod in illo malunt est, non fecit : perdat quod fecit, qui inde defecit.*

Peccatum ex malitiâ est illud quod solâ perversitate voluntatis, bonum temporale præ rationis ordine, lege Dei, charitate, adeòque præ ipso Deo amantis, committitur; tunc enim homo, qui sciens eligit detrimentum pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur temporali bono, neque ex ignorantiâ peccat, neque ex animi perturbatione; peccat igitur ex malitiâ. Istud peccati genus notatur Job 34, 27 : *Qui quasi de industriâ recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Psalm. 51 : *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?* Proverb. 2, 14 : *Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas : qui lætantur cùm malè fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Luc. 12, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis;* et ad Heb. 10, 26 : *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Locum illum Job mox laudatum expendens S. Gregorius lib. 25 Moralium, cap. 11, triplex peccati genus de quo agimus sic explicat : *Peccatum tribus modis committitur : nam aut ignorantiâ, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quàm ignorantiâ, sed multò gravius studio quàm infirmitate peccatur. Ignorantiâ Paulus peccaverat..... Petrus verò infirmitate peccavit, quando in eo omne tubur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, et Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eò faciliùs tergitur, quò non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit sciendo correxit : et Petrus motum et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industriâ verò peccaverunt ii, de quibus ipse per se Magister dicebat,* Joann. 15 : « Si non venissem, et locutus fuissem eis, « peccatum non haberent; nunc autem excusationem « non habent de peccato suo. » *Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem : sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare; sæpè enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio verò peccare, est bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnunquàm gravius est peccatum diligere quàm perpetrare; ita nequius est odisse justitiam, quàm non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesiâ, qui non solùm bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantiâ, sed ex solo studio perpetratur; quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent; sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, rectè dicitur :* « Qui ex « industriâ recesserunt ab eo. » *Unde et aptè subjungitur :* « Et omnes vias ejus intelligere noluerunt. » *Non enim ait : Infirmitate non intelligunt; sed, intelligere noluerunt; quia sæpè quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt.*

Hujus generis fuisse furtum pomorum, à se adolescente cum sodalibus perpetratum testatur S. Augustinus, lib. 2 Confessionum, cap. 4 : *Furtum,* inquit, *facere volui, et feci, nullâ compulsus egestate nec penuriâ, sed fastidio justitiæ et saginâ iniquitatis. Nam id furatus sum quod mihi abundabat, et multò melius. Nec eâ re volebam frui quam appetebam; sed ipso furto et peccato..... Dicat tibi nunc ecce cor meum quid ibi quærebat, ut essem gratis malus, et malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat, et amavi eam; amavi perire; amavi defectum meum; non illud ad quod deficiebam; sed defectum meum ipsum amavi. Turpis anima et dissiliens à firmamento tuo in exterminium, non dedecore aliquid, sed dedecus appetens!*

Peccatum omne ex pravo habitu est peccatum ex certâ malitiâ, ut docet S. Thomas, 1-2, quæst. 78, a.

2. Cùm enim habitus, seu inveterata peccandi consuetudo in alteram propè naturam conversa sit, conversio et proclivitas voluntatis ad malum eligendum ipsi quodammodò connaturalis evadit.

### Articulus XI.

*Peccati divisio in septem vitia capitalia.*

Præter istas peccati divisiones, solemnis est peccati mortalis divisio in septem vitia capitalia, quæ sunt veluti fontes et principia cæterorum, eorumque execranda et Deo inimica agmina quodam modo dirigunt ac ducunt. Septem vulgò recensentur, scilicet superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. De quâ divisione legi possunt S. Gregorius, lib. 31 Moralium, cap. 17, et S. Thomas 1-2, quæst. 84, a. 5; sanctus Gregorius superbiam extra numerum ponit, velut reliquorum vitiorum reginam, inanem autem gloriam vitiorum capitalium primum recenset. Expendens enim verba illa capitis 39 libri Job : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitûs*, hæc habet : *Quia spiritalis militis cogitatione omne vitium priùs quàm subrepere possit aspicitur, rectè de equo Dei dicitur :* Procul odoratur bellum. *Perpendit etiam quæ turba iniquitatum proruat, si mala ad se ingredi vel pauca permittat. Unde sequitur :* Exhortationem ducum, et ululatum exercitûs. *Tentantia quippe vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præunt, alia more exercitûs subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dùm majores et paucæ neglectam mentem præveniunt, minores, et innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsæ namque vitiorum regina superbia cùm devictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur; quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod meliùs ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter, ut possumus enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia, de quâ, Scripturâ attestante, dicitur :* Initium omnis peccati est superbia. *Primæ autem ejus soboles, septem nimirùm principalia vitia, de hâc virulentâ radice proferuntur : scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia* (sive acedia), *avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcircò Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium Spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. Nam de inani gloriâ inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur. De invidiâ, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De irâ, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitiâ, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritiâ, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensûs circa intelligentiam propagantur. De luxuriâ, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cùm ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitûs catervas trahunt. Ex quibus videlicet septem, quinque spiritualia, duoque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tantâ sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles inanis gloria est, quæ dùm oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirùm dùm vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quantò interno livoris vulnere animus sauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur, et quia quasi dolens membrum tangitur, idcircò oppositæ actionis manus velut graviùs pressa sentitur. Ex irâ quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quò se inordinatè concutit, eò addicendo confundit; et cùm dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dùm confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intùs amiserit, unde consolari debeat, foris quærit, et tantò magis exteriora bona adipisci desiderat, quantò gaudium non habet ad quod intrinsecùs recurrat. Post hæc verò duo carnalia vitia, id est, ventris ingluvies et luxuria supersunt. Sed cunctis liquet quòd de ventris ingluvie luxuria nascitur, dùm in ipsâ distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde dùm unum inordinatè reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Benè autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare; quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quâdam ratione se inserunt; sed innumera quæ sequuntur, dùm hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt. Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : Debes majora appetere, ut quò potestate videris multos excedere, eò etiam valeas et multis prodesse. Invidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : In quo illo vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel superior non es? Quanta vales, quæ illi non valent? Non ergo tibi aut superiores esse, aut æquales debent. Ira etiam devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt, imò hæc patienter tolerare peccatum est, quia si non eis cum magnâ exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensurâ cumulantur. Tristitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : Quid habes unde gaudeas, cùm tanta mala de proximis portas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle vertuntur. Avaritia quoque devictum animum quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : Valdè sine culpâ est, quòd quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis; et quod malè alius retinet, ipse meliùs expendis. Ventris quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit : Ad esum Deus omnia munda condidit, et qui satiari cibo respuit, quid aliud quàm muneri concesso contradicit? Luxuria quoque devictum cor quasi ex ra-*

*tione solet exhortari, cùm dicit : Cur te in voluptate tuâ modò non dilatas, cùm quid te sequatur ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes, quia quàm citiùs pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitûs nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset. Hæc est ducum exhortatio, quæ dùm incautè ad secretum cordis admittitur, familiariùs iniqua persuadet. Quam videlicet exercitûs ululatus sequitur, quia infelix anima semel à principalibus vitiis capta, dùm multiplicatis iniquitatibus in insaniam vertitur, ferali jam immanitate vastatur. Sed miles Dei, quia solerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur; quia mala præeuntia quid menti persuadere valeant, dum cogitatione sollicitâ respicit, exhortationem ducum naris sagacitate reprehendit. Et quia longè præsciendo, subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi ululatum exercitûs odorando cognoscit.*

S. Gregorium sequitur S. Thomas, et superbiam pariter omnium vitiorum matrem ac reginam statuit, inanem autem gloriam vitium capitale, 1-2, quæst. 132, a. 4.

### Articulus XII.

### *De peccatis in Spiritum sanctum.*

In lethalium peccatorum classi gravissimum quoddam criminum genus est, quod *peccatum in Spiritum sanctum* vocatur, quo, oblatâ Dei gratiâ, quæ Spiritui sancto ceu fonti bonorum tribui peculiariter solet, ex malitiâ contemptim abjicitur. De quo Christus, Matthæi 12 : *Ideò dico vobis : omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Et Marci 3 : *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet.*

Peccatum porrò in Spiritum sanctum Patres antiqui variè intellexerunt ac exposuerunt. Quidam intellexêre blasphemiam propriè dictam, quâ quis divinæ bonitatis opera, quæ Spiritui sancto peculiari quâdam ratione tribuuntur, ex destinatâ malitiâ diabolo impiè tribuit, ad instar Pharisæorum. Illi namque blasphemiam primùm, id est, contumeliosa verba in Filium hominis dixerant, Christum voracem, potatorem vini, Publicanorum amatorem appellantes : deinde verò blasphemiam dixerunt in Spiritum sanctum, cùm divina ejus opera principi dæmoniorum tribuere ausi sunt. Sic explicant SS. Athanasius, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius. Alii peccatum in Spiritum sanctum impœnitentiam usque in finem intellexêre, ut S. Augustinus quòd istud duntaxat peccatum non remittatur unquàm, cætera verò pœnitentibus condonentur. Alii peccatum in Spiritum sanctum esse dixerunt crimen omne quod ex destinatâ malitiâ perpetratur; id enim singulari quâdam ratione divinæ adversatur bonitati, quia per contemptum abjiciuntur ac removentur oblata miserentis Dei munera, quæ peccati electionem impediunt, ut explicat S. Thomas, 2-2, quæstione 14, art. 1.

Sex vulgò peccata in Spiritum sanctum recensentur, scilicet præsumptio de misericordiâ Dei, vel de impunitate peccati, desperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obstinatio et impœnitentia.

Peccant igitur in Spiritum sanctum qui divinæ misericordiæ fiduciâ ad peccandum audaciores fiunt, abjectâ omni justitiæ timorisque divini ratione; qui animo, sin minùs ore dicunt : *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*, Eccli. 5; qui *divitias bonitatis Dei, et patientiæ, et longanimitatis contemnunt, ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam* illos *adducit*, Rom. 2; solâ fide in Christum sibi blandientes, æternamque felicitatem sibi promittentes, quamvis in peccatorum sordibus computrescant; cum metu ac tremore salutem suam operari, et per bona opera certam facere nullatenùs curantes.

Secundò, peccant in Spiritum sanctum, qui spem omnem abjiciunt vel impetrandæ à Deo veniæ, vel salutis æternæ consequendæ ad instar Caini dicentis, Genes. 4 : *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear;* ad instar Judæ proditoris, qui salutis desperatione commotus, vitam laqueo sibi infelix abrupit. Hi à Deo, cui proprium est misereri semper et parcere, cujus miserationum non est numerus, qui peccatorem quoties ex animo ingemuerit et ad ipsum sincerè fuerit conversus, ut amantissimus et indulgentissimus pater filium recipit; à Christi sanguine pro omnibus fuso, à divinis promissionibus oculos mentis avertentes, *alienati à vitâ Dei, propter cæcitatem cordis ipsorum, semetipsos desperantes in omne vitiorum genus effundunt*, Ephes. 4.

Tertiò, peccant in Spiritum sanctum, qui fidei et Religionis christianæ et catholicæ veritatem, non ex ignorantiâ, sed malitiâ studiosè oppugnant, *magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis*, 2 Petr. 2; *homines corrupti mente, reprobi circa fidem*, 2 Tim. 3; *attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, 1 Tim. 4; *subversi, et proprio judicio condemnati*, Act. 13. Talis erat Elymas Magus, quem S. Paulus repletus Spiritu sancto hunc in modum objurgavit : *O plene omni dolo, et omni fallaciâ, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.* Tales Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, et Joannes Wiclef, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus, Servetus, Socinus uterque, cæterique heresiarchæ. Sed et illi rei sunt blasphemiæ in Spiritum sanctum, *qui contra sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus spontè consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum; quia contra eum agit, cujus nutu et gratiâ san-*

*cti canones conditi sunt;* ut habet can. *Violatores* Damaso papæ adscriptus, causâ 25, quæst. 1.

Quartò, peccant in Spiritum sanctum, qui fraternæ gratiæ invident, dolentque graviter de splendore vel augmento virtutum donorumque Dei, quibus proximus conspicuus est. Tales erant homines illi ex Judæis adchristianam Religionem Apostolorum prædicatione conversi, qui nascentem Evangelii gratiam omninò gentibus invidebant. Talis Alexander ille ærarius, qui multa mala intulit Apostolo Paulo, et sermonibus illius valdè restitit. Hanc fraternæ charitatis invidentiam peccatum esse ad mortem, de quo S. Joannes, 1 Epist. 5, ait : *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis*, censet S. Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 22. : *Peccatum fratris ad mortem puto esse*, inquit, *cùm post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversùs ipsam gratiam, quâ reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur.* Peccatum, inquam, istud ad mortem est, cujus rei ab Ecclesiæ orationibus excluduntur, si in hâc perversitate finierint hanc vitam, ut explicat idem sanctus doctor, lib. 1 Retractationum, cap. 19 : « Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem à fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter et Dominus in cruce ait : *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, Luc. 23. Nondùm enim gratiæ Spiritûs sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et S. Stephanus orat pro eis à quibus lapidabatur; quia nondùm Christo crediderant, neque adversùs illam communem gratiam dimicabant. Et Apostolus Paulus propterea, credo, non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, et ad mortem, id est, invidentiâ fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. »

Quintò, peccant in Spiritum sanctum, qui obfirmato planè animo in peccatis perseverant, nec ullis admonitionibus, suasionibus, adhortationibus, increpationibus, aut Dei flagellis à pravo instituto se deflecti patiuntur. Talis fuit rex Pharao, cujus cor induratum erat et in malitiâ obstinatum ne populum Dei dimitteret, quamvis toties à Moyse monitus, subindèque flagellis Dei gravissimis attritus. Tales Judæi, quorum invictam pertinaciam protomartyr S. Stephanus his verbis perstringebat : *Durâ cervice, et in circumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*, Act. 7. Tales illi omnes, qui falsas religiones professi, et ab Ecclesiâ catholicâ separati, catholicos doctores et prædicatores audire nolunt. Tales quicumque in criminibus suis obdurati et obstinati, sin minùs voce, animo certè factisque Deo dicunt : *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, Job. 21. De hujusmodi hominum genere Sapiens ait, Prov. 29 : *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus ; et eum sanitas non sequetur.* Tales sunt qui peccata sua non solùm non plangunt, sed defendunt; non solùm non confitentur, sed in illis impudenter gloriantur ; qui potentes in iniquitate, et contemnentes cùm in profundum peccatorum venerint, *secundùm duritiam suam et impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*, Rom. 2.

Sextò, peccant in Spiritum sanctum, qui peccatorum suorum, finem modumque nullum faciunt, ac proponunt insuper se nolle unquàm pœnitentiam agere. Horum ut vita, ita et *mors pessima* est, Ephes. 4, qui extinguentes in seipsis Spiritum Dei, et *obdurati fallaciâ peccati*, Hebr. 3, sin minùs verbis, at reipsà dicere videntur : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Horum propriè *peccatum ad mortem est*, Isai. 28. Perseverans illa cordis impœnitentis duritia illud propriè peccatum est quod *non habet remissionem neque in hoc seculo, neque in futuro; quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc seculo, quæ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia va cor impœnitens, quamdiù quisque in hâc carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est quamdiù patientia Dei ad pœnitentiam adducit; nec de hâc vitâ rapit impium, qui non mortem vult impii, quantùm ut revertatur et vivat. Paganus est hodiè; unde scis utrùm sit futurus crastino christianus? Judæus infidelis est hodiè; quid si cras credat in Christum? Hæreticus est hodiè; quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodiè; quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti quos in quocumque genere erroris notas, et tanquàm desperatissimos damnas, antequàm finiant istam vitam, agant pœnitentiam, et inveniant veram vitam in futuro?* De nemine igitur ante tempus judicandum est, quia perseverans illa duritia cordis impœnitentis non potest in quoquam, dùm adhuc in hâc vitâ est deprehendi, inquit S. Augustinus, sermone 71, aliàs 11, de Verbis Domini, cap. 13.

## CAPUT II.

### DE PECCATORUM GRAVITATE.

I. Omnia peccata esse paria, post Stoïcos docuit Jovinianus hæreticus, à S. Hieronymo libris duobus confutatus, de quo S. Augustinus Epistolâ 167, aliàs 29 ad ipsum Hieronymum datâ, cap. 2. *Hoc*, inquit, *de parilitate peccatorum, soli Stoici ausi sunt disputare, contra omnem sensum generis humani; quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hâc Sententiâ toicus erat, in aucupandis autem et defensandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis sanctis dilucidissimè convicisti. In quâ tuâ suavissimâ et præclarissimâ disputatione satis evidenter apparuit, non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potiùs, quæ per eos locuta est veritati, omnia paria esse peccata.* Hinc Christus, Joannis 19, sic Pilatum compellat : *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Quæ verba S. Augustinus sic interpretatur tractatu 116 in Joannem : *Plus peccat ille qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quàm potestas ipsa, si cum timore alterius majoris potestatis occidit. Et ideò*

*non ait verax Magister : Ipse habet peccatum, tanquàm ille non haberet, sed :* Majus peccatum habet, *ut etiam se habere intelligeret. Non enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.* Præterea, *peccatum ad mortem* à peccato *non ad mortem* distinguitur I. Joann. 5; et peccata quædam *trabi*, quædam *festucæ* comparantur, Luc. 6. Et faciliùs remitti significatur peccatum *in Filium hominis*, quàm *in Spiritum sanctum*, Matth. 12. Et, Matth. 11, Christus ait : *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida.... Tyro et Sydoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.* Præter illud Matthæi 18 de servo debitore decem millium talentorum; ad quod alludens S. Hieronymus, lib. 2 contra Jovinianum, cap. 16 : *Sunt peccata levia*, inquit, *sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem.* Idem colligitur ex veteri Testamento, Genes. 4 : *Septies ultio dabitur de Caïn, de Lamech autem septuagies septies.* Jerem. 7 : *Pejus operati sunt quàm patres eorum.* Thren. 4 : *Major facta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* Quin et illud Ezech. 9 : *Iniquitas domûs Israel magna est nimis valdè;* sic intelligit S. Hieronymus, ut pro iniquitatis magnitudine sit magnitudo supplicii. *Ex quo*, inquit, *discimus, non, ut plerique æstimant, et maximè Stoici, paria esse peccata, sed vel magna, vel parva : et pro diversitate mensuràque peccantium diversitatem esse judicii punientis.* Hinc S. Gregorius, lib. 21 Moralium, cap. 9, peccatum à crimine distinguit, quia *peccatum quidem animam polluit, crimen verò extinguit, et non solùm usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat.* Idem confirmat S. Augustinus, epist. 104, aliàs 254 ad Nectarium, ubi præter alia refellit, quod ille ex Stoicorum placito dixerat : *Omnia peccata esse paria.*

II. Gravitas autem peccatorum sumitur ex objecto, fine, et circumstantiis, ut docet S. Thomas, 1-2, quæst. 73, a. 3, 6 et 7. Ratione objecti gravius est peccatum quod immediatè contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia, et alia hujusmodi. Rursùs peccatum quod est circa ipsam substantiam hominis, sicut homicidium, gravius est peccato quod est circa res exteriores, sicut furtum; et in ordine quorumlibet horum peccatorum, unum peccatum est gravius altero, secundùm quòd est circa aliquid principalius, vel minùs principale. Hinc etiam gravius peccatum est, quod majori virtuti repugnat. Quamobrem odium Dei gravissimum peccatorum est, quia directè opponitur charitati, quæ maxima virtutum est, secundùm illud Apostoli 1 ad Corinth. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc : major autem horum est charitas.* Ratione finis, gravius peccatum est, quod fit propter pejorem finem. *Gravius peccat*, inquit S. Thomas, a. 6, *cujus voluntas ex inventione finis inclinatur ad peccandum.* Sic gravius furtum est quo quis rem alienam accipit ut fornicetur, illo quo quis rem alienam accipit ut suæ inopiæ subveniat. Ratione circumstantiæ gravius peccatum est, cui circumstantia magis aggravans adjungitur. Sunt autem hæ actuum humanorum circumstantiæ : quis fecerit? quibus auxiliis vel instrumentis fecerit? quid fecerit? ubi fecerit? cur fecerit? et quando fecerit? Quæ hoc versu continentur :

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando?*

*Quis* significat conditionem sive statum personæ peccantis, circa quam considerandum est an laica sit, vel sacra sive religiosa, an matrimonio juncta, vel soluta; an privata, vel publica, sive aliquâ dignitate aut munere ecclesiastico vel civili ornata, etc. *Quid* significat conditionem aliquam materiæ, vel objecti, quantitatem, verbi gratiâ, vel qualitatem. Sic in furto spectandum utrùm res aliena magni fuerit pretii vel levis; utrùm pauperi vel diviti ablata fuerit. Sic in quolibet peccato consideranda est dignitas personæ in quam peccatur, ut de peccati gravitate judicetur. *Ubi* significat conditionem loci, circa quem spectandum est maximè an sit sacer vel profanus; sic graviora peccata sunt percussio, homicidium, furtum et fornicatio in templo commissa, quàm in prostibulo, vel in privatis ædibus. *Quibus auxiliis*, designat media et instrumenta quibus aliquis ad patrandum facinus usus est, veluti an falsâ clavi, an violatâ quibusdam instrumentis, vel apertâ serâ, an corruptis famulis, vel ancillis domum ingressus sit ad furtum committendum, quod gravius peccatum est, quàm si patenter, aut per murum non obstructum ingressus esset; an manu nudâ, vel armatâ percusserit; an veneno, vel gladio occiderit; an operâ dæmonis vel aliquo maleficio, an blanditiis duntaxat et promissis, an vi apertâ pudicitiam alienam tentaverit aut expugnaverit. *Cur* significat finem, non illum quidem primarium et proximum, qui dat speciem actioni, sed adjunctum et remotum. Ejusmodi circumstantia est ebrietas, cùm aliquis furatur ut se inebriet; item vana gloria, cùm eleemosynam erogat ostentationis causâ. *Quomodò* significat conditionem pertinentem ad qualitatem actûs, qualis est, fieri per insidias, vel apertè; ex proposito deliberato, vel subito motu; intensè vel remissè; naturaliter, vel contra naturam. *Quando* exprimit circumstantiam temporis, sive temporis conditionem et qualitatem, cujus ratio habenda sit in morali negotio, ut dies festus, cùm agitur de Missâ non auditâ; dies jejunii, cùm agitur de pluribus refectionibus; tempus pacis aut belli, cùm agitur de spoliatione hostium à militibus. Ad eamdem circumstantiam pertinet occasio, quæ tempus est rei gerendæ opportunum.

Tripliciter autem contingit aggravari peccatum ratione circumstantiæ : primò, quatenùs circumstantia transfert actum in aliud genus peccati, sicut peccatum fornicationis in eo positum est; quòd homo accedit ad non suam; si autem addatur hæc circumstantia, ut illa ad quam accedit sit alterius uxor, transfertur in aliud genus peccati, scilicet injustitiam, in quantum homo rem alterius usurpat : quâ ratione adulterium gravius fornicatione peccatum est. Secundò, circumstantia peccatum aggravat, quando, etsi non transferat actum in aliud genus peccati, multiplicat tamen rationes peccati; sicut si prodigus det quando non

debet, et cui non debet, gravius peccat eodem genere peccati, quàm si det solùm cui non debet; sicut etiam ægritudo gravior est, quæ plures partes corporis inficit. Tertio modo, circumstantia aggravat peccatum, non secundùm se spectata, sed aliâ circumstantiâ præsuppositâ, sicut accipere multùm, auget peccatum, ex hypothesi quòd sit res aliena, et contra voluntatem domini accipiatur. Ita S. Thomas, 1-2, quæst. 72, a. 7.

## CAPUT III.

### DE EFFECTIBUS PECCATI.

I. Duo sunt effectus præcipui peccati, macula, et reatus pœnæ. Macula est privatio nitoris ex rerum terrenarum amore et adhæsione, contra lumen rationis, et divinæ legis proveniens; sicut macula corporis est detrimentum nitoris, ex alieni corporis contactu procedens. Habet autem anima duplicem nitorem : unum quidem ex lumine naturalis rationis, per quam in suis actibus dirigitur, alterum ex divino lumine sapientiæ et gratiæ, quibus perficitur homo ut benè et convenienter agat. Hujus utriusque nitoris privatio est macula peccati, manens in animâ, etiam postquàm actus peccati transierit, donec pœnitentiæ virtute abstergatur; eaque macula distincta est à reatu pœnæ. Unde Pius V et Gregorius XIII hanc Michaelis Baii propositionem 54 damnârunt inter alias : *In peccato duo sunt, actus et reatus : transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Hujus maculæ frequens in sacrâ Scripturâ fit mentio. Josue 22 : *An parum est vobis quòd peccâstis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?* Psalm. 14 : *Qui ingreditur sine maculâ.* Ecclesiastici 31 : *Beatus dives qui inventus est sine maculâ, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ et thesauris.* Ad Ephes. 5 : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Ex quo S. Hieronymus colligit, quòd *qui peccator et aliquâ sorde maculatus est, de Ecclesiâ non est* (meritò scilicet, quamvis de illâ sit numero), et quòd *sicut omne studium feminarum est, ut quod fœdare videtur, abstergant, sic et animæ omni peccatorum sorde purgandæ sunt.* Idem probant omnia loca Scripturæ, quæ peccata nomine immunditiæ et sordium vel inquinamentorum significant, ipsosque peccatores immundos et inquinatos appellant, Isai. 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion;* et cap. 64 : *Facti sumus ut immundus omnes nos.* Ezech. 14 : *Qui posuerit immunditias suas in corde suo*; et cap. 36 : *Salvabo vos ex universis inquinamentis vestris.* Jerem. 11 : *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus.* Ad Tit. 1 : *Inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Jacob. 1 : *Abjicientes omnem immunditiam.* Eòdem spectant, quæ justificationem impii nomine ablutionis significant, ut Psalm. 50 : *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Ezech. 36 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Zachariæ 13 : *Erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Jerem 33 : *Emundabo illos ab omni iniquitate suâ.* 1 ad Corinth. 6 : *Sed abluti estis, sed sanctificati estis.* 1 Joan. 1 : *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Hujus maculæ ratione peccator Deo exosus est, secundùm illud Osee 9 : *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Sap. 14 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.*

Quid verò mirum si nitorem animæ peccatum depascatur, cùm vitam ejus supernaturalem, quæ ex charitate est, extinguat? Hinc Dominus ait Ezech. 18 : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Hinc S. Augustinus, tractatu 49 in Joannem, ait : *Omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat; inde est quòd laborant. Laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat ne moriatur, sine causâ laborat; id enim agit ut multùm mors differatur, non ut evadatur; si autem peccare nolit, non laborabit, et vivet in æternum. Oh! si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quicquid sibi unde viverent, reservabant. Quis non continuò prodidit ne percuteretur? Et post proditionem fortassè percussus est. Quis non, ut viveret, continuò perdere voluit unde viveret, cligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est : Naviga ne moriaris, et distulit? Cui dictum est : Labora ne moriaris, et piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus, et obedire negligimus. Non tibi Deus dicit : Perde quicquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus; sed : Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cùm volunt, nec quamdiù volunt habent; et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam quam, si voluerimus, habebimus; cùm habuerimus, non amittemus. Hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.*

Hinc S. Petrus Chrysologus, sermone 19, hæc verba Christi explicans, Joann. 14 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, ait : *Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine animâ corpus non vivit; non vivit anima sine Christo. Recedente animâ, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, et omnia visu detestanda succedunt; discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror : et fit in corporis sepulcro vivo funus animæ jam sepultæ.*

Mortem ergo animæ, separationem ejus à Deo intellige, Isai. 59 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos*

*et Deum vestrum; et peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Deus quantùm est ex se, omnibus per gratiam suam præsens est, ut sol, ille siderum princeps, omnibus hominibus affulget, sed peccatores magis diligunt tenebras quàm lucem. Non deserit Deus, nisi deseratur, ut justè semper, pièque vivatur. Longè ergo recedimus à Deo per peccatum in regionem dissimilitudinis, in regionem umbræ mortis. Quâ de re S. Ambrosius, lib. de Nabuthe, cap. 16: *Vos reddite munera, qui à Domino non receditis, qui estis in circuitu; quoniam qui eratis longè, facti estis propè. Qui autem propè sibi videntur esse per divitias ac potentiam, longè facti sunt propter avaritiam. Nemo enim foris est, nisi quem culpa excluserit, ut ejecit Adam de Paradiso et exclusit Evam. Nemo longè, nisi quem flagitia propria relegaverint.* Hinc Psalm. 117 dicitur: *Longè à peccatoribus salus, quoniam justificationes tuas non exquisierunt.* Sed, inquit S. Ambrosius, *ipsi sunt sui auctores periculi, qui Domino non appropinquârunt. Ideò facti sunt longè, quia voluntate suâ à salutis se gratiâ separaverunt. Non refugit eos salus, sed ipsi salutem, qui se elongaverunt.* Hinc rursùs Psalm. 93: *Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet.* Est *enim misericordiæ divinæ*, inquit S. Ambrosius, *ut nulla causa sit mortis, et omnes putet esse redimendos. Sed vide ne ille repellatur, qui se elongat à Domino, sicut dicit David*, Psalm. 72: « Quoniam ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti « omnes qui fornicantur abs te. » *Quid est*, abs te fornicantur? *quia turpitudinis suæ ludibriis te relinquunt, et à te recedunt, et à præceptis tuis devii sunt. Denique*, Hebr. 13, *habes scriptum:* Adulteros autem judicat Deus, *disperdens eos à se. Repulisti ergo, hoc est, alienando abs te perdidisti eos. Ergo qui se à Domino separat, ipse à Domino separatur; et qui non cognoscit Dominum, à Domino non cognoscitur; et qui ignorat, ignoratur, sicut ipse Dominus dixit*, Matth. 7: « Discedite à me, omnes operarii iniquitatis, nescio vos. » *Non enim scire dignatur injustitiæ ministros et iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur, quia ipse se repellit.* Se, inquam, repellit à sinu Patris, ab amplexibus Sponsi, à disciplinâ Magistri, cui proinde jure merito dicit Dominus: *Tu verò odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsùm;* et: *Vos ex patre diabolo estis;* ab imperio denique Regis optimi et beneficentissimi, dicens in corde suo: *Nolumus hunc regnare super nos.* Peccator proinde suave Domini jugum abjiciens, in peccati servitutem, diabolique tyrannidem incidit, qui *rex est super universos filios superbiæ*, Job 41. Nam *qui facit peccatum, servus est peccati*; et Joann. 8: *A quo quis superatus est ejus et servus est.* Amissâ, inquam, libertate gloriæ filiorum Dei, fit *servus corruptionis*, 1 Petri 2; nec unum jam dominum habet, sed tot dominos, *tot reges, quot vitia*, inquit S. Ambrosius, sermone 20 in Psalm. 118.

Non solùm animæ decorem mortale peccatum corrumpit, sed et divitias ejus deprædatur, merita scilicet ac bona opera præterita mortificat et obliterat, ut nullam eorum rationem habeat Deus, quamdiù illa in peccato parmanserit. Id significat Jeremias, Threnorum 1 sub typo cladis Jerusalem: *Egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus ... Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est ... Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui ... Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Quem locum S. Hieronymus sic interpretatur: *Mysticè filia Sion reliquit decorem suum, quando anima per incuriam cogitationum, virtutum perdidit ornamentum; nec ei subveniebant principes sui, hoc est, rationabiles tractatus, cum quibus resistere debuit inimicis persequentibus, sed defecto robore fortitudinis coram hoste persequente, propulsa est in foveam deceptionis. ... Sordes gestat in pedibus, qui gressum conversationis suæ malis polluit operibus: nec recordatur finis sui, et temporis justi judicii Dei. Unde deposita vehementer, et hostium manibus tradita, nullum consolatorem habet, quia tempore opportuno, cultu pietatis honorare noluit suum auctorem. Solus in eâ dominatur inimicus, quoniam Deus verus cam deseruit amicus.* « Manum suam misit hostis ad « omnia desiderabilia ejus. » *Propter peccata populi hostilis exercitus devastat templum Domini, et omnem ornatum ejus dejicit. Repulit enim Dominus tabernaculum suum, in quo habitavit inter homines; et tradidit in captivitatem virtutes eorum, et pulchritudines eorum sprevit. Sed et nos, si non observaverimus diligenter claustra cordis nostri, et per aliquem sensuum nostrorum hostis antiquus patentem invenerit introitum, ingreditur per suggestiones pravas, et illicitas concupiscentias in sacrarium animæ nostræ, ubi sancta Trinitas per fidem veram habitare consuevit, et spoliat illud decore sapientiæ, et ornatu virtutum; erimusque miserabiles, et omni confusione dignissimi.* Hinc nomine peccatricis animæ, sub typo Jerusalem à diabolo vastatæ, subdit propheta: *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversùm me tempus ut contereret electos meos.* Abstulit Dominus magnificos plebis Judaicæ in tempore captivitatis suæ, quando prophetas et sacerdotes, quorum ope et doctrinâ Judæi maximè sustentati sunt, propter malitiam eorum, et scelerum multitudinem apud illos habitare non permisit, sicut Daniel, cap. 3, testatur, dicens: *Domine, non est in tempore hoc princeps, nec propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam.* Sic, inquit S. Hieronymus, et *ab animâ diabolicâ fraude deceptâ, postquàm eam inimicus intus captivam à statu rectæ fidei et bonæ conversationis in confusionem erroris abduxerit, sanctorum prædicatorum doctrinam et exempla ab aspectu cordis ejus per oblivionem aufert; quatenùs eam spoliatam virtutibus faciliùs in terrâ alienâ possideat, ne per recordationem sani dogmatis, et meliorationem vitæ ad statum pristinum revertatur.*

II. Alter effectus peccati est reatus pœnæ, sive debitum pœnæ propter peccatum admissum luendæ. Id enim in omnibus ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. Unde quicquid contra ordinem insurgit, æquum est ut ab eo ordine et ordinis principe de-

primatur. Cùm autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quòd quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit ; et ideò æquum est ut ab eo ordine deprimatur ; quæ quidem depressio pœna est. Unde secundùm tres ordines quibus subditur humana voluntas, triplici pœnâ potest homo puniri. Primò enim, subditur ordini propriæ rationis ; secundò, ordini exterioris hominis gubernantis, vel spiritualiter vel temporaliter, politicè seu œconomicè ; tertiò, subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dùm ille qui peccat agit et contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem divinam ; unde triplicem pœnam incurrit : unam quidem à se ipso, quæ est conscientiæ stimulus ; aliam ab homine ; tertiam à Deo. Ita disserit S. Thomas, 1-2, quæst. 87, a. 1. De secundo pœnæ genere hìc non agimus, scilicet de pœnis ab homine infligendis ; sed quæstio est præsertim de reatu pœnæ à Deo infligendæ, de quâ Exodi 32 dicitur : *Percussit Dominus populum pro reatu vituli.* Deuteron. 21 : *Auferetur ab eis reatus sanguinis.* Psalm. 10 : *Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Psalm. 31 : *Multa flagella peccatoris.* Matth. 25 : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Ad Rom. 2 : *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

Peccator igitur qui se ab ordine legis divinæ subduxit per culpam, in ordinem divinæ justitiæ revocatur per pœnam. Ut enim disserit S. Augustinus, epist. 140, aliàs 120 ad Honoratium, cap. 2 : *Inest homini anima rationalis, sed interest ejusdem rationis usu quonam potiùs voluntatem convertat, utrùm ad bona exterioris et inferioris, an ad bona interioris superiorisque naturæ ; id est, utrùm ut fruatur corpore et tempore, an ut fruatur divinitate atque æternitate. In quâdam quippe medietate posita est, infra se habens corporalem creaturam, supra se autem sui et corporis Creatorem. Potest igitur anima rationalis etiam temporali et corporali felicitate benè uti, si non se dederit creaturæ Creatore neglecto, sed eam potiùs felicitatem fecerit servire Creatori, qui et ipsam suæ bonitatis abundantissimâ largitate donavit. Sicut enim bona sunt omnia quæ creavit Deus ab ipsâ rationali creaturâ usque ad infimum corpus ; ita benè egit in his anima rationalis si ordinem servet, et distinguendo, eligendo, pendendo subdat minora majoribus, corporalia spiritalibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis, ne superiorum neglectu, et appetitu inferiorum (quoniam hinc fit ipsa deterior), et se et corpus suum mittat in pejus, sed potiùs ordinatâ charitate se et corpus suum convertat in melius. Cùm enim sint omnes substantiæ naturaliter bonæ, ordo in eis laudatus honoratur, perversitas culpata damnatur. Nec efficit anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris, quoniam si illa malè utitur bonis, ille benè utitur etiam malis ; ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala ; ille ordinatè etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.*

III. Duplex est reatus pœnæ, scilicet pœnæ æternæ, et pœnæ temporalis. Pœnæ æternæ reatum inducit peccatum mortale, quod ir. parabiliter pervertit ordinem hominis ad Deum ut ultimum finem, et charitatem extinguit, per quam Deo inhæret. Unde, Matth. 25, Christus de sententiâ adversùs reprobos ferendâ ait : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum ;* subditque S. Evangelista : *Ibunt hi in supplicium æternum.* Et Marci 3 dicitur : *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti ;* id est, obnoxius æternæ damnationi. Hinc etiam 2 ad Thessalonicenses 1, dicitur de impiis et infidelibus, qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, quòd *pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, et à glorià virtutis ejus, cùm venerit glorificari in sanctis suis.* Adde illud Apocalypsis 14 : *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum ; nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus.*

Nonnulli quidem, et inter alios Origenes, Origenistæ, et alii quidam, injustum putaverunt, ut pro peccatis quamlibet magnis, brevi scilicet tempore perpetratis, pœnâ quisque damnetur æternâ : *Quasi ullius id unquàm justitia legis attendat, ut tantâ morâ temporis quisque puniatur, quantâ morâ temporis unde puniretur admisit..... Damnum* enim, *ignominia, exilium, servitus, cùm plerumque sic infliguntur, ut nullâ venià relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideò quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quæ his plectitur, porrigitur in æternum : et tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, brevissimo tempore perpetrantur ; nec quisquam exstitit qui censeret tam citò nocentium finienda esse tormenta, quàm citò factum est homicidium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid morâ quâ occiditur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æstimant, et non quòd eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de istâ civitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illâ immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus ; sic nec illius, ut in vitam revocetur æternam, secundâ morte damnatus.* Ita disserit S. Augustinus, lib. 21 de Civitate Dei, cap. 11.

Præterea, *si quibus dicitur* : « Discedite à me, male-« dicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et « angelis ejus, » *Matth.* 25, *vel universi, vel aliqui eorum non semper ibi erunt ; quid causæ est cur diabolus et angelis semper ibi futuri esse credantur? An fortè Dei sententia, quæ in malos et angelos et homines proferetur, in angelos vera erit, in homines falsa? Ita planè hoc erit ; si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversùs Deum, sed divino potiùs, dùm tempus est, deberet parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere*

*supplicio. Deinde quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, et vitam æternam credere sine fine, cùm Christus eodem ipso loco, in unâ eâdemque sententiâ dixerit utrumque complexus : sic* ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam? *Sic utrumque æternum. Profectò aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu : vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multùm absurdum est. Unde quia vita æterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum quibus erit finem procul dubio non habebit,* inquit S. Augustinus, cap. 23 ejusdem libri.

Sancti quoque Gregorii præclarus est locus de pœnarum impiis debitarum æternitate, lib. 34 Moralium, cap. 16 : *Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo et gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit :* « Ibunt hi in « supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » *Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At, inquiunt, ideò æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret; quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citiùs respondemus : si falsa minatus est ut ab injustitiâ corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non esse, quòd Veritas de æterno igne minata est; et dùm satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem? At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirùm est omnipotens Deus, et quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citiùs respondemus, quod rectè dicerent, si judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quàm vivere; et ideò hìc semper vivere cupiunt, ut nunquàm desinant peccare cùm vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut nunquàm careant supplicio, quorum mens in hâc vitâ nunquàm voluit carere peccato : et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiù valuit, habere noluit terminum criminis.*

*At, inquiunt, nullus justus crudelitatibus pascitur, et delinquens servus à justo domino idcircò cædi præcipitur, ut à nequitiâ corrigatur. Ad aliquid ergo cæditur, cùm non ejus dominus cruciatibus delectatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quòd pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri, si non expiantur? Quibus citiùs respondemus, quòd omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, et quidem suâ iniquitate puniuntur; et tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in istis respiciant supplicia quæ evaserunt; ut tantò in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt.* Ut enim ait S. Thomas, 1-2, quæst. 87, a. 3, ad secundum, pœna ipsa, quæ secundùm leges humanas infligitur, non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solùm aliis; sicut cùm latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu pœnæ à peccato cohibeantur, secundùm illud Proverb. 10 : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Sic igitur et æternæ pœnæ reproborum à Deo inflictæ, sunt medicinales his qui consideratione pœnarum abstinent à peccatis, secundùm illud Psal. 56 : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti tui.*

IV. Pœna damnatorum duplex est, pœna damni, et pœna sensûs. Pœna enim respondet peccato. In peccato autem duo sunt, scilicet aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum, et conversio ad commutabile bonum. Unde S. Augustinus, lib. 2 de Libero Arbitrio, cap. 19 : *Voluntas,* inquit, *aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cùm suæ potestatis vult esse; ad exterius, cùm aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cùm voluptatem corporis diligit; atque ita homo superbus, et curiosus, et lascivus effectus, excipitur ab aliâ vitâ, quæ in comparatione superioris vitæ mors est; quæ tamen regitur administratione divinæ providentiæ, quæ congruis sedibus ordinat omnia, et pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit ut neque illa bona quæ à peccantibus appetuntur, ullo modo mala sint, neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus; sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, et conversio ad mutabilia bona; quæ tamen aversio atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna et justa eam miseriæ pœna subsequitur.* Et lib. 2, Confessionum, cap. 20 : *Hoc enim peccabam, quòd non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris, voluptates, sublimitates, veritates quærebam; atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.* Ratione aversionis à Deo, peccatum plectitur pœnâ damni, quæ ex parte objecti est infinita, siquidem amissio est infiniti boni, scilicet Dei. Ratione conversionis ad creaturam, plectitur pœnâ sensûs. Unde Apocalypsis 18 dicitur : *Quantùm glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Pœnam damni exprimunt illa Christi Judicis verba : *Discedite à me, maledicti;* pœnam sensûs ista : *In ignem æternum.* De quâ et Marci 9, Christus ait : *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Quod ter ibidem repetit, subditque : *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.* Ignem autem corporeum esse, nemo christianus et catholicus dubitaverit.

At, inquies, quomodò corporeus ignis dæmones,

et animas hominum impiorum incorporeas cruciare potest?

Respondet S. Augustinus, lib. 21 de Civitate Dei, cap. 10: *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi? Si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter atligari. Adhærebunt ergo spiritus dæmonum... Imò spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum junctura inspirentur, et animalia fiant, quæ constent spiritu et corpore; sed, ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, et animalia fiunt, omninò mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est.* Æternus doloris in redivivis corporibus damnatorum sensus, *Secunda mors* dicitur à S. Joanne in Apocalypsi. Etiamsi enim caro nunc talis nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est; sicut talis erit et mors, qualis nunc non est. *Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit è corpore; secunda mors animam nolentem tenet in corpore; ab utrâque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur,* inquit S. Augustinus, lib. 21 de Civitate Dei, cap. 3. Et lib. 13, cap. 2: *In damnatione novissimâ quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potius appellata quàm vita. Ideò autem secunda, quia post illam primam est quâ fit cohærentium diremptio naturarum, sive Dei et animæ, sive animæ et corporis.*

Accedunt ad supplicii cumulum pœnæ interiores gravissimæ, et pariter æternæ, scilicet *vermis qui non moritur*, ut ait Christus, Marci 9; id est, conscientiæ peccatricis stimuli miseram animam in sempiternum pungentes ac discerpentes, æternus pavor, perturbationes animi perpetuæ, jugis criminum suorum conspectus; continuum odium Dei, cujus vindices manus effugere nunquàm poterit; æterna felicitatis beatorum invidia; cognitio certa æternitatis pœnarum suarum, firmaque persuasio nusquàm illas minuendas, temperandas, levandas fore ullius boni, ulliusve solatii admixtione; addictio æterna servituti dæmonis, qui *Rex est super omnes filios superbiæ*, animæ denique infelicis attentio sempiterna ad hæc omnia, scilicet ad Deum quem offendit, quem contempsit, quem odit, à quo punitur; ad causas damnationis suæ, quas sibi uni imputare potest; ad peccata omnia et singula, ad supplicii locum profundissimum, arctissimum, tenebrosissimum, igne ac sulphure flagrantem, fœtidissimum; ad pœnas interiores et exteriores, ad horrendam dæmonum damnatorumque hominum cæterorum societatem, formenta sunt ipso igne tartareo graviora. Quid dicam de pugnâ contrariorum desideriorum, quibus anima desperata æternùm cruciabitur? Semper vivere desiderabit; id enim naturale desiderium est; destrui nihilominùs optabit, ut miseriæ ipsius finem habeant; sed inane erit desiderium. Deum desiderabit naturali quâdam propensione; Deum odio habebit perversâ voluntate. Pœnitebit illam peccatorum, quæ damnationis ejus causæ sunt; amabit nihilominùs peccata, obfirmatâ in malo voluntate, et conversionis incapace. *Væ oppositis voluntatibus*, inquit S. Bernardus, lib. 5 de Consid. cap. 12, *solam suæ profectò aversionis referentibus pœnam! Quid tam pœnale, quàm semper velle quod nunquàm erit! Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut nonnisi perversè, ita nonnisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit quod vult, et quod non vult in æternum nihilominùs sustinebit.*

Dogma autem fidei est, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas;* ut concilium Florentinum docet ac declarat in Definitione fidei.

V. Pœnæ temporalis reatum, vel in hâc vitâ, vel in alterâ luendæ, inducit peccatum veniale, quod non pervertit ordinem ad ultimum finem, scilicet ad Deum, sed ordinem duntaxat eorum quæ ad finem referuntur; ut cùm homo nimis ad aliquam rem temporalem afficitur, non tamen pro eâ Deum offendere vellet, aliquid contra præceptum ejus faciendo, inquit S. Thomas, 1-2, quæst. 87, a. 5. Si nimirùm fundamentum Christus est, id est, *si primum locum in corde Christus obtinuit, secularia verò sic amantur, ut non Christo præponantur, sed eis Dominus Christus;* etiamsi super divinum illud fundamentum homo superædificet *lignum, fenum, stipulam*, id est, peccata leviora: *Detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, inquit Apostolus 1 ad Corinthios 3. Quem locum sic explicat S. Augustinus, sermone 362, aliàs *de Diversis* 3, et lib. 21 de Civitate Dei, cap. 26, ubi hæc habet: *Quisquis sic habet in corde Christum, ut ei terrena et temporalia, nec ea quæ licita sunt atque concessa præponat, fundamentum habet Christum: si autem præponit, etsi videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui talia præponuntur.* Et paulò post subdit, esse quosdam qui super hoc fundamentum superædificant ligna, fenum, stipulam, id est, leviora peccata; et qui terrenas *necessitudines sic amant carnaliter, ut tamen eas Christo Domino non præponant, malintque ipsis carere, quàm Christo;* hos porrò *per ignem salvos* fore. Nomine autem ignis intelligitur tum hujus temporis tribulatio: *Quia earum rerum amissione tantùm necesse est urat dolor, quantùm hæserat amor;* tum pœna purgatorii. Illa enim duplex est: privatio scilicet, seu potius dilatio beatitudinis, id est, divinæ visionis, et pœna sensûs. Et privatio quidem ipsa Dei, vel ad tempus, gravissima pœna est animæ non jam in viâ, sed in termino constitutæ. Amanti enim patriam, exilium à patriâ magna est pœna. Unde cùm animæ justorum

corporibus solutæ, et tamen venialium peccatorum maculis, seu pœnæ temporalis reatu à Dei visione retardatæ, Deum et cœlestem patriam summè ament, et inquietæ sint, donec in Deo requiescant; gravissimum ex hâc dilatione dolorem patiuntur, dùm sibi ipsis per singula momenta dicunt: *Ubi est Deus tuus? Si* enim *spes quæ differtur, affligit animam*, quantò magis spes summi boni affligit animam non jam terrenæ cupiditatis pondere depressam, sed toto amoris impetu in Deum tendentem? Ignis etiam purgatorii, sive pœna sensûs in illo purgationis loco luenda, quâlibet hujus seculi pœnâ gravior erit, ut docet S. Augustinus, Enarratione in psalmum 17.

De hoc pœnæ purgatoriæ reatu S. Gregorius, lib. 4 Dialogorum, cap. 39, sic loquitur: *De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd Veritas dicit*, Matth. 12: *Quia si quis in sanctum Spiritum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In quâ sententiâ datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpâ vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ; quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hâc vitâ positis minimè fuerint relaxata.*

VI. Inter peccati pœnas, non levis sanè est conscientia peccati, seu conscientiæ peccatorem ipsum accusantis stimulus, vermis instar peccatricem animam corrodens. Quâ de re S. Ambrosius, Enarratione in psalmum 37, *Gravior*, inquit, *adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur. Unde et Scriptura dicit*, Isai. 50: Peccatis vestris venditi estis. *Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt, ut dixit Propheta*, Isaiæ 3: Vendiderunt nos, et dominantur nobis. *Servus qui venditur, superiore servitio exit, ut ad Dominum alterum migret; nos nec superiorum jugum deponimus, et ad nova peccata curvamur.* Et in psalm. 35: *Quæ pœna major, quàm timere quod vitare non possis, nec quod timueris evadere? Unde præclarè David exprimens conventionem gravissimam conscientiæ peccatricis ait, Psalm.* 50: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper. *Offenditur enim nobis ultrix nostri imago peccati; nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram servitutem; atque in sua vincula trahit, ut enodare se non queat, quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, et libertatem innocentiæ reservare. Itaque dùm oramus, peccatum offenditur; ubi somno sensus se corporis relaxaverit, peccatum recurrit. Semper nobis error noster tanquàm malus exactor occurrit, vel tanquàm improbus fœnerator conveniens debitorem.*

Quanta sit malæ conscientiæ pœna, explicat disertè S. Augustinus, Enarratione in psalmum 45: *Inter omnes tribulationes humanæ animæ*, inquit, *nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis quod conscientia vocatur; ubicumque alibi vassus fuerit tribulationes, illuc confugiet, et ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam et ibi Deus non est; quid facturus est homo? Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum, et sequitur tribulatio. A cubiculo jam quò fugiat non habet, nisi in interiora cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere: pellitur inde; et cùm inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quò confugerat; seipsum quò fugiturus est? Quocumque fugerit, se trahit post se; et quocumque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipsæ sunt tribulationes quæ inveniunt hominem nimis; acerbiores enim non sunt; tantò non sunt acerbiores, quantò non sunt interiores. Videte, charissimi, cùm ligna dejiciuntur et probantur à fabris, aliquando in superficie videntur quasi læsa et putria; faber autem inspicit quasi medullam interiorem ligni; et si sana interiùs ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura; nec valdè erit de superficie læsâ sollicitus, quando id quod interiùs est sanum renuntiat. Porrò homini interius conscientiâ non invenitur; quid igitur prodest, si quod est exterius, sanum est, et putrefacta est medulla conscientiæ? Arctæ istæ, et vehementes omninò, et sicut psalmus ipse ait, nimiæ tribulationes sunt; tamen et in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit debitor fisci confessus, et intuens angustias rei familiaris suæ, cùm se videt non posse esse solvendo, propter imminentes omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, nec usquàm respirat nisi in spe indulgentiæ rerum terrenarum: quantò magis debitor pœnarum de abundantiâ delictorum, quando reddet quod debet de malâ conscientiâ, quando si reddiderit ipse perit? Hoc enim debitum reddere, pœnas luere est.*

Et Enarratione in psalmum 33: *Quomodò*, inquit, *nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, quomodò exeunt ad forum, et gaudent; cœpit hora esse, quâ intrent in domum suam, contristantur; intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones; quia non est domus composita, ubi inter virum et uxorem pax nulla est; et melius illi est foras circumire. Si ergo miseri sunt, qui cùm redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quantò sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur? Ergo ut possis libens redire ad cor tuum, munda illud.*

Et epistolâ 151, aliàs 259: *Horrendis*, inquit, *et*

*pœnalibus tenebris, omnes non tantùm carceres, sed etiam inferos vincit scelerati hominis conscientiâ.*

VII. Peccatum unum alterius pœna peccati est tripliciter. Primò, ratione causæ peccatum impedientis, quam removet. Causæ namque ad peccatum inclinantes, sunt cupiditates, et tentationes diaboli, quæ quidem divinæ gratiæ auxilio impediuntur vel comprimuntur. Cùm igitur subtractio gratiæ pœna sit à Deo inflicta; quod inde sequitur peccatum, alterius peccati pœna est. Hinc Apostolus ad Rom. 1 : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Secundò, unum peccatum alterius pœna est ratione actûs cui adjuncta est afflictio, sive sit actus interior, ut in irâ et invidiâ compertum est; sive actus exterior, ut patet in iis qui gravi labore et damno opprimuntur, ut prava sua desideria expleant, secundùm illud Sap. 5 : *Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Tertiò, unum peccatum alterius peccati pœna est, ratione effectûs consequentis, ut sunt infamia, paupertas, morbi. Quâ ratione peccatum non solùm est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui, inquit S. Thomas, 1-2, quæst. 87, a. 2.

Idem simul esse peccatum et pœnam peccati, docet S. Augustinus, Enarratione in psalmum 57, et lib. 5 contra Julianum, cap. 3, ubi ait : *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur : et pœna peccati, cùm cor superbum dignâ animadversione punitur : et causa peccati, cùm aliquod malum cæci cordis errore committitur.* Ita tamen intelligere debemus, *unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti; ne putemus illam tranquillitatem et ineffabile lumen Dei de se proferre unde peccata puniantur; sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti,* inquit S. August., Enarratione in psalmum 7.

Idem confirmat S. Gregorius, lib. 25, Moralium, cap. 9, exponens hæc verba Job 34 : *Novit enim opera eorum, et idcircò inducet noctem, et conterentur.* In nocte, inquit, iniquus conteritur, cùm peccatum præcedentium confusione damnatus, veritatis lumen non invenit, et quid deinceps agere debeat, non agnoscit. *Omne quippe peccatum, quod tamen citiùs pœnitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde sit, ut non solùm peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodò, sed peccatum est et pœna peccati; quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati meritò etiam in aliis cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Quod quidem agitur dispositione superiùs ordinatâ, sed inferiùs iniquitate confusâ, ut et præcedens culpa sit causa subsequentis, et rursùm culpa subsequens pœna sit præcedentis.* Quod probat Apostoli testimonio supra laudato, ad Rom. 1 : *Prioris ergo peccati meritò,* inquit, *peccatorum subsequentium fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps justè in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpæ culpis feriantur; quatenùs supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum* (1).

## CAPUT IV.

### DE SUPERBIA ET INANI GLORIA.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit superbia ?*

*Superbia est excellentiæ propriæ inordinatus amor;* seu *perversæ celsitudinis appetitus.* Sic ipsam S. Augustinus definit lib. 14 de Civitate Dei, cap. 13 : *Perversa autem celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod et magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus, quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret et frigesceret;* et lib. 19, cap. 12 : *Superbia,* inquit, *perversè imitatur Deum. Odit namque cum sociis æqualitatem sub illo : sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Odit ergo justam pacem Dei, et amat iniquam pacem suam.*

#### ARTICULUS II.

*Superbia speciale peccatum est.*

Quamvis enim quodam sensu sit generale peccatum, quatenùs ex eâ omnia vitia oriri possunt; sive per se quatenùs ad finem superbiæ, scilicet ad propriam excellentiam ordinantur; sive indirectè et quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, quatenùs superbus divinam legem contemnit, quâ prohibetur ne peccet, secundùm illud Jeremiæ 2 : *Confregisti jugum, rupisti vincula, dixisti : Non serviam;* speciale tamen peccatum est ratione objecti, propriæ scilicet excellentiæ, cujus perversus est appetitus. Unde S. Augusti-

(1) Legitur hìc in auctore nostro caput integrum de regulis generalibus ad peccata cognoscenda et dijudicanda necessariis. Hanc verò materiam sat luculenter et abundè tractavit supra in decursu voluminis Brocardus, in tractatu de Conscientiâ, ubi regulas morum ex professo tradit, ad quas lectores remittimus, ne sufficienter dicta repetantur. Nec inde tamen huic de Peccatis tractatui damnum ullum oriri existimamus, quoniam pars illa omninò specialis, quemadmodùm in theologicis sæpè contingit, ad alium quemcumque locum aptè poterat revocari, ideòque illic detrahi, quin totum auctoris opus ullum detrimentum minimamve mutilationem pateretur. Iisdem de causis, infra, in capite de avaritiâ, totum circa usuram articulum prætermittemus, quoniam hæc materies, ubi de Contractibus agetur, loco convenientissimo tractabitur.

(EDIT.)

nùs, lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 29, contra Pelagium propugnat, secundùm legem Dei *multùm discretum esse à cæteris peccatis peccatum superbiæ. Multa namque peccata per superbiam committuntur; sed non omnia superbè fiunt, quæ perperàm fiunt; certè à nescientibus, certè ab infirmis, certè plerùmque à gementibus et flentibus.* Id est, ut explicat S. Thomas, non semper ex contemptu divina præcepta violantur, sed quandoque ex ignorantiâ, quandoque ex infirmitate.

### Articulus III.

*Superbia ex genere suo mortale peccatum est.*

Vitium enim illud opponitur humilitati, quæ hominem Deo subjicit, atque in istius subjectionis defectu positum est, quatenùs homo se extollit supra regulam vel mensuram à Deo constitutam, contra sententiam Apostoli 2 ad Corinthios 10 scribentis : *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram quâ mensus est nobis Deus.* Et ideò dicitur Ecclesiastici 10 : *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo; quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus.* Radix ergo superbiæ hæc est, quòd homo *subjici Deo et regulæ ipsius* dedignatur. At *hoc ipsum quod est non subjici Deo, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti à Deo.* Hinc *superbi* ab Apostolo, Rom. 1, inter eos numerantur qui *digni sunt morte.* Hinc S. Gregorius lib. 34 Moralium, cap. 18, ait : *Evidentissimum reproborum signum superbia est.* Hinc de Leviathan diaboli typo dicitur Job. 41 : *Ipse rex super universos filios superbiæ.*

*Sicut tamen in aliis, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia, puta, in fornicatione et adulterio, sunt aliqui motus qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia præveniunt rationis judicium, et sunt præter ejus consensum; ita etiam et circa superbiam accidit quòd aliqui motus superbiæ sunt peccata venialia, dùm eis ratio non consentit.* Ita docet S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 162, a. 5. Verùm et alia Scripturæ sacræ testimonia confirmant superbiam esse mortale peccatum : Numer. 15 : *Anima quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversùs Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.* Psalm. 17 : *Oculos superborum humiliabis;* et, *Dominus concidet cervices peccatorum.* Psalm. 30 : *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Proverb. 16 : *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Et Lucæ 16 : *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Isai. 2 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur.* Isai. 28 : *Væ coronæ superbiæ!* Jerem. 50 : *Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercituum; quia venit dies tua, tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum.*

### Articulus IV.

*Superbia vulgò capitale vitium, aliàs regina vitiorum censetur.*

Si enim spectetur quatenùs speciale peccatum est, ex quo alia multa peccatorum genera derivantur, capitalibus vitiis rectè connumeratur à Cassiano lib. 5 de Institutis Renuntiantium, cap. 1. Si verò spectetur secundùm generalem influxum quem exercet in cætera peccata, non vitium capitale, sed *vitiorum regina* dicitur à S. Gregorio lib. 31 Moralium. cap. 17, qui et vitiorum radicem vocat lib. 34, cap. 18, quia *sicut inferiùs radix tegitur, sed ab illâ rami extrinsecùs expanduntur, ita se superbia intrinsecùs celat, sed ab illâ protinùs aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret.*

### Articulus V.

*Superbia primum gravissimumque omnium peccatorum est.*

Primum quidem ratione aversionis à Deo, quæ per se ad superbiam, ad alia autem peccata ex consequenti pertinet. Primum insuper, quia cætera vitia ex eâ oriri possunt. Primum tandem, quia superbiâ tum angeli, tum primus homo ceciderunt. Angeli, inquam, superbiâ dæmones facti sunt, ut colligitur ex Isaiæ cap. 14, ubi sub typo primi angeli ruina regis Babylonis describitur : *Quomodò,* inquit, *cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Hinc S. Augustinus lib. 12 de Civitate Dei, cap. 1 : *Angelorum,* inquit, *bonorum et malorum inter se contrarios appetitus non naturis principiisque diversis, cùm Deus omnium substantiarum bonus auctor et conditor utrosque creaverit, sed voluntatibus et cupiditatibus exstitisse, dubitare fas non est, dùm alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in ejus æternitate, veritate, charitate persistunt. Alii suâ potestate potiùs delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; et habentes elationis fastum pro excelsissimâ æternitate, vanitatis astutiam pro certissimâ veritate, studia partium pro individuâ charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt.* Et cap. 6 : *Proinde causa beatitudinis angelorum ea verissima reperitur, quòd ei adhærent qui summè est. Cùm verò causa miseriæ malorum angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo qui summè est aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui non summè sunt : et hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur?* Initium *quippe* omnis peccati, superbia, Eccli. 10. *Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam; et qui magis essent, si ei qui summè est adhærerent, se illi præferendo, id quod minus est prætulerunt. Hic primus defectus et prima inopia primumque vitium illius naturæ, quæ ita creata est, ut nec summè esset, et tamen ad beatitudinem habendam eo qui summè est frui posset, à quo aversa, non quidem nulla, sed tamen minùs esset, atque ob hoc misera fieret.*

Primum etiam primi hominis primæque mulieris peccatum superbia fuit. Unde Tob. 4 dicitur : *Superbiam nunquàm in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio.*

Hinc S. Augustinus lib. 14 de Civitate Dei, cap. 13, de primis parentibus loquens : *In occulto*, inquit, *mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia?* Initium *enim* omnis peccati superbia est... *Non malum ergo opus factum est, id est, illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui jam mali erant : neque enim fieret ille fructus malus nisi ab arbore malâ. Ut autem esset arbor mala, contra naturam factum est : quia nisi vitio voluntatis, quod contra naturam est, non utique fieret. Sed vitio depravari, nisi ex nihilo facta natura non posset. Ac per hoc ut natura sit, ex eo habet quòd à Deo facta est; ut autem ab eo quod est deficiat, ex hoc quòd ex nihilo facta est. Nec sic defecit homo, ut omninò nihil esset : sed ut inclinatus ad se ipsum minùs esset, quàm erat, cùm ei qui summè est inhærebat. Relicto itaque Deo, esse in semetipso, hoc est, sibi placere, non jam nihil esse est, sed nihilo propinquare. Unde superbi secundùm Scripturas sanctas alio nomine appellantur sibi placentes... Manifesto ergo apertoque peccato, ubi factum est quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset; nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset. Hinc enim et delectavit quod dictum est,* Genes. 3 : Eritis sicut Dii. *Quod melius esse possent summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dii enim creati, non suâ veritate, sed Dei veri participatione sunt Dii. Plus autem appetendo, minùs est : qui dùm sibi sufficere diligit, ab illo qui ei verè sufficit, deficit. Illud itaque malum, quo cùm sibi homo placet, tanquàm sit et ipse lumen, avertitur ab eo lumine, quod ei si placeat et ipse fit lumen : illud, inquam, malum præcessit in abdito, ut sequeretur hoc malum quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est* Proverb. 16 : Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur. *Illa prorsùs ruina quæ fuit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dùm illa ruina esse non putatur.* Ex his evidens est superbiam esse primum omnium peccatum.

Jam verò quod gravissimum et maximum omnium, non quidem ratione conversionis ab bonum creatum (quia celsitudo, quam superbus inordinatè appetit, non habet maximam repugnantiam cum bono virtutis), sed ratione aversionis à Deo, inde probat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 162, a. 6 : *Quia in aliis peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem à Deo, ex hoc ipso quòd non vult Deo et ejus regulæ subjici.* Unde Boetius ait : *Cùm omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se Deo opponit.* Hinc *Deus superbis resistit,* ut dicitur Jacobi 4. Quamobrem *averti à Deo et ejus præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cujus actus est Dei contemptus,* inquit S. Thomas. Unde et alia peccata graviora facit superbia. Nam infidelitatis peccatum gravius est, si ex superbiâ et contemptu procedat, quàm si ex ignorantiâ vel infirmitate. Idemque de desperatione, et aliis dicendum est cum S. Thomâ in responsione ad secundum.

Hæc doctrina ex S. Augustino sumpta est lib. de Sanctâ Virginitate, cap. 50 : *Quoniam*, inquit, *etiam satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodammodo ex humanâ fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla; eadem ipsa fiunt magna et gravia, si eis superbia incrementum et pondus adjecerit : à sacerdote autem quem habemus in cœlis, si piâ humilitate perimantur, totâ facilitate purgantur.* Hinc S. Ambrosius sermone in Psalmum 118 in illa verba : *Superbi iniquè agebant usquequaque*, ait : *Maximum peccatum in homine superbia est; quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primùm diabolus vulneravit, et perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset... nunquàm feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Denique dùm dicit :* Ponam thronum meum super nubes, et ero similis Altissimo, *consortiis excidit angelorum : cujus criminis dignâ mercede damnatus, hominem sibi participem requisivit, in quem consortium suæ transfunderet offensæ. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit injuriâ? Ideòque Scriptura dicit :* Dominus superbis resistit. *Tanquàm suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen; tanquàm dicat : Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Unde et Apostolus multiplicis culpæ materiam esse superbiam declaravit, dicens de hæretico* 1 ad Timoth. 6 : « Non acquiescit ei, quæ « secundùm pietatem est, doctrinæ : superbus est, ni« hil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas « verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentio« nes, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes « hominum mente corruptorum, et qui veritate privati « sunt, existimantium quæstum esse pietatem. » *Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Unde David commendare volens devotionem suam nullâ superborum iniquitate attentatam, ait :* « Superbi « iniquè agebant nimis. » *Non solùm iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declaravit, quæ conveniret superbis : quorum ne aliquo tentaretur contagio, audi alibi dicentem :* Superbo *oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Quod ait S. Ambrosius Deum tanquàm suæ contumeliæ propulsatorem superbis resistere, confirmant verba illa Job. 15 : *Tetendit adversùs Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Hinc S. Augustinus Enarratione in psalmum 18, explicans hunc versum : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor à delicto maximo*, ait : *Delictum magnum arbitror esse superbiam. Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod dejecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cœlorum? Magnum hoc delictum est, et caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim* Eccli. 10 : Initium omnis peccati superbia. *Et ne quasi leve aliquid contem-*

nas, initium, *inquit*, superbiæ hominis apostatare à Deo. *Non leve malum est hoc vitium, fratres mei. Huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctiùs jugo peccati. Non enim servire non eis continget : Nam nolunt servire, sed eis expedit servire. Nolendo servire, nihil aliud agunt, quàm ut bono Domino non serviant, non ut omninò non serviant : quia qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati. Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est apostasia à Deo, eunte animâ in tenebras, et malè utente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris consecutis : et substantiam suam dissiparet cum meretricibus vivens prodigè, et per egestatem fieret pastor porcorum, qui erat socius angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit, ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor.*

Porrò ex vi pretioque medicinæ, morbi magnitudo æstimanda est. *Quia nos superbia vulneraverat, humilitas fecit sanos. Venit humilis Deus, ut à tanto superbiæ vulnere curaret hominem... Comprehensus est à Judæis, insultatum est ei. Audistis cùm Evangelium legeretur, quid dixerunt, et cui dixerunt :* Dæmonium habes, *et ille non dixit : Dæmonium habetis vos, quia vos in peccatis vestris estis, et diabolus possidet corda vestra. Non hoc dixit, quod si diceret, verum diceret ; sed non erat tempus ut hoc diceret, ne non veritatem prædicare, sed maledictum reddere videretur. Dimisit quod audivit, quasi non audisset. Medicus enim erat, et phreneticum curare venerat. Quomodò medicus non curat quicquid audiat à phrenetico, sed quomodò convalescat et fiat sanus phreneticus ; nec si et pugnum ab illo accipiat curat ; sic et Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticum venit, ut quicquid audiret, quicquid passus esset, contemneret, hoc ipso eos docens humilitatem, ut humilitate docti sanarentur à superbiâ*, inquit S. Augustinus Enarratione in Psalmum 35 : *Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior quàm superborum ruina ; maximè cùm ipsa elatio in Dei tendat injuriam*, inquit auctor epistolæ ad Demetriadem, inter opera S. Prosperi editæ.

Superbiæ gravitas hinc etiam demonstratur, quòd ad convincendam et sanandam hominum superbiam, Deus permittit interdùm ut superbi ruant in peccata carnalia, quæ majoris turpitudinis sunt et infamiæ, ut S. Isidorus Hispalensis observat lib. 2 Sententiarum, cap. 58, S. Augustino præeunte, lib. 15 de Civitate Dei, cap. 13 : *Audeo dicere*, inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo occiderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmus* 82 : Imple facies eorum ignominiâ, et quærent nomen tuum, Domine ; *Id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum.* Hinc, inquam, demonstratur superbiæ gravitas. Sicut enim medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere ; ita etiam Deus in remedium superbiæ permittit ut homines in alia peccata labantur, inquit S. Thomas. Hinc S. Gregorius lib. 33 Moralium, cap. 11 : *Qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit... Quia ergo nos de medicamento vulnus fecimus, facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur ; ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus.*

### Articulus VI.

*Superbia vitiorum omnium periculosissimum.*

Primò, quia in virtutes omnes grassatur, et datâ ex bonis operibus occasione nascitur. Secundò, quia justis maximè insidiatur ut eos dejiciat. Tertiò, quia ultima destruitur in hominis animo. In virtutes omnes grassari superbiam, docet S. Gregorius lib. 34 Moralium, cap. 18 : *Alia vitia*, inquit, *eas solummodò virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia* (sive gula) *abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem nequaquàm unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit : ut quicquid illâ invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit ; et quò ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exsurgit : quia quò ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eò latiùs ista dominatur.* Hinc S. Isidorus lib. 2 Sententiarum cap. 38 superbiam vocat *ruinam omnium virtutum.* Quòd autem datâ ex bonis operibus occasione nascatur, et res perspicua est, et à S. Augustino confirmata epistolâ 211, aliàs 109 : *Alia*, inquit, *quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant : superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.* Et epistolâ 118, aliàs 56 : *Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

Justis maximè superbiam insidiari, ut eos dejiciat, agnoscebat David Psalmo 35, Deum in hunc modum orans : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.* Quem locum S. Augustinus sic explicat : *Certè jam dixit : Sub umbraculo alarum tuarum sperabunt filii hominum, et inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ. Cùm cœperit quisque isto fonte uberiùs irrigari, caveat ne superbiat... Si enim venerit pes superbiæ, movet manus peccatoris. Quæ est manus peccatoris ? Malè suadentis operatio. Factus es superbus ? Citò te corrumpit, qui malè suadet. Humilis figere in Deo, et non valdè cures quid tibi dicatur... Serva quod intùs est, et non timebis foris. Quare autem valdè hoc times, quasi diceretur :* Ibi, *inquit*, ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, *ut venirent ad illam abyssum, de quâ dictum est.* Proverb. 18 : Judicia tua sicut abyssus multa ; *ut ad illud profundum pervenirent, ubi peccatores*

*qui contemnunt, ceciderunt... Ubi primò ceciderunt? In pede superbiæ. Audite pedem superbiæ* : Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, Rom. 1. *Venit ergo illis pes superbiæ, unde venerunt in profundum. Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt. Radicem peccati, et caput peccati timuit, qui dixit :* Non veniat mihi pes superbiæ. *Quare illum pedem dixit? Quia superbiendo Deum deseruit, et discessit : pedem ipsius, affectum ipsius dixit.* Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me; *id est, opera peccatoris non me dimoveant à te, ut imitari illa velim. Quare autem contra superbiam hoc dicit :* Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem? *Quia qui modò iniqui sunt in superbiâ ceciderunt. Ideò cùm cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait :* Illa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum, Genes. 3. *Serpens observat quando tibi veniat pes superbiæ, quando labaris, ut dejiciat : tu autem caput ejus observa :* Initium omnis peccati superbia. Superbia scilicet dupliciter spectari potest, primò ut à dæmone inspirata, quâ ratione caput est corporis peccati, cùm vitiorum omnium malitiam contineat, sicut totum serpentis venenum in capite includitur. Secundò, ut ab homine concepta, quâ ratione infamis illius corporis pes est; cùm superbus inferiores conculcet, æquales spernat, superiores dejicere conetur.

Justi itaque perpetuò vigilare debent ne obrepat superbia, ut enim docet S. Augustinus, lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 27, Deus superbiæ malum non citò sanat, ne de ipsâ superbiâ devictâ infelix homo superbiat. *Ipsam*, inquit, *superbiam, quæ et in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanat, pro quâ sanandâ illi piæ animæ cum lacrymis et magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam et quodammodò calcandam et obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiam superâsse superbiam, ex ipsâ lætitiâ caput erigit, et dicit : Ecce ego vivo, quid triumphas? Et ideò vivo quia triumphas? Ante tempus enim fortassè de illâ quasi triumphare delectat, cùm extrema ejus umbra de illo meridie absorbebibur, qui Scripturâ dicente promittitur :* « Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium « tuum sicut meridiem. » Hinc justis semper timendum Apostolus ait : *Cum timore*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini.* Et Psalm. 2, dicitur : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de viâ justâ, cùm exarserit in brevi ira ejus. Non ait : Ne quando irascatur Dominus, et non vobis ostendat viam justam; sed jam illic ambulantes sic terrere potuit ut diceret : Ne pereatis de viâ justâ. Unde? Nisi quia superbia etiam in ipsis rectè factis cavenda est, id est, in ipsâ viâ justâ, ne homo dùm quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, et redeat ad suum.*

Tandem, inquit S. Augustinus, Enarratione 1 in Psalmum 18 : *Verè ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret : quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.*

Concinit S. Prosper Epigrammate 84 :

*Quâ primùm in mortem est homo pulsus fraude*
*Hanc illi extremam bella peracta movent.* [*maligni,*
*Sublimes ut cùm palmas clarasque coronas*
*Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus ;*
*Virtuti propriæ velit assignare triumphum,*
*Non Domino, cujus munus opusque fuit.*

### Articulus VII.

*Quot superbiæ species? et quando sit peccatum mortale?*

Quatuor superbiæ species sive modos explicat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 162, a. 4. Prima est, cùm aliquis existimat se à seipso habere bona sive corporis, sive animæ, sive naturalia, sive supernaturalia. Psalm. 11 : *Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Job 11 : *Vir vanus erigitur in superbiam, et quasi pullum onagri se liberum putat.* Altera, cùm aliquis agnoscit quidem se à Deo accepisse bona quæ habet, sed ea meritis suis tribuit, vel ita apud se existimando, aut volendo ut alii ita sentiant; vel opere externo ita se gerendo, ac si meritis suis illa consecutus esset; vel illa sic habere desiderans, aut dolens quod ita non habeat. Tertia est, arrogare sibi ea bona quæ verè non habet, cujuscumque sint generis, idque sive in suâ, sive in aliorum opinione, seu opere, seu desiderio. Quarta est, cùm aliquis despectis cæteris videri satagit aut peroptat singulariter habere quod habet, aut aliis scientiâ, virtute, aliisque sive corporis, sive animi dotibus, sive naturæ, sive gratiæ, sive fortunæ, ut ita loquar muneribus antecellere.

Ut autem aliquis peccet primâ vel secundâ specie superbiæ, minimè necesse est ut persuasum habeat, judicetque, *aliquod bonum esse quod non est à Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari;* quod *pertinet ad infidelitatem; sed quòd ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis suis glorietur, ac si ea à se haberet, vel ex meritis propriis.* Ita respondet S. Thomas ad primum.

Divisionem illam superbiæ sumpsit S. Thomas ex S. Gregorio lib. 23 Moralium, cap. 4, cujus hæc sunt verba : *Quatuor sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur : cùm bonum aut à semetipsis habere se æstimant; aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certè cùm jactant se habere quod non habent; aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur :* 1 *Cor.* 4 : « Quid enim habes quod « non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris « quasi non acceperis? » *Rursùm ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet dicens Ephes.* 2 : « Gratiâ « estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed « Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorie« tur. » *Qui etiam de semetipso ait* 1 *ad Timoth.:* « Qui priùs fui blasphemus, et persecutor, et contu« meliosus, sed misericordiam consecutus sum. » *Quibus verbis apertè declarat, quòd gratia non pro meritis*

*tribuatur, dùm ex se ipso docuit et quid de malitiâ meruit, et quid de benevolentiâ accèpit. Rursùm nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut divinâ voce per Prophetam de Moab dicitur Jerem.* 48 : « Superbiam ejus et arrogantiam ejus ego novi, et quòd non « sit juxta eum virtus ejus. » *Et sicut angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur Apoc.* 3 : « Quia dicis quòd dives « sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia « tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et « nudus. » *Rursùm nonnulli despectis cæteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Luc.* 18, *Unde et Pharisæus idcircò de Templo absque justificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de prædicatione redeuntes, cùm elati dicerent :* « Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis sub« jecta sunt, » Luc 10 ; ne de hâc miraculorum singularitate gauderent, illicò eis respondit Dominus : *Videbam Satanam velut fulgur de cœlo cadentem.* « Et « mirè Dominus, ut in discipulorum cordibus elatio« nem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod « ipse magister elationis accepit : ut in auctore super« biæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. In « hâc itaque arrogantiæ quartâ specie crebrò humanus « animus labitur : ut id quod habet, habere se singu« lariter glorietur. In quâ tamen similitudini diaboli« cæ viciniùs appropinquat : quia quisquis bonum se « habere singulariter gaudet, quisquis videri subli« mior cæteris quærit, illum imitatur, qui despecto « bono societatis angelorum, sedem suam ad aquilo« nem ponens, et Altissimi similitudinem superbè ap« petens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam « culmen conatus est singularitatis erumpere. » Isai. 14.

Quatuor illæ superbiæ species sunt peccata mortalia, si ex deliberatâ voluntate procedat superbiæ motus. Tertiam tamen et quartam ob levitatem materiæ quandoque à peccati mortalis labe excusari non ignobiles theologi censent. Nam si cum gravi Dei irreverentiâ, vel gravi damno aut contemptu proximi conjunctæ sint, lethalia esse peccata minimè dubium est : verbi gratiâ, si quis de dotibus ad Ecclesiæ regimen, vel ad gerendos magistratus necessariis, quibus tamen destitutus est, ad ecclesiasticas dignitates, vel publica munera capessenda glorietur. Si quis se locupletissimum simulet, ac talem haberi malis artibus curet, ut in amplissimam ac ditissimam familiam nubat cùm reverà sit inops. Si quis ne à familiæ suæ claritate degenerare videatur, ingentia debita contrahat, quibus solvendis se non satis futurum prævidet. Si quis ita fortunæ bonis, aut potentiâ, scientiâ, vel aliis Dei donis insolescat, ut ad excellentiam propriam velut ad finem ultimum actiones suas dirigat, divinam legem transgredi, proximosque conculcare paratus ut excellentiam suam, vel conceptam de illius singularitate opinionem tueatur. Hinc Salomon Proverb. 30, Deum ita precatur : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi : tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus?*

Ad illas superbiæ species pertinent, quæ S. Augustinus scribit lib. 2 Confessionum, cap. 39 : *Etiam intùs est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multùm tibi displicent, non tantùm de non bonis quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis quasi suis ; aut etiam sicut de tuis, sed tanquàm ex meritis suis ; aut etiam sicut ex tuâ gratiâ, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes ea.*

Plures alias superbiæ species seu modos alii Patres assignant; S. Hieronymus ingrati animi vitium; S. Augustinus lib. 14. de Civitate Dei, cap. 14, excusationem peccati commissi; S. Bernardus duodecim gradus superbiæ totidem humilitatis gradibus oppositos, scilicet curiositatem, mentis levitatem, ineptam lætitiam, jactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem, peccandi consuetudinem. Verùm ingrati animi vitium ad primam speciem revocatur. Ingratus enim est, qui sibi tribuit quod alteri debet. Excusatio peccati pertinet ad tertiam speciem : qui enim peccatum excusat, falsò sibi tribuit innocentiæ bonum. Duodecim denique gradus S. Bernardi, non solùm superbiæ species, sed etiam quædam antecedentia et consequentia complectuntur, ut respondent S. Thomas, ad quartum, et Gersonius in Compendio theologiæ, tractatu de septem Vitiis capitalibus. Si quis præsumptionem quâ tendit homo ad assequendum quod supra se est, alteram superbiæ speciem esse dixerit, hanc objectionem occupavit S. Thomas, illam ad quartam speciem revocans, secundùm quam aliquis vult cæteris anteponi. Denique si quis superbiam in voluntate, in sermone, in opere distinxerit cum S. Anselmo, seu potiùs Eadmero in libro Similitudinum S. Anselmi, respondet S. Thomas, non tam species esse, quàm progressum cuilibet peccato communem, quod scilicet primò corde concipitur, deinde ore profertur, tertiò opere perficitur.

Superbiæ materiam, hominumque superborum characteres præclarè describit S. Gregorius, lib. 34 Moralium, cap. 18 : *Elatio*, inquit, *alios ex rebus secularibus, alios verò ex spiritalibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis et terrenis rebus, alter summis cœlestibusque virtutibus : Una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens, in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Nam cùm is qui de terrenâ priùs gloriâ superbiebat, postmodùm de sanctitate extollitur, nequaquàm cor ejus elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens, ut cognosci nequeat, vestem mutavit. Sciendum quoque est, quòd aliter hæc præpositos, atque aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit, quia solo vitæ merito super cæteros excrevit... Ejusque mox mentem erigit, viles atque inutiles eos qui subjecti sunt, ostendit : ita ut nullum jam quasi dignum respiciat cui æquanimiter loquatur. Unde et mox mentis tranquillitas*

*in iram vertitur : quia dùm cunctos despicit, dùm sensum vitamque omnium sine moderamine reprehendit, tantò effrenatiùs se in iracundiam dilatat, quantò eos qui sibi commissi sunt, esse sibimet indignos putat. At contra cùm subjectorum cor superbia instigat, hoc summoperè nititur agere, ut sua acta considerare funditùs negligant, et semper tacitis cogitationibus rectoris sui judices fiant : qui dùm in eo quod reprehendere debeant, importunè respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquàm vident. Unde et tantò atrociùs pereunt, quantò à se oculos avertunt : quia in hujus vitæ itinere offendentes corruunt, dùm alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, nec tamen tantùm, ut tam noxiæ in regimine personæ traderentur. Et dùm ejus facta despiciunt, dùm præcepta contemnunt, ad tantam usque insaniam devolvuntur, ut Deum res humanas curare non æstiment : quia ei qui quasi jure reprehenditur, esse se commissos dolent.. Sæpè autem rectoris sui dictis protervè obviant, et eamdem vocis superbiam libertatem vocant. Sic quippe elatio se quasi pro libertatis rectitudine objicit, sicut sæpè se et timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, et tamen tacere se æstimant ex humilitate, ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, et tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Aliquando autem subditi proterva quæ sentiunt, nequaquàm produnt : et hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnunquàm ex solâ amaritudine intimi rancoris obmutescunt. Qui per dolorem mentis, procacitatis suæ verba subtrahentes, cùm malè loqui soleant, pejus tacent : quia cùm peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando asperè agitur, sæpè ad querelæ vocem de hâc ipsâ asperitate prosiliunt. Cùm verò eos magistri sui blandè præveniunt, de hâc ipsâ humilitate quâ præventi sunt, graviùs indignantur ; et tantò eorum mens vastiùs accenditur, quantò consideratiùs infirma judicatur. Hi nimirùm, quia humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, usum laboris sui perdunt, etiam si qua bona sunt, quæ operari videantur, quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquàm per fundamenti fortitudinem in petrâ solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ, humilitatis fundamina non procurant. Quos benè ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus.*

*Cunctis namque superbâ apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitiâ, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos alios importuna, ad ea quæ facere et debet, et prævalet, ignava ; ad ea autem quæ facere nec debet, nec prævalet, parata. Hæc in eo quod sponte non appetit, nullâ exhortatione flectitur ; ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur ; quia dùm metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsâ suâ voluntate tolerare.*

### Articulus VIII.

*Expugnatrix superbiæ humilitas. Ejus necessitas et excellentia*

Adversùs superbiam pugnat humilitas, quæ à S. Bernardo, in tract. de Gradibus humilitatis, definitur *virtus quâ homo verissimâ suî agnitione sibi ipsi vilescit.* A S. Thomâ secundâ secundæ, quæst. 161, a. 1 : *Virtus temperans et refrenans animum ne immoderatè tendat in excelsa.* Magnanimitati non est opposita. *Humilitas enim reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundùm rationem rectam,* animumque firmat contra desperationem in rerum arduarum persecutione, ut docet S. Thomas. Humilitas est *tutissimus omnium virtutum thesaurus,* inquit S. Basilius, Monast. Constit. cap. 7. *In humilitate docuit Christus omnia fidei nomina et præmia contineri,* inquit S. Hilarius in Psalm. 118. Humilitas compendium est omnium religionis christianæ præceptorum, ut docet S. Augustinus epistolâ 118, aliàs 56, ad Dioscorum, ubi cùm præmisit, ipsos quoque Platonicæ gentis philosophos, paucis mutatis, quæ christiana improbat disciplina, *invictissimo uni regi Christo pias cervices oportere submittere, et intelligere Verbum Dei homine indutum, qui jussit, et creditum est, quod illi vel proferre metuebant ;* subdit : *Huic te, mi Dioscore, ut totâ pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita est ab illo qui gressuum nostrorum tanquàm Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem. Non quò alia non sint præcepta, quæ dicantur ; sed nisi humilitas omnia quæcumque benè facimus, et præcesserit, et comitetur, et secuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Itaque sicut rhetor ille nobilissimus Demosthenes cùm interrogatus esset quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse ; cùm quæreretur quid secundò, eamdem pronuntiationem ; quid tertio, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse. Ita si interrogares, et quoties interrogares de præceptis christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.* Humilitas est *tota christianæ sapientiæ disciplina,* inquit S. Leo sermone 7 de Epiphaniâ. *Tota victoria Salvatoris, quæ et diabolum superavit, et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta.* Hoc *virtutis caput est :* Ab eâ Christus beatitudines suas auspicatur : *Beati,* inquit Matth, 5, *pauperes spiritu.* Ipsum ad se Deum allicit : *Ad quem* enim inquit, Isai. 66, *inspiciam, nisi ad mitem, et quietum, et humilem, et trementem sermones meos ?* Est « altare aureum, et ara spiritualis. Sa- « crificium Deo spiritus contribulatus, et cor contri- « tum, » Psal. 50. *Sapientiæ mater est, quam qui possederit, cætera reliquarum virtutum membra procul dubio possidebit,* inquit S. Joannes Chrysostomus homiliâ 48

in Matthæum. *Humilitas est omnium magistra virtutum, cœlestis ædificii firmissimum fundamentum, donum proprium atque magnificum Salvatoris,* inquit Cassianus, collatione 15, cap. 17. Humilitas est *primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus, ut quicumque piè vult vivere, humiliter de se sentiat,* inquit Arnoldus Bonævallis abbas, sermone de Nativitate Christi, inter S. Cypriani opera edito. Humilitas est *ædificii spiritualis fundamentum,* inquit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 161, a. 5, ad secundum. *Ordinata,* inquit, *virtutum congregatio per quamdam similitudinem ædificio comparatur; et illud quod est primum in acquisitione virtutum, fundamento, quod primum in ædificio jacitur. Virtutes autem verè infunduntur à Deo. Unde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter: uno modo per modum removentis prohibens; et sic humilitas primum locum tenet; in quantum scilicet expellit superbiam cui Deus resistit, et præbet hominem subditum et patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem superbiæ. Unde dicitur Jacob. 4°* : « Deus superbis resistit, humilibus au- « tem dat gratiam. » *Et secundùm hoc humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum. Alio modo est aliquid primum in virtutibus directè, per quod scilicet jam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum est per fidem, secundùm illud* Hebr. 11 : Accedentem ad Deum oportet credere. *Et secundùm hoc fides ponitur fundamentum nobiliori modo quàm humilitas.* Ex S. Bernardo potissimùm hæc sumpsit S. Thomas. Is enim lib. 5 de Consideratione, cap. 14, ait : *Virtutum bo num quoddam ac stabile fundamentum humilitas. Nemp. si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.*

Humilitatis necessitatem ad salutem æternam Christus non semel ostendit, cùm hanc virtutem discipulis suis commendavit; Matth. 11 : *Discite à me quia mitis sum, et humilis corde.* Non ait : *Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed quia mitis sum et humilis corde. O doctrinam salutarem! O magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est!* inquit S. Augustinus lib. de sanctâ Virginitate, cap. 35. *Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tanquàm in concione generis humani clamantem ac dicentem :* Venite ad me, et discite à me. *Quid, obsecro te, per quem facta sunt omnia, Fili Dei, et idem qui factus es inter omnia, Fili hominis, quid ut discamus à te, venimus ad te?* Quoniam mitis sum, *inquit,* et humilis corde. *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondili in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, et humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. Audiant te, et veniant ad te, et mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam et veritatem tuam requirunt, tibi vivendo; tibi, non sibi.*

Virtutis ejusdem necessitatem docet Salvator, Matth. 18 : *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Magnorum est ista pusillitas, superbia verò fallax est infirmorum magnitudo; quæ ubi mentem possederit, erigendo dejicit, inflando evacuat, distendendo dissipat. *Humilis esse non potest nocens, superbus non potest esse innocens. Humilitatem illam loquor, quæ non vult perituris rebus excellere, sed æternum aliquid veraciter cogitat, quò non suis viribus, sed adjuta perveniat. Piâ itaque humilitate servatâ, quæ in Scripturis sanctis sancta probatur infantia, securi eritis de immortalitate beatorum; talium est enim regnum cœlorum.* Verba sunt S. Augustini sermone 353, aliàs 20, inter homilias quinquaginta. Idem docet Dominus et magister noster, Matth : 23 et Luc 18. *Omnis,* inquit, *qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Quam Salvatoris nostri sententiam S. Augustini verba præclarè explicant, lib. 14 de Civitate Dei, cap. 13 : *Bonum est,* inquit, *sursùm habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbiæ; sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursùm faciat cor, et est aliquid elationis quod deorsùm faciat cor. Hoc quidem contrarium videtur, ut elatio sit deorsùm, et humilitas sursùm. Sed pia humilitas facit subditum superiori; nihil est autem superius Deo : et ideò exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem, quæ in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, et cadit ab illo quo non est quidquam superius, et ex hoc erit inferius, et fit quod scriptum est,* Psal. 72 : Dejecisti eos dùm allevarentur. *Non enim ait, cùm elati fuissent, ut priùs extollerentur, et postea dejicerentur, sed cùm extollerentur, tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli, jam dejici est. Quapropter quod nunc in civitate Dei, et civitati Dei in hoc seculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, et in ejus rege, qui est Christus, maximè prædicatur; contrariumque huic virtuti elationis vitium, in ejus adversario, qui est diabolus, maximè dominari, sacris litteris edocetur; profectò ista est magna differentia, quâ civitas utraque discernitur; una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hàc amor Dei, hàc amor suî.*

Et sermone 96, aliàs de Diversis 47 : *Omnes,* inquit, *delectat celsitudo; sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, et ascendisti. Istum gradum humilitatis nolebant attendere duo illi discipuli, qui dicebant, Marci* 10 : « Domine, jube ut unus nostrûm in regno tuo se- « deat ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam. » *Sublimitatem quærebant, gradum non videbant. Dominus autem ostendit gradum. Quid enim respondit?* « Potestis « bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » *Qui quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis?*

Immensus sim, si cuncta testimonia recensere velim, quæ Christi doctrinam et præcepta de humilitate exprimunt. Fidem centurionis præcipuè laudavit, nec se invenisse in Israel dixit tantam fidem, quia ille tam

humiliter credidit, ut diceret : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*, Matth. 8. Unde nec Matthæus ob aliud eum dixit accessisse ad Jesum, cùm Lucas innuat eum non venisse, sed amicos suos misisse, nisi quia fidelissimâ humilitate magis ipse accessit, quàm illi quos misit. Unde Psalmo 137 dicitur : *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta à longè cognoscit*, utique tanquàm non accedentia. Hinc et mulieri Chananææ dicit Matth. 15 : *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut tu vis;* quam superiùs canem appellaverat, et pane filiorum indignam; quod illa humiliter accipiens dixerat : *Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum.* Unde quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. Hinc et illi duo proponuntur orantes in templo, Luc. 18, unus Pharisæus, et alter Publicanus, propter eos qui sibi justi videntur, et spernunt cæteros; et enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum. Jam verò quòd exiturus ad passionem lavit pedes discipulis, monuitque apertissimè ut hoc facerent condiscipulis atque conservis, quod eis fecisset magister et dominus, quantùm commendavit humilitatem! Cui commendandæ etiam tempus illud elegit, quo eum proximè moriturum cum magno desiderio contuebantur, hoc utique præcipuè memoriâ retenturi, quod magister imitandus ultimum demonstrâsset. Denique *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Philipp. 1. Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, *cujus Evangelium nemo intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat : tum maximè virtutis hujus sectatores et conservatores esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent*, secundùm illud Eccli. 3 : *Quantò major es, tantò humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Ita disserit S. Augustinus lib. de sanctâ Virginitate, cap. 35, indeque colligit, virgines cæteris humiliores esse debere, quia sancta virginitas magnum bonum est. *Quod bonum quantò magnum video*, inquit idem doctor cap. 51, *tanto ei, ne pereat furem superbiam pertimesco. Non ergo custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit; et* Deus charitas est, 1 Joann. 4. *Custos ergo virginitatis charitas : locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat, qui dixit super humilem et quietum et trementem verba sua requiescere spiritum suum.*

Humilitatis excellentiam præclarè ostendit auctor elegantis epistolæ ad Demetriadem virginem, inter opera S. Prosperi, cap. 3 : « Prima ergo humilitatis « ratio, inquit, in communis vitæ versatur officiis, « quibus et divina clementia conciliatur, et societas « humana connectitur. Multùm enim ad roborandum « dilectionem valet, cùm secundùm doctrinam Apo- « stolicam, Rom. 12, invicem se homines honore « præveniunt, et alteri alterum superiorem existi- « mantes, amant servire subjecti, et nesciunt tumere « prælati; cùm et pauper divitem non sibi dubitat an- « teferre, et dives pauperem sibi gaudet æquare; cùm « et sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, « et pauperes non extolluntur de communione naturæ; « cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm « bonis moribus, nec major ducitur phalerata iniquo- « rum potentia, quàm rectorum inhonorata justitia. « Ab hoc æquo et modesto jure concordiæ, in quo « nullum de gradu superiore certamen, nec felicitas « aut inflat propria, aut urit aliena, pulchrè et mira- « biliter à plerisque proficitur ad illam humilitatis for- « titudinem, quæ et se extra omnem constituit digni- « tatem, et mavult apta esse injuriis accipiendis, quàm « idonea repellendis. » Et cap. 6 : « Cùm Ecclesia Dei, « quæ est corpus Christi, ita sit multimodâ varietate « contexta, ut in unum decorem etiam quæ non sunt « paria concurrant; et de omni genere hominum, de « omni gradu officiorum, de omni mensurâ operum, « de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis « inseparabilis connexio et indifferens pulchritudo, « nec desit soliditati, quod non defuerit portioni, « tantaque ibi sit pax tantaque concordia, ut non pos- « sit esse nisi omnium, quod est etiam singulorum, « indubitanter apparet, copulatricem quamdam esse « virtutem, quâ sibi confœderatur et concinit multi- « plex Sanctorum unitas et speciosa diversitas. Hæc « autem virtus vera humilitas est; quæ inter quosli- « bet meritorum gradus nunquàm suî potest esse dis- « similis. »

### Articulus IX.

*Christianæ humilitatis officia.*

Duo sunt præcipua Christianæ humilitatis officia : primum est, hominem Deo subjicere; secundum, infra cæteros homines deprimere. De primo ait S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 161, a. 2 : *Humilitas præcipuè videtur importare subjectionem hominis ad Deum.* Et certè nihil æquius quàm ei subditum esse, ac ejus magnitudinem humillimâ submissione revereri, cujus respectu nihil sumus, et si quid sumus, ab ipso, in ipso, et per ipsum sumus. Isai 40 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. In ipso vivimus, movemur et sumus*, inquit Apostolus. Nihil boni ex nobis ipsis possumus, nec facere, nec velle, nam *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bonâ voluntate*, inquit S. Paulus; nec loqui : *nemo* enim *potest dicere . Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto;* nec saltem cogitare, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquàm ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* De nostro non habemus nisi mendacium et peccatum; quidquid autem boni in nobis est, ab illo est, in quo nisi manserimus, et ille in nobis, nullum omninò fructum salutis ferre possumus. Unde Salvator ipse ait : *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic feret fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Qui se fructum à semetipso ferre existimat, in vite non est, id est in Christo, adeòque non est Christianus, inquit S. Augustinus tractatu 91 in Joannem. Ut justificemur, misericordia

ejus nos prævenit, ut in justitiâ maneamus ac perseveremus, misericordia ejus nos subsequitur, idque omnibus diebus vitæ nostræ. Ad Deum igitur toto voluntatis affectu clamemus : *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Deus meus, in auxilium meum respice. Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum.*

De hâc subjectione S. Augustinus homiliâ 351, aliàs 50, inter homilias quinquaginta : *In rebus*, inquit, *visibilibus ut excelsa quisque contingat, in excelsum erigitur; Deus autem cùm sit omnium excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur. Unde Propheta dicit*, Psal. 33 : « Propè est Dominus omnibus qui obtriverunt cor. » *Et iterum :* « Excelsus « Dominus, et humilia respicit, et excelsa à longè « cognoscit. » *Excelsa posuit pro superbis. Illa ergo respicit ut adtollat; ista cognoscit, ut dejiciat.... Quisquis itaque pœnitentiæ recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat. Aliud est enim levare se ad Deum; aliud est levare se contra Deum. Qui ante illum se projicit, ab illo erigitur; qui adversùs illum se erigit, ab illo projicitur. Alia est enim soliditas magnitudinis, alia est inanitas inflationis. Qui foris tumescit, intùs tabescit.* Qui eligit abjici in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, Psal. 83, *eligit illum Deus ut inhabitet in atriis ejus, et nihil sibi assumentem ille in sedem beatitatis assumit.*

Aliud christianæ humilitatis officium est hominem cæteris omnibus subjicere, secundùm illud Apostoli ad Philippenses cap. 2 : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cognovit, putat, è diverso justus studet ut superiorem quemlibet proximum attendat, inquit S. Gregorius lib. 34 *Moralium*, cap. 17. Ac ne dùm se alii alter humiliat, iret alteri in elationem, benè utramque partem admonuit, dicens : SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES ; *ut in cogitationibus cordis et ego mihi illum præferam, et vicissim ille me sibi; ut cùm ab utràque parte cor infcriùs premitur, nullus ex impenso honore sublevetur.*

Cùm autem *humilitas in parte veritatis, non in parte falsitatis* collocanda sit, ut docet S. Augustinus lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 34, operæ pretium est explicare cum S. Thomâ, quâ ratione humilitas infra cæteros homines in propriâ opinione deprimere nos debeat. Observat autem doctor Angelicus, secundâ secundæ, quæst. 161, a. 3, duo in homine posse considerari, scilicet, *id quod est Dei, et id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum; Dei est quicquid pertinet ad salutem et perfectionem*, secundùm illud Osee 13 : *Perditio tua, Israel : tantummodò in me auxilium tuum.* Cùm igitur humilitas propriè respiciat reverentiam quâ homo Deo subjicitur, quilibet homo *secundùm id quod suum est*, id est, secundùm defectus quos in se cognoscit, si verè sit humilis, *debet se cuilibet proximo subjicere quantùm ad id quod est Dei in ipso*, id est, ipsum secundùm Dei dona quæ in illo cognoscit et veneratur, sibi ipsi anteponere. *Non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in se ipso, subjiciat ei quod apparet esse Dei in altero*, id est, ut dona Dei sibi collata existimet esse minora iis quæ alteri collata sunt. Qui enim dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundùm illud 1 ad Cor. 2 : *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et ideò *absque præjudicio humilitatis, possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferri donis Dei quæ aliis collata* videntur. Unde Apostolus ad Ephes. 3 ait : *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus.*

Similiter *non hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est suum in se ipso, subjiciat ei quod est hominis in proximo*, id est, ut peccata sua, vel defectus, cum manifestis aliorum peccatis ac defectibus comparans, *se magis peccatorem quolibet alio* existimet : cùm Apostolus *absque præjudicio humilitatis* dicat, ad Gal. 2 : *Nos naturâ Judæi, et non ex Gentibus peccatores.* Potest tamen, imò debet existimare quisquis verè humilis est, *aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est; ex quo se potest ei subjicere per humilitatem.* Quod ex S. Augustino confirmatur, lib. Quæstionum octoginta trium, quæstione 71 : *Illud*, inquit, *cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum, quod tu nondùm habes, etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet, ne arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent et apparent, ideò alterum nulla habere quæ lateant, et fortassè majoris ponderis bona, quibus te superat nescientem. Non enim falli nos, aut adulatione potiùs uti, Apostolus jubet, cùm dicit*, Philipp. 2 : « Nihil per contentionem, « neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis « alter alterum existimantes superiorem sibi. » *Non hoc ita debemus existimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus; sed verè existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam, et acuentes charitatem, faciunt onera fraterna invicem, non solùm æquo animo, sed etiam libentissimè sustineri.*

Hâc etiam ratione virgines hortatur lib. de sanctâ Virginitate, cap. 44, et 47, ne se mulieribus non tantùm viduis, sed etiam conjugatis, quæ Dei præceptis pariter obediunt, anteponere audeant. Quamvis enim virginitas etiam castis nuptiis, continentia connubio, fructus centenus triceno sit absque hæsitatione præponendus : virgo tamen obediens et Deum timens, illi vel illi mulieri obedienti et Deum timenti se anteferre non audeat : *Alioquin non erit humilis, et Deus superbis resistit.* Quid ergo cogitabit? *Occulta scilicet dona Dei, quæ nonnisi interrogatio tentationis, etiam in semetipso unicuique declarat. Ut enim cætera taceam, unde scit virgo, quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodò*

*placeat Domino, ne fortè propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem, nondùm sit matura martyrio, illa verò mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem priùs bibendum discipulis amatoribus sublimitatis opposuit... Certè nisi adsit tentatio, nulla doni hujus fit demonstratio... Ut ergo quisque non infletur, ex eo quod se pervidet posse, humiliter cogit et quòd ignorat aliquid præstantius se fortassè non posse; aliquos autem qui illud quo sibi gloriosè notus est, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipse non potest posse. Ita servabitur non fallaci,* sed *veraci humilitate,* HONORE *mutuo prævenientes*, Rom. 12, et *alter alterum existimantes superiorem sibi*,, Philipp. 2.

Accedit ratio altera, quâ se homo magis Dei donis auctus infra alios deprimere veraci humilitate possit. (*Neque enim simulare debet humilitatem, sed exhibere : nam simulatio humilitatis major superbiâ est.*) Ea autem est cauta et vera cogitatio, *omnia peccata sic habenda tanquàm dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur*, inquit S. Augustinus, cap. 41 ejusdem libri. Qui et cap. 51 converso ad virgines sermone ait : *Quicquid mali Deo custodiente non committitis, tanquàm remissum ab illo deputate : ne modicum vobis existimantes dimissum, modicùm diligatis, et tundentes pectora Publicanos ruinosâ jactantiâ contemnatis. De viribus vestris expertis cavete, ne, quia ferre aliquid potuistis, inflemini : de inexpertis orate, ne supra quàm potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cùm aliorum bona fortè ignota vobis, benignè creduntur à vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur : et quæ fortè adhuc desunt, tantò dantur faciliùs, quantò desiderantur humiliùs. Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate, ut imitemini; hoc lugete, ne inflemini.*

Et sermone 99, aliàs 23, ex Homiliis quinquaginta, duos homines statuit ac inter se comparat, unum qui plurima gravissimaque peccata commisit, alterum qui pauca et leviora. Tum ex sententiâ Salvatoris, *cui minùs dimittitur, minùs diligit*, Luc. 7, utiliorem fuisse illi objicit multitudinem et gravitatem peccatorum, ut illius charitas major esset ac ferventior. Objectionem autem solvit respondendo, inter debita dimissa numerari debere, quæ ille non commisit peccata, Deo regente, ac proinde istum non minùs diligere debere Deum quàm illum. *Hic multa commisit, et multorum debitor factus est : ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic et iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illâ tuâ vitâ præteritâ plenâ ignorantiâ, nondùm illuminatus, nondùm bonum malumque discernens, nondùm credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus : Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non commatteres, suasor defuit : ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit : et ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus : ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, et dimissum vidisti : mihi debes et tu quod non fecisti. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit Rector à quo factus est homo.* Hinc lib. 2 Confessionum, cap. 7 : *Gratiæ tuæ deputo*, inquit, *et quæcumque non feci mala... Et omnia mihi dimissa esse fateor; et quæ meâ sponte feci mala, et quæ te duce non feci.*

Ut primum christianæ humilitatis officium impleat homo, necessaria illi est notitia Dei, ut alterum, necessaria est cognitio suî. In duplici illâ cognitione summa salutis posita est. *Nam quomodò non verè humiliabitur* anima *in hâc verâ cognitione suî, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fœce infectam, cœcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumnâ suâ, dùm configitur spina? Convertetur, inquam, ad lacrymas, convertetur ad planctus et gemitus, convertetur ad Dominum, et in humilitate clamabit : Sana animam meam, quia peccavi tibi. Porrò conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis..... Tali experimento et tali ordine salubriter innotescit Deus, cùm prius se homo noverit in necessitate positum, et clamabit ad Dominum, et exaudiet eum, et dicet :* Eruam te, et honorificabis me : *atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio tuî.* Verba sunt S. Bernardi sermone 36 in Cantica.

Quamvis autem in externis humilitatis actibus, sicut in actibus virtutum cæterarum servanda sit moderatio, et ideò cavere debeant qui alios regunt, ne se nimiùm dejiciant exteriùs, ordinemque suum illos servare sit necessarium, *ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dùm nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ut docet S. Augustinus in Regulâ, tamen in affectu animi, et propriâ opinione, debent se omnibus postponere, et subditorum pedibus coram Deo substernere etiam illi qui præsunt. Nec periculum est ullum si se interiori animi sensu nimis deprimant; grande verò malum, et horrendum periculum est, si vel modicè plus vero se extollant, si vel uni in suâ cogitatione se præponant, quem fortè illis parem Veritas judicat, aut etiam superiorem. *Quamobrem*, inquit S. Bernardus sermone 37 in Cantica, *noli te homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, si unus ille quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modò præ te, qui fortè jam sobriè, et justè, et piè vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquàm sceleratissimum, quid scis, inquam, si melior et te et illis, mutatione dexteræ Excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum*

*nos voluit; sed*, recumbe, *inquit*, in novissimo loco, *ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, teque nemini non dico præponas, sed nec comparare præsumas.*

Nec solùm cognitione, sed et affectu nos omnibus postponere necesse est. *Est* enim *humilitas, quam nobis veritas, parit, et non habet calorem : et est humilitas quam charitas format et inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit*, inquit S. Bernardus sermone 42 in Cantica. *Etenim tu, si temetipsum intùs ad lumen veritatis et sine dissimulatione inspicias, et sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris et tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hâc verâ cognitione tui, quamvis necdùm fortassè id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed opere interim veritatis, et minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eamdem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sanè, quod in te est, dixerim; quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis; atque ipsâ veritatis charitate, et charitatis veritate vetamur palàm fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tui tentus detines pariter intra te judicium veritatis inclusum, cui dubium est minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum, vel honorem? Vides igitur non esse id ipsum, hominem de se ipso non altum jam sapere veritatis lumine redargutum, et humilibus sponte consentire, munere charitatis adjutum; illud enim necessitatis est, hoc voluntatis.* Christus *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et formam humilitatis tradens : ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri charitate... Time Deum, et noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas : hoc enim resistere est veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiesce Deo, et sit voluntas subdita veritati, nec tantùm subdita, sed et devota.* Nonne Deo, *inquit*, subjecta erit anima mea? *At parùm est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum.* Concinit S. Bernardo S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 161, a. 2 : *Cognitio*, inquit, *proprii defectûs pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitûs; sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter.* Quamobrem, ut ait *Richardus à S. Victore, lib.* 2 de Eruditione interioris hominis, cap. 32 : *Humilis est, qui se ipsum apud semetipsum veraciter contemnit; humilior autem, qui se contemni ab aliis non refugit; humillimus verò, qui contemptum suî non solùm contemnit, sed et admodùm concupiscit.*

### Articulus X.

### *Christianæ humilitatis gradus.*

Duodecim humilitatis gradus S. Benedictus in Regulâ, cap. 7, S. Bernardus tractatu singulari de Gradibus humilitatis inscripto, et S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 161, a. 6, recensent. — Primus est, timor Dei, et perennis præceptorum ejus memoria, necnon consideratio æterni supplicii, Deum contemnentibus destinati, et vitæ æternæ Deum timentibus præparatæ, Ps. 17 : *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate meâ.*— Secundus est abdicatio propriæ voluntatis ejusque ad divinam accommodatio, ut christianus dicere possit cum Christo Domino, Joann. 6 : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*—Tertius est, ut christianus divini amoris impulsu omni obedientiâ se subdat majori, ac præcipuè præpositis, qui pervigilant quasi rationem pro animâ illius reddituri, sicque Christum imitetur, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2.—Quartus, ut in ipsâ obedientiâ duris et contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacitâ conscientiâ patientiam amplectatur, nec deficiat, sed in finem usque perseveret. Nam præceptum Domini in adversis et injuriis adimplentes, percussi in maxillâ præbent et aliam; auferenti tunicam dimittunt et pallium; angariati milliario, vadunt et duo; cum Paulo apostolo falsos fratres, et persecutiones sustinent, et maledicentes se benedicunt. — Quintus est, ut pravas cogitationes in animum irrepentes, et mala clam commissa, humili confessione conscientiæ suæ moderatori aperiat, ut illud Psalmi 31, in ipso impleatur : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi : Pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et illud Jacob 5 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.*—Sextus est, ut abjectionem omnem, contemptumque suî æquo et lubenti animo ferat, et in omnibus operibus sibi vocationis suæ statûsque vi ac nomine injunctis, se operarium malum et inutilem existimet, secundùm præceptum Salvatoris, Luc 17 : *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*—Septimus est, ut omnibus se viliorem et inferiorem non solùm linguâ pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, dicens cum Prophetâ, Psal. 21 : *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.*—Octavus est, ut nihil agat, monachus quidem contra regulam et majorum exempla; Christianus verò quilibet præter id quod docet Evangelium, et quod Ecclesia proponit vel approbat. Nam Christiani omnes religiosi crucis sumus, secundùm illud Tertulliani, Apologet. cap. 16 : *Qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster.* Evangelium, et Ecclesiæ doctrina, regula nostra est, quam nos observaturos, in baptismo solemniter vovimus, cùm in sacramenti verba respondimus. Ad Philipp. 3 : *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eâdem permaneamus regulâ.* Ad Gal. 6 : *Et quicumque hanc regulam seculi fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei.* Hæc est *via Dei, via salutis, via pacis, via recta, via Sanctorum, via veritatis, via justitiæ, via immaculata, via mandatorum et justificationum Dei, via æterna*, in quâ ambulare debemus, nec declinare ad dexteram,

aut sinistram. — Nonus est, ut linguam coerceat, nec loquatur, nisi Dei gloria, rerumque suarum et proximi necessitas, silentium abrumpere jubeat, persuasus *in multiloquio non deesse peccatum*, Proverb. 10, et quòd *vir linguosus non dirigetur in terrâ*, Psalm. 139. Atque ita apud se statuens : *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ : Posui ori meo custodiam*, Psalm. 38.—Decimus est, ut non facilè solvatur in risum et ineptam lætitiam, divinæ illius sententiæ memor : *Fatuus in risu exaltat vocem suam ; vir autem sapiens vix tacitè ridebit*, Eccli. 21. Christum humilitatis doctorem flevisse legimus, non risisse. — Undecimus est, ut, cùm loquitur, leniter, sine risu, humiliter et cum gravitate pauca verba, et prudentiæ sale condita, non clamosâ, sed submissâ voce proferat, sacrorum illorum oraculorum memor : *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo*, Ecclesiastici 5 et 10. *Deus enim in cœlo, et tu super terram ; idcircò sint pauci sermones tui... Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum... Stultus verba multiplicat... Sapiens in verbis producet seipsum... Labia imprudentium stulta narrabunt ; verba autem prudentium staterâ ponderabuntur*, Eccli. 20, 21. — Duodecimus humilitatis gradus est, ut non solùm animo, sed toto corporis habitu, in omni loco humilitatem præ se ferat, ut verè dicere possit cum Davide: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei ; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me;* et Apostoli monitum impleat, ad Philipp. 4 : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

### Articulus XI.

*Rationes ad humilitatem moventes.*

Multa sunt quæ ad humilitatem nos movent ; tum maximè originis nostræ, ac multiplicis miseriæ, tùm corporis, cùm animæ consideratio ; novissimorum deinde nostrorum memoria ; Christi denique propter nos humiliatio. *Humiliatio tua, in medio tuî*, inquit Propheta. Humiliationis nostræ causas non est necesse ut extra nos ipsos quæramus, siquidem illas intra nos gerimus. Pulvis enim et cinis sumus, Genes. 3 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Genes. 18 : *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis et cinis.* Job. 13 : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea et soror mea, vermibus.* Ecclesiastici 10 : *Quid superbit terra et cinis?* Quæ superbiæ causa homini, qui secundùm corpus in ortu suo sperma fœtidum est, in vitâ saccus stercorum, post mortem cibus vermium ? Quantùm verò excitare debent humilitatis affectum miseriæ et ægritudines animæ, ignorantia, difficultas ad bonum agendum, et ad domandam concupiscentiam quæ ad peccatum semper inclinat et illicit ; peccata præterita, quotidiana, occulta ; ob quæ consumpti essemus, nisi misericordia Dei magna nos prævenisset, Thren. 3 : *Misericordia Domini quòd non sumus consumpti !* Denique Dei judicia peccatoribus omnibus, ac præsertim superbis imminentia, et æternæ sortis nostræ ignoratio, magna nobis ad humilitatem incitamenta esse debent. Non solùm enim *nescit homo utrùm* in præsenti, sed utrùm in futuro *amore vel odio dignus sit ;* nescit utrùm in areâ Domini triticum sit, an palea ; nescit utrùm permaneat ad coronam, vel ad flammam. Quamobrem Apostolorum principi obtemperare debet, scribenti, 1 Petri 5 : *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Quid est homo ? *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis.* Natus de muliere, *et ob hoc cum reatu ;* brevi vivens tempore, *ideòque cum metu ;* repletus multis miseriis, *et propterea cum fletu ;* et verè multis, quia corporis et animæ simul. *Quid enim calamitate vacat nascenti in peccato, fragili corpore, et mente sterili ? Verè ergo repletus, cui infirmitas corporis, et fatuitas cordis cumulatur traduce sordis, mortis addictione.* Verba sunt S. Bernardi lib. 2 de Consideratione ad Eugenium, cap. 9. Quid est homo ? *cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia ?* Ad humilitatem fovendam consideret homo primordia et novissima sua. *Cogita unde veneris, et erubesce ; ubi sis, et ingemisce ; quò vadis, et contremisce*, inquit S. Bernardus sermone 12 de diversis. « Agnosce primordia « tua, et erubesce comparatum te esse jumentis : me- « morare novissima tua, et time ne abeas etiam post « jumenta. Erubesce quòd pro consortio angelorum, « consortium sortitus es pecorum, non modò in neces- « sitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis.... « Eras aliquando gloria et honore coronatus constitutus super opera manuum Domini, incola paradisi, « angelorum civis, et domesticus Domini Sabaoth. « Hinc dejecisti teipsum in has interiores tenebras, « unde ad exteriores quoque et palpabiles tenebras « ejiciendus eris aliquando, si non caves. Ecce unde « venisti ; vis nôsse quò devenisti ? In locum utique « afflictionis. Siquidem vita tua inferno appropinqua- « vit. Quid enim hìc nisi labor, et dolor, et afflictio « spiritûs ?... Sed novissima quæ sunt ? Mors, judi- « cium, gehenna. Quid horribilius morte ? Quid judicio « terribilius ? Nam gehennâ nihil potest intolerabilius « cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, « non expavescit, non timore concutitur ? »

*De cœlo cecidit ista sententia :* Nosce te ipsum, homo, inquit S. Bernardus, sermone 40 de Diversis. Vide si non et sponsus in amoris Cantico sponsæ idem loquatur : *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum.* Cognitio porrò suî stat in tribus : « *Ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit.* « Quid vilius, ô nobilis creatura, imago Dei, Creatoris « similitudo, quàm carnem tuam illecebris carnalibus « deturpare, et pro brevi voluptate torrentem perdere « voluptatis ? Quid furiosius, quàm rapi mentem irâ, « superbiâ extolli, vexari invidiâ, anxietate torqueri ? « Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam « tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babylo- « nis, domus mortis, anxietatis domicilium, flamma- « rum globus, acerbitas frigoris, tenebræ sempiternæ. « Considera ordinem tormentorum, tortorum facies, « mutationem pœnarum, miseriarum infinitatem, et « poteris dicere : *Melius erat mihi, si natus non fuissem.* Reflecte oculos, et quid amiseris animadverte. « Reminiscere qualis sit civitas gloriosa, cœlestis ha-

« bitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor » gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende « ordinem gaudiorum, gaudentium vultus, præmio- « rum vicissitudinem, multitudinem deliciarum, et « poteris exclamare : *Qui te perdidit, totum perdidit,* « *Domine Deus.* »

Verùm nihil efficaciùs movet ad humilitatem exemplo Christi, qui ad hoc natus est, vixit, passus et mortuus est, ut humilitatem doceret. *Ad hoc,* inquit S. Gregorius lib. 34 *Moralium,* cap. 18, *unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc invisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed meliùs et elationis causam deteginus, et fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis auctor, quid vitæ Conditor dicat. Illenamque ait :* « In cœlum ascendam, » Isai. 14 ; *iste autem per Prophetam dicit,* Psal. 87 : « Repleta est malis anima mea, « et vita mea inferno appropinquavit. » *Ille dicit :* « Super astra cœli exaltabo solium meum, Zachar. 2. » *Iste humano generi à paradisi sedibus expulso dicit :* « Ecce venio citò, et habitabo in medio tuî. » *Ille dicit :* « Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aqui- « lonis. » *Iste dicit :* « Ego sum vermis, et non homo, « opprobrium hominum, et abjectio plebis. » *Ille dicit :* « Ascendam super altitudinem nubium, similis « ero Altissimo. » *Iste :* « Cùm in formâ Dei esset, « non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, « sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; » *et per membra sua loquitur dicens :* « Domine, quis si- « milis tibi? » *Ille per membra sua loquitur dicens :* « Nescio Dominum, et Israel non dimittam. » *Iste per semetipsum dicit :* « Si dixero quia non novi eum, ero « similis vobis mendax; sed novi eum, et sermonem « ejus servo. » *Ille dicit :* « Mea sunt flumina, et ego « feci ea. » *Iste dicit :* « Non possum à me facere quid- « quam. » *Et rursùm :* « Pater meus in me manens, « ipse facit opera. » *Ille regna omnia ostendens, dicit :* « Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam il- « lorum, quia mihi tradita sunt, et cui voluero do illa. » *Iste dicit :* « Calicem quidem meum bibetis, sedere « autem ad dexteram vel ad sinistram meam, non est « meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre « meo. » *Ille dicit :* « Eritis sicut dii scientes bonum « et malum. » *Iste dicit :* « Non est vestrum nôsse « tempora vel momenta quæ Pater posuit in suâ po- « testate. » *Ille ut voluntas divina despici, et ut possit propria suaderi, dicit :* « Cur præcepit vobis Deus ut « non comederetis ex omni ligno paradisi? Scit enim « Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, ape- « rientur oculi vestri ; » *iste dicit :* « Non quæro volun- « tatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » *Ille per membra sua loquitur dicens :* « Nullum pratum « sit quod non pertranseat luxuria nostra ; coronemus « nos rosis antequàm marcescant, ubique relinquamus « signa lætitiæ nostræ; » *iste membris suis prænuntiat, dicens :* « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem « gaudebit. » *Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum altâ elatione transire, ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicitur,* Psal. 72 : « Transierunt in dispositionem cordis, cogi- « taverunt et locuti sunt nequitias, iniquitatem in ex- « celso locuti sunt. » *Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens .* « Si quis mihi ministrat, me sequatur. »

Concludamus cum S. Augustino Enarratione in Psalmum 18 : *Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.*

Verùm ut Christum imitetur, non sufficit humiliatio seu à Deo immediatè, seu ab ipso per homines operante proveniens. *Quanti enim humiliantur, qui humiles non sunt,* inquit S. Bernardus sermone 34 in Cantica ! *Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. Quanquàm et innocentia portio justitiæ est, sed consummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere potest :* Bonum mihi quia humiliâsti me, *is verè humilis est. Non potest hoc dicere qui invitus tolerat; minùs qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quòd humiliatur; etsi sanè hi duo longè à se differant, et alter quidem in patientiâ suâ possideat animam suam, alter in suo munere pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur. Quoniam non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Est autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, et ipse est qui dicit Deo :* Bonum mihi quòd humiliâsti me. *Nemini prorsùs quod patienter fert bonum est, sed planè molestum; scimus autem quòd* hilarem datorem diligit Deus.... *Sola gratiam, quam præfert, meretur læta et absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo qui possidet animam suam, hæc, inquam, humilitas etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit. Non enim congruit ei qui ejusmodi est illud Scripturæ,* Jacob. 1: Glorietur humilis in exaltatione suâ; *quoniam non sponte humiliatur, neque libenter. Vis autem videre humilem rectè gloriantem, et verè dignum glorià?* Libenter, *inquit,* gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *Non dicit, patienter se ferre infirmitates suas, sed et gloriari, et libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse quòd humiliatur; nec sufficere omninò ut possideat animam suam tanquàm patienter humiliatus, nisi et gratiam accipiat tanquàm sponte humiliatus.*

Et sermone 20 de Diversis : *Quantos,* inquit, vi-

*demus humiliatos, sed non humiles; percussòs, sed non dolentes, curatos quidem à Domino, sed non ipsâ curatione sanatos! Hi sunt qui sub sentibus esse delicias computant, dissimulantes peccata quæ actitant, lubricum in quo titubant, tenebras quibus caligant, laqueos inter quos ambulant, locum afflictionis quem inhabitant, corpus mortis quod gestant, jugum grave quod tolerant, graviorem conscientiam quam occultant, gravissimam sententiam quam exspectant. Talis ille erat, cui Joannes in Apocalypsi scribere jubebatur* Apoc. 3 : « Dicis, quia « dives sum, et nullius egeo; et nescis quia tu es « pauper, et miser, et miserabilis, et cæcus, et nu- « dus. » *Nec mirum si sit vana et mendax exaltatio filiorum hominum; siquidem vani sunt et mendaces. Humiliat eos veritas, exaltat vanitas. Et dilexerunt magis tenebras quàm lucem, amplectentes exaltantem se vanitatem et quærentes mendacium.*

### Articulus XII.

*De inani gloriâ, quid sit et quàm grave peccatum?*

*Inanis gloria est perversus et inordinatus gloriæ appetitus.* Est autem gloria *frequens de aliquo fama cum laude;* sive, *clara cum laude notitia.* Appetitus gloriæ non est ex se vitiosus. *Quòd enim aliquis bonum suum cognoscat et approbet, non est peccatum,* inquit S. Thomas; hinc 1 ad Corinthios 12 dicitur : Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. *Similiter etiam non est peccatum quòd aliquis velit bona sua approbari* : dicitur enim Matth. 5 : *Luceat lux vestra coram hominibus.* Sed inanis seu vanæ gloriæ appetitus vitium est. Nam *quodlibet vanum appetere, vitiosum est,* secundùm illud Psalm. 4 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Potest autem gloria dici vana tripliciter, inquit S. Thomas, 2-2, quæst, 132, a. 1, scilicet : *Ex parte rei de quâ quis gloriam quærit, putà, cùm quis gloriam quærit de eo quod non est,* sive de bono quo caret, quo tamen se præditum falsò existimat, aut existimari cupit : *vel de eo quod non est gloriâ dignum,* nempe *de re fragili et caducâ,* qualia sunt bona corporis et fortunæ. *Alio modo ex parte ejus à quo quis gloriam quærit, putà hominis, cujus judicium non est certum. Tertio modo, ex parte ipsius qui gloriam appetit, et appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, putà, ad honorem Dei, vel proximi salutem.* Quos ob fines gloriam suam laudabiliter desiderare homo potest, inquit S. Thomas; favetque Christi Salvatoris oraculum Matth. 5 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hinc Ecclesiastici 41, Spiritus sanctus ait : *Curam habe de bono nomine.* Et ad Rom. 12 : *Providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Inanem gloriam esse peccatum, luculentiùs probatur ex Scripturâ sacrâ, ad Galat. 5 : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Et ad Philipp. 12 : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Hinc S. Augustinus lib. 5 de Civitate Dei, cap. 13, ait : *Saniùs videt, qui et amorem laudis vitium esse cognoscit; quod nec poetam fugit Horatium, qui ait :*

*Laudis amore tumes, sunt certa piacula quæ te,*
*Ter purè lecto poterunt recreare libello.*

Opponitur magnanimitati. Repugnat scilicet magnitudini animi, ut quis de his quæ non sunt glorietur; aut res fragiles, caducas, modicas tanti faciat ut ex illis gloriam captet, aut testimonio laudis humanæ nimiùm delectetur. Idque profanis etiam philosophis et oratoribus notum fuit. Aristoteles enim, lib. 4. Ethicorum, magnanimum ait *magis curare veritatem quàm opinionem.* Et Cicero, lib. 1 de Officiis : *Cavenda est,* inquit, *gloriæ cupiditas. Eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.*

## Regulae morales.

Regula prima. — *Quamvis vana gloria non sit ex genere suo peccatum mortale* cùm non repugnet ex se charitati, quâ Deus et proximus diliguntur; dilectioni tamen Dei quibusdam in casibus contraria est, proindeque *mortale peccatum esse potest,* ut docet S. Thomas, a. 3, quæstionis laudatæ. Primò, *ratione materiæ de quâ quis gloriatur,* cùm scilicet *gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ*; sic rex Tyri gloriabatur, Ezech. 28, dicens : *Deus ego sum, et in cathedrâ Dei sedi in corde maris.* Sic peccant, qui de Dei donis gloriantur quasi ea non accepissent, contra illud Apostoli 1 ad Corinth. 4 : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Inanis gloriæ lethali peccato se devinciunt, qui ex falsis et novis opinionibus contra fidem aut bonos mores gloriam captant; aut gloriæ desiderio aliquid docent ad fidem catholicam pertinere, quod Ecclesiæ auctoritas dogma esse fidei nondùm declaravit. Item qui de peccato mortali, verbi gratiâ, fornicatione, duello, etc., gloriantur, sive illud revera commiserint, sive non commiserint. Cui hominum generi convenit illud Isai 3 : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt.* Item qui de peccatis lethalibus laudari amant : de quibus dicitur Psalm. 9 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.* Sic peccabat adolescens Augustinus, ut ipse testatur lib. 2. Confessionum, cap. 3 : *Præceps ibam,* inquit, *tantâ cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos jactantes flagitia sua, et tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent : et libebat facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam, et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior quò eram innocentior, et ne vilior haberer quò eram castior.* Et cap. 9, de furto pomorum cum sodalibus commisso loquens : *O nimis,* inquit, *inimica amicitia! seductio mentis investigabilis, ex ludo et joco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus; nullâ lucri mei, nullâ ulciscendi libidine; sed cùm dicitur : Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem.*

Regula II. — Secundò, inanis gloriæ peccatum mortale committit, ex S. Thomâ, *qui bonum temporale*

*de quo gloriatur, præfert Deo;* quod prohibetur, Jerem. 9 : *Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ*, inquit Deus, *et non glorietur fortis in fortitudine suâ, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nôsse me.*

Regula III.— Tertiò, in hoc genere mortaliter peccat, *qui præfert testimonium hominum testimonio Dei.* Sic peccant hæretici, et quilibet pravarum opinionum auctores, doctores, vel prædicatores, qui propositiones hæreticas, vel hæresi proximas, erroneas, scandalosas, aut piarum aurium offensivas, Ecclesiæ vel episcoporum, ac præcipuè Romani pontificis jussu ejurare nolunt et retractare, ne partæ famæ ac gloriæ jacturam faciant, aut imminutionem patiantur. Item qui necessarium virtutis officium prætermittunt, aut Deo ad perfectioris vitæ genus interiùs vocanti non obediunt, varios hominum rumores et judicia, aut vituperium metuentes, exemplo principum qui crediderunt quidem in Jesum, *sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei*, Joan. 12.

Regula IV. — Quartò, lethali vanæ gloriæ peccato se implicat, *qui intentionem suam refert ad gloriam tanquàm ad ultimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, et pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea quæ sunt contra Deum;* verbi gratiâ, qui metu infamiæ à libidinosâ mulierculâ intentatæ, fornicationem, adulterium, aut aliud mortale peccatum committit, præclaris Joseph et Susannæ exemplis non absterritus. Item, qui ob lethale peccatum, aut finem cum lethali peccato conjunctum, gloriam vel humanam laudem aucupantur, verbi gratiâ, ut mulieris alicujus pudicitiam expugnent, vel ut ad dignitatem aut officium ecclesiasticum, aut civilem præfecturam seu magistratum perveniant, quibus tamen sunt indigni. Item, qui cùm ad hujusmodi dignitates, beneficia, officia, præfecturas vel magistratus pervenerint immeriti, popularem auram et inanes famæ rumusculos emendicant aut emunt, conductis hominibus, qui egregia de ipsis prædicent, et officiosè mentiantur ut dignitatibus hujusmodi vel muneribus publicis gerendis non impares existimentur. Item, quicumque grave damnum inferre mavult proximo, quàm famæ suæ discrimen subire ; verbi gratiâ, si medicus inanis gloriæ studio recuset accersere medicum alterum ipso fortè doctiorem, et majoris experientiæ, ut communi consilio ægrum periculosè laborantem procurent ; vel, si theologus imperitus aut semidoctus ad difficiles moralis christianæ quæstiones seu casus conscientiæ respondeat, doctioribus inconsultis, ne imperitus aut minùs doctus videatur.

Confirmatur ex S. Augustino, lib. 10 Confessionum, cap. 36 : *Timeri*, inquit, *et amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed ut inde sit gaudium quod non est gaudium, misera vita est, et fœda jactantia. Hinc fit vel maximè non amare te, nec castè timere te. Ideòque tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam... Itaque nobis quoniam propter quædam humanæ societatis officia necessarium est amari et timeri ab hominibus, instat adversarius veræ beatitudinis nostræ, ubique spargens in laqueis, euge, euge; ut dùm avidè colligimus, incautè capiamur, et à veritate tuâ gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallaciâ ponamus ; libeatque nos amari et timeri, non propter te, sed pro te ; atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam charitatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere in aquilone, ut te perversâ et distortâ viâ imitanti tenebrosi frigidique servirent.* Et paulò post : *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cùm autem non peccator laudatur in desideriis animæ suæ, nec qui iniqua gerit benedicitur, sed laudatur homo propter aliquod bonum quod dedisti ei, at ille plus gaudet sibi laudari se, quàm ipsum donum habere unde laudatur ; etiam iste te vituperante laudatur ; et melior jam ille qui laudavit, quàm iste qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum Dei ; huic ampliùs placuit donum hominis quàm Dei.*

Et lib. 5 de Civitate Dei, cap 14, de Cupiditate gloriæ sic loquitur : *Huic igitur cupiditati meliùs resistitur sine dubitatione quàm ceditur. Tantò enim quisque est Deo similior, quantò est ab hâc immunditiâ mundior. Quæ in hâc vitâ etsi non funditùs eradicatur ex corde, quia etiam benè proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione justitiæ ; ut si alicubi jacent, quæ apud quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanæ laudis erubescat, et cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor vel amor, ut Dominus diceret*, Joan. 5 : « Quomodò potestis credere, gloriam ab invicem « exspectantes, et gloriam, quæ à solo Deo est, non « quærentes? » *Item de quibusdam qui in eum crediderant, et verebantur palam confiteri, ait Evangelista*, cap. 11 : « Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei, » *quod sancti Apostoli non fecerunt ;* quos divina facientes atque dicentes, divinèque viventes, debellatis quodam modo cordibus duris, atque introductâ pace justitiæ, licet ingens in Ecclesiâ Christi gloria consecuta sit ; *non in eâ tanquàm in suæ virtutis fine quieverunt ; sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam referentes, cujus gratiâ tales erant, isto quoque fomite eos quibus consulebant, ad amorem illius à quo et ipsi tales fierent, accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos Magister illorum dicens*, Matth. 6 : « Cavete faciatis « justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab « eis ; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem « vestrum, qui in cœlis est. » *Non ergo ut videamini ab eis, id est, hâc intentione ut eos ad vos converti velitis, quia non per vos aliquid estis : sed ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est, ad quem conversi fiant quod estis.* Et cap. 19, illud constare ait inter omnes veraciter pios : *Neminem sine verâ pietate, id est, veri Dei vero cultu veram posse habere virtutem ; nec eam veram esse, quando gloriæ servit humanæ.* Et Enarratione in psalmum 118, sermone 29 : *Multi sunt qui dicta sapientiæ studiosissimè inquirunt, eamque in doctrinâ, non in vitâ volunt habere, ut non per mores quos jubet*

*sapientia perveniant ad Dei lucem, sed per sermones quos habet sapientia, perveniant ad hominum laudem, quod est vana gloria. Non ergo sapientiam quærunt, alioqui vivcrent secundùm ipsam; sed volunt verbis ejus inflari; et quantò magis inflantur, tantò magis efficiuntur extra ipsam.*

Regula V. Extra casus propositos, inanis gloria veniale tantùm peccatum est, ut docet S. Thomas. *Si amor*, inquit, *humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non tamen repugnet charitati, neque quantùm ad id de quo est gloria, neque quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.* Sed tamen periculosissimum, proindèque omni studio fugiendum : tum quia bonum opus amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat; nullus enim peccando, etiam venialiter, meretur vitam æternam, tum quia *inanis gloria est dispositio ad gravia peccata, in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, et nimis de se ipso confidens. Et sic etiam paulatim disponit ad hoc quòd privetur interioribus bonis*, inquit S. Thomas ad 3.

Eò autem periculosior est hic morbus, quò occultior. Nam plerùmque ob aliorum utilitatem spiritalem se glorià et laude humanà delectari putant homines justi, et tamen gloriam et laudem propter se ipsos amant, ut docet S. Augustinus, arcanos animi sui sensus ac motus circa gloriæ cupiditatem, post conversionem suam exponens, lib. 10 Confessionum, cap. 37 : *Nollem*, inquit, *ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni; sed auget, fateor; non solùm, sed et vituperatio minuit. Et cùm istâ miseriâ meâ perturbor, subintrat mihi excusatio, qualis sit, tu scis, Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantùm continentiam, id est, à quibus rebus amorem cohibeamus, verùm etiam justitiam, id est, quò eum conferamus; nec te tantùm voluisti à nobis, verùm etiam proximum diligi, sæpè mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cùm benè intelligentis laude delector; et rursùs ejus malo contristari, cùm eum audio vituperare quod aut ignorat, aut bonum est. Nam et contristor aliquando laudibus meis, cùm vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora et leviora pluris æstimantur quàm æstimanda sunt. Sed rursùs unde scio, an propterea sic afficior, quia nolo de me ipso à me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona quæ mihi in me placent, jucundiora sunt cùm et alteri placent? Quodammodò enim non ego laudor, cùm de me sententia mea non laudatur; quandoquidem aut illa laudantur quæ mihi displicent, aut illa ampliùs quæ mihi minùs placent. Ergone de hoc incertus sum meî? Ecce in te veritas, video non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrùm ita sit nescio. Minùs mihi in hâc re notus sum ipse quàm tu. Obsecro te, Deus meus, et me ipsum mihi indica..... Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minùs moveor, si quisquam alius injustè vituperetur, quàm si ego? Cur eà contumeliâ magis mordeor quæ in me, quàm quæ in alium eâdem iniquitate coram me jacitur? An et hoc nescio? Etiamne id restat ut ipse me seducam, et verum non faciam coram te in corde et linguâ meâ? Insaniam istam, Domine, longè fac à me.* Et cap. 38 : *Egenus et pauper ego sum, et melior in occulto gemitu displicens mihi, et quærens misericordiam tuam donec reficiatur defectus meus, et perficiatur usque in pacem quam nescit arrogantis oculus. Sermo autem ore procedens, et facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia, tentat et cùm à me in me arguitur; et sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vaniùs gloriatur.*

Ejusdem morbi periculum ostendit, lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 1 : *Oculo cordis magnà ex parte mundato*, inquit, *difficile est non subrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas bonas nostras actiones comitari solent, veluti est laus humana. Siquidem non rectè vivere perniciosum est; rectè autem vivere et nolle laudari, quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, quæ utique tantò sunt miseriores, quantò minùs placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te rectè viventem non laudaverint, illi in errore sunt, si autem laudaverint, tu in periculo; nisi tam simplex cor habueris et mundum, ut ea quæ rectè facis, non propter laudem hominum facias, magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet quàm tibi ipsî; quia rectè viveres etiamsi nemo laudaret; ipsamque laudem tuam tunc intelligas esse utilem laudantibus, si non te ipsum in tuâ vitâ bonâ, sed Deum honorent, cujus sanctissimum templum est quisquis vivit benè.*

Et sermone 12 in psalmum 118, explicans hunc versum : *Averte oculos meos ne videant vanitatem*, illumque conferens cum hâc Domini sententiâ : *Si oculus tuus fuerit simplex, etc.*, ait : *Proinde magni interest, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non officio sed fine pensandum est, ut scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, averti poscit ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In quâ vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc seculo nominati sunt, multùmque laudati in civitatibus Gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, et propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, justèque viventes, ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam, vani vanam. Ab hâc vanitate volens Dominus avertere oculos suorum,* « Attendite, inquit Matth, 6, ne justitiam vestram « faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui « mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui « in cœlis est. » Deinde cùm ipsius justitiæ partes quasdam exsequeretur, præcipiens de eleemosynis, de oratione, de jejunio, ubique id admonuit, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat, et ubique dicit eos qui propterea faciunt, percepisse mercedem

suam, id est, non æternam quæ sanctis reposita est apud Patrem, sed temporalem, quam quærunt qui contemplantur in suis operibus vanitatem; non quia ipsa laus humana culpanda est, nam quid tam optandum est hominibus, quàm ut eis placeant quæ debeant imitari? sed propter ipsam laudem benè operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. Quandoquidem et ipsa ab hominibus laus homini justo quantacumque provenerit, non ibi esse debet ejus finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni; quoniam non à se ipsis, sed ab illo, fiunt boni. Denique in eodem sermone Dominus jam dixerat eis: « Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant « opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui « in cœlis est. » Ubi finem posuit, hoc est, in glorià Dei, hoc debemus, quando aliquid boni facimus, intueri, si avertantur à vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis operis boni in laudibus hominum, sed ipsas laudes hominum corrigamus, et ad Dei laudes omnia referamus, à quo nobis datur, quicquid in nobis sine laudantis errore laudatur.

### Articulus XIII.

*Remedia contra vanam gloriam.*

Primò ad inanem gloriam expugnandam, consideranda est illius vanitas, Joann. 8: *Si ergo gloriam meam quæro, gloria mea nihil est.*

Secundò, considerandi sunt operum nostrorum defectus plurimi, frequentissimi, sæpè nobis ignoti, Isai. 64: *Facti sumus ut immundi omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Sæpè scilicet quod nobis justitia videtur et meritum, ubi ad examen divinum vocatur, injustitia est; et, *sordet in conspectu judicis, quod fulget in æstimatione operantis*, inquit S. Gregorius. Hinc, Job. 4 dicitur: « Numquid « homo Dei comparatione justificabitur? Ecce qui ser- « viunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit « pravitatem; quantò magis hi qui habitant domos lu- « teas, qui terrenum habent fundamentum, consu- « mentur velut à tineâ? »

Tertiò, considerandum est quicquid boni in operibus nostris est, Dei munus esse, proindeque totum illi acceptum referri debere, Isai. 26: *Omnia opera nostra operatus es nobis;* ad Philipp. 2: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bonâ voluntate.* Vult esse nostra merita, quæ sunt sua dona, et cùm merita nostra remunerat, coronat dona sua in nobis. « Absit « ergo, inquit sacra synodus Tridentina, ut Christia- « nus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et « non in Domino; cujus tanta est erga omnes ho- « mines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt « ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, « unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita « severitatem et judicium ante oculos habere debet, « neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius « fuerit, judicare; quoniam omnis hominum vita non « humano judicio examinanda et judicanda est, sed « Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et ma- « nifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicui- « que à Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique « secundùm opera sua. » Quamobrem *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quam S. Cypriani sententiam contra Pelagianos non semel laudat S. Augustinus. Et propterea rectè dictum ab Apostolo intelligitur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, inquit idem S. doctor, Enchiridii cap. 32, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Et S. Hieronymus adversùs Pelagium, ad Ctesiphontem: « Velle « et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei « semper auxilio non erit meum. Semper largitor, « semperque donator est. Non mihi sufficit quòd semel « donavit, nisi semper donaverit.... Cùm me putavero « ad calcem pervenisse virtutum, tunc habebo princi- « pium..... Hæc hominibus sola perfectio, si imper- « fectos esse se noverint, etc. » Dicamus igitur Deo cum Davide 1 Paralip. 29: *Tua sunt omnia; et quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi;* et Psalm. 113: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ne Deo surripiamus, quod ipsius est, sed fidelitatem Joab strenui ducis erga Davidem regem dominum suum imitemur, qui expugnans Rabbath urbem regiam Ammonitarum, gloriam omnem victoriæ illi tribui voluit, sic ad illum scribens: « Dimicavi adver- « sùm Rabbath, et capienda est urbs aquarum. Nunc « igitur congrega reliquam partem populi, et obside « civitatem, et cape eam; ne cùm à me vastata fuerit « urbs, nomini meo adscribatur victoria. » Audiamus præceptum Domini, Lucæ 17: *Et vos, cùm omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Si inutilis est qui fecit omnia, quid de illo dicendum, qui officia sua non explevit? Dicamus cum prophetà, psalmo 84: *Deus tu conversus vivificabis nos; et plebs tua lætabitur in te.* Hoc est, non quasi nos ipsi nostrâ sponte sine misericordiâ tuâ convertimur ad te, et tu vivificabis nos: sed *tu conversus vivificabis nos*, ut non solùm vivificatio nostra à te sit, sed etiam ipsa conversio ut vivificemur. *Et plebs tua lætabitur in te*, nam « malo suo lætabitur in se, bono « suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere « gaudia de se, invenit planctum in se. Nunc verò quia « totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus « gaudere, in illo gaudeat qui non potest perire. « *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* Felix « est cui ostendit Deus misericordiam suam. Osten- « dendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi « quia quicquid boni habet ipse homo, non habet nisi « ab illo qui omne bonum nostrum est. Et cùm vide- « rit homo quicquid boni habet, non se habere à se, « sed à Deo suo, videt quia totum, quod in illo lauda- « tur, de Dei misericordiâ est, non de meritis ipsius, « et videndo ista non superbit, non superbiendo non « extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo « stat, stando inhæret, inhærendo manet, manendo « perfruitur, et lætatur in Domino Deo suo, » inquit S. Augustinus, Enarratione in psalmum 8.

Quartò, considerandum est æternæ gloriæ præmium

quo nos frustratur vana gloria. Unde, « si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit aut minimè « recognoscit, et quia falsa dicuntur, metuit; aut certè « si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat ne « ab æternâ Dei retributione sint perdita, quo hæc « considerat hominibus divulgata; pavetque vehementer ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii favoris, » inquit S. Gregorius, lib. 22 Moralium, cap. 5.

Quintò, considerandum est Christi Salvatoris nostri exemplum, qui vanam gloriam fugiendam, verbis factisque docuit, miracula sua celari jubens. Matth. 8, leproso à se mundato ait : *Vide, nemini dixeris.* Matth. 9, duobus cæcis, quibus visum restituerat, comminatus est, dicens : *Videte ne quis sciat.* Matth. 17, tribus discipulis gloriosæ transfigurationis suæ testibus præcepit, dicens : *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Luc. 10, septuaginta duobus discipulis cum gaudio dicentibus : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo,* casum angelorum reproborum de cœlo ob oculos posuit, ut elationis motum in ipsis reprimeret : « Videbam, inquit, Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce « dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et « scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et « nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur. » Joannis 8 : « Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat et « judicet. » Denique, « proposito sibi gaudio sustinuit « crucem, confusione contemptâ, » ut ait Apostolus ad Hebr. 12.

Sextò, avertendi sunt oculi à bonis operibus nostris, et in defectus nostros ac peccata reflectendi, ut cum sancto Job, cap. 31, verè dicere possimus : *Si vidi solem cùm fulgeret, et lunam incedentem clarè; et osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum :* quasi diceret : *Opus meum etiam cùm aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gratiam non attendi; quia dùm de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti,* inquit S. Gregorius, lib. 22 Moralium, cap. 5 : « Post « præmissum solem, aptè quoque incedentem clarè « lunam subdidit; quia post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hâc præ« sentis vitæ nocte possidetur... Quia igitur sanctum « virum magnitudo operis non inflavit, solem fulgentem non vidit. Quia autem illum nec fama laudis « extulit, clarè incedentem lunam minimè attendit... « Sic autem profectus est hominum, sicut incrementa « esse conspicimus arbustorum. Vis quippe futuræ « arboris priùs in semine est, postmodùm in ortu, « atque ad extremum producetur in ramis. Sic nimirùm sic uniuscujusque virtus succrescit operantis. « Seminatur namque in intelligentiâ, oritur in operatione atque ad ultimum convalescit usque ad profectûs magni latitudinem. Sed cùm quemlibet sua in« telligentia extollit, arbor, quæ oriri poterat, in se« mine putrescit. Cùm verò post operationem bonam « elationis peste corrumpitur, quasi jam orta siccatur. « Cùm autem neque intelligentia, neque operatio cor« rumpit, sed excrescente magnitudine, dùm favor « laudantium sequitur, atque ab statu suo benè ope« rantis animum avertit; linguarum ventos arbor per« tulit, et omne quod in eâ robustum creverat, tem« pestas famæ radicitùs evulsit... Sæpè enim laus « benè agentis auribus insolenter admota, dùm foris « sermonibus perstrepit, intùs quamdam menti taci« tam elationis tempestatem gignit; fitque ut hoc « quod animus de humanis favoribus gaudet, non « facilè exteriùs ostendat, sed tamen corruptionis vim « non tenuiter interiùs sentiat. Et sunt nonnulli quos « ita laus inflat, ut usque ad verba elationis pertrahat. « Unde beatus Job, quia noverat arrogantem se non « solùm nullo modo in verbis, sed etiam in cogita« tione quoque tacitâ minimè fuisse, postquàm dixit : » Si vidi solem cùm fulgeret, et lunam incedentem clarè; *Illicò subdidit :* Et lætatum est in abscondito cor meum. « Quâ videlicet attestatione quid nobis innuitur, nisi quòd magno metu et circumspectione opus « est, ne mens nostra unquàm de suis laudibus vel « tacita lætetur? Quisquis enim quasi claritatem lunæ, « famæ suæ magnitudinem conspicit, sibique in occulto mentis gaudium facit; cui iste nisi auctori se « prætulit, cujus dono ut benè operaretur percepit; et « tamen in ejus munere de gratiâ suæ laudis hilarescit? « Despecto enim honore conditoris, semetipsum plus « amare convincitur, cujus præconiis lætatur... Et « quia plerùmque inconsiderata mens, dùm transitorio favori non renititur, ad hoc usque pertrahitur, « ut laudet ipsa quod facit, congruè subinfertur : » Et osculatus sum manum meam ore meo. « Per manum « quippe operatio, per os locutio designatur... Manum « ergo suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit, « et testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tri« buit operis. Quâ in re quis despicitur, nisi is qui « ipsa operandi munera largitur? Unde benè per egre« gium prædicatorem dicitur, 1 Cor. 4 : » Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? « Sancti autem viri « sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili « stirpe se editos, et non virtute propriâ, sed præve« niente supernâ gratiâ, ad meliora se vota vel opera « commutatos; et quicquid sibi mali inesse cogno« scunt, de mortali propagine sentiunt meritum : « quicquid verò in se boni inspiciunt, immortalis « gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere « debitores fiunt, qui et præveniendo dedit eis bonum « velle quod noluerant, et subsequendo concessit bo« num posse quod volunt. Unde benè per Joannem « dicitur, Apocal. 4 : » Adoraverunt Viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini. « Coronas namque suas ante thronum Do« mini mittere, est certaminum suorum victorias non « sibi tribuere, sed auctori, ut ad illum referant glo« riam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certa« minis. Beatus ergo Job, quia sic bona quæ operatus « est narrat, ut tamen hæc suæ operationi non tri« buat, sed ad auctoris laudem recurrat, manum

« suam ore suo osculatum se fuisse denegat. Ac si pa-
« tenter dicat : Ego mea opera tanquàm mea non pro-
« fero ; quia auctoris sui gratiam negare convincitur,
« quisquis sibi tribuit quod operatur. Unde protinùs
« subdit : » Quæ est iniquitas maxima, et negatio
« contra Deum altissimum. « Liquet etenim qua illum
« negat, cujus despectâ gratiâ, sibi vires boni operis
« arrogat. Quod rectè quoque et iniquitas maxima
« vocatur, quoniam omne peccatum quod ex infirmi-
« tate est, spem nequaquàm perdit quia à superno Ju-
« dice veniam requirit. Præsumptio autem virtutis
« propriæ tantò gravius in desperatione est, quantò
« longiùs ab humilitate. Cùmque vires sibi tribuit
« operis , ad adjutorium non recurrit auctoris ; fitque
« ut eò graviùs peccator pereat, quò et ipsum hoc,
« quia est peccator, ignorat. »

Hinc ante Gregorium scripsit S. Augustinus, lib. 5 de Civitate Dei c. 20 : « Qui verâ pietate in Deum, quem
« diligit, credit et sperat, plus intendit in ea in qui-
« bus sibi displicet, quàm in ea , si qua in illo sunt, quæ
« non tam ipsi quàm veritati placent ; neque id tribuit
« unde jam potest placere, nisi ejus misericordiæ cui
« metuit displicere ; de his sanatis gratias agens ; de
« illis sanandis preces fundens. »

Septimò, ad divini judicii considerationem recurrendum est, ut vanæ gloriæ morbus sanetur. Nam dùm vir justus bona quæ egit, ab hominibus laudari cognoscit, subtile contra se extremi judicii examen metuit, ac trepidus ad conscientiam recurrit, et quicquid illic inest reprehensibile corrigit. « Dùm enim
« bona sua innotuisse formidat, subtilitatem secuturi
« examinis pertimescens, si qua in se mala occulta
« sunt, amputat. Pavet namque si saltem talis Deo
« non ostenditur, qualis ab hominibus putatur , et
« neque contentus est, ut, in quo potuit innotescere,
« in hoc debeat remanere. Jam enim de bonis suis
« quasi retributionem sibi factam æstimat, nisi eis et
« alia quæ ab hominibus nesciuntur, adjungat. Unde
« benè per Salomonem dicitur, Proverb. 27 : » Sicu probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis. « Argentum
« quippe vel aurum, si reprobum est, igne consumi
« tur : si probum verò, igne declaratur. Sic nimirùm
« est et sensus operantis ; nam qualis sit, in eo quod
« laudatur ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus
« extollit, quid iste aliud quàm aurum vel argentum
« reprobum fuit, quem videlicet fornax linguæ con-
« sumpsit? Si autem favores suos audiens, ad superni
« judicii considerationem redit, ac ne de his apud
« occultum arbitrum gravetur, metuit, quasi expur-
« gationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit ;
« et unde incendium trepidationis sustinet, inde cla-
« riùs fulget, » inquit ibidem S. Gregorius.

Consideremus ergo quid nobis desit ad christianæ spiritualisque vitæ perfectionem, non quid egerimus, si quid boni egimus ; et cum Davide dicamus, Psalm. 38 : « Notum fac mihi, Domine, finem meum... ut sciam
« quid desit mihi ; » et cum Apostolo, Philipp. 3 : « Ego
« me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ
« quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt
« priora extendens meipsum, ad destinatum perse-
« quor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo
« Jesu. Et quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. »
Nec illos imitemur, qui, cùm bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum protinùs obliviscuntur, et cordis oculum in consideratione bonorum operum, quæ exhibent, figunt ; atque eò se jam sanctos existimant, quò inter bona quæ agunt, malorum suorum, in quibus et fortassè adhuc implicati sunt, memoriam declinant. « Qui scilicet si districtionem Judicis vigi-
« lanter attenderent, plus de malis suis metuerent,
« quàm de imperfectis bonis exultarent ; plus inspi-
« cerent quòd de his, quæ adhuc eis agenda sunt,
« debitores tenentur, quàm quòd operantes quædam,
« jam debiti partem solvunt. Neque enim absolutus
« est debitor qui multa reddit, sed qui omnia ; nec ad
« bravium victoriæ pervenit, qui in magnâ parte spe-
« ctaculi velociter currit, si juxta metas veniens, in
« hoc quod reliquum est, deficit. Nec ad quælibet
« destinata loca pergentibus inchoando prodest lon-
« gum iter carpere, si non etiam valeant consummare.
« Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quàm
« quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festi-
« namus? Sed quid prodest quòd carpimus multa, si
« ea quæ ad perveniendum restant, negligimus re-
« liqua? More itaque viatorum, nequaquàm debemus
« aspicere quantum jam iter egimus, sed quantum
« superest ut peragamus. Ampliùs debemus inspicere
« quæ bona necdum fecimus, quàm ea quæ jam nos
« fecisse gaudemus.

Hinc S. Augustinus, Enarratione in Psalmum 38 : *In comparatione*, inquit, *illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus mihi videns deesse quàm adesse, ero humilior ex eo quod deest, quàm elatior ex eo quod adest. Nam qui putant se aliquid habere cùm hìc vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest, quia magnum putant esse quod adest. Qui enim putat se esse aliquid, cùm nihil sit, semetipsum seducit. Nec isti ex hoc magni sunt. Nam et inflatio et tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem.*

Cæterùm Christianus, *in laudatoribus suis quamvis parvipendat quòd eum laudant, non tamen parvipendit quòd amant ; nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes ; ideòque instat ardenter ut potiùs ille laudetur à quo habet homo quicquid in eo jure laudatur*, inquit S. Augustinus, lib. 5 de Civitate Dei, cap. 19.

Denique observanda est præclara illa moralis christianæ regula, quam S. Augustinus tradit, epistolâ 22, aliàs 64 ad Aurelium Carthaginensem episcopum, ubi sic loquitur de prælato : *Se ipsum præbeat patientiæ atque humilitatis exemplum, minùs sibi assumendo quàm offertur ; sed tamen ab eis qui se honorant nec totum, nec nihil accipiendo, et id quod accipitur laudis aut honoris, non propter se qui totus coràm Deo esse debet et humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si ninùà dejectione vilescat. Magnum est de honoribus et laudibus hominum non lætari, sed et omnem pompam inanem præcidere, et*

*si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. Non enim frustra dictum est,* Psal. 52 : Deus confringet ossa hominum placere volentium. *Quid enim langúidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod ossa significant, quàm homo quem malè loquentium lingua debilitat, cùm sciat falsa esse quæ dicuntur? Cujus rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa ejus confringeret... Non hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia si cuiquam facilè est laude carere dùm denegatur, difficile est eâ non delectari cùm offertur; et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non meritò laudemur, corrigamus eos quos possumus, ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquàm tamen sunt laudabilia; velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur eis quibus placet verum bonum, non tamen nobis quia placemus hominibus, sed si coràm Deo tales sumus, quales nos esse credunt, et non tribuitur nobis, sed Deo, cujus dona sunt omnia quæ verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidiè, vel potius ille cujus salutaria præcepta sunt, quæcumque sive in divinis lectionibus inveniuntur, sive quæ intrinsecùs animo suggeruntur; et tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.*

### Articulus XIV.

*De vanæ gloriæ filiabus.*

Inanem gloriam vitium esse capitale, post S. Gregorium docet S. Thomas, quia ex illius inordinato appetitu multa vitia oriuntur, nec verò necesse esse ut vitium capitale semper sit peccatum mortale, *quia etiam ex veniali peccato potest mortale oriri, in quantum scilicet veniale disponit ad mortale,* 2-2, q. 132, a. 4.

Septem porrò inanis gloriæ filias S. Gregorius, lib. 30 Moralium, cap. 31, recenset : *Inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam et novitatum præsumptionem. Vitia enim quæ ad finem alicujus vitii capitalis ordinantur, dicuntur filiæ ejus,* inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 132, a. 5. *Finis autem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ; ad quod potest homo tendere dupliciter. Uno modo directè, sive per verba, et sic est* jactantia, *sive per facta; quæ si sint vera, et aliquam admirationem parientia, est* præsumptio novitatum, *quas homines solent magis admirari; si autem falsa sint, est* hypocrisis. *Alio modo nititur aliquis manifestare suam excellentiam indirectè, ostendendo se non esse alio minorem; idque quadrupliciter. Primò quidem quantùm ad intellectum, et est* pertinacia, *per quam homo nimis innititur suæ sententiæ, nolens cedere sententiæ meliori. Secundò quantùm ad voluntatem, et est* discordia, *dùm non vult à propriâ voluntate discedere, ut aliis concordet. Tertiò, quantùm ad locutionem, et est* contentio, *cùm aliquis verbis clamosè contra alium litigat. Quartò, quantùm ad factum, et est* inobedientia, *dùm scilicet aliquis non vult exequi superioris præceptum.*

### Articulus XV.

*De inobedientiâ inanis gloriæ filiâ primogenitâ.*

*Inobedientia est peccatum quo violatur præceptum superioris ex contemptu,* ut docet S. Thomas 2-2, quæst. 105, a. 1.

Regula prima. — Mortale autem peccatum est, etiam in rebus minimis, si sit perfectus contemptus, id est, si quis ita sit affectus ut nullo modo parere velit superiori, quicquid præcipiat, et ideò renuit aliquid agere vel pati, quia præceptum est. Peccatum enim mortale est, quod repugnat charitati, quâ diliguntur Deus et proximus. Exigit autem charitas Dei, ut ejus mandatis obediatur. Et ideò *inobedientem esse divinis præceptis, est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium.*

In præceptis autem divinis continetur ut etiam superioribus obediatur. Et ideò etiam *inobedientia quâ quis inobediens est præceptis superiorum, est peccatum mortale, quasi divinæ dilectioni contrarium,* secundùm illud ad Rom. 13 : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Unde etiam Rom. 1 et 2, Timoth. 3, inter mortalium peccatorum reos, numerantur *parentibus non obedientes.* Repugnat etiam dilectioni proximi, quatenùs *superiori proximo subtrahit obedientiam quam ei debet.*

Peccati inobedientiæ gravitatem testatur Saülis regis reprobatio propter inobedientiam. Missus enim à Deo ad delendos funditùs Amalecitas, Agag eorum regi pepercit, multamque prædam, et greges ovium, armentaque boum, specie pietatis, quasi ad sacrificia Deo offerenda, contra ejus mandatum servavit. Quamobrem à Samuele prophetâ his verbis reprehensus est, ut habetur 1 Regum 15 : *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ : et auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare; et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex.* Quem locum egregiè S. Bernardus explicat, libro de Præcepto et Dispensatione, cap. 11 : *Elatio,* inquit, *contemnentis, atque impœnitentis obstinatio, in minimis quoque peccatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levis simplicis transgressionis. Denique in quo inobedientiæ crimen et absque dubio sit, apud Samuelem advertite.* Quasi, *inquit* 1 Reg. 15, peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. *Non ait,* non acquiescere, *sed,* nolle acquiescere, *ut non jussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim ipsum nolle obedire, et non obedire. Hoc quippe interdùm erroris est, nonnunquàm et infirmitatis; illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod et ipsum repugnare est et resistere Spiritui sancto; et si ad mortem usque perduraverit, blasphemia est non*

*vemûtenda sive in hoc seculo, sive in futuro. Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire.*

Regula II. — *Tantò gravior est inobedientia, quantò superior est qui præcipit. Quamobrem gravius peccatum est inobedientem esse Deo, quàm homini.* Siquidem *oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.*

Regula III. — *Inobedientia quâ divinum mandatum contemnitur, eò gravior est, quò melius est majorisque momenti quod Deus præcipit :* quia cùm voluntas Dei per se feratur ad bonum, *quantò aliquid est melius, tantò Deus vult illud magis impleri. Unde qui inobediens est præcepto de dilectione Dei, gravìus peccat, quàm qui inobediens est præcepto de dilectione proximi,* inquit S. Thomas.

Regula IV. — *In iis quæ præcipiuntur ab homine, eò gravior est inobedientia, quò superior magis vult servari suum præceptum.* Voluntas enim hominis non semper in id magis fertur quod melius est ; *et ideò ubi obligamur ex solo hominis præcepto, non est gravius peccatum ex eo quòd majus bonum præteritur, sed ex eo quòd præteritur illud quod est magis de intentione præcipientis*, inquit S. Thomas, a. 2 ejusdem quæstionis.

Regula V. — *Inobedientia quâ contemnitur præceptum hominis, levior est peccato quo contemnitur ipse præcipiens , quia ex reverentiâ præcipientis procedere debet reverentia præcepti*, ait idem Angelicus doctor.

Regula VI. — Pari ratione *peccatum quod directè pertinet ad contemptum Dei*, sicut blasphemia, et idololatria, *gravius est eo in quo contemnitur solum Dei præceptum.* Ita S. Thomas, ibidem.

Regula VII. — « Non omnis inobedientia est peccatum in Spiritum sanctum , sed solùm illa cui obstinatio adhibetur. Non enim contemptus cujuscumque quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum sanctum; alioquin cujuslibet boni contemptus esset peccatum in Spiritum sanctum, quia per quodlibet bonum potest homo impediri à peccato. Sed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam et remissionem peccatorum. » Verba sunt S. Thomæ, quæstione et articulo superiùs laudatis, in responsione ad secundam objectionem.

### Articulus XVI.

*De jactantiâ, filiâ inanis gloriæ alterâ.*

*Jactantia est peccatum quo homo verbis se extollit supra id quod in se est secundùm rei veritatem, aut secundùm aliorum opinionem.* Ita docet S. Thomas, 2-2, quæst. 112, a. 1. A S. Augustino, lib. 25 de Civitate Dei, cap. 15, definitur, *libido gloriandi;* et lib. 12, cap. 8, *vitium animæ perversè amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscienciæ.* Quamvis autem ex superbiâ frequentiùs oriatur, et ad inanem gloriam ut ad finem tendat, quandoque tamen ex merâ vanitate procedit, et solam delectationem jactatoris pro fine habet, inquit S. Thomas, alii tandem seipsos iactant non solùm propter gloriam, vel propter delectationem, sed propter lucrum, qui de se fingunt et apud vulgus prædicant ea quibus pecunias emungere et corrogare possunt, verbi gratiâ, quòd medicinæ vel divinationis periti sint.

A jactantiæ peccato nos deterret Spiritus sanctus per os Salomonis, Proverb. 27 : *Laudet te*, inquit, *alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua*, et per S. Paulum, 2 ad Corinthios 12, ubi cùm laudes suas ad pseudoapostolos confundendos paulò magnificentiùs prædicâsset : *Factus sum*, inquit, *insipiens, vos me coegistis; ego enim à vobis debui commendari.* Unde S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 5 de Laudibus S. Pauli, ait : *Extremæ dementiæ est, nullâ imminente necessitate, et necessitate violentâ, propriis laudibus velle decorari.* Fugiendæ jactantiæ exemplum dat idem Apostolus cùm subdit : *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Quæ verba S. Bernardus, epist. 87, sibi ipsi accommodans, ait : *Prodest mihi meam insipientiam sciri, et à scientibus jure confundi, cui sæpè contingit à nescientibus injustè laudari. Terret me Apostolus, qui et ipse territus dicit :* « Parco autem ne quis me existimet supra id « quod videt aut quod audit. » *Quàm pulchrè dixit :* Parco ! *Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ et jactator actuum suorum, cui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur de se quod non est. Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper (quantum in se est) vult nesciri quod est.*

S. Augustinus, lib. 1 de Ordine, cap. 11, inanis « jactantiæ ultimam, sed nocentiorem omnibus pes« tem » vocat. Et lib. 5 de Civitate Dei, cap. 16, jactantiæ inanitatem paucis ostendit : « Tolle, inquit, « jactantiam, et omnes homines quid sunt nisi homi« nes ? Quòd si perversitas seculi admitteret, ut hono« ratiores essent quique meliores ; nec sic pro magno « haberi debuit honor humanus, quia nullius est pon« deris fumus. »

S. Ambrosius, lib. 4 in Lucam, ordinem tentationis Christi explicans, ad illa verba : *Si Filius Dei es, mitte te deorsùm*, ait : « Sequitur jactantiæ telum, « quo proclive delinquitur, quia dùm homines gloriam « virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum « suorum et statione decedunt. Ita est enim jactantia, « ut dùm se putat unusquisque ad altiora conscendere, « sublimium usurpatione factorum ad inferiora tru« datur... Diabolus cognovit aliquem adtentum reli« gioni, virtutibus clarum, signis et operibus præpo« tentem ; jactantiæ tendit laqueum, ut hujusmodi « virum inflet tumore ; quò pietati se non credat, sed « credat jactantiæ; nec Deo deputet, sed sibi arroget.. « Ergo et hìc diabolus, quoniam fortem sensit, jactan« tiam prætendit, quæ etiam fortes decipit. » Idem in Psalm. 37 : *Jactantia*, inquit, *insolens etiam in integro deprecatio autem in peccatore laudabilis.* Et lib. 2 de Abraham, cap. 6 : « Deflectentibus à vero amica jac« tantia est. Virtus se humiliat, extollit autem se ini« quitas. » Lib. 1 de Cain et Abel, cap. 6 : « Jactan« tiæ laqueus etiam bonam mentem prosperis curren« tem semitis solet strangulare... Si ergo verò jactan-

« tia declinanda est, quantò magis nemo debet falsa « jactare pro veris? » Denique sermone 20 in Psalmum 118 : « Justus nullo licet fractus labore, nullius cer- « taminis dubius eventu, humilem omnibus affectum « exhibet, nec sua extollere studet ; sed magis mi- « nuere operibus suis pretium, et meriti sui gratiam. « Audi justum humiliantem se : *Ego sum*, inquit 1 « Cor. 15, *minimus Apostolorum*. Ille vas electionis « divinæ, ille gentium doctor minimum esse se dicit, « indignum ejus officii nomine, quod suis operibus « præferebat, nihilque sibi arrogat, sed totum gratiæ « Dei deputat. Hoc utique decet justum.

S. Isidorus Hispalensis, lib. 3 Sententiarum, cap. 13 : « Boni, inquit, operis inchoatio non debet citò « palam ad hominum cognitionem venire, ne, dùm « humanis oculis reseratur, à virtute perfectionis ina- « nescat intentio sanctitatis. Ante maturitatis enim « tempus messes florentes citò pereunt, germinaque « inutilia fiunt. » Ibidem : « Virtutes Sanctorum per « ostentationis appetitum dominio dæmonum subji- « ciuntur immundorum, sicut Ezechias rex, qui divi- « tias suas Chaldæis per jactantiam prodidit, et pro- « pterea perituras per prophetam audivit ; ut signifi- « caret Dei servum suas, dùm vanæ gloriæ studio « prodiderit, perdere, et statim dæmones suorum « operum dominos facere, sicut ille per ostentatio- « nem Chaldæos rerum suarum dominos facit. »

Regula I. — Jactantia mortale peccatum est, *cùm aliquis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei*. Talis erat jactantia regis Tyri, de quo dicitur Ezech. 28 : *Elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum*. Talis erat jactantia Sennacherib regis Assyriorum 4 Regum cap. 17 : *Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu meâ, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu meâ ?* Talis Moabitarum jactantia, Jeremiæ 48 : *Audivimus*, inquit, *superbiam Moab ; superbus est valdè, sublimitatem ejus et arrogantiam, et superbiam et altitudinem cordis ejus ego scio, ait Dominus ; jactantiam ejus, et quòd non sit juxta eam virtus ejus.*

Regula II. — Jactantia mortale peccatum est, *cùm proximo debitam charitatem extinguit*; scilicet *cùm aliquis jactando seipsum, prorumpit in contumelias aliorum*. Sicut superbus ille Pharisæus, Lucæ 18, Publicano insultans : *Non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. Quæ verba S. Joannes Chrysostomus expendens, homiliâ de Publicano et Pharisæo, ait : *Tune igitur judicio tuo justior es omnibus ?* Non sum sicut cæteri hominum, *inquis. Quid agis, Pharisæe ? Noli nomen naturæ communne spectare. Immutabilis enim ille atque hominum amator factus est homo. Saltem cùm illud cogitaveris, à verbis illis jactatoriis abstine : dic potiùs*, ut nonnulli hominum ; *non autem*, ut cæteri hominum. *Omnesne, præter te unum, Pharisæe, raptores ?... Quid insultas jacenti ? Quid accusas et criminaris illum sine remissione verberantem conscientiam suam ? Intueris speciem commiseratione ac subsidio dignam ; jacet enim demisso ac prostrato in terram vultu, pectus velut malorum officinam torquet, oculos ad cœlum attollere non audet, ac fortassè ab ipsis astris accusari se putat. Non te ille inflectit contremiscens ? Non ad condolendum emollit ?*

Regula III. — Jactantia de peccato mortali est mortale peccatum, Proverb. 2 : *Lætantur cùm malè fecerint, et exultant in rebus pessimis.*

Regula IV. — Jactantia procedens à superbiâ vel inani gloriâ, quæ sit peccatum mortale, peccatum et ipsa lethale est. Talis est jactantia quâ quis se extollit ut alterius merita obumbret, illiusque minuat existimationem. Quâ de re S. Ambrosius, lib. 2 de Officiis, cap. 25 : « Si quis, inquit, non obediat episcopo, ex- « tollere atque exaltare se desiderans, obumbrare me- « rita episcopi simulatâ affectatione doctrinæ, aut hu- « militatis, aut misericordiæ, is à vero devius super- « bit ; quoniam veritatis ea est regula, ut nihil facias « commendandi tuî causâ, quò minor alius fiat ; ne- « que si quid boni habeas, id ad reformationem alte- « rius et vituperationem exerceas.

Regula V. — Jactantia propter lucrum aliquod illicitum, et cum gravi proximi damno conjunctum, est peccatum lethale. Idem esto judicium de jactantiâ, quâ quis commentitias dotes suas magnificis verbis prædicat, ut ecclesiasticum beneficium, vel quamlibet præfecturam obtineat, quâ indignus est.

Regula VI. — Qui se jactat causâ lucri non semper mortalis peccati reus est ; — quia potest esse tale lucrum quod proximo nullum damnum inferat. Hinc S. Thomas : *Videtur*, inquit, *ad mendacium officiosum pertinere, cùm aliquis ad hoc se jactat, ut gloriam vel lucrum acquirat, dummodò hoc sit sine damno aliorum.* Quicum si conjuncta esset jactantia, *jam pertineret ad mendacium perniciosum.*

Regula VII. — Qui aliqua de se jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum, venialis duntaxat peccati labem contrahit.

Regula VIII. — Qui delectationis causâ se jactat, venialis duntaxat peccati fit reus, idque ad mendacium jocosum pertinet ; *nisi fortè hoc divinæ dilectioni præferret, ut propter hoc Dei præcepta contemneret. Sic enim esset contra charitatem Dei, in quo solo mens nostra debet quiescere sicut in ultimo fine.* Hoc igitur casu lethale peccatum esset.

Regula IX. — Qui se jactat ut jurgia concitet, secundùm illud Proverb. 28 : *Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat*, peccat mortaliter, cùm Deus eos detestetur *qui seminant discordias*, ut habetur Proverb. 6. Sed quandoque contingit, jactantiam esse causam jurgiorum, non per se, sed per accidens ; quo casu non est peccatum mortale.

Regula X. — Ironia seu dissimulatio, oppositum jactantiæ vitium est, quo quispiam asserit de seipso aliquid vile, quod in se non agnoscit ; aut negat de se aliquid magnum, quod tamen in seipso esse percipit. Hinc Ecclesiastici 19 dicitur : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.* Hinc S. Augustinus, sermone 181, aliàs 29 de Verbis Apostoli. « Cùm, inquit, humilitatis causâ mentiris, si non eras « peccator antequàm mentireris, mentiendo efficeris

« quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi te ita « dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veri- « tas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodò « est humilitas, ubi regnat falsitas? » Non est igitur mentiendum ut superbia vitetur. Unde rursùs S. Augustinus, tractatu 43 in Joannem : *Non ita caveatur arrogantia*, inquit, *ut veritas relinquatur*. Et S. Gregorius, lib. 26 Moralium, cap. 3 : *Incautè*, inquit, *sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant*.

Huic regulæ non repugnant verba Sapientis, Proverb. 38, dicentis : *Stultissimus sum virorum;* nec verba Amos prophetæ, cap. 7, dicentis : *Non sum propheta;* nec denique verba S. Gregorii, lib. 11 Epistolarum, indict. 6, epist. 31, decimæ quæstioni ab Augustino Anglorum episcopo propositæ respondentis : *Bonarum mentium est, etiam ibi suas culpas agnoscere, ubi culpa non est.* Nam sapiens spectat quod sibi convenit ex fundo suo. Præterea, duplex est sapientia, duplexque stultitia. Est enim quædam sapientia secundùm Deum, quæ mundo, id est, hominibus diligentibus mundum stultitia est, secundùm illud ad Corinthios 3 : *Si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Alia est sapientia hujus mundi, quæ, ut ibidem ait Apostolus, *stultitia est apud Deum.* Sapiens itaque se stultissimum esse secundùm opinionem hominum verè confitetur, quia scilicet humana contemnit, quæ hominum sapientia quærit. Unde continuò subdit : *Et sapientia hominum non est mecum.* Amos autem verè negat se esse prophetam origine, quia non erat de genere prophetarum. Unde ibidem subdit : *Nec filius prophetæ.*

Denique S. Gregorius non tribuit justis, quòd culpam dicant quod pro culpâ non agnoscunt; sed quòd culpas agnoscant, ubi non sunt. Ad bonitatem scilicet mentis pertinet, ut homo ad justitiæ perfectionem tendat; et ideò culpam existimat non solùm si deficiat à communi justitiâ, sed etiam si deficiat à justitiæ perfectione, quod quandoque culpa non est.

Regula XI. — Qui verbis, vel signis externis, ut vili abjectâque veste aut aliquâ re simili, defectum quidem in exterioribus rebus præ se fert, sed excellentiam aliquam spiritualem mentitur, quales sunt illi de quibus Dominus ait : *Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes,* ironiæ seu dissimulationis simul et jactantiæ vitium incurrit, et propterea gravius peccat. Nam *simulatio humilitatis major superbia est*, inquit S. Augustinus, lib. de sanctâ Virginitate, cap. 43. *Idcircò Scriptura volens ostendere veracem humilitatem esse oportere, cùm dixisset :* « Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus; » *mox quoque subdidit, Eccli.* 3 : « Et coram Deo invenies gra- « tiam; » *utique ubi se fallaciter humiliare non posset.* Hinc idem sanctus doctor, ut utrumque vitium illud extremum vitaret, simulationis et jactantiæ, *vestes, calceamenta et lectualia ex moderato et competenti habitu* sibi comparabat, *nec nitido nimium, nec abjecto plurimùm, quia his plerùmque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere;* ut refert Possidius in ejus Vitâ, cap. 22.

Regula XII.—Jactantia gravius ut plurimùm ironiâ seu dissimulatione peccatum est. « Jactantia enim ut « plurimùm ex turpiori motivo procedit, scilicet ex « appetitu lucri vel honoris; ironia verò ex hoc quòd « (aliquis) fugit, licet inordinatè, per elationem aliis « gravis esse. Contingit tamen quandoque quòd ali- « quis minora de se fingit ex aliquo alio motivo, putà, « ad dolosè decipiendum; et tunc ironia est gravior, » inquit S. Thomas, ex quo duodecim illæ regulæ excerptæ sunt, 2-2, quæst. 112, a. 2, et quæst. 113, a. 1 et 2.

### Articulus XVII.

*De hypocrisi, tertiâ inanis gloriæ filiâ.*

« Hypocrisis est peccatum quo quis alienam perso- « nam simulans, adumbratam sanctitatis imaginem « hominum oculis objicit, vel occultando vitia quibus « scatet, vel præ se ferendo speciem virtutis quâ ca- « ret. » Nam, ut ait S. Isidorus Hispalensis, lib. 10 Originum, tit. 11, hypocrita ille est « qui cùm intùs « malus sit, ut bonum se palam ostendit. Nomen (sci- « licet *hypocritæ*, tractum est, inquit, à specie eorum « qui in spectaculis contectâ facie incedunt, distin- « guentes vultum vario colore, ut ad personæ, quam « simulant, colorem perveniant, modò in specie viri, « modò in specie feminæ, ut in ludis populum fallant. » Hinc S. Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 2 : « Manifestum est, inquit, hypocritas « non quod oculis prætendunt hominum, id etiam « corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, « tanquàm pronuntiatores personarum alienarum, si- « cut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes « Agamemnonis in tragœdiâ, verbi gratiâ, sive alicu- « jus alterius ad historiam vel fabulam quæ agitur per- « tinentis, verè ipse est, sed simulat eum, et hypo- « crita dicitur. Sic in Ecclesiâ, vel in omni vitâ « humanâ, quisquis se vult videri quod non est, hypo- « crita est. Simulat enim justum, non exhibet, quia « totum fructum in laude hominum ponit, quam pos- « sunt etiam simulantes percipere, dùm fallunt eos « quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales « ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, « nisi fallaciæ supplicium : ab hominibus autem, in- « quit, Matth. 7, *perceperunt mercedem suam;* rectis- « simèque his dicetur : *Recedite à me, operarii dolosi; « nomen meum habuistis, sed opera mea non fecistis.* « Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob « aliud elemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab « hominibus; non si glorificentur ab hominibus, sed « si ideò faciant ut glorificentur. Laus enim humana « non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè « facientem; ut illi proficiant, qui etiam imitari pos- « sunt quod laudant, non ut hic putet aliquid eos sibi « prodesse, quem laudant. »

Quamvis hypocrisis sit simulatio, non tamen omnis simulatio est hypocrisis, sed solùm illa quâ quis simulat personam alterius, sicut cùm peccator simulat personam justi. Virtuti veritatis directè opponitur; siquidem omnis simulatio mendacium est; nihil enim

refert utrùm quis mentiatur verbo vel facto. Cuilibet autem virtuti indirectè opponitur, quam hypocrita simulare potest, ejusque speciem ludificandis hominibus exhibere.

Quàm grave sit peccatum hypocrisis, et quàm Deo exosum, constat ex sacris litteris, quæ hypocrisim prohibent ac damnant, Ecclesiastici 1 : *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum;* Sapientiæ 1 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum,* id est, hypocritam; Job. 13 : *Ipse erit Salvator meus; non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita*; quæ verba S. Gregorius expendens, lib. 11 Moralium, cap. 18, observat nos duobus modis in conspectu Domini venire. Primò, cùm hìc peccata nostra perpendentes, in ejus nos conspectu punimus, et flendo dijudicamus. Secundò, cùm in extremo judicio ante tribunal ejus sistemur. « Hypocrita igitur per examen ultimum ante « conspectum Judicis venit; sed quia modò culpas suas « considerare ac deflere dissimulat, in conspectu Do« mini venire recusat. Sicut enim justi viri, cùm dis« trictionem venturi Judicis contemplantur, peccata « sua ad memoriam reducunt, deflent quod commise« runt, et districtè se judicant, ne judicentur; ita hy« pocritæ quò exterius hominibus placent, eò se inte« riùs aspicere negligunt; totosque se in verbis proxi« morum fundunt; et sanctos se esse æstimant, quia « sic se haberi ab hominibus pensant. Cùmque men« tem per verba suæ laudis sparserint, nunquàm hanc « ad cognitionem reducunt culpæ, nunquàm conside« rant ubi internum judicem offendant; nihil de ejus « districtione metuunt, quia sic se placuisse ei, sicut « hominibus credunt. Qui si terrorem ejus ad mentem « reducerent, hoc ipsum quòd in malâ intentione po« siti placent hominibus, plus timerent. Benè itaque « dicitur : *Non enim veniet in conspectu ejus omnis hy« pocrita*, quia districtionem Dei antè oculos non « ponit, dùm placere humanis oculis concupiscit. Qui, « si mentem suam discutiens, semetipsum in con« spectu Dei poneret, profectò jam hypocrita non « esset. »

Hypocrisim omninò fugiendam ut exitiale christianæ vitæ malum, docet Christus, Matthæi cap. 6 : *Attendite,* inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam... Cùm autem jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.*

Convenienter hos nominat hypocritas, qui eleemosynam erogant ut videantur et laudentur ab hominibus. Est quippe facies ipsa miserentium, mens verò inhumanorum atque crudelium, inquit S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 19 in Matthæum; non enim erogant ut miseriæ proximorum succurrant, sed ut ipsi delectatione gloriæ pascantur. « Non ergo tantum« modò dedisse eleemosynam, sed quemadmodum « oportet dedisse, et propter hoc dedisse, virtus est. « Quænam verò dementia est, cum qui à Deo merce« dem operis efflagitet, Deo etiam vidente, ad spectan« dum ipsum opus homines advocare? Si enim ostenta« re nos volumus, Patri ante omnia nos studeamus « ostendere, qui et coronandi nos habet potestatem, « et muletandi. Et certè etiam si futuri præmii damna « non essent, tamen gloriæ cupidos non decebat divi« num spectaculum relinquentes, malle oculis placere « mortalium. Cujus enim stoliditatis est, ut ad spec« tandas virtutes ejus rege properante, illum quidem « relinquat ac negligat, ab egenis verò atque mendi« cis spectari velit, ab eisque potiùs laudem requi« rat? » Convenienter etiam hypocritas vocat qui orant ut ab hominibus videantur. Non enim orantium, sed ridiculorum prorsùs hominum personam gerunt. « Qui « enim ad supplicandum paratur, omnibus relictis il« lum intuetur unum, qui habet donandi quod petitur « potestatem. Si verò istum relinquens, per diversa « errabundus vageris, et ubique oculos mentemque « circumferas, post longissimas preces vacuis profectò « manibus abscedes; hoc quippe ipse voluisti. Propte« rea non dixi : Tales non recipient mercedem suam; « sed : *Receperunt*, inquit, ab his tamen duntaxat à « quibus etiam concupiscunt. Neque enim hoc voluit « Deus, qui certè eam, quæ ab ipso est, vult tribuere « mercedem; illi verò eam quæ est ab hominibus re« quirentes, nequaquàm jam ab illo merentur acci« pere, propter quem nihil omninò fecerunt. » Hypocritas denique vocat, qui exterminant facies suas, ut videantur hominibus jejunantes, quia id quod sunt non exhibent hominum oculis, sed sub alienâ latentes personâ, velut in theatro, ipsis imponunt. Hoc igitur in virtutis ratione considerandum, inquit S. Joannes Chrysostomus, « ut eam neque propter alios appetas, « neque propter homines obedias Deo, sed propter « Deum potiùs hominibus. Alioqui si virtutem etiam « videaris sequi, nihilominùs similis non sequenti, « Deum in iracundiam concitâsti. Sicut enim ille non « faciendo inobediens fuit, ita tu non rectè faciendo. »

Jubet Christus, ut *te faciente eleemosynam*, vel aliud quodvis bonum opus, *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua;* id est, ne facias sicut hypocritæ, qui ita faciunt, ut laudes hominum quærant. Sinistra igitur significat *ipsam delectationem laudis;* dextera autem, *intentionem implendi præcepta divina.* « Cùm itaque « conscientiæ facienti eleemosynam miscet se appe« titio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dex« teræ... Sit ergo eleemosyna tua in ipsâ conscientiâ « tuâ, ubi multi eleemosynam faciunt bonâ voluntate, « etiamsi pecuniam, vel si quid aliud quod inopi lar« giendum est, non habent. Multi autem foris faciunt,

« et intùs non faciunt, qui vel ambitione, vel alicujus « rei temporalis gratiâ, volunt misericordes videri, in « quibus sola sinistra operari existimanda est. Item « alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut et intentione quæ in Deum est eleemosynam faciant, et tamen inserat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis, vel cujusque rei fragilis et temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multò vehementiùs « prohibet solam sinistram in nobis operari, quando « etiam misceri eam vetat operibus dexteræ; ut scilicet non modò solâ temporalium rerum cupiditate « caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc « opere attendamus Deum, ut sese misceat vel adjungat extèriorum appetitio commodorum. Agitur enim « de corde mundando, quòd nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex autem quomodò erit, si duobus dominis servit, nec unâ intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium « quoque fragiliumque rerum amore obnubilat? » Ita S. Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 2: « Pertinet ergo ad oculum mundum non intueri « in rectè faciendo laudes hominum, et ad eas referre « quod rectè facis, id est, propterea rectè facere ali- « quid, ut hominibus placeas. Sic enim etiam simulare « bonum libebit, si non attenditur nisi ut laudet, qui « quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa « laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex, « id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas « laudes, et illum solum intuetur cùm rectè vivit, et « ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector « est. De cujus conscientiæ puritate quidquid procedit, « tantò est laudabilius, quantò humanas laudes minùs « desiderat... *Cavete ergo*, inquit, *facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis;* id est, « cavete hoc animo justè vivere, et ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines. » Cùm enim antea dixerit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*, non hic putandus est prohibuisse ne rectè fiat coram hominibus, sed ne ob id fortè rectè fiat coram hominibus ut videamur ab eis, id est, *ut hoc intueamur, et ibi finem nostri propositi collocemus.* Sic et Apostolus dicit, Gal. 1 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem :* Cùm, 1 Cor. 10, dicat : *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo.* Quod qui non intelligunt, contrarium putant; cùm ille se dixerit non placere hominibus, « quia non ideò rectè faciebat ut placeret hominibus, « sed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum vole- « bat convertere, eo ipso quo placebat hominibus. « Itaque et non se placere hominibus rectè dicebat, « quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur : et pla- « cendum esse hominibus rectè præcipiebat, non ut « hoc appeteretur tanquàm merces rectè factorum; « sed quia Deo placere non posset, qui non se iis quos « salvos fieri vellet præberet imitandum; imitari au- « tem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam « potest. Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui dicet : In hâc operâ quâ navem quæro, non navem « quæro, sed patriam; sic et Apostolus convenienter « diceret : In hâc operâ quâ hominibus placeo, *non « hominibus, sed Deo placeo;* quia non hoc appeto, sed « ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri volo. « Sicut dicit de oblatione quæ fit in sanctos : *Non quia « quæro datum, sed inquiro fructum*, Philipp. 4; id est, « quod quæro datum vestrum, non hoc quæro, sed « fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere potè- « rat, quantùm profecissent in Deum, cùm id libenter « offerrent, quod non propter gaudium de muneribus, « sed propter communionem charitatis ab eis quære- « batur. »

Ab hypocrisi cavere jubet iterùm Christus, Lucæ 12 : *Attendite*, inquit, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Sicut enim fermentum totam cui injicitur farinæ massam corrumpit, ita *simulatio, cujus semel animum imbuerit, totâ virtutum sinceritate et veritate fraudabit*, inquit venerabilis Beda.

Denique Matthæi 23, hypocritas octuplici maledictione ferit Salvator : *Væ vobis*, inquit, *Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium; væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : quicumque juraverit per templum, nihil est : quicumque autem juraverit in auro templi, debet..... Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis; intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ; sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi; intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum..... Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?* Ex omni peccatorum genere nullos vehementiùs et acriùs objurgavit Salvator noster, quàm hypocritas. « Omnes « enim qui perperàm agunt, supplicio digni sunt; qui « verò simulatione bonitatis ad improbitatem tendit, « multò graviori pœnâ omninò afficiendus; » inquit S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 74, in Matthæum.

S. Petrus Chrysologus, sermone 7, hypocrisis malitiam sic describit : « Hypocrisis subtile malum, se-

« cretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea « sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, ar- « mis suis pugnant, impugnant palam; unde et ca- « ventur tam facilè quàm videntur. Hypocrisis secura « simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, et crudeli « arte virtutes truncat mucrone virtutum; jejunio je- « junium perimit, oratione orationem evacuat, misc- « ricordiam miseratione prosternit... Fratres, fugien- « dum est virus, pestilentia cavenda, quæ de remediis « creat morbos, conficit de medicinâ languorem, san- « ctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, « generat de propitiatione discrimen. Hypocrisim qui « fugerit, vincit; qui incurrerit, cadit..... Thesaurum « qui non abscondit, prodit. Virtutes proditæ non ma- « nebunt..... Ergo jejunium quod contra vitia prima « virtus est nobis, in arce pectoris collocetur..... Fa- « cies mœrore dejecta invitat famam, non jejunium « voluntarium profitetur. Si vult, quare tristis? Si non « vult, jejunus quare? Meritò tali pœnâ vivit, qui sibi « facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de « mercede stipendium, de remissione peccatum. Agri- « cola si non impresserit cultrum, si sulcum non de- « foderit, si non exciderit sentes, si gramina non evul- « serit, si in tuto semina non locârit; sibi mentitur, « non terræ; nec terræ facit damnum, sed sibi non « facit fructum : et ita se vacuat, ita decipit, impu- « gnat ita, qui terræ manu fallaci mentitur. Quid fa- « ciet, quid habebit, quid inveniet, qui Deo, esuriente « carne, hypocrisi luxuriante mentitur? »

Regula prima. Hypocrisis mortale peccatum est, cùm aliquis *non curat sanctitatem habere, sed solùm sanctus apparere*, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 111, a. 4.

His convenit illud Davidis oraculum, Psalm. 52 : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent : Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Et illud Apostoli 2 ad Timoth. 3 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Hi christianæ religionis spiritum, verumque Dei cultum, quantùm in ipsis est, moribus suis evertunt. Cùm enim Christus, Joannis 4 dicat : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* hypocritæ non spiritu, sed solo corporis habitu Deum colunt et adorant. Cùm nos *renovari spiritu mentis nostræ*, Ephes. 4, Deus per Apostolum suum jubeat, *et induere novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis;* hypocritæ de internâ illâ et spirituali renovatione nihil omninò curant, sed adumbratæ sanctitatis et justitiæ fuco hominibus imponere gestiunt. Solâ specie externâ Christiani sunt, seu, quod idem est, sancti; *vocatis sanctis.* Non vivit in illis *absconditus cordis homo, in incorruptibilitate modesti et quieti spiritûs, qui est in conspectu Dei locuples*, 1 Petri 3. Non habent *viscera misericordiæ*, non *illuminatos oculos cordis*, Coloss. 3; non *aures audiendi*, Ephes. 1, quibus Dei verbum percipiant. Mortui sunt, et vivere videntur, secundùm illud Apocal. 3 : *Nomen habes quòd vivas, et mortuus es.* De his prophetavit Isaias, cap. 29 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longè est à me*, Matth. 15, ut Christus interpretatur. Similitudinem templi exteriùs hominum oculis objiciunt, cùm interiùs crocodilum, canem, felem, vitulum, aut aliud brutum animal, Ægyptiorum templorum instar, abscondant, id est, vitia et cupiditates pravas illorum animalium symbolis significatas. Dei autem vivi templa esse non curant; cùm tamen interior cultus sit christianæ religionis anima, ut præclarè Minutius Felix, in Octavio, edisserit : « Nonne me- « liùs, inquit, in nostrâ dedicandus est mente? in no- « stro imo consecrandus est pectore?.... Cùm sit lita- « bilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera « sententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino sup- « plicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus ab- « stinet, propitiat Deum; qui hominem periculo sur- « ripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, « hæc Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, « qui justior. » Et infra : *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus.* Quanta sit hypocritarum cæcitas, S. Augustinus ostendit in expositione epistolæ ad Galatas, cap. 6 : « Quid, inquit, istâ cæcitate tenebrosius, ad obtinen- « dam inanissimam gloriam errorem hominis aucu- « pari, et Deum testem in corde contemnere? Quasi « verò ullo modo comparandus sit error illius qui te « bonum putat, errori tuo qui homini de falso « bono placere studes, de vero malo displices « Deo. »

Regula II. — Hypocrisis mortale peccatum est, cùm quis simulat sanctitatem propter finem repugnantem charitati Dei vel proximi. — Verbi gratiâ, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Ita S. Thomas loco supra laudato. De his qui personam sanctitatis assumunt ut errores spargant, aut schisma faciant ait Christus, Matth. 7 : *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Et S. Paulus, 1 ad Timoth. 4 : *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, etc.

Regula III. — Qui simulat sanctitatem ob finem non repugnantem sanctitati, veniale duntaxat hypocrisis peccatum committit. — Tales sunt hypocritæ, qui sanctitatem simulant, quia fictione ipsâ delectantur. *Contingit* etiam quandoque ut aliquis simulet *perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis, et talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali;* inquit S. Thomas ibidem.

Regula IV. — Mortale peccatum hypocrisis committunt, qui in minimis anxiè religiosi sunt, de gravioribus autem nequaquàm solliciti. — Tales erant Pharisæi, qui decimas vilissimorum etiam olerum studiosissimè persolvebant, ut legis observatores religiosissimi viderentur, et graviora legis præcepta, scilicet judicium sive justitiam, misericordiam, fidem, citra ullum conscientiæ stimulum violabant. Tales sunt Pharisaicis hisce temporibus Christiani plerique, qui

certa pietatis exercitia omittere ducerent religioni, verbi gratiâ, gestationem scapularis, recitationem rosarii, auditionem missæ profestis diebus, etc., et religioni non ducunt detrahere famæ proximi, mendacia et perjuria in venditionibus et emptionibus ex habitu committere, divitiis congerendis toto studio intendere; viscera sua, crumenasque pauperibus claudere. Hi sensibus, non malitiâ parvuli sunt, cùm Apostolus dicat, 1 Cor. 14 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote; sensibus autem perfecti estote.* Illi autem pueros imitantur, non innocentiâ et simplicitate, sed sensibus, siquidem minimis inhærent, rebus autem magnis non æquè afficiuntur. Tales sunt ecclesiastici quidam viri, qui modestiam habitûs et capillorum secundùm canones accuratè observant : et plura beneficia sine ullo conscientiæ stimulo congerunt, mansionis seu residentiæ in iisdem leges non curant, bonorum ecclesiasticorum reditus sibi attributos, hæredibus servant, ditandisve propinquis impendunt, pauperibus, quorum sunt patrimonia, ingemiscentibus : et canonum tamen religiosi observatores videri volunt. Tales sunt monachi nonnulli, qui regularium observantiarum minutias prætermittere religioni ducerent, et christianam humilitatem, fraternam charitatem, obedientiam, pacem violare ac perturbare non verentur. De quibus S. Bernardus in Apologiâ ad Guillelmum abbatem, cap. 5 : « *Regnum Dei*, inquit, *intra vos est*, Luc. 17; hoc est, non exteriùs, in vestimentis aut alimentis « corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Unde « Apostolus, Rom. 14 : *Regnum Dei non est esca et « potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Et rursùs, 1 Cor. 4 : *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute.* De corporalibus itaque observantiis fratribus calumniam struitis; et quæ majora « sunt regulæ, spiritualia scilicet instituta relinquitis, « camelumque glutientes, culicem liquatis. Magna abusio! Maxima cura est, ut corpus regulariter induatur, « et contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cùm tanto studio et tunica et cuculla corpori « procurentur, quatenùs cui decrunt, monachus non « putetur; cur similiter spiritui pietas et humilitas, « quæ profectò spiritualia indumenta sunt, non provi« dentur? Tunicati et elati abhorremus pellicias, tan« quàm non melior sit pellibus involuta humilitas, « quàm tunicata superbia... Repleti deinde ventrem « fabâ, mentem superbiâ, cibis damnamus saginatos, « quasi non melius sit exiguo sagimine ad usum vesci, « quàm ventoso legumine usque ad ructum exsaturari.... Sed et satius est modico vino uti propter infir « mitatem, quàm multâ aquâ ingurgitari propter avi « ditatem.... Jam verò de labore manuum quid gloria « mini, cùm et Martha laborans increpata, et Maria « quiescens laudata sit, et Paulus apertè dicat, 1 Timoth. 4 : *Labor corporis ad modicum valet, pietas « autem ad omnia....* Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda sint; inquit ille, cap. 6; aut qui se « illis non exercuerit, mox spiritualis efficiatur, cùm « potiùs spiritualia, quanquàm meliora, nisi per ista « aut vix, aut nullatenùs vel acquirantur vel obtinean-

tur..... Optimus autem ille qui discretè et congruè et « hæc operatur et illa. »

Regula V. — Hypocrisis lethale peccatum committunt, qui omnia sua, et præsertim pietatis opera ad hominum gratiam laudemque captandam, et ad inanem gloriam referunt. — Ut enim ait S. Thomas, 2-2, quæst. 111, a. 2 : « Opus exterius naturaliter signifi« cat intentionem. Quando ergo aliquis per bona opera « quæ facit ex suo genere ad Dei servitium pertinen« tia, non quærit Deo placere, sed hominibus, simulat « rectam intentionem quam non habet. » Unde S. Gregorius dicit lib. 31 Moralium, cap. 8. « Hypocritæ per « causas Dei deserviunt intentioni sæculi; quia per « ipsa quoque quæ se agere sancta ostendunt, non « conversionem quærunt hominum, sed auras favo« rum. » Et ita *simulant mendaciter intentionem rectam quam non habent*, inquit S. Thom., *quamvis non simulent aliquod rectum opus, quod non agunt.*

Regula VI. — Qui habitum sanctitatis assumit, intendens se ad statum perfectionis transferre, si per infirmitatem deficiat, non est simulator vel hypocrita; quia non tenetur manifestare suum peccatum, sanctitatis habitum deponendo, vestem scilicet clericalem aut monasticam. *Si autem ad hoc sanctitatis habitum assumeret, ut se justum ostentaret, esset hypocrita et simulator.*

Ita S. Thomas ibidem, ad secundum.

Regula VII. — Hypocrisis gravius peccatum est, cæteris paribus, iis quæ palam committuntur. — Ita docent S. Hieronymus, commentario in Isaiæ, cap. 6 : « Si præbeo, inquit, eleemosynam ut glorificer ab ho« minibus, recepi mercedem meam, et mercenarius « appellandus sum. Si castum esse me simulo, et aliud « est in conscientiâ meâ, habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione « duorum malorum, levius est apertè peccare quàm « simulare et fingere sanctitatem. » S. Augustinus, Enarratione in psalmum 63 : *Simulata*, inquit, *innocentia non est innocentia : simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia et iniquitas est, et simulatio.* Et sermone 355, aliàs de Diversis 49 : *Nolo habere hypocritas. Malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum.* S. Leo sermone 5 de Passione Domini, ubi de Judâ sic loquitur : « Meritò, « sicut et propheta prædixerat, oratio ejus facta est in « peccatum; quoniam consummato scelere tam per « versa impii conversio fuit, ut etiam pœnitendo pec« caret. » S. Bernardus, in Apologiâ ad Guillelmum abbatem, cap. 1 : « Quis, inquit, magis impius, an « profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? « Nonne is qui etiam mendacium addens, geminat im« pietatem? »

Regula VIII. — Christiana pietas interior simul et exterior esse debet. — Ut enim psalm. 44 dicitur : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intùs; in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quæ verba expendens auctor commentarii in libros Regum, inter opera S. Gregorii editi, lib. 6, cap. 15 : « Quis est, « inquit, quòd omnis gloria intùs esse perhibetur, nisi « quia et illa quæ foris est gloria cum aliis innumeris

« intùs esse cognoscitur? Aurea enim virginitas non « est si foris est, et intùs non est. Quia ergo intùs et « foris est, quia eadem splendet in corpore, eadem « fulget in mente; omnis gloria filiæ regum intùs esse « sentiri convenienter potest. Omnis gloria ejus intùs « est, quia foris sola, intùs sola non est. Quia enim « multæ sunt virtutum claritates in mente virginis, « sic virgineus splendor asseritur, ut intùs omnis glo- « ria prædicetur. » Idem docet Apostolus ad Rom. 11 : *Providentes bona*, inquit, *non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, oratione in funere sororis suæ Gorgoniæ, veram illius virtutem his verbis prædicat : « Quod « præclarissimum est, non magis optima videri, quàm « revera esse studebat; quin potiùs in abscondito, « apud eum qui abscondita intuetur, pietatem lucu- « lenter excolebat. » Hinc Tertullianus, lib. de Pal- « lio, ait : « Etsi eloquium quiescat, nam elinguis « philosophia vitâ contenta est, ipse habitus sonat. « Sic denique auditur philosophus dum videtur. De « occursu meo vitia suffundo..... Grande pallii bene- « ficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel « erubescunt. »

### Articulus XVIII.

*De contentione, quartâ inanis gloriæ filiâ.*

Contentio est *impugnatio veritatis cum confidentiâ clamoris*. Ex genere suo mortale peccatum est. Ab Apostolo enim inter peccata à regno Dei excludentia non semel recensetur. Ad Romanos 1, loquens de philosophis, quos *tradidit* Deus *in reprobum sensum*, ait illos fuisse *repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate*. Et cap. 2 : *Iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio*. Et 2 ad Corinthios 12 : *Ne fortè contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos*. Et ad Galatas 5 : *Contentiones* numerat inter *opera carnis*, quæ qui agunt, *regnum Dei non consequentur*. Et ad Philippenses 2 contentionem et inanem gloriam Christianis prohibet : *Nihil*, inquit, *per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Item 1 ad Corinthios 11 : *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos non habemus talem consuetudinem, neque Ecclesia Dei*. Et cap. 3 ejusdem Epistolæ : *Cùm sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundùm hominem ambulatis?* Denique 2 ad Timotheum 5 : *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*.

Contentionis fontem, scilicet superbiam, indigitat S. Augustinus, et quàm perniciosæ sint contentiones declarat, lib. 12 Confessionum, cap. 25 : « Nemo, « inquit, mihi jam molestus sit dicendo mihi : Non « hoc sensit Moyses quod tu dicis; sed hoc sensit « quod ego dico..... O vita pauperum, Deus meus! in « cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitiga- « tiones in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi « hoc dicunt, quia divini sunt, et in corde famuli tui « viderunt quod dicunt, sed quia superbi sunt; nec « noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non « quia vera est, sed quia sua est. Alioquin et aliam « veram pariter amarent, sicut ego amo quod dicunt, « quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed « quia verum est. Si autem ideò ament illud quia ve- « rum est, jam et ipsorum est et meum est; quoniam in « commune omnium est veritatis amatorum. Illud au- « tem quod contendunt non hoc sensisse Moysen quod « ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo; quia « et si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, « sed audaciæ est, nec visus sed typhus eam peperit. »

Regula prima. — Contentio lethale peccatum est, *secundùm quod importat impugnationem veritatis, et inordinatum modum*, nec *personis scilicet*, nec *negotiis* convenientem; ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 38, a. 1 : Peccat, inquam, mortaliter quisquis veritatem fidei, vel moralis ac disciplinæ christianæ contentionis animo impugnat, sive perspecta sit illi et explorata; sive falsitatem esse existimet levibus et fallacibus argumentis ductus. Tales sunt hæretici omnes, qui catholicæ fidei inconcussa dogmata, quorum veritatem cognoscere possunt et debent, totis viribus impugnant. Tales et catholici quidam, qui nonnulla sanioris moralis capita, suis cupiditatibus contraria, de industriâ impugnant.

Regula II. — Qui in re gravi, puta, in quæstione fidei, vel moralis christianæ, verbi gratiâ, an simplex fornicatio sit naturæ lege prohibita, an fœnerari divitibus sit peccatum; vel pietatem spectante, qualis est quæstio de immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione, de confraternitatum utilitate, de indulgentiarum usu, ita verbis contendit, ut ex ejus contentione audientium subversio probabiliter consequi possit, aut reverà consequatur; et quod certum est in dubium veniat; aut audientes scandalum patiantur; lethaliter peccat. Ita S. Thomas, lectione 3 in cap. 2 Epistolæ 2 ad Timotheum; et 2-2, quæstione et articulo supra laudatis. Idque probat ex Apostolo dicente : *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*. Hinc idem Apostolus 1 ad Timotheum 6 scribit : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini Jesu Christi, et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem*. Et S. Jacobus, Epistolæ suæ catholicæ cap. 3 : *Quòd si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris; nolite gloriari et mendaces esse adversùs veritatem. Non est enim ista sapientia desursùm descendens, sed terrena, animalis, diabolica; ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum*.

Hinc Tertullianus, lib. *de Præscriptionibus Hæreticorum*, cap. 17, ostendens quàm periculosa sit, nedùm infructuosa contra hæreticos Scripturas sacras non recipientes, vel adulterantes, disputatio coram infir-

mis, ait : « Necessariò nolunt agnoscere ea per quæ « revincuntur; his nituntur quæ ex falso composue- « runt, et quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promo- « vebis, exercitatissime Scripturarum, cùm si quid « defenderis, negetur : ex adverso si quid negaveris, « defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem « in contentione; nihil consequeris nisi bilem de « blasphematione. Ille verò, si quis est cujus causâ in « congressum descendis Scripturarum, ut eum dubi- « tantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hære- « ses deverget? Hoc ipso motus, quòd te videat nihil « promovisse, æquo gradu negandi et defendendi ad- « versâ parte, statu certè pari, altercatione incertior « discedet, nesciens quam hæresim judicet. »

Regula III. — Lethale contentionis peccatum incurrunt improbi litigatores, causidici, procuratores, qui causam injustam dolis, clamoribus tergiversationibus obtinere, imò potiùs extorquere nituntur. — Hæc regula colligitur ex S. Thomâ loco supra laudato, in responsione ad tertium, dicente : « Secundùm completam « rationem contentionis, prout est peccatum mortale, « ille in judicio contendit, qui impugnat veritatem « justitiæ · et in disputatione contendit, qui intendit « impugnare veritatem doctrinæ. Et secundùm hoc « Catholici non contendunt contra hæreticos, sed po- « tius è converso. »

Regula IV. — Lethali contentionis peccato se inficiunt, qui in disputatione quâvis, aut litis prosecutione, verbis improperii disceptant, quibus charitas proximo debita graviter læditur, ejusque fama proscinditur, cùm optimis tantùm rationibus veritatem, aut causæ merita in lucem proferre ac tueri deberent. Hæc regula colligitur ex S. Thomâ, lectione 3 in cap. 2 Epistolæ 2 ad Timotheum.

Regula V. — Contentio, quæ est impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ, est laudabilis. Si autem accipiatur contentio secundùm quòd importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale; nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quòd ex hoc generetur scandalum aliorum. — Hæc regula ipsis S. Thomæ verbis concepta est, 2-2, quæstione et articulo supra laudatis. Et confirmatur ex responsione ad tertium. *Si accipiatur*, inquit, *contentio in judicio vel disputatione secundum imperfectam rationem, scilicet secundum quod importat quamdam acrimoniam locutionis, sic non semper est peccatum mortale.* Imò nullum quandoque peccatum est, secundùm illud S. Augustini tractatu 7 in epistolam 1 S. Joannis : « Dilige, et quod vis fac; sive taceas, di- « lectione taceas; sive clames, dilectione clames; si- « ve emendes, dilectione emendes; sive parcas, di- « lectione parcas. Radix sit intùs dilectionis, non po- « test de istâ radice nisi bonum existere. »

Regula VI. — Contentio de re de quâ non est contendendum, veniale saltem peccatum est. — Contentio enim hujusmodi est inordinata et perversa. Talis fuit Apostolorum contentio, Luc 22 : *Facta est et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* In discipulis autem Christi, ut observat S. Thomas, quæstione et articulo supra laudatis, in responsione ad primum, « non erat contentio cum intentione im- « pugnandi veritatem; quia unusquisque defendebat « quod sibi verum videbatur. Erat tamen in eorum « contentione inordinatio, quia contendebant de quo « non erat contendendum, scilicet de primatu hono- « ris. Nondùm enim erant spirituales. Unde et Domi- « nus consequenter eos compescuit. » Graviùs certè peccabant prædicatores illi qui, S. Paulo in vinculis propter Evangelii veritatem detento, æmulationis et contentionis animo Christum et ipsi prædicabant, existimantes se majus periculum Apostolo creare, ut ipse testatur ad Philipp. 1 : *Quidam autem*, inquit, *ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Hi certè « reprehensibiles erant, inquit S. Tho- « mas, quia quamvis non impugnarent veritatem fi- « dei, sed eam prædicarent, impugnabant tamen veri- « tatem quantùm ad hoc, quòd putabant se suscitare « pressuram Apostolo veritatem sibi prædicanti. Unde « Apostolus non gaudebat de eorum contentione, sed « de fructu qui ex hoc proveniebat, scilicet quòd « Christus annuntiabatur; quia ex malis etiam occa- « sionaliter subsequuntur bona. »

Regula VII. — Disputationes ad illustrandam et explicandam veritatem minimè susceptæ et peractæ, sed solo studio vincendi adversarios, et gloriæ captandæ, contentiones sunt et peccata. — Hinc Apostolus 2 ad Timotheum 2 scribit : *Stultas et sine disciplinâ quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, et cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati.* Hinc dialecticam, quatenùs eâ sophistæ abutuntur, Tertullianus, lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, cap. 7, *in argumentis operariam contentionum* vocat. Et lib. de Animâ, cap. 18 : *Philosophicas argutias vocat tormenta cruciandæ simplicitatis, et suspendendæ veritatis.* Hinc S. Augustinus, lib. 4 de Doctrinâ Christianâ, cap. 28 : « Verbis, inquit, contendere non est curare « quomodò error veritate vincatur, sed quomodò tua « dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non « verbis contendit, id agit verbis ut veritas pateat, ve- « ritas placeat, veritas moveat; quoniam nec ipsa quæ « præcepti finis et plenitudo legis est charitas, ullo « modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non « vera, sed falsa sunt. »

Regula VIII. — Molesta et plena contentionis negotia vir christianus declinare debet quantùm potest. — Hanc regulam tradit S. Ambrosius, epistolâ 63 ad Vercellensem Ecclesiam : « Quoniam, inquit, nemo « potest esse sine aliquibus adversis, id agamus, ne « nobis nostro vitio adversa accidant. Nemo enim gra- « viùs alieno condemnatur judicio, quàm insipiens « suo, qui sibi auctor est malorum. Unde molesta et « plena contentionis declinemus negotia, quæ neque « fructum habent et impedimentum afferunt. Quan-

« quàm id agere debemus, ne nos arbitrii nostri pœ-
« niteat, aut facti. Prudentis est enim prospicere, ne
« frequenter eum pœniteat sui; nunquàm enim pœni-
« tere solius est Dei. Quis verò justitiæ fructus, nisi
« mentis tranquillitas? Aut quid est justè vivere, nisi
« cum tranquillitate vivere? »

ARTICULUS XIX.

*De pertinaciâ, quintâ inanis gloriæ filiâ.*

Pertinacia *vitium est ex inani gloriâ ortum, quo quis repudiatâ meliore et æquiore sententiâ, de suâ, licet falsâ et iniquâ, nullâ ratione dimoveri potest.* Hic proprius est hæreticorum character, de quibus S. Hieronymus in fine dialogi adversùs Luciferianos, ait : *Faciliùs eos vinci posse, quàm persuaderi.* Hinc S. Augustinus, lib. 3 de Animâ et ejus origine, cap. 15 : *Hæc*, inquit, *si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones esse enumerantur.* Et lib. 3 contra Cresconium Grammaticum, cap. 3 : « Sicut laudabile « est à verâ sententiâ non moveri, ita culpabile per-« sistere in falsâ; quam nunquàm tenere prima laus « est, secunda mutare; ut aut ex initio vera perma-« neat, aut mutatâ falsâ vera succedat. »

Pertinacia perseverantiæ opponitur. *Pertinaces enim perseverant in propriâ sententiâ plus quàm oportet; perseverans secundùm quòd oportet*, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 138, a. 2. *Ideò autem aliquis nimis persistit in propriâ sententiâ, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare.* Unde *oritur ex inani gloriâ, sicut ex causâ.*

REGULA I. — Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei, resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. — Hic enim propriè hæreticus est, ut docet S. Augustinus, lib. 4 de Baptismo contra Donatistas, cap. 16, et lib. 2, cap. 5 : « Ideò, inquit, plerùmque doctioribus mi-« nus aliquid revelatur, ut eorum patiens et humilis « charitas, in quæ fructus major est, comprobetur, vel « quomodò teneant unitatem, cùm in rebus obscuris « diversa sentiunt, vel quomodò accipiant veritatem, « cùm contra id quod sentiebant, declaratam esse co-« gnoscunt.... » Et infra : « Homines sumus. Unde ali-« quid aliter sapere quàm res se habet, humana ten-« tatio est. Nimis autem amando sententiam suam, « vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ com-« munionis et condendi schismatis vel hæresis sacrile-« gium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo « autem aliter sapere quàm res se habet, angelica per-« fectio est. Quia itaque homines sumus, sed spe an-« geli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri « sumus, quamdiù perfectionem angeli non habemus, « præsumptionem diaboli non habeamus. »

REGULA II. — Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis Ecclesiæ, summi pontificis, aut episcopi cujuslibet catholici, in suâ diœcesi, judicio et mandato, propositiones catholicæ fidei, vel christianæ morum disciplinæ, pietati, ecclesiasticæ hierarchiæ, aut paci contrarias, vel piarum aurium quovis modo offensivas, aut scandalum moventes; seu verbis tenus assertas in scholis, concionibus, publicis disputationibus, privatisve congressibus; seu litteris consignatas, ejurare, retractare, ac emendare noluerit. — Hâc enim pertinaciâ charitas Dei, qui prima veritas est, et charitas proximi graviter læduntur. « Nam nimis perversè se « ipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus « lateat. Quantò enim melius et utilius, ut ubi ipse er-« ravit, alii non errent, quorum admonitu errore ca-« reat! quod si noluerit, saltem comites erroris non « habeat, » inquit S. Augustinus, epistolâ 143, aliàs 7, ad Marcellinum. Et infra : « Illius scripta summâ sunt « auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod « revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. « Hoc quisquis nondùm est assecutus, secundas ha-« beat partes modestiæ, quia primas non potuit habe-« re sapientiæ; quia non valuit omnia non pœnitenda « diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda « non fuisse. »

REGULA III. — Pertinacia lethale peccatum est, cùm quispiam Scripturarum Divinarum auctoritati rationes quascumque non summittit; aut certæ ac evidenti rationi Scripturæ Sacræ præter Ecclesiæ sensum intellectæ auctoritatem studiosè opponit. — Ut enim ait S. Augustinus, epistolâ mox laudatâ, « si ratio contra « divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quam-« libet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse « non potest. Rursùs si manifestissimæ certæque ra-« tioni velut Scripturarum sanctarum objicitur aucto-« ritas, non intelligit qui hoc facit, et non Scriptura-« rum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, « sed suum potiùs objicit veritati; nec quod in eis, sed « quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit. »

REGULA IV. — Pertinacia lethale peccatum est, cùm aliquis propositiones in materiâ fidei et morum, à conciliis, vel ab episcopis, et inprimis à Romano pontifice damnatas propugnat. — His siquidem examen et judicium doctrinarum divinitùs commissum est. Unde qui aliquam ex damnatis Jansenii aut Baii propositionibus, vel ex propositionibus laxiorum casuistarum ab Alexandro VII et Innocentio XI, romanâque et catholicâ Ecclesiâ confixis propugnaret, aut veram esse ac sequendam nihilominùs sentiret, lethalis peccati reus esset. Hinc *majores Ecclesiæ causas, et difficiles quæstiones*, fidem scilicet vel dubiam disciplinam spectantes, *ad Sedem Apostolicam quasi ad caput atque ad apicem episcopatûs referri*, ejusque judicium exspectari, et velut oraculum suscipi, vetus mos obtinuit. Hinc S. Hieronymus, Patrum doctissimus, Damasi pontificis sententiam de unâ vel tribus hypostasibus dicendis rogavit, epistolâ 55 : « Obtestor beatitudinem tuam, « inquit, per Crucifixum, mundi salutem, per *homou-« sion* Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacenda-« rum, sive dicendarum hypostaseon detur auctori-« tas. » Hinc S. Augustinus de Pelagianâ hæresi non solùm in synodis Africæ, verùm etiam Romæ à summis pontificibus Innocentio I et Zosimo damnatâ, ait : *Sedis Apostolicæ rescripta venerunt, causa finita est; utinam et error finiatur.* Hinc S. Anselmus, librum de Fide Trinitatis offerens et dicans Urbano II, pontifici Maximo scribit : « Quoniam divina providentia vestram

« elegit sanctitatem, cui vitam et fidem christianam « custodiendam, et Ecclesiam suam regendam com- « mitteret; ad nullum alium rectiùs refertur, si quid « contra catholicam fidem oritur in Ecclesiâ, ut ejus « auctoritate corrigatur; nec ulli alii tutiùs, si quid « contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus pru- « dentiâ examinetur. » Hinc S. Bernardus, epist. 190 : « Oportet, inquit, ad vestrum referri Apostolatum pe- « ricula quæque et scandala emergentia in regno Dei, « ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum enim « arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi « non possit fides sentire defectum; hæc quippe hujus « prærogativa sedis. » Quamobrem Hincmarus archie- piscopus Remensis in præfatione opusculi de Divortio Lotharii regis et Tethergæ reginæ, scribit : « De om- « nibus dubiis vel obscuris, quæ ad rectæ fidei teno- « rem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana « Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum mater et magistra, « nutrix et doctrix, est consulenda, et ejus salubria « mònita sunt tenenda; maximè ab his qui in illis re- « gionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus « prædicationem omnes in fide genuit, et catholico « lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æter- « nam. » Hinc Ivo Carnotensis episcopus, epist. 8 : *Sedis*, inquit, *Apostolicæ judiciis et constitutionibus obviare, planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Hinc denique conventus Melodunensis Ecclesiæ Gallicanæ, tit. 1 de fidei Professione, ita decrevit : « Ope- « ram dabunt ii quibus hæc cura demandata est, epi- « scopi scilicet et eorum vicarii, ut in omnibus syno- « dis tam diœcesanis quàm provincialibus, omnes et « singuli, tum clerici tum laici, amplectantur et apertâ « professione eam fidem pronuntient, quam sancta « Romana Ecclesia, magistra, columna et firmamen- « tum veritatis, profitetur et colit. Ad hanc enim pro- « pter suam principalitatem necesse est omnes con- « venire Ecclesias. »

Regula V. — Lethalis pertinaciæ reus est quisquis damnationi propositionum aliquarum in materiâ fidei, et in sensu etiam auctoris è cujus libris excerptæ sunt, secundùm formulam ab Apostolicâ Sede et episcopis præscriptam, subscribere recusat. — Is enim sententiam suam nimis amat, eamque præponit et veritati fidei, quam subscriptione suâ apertè profiteri renuit; et obedientiæ quam debet summo pontifici et episcopis subscriptionem jure imperantibus ut omnis hæreseos suspicio eluatur; et ædificationi quam toti debet Ecclesiæ submittendo privatum lumen suum atque opinionem judicio pastorum ipsius, et præsertim Romani pontificis, pastorum omnium unius summique pastoris. Hinc S. Hieronymus, epistolâ 65, adversùs Origenistas hæc habet : « Subscriptionem tergiversantur, quæruntque « suffugia. Alius : Non possum, inquit, damnare quod « nemo damnavit. Alius : Nihil super hoc à Patribus « statutum est; ut dùm totius orbis provocatur aucto- « ritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam « constantiùs : Quomodò damnabimus quos Nicæna « synodus non tetigit? » Et in proœmio dialogi adver- sùs Pelagianos : « Si quis, inquit, falsò se infamari « clamitat, et gloriatur nostra sentire, tunc veræ « fidei probabit assensum, cùm apertè et absque dolo « adversa damnaverit. » Hinc S. Leo, epistolâ 6, aliàs 86, ad Aquileiensem episcopum de Pelagianis scribit : « Damnent apertis professionibus suis superbi « erroris auctores, et quicquid in doctrinâ eorum « universalis Ecclesia exhorruit, detestentur; omnia- « que decreta synodalia, quæ ad excisionem hujus « hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, « amplecti se, et in omnibus approbare, plenis et « apertis, ac propriâ manu subscriptis, protestationi- « bus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, « nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc « istorum esse versutiam, ut in quàcumque particulâ « dogmatis execrandi, quam à damnandorum solidi- « tate discreverint, nihil sibi sensuum suorum æsti- « ment esse non salvum. » Et infra : « Qui correctos « se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, et « obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum « si quisquam salubribus præceptis satisfacere detre- « ctarit, sive ille clericus, sive laicus, ab Ecclesiæ « societate pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti « insidietur alienæ. » Sic actum cum Anatolio, qui Eutychianæ hæreseos in suspicionem venerat, ut constat ex ejusdem pontificis epistolâ 33, aliàs 52 : « Sinceram, inquit, communis fidei professionem « absolutissimâ subscriptione, coram omni clero, et « universâ plebe declaret, Apostolicæ Sedi, et uni- « versis Domini sacerdotibus atque Ecclesiis publican- « dam. » Sic actum cum Attico Presbytero, ut con- stat ex ejusdem sancti pontificis epistolâ 77, aliàs 128, ad Anatolium datâ. His exemplis Alexander VII, pontifex maximus, formulam præscripsit damnationis *quinque propositionum ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus *excerptarum, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per suas constitutiones Sedes Apostolica damnavit;* cui formulæ ab omnibus archiepiscopis, episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici ordinis, tam regularibus quàm sæcularibus, etiam monialibus, doctoribus et licentiatis, collegiorum rectoribus atque magistris subscribi distinctè mandavit, sub pœnis canonicis. Quam subscriptionem absque lethalis pertinaciæ crimine recusare nemo potuit, aut potest.

Regula VI. — Lethalis pertinaciæ reus est, quisquis opinionem erroneam aut minùs probabilem in materiâ morum, veræ et probabiliori anteponit, et secundùm illam agit. — Tunc enim *innititur suæ sententiæ nolens credere sententiæ saniori*, inquit S. Thomas, quæst. 9 de Malo, a. 3, idque in re maximi momenti, et ubi de æternâ salute agitur; consulit cupiditatem suam, non docentem intùs veritatem, aut certè doctores prurientes auribus, à veritate recedentes, et cupiditati blandientes. At Veritas, quæ Christus est, non cupiditas, est consulenda, ut docet S. Augustinus, lib. de Magistro, cap. 11 : « De uni- « versis quæ intelligimus, inquit, non loquentem qui « personat foris, sed intùs ipsi menti præsidentem « consulimus Veritatem, verbis fortassè ut consula-

« mus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, « qui in interiore homine habitare dictus est Christus, « id est, incommutabilis Dei virtus atque æterna sa- « pientia; quam quidem omnis rationalis anima con- « sulit, sed tantùm cuique panditur, quantùm capere « propter propriam sive malam, sive bonam voluntа- « tem potest. Et si quando fallitur, non fit vitio con- « sultæ Veritatis, ut neque hujus, quæ foris est, lucis « vitium est quòd corporei oculi sæpè falluntur; quam « lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas « nobis, quantùm cernere valemus ostendat. »

Regula VII. — Lethalis pertinaciæ reus est, quis- quis in comitiis, conventibus, capitulis, consiliis, ubi de bono Ecclesiæ, reipublicæ, aut societatis cujuslі- bet, spirituali vel temporali deliberatur, et inprimis de eligendo summo pontifice, episcopo, vel superiore quocumque ecclesiastico; aut principe, vel magistra- tu, de condendis legibus vel statutis, de gratiis con- cedendis, aut pœnis irrogandis, æquiorem et sa- niorem sententiam, studio partium, minùs justæ postponit. — Hic enim sententiam suam nimis amare convincitur, qui bono communi, et saniori sententiæ in illud tendenti ipsam præponere non veretur.

Regula VIII. — Veniale tantùm peccatum committit, qui in materiâ levi, nec sibi, alterive perniciosâ, perti- nax est; nisi fortè ratione scandali quod pareret propriæ sententiæ nimius amor, et immobilis in eâ permansio.

### Articulus XX.

*De discordiâ, sextâ filiâ inanis gloriæ.*

Discordia est *dissensio et discrepantia voluntatum circa bonum Dei vel proximi, in quod homo consentire tenetur ex præcepto quo Deum et proximum diligere debet.* Dissensio voluntatum dicitur, non opinionum duntaxat. Possunt enim homines inter se dissentire, et varias in opiniones abire salvo charitatis et con- cordiæ vinculo, nisi hæc dissensio sit circa ea quæ necessaria sunt ad salutem, nempe circa fidem, vel christianam morum disciplinam, vel cum nimiâ perti- nacià conjuncta sit. Dicitur, circa bonum, quia in malo dissentire bonum est. Dicitur Dei vel proximi, quia discordia repugnat charitati, quâ utrumque bo- num diligitur. Additur; in quod homo consentire tenetur, quia non tenetur quilibet amplecti quodlibet bonum, sed illud tantùm quod necessarium est ad salu- tem, non quod est meræ supererogationis, ut theologi eloquuntur. Unde si quis dissentiat ab amico monasticæ vitæ professionem suadente, discordiæ peccatum non committit.

Discordia ex genere suo mortale peccatum est. Apo- stolus enim ad Galatas 5, *dissensiones* numerat inter *opera carnis*, de quibus subdit: *Qui talia agunt, re- gnum Dei non consequentur.* Nihil autem excludit à regno Dei nisi peccatum mortale. Et Proverbiorum 6: *Sex sunt*, inquit Sapiens, *quæ odit Dominus, et septi- mum detestatur anima ejus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad cur- rendum in malum, proferentem mendacia, testem falla- cem, et eum qui seminat inter fratres discordias.* Id confirmat S. Augustinus, Enarratione in psalmum 149: « Si tu, inquit, laudas Dominum, et ego laudo Domi- « num; quare in discordiâ sumus? Charitas laudat « Dominum, discordia blasphemat Dominum. » Et Sermone de Utilitate Jejunii, cap. 8, explicans cur diabolus discordiam inter Christianos serat, dùm concordes sunt inter se Pagani, hæc habet: « Non « præferant nobis quasi concordiam suam, non « sibi tanquàm de unitate suâ placeant. Hostem « quippe quem patimur, illi non patiuntur; illos et « non ista agentes ipse possidet. Videt eos adoratores « falsorum deorum; vidét eos servos et servos dæmo- « niorum; quid illi lucri est, quia litigant, aut quid « damni est quia non litigant? Et unum quamvis, fal- « sum et vanum, sentientes, sibique consentientes, « sic eos possidet. At verò cùm desereretur, et multi « ad unum Deum concurrerent, ejus sacrilega sacra- « menta desererent, templa everterent, idola frange- « rent, sacrificia prohiberent, vidit se perdidisse « quos tenebat, vidit à suâ familiâ recessisse, verum « Deum cognovisse. Quid faceret? quomodò insidiare- « tur? Concordes nos scit quos possidere non possit, « unum Deum nobis dividere non potest, falsos deos « nobis supponere non potest, sentit esse vitam no- « stram charitatem, mortem nostram dissensionem; « lites immisit inter Christianos, quia multos deos « non potuit fabricare Christianis; sectas multiplica- « vit, errores seminavit, hæreses instituit. » Et cap. præcedenti Paganorum concordiam Christianis pudo- rem suffundere debere ostendit. « Pagani, inquit, « admoneant te aliquid de unitate Christi tui. Ecce « nos unum verum ideò invenimus, ut sub uno in « unitate non simus? Multos illi et falsos, nos unum « et verum: et illi sub multis non habent divisionem, « nos sub uno vero non tenemus unitatem. Non doles, « non gemis, non erubescis?... Audi Dominum tuum « mandatum dantem, ut nos invicem diligamus. Cùm « ex nobis omnibus tanquàm membris corpus sibi « faciat, quod corpus habeat unum caput ipsum Do- « minum et Salvatorem; tu contra divellis te à mem- « bris Christi, non amas unitatem. Non hoc expaves- « ceres in membris tuis? Si distortum digitum haberes, « non ad correctorem digiti tui medicum curreres? « Certè tunc se habet benè corpus tuum, quando sibi « concordant membra tua; tunc diceris sanus, tunc « benè vales. Si autem aliquid in tuo corpore dissen- « tiat ab aliis partibus, quæris qui emendet. Cur ergo « non quæris emendari, ut compagini membrorum « Christi revoceris, et congruas in ipso corpore et tuo: « certè viliores sunt cæteris membris capilli tui. Quid « vilius in corpore tuo capillis tuis? Quid contemptius? « Quid abjectius? Et tamen si malè te tondeat, irasce- « ris tonsori, quia in capillis tuis non servat æqualita- « tem: et tu in membris Christi non tenes unitatem. »

Regula prima. — Per se discordat aliquis à proximo, cùm sciens, et ex intentione dissentit à bono divino, et bono proximi, in quo debet consentire: et hoc est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarieta-

tem ad charitatem, licet primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actûs, sint peccata venialia. — Hæc regula ipsius S. Thomæ verbis concepta est, 2-2, quæst. 37, art. 1.

Regula II. — Cùm intentio aliquorum fertur in aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei vel utilitatem proximi; sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem, discordia tunc est per accidens, id est, præter intentionem contra bonum divinum vel proximi. Et talis discordia non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi conjuncta sit cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur. — Ita S. Thomas ibidem. Talis discordia fuit inter sanctos Paulum et Barnabam, de quâ Actuum 15 S. Lucas scribit : *Post aliquot dies dixit ad Barnabam Paulus : Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodò se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum ut qui discessisset ab eis de Pamphiliâ, et non isset cum eis in opus, non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem.* Hæc, inquam, discordia peccatum non fuit : « Uterque enim intendebat « bonum ; sed uni videbatur hoc esse bonum, alii « illud ; quod ad defectum humanum pertinebat. « Non enim erat talis controversia in his quæ sunt de « necessitate salutis ; quamvis hoc ipsum fuerit ex « divinâ providentiâ ordinatum propter utilitatem inde « consequentem ; » inquit S. Thomas, ibidem in responsione ad tertiam objectionem. Hæc scilicet dissensio consiliorum fuit, ex tenebris humanæ mentis profecta, non animorum. De quâ dissensione S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 34 in Acta : « Exacerbatio, « inquit, non fuerit mala, quando pro talibus unus- « quisque contendit, idque justâ cum ratione. Itaque si « quis illorum exacerbatus, quod suum et quod in suam « gloriam quæsivisset, benè ; si autem uterque volebat « docere et instituere, et hic quidem hanc, ille autem « aliam viam ingressus est ; quale hoc fuerit crimen? « Multa etiam humanâ ratione faciebant, » etc. Et paulò post : « Uter igitur meliùs consuluerit, non est « nostrum pronuntiare, sed quod magna fuerit Dei ordi- « natio, » etc. Et infra : « In hâc quæstione audiendum, « non quòd diversi fuerint in sententiis, sed quòd alter « alteri morem gessit ; unde ex discessione majus bo- « num fuit, et res hinc occasionem sumpsit. Quid igi- « tur? Inimicine inter se discesserunt? Absit. Vides « enim quòd Barnabas postea multùm à Paulo in epi- « stolis celebratur. »

Regula III. — Discordia quandoque est cum peccato unius tantùm, puta, cùm unus vult bonum, cui alius sciens resistit ; quandoque autem est cum peccato utriusque, puta, cùm uterque dissentit à bono alterius, et uterque diligit bonum proprium. — Ita S. Thomas quæstione et articulo supra laudatis. Sic discordia inter hæreticos sive schismaticos et catholicos est cum illorum duntaxat peccato ; volumus enim ut ad fidei catholicæ possessionem et unitatem redeant, cui illi resistunt. Hinc S. Augustinus sermone 359, aliàs de Diversis 91 : « Ecce, inquit, quale consilium « Dominus fratribus dedit dissidentibus, quò concordes « essent, ut carerent cupiditate et continuò implerem- « tur veritate. Inveniamus ergo talem hæreditatem. « Quamdiù loquimur de concordiâ terrenorum fra- « trum, quæ rara est, quæ difficillis est? Loquamur « de illâ fratrum concordiâ, quæ vera esse debet et « potest. Fratres sint christiani omnes, nati ex Deo et « ex visceribus matris Ecclesiæ per Spiritum sanctum ; « habeant et ipsi hæreditatem dandam et non dividen- « dam. Hæreditas eorum Deus ipse est.... In hâc hæ- « reditate concordia custoditur : pro hâc hæreditate « non litigatur. Alia hæreditas litigando acquiritur ; « ista litigando amittitur. Nolentes homines hanc hæ- « reditatem perdere, vitant litigare. Et quandò fortè « videntur litigare, non litigant. Sed fortè videntur « litigare, aut putantur litigare, cùm volunt fratribus « consulere. Videte quàm concors sit eorum litigatio, « quàm pacifica, quàm benigna, quàm justa, quàm fi- « delis. Nam nos litigare videmur cum Donatistis ; sed « non litigamus. Ille enim litigat qui adversario suo « malè vult ; litigat ille qui adversarium suum vult « detrimentum pati, se augmentum ; illi aliquid dece- « dere, sibi accedere. Non sic sumus nos... Volebamus « enim eos cum quibus litigare videbamur, vel adhuc « videmur, acquirere nobiscum, non perdere, ut nos « acquiramur. Denique alia vox nostra est, quàm fuit « fratris illius, qui interpellavit Christum in terrâ am- « bulantem. Nam et nos interpellamus eum in hâc « causâ in cœlo sedentem, et non dicimus : *Domine,* « *dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem ;* sed : « *Dic fratri meo ut teneat mecum hæreditatem.....* Hoc « non est litigare, sed amare. » Sic concionator, vel confessarius, vel quilibet christianus proximum à peccato revocare et liberare satagens, ab ipso peccatore dissentit ; sic medicus ab ægroto lethargico vel phrenetico, ut explicat disertè S. Augustinus, sermone de Utilitate Jejunii, cap. 10 : « Si pater ægrotet senex, « inquit, jam vicinus morti, et adsit illi piè filius ejus « et videat eum medicus lethali et noxio somno premi, « patiens est in senem moriturum propter ipsos paucos « dies quibus hic potest vivere ; stat filius et adest patri « sollicitus ; et cùm audierit medicum dicentem : Iste « homo lethargicus potest esse et inde mori, si per- « mittatur dormire ; si vultis eum vivere, non dormiat ; « illum somnus ille noxius premit, qui et noxius est, « et dulcis est. Filius autem ejus, admonitus à medico, « stat sollicitus, patri molestus, pulsat ; et si pulsatio « ejus vincitur, vellicat ; et si vellicatio nihil agit, pun- « git. Certè molestus est patri : et esset impius, nisi « molestus esset. At ille quem delectat mori, mole- « stum sibi filium tristi aspectu et voce reverberat : « Quiesce mihi, quid mihi molestus est? Sed medicus « ait : Quia si dormieris, morieris. Et ille, dimitte « me, mori volo. Et puer impius est, si non dicat : « Ego nolo. Et illa vita utique temporalis est, nec « ille in eâ perpetuus erit, cui filius est molestus ut exci- « tet ; nec ille qui abeunti patri et decedenti succedit.

« Ambo per eam transeunt, ambo per illam tempora-
« liter transvolant : et tamen impii sunt, nisi ad ipsam
« sibi temporalem, etiam cùm invicem molesti sunt,
« consulant. Ergone video fratrem meum somno noxiæ
« consuetudinis premi, et non excito, dùm timeo mo-
« lestus esse dormienti atque pereunti? Absit à me ut
« hoc facerem, nec si illo vivo nostra angustaretur
« hæreditas. Nunc verò cùm illud quod accepturi su-
« mus dividi non possit, cùm possessore multiplicato
« angustari non possit; non eum erigam vel molestiis
« ut vigilet, et carens somno vetustissimi erroris, me-
« cum in hæreditate gaudeat unitatis? Prorsùs faciam;
« si vigilo, faciam : si non facio, et ego dormio. »

Et rursùs sermone 339, supra laudato, de lite et concordiâ Catholicorum cum Donatistis loquens : « Me-
« dicus, inquit, non contendit cum ægroto; et si ægro-
« tus facit cum medico, vincitur febris, et sanatur
« ægrotus. Nam hoc intendit medicus, vincere; hoc
« intendit et febris, vincere. Positus est quasi in medio
« ægrotus. Si vicerit medicus, salvus est ægrotus; si
« vicerit febris, morietur ægrotus. In contentione ergo
« nostrâ contendebat medicus pro salute, pro febre
« contendebat ægrotus. Qui animadverterunt medici
« consilium, vicerunt, febrem superaverunt. Habemus
« eos sanos et gaudentes nobiscum in Ecclesiâ. Bla-
« sphemabant nos antea, quia fratres nos non agnosce-
« bant; febris enim mentem turbaverat. Nos tamen
« illos et detestantes nos, et sævientes in nos amaba-
« mus, et sævientibus ægrotis serviebamus. Resistéba-
« mus, contendebamus, et quasi litigabamus, et ta-
« men amabamus. Molesti enim sunt omnes qui talibus
« languentibus serviunt, sed ad salutem molesti sunt. »

Regula IV. — A proximo discordare in malo, est laudabile, tantùm abest ut sit peccatum. — Nusquàm enim peccato consentire licet; nec solùm rei sunt qui malum agunt, sed et qui consentiunt facientibus. Id egregiè confirmat S. Augustinus, sermone 49, aliàs de Tempore, 237, cap. 6 : « Aliquando, inquit, amico tuo
« charissimo inimicus est aliquis, qui erat amborum.
« Incipiunt esse de tribus amicis duo inter se inimici,
« quid faciat medius qui remansit? Vult, exigit, fla-
« gitat à te ut oderis cum illo quem odisse cœpit, et
« hæc verba tibi dicit : Non es amicus meus, quia es
« amicus inimici mei. Quæ vox hujus est ad te, ipsa
« est et illius ad te. Tres enim eratis, duo cœperunt
« esse discordes, remansisti tu. Si huic te junxeris,
« illum habebis inimicum; si illi, istum; si ambobus,
« ambo murmurabunt. Ecce tentatio, ecce spinæ in
« vineâ quò conducti sumus. Exspectas fortè à me
« audire quid facias. Permane amicus amborum. Qui
« discordant inter se, concordent per te. Mala si quæ
« audis ab altero de altero, noli prodere alteri; ne
« fortè sint postea amici, qui modò sunt inimici, et
« proditores suos prodant sibi... Ecce nemo te prodit;
« Deus qui videt, ipse te judicat. Audisti ab irato ver-
« bum, à dolente, à succensente, moriatur in te. Dic
« sanè amico tuo, qui vult te facere inimicum amici
« tui : Alloquere, et tanquàm ægrotantem animum
« medicinæ lenitate pertracta. Dic illi : Quare vis ut
« sim inimicus illius? Respondet : Quia inimicus meus
« est. Vis ergo ut sim inimicus inimici tui? Inimicus
« esse debeo vitii tui. Iste cui me vis facere inimi-
« cum, homo est; est alius inimicus tuus, cui debeo
« esse inimicus, si amicus tuus sum. Respondebit,
« quis est alius inimicus meus? vitium tuum. Respon-
« debit : Quod vitium meum? odium quo odisti ami-
« cum tuum. Esto ergo similis medico. Medicus
« non amet ægrotantem, si non odit ægritudinem.
« Ut liberet ægrotum, persequitur febrem. Nolite
« amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos
« vestros. »

Eamdem regulam confirmat S. Thomas, quæstione et articulo supra laudatis, in responsione ad secundum : « Sicut, inquit, voluntas hominis adhærens Deo
« est quædam regula recta, à quâ peccatum est
« discordare; ita etiam voluntas hominis Deo contra-
« ria, est quædam perversa regula, à quâ bonum est
« discordare. Facere ergo discordiam, per quam tol-
« litur bona concordia, quam charitas facit, est grave
« peccatum. Sed causare discordiam, per quam tollitur
« mala concordia, scilicet in malâ voluntate, est lau-
« dabile. Et hoc modo laudabile fuit, quòd S. Paulus
« posuit dissensionem inter eos qui erant concordes in
« malo, » scilicet inter Sadducæos et Pharisæos, ut refertur Actuum 23 : *Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos.*

## Articulus XXI.

*De præsumptione novitatum, septimâ inanis gloriæ filiâ.*

Præsumptio novitatum *vitium est, quo quis inanis gloriæ studio, ut scilicet nomen sibi faciat, hominumque admirationem sibi conciliet, nova excogitare præsumit.* Quàm periculosa sit hujusmodi præsumptio, probant mala inde manantia. Hinc enim hæreses, et sententiæ quævis erroneæ contra fidei catholicæ veritatem, aut morum integritatem adinventæ : hinc superstitiones innumeræ, perniciosæque artes; hinc vestium variæ formæ fovendo luxui; novæ choreæ ac saltationes nutriendæ voluptati, excitandæ libidini; novi ludi in animæ corporisve perniciem, reive familiaris eversionem; novi ciborum apparatus irritandæ gulæ; nova spectacula pascendæ curiositati, pravisque cupiditatibus accendendis, atque inprimis amori profano, excogitata. Hinc veterum consuetudinum innoxiarum, aut optimarum etiam legum eversiones, haud absque scandalo et perturbatione factæ.

Regula I. — Præsumptio novitatum lethale peccatum est, cùm nova doctrina contra fidei veritatem aut Morum integritatem excogitatur et asseritur. — Hinc Apostolus ad *Timotheum* scribit : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Quid est depositum? inquit Vincentius Lirinensis, Commonitorii 1 cap. 27 : « Id est, quod tibi creditum est, non
« quod à te inventum; quod accepisti, non quod ex-

« cogitâsti, rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in quâ non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi:* catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penès te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde; nolo mihi pro aliis alia subjicias; nolo pro auro imprudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, ô sacerdos, ô doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen quæ didicisti doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova. » Et cap. 9 : *Mos iste*, inquit, *semper in Ecclesiâ viguit, ut quò quisque foret religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet.*

Hinc Tertullianus, lib. de Præscriptionibus hæreticorum cap. 42, ita de hæreticis loquitur : « Mentior « si non etiam à regulis suis variant inter se, dùm « unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ « accepit, quemadmodùm de suo arbitrio ea compo- « suit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et ori- « ginis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valen- « tinianis quod Valentino, Marcionitis quod Marcioni, « de arbitrio suo fidem innovare. »

His apprimè convenit illud Psalmi 144 : *Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute suâ. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.* Quem locum S. Hieronymus, seu potiùs alius auctor commentarii in Psalmos inter ejus opera editi sic interpretatur : « Plantatio eorum non est vetus, sed novella « est. Non est enim de veteri lege, non est de pro- « phetis, non est de Apostolis, sed de novis magistris « est. In juventute suâ; semper juvenes sunt. Licet « multæ sint hæreses veteres, tamen quotidiè mu- « tantur, et novæ quotidiè inveniuntur. Novæ sunt « ipsæ hæreses; licet veteres sint, tamen cùm quo- « tidiè doctrinas suas innovant, novæ sunt. Non enim « sunt veterum magistrorum errore contenti, sed « quotidiè ipsi nova reperiunt... Filiæ eorum com- « positæ. Sermo compositus, et sensus sordidus. In « Scripturis sanctis cogitationes semper filii dicuntur « *verba filiæ.* Vide ergo quid dicit : *Cogitationes eorum*, « hoc est, filii novi sunt. Verba verò eorum, quæ « habent de sapientiâ sæculari, composita sunt. *Filiæ « eorum compositæ*, videntur quidem compositæ, sed « quia filiæ sunt, et non filii, vires non habent. *Circum- « amictæ ut similitudo templi;* non habent veram Ec- « clesiam, sed similitudinem Ecclesiæ. »

Regula II. — Præsumptio novitatum in ritibus et disciplinâ Ecclesiæ, cùm scilicet in rebus magni momenti fit innovatio absque causâ, et auctoritate episcoporum, ac inprimis Romani pontificis, grave peccatum est. — Hæc regula colligitur ex S. Bernardo, epistolâ 174 : *Contra Ecclesiæ ritum*, inquit, *præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Hinc Radulfus Tungrensis, lib. de Observantiis canonicis, propositione 6, ait : *In divino officio est à novitatibus omnimodè abstinendum.* Et propositione 7 : *Officium divinum majorum auctoritate, non diversorum arbitrio regi debet.* Hinc Nicolaus de Clemangis, archidiaconus Bajocensis, tractatu de Novis Celebritatibus non instituendis, hæc habet : « Pariunt novitates di- « scordias, partas nutriunt, nutritas augent, auctas « roborant... Per novitates Dominus graviter irritari « solet, de quibus in Psalmo scriptum est : *Et irritave- « runt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est « in eis ruina.* Nonne satis in omnibus Ecclesiis festa « multiplicata sunt? Vix temporali officio inchoandis- « que semel in mense historiis propter quotidiana « sanctorum solemnia locus relinquitur. Dies consul- « tò à Patribus Deo relictos, sanctorumque natalitiis « absolutos, novi assiduè sancti occupant, et pulsus « cogitur Deus suo loco cedere. » Et infra : « Impro- « banda valdè videtur illa consuetudo, quâ in omnibus « ferè Ecclesiis canonicalibus ad cujuslibet etiam laïci « petitionem novæ quotidiè sanctorum celebritates in- « stituuntur, modò temporalis inde emolumenti ali- « quid proveniat. Nam ultra ea quæ præmissa sunt « de Dei expulsione, sacræque historiæ abolitione, « corrumpuntur antiquæ Ecclesiarum observationes, « priscus ritus, vetera statuta violantur, corrumpun- « tur libri ordinarii, et novæ in dies abrasiones in il- « lis fiunt, detractiones, additiones, lituræ, abolitio- « nes. Et quid tam leve, tam inconstans, tam turpe et « ridiculosum, quàm suum quotidiè ordinem perver- « tere, suum morem mutare, suam formam deformare, « suam regulam novâ regulâ, imò novâ irregularitate « variare? Quid magis fixum, magis stabile, magis « immobile in Ecclesiâ debet esse, quàm ordo et ri- « tus officii, quibus Ecclesiæ ab invicem maximè di- « scernuntur? quis ibi potest servari ordo, ubi à « suscepto ordine tam sæpè disceditur? Non potest « ordo esse ordinis corruptio; non est regula quæ re- « gulam aufert, nec forma quæ formam destruit. » Hinc concilium Coloniense anno 1536, p. 2, cap. 7 : « Sunt, inquit, in clero zelum quidem Dei habentes, sed « non secundùm scientiam, qui privatis quibusdam af- « fectibus ducti, vel testamento, vel, ut vocant, funda- « tionibus efficiunt, ut nova festa præter Ecclesiæ au- « ctoritatem subinde celebrentur. Quo interim fit ut « preces horariæ ac reliqua publicè recepta pro affe- « ctu cujuslibet facilè noventur, id quod nobis non satis « probatur. Neque enim errârunt Patres, à quo- « rum institutis in dicendis precibus utinam tam lon- « gè discessum non fuisset. Quòd si hìc singulo- « rum affectibus indulgebitur, tandem antiquus ritus « penitus evanescet. »

Regula III. — Præsumptio novitatum, quâ antiquæ consuetudines charitati Dei et proximi non repugnan-

tes absque justâ causâ et spe majoris boni immutantur et evertuntur, non est absque peccato.—Colligitur hæc regula ex S. Augustino epistolâ 54, aliàs 118 ad Januarium, cap. 5, ubi triplicis generis observantias distinguit : quasdam Scripturæ sacræ auctoritate præscriptas ; alias totius Ecclesiæ usu consecratas ; nonnullas quæ per loca regionesque variantur. De primis ita respondet : « Quid horum sit faciendum, si divinæ « Scripturæ præscribit auctoritas, non est dubitandum « quin ita facere debeamus ut legimus, ut jam non « quomodò faciendum, sed quomodò sacramentum « intelligendum sit, disputemus. » De secundis ita censet : « Si quid horum tota per orbem frequentat « Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, inso- « lentissimæ insaniæ est. » De postremis dat concilium ut « faciat quisque quod in eâ Ecclesiâ, in quam venit, « invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem « fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His « enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter « mores, vel emendari oportet quod perperàm fiebat, « vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio con- « suetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate per- « turbat. Quapropter quæ utilis non est, perturba- « tione infructuosâ consequenter noxia est. » Tandem consuetudinis mutatio, nota est levitatis, et irreverentiæ erga majores argumentum. Quo nomine Tertullianus, Apologetici cap. 6, ethnicos sugillat : « Ubi, in- « quit, Religio? Ubi veneratio majoribus debita à « vobis? Habitu, victu, instructu, censu, ipso denique « sermone proavis renuntiâstis. Laudatis semper an- « tiquos, sed novè de die vivitis. Per quod ostenditur, « dùm à bonis majorum institutis deceditis, ea vos re- « tinere et custodire quæ non debuistis, cùm quæ de- « buistis non custoditis. »

### Articulus XXII.

*De ambitione, quid sit et quàm grave peccatum?*

*Cupiditas eminendi vel stirpi suæ innixa, vel soboli, nunc prolem habet superbiam, nunc parentem*, inquit S. Leo, sermone 12, de Quadragesimâ. De ambitione igitur agendum superest.

*Ambitio est inordinatus appetitus honoris.* Semper peccatum est, Scripturæ sacræ et traditionis auctoritate damnatum. Ecclesiastici 7 : *Noli quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram honoris.* Discipulos de ambitione arguit Christus, Matthæi 18 : *Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Marci 9 : *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister.* Lucæ 9 : *Qui minor est inter vos omnes, hic major est.* Lucæ 22 : *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic ; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Filios Zebedæi ambitionis arguit Matth. 20 : *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus. Ait illis, calicem quidem meum bibetis ; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Cùm autem duorum fratrum ambitiosa petitio aliorum Apostolorum indignationem commovisset, Jesus, ad eos conversus, ait : *Scitis quia principes gentium dominantur eorum : et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos ; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Ambitionis Pharisæos damnavit, Matth. 23 : *Amant*, inquit, *primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Idem vitium damnant Apostoli, inprimis S. Paulus ad Philipp. 2, cùm jubet Christianis ut *in humilitate superiores sibi invicem* arbitrentur. At ambitiosi, qui honores et dignitates sive ecclesiasticas, sive sæculares consectantur, sibi superiorem arbitrantur neminem, cùm se omnibus anteponi velint. Ibidem fideles hortatur ut Christi Salvatoris nostri humilitatem et exinanitionem imitentur : *Hoc*, inquit, *sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quàm autem longè sint à Christo, qui dominari et præesse desiderant hominibus, res ipsa loquitur. Item 1 ad Corinthios 13, charitatis describens characteres, ait : *Charitas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt.* Quanquàm ambitio *simia charitatis* à Petro Blesensi meritò nuncupetur. « Charitas enim, inquit, patiens « est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. « Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. « Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro va- « nitate. Utraque omnia credit, omnia sperat, sed « longè dissimili modo : hæc ad gloriam hujus vitæ, « illa ad gloriam sine fine. Nam in igne aliter se ha- « bet aurum rutilans, aliter palea fumans. » Neminem denique sine divinâ vocatione ad honores et dignitates, præsertim ecclesiasticas, ascendere debere, docet idem Apostolus ad Hebræos 5 : *Nec quisquam*, inquit, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret ; sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* At ambitiosi sine divinâ vocatione ad honores et dignitates ascendunt, in eaque se intrudunt. S. Joannes, epist. 3, ambitionem pariter damnat in Diotrephe, his verbis : *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos.*

Hujus peccati gravitatem æquè demonstrant gravis-

sima Patrum testimonia. Tertullianus, lib. adversùs Valentinianos, cap. 4, ambitiosum ad ejurandam fidem proclivem esse innuit, si aliter optatis honoribus frui non valeat : « Speraverat, inquit, episcopatum Valen- « tinus, quia et ingenio poterat et eloquio, sed alium « ex martyrii prærogativâ loci potitum indignatus, de « Ecclesiâ authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi « pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi, « ad expugnandam conversus veritatem. » Testatur etiam Hegesippus, apud Eusebium, lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22, Ecclesiam, ad suam usque ætatem virginem vocatam fuisse, quia vanis sermo- nibus nondùm corrupta fuerat. *Primus Thebutis in- dignè ferens quòd minimè creatus esset episcopus, eam occultè vitiare est aggressus.*

S. Gregorius Nazianzenus, oratione 1, sic in eos in- vehitur, qui ambitionis impulsu ad ecclesiasticas di- gnitates prosiliunt : « Ita projecta et confusa res est, « tamque malè afficimur, ut priùs ferè quàm primam « comam abjecerimus, puerilique more balbutire de- « sierimus, priùs quàm in divina atria introierimus, « priùs quàm sacrorum librorum vel nomina ipsa no- « verimus, priùs quàm novi veterisque Testamenti « characterem et auctores eorum cognitos habueri- « mus, nondùm enim dico, priùs quàm cœnum et « animæ labes, quas peccatum nobis impressit, elue- « rimus, si duo aut tria pia verba didicerimus, eaque « non ex lectione, sed auditione solâ hausta, aut « Davidi paulùm operæ dederimus, aut pallium scitè « contraxerimus, aut zonâ tenùs philosophati fueri- « mus, pietatis speciem quamdam nobis illinentes. « Papæ ! Quàm et dignitate et prudentiâ reliquis an- « tecellere, et aliis præesse, et admirationi continuò « esse volumus. Samuelis in modum jam inde ab in- « cunabulis consecrati nobis videmur, et mox sapien- « tes et doctores, divinorum mysteriorum notitiâ su- « blimes, inter legis scribas et interpretes sedere vo- « lumus, et nosmetipsos quàdam quasi inauguratione « in cœlitum numerum adscribimus, expetimus vocari « ab hominibus Rabbi, nec unquàm Scripturas ad lit- « teram interpretamur, sed cùm eas in insulsas quas- « dam allegorias inanibus somniis simillimas detorse- « rimus, indignamur nisi magnis præconiis et laudi- « bus efferamur. »

S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 3 in Acta Apo- stolorum : « Si quis, inquit, ad summum sacerdotium « accesserit velut ad sollicitudinem et curam, nullus « illud facilè susceperit. Nunc autem non aliter quàm « profanos magistratus et hanc affectamus dignitatem; « nimirùm ut glorificemur et honoremur apud homi- « nes, perdimur apud Deum. Quid lucri fert hic ho- « nos?..... Quem conscium adibis, si procuraveris « vel per te ipsum, vel per alium? quibus oculis « obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? quid habebis « quod excuses? Etenim qui nolens et invitus compul- « sus est, habiturus est aliquam excusationem... Co- « gita quid acciderit Simoni. Quid enim refert si non « das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, « multaque machinaris? *Pecunia tua tecum sit in per-* « *ditionem*, illi dictum est. Et his dicitur : Ambitio tua « sit tecum in perditionem, quoniam putâsti ambitu « humano parari donum Dei. » Et lib. 3 de Sacerdotio, cap. 10 : « Sacerdotis, inquit, animum honoris illius « desiderio vacare undique oportet. Nam si ad eum « principatum adipiscendum vehementi animi affectu « rapietur, eo adepto impotentiorem sanè ambitionis « flammam incendet, et ut sibi adeptum honorem « stabiliat, nulli peccato non serviet, seu adulandum, « seu servile quid atque indignum sustinendum, seu « res magno pecuniæ sumptu tentanda... Oportere « autem puto tantâ cum religione ac cautione ad rem « ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque « prorsùs detrectes; deinde adepto honore aliorum « judicia sententiasque non exspectare, si quod fortè « commissum deprehendatur propter quod oporteat « te honorem illum deponere, quin potiùs illud ante- « vertens, te ipse munere abdices. Sic enim par est « ut divinam concilies impetresque misericordiam ; « quî, si tibi honorem illum præter decorum mordicus « retinere studueris, indignus es qui veniam conse- « quaris; tum verò divinam iram magis ac magis « incendis, altero peccato, et eo graviore per te ad- « dito. At verò constantiam hanc præstare nullus va- « leat; tam pestilens tamque lethale est appetentiæ « istius virus. Neque id dico cum Beato Paulo pugnare « volens, quin imò ut maximè cum illius verbis con- « sentiam. *Si quis episcopi munus appetit, honestum* « *opus desiderat*, 1 Timot. 5. At ego non operis ipsius, « sed dominationis ac potentiæ desiderium pestilens « esse dixi. Atque hoc ego desiderium sic toto studio « ab animo abjiciendum esse censeo, ut ne animum qui- « dem ipsum prorsùs permittas ab illo aucupari, ut is re- « rum omnium liberè agendarum potestatem habeat. »

S. Hieronymus, epistolâ 83 ad Oceanum datâ : « Si « quis, inquit, episcopatum desiderat, bonum opus « desiderat; opus, inquit, non dignitatem; laborem, « non delicias; opus per quod humilitate decrescat, « non intumescat fastigio. » Et commentario in cap. 3 Sophoniæ : « Qui episcopatum desiderat, bonum opus « desiderat. Videte quòd dixerit bonum opus deside- « rat, non dignitatem. Si autem despecto opere solam « aspexerit dignitatem, citò corruit turris in Siloa, et « excelsæ cedri fulmine feriuntur, et erecta cervix « frangitur, et cygnus extento collo et in sublime se « tendens inter immundas volucres computatur. »

S. Ambrosius, lib. 4. in Lucam, explicans ordinem tentationis Christi, ad illa verba : *Duxit illum diabolus iterùm in montem altissimum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis*, ait : « Benè « in momento temporis secularia et terrena mon- « strantur. Non enim tam conspectûs celeritas indi- « catur, quàm caducæ fragilitas potestatis expri- « mitur ; in momento enim cuncta illa prætereunt, et « sæpè honor seculi abit antequàm venerit. Quid enim « seculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non « sint secula? Docemur hic inanis ambitionis flabra « despicere, quòd omnis dignitas secularis diabolicæ « subjaceat potestati ; ad usum fragilis, et inanis ad

« fructum. Sed quomodò hìc dat diabolus potestatem « et alibi legitur, quia *omnis potestas à Deo est*, « Rom. 13. Numquid potest quis duobus dominis « servire, aut à duobus accipere potestatem? Num- « quid ergo contrarium est? minimè. Sed vide quia « omnia à Deo; neque enim sine Deo mundus; quia « *et mundus per ipsum factus est*, Joann. 1; sed licet à « Deo factus sit, tamen opera ejus mala, quia *seculum* « *in maligno positum est*, 1 Joan. 5; et ordinatio mundi « à Deo, opera mundi à malo. Ita etiam à Deo potesta- « tum ordinatio; à malo ambitio potestatis... Atque « hoc ipso perniciosior ambitio, quòd blanda quædam « est conciliatricula dignitatum; et sæpè quos vitia « nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, « nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. « Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus: « et ut dominetur aliis, priùs servit. Curvatur obse- « quio, ut honore donetur: et dùm vult esse sublimior « simulatâ humilitate, fit vilior, et fit remissior; cùm in « ipsâ potestate, quod præcellit, alienum sit; legibus « enim imperat, sibi servit. »

S. Augustinus Enarratione in Psalmum 36, sermone 2, versum illum: *Inimici Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodùm fumus deficient*, de ambitiosis interpretatur: « Ex ipsâ inquit, « similitudine rem quam insinuavit, agnoscite. Fumus « à loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsâ « elatione in globum magnum intumescit; sed quan- « tò fuerit globus ille grandior, tantò fit vanior; ab « illâ enim magnitudine non fundatâ et solidatâ, sed « pendente et inflatâ, it in auras atque elabitur, ut « videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Quantò « enim plus erectus est, quantò extentus, quantò dif- « fusus undique in majorem ambitum, tantò fit exilior, « et deficiens, et non apparens. »

Idem lib. 19 de Civitate Dei, cap. 19, honorem et locum regiminis à Christiano innoxiè non appeti docet. Ubi enim distinxit triplex vitæ genus, otiosum, actuosum, et ex utroque mixtum, subdit: « Quamvis « salvâ fide quisque possit in quolibet eorum vitam « ducere, et ad sempiterna præmia pervenire; interest « tamen quid amore teneat veritatis, quid officio cha- « ritatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus, « ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi; nec « sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. « In otio non iners vacatio delectare debet; sed aut « inquisitio aut inventio veritatis; ut in eâ quisque « proficiat, et quod invenerit teneat, et alteri non in- « videat. In actione verò non amandus est honor in « hâc vitâ, sive potentia, quoniam omnia vana sub « sole; sed opus ipsum, quod per eumdem honorem « vel potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, id est, « ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secun- « dùm Deum est. Propter quod ait Apostolus, 1 Timot. « 3: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* « Exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen « est operis, non honoris. Græcum est enim, atque « inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, « eis quibus præficitur superintendit, curam eorum « scilicet gerens... Ut intelligat non se esse episcopum, « qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque à stu- « dio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod « ad laudabile pertinet otium; locus verò superior, « sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur « atque administretur ut decet, tamen indecenter ap- « petitur. »

S. Petrus Chrysologus, sermone 23, expendens hæc Christi verba, Luc. 12: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, opus fuisse ait ut Dominus discipulorum animos confirmaret, ad solam regni vocem meritò trepidantium: « Pro- « missionem, inquit, regni sine timore servilis statûs « audire non sufficit. Dominus ergo servorum mentes « tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni « prosternat auditus. Regnum velle servum, crimen « est; adire, periculum; temeritas, non timere. »

S. Gregorius Magnus, in Pastorali, part. 1, cap. 1: « Sunt nonnulli, inquit, qui intra sanctam Ecclesiam « per speciem regiminis gloriam affectant honoris; « videri doctores appetunt, transcendere cæteros con- « cupiscunt, atque attestante Veritate, primas sa- « lutationes in foro, primos in cœnis recubitus, pri- « mas in conventibus cathedras quærunt; qui susce- « ptum curæ pastoralis officium ministrare dignè tantò « magis nequeunt, quantò ad humilitatis magisterium « ex solâ elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magi- « sterio lingua confunditur, quando aliud discitur, et « aliud docetur. Contra quos Dominus per prophetam « queritur, dicens, Osee 7: *Ipsi regnaverunt, et non ex* « *me; principes exstiterunt, et non cognovi.* Ex se namque « et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis « fulti virtutibus, nequaquàm divinitùs vocati, sed suâ « cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs « quàm assequuntur. Quos tamen internus judex et « prævehit, et non cognoscit: Quia quos permittendo « tolerat profectò per judicium reprobationis ignorat. » Et cap. 8: « Plerùmque qui præesse concupiscunt, « ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici ser- « monis arripiunt, quo ait: *Si quis episcopatum desi-* « *derat, bonum opus desiderat*: Qui tamen laudans « desiderium, in pavorem vertit protinùs quod lau- « davit, cùm repentè subjungit: *Oportet autem epi-* « *scopum irreprehensibilem esse....* 1 Timoth. 3. Quam- « vis notandum, quòd illo tempore hoc dicitur, « quo quisquis plebibus præerat, primus ad mar- « tyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile « fuit episcopatum quærere, quandò per hunc quem- « que dubium non erat ad supplicia graviora per- « venire. Unde ipsum quoque episcopatûs officium « boni operis expressione definitur, cùm dicitur: *Si quis* « *episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ipse ergo « sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non « per hunc boni operis ministerium, sed honoris glo- « riam quærit. Sacrum quippe officium non diligit om- « ninò, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans « in occultâ meditatione cogitationis cæterorum sub- « jectione pascitur, laude propriâ lætatur, ad honorem « cor elevat, rerum affluentium abundantiâ exultat.

« Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris spe-
« cie, quo mundi destrui lucra debuerunt. » Et cap. 9:
« Sed plerumque hi qui subire magisterium pastorale
« cupiunt, nonnullo quoque bona opera animo propo-
« nunt : et quamvis hoc elationis intentione appetant,
« operaturos tamen se magna pertractant; fitque ut
« aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis
« animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè
« sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono
« opere amare quod non amat, de mundi autem glo-
« riâ non amare quod amat; quæ principari appetens,
« fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervene-
« rit. Timens enim ne non perveniat, trepidat; sed
« repentè perveniens, jure sibi debitum ad quod per-
« venerit putat. Cùmque percepti principatûs officio
« perfrui seculariter cœperit, libenter obliviscitur
« quidquid religiosè cogitavit. Unde necesse est, ut
« cùm cogitatio extra usum ducitur, protinùs mentis
« oculus ad opera transacta revocetur; ac penset
« quisque quid subjectus egerit, et repente cognoscit,
« si Prælatus bona agere quæ proposuerit, possit;
« qui nequaquàm valet in culmine humilitatem disce-
« re, qui in imis positus non desiit superbire. »

S. Bernardus, sermone 6 in Psalmum *Qui habitat*, cap. 4 : « Ambitio, inquit, subtile malum, secretum
« virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis,
« livoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, vir-
« tutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium,
« ex remediis morbos creans, generans ex medicinâ
« languorem. » Et cap. 6, sic deflet Ecclesiæ mala :
« Nunc quidem pax à paganis, pax ab hæreticis, sed
« non est pax à falsis filiis..... Omnes Christiani, et
« omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu
« Christi. Ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis officia
« in turpem quæstum et tenebrarum negotium trans-
« ière; nec in his salus animarum, sed luxus quæri-
« tur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc
« frequentant Ecclesias, missas celebrant, psalmos
« decantant. Pro episcopatibus et archidiaconatibus
« impudenter hodiè decertatur, ut Ecclesiarum redi-
« tus in superfluitatis et vanitatis usus dissipentur. »
Ibidem cap. 5, tres tentationes explicans quibus diabolus Christum aggressus est : « Tertia, inquit, de am-
« bitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si
« cadens adoraret eum. Videsne quòd ambitionis via
« adoratio diaboli sit, quia videlicet ad honores et
« gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus
« pollicetur. » Et sermone 4 de Ascensione Domini, varios modos explicans ascendendi cum Christo vel cum dæmone : « Cupidi quidem sumus ascensionis,
« inquit, exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles
« enim creaturæ sumus, et magni cujusdam animi,
« ideòque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed
« væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait, Isai. 14 :
*Sedebo in montem testamenti, in lateribus aquilonis.*
« Heu miser, in lateribus aquilonis ? Frigidus est mons
« ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscen-
« tiam, altitudinem præsumis potentiæ, quanti tamen
« usque hodiè fœda sequuntur infeliciaque vestigia,
« imò verò quàm pauci evadunt, quibus non dominan-
« di libido dominetur ! »

S. Thomas 2-2, quæst. 131, a. 1, probat ambitionem esse peccatum, quia est inordinatus appetitus honoris quem homo non meretur, vel quem non in Deum, sed ad propriam duntaxat utilitatem refert. « Honor, inquit, importat quamdam reverentiam ali-
« cui exhibitam in testimonium excellentiæ ejus. Cir-
« ca excellentiam autem hominis duo sunt attendenda :
« primò quidem, quòd illud secundùm quod homo
« excellit, non habet homo à se ipso, sed est quasi
« quiddam divinum in eo. Et ideò ex hoc non debetur
« ei principaliter honor, sed Deo. Secundò conside-
« randum est, quòd illud in quo homo excellit, datur
« homini à Deo, ut ex eo aliis prosit; unde in tantùm
« debet homini placere testimonium suæ excellentiæ
« quod ab aliis exhibetur, in quantum ex hoc paratur
« sibi via ad hoc quod aliis prosit. Tripliciter autem
« appetitum honoris contingit esse inordinatum : uno
« modo, per hoc quòd aliquis appetit testimonium de
« excellentiâ quam non habet, quod est appetere hono-
« rem supra suam proportionem. Alio modo, per hoc
« quòd honorem sibi cupit, non referendo in Deum.
« Tertiò, per hoc quòd appetitus ejus in ipso honore
« quiescit, non referens honorem ad utilitatem alio-
« rum. Ambitio autem importat inordinatum appeti-
« tum honoris; unde manifestum est quòd ambitio
« semper est peccatum. »

### Articulus XXIII.

*Quæ nos ab ambitione deterrere debeant ?*

Ab ambitione deterrere nos inprimis debet exemplum Christi, qui honores fugit, fugiendosque docuit, Joann. 6 : *Jesus ergo, cùm cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.* Ubi inprimis notandum verbum illud, *raperent*, quod vim quamdam significat. Erat enim Christus Dominus honoribus tam contrarius, ut ad illos nonnisi vi trahendus ac rapiendus videretur. Idque turbæ ipsæ non ignorantes, venire decreverunt, non ut ei volenti ac libenti regnum offerrent, sed potiùs ut renuentem ac repugnantem regem inaugurarent. Deinde notandum verbum illud, *fugit*, quod vehementem significat ab honoribus aversionem. Neque enim solùm dicitur honores repudiàsse, sed planè illos fugisse tantâ contentione, quantâ hostis hostem infensissimum fugit. Quamobrem Tertullianus ad hunc locum alludens, libro de Idololatriâ, cap. 18, ait : « Tu nullius servus, in quantum solius Christi, qui te
« etiam captivitate seculi liberavit, ex formâ dominicâ
« agere debebis. Ille Dominus si potestatis jus nullum
« ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministe-
« rio functus est : si regem denique fieri, conscius sui
« regni, refugit, plenissimè dedit formam suis, diri-
« gendo omni fastigio et suggestu tam dignitatis
« quàm potestatis. Quis enim magis iis usus fuisset
« quàm Dei Filius? quales et quanti eum fasces pro-
« ducerent? qualis purpura de humeris ejus floreret?
« quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam seculi

« alienam et sibi et suis judicâsset? Igitur quam no-
« luit rejecit, quam rejecit damnavit, quam damnavit
« in partem diaboli deputavit. Non enim damnâsset,
« nisi non sua; alterius autem esse non possunt,
« nisi diaboli, quæ Dei non sunt. »

Christi etiam exemplo proposito homines ab ambitione deterret S. Bernardus, homilià 1 super *Missus est*, cap. 8 : « Erubesce, inquit, superbe cinis; Deus
« se humiliat, et tu te exaltas! Deus se hominibus sub-
« dit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præ-
« ponis Auctori! Utinam mihi aliquandò tale aliquid
« cogitanti Deus respondere dignetur, quod et suo in-
« crepando respondit Apostolo : *Vade*, inquit, Matth.
« 16, *post me, Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.*
« Quoties enim hominibus præesse desidero, toties
« Deum meum præire contendo; et tunc verè non sa-
« pio ea quæ Dei sunt. »

Secundò ab ambitione deterrere debet ejus vilitas. Nihil enim ambitioso homine vilius et ignavius. Ambitionis vilitatem duo illi Apostoli Joannes et Jacobus non ignorârunt, qui primas cathedras petituri, tempus illud observârunt, quo Christus assumpsit duodecim discipulos secretò, Matth. 20; imò seorsim à reliquis discipulis Christum Dominum convenerunt. Quod expendens S. Joannes Chrysostomus, homilià 65 in Matthæum : « Illi, inquit, cùm humano more id faciebant,
« coram omnibus erubescentes dicere, seorsùm ab
« aliis discipulis Christum accipientes interrogaverunt.
« Præcesserunt enim, inquit, ut remotis occultiùs lo-
« querentur. » Et fortassè ne in recessu quidem ac solitudine suam aperire ambitionem ausi sunt, sed matrem præmiserunt quæ aperiret. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Ab ipsis hæc excogitata petitio, inquit S. Chrysostomus, *sed pudore victi, matris patrocinium assumpserunt.* Quin etiam ipsa mater accedens erubuit postulare, et fortasse penitùs obmutesceret, nisi ad loquendum excitaretur à Christo dicente : *quid vis?* Hinc S. Bernardus, epistolà ad episcopos Aquitaniæ : *Ambitio*, inquit, *latebras amat, lucis impatiens est..... Quid tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi?*

Tertiò, ab ambitione deterrere debent curæ ac labores cum ipsâ conjuncti. Ambitiosorum pœna ipsa ambitio est. Quod egregiè Tertullianus explicat, lib. de Pœnitentiâ, cap. 11 : « Sed enim, inquit, illos qui
« ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pu-
« det, neque piget incommodis animæ et corporis, nec
« incommodis tantùm, verùm et contumeliis omnibus
« eniti in causâ votorum suorum. Quas non ignobilita-
« tes vestium affectant? Quæ non atria nocturnis et
« crudis salutationibus occupant? Ad omnem occur-
« sum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis
« conviviis celebres, nullis comessationibus congre-
« ges, sed exules à libertatis et lætitiæ felicitate; idque
« totum propter unius anni volaticum gaudium. Nos
« quod securium virgarumve petitio sustinet, in peri-
« culo æternitatis tolerare dubitamus? »

Magistro concinit S. Cyprianus epistolâ 1 : « An tu,
« inquit, vel illos putas tutos, illos saltem inter bono-
« rum infulas, et opes largas stabili firmitate securos,
« quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum ex-
« cubantium tutela circumstat? major illis quàm cæte-
« ris metus est; tam ille timere cogitur, quàm time-
« tur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas,
« sit licet satellitum manu septus, et clausum ac pro-
« tectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm secu-
« ros non sinit esse subjectos, tam necesse est ut non
« sit et ipse securus. Ante ipsos terret potestas sua,
« quos facit esse terribiles. Arridet ut sæviat; blandi-
« tur ut fallat; illicit ut occidat; extollit ut deprimat.
« Fœnore quodam nocendi quàm fuerit amplior summa
« dignitatis et bonorum, tam major exigitur usura pœ-
« narum. Una igitur placida et fida tranquillitas; una
« solida, et firma, et perpetua securitas, si quis ab his
« inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris
« portûs statione fundetur, ad cœlum oculos tollat à
« terris, et ad Domini munus admissus, ac Deo suo
« jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus hu-
« manis sublime ac magnum videtur, intra suam ja-
« cere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, ni-
« hil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major
« est. »

Idem confirmat præclara illa S. Augustini sententia, lib. 8 Confessionum, cap. 6 : *In palatio imperatorum quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum!*

Idem confirmat S. Bernardus, lib. 3 de Consideratione, cap. 1, exclamans : *O ambitio, ambientium crux! quomodò omnes torquens, omnibus places? Nil acerbiùs cruciat, nil molestiùs inquietat; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus.*

Quartò, deterrere nos debet ab ambitione honorum vanitas, his verbis descripta Sap. 5 : *Spes impii tanquàm lanugo est, quæ à vento tollitur; et tanquàm spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur; et tanquàm fumus, qui à vento diffusus est; et tanquàm memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Honores etiam per somnium visi multoties in sacris litteris memorantur. Joseph in somnio suam in Ægypto exaltationem vidit. Esther omnis ejus felicitas per somnium ostensa. Per somnium Deus Gedeoni futuras ejus victorias ostendit. Nabuchodonosor quatuor illas adeò celebres in mundo monarchias per somnium vidit. Regis Ægypti pincerna se in dignitatem et gradum pristinum restituendum per somnium vidit. Quamobrem scitè S. Ambrosius, lib. de Joseph patriarchâ, cap. 6, ait : *Omnis potentia sæculi somnium, non veritas est.* Quid firmius in speciem ac diuturnius Romano imperio, cui fingitur Jupiter non diuturnitatem, sed æternitatem promisisse, juxta illud Virgilii?

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono,*
*Imperium sine fine dedi.*

Quot tamen obnoxium fuit mutationibus, et distractionibus, tanquàm aliquando periturum! Unde S. Augustinus, turpem hanc adulationem execratus, ait : *Qui hoc terrenis regnis promiserunt, non veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt.* Et introducit Poetam ab hâc sese adulatione excusantem hunc in modum :

« Quid facerem, qui Romanis verba vendebam, nisi « hâc adulatione aliquid promitterem quod falsum « erat? Et tamen et in hoc cautus fui, quando dixi : « *Imperium sine fine dedi*, Jovem ipsorum induxi qui « hoc diceret. Non ex personâ meâ dixi rem falsam, sed « Jovi imposui falsitatis personam; sicut Deus falsus « erat, ita mendax vates erat. Nam vultis nôsse quia ista « noveram? Alio loco, quando non Jovem, lapidem indu- « xi loquentem, sed ex personâ meâ locutus sum, dixi : « *Non res Romanæ, perituraque regna....* Peritura ve- « ritate non tacui, semper mansura adulatione pro- « misi. » Hæc S. Augustinus, sermone 105, aliàs 29, de Verbis Domini, cap. 7. At Christus, Luc. 1, regnum promisit, de quo dictum est : *Et regni ejus non erit finis.* Figamus spem in Deum, æterna concupiscamus, æterna expectemus. *Non frustra audiamus : Sursùm cor. Quid ponimus cor in terrâ, cùm videamus quia evertitur terra?*

Quintò, ab ambitione deterrere nos debet ejus crudelitas innumeris exemplis comprobata, præcipuè Abimelech filii Jeroboal, qui septuaginta fratribus suis occisis super lapidem unum, regnum Sichimorum usurpavit, Judicum 9; Absalonis adversùs Davidem patrem suum conjurantis, eumque regno spoliare conati, Regum cap. 15; Athaliæ matris Ochoziæ, quæ semen omne regium extinxit, ut regnum Juda usurparet, 4 Regum 11. Ambitiosi sensum omnem pietatis exuunt, ut ad optatos honores et dignitates perveniant; et ambitiosæ illius mulieris Romanæ crudelitatem imitati, quæ super cadaver patris à marito ejus regnum ambiente occisi et in viâ jacentis currum agitari jubens, ad Capitolium perrexit regni possessionem initura, Christum crucifixum conculcare non verentur, ut ambitionem suam expleant.

ARTICULUS XXIV.

## Regulae morales de Ambitione.

REGULA PRIMA.—Ambitio lethale peccatum est, si quis in honore finem ultimum constituat; Id est, ita sit affectus, ut per fas et nefas ad aliquam dignitatem ecclesiasticam vel civilem ascendere paratus sit, nec mortale peccatum committere vereatur ut ad illam perveniat, verbi gratiâ, simoniam exercere.

REGULA II.—Ambitio lethale, peccatum est, cùm quis ex aliquo peccato mortali honorem quærit.

REGULA III.—Ambitio lethale peccatum est, cùm appetitur vel quæritur aliqua dignitas ecclesiastica vel civilis ob finem aliquem nefarium, sive cum peccato mortali conjunctum, verbi gratiâ, si quis beneficium seu dignitatem ecclesiasticam quærat ut divitiis affluat, ut genio indulgeat, ut colatur ab hominibus; *dominandi cupiditate*, non *officio consulendi; principandi superbiâ*, non *providendi misericordiâ*, ut loquitur S. Augustinus, libro 19 de Civitate Dei, cap. 14.

REGULA IV.—Ambitio lethale peccatum est, si quis honorem quærat cum alterius damno vel injuriâ, verbi gratiâ, si minùs dignus beneficium curam animarum annexam habens, aut quamlibet præfecturam ecclesiasticam, sive in clero seculari, sive regulari ambiat, et studiis omnibus obtinere nitatur, etiamsi adsint competitores digniores; multò magis, si dignitatem ecclesiasticam vel secularem magistratum ambiat indignus. Injuriam enim infert competitoribus qui digni sunt; et si de beneficio vel dignitate ecclesiasticâ agatur, fit injuria dignioribus, qui debent anteponi, secundùm concilium Tridentinum, sessione 24, cap. 1, et 18 de Reformatione, et S. Thomam, 2-2, quæst. 64, a. 2, et quæst. 175, a. 3.

REGULA V. — Ambitio lethale peccatum est, si quis absque vocatione, solius honoris aut commodorum temporalium intuitu, ecclesiastica beneficia captat, petit, concupiscit. — Hæc regula colligitur ex Apostolo ad Hebræos 5 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron.* ex S. Gregorio, epistolâ 20 libri 4, scribente : « Licet cætera cujuspiam « talia vitæ sint merita, ut nihil sit quod ex his sacerdo- « talibus valeat ordinationibus obviare, tamen so- « lius nefas ambitus severissimâ canonum districtione « damnatur. »

Ex S. Bernardo, tractatu de conversione ad clericos, cap. 19 : « Væ vobis, inquit, qui clavem tollitis « non solùm scientiæ, sed et auctoritatis : nec ipsi « introitis, et multipliciter impeditis quos introducere « debuistis. Tollitis enim, et non accipitis claves. De « quibus Dominus queritur per prophetam Osee, « cap. 8 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes « exstiterunt, et ego non vocavi eos.* Unde tantus prælationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta? « Unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audetne aliquis vestrûm terreni cujuslibet reguli, non « præcipiente aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? « Nec tu Deum putes quæ in magnâ domo suâ à vasis « iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Ordinem « ipsum dominici sermonis attende : *Beati*, inquit « Matth. 5, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* « Mundicordes utique vocat Pater cœlestis, qui non « quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; nec « quod sibi utile, sed quod multis. *Petre*, inquit « Joann. 21, *amas me? Domine, tu scis quia amo te.* « *Pasce*, ait, *oves meas.* Quando enim sic amatas oves « committeret non amanti? »

Ex S. Thomâ, 2-2, quæstione 185, a. 1 : « In « episcopatu, inquit, tria possunt considerari, quorum « unum est principale et finale, scilicet episcopalis « operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, « secundùm illud Joannis ultimo : *Pasce oves meas.* « Aliud autem est altitudo gradûs, quia episcopus su- « per alios constituitur, secundùm illud Matth. 25 : « *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus « super familiam suam.* Tertium autem est quod con- « sequenter se habet ad ista, scilicet reverentia, et « honor, et sufficientia temporalium, secundùm illud 1 « ad Timoth. 5 : *Qui benè præsunt presbyteri, duplici « honore digni habentur.* Appetere ergo episcopatum « ratione hujusmodi circumstantium bonorum, mani-

« festum est quòd est illicitum, et pertinet ad cupidi-
« tatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Do-
« minus dicit : *Amant primos recubitus in cœnis, et*
« *primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro,*
« *et vocari ab hominibus Rabbi*. Quantùm autem ad se-
« cundum, scilicet ad celsitudinem gradûs, appetere
« episcopatum est præsumptuosum. Unde Dominus,
« Matth. 20, arguit discipulos primatum quærentes,
« dicens : *Scitis quia principes gentium dominantur*
« *eorum*. Ubi Chrysostomus dicit, homiliâ scilicet 76
« in Matthæum, quòd per hoc ostendit quòd gentile
« est primatus cupere; et sic gentium comparatione
« eorum animum æstuantem convertit. Sed appetere
« proximis prodesse, est secundùm se laudabile et
« virtuosum. Verùm quia prout est episcopalis actus,
« habet annexam gradûs celsitudinem, præsumptuo-
« sum videtur quòd aliquis præesse appetat ad hoc
« quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate immi-
« nente. »

Et quodlibeto 12, quæstione 10, articulo 2 : « Con-
« tingit, inquit, appetere prælationem dupliciter; aut
« propter necessitatem urgentem, aut non urgentem.
« Primo modo dupliciter : vel quando imponitur à su-
« periori, vel quando non invenitur aliquis qui ve-
« lit onus prælationis subire, tali necessitate exis-
« tente, meritorium est appetere. Unde Isaiæ 6 :
« *Quem mittam : et quis ibit nobis? respondit : Ecce*
« *ego, mitte me;* tamen ante dixit se indignum. Se-
« cundo modo, scilicet quando non urget necessitas,
« sic non licet; quia non potest carere aut vitio inju-
« stitiæ, si velit se minorem præferri majoribus, aut
« vitio præsumptionis, si reputet se sufficientem præ-
« ferri aliis. Unde Chrysostomus super illud : *Reges*
« *gentium dominantur eorum*, etc., Lucæ 22 : Primatus,
« inquit, ecclesiasticos concupiscere, nec justum, nec
« utile. »

Regula VI. — Lethalis ambitionis reus est, qui episcopatum, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum curam animarum habens, aut monasticam præfecturam pro se postulat, aut sibi ipsi in electione canonicâ suffragatur. — Colligitur hæc regula ex S. Bernardo, libro 4 de Consideratione, cap. 4 : « Alius,
« inquit, pro alio, alius fortè et pro se rogat; pro quo
« rogaris, sit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam
« judicatus est; nec interest per se an per alium quis
« roget. »

Item ex S. Thomâ, 2-2, quæstione centesimâ, a. 5, ad secundum, ubi, postquàm præmisit preces pro indigno porrectas ad simoniam pertinere, subdit : *Si verò aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præsumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno.* Hinc Patres, et christiani principes, eos maximè dignos episcopatu censuerunt, qui ad ipsum repugnantes, et quodammodo inviti promoti fuerint. Unde S. Cyprianus, epistolâ 52, de Cornelio scribit : « Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec
« ut cæteri, quos arrogantiæ ac superbiæ tumor in-
« flat, invasit; sed quietus et modestus, et quales esse
« consueverunt qui ad hunc locum divinitùs elegun-
« tur, pro pudore virginalis conscientiæ, ac pro hu-
« militate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non
« vim fecit ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est
« ut episcopatum coactus acciperet. » Hinc S. Hieronymus, epistolâ ad Heliodorum, loquens de Nepotiano sacerdotium recusante, ait : « Quantò magis repugna-
« bat, tantò magis in se studia omnium concitabat; et
« merebatur negando, quod esse nolebat; eòque di-
« gnior erat, quò magis se clamabat indignum. » Hinc S. Isidorus Pelusiota, lib. 2, epistolâ 125 de Hierace presbytero scribit : « Veluti mentem habens, episco-
« patum ut gravissimum morbum fugit. » Hinc Leo et Anthemius imperatores, l., *Si quemquam*, 31 cod. tit. de Episcopis et Clericis, de episcopo eligendo ita statuunt : « Castus et humilis nostris temporibus eligatur
« episcopus, ut quòcumque locorum pervenerit, om-
« nia vitæ integritate purificet. Nec pretio, sed preci-
« bus ordinetur antistes. Tantùm ab ambitu debet
« esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus rece-
« dat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas
« excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio,
« nisi fuerit ordinatus invitus. » Hinc denique Athalaricus rex, apud Cassiodorum, lib. 9 Variarum, epistolâ 15, sic patriarchas alloquitur : « Iniquum est ut
« locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis di-
« vinâ consideratione præclusimus. Quapropter si quis
« apostolicæ præsulem Ecclesiæ, vel patriarcharum
« episcopum, sive per se, sive per parentes, aut ser-
« vientium quascumque personas, aliquâ suffragii
« crediderit ambitione promovendum, et ipsum red-
« dere accepta definimus, et quod est canonibus sta-
« tutum, eum modis omnibus esse passurum. »

Meritò itaque concilium Mediolanense I, sub S. Carolo Borromæo statuit, ut « qui beneficium ecclesia-
« sticum vacans multis et ambitiosis precibus per se vel
« per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, ut
« per biennium in eum neque illud neque aliud bene-
« ficium conferri possit. »

Regula VII. — Qui pro se beneficium ecclesiasticum sine curâ animarum petit, ad inopiam suam sublevandam, non est reus ambitûs.—Hæc regula S. Thomæ testimonio nititur, 2-2, quæstione centesimâ, a. 5, ad tertium : *Licitè tamen* inquit, *potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere, sine curâ animarum.* Idem asserit S. Raymundus in Summâ, lib. 1, tit. 1, § 7, et ex cap. *Ad aures*, extra de Rescriptis, confirmat.

Regula VIII. — Lethalis ambitionis reus est, qui eo præcipuè consilio et eâ intentione monasticum habitum induit ut abbatiam obtineat. — Hic enim finem in honore constituere convincitur. Hinc monasticum habitum suscipere spe abbatiæ sacri canones prohibent. S. Basilius præfecturarum ambitum à monachis alienum esse debere tam luculenter ostendit, ut nemini dubium sit ipsum luculentiùs asserturum, nefas esse vitam monasticam profiteri, abbatiæ aut cujusvis præfecturæ intuitu. Sic autem loquitur in Constitutionibus monasticis, cap. 9 : « Cæterùm clerum, aut inter
« fratres principatum nullo modo appetere monachus

« debet; siquidem diabolica ista pestis est, et libidinis « dominandi labes, quæ res insigne est primæ illius « diaboli pravitatis indicium. » Legatur totum caput, necnon 24.

Concilium Romanum sub Nicolao II, pontifice maximo, canone 7, decernit : *Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat.* Qui canon repetitur et confirmatur in synodo Romanâ sub Alexandro II, anno millesimo sexagesimo tertio. Idem prohibet concilium Tolosanum sub Victoris Secundi pontificatu, canone 5 : « Statuit autem sancta « synodus, ut si quis clericorum adipiscendæ abbatiæ « causâ monachus effectus fuerit, in abbatiâ quidem « monachus permaneat, sed ad ipsum honorem ad « quem aspirabat, nullatenùs accedat. Quòd si præ« sumpserit, excommunicetur. »

Regula IX. — Lethalis ambitionis rei sunt concionatores, quì majorum et nobiliorum ecclesiarum pulpita suis aut amicorum precibus obtinere nituntur, aut reverà obtinent eo fine ut nominis claritatem consequantur, atque ad episcopatum aliave beneficia ecclesiastica promoveantur. — Illi enim absque divinâ vocatione sacrum ministerium exercent. Hi plausum quærunt, non fructum spiritualem auditorum, *voluptatem quærunt, non prolem, adulterantes verbum Dei,* inquit S. Gregorius. Hanc regulam confirmat S. Carolus Borromæus, in Instructione prædicatorum verbi Dei, tit. de Præparatione quam concionator adhibere debet ad concionandi munus salutariter exequendum. « Fugiet autem, inquit, tanquàm pestem, omnem ambitionem, omnemque illius suspicionem. Ne loca in« signiora, ubi prædicationis suæ semen spargat, am« biat, affectetve, memor Christi Domini, quem à Pa« tre à cœlo demissum ad erudiendum genus huma« num, pagos et vicos, et castella obiisse legimus. « Nunquàm in opinionem inducet, majori atque nobi« liori suggesto se dignum esse. Fuit hæc quondam « incredibilis ambitio ethnicorum oratorum. Christia« nus autem concionator ab istius ambitionis suspi« cione alienus esse debet, qui ad prædicandum Chri« stum crucifixum, non ad sui ingenii ostentationem « vocatus est. »

Regula X. — Sicut ambitionis reus est qui episcopatum aliamve dignitatem, aut præfecturam ecclesiasticam appetit, quærit, postulat; ita reus est pusillanimitatis et desidiæ, qui à Deo vocatus, et superioris auctoritate ac mandatis sacro regimini admotus, impositum onus suscipere pertinaciter recusat. — Hanc regulam tradunt SS. Patres, inprimis S. Gregorius Nazianzenus, oratione 1 : « Ac videte, inquit, quàm « rectè quàmque justè inter utrumque timorem nego« tium transigam, nimirùm ut nec minimè oblatam « præfecturam appetam, nec oblatam repudiem. Illud « enim temerariorum hominum est, hoc inobedien« tium, utrumque autem imperitorum. Atque ipse in« ter nimis audaces, et nimis timidos quodammodò « interjectus sum, nempe et his qui ad præfecturas « omnes prosiliunt, timidior, et iis rursùs qui omnes fu« giunt, audacior. Hæc de his rebus mea est sententia. »

S. Augustinus, epistolâ 48, aliàs 81 ad Eudoxium abbatem et monachos insulæ Caprariæ : « Vos autem, « fratres, inquit, exhortamur in Domino, ut proposi« tum vestrum custodiatis, et usque in finem perse« veretis; ac si quam operam vestram mater Ecclesia « desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec « blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtem« peretis Deo; cum mansuetudine portantes eum qui « vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet man« suetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus « Ecclesiæ præponatis; cui parturienti si nulli boni « ministrare vellent, quomodò nasceremini non in« veniretis. Sicut autem inter ignem et aquam tenenda « est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic « inter apicem superbiæ et voraginem desidiæ iter « nostrum temperare debemus, sicut scriptum est, « Deuteron. 17 : *Non declinantes neque ad dexteram,* « *neque ad sinistram.* Sunt enim qui dùm nimis timent, « ne quasi in dexteram rapti extollantur, in sinistram « lapsi demerguntur. Et sunt rursùs qui dùm nimis se « auferunt à sinistrâ, ne torpidâ vacationis mollitie « sorbeantur, ex alterâ parte jactantiæ fastu corrupti « atque consumpti, in favillam fumumque vanescunt. « Sic ergo, dilectissimi, diligite otium, ut vos ab omni « terrenâ delectatione refrenetis, et memineritis nul« lum locum esse, ubi non possit laqueos tendere, qui « timet ne revolemus ad Deum. » Et libro 19 de Civitate Dei, cap. 19 : *Otium sanctum,* inquit, *quærit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati; si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem : sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas.*

S. Gregorius, primâ parte Pastoralis, cap. 5 : « Sunt « nonnulli, inquit, qui eximia virtutum dona perci« piunt, et pro exercitatione cæterorum magnis mu« neribus exaltantur, qui studio charitatis mundi, ab« stinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, « patientiæ longanimitate humiles, auctoritatis forti« tudine erecti, pietatis gratiâ benigni, justitiæ severi« tate districti sunt. Qui nimirùm culmen regiminum « si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerùmque « dona adimunt, quæ non pro se tantummodò, sed « etiam pro aliis acceperunt. Cùmque sua et non alio« rum lucra cogitant, ipsis se, quæ privata habere ap« petunt, bonis privant. Hinc namque ad discipulos « Veritas dicit, Matth. 5 : *Non potest civitas abscondi* « *supra montem posita; neque accendunt lucernam, et* « *ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut lu*« *ceat omnibus qui in domo sunt.* Hinc Petro ait, Joann. « 21 : *Simon Joannis, amas me?* Qui cùm se amare « protinùs respondisset, audivit : *Si diligis me, pasce* « *oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura « pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei « renuit pascere, pastorem summum convincitur non « amare. Hinc Paulus dicit, 2. Cor. 5 : *Si Christus* « *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et* « *si pro omnibus mortuus est, superest ut qui vivunt, jam*

« *non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et re-* « *surrexit.* Hinc Moyses ait, ut uxorem fratris sine « filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad no- « men fratris filium gignat; quam si accipere fortè re- « nuerit, huic in faciem mulier exspuat, unumque ei « pedem propinquus discalciet, ejusque habitaculum « domus discalciati vocetur. Frater quippe defunctus « ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens, « dixit, Matth. 28 : *Ite, nuntiate fratribus meis.* Qui quasi « sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum nume- « rum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes « frater sortiri præcipitur, quia dignum profectò est, « ut cura sanctæ Ecclesiæ ei, qui hanc benè regere præ- « valet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier ex- « spuit; quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, « prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta « Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. « Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati « domus vocetur. Scriptum quippe est, Ephes. 6 : *Cal-* « *ceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Si ergo « ut nostram sic curam proximi gerimus, utrumque « pedem per calceamentum munimus. Qui verò suam « cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi « unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. « Sunt itaque nonnulli, qui magnis, ut diximus, mu- « neribus ditati, dùm solius contemplationis studiis « inardescunt, parere utilitati proximorum in prædi- « catione refugiunt, secretum quietis diligunt, seces- « sum speculationis petunt. De quo si districtè judi- « centur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis ve- « nientes ad publicum prodesse potuerunt. Quâ enim « mente is qui proximis profuturus enitesceret, utili- « tati cæterorum secretum præponit suum, quando « ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, « de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? »

Idem persequitur argumentum, cap. 6 : « Et sunt non- « nulli, inquit, qui ex solâ humilitate refugiunt, ne eis « quibus se impares æstimant, præferantur. Quorum « profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cin- « gitur, tunc ante Dei oculos vera est, cùm ad respuen- « dum hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax « non est. Neque enim verè humilis est, qui superni « nutûs arbitrium ut debeat præesse intelligit, et ta- « men præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus « subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm « sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præ- « ventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet « fugere, et invitus obedire. »

S. Thomas, 2-2, quæstione 185, a. 2 : « In assump- « tione, inquit, episcopatûs duo sunt consideranda. « Primò quidem, quid deceat hominem appetere secun- « dùm propriam voluntatem. Secundò, quid hominem « deceat facere ad voluntatem alterius; quantùm ergo « ad propriam voluntatem convenit homini princi- « paliter insistere propriæ saluti; sed quòd aliorum « saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione « alterius potestatem habentis. Unde sicut ad inordi- « nationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio « motu feratur in hoc quòd aliorum gubernationi præ- « ficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis per- « tinet, quòd aliquis omninò contra superioris injun- « ctionem, prædictum gubernationis officium finaliter « recuset, propter duo : primò quidem quia hoc re- « pugnat charitati proximorum, quorum utilitati se « aliquis debet exponere pro loco et tempore; secun- « dò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis « superiorum mandatis se subjicit. »

Regula XI. — Obedire superiori beneficium, dignitatem, aut præfecturam ecclesiasticam imponenti non tenetur, qui aliquod in se impedimentum agnoscit, quod nec ejus studio, nec superioris auctoritate removeri potest. — Hæc regula colligitur ex S. Thomâ, 2-2, quæstione 185, a. 2, ad secundum : « Nullus, in- « quit, tenetur obedire prælato ad aliquod illicitum. « Potest ergo contingere quòd ille cui injungitur præ- « lationis officium, in se aliquid sentiat, propter quod « non liceat ei prælationem accipere. Hoc autem im- « pedimentum quandoque quidem removeri potest « per ipsummet cui pastoralis cura injungitur : putà, « si habeat peccandi propositum, quod potest dese- « rere. Et propter hoc non excusatur, quin finaliter « teneatur obedire prælato injungenti. Quandoque « verò impedimentum ex quo fit ei illicitum pastorale « officium, non potest ipse removere, sed prælatus « qui injungit : putà, si sit irregularis vel excommu- « nicatus. Et tunc debet defectum suum prælato in- « jungenti ostendere, qui si impedimentum removere « voluerit, tenetur humiliter obedire. Unde, Exodi 4, « cùm Moyses dixisset : *Obsecro, Domine, non sum* « *eloquens ab heri et nudiustertius;* Dominus respondit « ad eum : *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loqua-* « *ris.* Quandoque verò non potest removeri impedi- « mentum nec per injungentem, nec per eum cui in- « jungitur; sicut si archiepiscopus non possit super « irregularitate dispensare. Unde subditus non tenetur « ei obedire ad suscipiendum episcopatum, vel sacros « ordines, si sit irregularis. »

Regula XII. — Lethalis ambitionis reus est, qui beneficium, dignitatem, seu præfecturam ecclesiasticam retinet absque legitimo titulo, aut cùm dotibus omninò necessariis ad illius functiones obeundas non est præditus, nec eas vult aut potest comparare. — Qui enim absque legitimo titulo beneficium, dignitatem, vel præfecturam ecclesiasticam retinet, *non intravit per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde,* adeòque *fur est et latro.* Quamobrem abdicare se tenetur inter manus collatoris. Nam *beneficium ecclesiasticum non potest licitè absque institutione canonicâ obtineri;* ut habet regula Juris 1, in sexto. Qui ergo per simoniam, sive simplicem, sive fiduciariam, ecclesiasticum beneficium obtinuerit, aut expuncto in provisionis litteris ejus cui collatum est, nomine, suoque inscripto, aliâve fraude surripuerit, illud restituere tenetur, in primo quidem casu legitimo collatori; in secundo verò, ei cui canonicè collatum erat. Si verò retineat, non solùm gravis injustitiæ, sed et lethalis ambitionis reus est. Idem esto judicium de illo, quem arguit conscientia criminis, ab ordinis vel officii executione, peractâ

etiam pœnitentiâ, impedientis, quale est homicidium; vel cum gravi scandalo conjuncti. Pro gravi namque scandalo vitando, cùm aliter sedari non potest, dignitate et beneficio cedere debet, *ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem.* Idem censendum de illo quem irregularitatis vinculum adstringit, ut si fortè sit bigamus, vel viduæ maritus. Idem de imperito, quia « scientia circa spiritualium « administrationem est potissimùm necessaria, et circa curam temporalium opportuna. » Unde si præsul et pastor scientiâ necessariâ sit destitutus, nec eam comparare possit, dignitate seu beneficio cedere debet. *Quia tu scientiam repulisti*, inquit Dominus, Osee 4, *repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Hæc colliguntur ex rescripto Innocentii III ad Calaritanum archiepiscopum, cap. *Nisi cùm pridem*, extra. *de Renuntiatione.*

Regula XIII. — Lethalis ambitionis reus est, qui dignitatem vel beneficium ecclesiasticum retinet, cujus cessione unitatem et pacem ecclesiæ, procurare potest, aut grave quodvis malum ab eâ depellere. — Colligitur hæc regula ex doctrinâ et facto S. Augustini et catholicorum Africæ episcoporum in Collatione cum Donatistis; qui se ad cessionem episcopatuum teneri senserunt, et paratos exhibuerunt, si hoc medio Donatistarum conversio et nefarii schismatis exstinctio procurari posset. Quâ de re S. Augustinus, epistolâ 128 postremæ editionis Parisiensis ita scribit : « Quid enim dubitemus Redemptori nostro sacrificium « istius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in « membra humana descendit, ut membra ejus essemus ; et nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione « lanientur, de cathedris descendere formidamus ? « Propter nos nihil sufficientiùs quàm christiani fideles et obedientes sumus : hoc ergo semper simus. « Episcopi autem propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam « pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus. « Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro « nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem « Christi magis deposita collegerit, quàm retenta « disperserit. Nam quâ fronte in futuro seculo promissum à Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc seculo noster honor impedit unitatem? » Et libro 1 de Gestis cum Emerito Donatistarum episcopo, catholicorum episcoporum eâ de re sententiam referens : « Cùm, inquit, ante ipsam collationem inter « nos aliqui fratres de hâc re colloqueremur, quia pro « pace Christi episcopi debent esse, aut debent non « esse; quod vobis fatendum est, circumspicientes « omnes fratres et coepiscopos nostros, non facilè « nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, et de « hâc humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, ut « fieri solet, ille potest, ille non potest; ille consentit « hoc, ille non tolerat; loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minimè poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam « fieret, in concilio universorum tam frequenti penè « trecentorum episcoporum, sic placuit omnibus, sic « exarserunt omnes, ut parati essent episcopatum pro « Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo « tutiùs commendare. » Et infra : « Si Dominum cogitamus, locus iste altior, specula vinitoris est, non « fastigium superbientis. Si cùm volo retinere episcopatum meum, dispergo gregem Christi, quomodò « est damnum gregis honor pastoris? »

Regula XIV. — Lethalis ambitionis reus est episcopus, qui à minori episcopatu ad majorem et celebriorem, absque necessitate vel utilitate Ecclesiæ, migrat, aut transferri postulat. — In re enim gravis momenti violator est canonum Spiritu Dei conditorum, totiusque mundi reverentiâ consecratorum, quibus hujusmodi migrationes prohibentur, pœnâ excommunicationis in transgressores constitutâ. Et *cùm nemo ad minorem transeat ex majore, ex cupiditate et ambitione dominandi moventur*, inquit concilium Sardicense, canon. 1 et 2. Id, inquam, prohibent Nicæna synodus, canone 15; S. Damasus pontifex maximus in epistolâ ad Paulinum, apud Theodoretum, lib. 5, cap. 11; concilium Carthaginense 4, canone 27; S. Leo, epistolâ 12, aliàs 64 ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, cap. 8; concilium Chalcedonense, canone 5; Hilarius Romanus pontifex in epistolâ ad Episcopos provinciæ Tarraconensis ; Pelagius II, Epist. 2; concilium Ravennatense sub Joanne IX; canonibus 3 et 5 ; Nannetense, canone 16, cujus hæc sunt verba : *De episcopo canonica decrevit auctoritas, ut si per ambitionem majorem civitatem appetierit, et illam perdat quam tenuit, et illam nequaquàm obtineat quam usurpare tentavit;* et Innocentius III, cap. *Quantò*, et cap. *Licet*, extra. de Translatione episcopi. Idem esto judicium de presbyteris à minori titulo ad majorem migrantibus, secundùm canonem 14 concilii Turonensis III, Carolo Magno imperante celebrati, cujus hæc sunt verba : « De titulo minori ad majorem migrare, « nulli presbytero licitum sit; sed in eo permaneat, « ad quem ordinatus est. Quòd si inventus fuerit con« tra statuta id facere, eâdem feriatur sententiâ, quâ « episcopus, si de minore ad majorem transmigrave« rit sedem. » Parochus igitur, qui absque necessitate aut utilitate Ecclesiæ, à minori parochiâ transit ad majorem et insigniorem, lethalis ambitionis reus est; non autem qui propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ ab episcopo transfertur, sicut nec episcopus, qui vel electione vel regis nominatione ab ipso non petitâ nec procuratâ, sed Romani pontificis auctoritate confirmatâ (penès quem unum est hujusmodi translationum potestas secundùm præsentem disciplinam), à minore ad majorem Ecclesiam transfertur.

Regula XV. — *Non semper ambitionis reus est, qui ordinem suum ac locum tuetur. Quandoque ignavus est et pœnâ dignus qui suo jure cedit.* — Hæc regula colligitur ex S. Leone, epistolâ 18, aliàs 5 ad Dorum Beneventanum episcopum, quem de perturbato presbyterii ordine, primosque presbyteros jure suo cedentes redarguit; ac suum cuique ordinem vindicat pro ordinationis tempore; primis, qui cesserant, ad infimum

locum detrusis. « Omnis, inquit, laborum fructus au-
« fertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tan-
« tùm quis assequitur dignitatis, quantùm adulationis
« obtinuit; ut cupiditas emendi non solùm superbien-
« tem minuat, sed etiam conniventem. Si verò, ut
« asseritur, primi secundique presbyteri, circa Epi-
« carpium sibimet præponendum, tanta huic assenta-
« tio fuit, ut illum cum suî dedecore poscerent hono-
« rari, nec hoc quidem illis proprio se judicio deji-
« cientibus tribui debuit, quod volebant, cui tam mi-
« seræ voluntati te dignius fuerat obviare, quàm cedere.
« Deformis autem et ignava subjectio benè sibi con-
« sciis, et non irritam facientibus gratiam Dei præjudi-
« care non potuit, ut primatus suos quocumque com-
« mercio in alterutrum transferentes, subsequentium
« suorum minuerent dignitatem, et quia ultimum sibi
« anteposuerant, cæteris præemineret. Prædicti igitur
« presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt
« professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur,
« tamen ut eis pro apostolicæ sedis pietate parcatur,
« ultimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur;
« et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam
« illo erunt quem propriâ sententiâ sibimet prætulêre;
« cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanen-
« tibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus ad-
« scripsit..... Paulus verò presbyter ordinem suum de
« quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. »

## CAPUT V.

### DE AVARITIA.

### Articulus I.

*Quid sit avaritia, et quàm grave peccatum?*

I. *Avaritia est libido habendi pecuniam*, inquit S. Augustinus, lib. 14 de Civitate Dei, cap. 15; sive *immoderatus amor habendi*, ut definit S. Thomas, 2-2, quæst. 118, a. 4; sive *immoderatus amor divitiarum.*

II. Singulare peccatum est, sæpè mortale, capitale: de quo Apostolus ad Romanos 1 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, etc.;* et 1 ad Timotheum 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge.* Ad Hebræos 13 : *Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam.* 1 ad Corinthios 5 : *Nunc autem scripsi vobis non commisceri : si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et cap. 6 : *Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri..... neque fures, neque avari... regnum Dei possidebunt.*

III. Hujus gravitatem peccati Scriptura sacra ostendit, Ecclesiastici 10 : *Avaro*, inquit, *nihil est scelestius.* Peccatum est in Deum, in seipsum et in proximum : in Deum, in quantùm homo propter bonum temporale contemnit æternum. Hinc avaritiam idolorum servitutem vocat Apostolus, Ephes. 5 : *Hoc enim scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Numquid enim non est idololatriæ reus, qui divitiis servit, Dei imperium exutit? Cùm Dominus dixerit, Matth. 6 : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Numquid divitias pro Deo non habet, qui *sperat in pecuniâ et thesauris?* Deum non colit avarus, sed loco Dei divitias. *Hoc enim colitur quod diligitur*, inquit S. Augustinus : divitias autem præ Deo diligit; pro nihilo siquidem ducit perdere Deum, ut acquirat nummum. « *Ut lucrum faceres, Deum offendisti*, inquit S. Au-
« gustinus, Enarratione in psalmum 123, ut auge-
« res pecuniam, fides diminuta est, et aurum crevit.
« Quid perdidisti, et quid adquisisti? Quod adqui-
« sisti, aurum vocatur; quod perdidisti, fides voca-
« tur; compara fidem auro... Lucra tua cogitas, dam-
« na tua non cogitas; de arcâ gaudes, de corde non
« plangis... Adquisisti aurum, perdidisti fidem; post
« paucos dies exis de hâc vitâ. Aurum quod adquisi-
« sti perditâ fide, auferre tecum non potes; cor tuum
« inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad co-
« ronam exiret. » Deo non obedit avarus, sed pecuniæ. Undè Ecclesiastis 10 Salomon ait : *Pecuniæ obediunt omnia.* Clamat Deus : *Ego possidear. Quid vis ab avaritiâ possideri? Dura jubet, levia jubeo; onus ejus grave, sarcina mea levis est; jugum ejus asperum est, jugum meum leve est. Noli velle ab avaritiâ possideri. Jubet avaritia ut mare transeas, et obtemperas, jubet ut te ventis procellisque committas; jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi; piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare. Quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti*, inquit S. Augustinus, Enarratione in psalmum 128. Deum non invocat avarus, sed lucrum. « Invo-
« cas Deum, quando in te vocas Deum. Hoc est enim
« illum invocare, illum in te vocare, quodammodò
« eum in domum cordis tui invitare. Non autem aude-
« res tantum patremfamilias invitare, nisi nôsses ei
« habitaculum præparare. Si enim tibi dicat Deus :
« Ecce invocâsti me, venio ad te, quò intrabo? Tan-
« tas sordes conscientiæ tuæ sustinebo? Si servum
« meum in domum tuam invitares, nonne priùs eam
« mundare curares? Invocas me in cor tuum, et ple-
« num est rapinis, plenum est fraudibus, plenum est
« malis concupiscentiis... De talibus denique quid ait
« in alio loco psalmus? Dominum non invocaverunt.
« Et utique invocaverunt, nec tamen invocaverunt...
« Dico homini avaro : Invocas Deum? Quare invocas
« Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas,
« non Deum. Quia hoc lucrum quod concupiscis, non
« potes habere per servum tuum, non potes habere
« per colonum tuum per clientem tuum, per ami-
« cum tuum, per satellitem tuum; invocas Deum,
« ministrum lucri tui facis Deum; viluit tibi Deus.
« Vis invocare Deum? Gratis invoca, avare, an pa-
« rùm est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te
« veniat sine auro et argento, non vis illum? Quid

« ergo tibi de his, quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus « ipse non sufficit ? » inquit S. Augustinus, Enarratione 4 in psalmum 30. Pecuniam in dearum numero apud veteres Romanos consecratam, S. Augustinus testatur lib. 4 de Civitate Dei, cap. 21. Templum tamen habuisse nullum testis est Juvenalis :

*Etsi, funesta pecunia, templo*
*Nondùm habitas, nullas nummorum extruximus aras.*

Templum scilicet aramque in corde suo illi dedicârunt avari ; nullum aliud voluerunt, ut impensis parcerent. Hinc Judas pretium ex sacrilegâ magistri sui venditione comparatum « non projecit in sterquilinium, sed in templum ; nimirùm talibus semper diis templum suum devoverat, » inquit Drogo Ostiensis, sermone de Passione Domini. Hùc spectat illud Osee 10 : *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei ; secundùm multitudinem fructûs sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* Deo dicere non potest dives avarus : *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.* Ille dicit : *Tuus sum*, qui potest dicere : *Ecce omnia reliquimus, et secuti sumus te.* Apostolorum itaque vox ista est, nec omnium tamen. Nam et Judas apostolus fuit, et in convivio Christi, inter apostolos recumbebat. Dicebat et ipse : *Tuus sum*, sed voce, non corde. « Venit, et introivit in eum Satanas, et cœpit dicere : « Non est tuus, sed meus est. Denique ea quæ mea « sunt cogitat ; quæ mea sunt in pectore suo voluit ; « tecum epulatur, et mecum pascitur ; à te panem ac- « cipit, à me pecuniam ; tecum bibit, et mihi tuum « sanguinem vendit ; tuus est apostolus, et meus est « mercenarius. » Verba sunt S. Ambrosii, sermone 12 in psalmum 118. Avaritiæ malum idem Pater disertè explicat, lib. 12 de Officiis, cap. 26 : « Vetus, in- « quit, avaritia est, quæ cum ipsis divinæ legis cœ- « pit oraculis, imò propter ipsam reprimendam lex « Dei lata est. Propter avaritiam Balac putavit Ba- « laam præmiis posse tentari, ut malediceret popu- « lum patrum : et vicisset avaritia, nisi Dominus à « maledicto eum abstinere vetuisset. Propter avari- « tiam præcipitatus, Acham in exitium deduxerat to- « tam plebem parentum. Itaque Jesus Nave, qui potuit « solem sistere ne procederet, avaritiam hominum « non potuit sistere ne serperet. Ad vocem ejus sol « stetit, avaritia non stetit. Sole itaque stante confe- « cit Jesus triumphum, avaritiâ autem procedente « penè amisit victoriam. Quid, fortissimum omnium « Samsonem, nonne Dalilæ mulieris avaritia decepit?... « Influxit pecunia in gremium mulieris, et à viro discessit gratia. Feralis igitur avaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non juvat. »

IV. Avaritia est peccatum hominis in seipsum quatenùs inordinato divitiarum amore, aut desiderio, vel delectatione in eis, pervertitur hominis affectus, ut ait S. Thomas. *Cuviditas* quippe *venenum est charitatis*, inquit S. Augustinus, lib. Quæstionum octoginta trium, quæst. 36. Avaritia hominem duræ et indecoræ mancipat servituti. Divitias non possidet, imò ab illis possidetur. « Ille enim habet aurum, qui novit « uti auro ; qui autem auro uti non novit, habetur, « non habet ; possidetur, non possidet. Estote domini « auri, et non servi auri, quia et aurum Deus fecit, « et te super aurum ipse fecit ; aurum fecit ad subsi- « dium tuum, et te ad imaginem suam. Vide quod « supra te est, et calcas quod infra te est, » inquit S. Augustinus, Enarratione in psalmum 123. Hinc etiam S. Ambrosius, lib. de Nabuthe, cap. 15, avaros meritò *viros divitiarum* à Davide nuncupatos observat psalm. 75. *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Viros divitiarum appellavit, non divitias virorum ; « ut « ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed « à suis divitiis possideri. Possessio enim possessoris « debet esse, non possessor possessionis. Quicumque « igitur patrimonio suo tanquàm possessione non uti- « tur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, is « suarum servulus est, non dominus facultatum, qui « alienas custodit ut famulus, non tanquàm Dominus « ut suis utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus « quòd vir divitiarum sit, non divitiæ virorum. » Et cap. 12 : « Captiva est opulentia, paupertas libera. « Servitis, divites, ac miseram quidem servitutem, « qui servitis errori, servitis cupiditati, servitis ava- « ritiæ, quæ expleri non potest. » Et cap. 5 : « Tole- « rabilior conditio servulorum ; illi enim hominibus « serviunt, iste peccato. Semper in laqueis, semper « in vinculis est ; nunquàm liber à compedibus, quia « semper in criminibus. » Miserum avarorum statum, qui non solùm duram servitutem serviant, sed similes sint dæmoniacis, describit egregiè S. Joannes Chrysostomus, homilià 29 in Matthæum : « Quid enim, in- « quit, miserius avaro ? Nam dæmoniacus etsi homi- « nes contempserit, verbo tamen Christi abactis dæ- « monibus liberatus est ; pecuniæ autem servus « Christo non auscultat. Nam etsi quotidiè Christum « audit prædicantem : *Non potestis Deo servire et mam- « monæ ;* etsi gehennæ terror incutitur, ac inferni « pœnæ imminere dicuntur, non credit tamen Christi « verbo... Quis mentis compos cum hujusmodi homi- « nibus conversabitur ? Nam meâ quidem sententiâ, « eum mille dæmoniacis habitandum potiùs esset « quàm cum uno qui hoc morbo laboraret. Nam æris « quidem avidi etiam innocuos, nisi utiles sibi sint, « inimicos ducunt : et liberum hominem, si possent, « libenter in servitutem suam redigerent, eumque « mille implicarent malis ; dæmoniaci verò nihil hu- « jusmodi faciunt, sed ipsi soli suo malo laborant. Et « illi quidem multas domos evertunt, nomenque Dei « propter ipsas blasphemare faciunt ; communis « ærumna civitatum atque orbis totius sunt ; dæmo- « nibus autem exagitati, lacrymas nobis ita movent, « ut eorum facilè misereamur : et isti non sentiunt « plerùmque quod agunt, illi præmeditati omnia fa- « ciunt, in mediis urbibus bacchantes, ac novam in- « sanientes insaniam. Quando enim omnes simul « dæmoniaci tantùm facinoris committent, quantùm « Judas solùm commisit, qui ad extremam iniquita- « tem turpi pecuniarum ardore devectus est, pari-

« terque omnes qui avaritiam illius imitantur?... Et « vincula quidem etiam his undique injecta sunt, ju- « dicii timor, legum terror, multorum odia; sed his « ruptis omnia perturbant : quòd si quis hos nexus « omninò ab iis auferret, tunc videres pejore hos « dæmone quàm dæmoniacos ac fortiore vexari. »

Curationem suam adeò refugiunt, ut etiam cœlestem Medicum irrideant; Luc. 16, cùm Christus propositâ parabolâ de villico iniquitatis auditores suos ad erogandas eleemosynas hortatus esset, dixissetque neminem Deo et mammonæ servire posse, notat evangelista, quòd *audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum.* Quapropter difficillimam esse divitum salutem, Christus Dominus asseruit, Matth. 19 : *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterùm dico vobis : facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* « Auditis autem his discipuli « mirabantur valdè, dicentes · Quis ergo poterit salvus « esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis : Apud homi- « nes hoc impossibile est; apud Deum autem omnia « possibilia sunt. » Et Matth. 13, parabolam sementis explicans : *Sollicitudo,* inquit, *seculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Hinc S. Petrus Chrysologus, sermone 29 : « Aurum, in- « quit, naturâ grave, gravius fit avaritiâ; plus haben- « tem deprimit quàm ferentem, et vehementiùs ag- « gravat corda quàm corpora. Nascitur in terrâ pro- « fundâ, sectatur ipsa montium fundamenta, perque « ima venarum cæcis discurrit anfractibus; et dùm « suam semper repedat ad naturam, cœlestes animas « ad inferna deponit. » Et infra : « Auri furor arden- « tiùs humano fervet in pectore, quàm caminus totus « ignescit incendiis, et acriùs homines dissolvit, quàm « solvitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, « sævus hostis, amando lædit, nudat ditando, ipsum « etiam captivat aspectum, fidem frangit, violat af- « fectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit « innocentiam, docet furtum, suadet fraudem, impe- « rat latrocinium. » Ex quibus colligit quòd « aurum « erogare, bonum; reponere, malum; contemnere, « validum; fugere, persecurum; quod sicut vincere « virtutis, ita felicitatis est evasisse. » Hinc Salvianus, lib. 2 ad Ecclesiam catholicam : « Non est, inquit, « quòd competere quisquam aut non obesse divitias « Religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non ad- « jumenta; onera, non subsidia; possessione enim et « usu opum non suffulcitur Religio, sed evertitur. » Hinc denique S. Bernardus epistolâ 103 : « Si sapis, « inquit, si habes cor, si tecum est lumen oculorum « tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi mise- « rum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa « onerant, amata inquinant, amissa cruciant. »

Quæ tamen non eo dicuntur animo, ut divitiæ secundùm se malæ existimentur, sed perversus earum amor, et pravus usus. Ait namque Deus per Aggæum Prophetam, cap. 2 : *Meum est aurum, et meum est argentum.* Quem locum expendens S. Augustinus, ser- mone 50, aliàs de Diversis 15, necnon trigesima inter homilias quinquaginta, cap. 2, ait : « Vis videre quàm « justi judicis res est aurum et argentum? Avarus « inde torquetur, unde misericors adjuvatur. Rem « suam divinâ distribuente justitiâ, et rectè facta « inde manifestantur, et peccata inde puniuntur. Nam- « que aurum et argentum atque omnis terrena pos- « sessio et exercitatio humanitatis est, et supplicium « cupiditatis. Cùm talia Deus bonis hominibus tribuit, « ostendit in eis quanta contemnat animus, cujus « divitiæ sunt ipse qui tribuit. Non enim potest quis- « que apparere contemptor, nisi ejus rei cujus pos- « sessor effectus est. Nam et qui non habent, possunt « ista contemnere : sed utrùm fingant, an verè con- « temnant, Deus videt qui cordis inspector est : ho- « minibus autem, ut imitari possint, cogitatio con- « temnentis nonnisi in manibus erogantis inspicitur. « Cùm autem malis hominibus Deus ista concedit, « ostendit in eis quomodò et in ipsis bonis quæ Deus « largitur, crucietur animus, cui viluit qui tanta largi- « tur. Bonis enim subministrat occasiones beneficiorum; « malos torquet timore damnorum. Et ideò si amittant « utrique aurum et argentum, isti cœlestes divitias « læto corde retinebunt, illis autem et bonis tempo- « ralibus inanis domus, et bonis æternis inanior con- « scientia remanebit. Illius est ergo aurum et argen- « tum, qui novit uti auro et argento; nam etiam inter « ipsos homines tunc quisque habere aliquid dicendus « est, quando benè utitur. Nam quod justè non tractat, « jure non tenet. Quod autem jure non tenet, si suum « esse dixerit, non erit vox justi possessoris, sed « impudentis incubatoris improbitas. Quapropter si « homo non importunè dicit aliquid suum, non quod « iniquâ et stultâ cupiditate occupaverit, sed quod « prudentissimâ potestate et justissimâ moderatione « tractaverit; quantò magis Deus verè ac propriè « suum esse dicit aurum et argentum, quod et lar- « gissimâ bonitate condidit, et justissimo administrat « imperio; ut sine ipsius nutu atque dominatu, nec « mali ad avaritiæ supplicium, nec boni ad usum « misericordiæ possint habere aurum et argentum. Si « autem solis malis in potestatem daretur aurum et « argentum, rectè putaretur malum; si solis bonis, « rectè putaretur magnum aliquod bonum. Rursùs « si solis malis deesset, videretur magna pœna « paupertas; si autem solis bonis deesset, videretur « summa beatitudo paupertas. Nunc verò si scire vis « aurum posse benè haberi, habent et boni; si scire « vis non eos per aurum bonos esse, habent et mali. « Item si scire vis quàm non sit miseria paupertas, « sunt quidam pauperes beati; si scire vis quàm non « sit beatitudo paupertas, sunt quidam pauperes mi- « seri. Ita ergo aurum et argentum distribuit homini- « bus conditor rerum et administrator Deus, ut ipsum « per se naturâ et genere suo bonum sit, quamvis « non summum et magnum bonum, et pro gradu sui « ordinis laudabilem Conditorem universitatis osten- « dat; copia verò ejus non extollat bonos, nec elidat « inopia; malos autem et cùm offertur excæcet, et « cùm auferatur excruciet. » Quamobrem Spiritus

sanctus per os Siracidis ait, Ecclesiastici 10 : *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet; quoniam in vitâ suâ projecit intima sua.*

Iniquus reverà in seipsum est avarus, qui se veris bonis defraudat, et in summâ divitiarum affluentiâ inops et indigus est. Unde Psalm. 33 dicitur : *Divites eguerunt, et esurierunt;* et Luc. 1 : *Divites dimisit inanes.* Eamdem avari in seipsum iniquitatem Sapiens expressit, Ecclesiasticis cap. 4 : *Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole; unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec recogitat, dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis?* Et cap. 5 : *Avarus non implebitur pecuniâ : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis : et hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parùm, sive multùm comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole; divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessimâ; generavit filium, qui in summâ egestate erit. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsùs infirmitas; quomodò venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quòd laboravit in ventum; cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumnâ atque tristitiâ.* Temporales divitiæ animam non satiant, quia finitæ sunt, corporeæ, transitoriæ ; anima verò incorporea est secundùm substantiam, sempiterna secundùm durationem, infinita secundùm capacitatem. « Animum Dei capacem quicquid Deo minus est non implebit, » inquit S. Augustinus. S. Ambrosius, lib. de Nabuthe, cap. 4, expendens cur de Achab rege dicatur : *Et non manducavit panem suum,* 3 Regum, cap. 21 : « Divites, inquit, magis alienum « panem, quàm suum manducant, qui rapto vivunt, et « rapinis sumptum exercent suum. Aut certè non « manducavit panem suum, volens se morte mulctare « quòd ei aliquid negaretur. Compara nunc affectum « pauperis. Nihil habet, et jejunare voluntarius nisi « Deo nescit, jejunare nisi ex necessitate non novit. « Divites, eripitis quidem pauperibus universa, au« fertis omnia, nihil relinquitis; pœnam tamen pau« perum vos potiùs divites sustinetis. Illi jejunant, si « non habeant, vos cùm habetis. A vobis igitur priùs « pœnam exigitis, quàm pauperibus irrogatis. Vos igitur « vestro affectu luitis miseræ paupertatis ærumnas : « et pauperes quidem non habent quo utantur; vos « autem nec ipsi utimini, nec alios uti sinitis. Eruitis « aurum de metalli venis, sed rursùm absconditis il« lud. Quantorum vitas in illo infoditis auro? » Et cap. 6, locum illum Evangelii explicans, Luc. 12: *Quid faciam? destruam horrea mea,* etc., ait : « In « ubertate fructuum, vocem egentis mittit. *Quid fa« ciam,* inquit? Nonne hæc pauperis vox est, non ha« bentis subsidia vivendi? Clamat se dives non habere. « Paupertatis hic sermo est... Miserior iste fœcundi« tatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate « est. Habet ille unde excuset ærumnam, habet certè « injuriam, non habet culpam; iste non habet quem « præter se arguat. » Et cap. 11 : « O dives, nescis « quàm pauper sis, quàm inops tibi ipse videaris, qui « te divitem dicis! Quantò plus habueris, plus requi« ris, et quicquid acquisieris, tamen tibi adhuc indi« ges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. « Quasi quosdam gradus cupiditas habet; quò plures « ascenderit, eò ad altiora festinat, unde sit gravior « ruina lapsuro. Tolerabilior tamen iste cùm minùs « haberet; censûs sui contemplatione mediocria re« quirebat; accessione patrimonii accessit cupiditatis « augmentum. Non vult esse degener votis, pauper in « desideriis. Ita duo intolerabilia simul jungit, ut am« bitiosam spem divitis augeat, et non deponat mendi« citatis affectum. Denique docet nos Scriptura divina « quàm miserè egeat, mendicet abjectè. Rex Achab « in Israel erat, et pauper Nabuthe. Ille regni opibus « affluebat; iste angusti soli cespitem possidebat. Ni« hil pauper de possessionibus divitis concupivit; rex « sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vi« cinus. Quis igitur tibi pauper videtur, qui contentus « est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certè « pauper censu videtur, alter est pauper affectu. » Et cap. 12 : « Pauperiorem se judicat omnis abundans, « quia sibi deesse arbitratur quicquid ab aliis possi« detur. Toto mundo eget, cujus non capit mundus « cupiditates; ejus autem qui fidelis est, totus mun« dus divitiarum est. »

Perituras illas divitias egestatem non auferre, S. Augustinus pariter ostendit, sermone 50 : « Cùm, in« quit, hoc genus rerum Dominus in Evangelio mam« mona iniquitatis appellat, significat alterum esse « mammona, id est, alias divitias, quas nisi justi et « boni possidere non possunt, ut ideò mammona ini« quitatis vocetur, quia iniquitas eas vocat divitias. « Justitia verò novit esse alias divitias, quibus homo « adornatur interior, sicut beatus Petrus dicit, 1 Epist. « cap. 3 : *Qui est ante Deum dives.* Illæ justæ dicun« tur divitiæ, quia bonis meritis justisque tribuuntur. « Illæ veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas ha« buerit, non egebit. Istæ verò injustæ divitiæ, non « quia injustum est aurum et argentum, sed quia inju« stum est eas putare divitias, quæ non auferunt ege« statem. Tantò enim magis quisque ardebit egestate, « quantò magis eas diligens majores habuerit. Quomo« dò ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit ino« pia; quæ amatoribus suis quantò fuerint ampliores, non « afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? « Divitem tu putas, qui minùs egeret, si minùs habe« ret?... Major pecunia fauces avaritiæ non claudit, sed « extendit; non irrigat, sed accendit. Poculum respuunt, « quia fluvium sitiunt. Utrùm ergo ditior an egentior « dicendus est, qui cùm ideò voluit habere aliquid ne « indigeret, ideò plus habet ne minùs indigeat? » Idem, sermone 61, aliàs 5 de Verbis Domini, cap. 3 : « Ha« bes aurum, inquit, habes argentum; et concupiscis « aurum, et concupiscis argentum. Et habes, et con-

« cupiscis; et plenus es, et sitis. Morbus est, et non « opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni « sunt, et semper sitiunt. Quomodò ergo delectas « opulentiam, qui habes hydropem concupiscentiam? » Libido et avaritia dicuntur à Sapiente, Proverb. 4, *sanguisugæ, duæ filiæ, dicentes: Affer, affer.* Insatiabilis quidem utraque est, sed magis avaritia, quæ nec in ipsâ hominis senectute expleri potest. Communes sanguisugæ concidunt satietate, et pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale aspersæ, ut referunt naturalis historiæ scriptores. Avari autem qui se in terrenas opes ingurgitant, nec earum copiâ et pondere concidunt; nec divinis monitis, et concionatorum piorumque vivorum sapientiâ salutaribusque verbis tanquàm sale aspersi, ab avaritiæ ardore ullo modo refrigescunt vel revocantur.

V. Avaritia denique peccatum est in proximum, quia exterioribus divitiis non potest unus homo superabundare, nisi alteri deficiat; quia bona temporalia simul à multis possideri non possunt; inquit S. Thomas. Quàm immanis sit in proximum avaritia, propheticis oraculis ostenditur, Jerem. 2 : *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum;* et Michææ 6 : *Ignis in domo impii thesauri iniquitatis.* Instar enim ignis vicina quæque consumit, devastat, evertit. Avaritiâ crudelis est illa Jezabel, quæ Nabuthem falsis testimoniis opprimit, perditque, ut ejus vineam regi Achab tradat possidendam, 3 Regum, cap. 21. Quâ de re S. Ambrosius, lib. de Nabuthe, cap. 1, ita scribit : « Nabuthe historia tempore vetus « est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidiè « concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus? Quis contentus est « suo? Cujus non inflammet divitis animum vicina « possessio? Non igitur unus Achab natus est; sed, « quod pejus est, quotidiè Achab nascitur, et nunquàm « huic seculo moritur. Si unus occidit, assurgunt plurimi; plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non « unus Nabuthe pauper occisus est : quotidiè Nabuthe « sternitur, quotidiè pauper occiditur. »

S. Joannis Chrysostomi cùm ubique triumphet eloquentia, tùm maximè in avari crudelitate describendâ, homiliâ 29 in Matthæum : « Fingite, inquit, videre « tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem « emittat, cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant, cujus os cavernæ instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex « linguâ venenosus fons scaturiat; venter omni fornace sit voracior, cuncta quæ immittuntur subitò « consumens, pedes alati, quâvis etiam flammâ vehementiores; facies canis ac lupi simul : nec hominis « vocem emittat, sed insuave quiddam ac terribile mugiat; faces præterea in manibus teneat. Imaginemur « illud obvios quosque jugulare, carnes eorum lacerare « ac devorare : multò truculentior est avarus, in omnes ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, « communis generis humani hostis, quippe qui vellet « nullum hominem esse, ut omnia possideret. Neque hìc « sistit gradum; sed cùm omnes perdiderit cupiditate « suâ, etiam terræ substantiam cupit abolere, ac ipsam in aurum conversam vellet aspicere. Verùm ut « videatis nondùm nos insaniam illorum oratione assecutos, fingamus à nemine ipsum accusari, nullum « ipsi terrorem imminere, non à judiciis, non à consuetudine hominum, non à legibus, et tunc videbis « ipsum arrepto ense omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non fratri, non ipsis « parentibus. Interrogate avarum, si non hæc secum « quotidiè versat, si non omnes cogitatione invadat « amicos, cognatos, parentes. Ac nec interrogare quidem ipsum opus est. Scitis enim quòd qui hoc « morbo premuntur, et vitam parentum senum graviter ferunt, et dulce illud ac naturâ suavissimum « liberorum donum grave ac molestum esse censent. « Unde factum est ut multi sterilitatem uxorum herbis procuraverint, et naturam orbam effecerint, « qui etsi filios natos non interfecerunt, attamen ne « omninò nascerentur, effecerunt. » Denique quàm exitialis proximo sit avaritia, manifestum est ex latrociniis, rapinis, usuris, contractibus injustis, litibus improbis, monopoliis, iniquis exactionibus, quibus pauperes vexantur, opprimuntur, spoliantur. Idemque probat divitum avarorum in pauperes ferreum pectus, quorum miseriis non moventur; quos dùm non pascunt, occidunt. Unde Concilia eos, qui res pauperum inopiæ sublevandæ destinatas retinent (eadem autem est ratio eorum qui eleemosynam non erogant extremam necessitatem patientibus), *necatores pauperum* appellant. Ita concilium Carthaginense IV, canone 95, et Aurelianense V, canone 15.

Præclarum S. Cypriani locum de avaritiâ, epistolâ 1 ad Donatum, temperare mihi non possum quin referam : « Sed et quos divites opinaris, inquit, continuantes « saltibus saltus, et de confinio pauperibus exclusis « infinita ac sine terminis rura latiùs porrigentes, quibus argenti et auri maximum pondus, et pecuniarum « ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; « hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis « incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne « percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris « invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, « bibat licet gemmas, et cùm epulis marcidum corpus « torus mollior alto sinu condiderit, vigilat tamen in « plumâ; nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis « quàm possidere divitias atque opes. O detestabilis « cæcitas mentium, et cupiditatis insanæ profunda « caligo! Cùm exonerare se possit, et levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla « in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla « partitio, et pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex « quâ non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat. Et ô nominum quanta diversitas!

« Bona appellant, ex quibus nullus illis nisi ad res ma-
« las usus est. »

### Articulus II.

*Rationes explicantur propter quas Christiani ab avaritiâ deterreri debent.*

Christianos ab avaritiâ deterrere debet opum vanitas et fallacia, spiritualium excellentia bonorum, vitæ christianæ conditio, quæ via est ad meliorem et cœlestem, æternamque patriam, Christi verba, divites avaros damnantis, pauperes spiritu commendantis, et *beatos* prædicantis, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, discipulis tandem suis jubentis ut avaritiam omnem fugiant, Luc. 12 : *Videte, et cavete ab omni avaritiâ; quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet;* ejusdem Salvatoris exemplum, qui *propter nos egenus factus est, cùm dives esset, ut illius inopiâ divites essemus;* et qui *non habuit ubi reclinaret caput suum.* Qui ex paupere matre in stabulo natus, et in præsepi exceptus pauperes discipulos elegit, pauperem cum pauperibus vitam duxit, nudus in cruce mori voluit. « Turpe est, et nimis pudendum et dolendum, « inquit S. Augustinus, sermone 177, si cultores idolorum inventi sunt avaritiæ domitores, et cultor Dei « unius ab avaritiâ subjugetur, et fiat avaritiæ mancipium, cujus sanguis fit pretium.... Hujus familiæ « facti sumus, in hujus familiam adoptati sumus; hujus filii non nostris meritis, sed ipsius gratiâ sumus. « Nimis grave est, et nimis horribile, ut avaritia nos « teneat in terris, cùm illi dicamus : *Pater noster, qui « es in cœlis,* cujus desiderio vilescunt omnia, nec nata « nobis sunt inter quæ nati sumus, quia propter illum « renati sumus. Sint hæc ad necessitatis usum, non ad « charitatis affectum; sint tanquàm stabulum viatoris, « non tanquàm prædium possessoris. Refice, et transi. « Iter agis, attende ad quem venisti; quia magnus est « qui ad te venit. Discedendo de hâc vitâ, locum facis « venienti; stabuli est ista conditio; cedes, ut alius « accedat. Sed si vis ad locum tutissimum pervenire, « Deus à te non recedat, cui dicimus, Psalm. 22 : *Deduxisti me per semitas justitiæ tuæ, propter nomen tuum,* « non propter meritum meum. Aliud est ergo iter « mortalitatis, aliud iter pietatis. Iter mortalitatis com- « mune est, illuc enim ambulant omnes nati; illuc nonnisi renati. Ad illud pertinet nasci, crescere, senescere, « mori. Propter hoc necessarius est victus et tegumentum, sufficientes sint hujus itineris sumptus. Quare « te gravas, quare tantùm portas in viâ brevi, non « unde ad hanc viam finiendam juveris, sed unde po- « tiùs graviùs onereris. Nimiùm quippe mirabile est, « quod tibi vis ut contingat; oneras te, multùm portas, premit te in hâc viâ pecunia, et per hanc viam « premit te avaritia. Avaritia enim cordis est immunditia. Nihil tollis de hoc mundo, quem amâsti, sed « tollis vitium, quod amâsti. Si perseveranter amas « mundum, qui fecit mundum, non te invenit mundum. Si ergo in usum temporalem moderata pecunia « sit viatici, in eo fine constituto qui scriptus est : *Sine « amore,* inquit Hebr. 13, 5, *pecuniæ, modus sufficiens « est præsentibus.* Vide ante omnia quid præstruxit : « Sine amore, inquit, ita manum mitte, ut cor inde « solvas. Nam si pecuniæ per amorem cor alligare « volueris, inseris te doloribus multis : et ubi erit, « *tu autem, homo Dei, hæc fuge ?* 1 Timoth. 6; non « enim ait, Relinque, et desere; sed, Fuge, quasi hostem. Quærebas fugere cum auro, fuge aurum; cor « tuum fugiat, et servus est tuus. Cupiditas non sit, « pietas tamen non desit; est quod facias de auro, si « Dominus es auri, non servus. Si Dominus auri es, « facis de illo quod bonum est; si servus, facit de te « quod malum est. Si Dominus auri es, vestitus de te « Dominum laudat; si servus auri es, spoliatus de te « blasphemat. Servum autem te facit cupiditas, liberum charitas. Inde servus, si non fugeris. *Tu autem « ô homo Dei, hæc fuge.* In hâc causâ si non vis esse « servus, esto fugitivus. Audisti quid fugias, habes et « quod secteris. Non enim inaniter fugis, aut sic relinquis ut non apprehendas. Sectare ergo justitiam, « fidem, pietatem, charitatem. Hæc te divitem faciant. « Hæ divitiæ intùs sint; fur ad eas non accedit, nisi « mala voluntas ei dederit locum. Muni arcam interiorem, hoc est, conscientiam. Has divitias non tibi « latro, non quilibet potentissimus inimicus, non irruens hostis aut barbarus, non denique naufragium « poterit auferre, unde si nudus exeas, plenus exis. « Neque enim verè inanis erat, quamvis forinsecùs « nihil habere videretur, qui dicebat : *Dominus dedit, « Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum « est; sit nomen Domini benedictum*, Job. 1. Laudabilis ista plenitudo, ingentes divitiæ, inanis auro, « plenus Deo; inanis omni transitoriâ facultate, plenus sui Domini voluntate. Quid quæritis aurum « tantis laboribus et peregrinationibus? Amate has divitias, et modò implemini; fons earum non latet, si « cor patet; aperit cor clavis fidei, et aperit et mundat ubi ponas. Noli tibi angustus videri; divitiæ tuæ « Deus tuus, quando intravit, ipse dilatavit. Ergo, sine amore pecuniæ, modus sufficiens est præsentibus : quare præsentibus? quia *nihil intulimus in « hunc mundum, nec auferre aliquid possumus;* ideò « præsentibus, non futuris. Sed quæ res decipit hominem ad avaritiæ computum? Quid si diù vivo? Qui « dat vitam, dat unde vita sustentetur. Postremò sint « reditus, quare quæritur et thesaurus? Redit aliquid « de negotio, redit aliquid de artificio, redit aliquid de « pretio; sufficiat, non thesaurizetur; ne ubi pones « thesaurum tuum, ibi remaneat et cor tuum, et ut « sursùm sit frustra audias, falsùmque respondeas. « Quando enim respondes ad illum sacratissimum verbum : *Sursùm corda. Habemus ad Dominum;* et voce « subscribis, ab ipso corde intùs non accusaris? Quamvis pressum et oppressum cor tuum, non tibi intùs « dicit. Sub terrâ me ponis, quare mentiris? Ergone « tibi non dicit : Nonne ibi sum ubi thesaurus tuus? « Ergo mentiris. An verò ille mentitur, qui dixit « Matth. 6 : *Ubi enim, fuerit thesaurus tuus, illic erit « et cor tuum?* Tu dicis : Non illic erit. Veritas dicit : « Illic erit. Sed non illic erit, quia non amo, factis « proba. » Ad cœlorum regnum festinamus; hujus ita-

que mundi impedimenta relinquere debemus. In cujus rei figuram Elias igneo curru in cœlum raptus, pallium Elisæo discipulo dimisit, ut S. Hieronymus observat : « Elias ad cœlorum regnum festinans, ire non potest « cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimi- « sit. » Christianorum igitur gloria et divitiæ, evangelica paupertas, juxta illud S. Ambrosii : *Meum ergo paupertas Christi patrimonium est.* Et Epist. 63 ad Ecclesiam Vercellensem : « Ille est dives in Ecclesiâ, qui « fide dives est; fideli enim totus mundus divitiarum « est.... Non census divitem, sed animus facit.... Non « naturæ paupertas, sed opinionis est; ideòque citò « invenitur dives naturæ, difficilè cupiditati. Quid qua- « si necessarium quæritis cumulum divitiarum? Nihil « tam necessarium, quàm cognoscere quid non sit ne- « cessarium. »

Hinc Minucius Felix, in Octavio : « Cæterùm, in- « quit, quòd plerique pauperes dicimur, non est infa- « mia nostra, sed gloria. Animus enim, ut luxu solvi- « tur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest « pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui « Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cùm multa « habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmo- « dùm sentio; nemo tam pauper potest esse, quàm natus « est. Aves sine patrimonio vivunt, et in diem pascua pa- « scuntur : et hæc tamen nobis nata sunt; quæ omnia si « non concupiscimus, possidemus. Igitur ut qui viam te- « rit, eò felicior, quò levior incedit; ita beatior in hoc « itinere vivendi qui paupertate se sublevat, non sub di- « vitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles « putaremus, à Deo posceremus. Utique indulgere pos- « set aliquantùm, cujus est totum. Sed nos contemnere « malumus opes, quàm continere. Innocentiam magis « cupimus, magis patientiam flagitamus; malumus nos « bonos esse, quàm prodigos. » Ita Christianorum omnium nomine loquitur, quorum agit causam apud Ethnicos. Hinc S. Cyprianus, Epistolâ 1 : « Quem Deus « divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse « nulla jam poterit, cui semel pectus cœlestis sagina « saturavit. Jam tibi auro distincta laquearia, et pre- « tiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, « cùm scieris te excolendum magis, te potiùs ornan- « dum, domum tibi hanc esse potiorem, quam Domi- « nus insedit templi vice, in quâ Spiritus sanctus « cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis in- « nocentiæ, illuminemus luce justitiæ. Non hæc un- « quàm procumbet in lapsum senio vetustatis, nec « pigmento parietis, aut auro exolescente fœdabitur. « Caduca sunt, quæcumque fucata sunt; nec fiduciam « præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis « non habent firmitatem. Hæc manet cultu jugiter vi- « vido, honore integro, splendore diuturno, aboleri « non potest, nec extingui; potest tantùm in melius « corpore redeunte formari. »

### Articulus III.

## Regulæ morum circa avaritiam.

Regula prima. — Avaritia quatenùs opponitur justitiæ, ex genere suo mortale peccatum est, quamvis interdùm esse veniale peccatum contingat propter imperfectionem actûs, aut materiæ levitatem. Avaritia scilicet immoderationem quamdam circa divitias importat dupliciter, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 118, a. 111 : « Uno modo, immediatè circa ipsam acce- « ptionem et conservationem divitiarum, in quantum « aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena sur- « ripiendo, vel retinendo : et sic opponitur justitiæ. » Et hoc modo accipitur avaritia, Ezechielis 22, ubi dicitur : *Principes ejus in medio ejus quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, et avarè lucra sectanda.* Alio modo importat immoderationem « circa « interiores affectiones divitiarum; putà, cùm quis ni- « mis amat divitias, aut nimis dilectatur in eis, etiamsi « nolit rapere aliena. Et hoc modo avaritia opponitur « liberalitati, quæ moderatur hujusmodi affectiones. » Et sic accipitur avaritia, 2 ad Corinthios 9 : *Necessarium existimavi rogare fratres ut prœveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquàm avaritiam.* Avaritia igitur quatenùs opponitur justitiæ, « ex genere suo « est peccatum mortale. Sic enim ad avaritiam perti- « net quòd aliquis injustè accipiat, vel retineat res « alienas, pertinet ad rapinam, vel furtum, quæ sunt « peccata mortalia, » inquit S. Thomas, articulo 4. Hominibus hâc avaritiæ labe infectis convenit illud Sapientiæ, cap. 15 : *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo acquirere.* Hanc regulam firmant maledictiones adversùs avaros in sacris litteris exaratæ; Isaiæ 5 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et cap. 33 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* Habacuc 2 : *Væ ei qui multiplicat non sua! Usquequò et aggravat contra se densum lutum? Avaro quippe contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare*, inquit S. Gregorius, part. 3 Pastoralis, admonitione 21. Syriacus vertit : *Nubem luti*, quia nimirùm opes sordidarum affectionum et scelerum nubes exhalant, quibus involuta mens et oppressa, in summâ cœlestium rerum caligine et ignoratione versatur. Idem Propheta, ibidem : *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali. Cogitâsti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit; et lignum, quod inter juncturas est ædificiorum, respondebit. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate.* Amos 6 : *Væ qui opulenti estis in Sion!... Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii... Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Lucæ 6 : *Væ vobis divitibus*, inquit Christus, *quia habetis consolationem vestram.* Jacobi 5 : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt; et vestimenta ve-*

*stra à tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit; et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Hinc Proverb. 28 scriptum est: *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Ut enim ait S. Gregorius loco supra laudato, « qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit: et more avium captus, cùm escam terrenarum rerum avidè conspicit, quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit. Cùm quælibet præsentis mundi lucra desiderant, et ea quæ de futuro damna patientur ignorant, audiant quod scriptum est, Proverb. 20: *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Ex hâc quippe vitâ initium ducimus, ut ad benedictionis sortem in novissimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditari festinant, sortem sibi in novissimo benedictionis amputant; quia dùm per avaritiæ nequiam hìc multiplicari appetunt, illìc ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cùmque plurima ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiant quod scriptum est, Matth. 6: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat?* Ac si apertè Veritas dicat: Quid prodest homini si totum, quod extra se est, congregat, si hoc ipsum solum quod ipse est, damnat?

Regula II. — Avaritia, quatenùs opponitur liberalitati, veniale peccatum est, nisi charitati adversetur; tunc enim est lethale peccatum. — Avaritia enim sic accepta, est inordinatus amor divitiarum. « Si ergo in tantum amor divitiarum crescat, quòd præferatur charitati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei et proximi; sic avaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut homo, quamvis superfluè divitias amet, non tamen præferat earum amorem amori divino; ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum; sic avaritia est peccatum veniale, » inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 118, a. 4. Quod ex S. Augustino confirmatur, lib. de Fide et Operibus, cap. 16, explicante locum Apostoli 1 ad Corinth. 3: *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc*, etc., ubi præmisit fundamentum esse Christum, et fidem Christi, quæ per dilectionem operatur, ait: « Porrò si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur (alioquin jam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret), sed propter carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam; maximè si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodò placeret uxori. « Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine « dolore amittuntur, propterea quia ea sic habent, « ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ullâ ratione vel « cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum per ignem quemdam doloris perveniunt « ad salutem. A quo dolore atque detrimento tantò « est quisque securior, quantò ea vel minus amavit, vel tanquàm non habens habuerit. Qui verò « propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, « adulterium, fornicationem, idololatriam, et similia « quæque commiserit, non propter fundamentum « per ignem salvabitur, sed amisso fundamento æterno « igne torquebitur. » Si quis igitur ex cupiditate lucri aliquod Dei vel Ecclesiæ mandatum violare malit, quàm non adipisci divitias, aut amittere, verbi gratiâ, si Missam non audire diebus festis, vel ab opere servili cessare, lethale peccatum avaritiæ committit.

Regula III.—Avaritia peccatum lethale est, si ex alio peccato mortali ducat originem, verbi gratiâ, si quis totus sit in congregandis divitiis ex errore circa divinam providentiam, aut ex diffidentiâ benignitatis Dei; vel si in divitiis felicitatem aut spem collocet.— Hinc avaritia non semel ab Apostolo vocatur *idolorum servitus*, ad Ephes. 5, et ad Coloss. 3. Quemadmodùm enim idololatra creaturæ exteriori se subjicit ad cultum illi exhibendum, sic avarus ad eâ fruendum; et sicut ille in idolo, ita avarus in materiâ idoli, auro et argento, quæ *principes materiæ* à Tertulliano vocantur, fiduciam collocat, et propter ea velut finem operatur. De hoc hominum genere dicitur, Psalm. 48: *Qui confidunt in virtute suâ, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Hinc Psalm. 61 scriptum est: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere;* et Proverb. 21: *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Nolite cor apponere, id est, *ne in divitiis confidatis, non præsumatis, non speretis*, inquit S. Augustinus hunc Psalmum exponens; *ne dicatur:* Ecce *homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate suâ,* Psalm. 15. Non divitiæ, sed spes in divitiis, et divitiarum cupiditas damnatur. Unde non solùm divites, sed et pauperes spectat istud oraculum: *Nam quid tibi prodest, si eges facultate, et ardes cupiditate?* Unde cùm Dominus dixisset: *Facilius est camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cœlorum;* Apostoli apud se dicentes: *Quis poterit salvari*, quid attenderunt? « Non facultates, sed « cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, et« si non habentes pecuniam, tamen habere avari« tiam. » Et ut noveris non pecuniam in divite, sed avaritiam damnari, respice, pauper, divitem stantem juxta te; fortè in illo est pecunia, et non est avaritia; in te non est pecunia, et est avaritia. Pauper ulcerosus, ærumnosus, linctus à canibus, non habens opem, non habens escam, non habens fortè ipsam vestem, ablatus est ab angelis in sinum Abrahæ. Eia tu pauper, gaudes modò, numquid tibi ulcera optanda sunt? Nonne patrimonium tuum sanitas est? « Non est in hoc « Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam vides

« qui sublatus est, non vides quò sublatus est. Quis « est sublatus ab angelis? Pauper, ærumnosus, ulce- « rosus. Quò sublatus est? In sinum Abrahæ. Lege « Scripturas, et invenies divitem Abraham. Ut nove- « ris, quia non divitiæ culpantur, habebat Abraham « multùm auri, argenti, pecorum, familiæ, dives erat, « et in ejus sinum Lazarus pauper sublatus est; in si- « num divitis pauper; an potiùs ambo Deo divites, « ambo à cupiditate pauperes? » Non igitur qui ha- buit divitias, sed qui in ipsis speravit, et non in Deo, damnatur, punitur, movetur de tabernaculo, sicut pul- vis quem projicit ventus à facie terræ. Dixit nimirùm in corde suo : *Beatus populus cui hæc sunt*, id est, ista terrena; cùm sit *beatus populus cujus est Dominus Deus ejus*, Psalm. 143. Ita S. Augustinus Enarratione in Psalm. 51. Idem confirmatur ex Apostolo, 1 ad Ti- motheum 6 scribente : *Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fru- endum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quem locum S. Augustinus egregiâ paraphrasi illu- strat, sermone 177, aliàs 10, inter editos ex Majoris Carthusiæ Mss. « Præcipe, inquit, divitibus hujus « mundi, quia sunt et divites Dei, et veri divites non « sunt nisi divites Dei. *Non superbè sapere :* habentur « divitiæ, multùmque amantur. Nidus colligitur su- « perbiæ, ubi nutriatur et crescat; quod pejus est, non « volet, sed maneat. Ergo ante omnia, *non superbè sa- « pere*, ut intelligat, sapiat, cogitet se mortalem, et « mortales pauperes pares. *Neque sperare in incerto di- « vitiarum;* amas aurum; fac, si potes, certum, ut non « timeas amittere. Congregàsti facultatem; da tibi, « si potes, securitatem. Tolle inde spem, ubi fixisti. « *Sed in Deo vivo;* ibi fige spem, ibi anchoram cordis « tui, ut tempestas seculi non inde te abrumpat. *In « Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruen- « dum;* si *omnia*, quantò magis se? Et verè ad fruen- « dum ipse erit nobis omnia. Nam non mihi videtur « dictum : *Qui dedit nobis omnia abundanter ad fruen- « dum*, nisi se ipsum. Videtur enim aliud esse uti, « aliud frui. Utimur enim pro necessitate, fruimur pro « jucunditate. Ergo ista temporalia dedit ad utendum, « se ad fruendum. Si ergo se, quare dictum est, *om- « nia*, nisi quia scriptum est : *Ut sit Deus omnia in om- « nibus?* 1 Cor. 15. Ergo ibi cor ad fruendum, ut sit « sursùm cor. Solve te hinc, sed alliga ibi; periculosum « est tibi in his tentationibus sine vinculo remanere... « Quid tam omnia, quàm qui fecit omnia? Habet in- « tùs, quod operatur foris. Ibi ergo sunt omnia præ- « cipua, immortalia, indeficientia, permanentia, et « ipse Deus omnia in omnibus, sed sanctis suis. Ipse « ergo solus sufficit, de quo dictum est : *Ostendit « nobis Patrem, et sufficit*, Joan. 14. Si avari su- « mus, ipsum amemus. Si opes desideramus, solus « nos satiare poterit, de quo dictum est : *Qui implet « in bonis desiderium tuum*, Psalm. 102. Hoc tantum, « tam magnum bonum peccatori non sufficit? Vo- « lendo habere omnia, plus perdidit omnia; quia radix « est omnium malorum avaritia. *Divites sint in ope- « ribus bonis;* ad hoc dives esto, ut facilè tribuas. Pau- « per enim vult tribuere, et non potest; apud illum « difficultas, apud te facilitas. Hoc tibi prosit quòd « dives es, quia cùm volueris facere statim facis. *Fa- « cilè tribuant, communicent.* Numquid perdunt? *The- « saurizent sibi fundamentum bonum in futurum.* Et ne « ipsum aurum et argentum et prædia, et ea quæ « pulchra videntur in facultatibus hominum, etiam « ibi desideremus, cùm dicitur nobis : Illùc migrate, « thesaurum vestrum ibi ponite; admonuit nos contra « carnales cogitationes, et subjecit : *Ut apprehenaant « veram vitam*, non aurum quod in terrâ remansit, « non facultates putredinis, non bona transeuntia, sed « *veram vitam.* Quodam modo ergo migramus, quando « hoc illuc transit, neque hoc ibi habebimus, quod « hinc transferimus. Quodam modo Dominus Deus no- « ster mercatores nos vult esse, mutationem nobiscum « facit; quod hìc abundat, damus, quod ibi abundat, « accipimus; quemadmodùm plerique trajectitias mer- « ces faciunt, aliud dant alibi, et quò veniunt aliud « accipiunt. Talis est ista mutatio, qualis nostra mer- « catio. Quid damus, et quid accipimus? Hoc damus, « quod nobiscum auferre non possumus, etsi velle- « mus. Quarè ergo perit? Id quod minus est dctur, ut « quod est majus ibi inveniatur. Damus terram, et ac- « cipimus cœlum; damus temporalia, et accipimus æ- « terna; damus putrescentia, et accipimus immorta- « lia; damus quod dedit Deus, et accipimus ipsum « Deum. Non ergo simus pigri in istâ mutatione re- « rum, in istâ mercaturâ optimâ et ineffabili. Prosit « quia hìc sumus, prosit quia nati sumus, prosit quia « peregrinamur. Non inopes remaneamus. Non intret « arcam cordis tinea malæ cogitationis : non dicatur : « Non dabo, ne cras non habeam. Noli multùm cogi- « tare de futuris; imò multùm cogita de futuris, sed « de longè futuris. *Thesaurizent sibi fundamentum bo- « num in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Habe; « tantùm noli amare, servare, thesaurizare, incubare « reconditis, hoc est, de incertis sperare. » Et sermone 85, aliàs de Tempore 205 : « Avaritia est velle esse di- « vitem, non jam esse divitem. Mergi non times in inte- « ritum et perditionem? Non times radicem omnium « malorum avaritiam? De agro tuo exstirpas radicem « spinarum, et non exstirpas de corde tuo radicem « malarum cupiditatum? Purgas agrum tuum unde « fructum capiat venter tuus, et non purgas cor tuum « ubi habitet Deus tuus? »

Hanc denique regulam confirmat S. Thomas, quæst. 13 de Peccatis, inter quæstiones disputatas, art. 2 : « Si loquamur, inquit, de amore et desiderio strictè, « sic avaritia semper est peccatum mortale. Cùm enim « amor et desiderium sit boni, bonum autem propriè et « principaliter sit finis, id autem quod ad finem ordi- « natur, non habeat per se rationem boni, nisi pro- « pter ordinem finis : inde est quòd amor et deside- « rium propriè et principaliter est finis, secundariò « autem eorum quæ sunt ad finem. Si ergo avaritia

« dicatur amor et desiderium temporalium bonorum, « ita quòd in eis finis constituatur, avaritia semper « erit peccatum mortale. Converti enim ad bonum « creatum sicut ad finem, facit aversionem ab incom- « mutabili bono, quod debet esse ultimus finis; eò « quòd non possunt esse plures ultimi fines. »

Regula IV. — Lethalis avaritiæ rei sunt, quicumque plura concupiscunt, quàm hujus vitæ necessitas, statûsque sui decentia et decorum exigant; et necessaria habentes, novas opes congregare non cessant. — Hanc regulam tradit Apostolus, 1 ad Timotheum 6 : *Est autem*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientiâ. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus : nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Illis autem verbis : *His contenti sumus*, enuntiari præceptum ad omnes pertinens, utpote ex ipsâ naturæ lege profectum, minimè dubium est. Nam superflua quærere et desiderare, contra naturam est. Porrò, ut ait Tertullianus, lib. de Coronâ militis, « omne quod contra naturam est, monstri meretur « notam penès omnes; penès nos verò etiam elogium « sacrilegii in Deum naturæ auctorem. » Non ait autem Apostolus : Qui divites sunt, sed : *Qui volunt divites fieri.* Inter divitem esse et velle esse, justa discretio negari non potest. *Ibi facultas est, hìc cupiditas*, inquit S. Augustinus, sermone 177.

Cum prophetâ convenit Apostolus : Baruch enim cap. 3 scriptum est : *Ubi sunt principes gentium... Qui argentum thesaurizant, et aurum in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.* Et Isaiæ 5 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Deficiente scilicet terrâ, non satiatur avaritia. « Quæ rabies, inquit S. Hieronymus, « cùm tecta et agri ad depellendos imbres, et ad « serendas fruges haberi debeant, ea habere cupere, « in quibus cunctis habitare non possis, et quæ co- « lere non sufficias; alteriusque necessitatem, tuam « facere voluptatem? » Id denique confirmat parabola, quam proposuit Christus, Lucæ 12 : *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam; et illùc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te. quæ autem parâsti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.* Numquid verò dives ille aliena quærebat? Fructus suos colligere disponebat, ubi poneret consulebat. « Non de cujusquam vicini agris, non limite pertur- « bato, non spoliato paupere, non circumvento sim- « plice, sed tantummodò de suis colligendis cogita- « bat... Ait illi Deus, *Stulte*, ubi tibi sapiens videris, « ibi stulte. *Stulte*, inquit, *hâc nocte repetunt à te ani- « mam tuam : quæ præparâsti, cujus erunt?* Si ser- « vaveris, tua non erunt; si erogaveris, tua erunt. « Quid, inquit, reponis, quod relicturus es? Ecce in- « crepatus est stultus malè recondens. Si stultus est « qui recondit sua, vos invenite nomen ei qui tollit « aliena... Fortassis aliquis respondeat, et dicat : « Non valdè magna pœna erat illi homini, cui dixit « Deus : *Stulte.* Non sic dicit Deus, *Stulte*, quomodò « homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, judi- « cium est. Numquid enim Deus stultis daturus est « regnum cœlorum? Quibus autem non est daturus « regnum cœlorum, quid eis restat, nisi pœna gehen- « narum? » Verba sunt S. Augustini, sermone 178, aliàs 19 de Verbis Apostoli, cap. 2. Hinc S. Cyprianus, libro de Lapsis, inter gravia peccata, quibus iratus Deus Ecclesiæ persecutionem permisit, nimium augendi patrimonii studium recenset : « Stu- « debant, inquit, augendo patrimonio singuli; et « obliti quid credentes aut sub Apostolis ante fecis- « sent, aut semper facere deberent, insatiabili cupi- « ditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. »

Regula V. — Non solùm lethalis avaritiæ reus est qui rapit aliena, sed et ille qui cupidè servat sua; si tanta sit cupiditas, ut illa non sit paratus amittere ne Deum lethaliter offendat. — Hanc regulam tradit S. Augustinus, sermone 107, aliàs de Tempore 196, et de Diversis 28, eamque colligit ex Christi verbis, Luc. 12 : *Videte, et cavete ab omni avaritiâ; quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.* Præceptum illud à Christo datum observat occasione hominis, qui ipsum interpellavit contra fratrem suum, qui totum patrimonium abstulerat, et fratri suo partem non reddebat. Causa justa erat, breviter et clarè exposita justissimo Judici, et æquitatem causæ, antequàm illi exponeretur, cognoscenti. *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.* Respondit Dominus : *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritiâ.* « Fortè, inquit, tu avarum et cupi- « dum diceres si quæreret aliena; ego autem dico, cu- « pidè et avarè non appetas nec tua. Hoc est *ab omni.* « *Cavete*, inquit, *ab omni avaritiâ.* Meum servo, non « alienum tollo. *Cavete ab omni avaritiâ.* Non solùm « avarus est qui rapit aliena, sed et ille avarus est « qui cupidè servat sua... Multa qui recondit, quan- « tùm inde tollit ut vivat? Cùm tulerit inde, et quo- « dammodò cogitatione separaverit quod sufficiat « undè vivat, videat cætera cui remaneant; ne fortè « cùm servas unde vivas, colligas unde moriaris. « Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas. *Cavete*, « dicit veritas; *cavete*, dicit severitas. Si non amas « veritatem, time severitatem : *Non in abundantiâ*

« *hominis vita ejus est ex his quæ habet.* Crede illi, « non te fallit. Contra tu dicis : Imò in abundantiâ ho- « minis est vita ejus ex his quæ habet. Ille te non « fallit : tu te fallis... Ecce amas tua, non tollis « aliena ; de labore habes : de justitiâ habes : hæres « relictus es, donavit tibi quem promeruisti : navi- « gâsti, periclitatus es, fraudem non fecisti, menda- « cium non jurâsti, quod Deus voluit adquisisti ; et « servas cupidè tanquàm in bonâ conscientiâ, quia « non habes de malo, et non quæris aliena. Si non « audieris illum qui dixit : *Cavete ab omni avaritiâ,* « audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce con- « tigit, verbi gratiâ, ut fieres judex. Non corrumpe- « ris, quia non quæris aliena. Nemo tibi dat præ- « mium, et dicit : Judica contra adversarium meum. « Absit homo qui non quæris aliena, quando tibi « hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis « propter tua. Ille qui vult ut malè judices, et pro « ipso feras sententiam contra adversarium ipsius, « fortè potens homo est, et potest tibi calumniam face- « re, ut perdas tua. Attendis potentiam ipsius, cogitas « illam, cogitas tua quæ servas, quæ amas, non quæ pos- « sedisti, sed quibus malè inhæsisti. Attendis viscum « tuum, propter quod liberas virtutis non habes pen- « nas : et dicis apud te ipsum : Offendo hominem is- « tum, multùm potest ad tempus ; suggeret de me « mala, et proscribor, et perdo quod habeo. Judica- « turus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm ser- « vas tua. Da mihi hominem qui audivit Christum, « da mihi hominem qui cum timore audivit : *Cavete* « *ab omni cupiditate ;* et non mihi dicat : Ego homo « pauper sum plebeius, mediocris, gregalis, quando « spero me judicem futurum? Non timeo istam ten- « tationem, cujus periculum ante oculos posuisti. Ec- « ce dico et pauperi quid timere debeat. Vocat te di- « ves et potens ut pro illo dicas falsum testimonium. « Quid facturus es modò? Dic mihi. Habes bonum « peculium ; laborâsti, adquisîsti, servâsti. Exigit « ille : Dic pro me falsum testimonium, et tantum, et « tantum dono tibi. Tu qui non quæris aliena, absit « à me, inquis ; non quæro quod mihi noluit Deus « dare, non accipio, recede à me. Non vis accipere « quod do? Quod habes tollo. Ecce modò te proba, « modò te interroga. Quid me attendis? Intùs te at- « tende, intùs te vide, intùs te examina ; sede ad te, « et constitue ante te, et in equuleum præcepti Dei « extende te, et timore torque te, et noli te palpare ; « responde tibi. Ecce si hoc quisquam minetur, quid « facies? Tollo tibi, quod cum tanto labore adquisisti, « nisi pro me falsum testimonium dixeris. Da illum : « *Cavete ab omni avaritiâ.* O serve meus, dicet tibi, « quem redemi et liberum feci, quem de servo fra- « trem adoptavi, quem in corpore meo membrum po- « sui, audi me ; tollat quod adquisisti, me tibi non « tollet. Ne pereas, servas tua ? Nonne tibi dixi : *Cavete* « *ab omni cupiditate?* Ecce turbaris, ecce fluctuas ; « cor tuum quasi navis tempestatibus quatitur. Dor- « mit Christus ; excita dormientem, et non timebis « tempestatem sævientem. Ipsum excita, qui nihil hìc « habere voluit, et cum habes, qui usque ad cru- « cem pro te pervenit, cujus nudi atque pendentis « ossa ab insultantibus numerata sunt : et cave ab « omni avaritiâ.

Regula VI. — Gravis impatientia in rei familiaris amissione, animum prodit lethalis avaritiæ reum. Hæc regula colligitur ex Tertulliano, lib. de Patientiâ, cap. 7 : « Si detrimento inquit, rei familiaris animus « concitatur, omni penè in loco de contemnendo se- « culo Scripturis dominicis commonetur ; nec major « ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quàm « quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur, sem- « per pauperes justificat, divites prædamnat. Ita detri- « mentum patientiæ fastidium opulentiæ præministra- « vit, demonstrans per abjectionem divitiarum læsuras « quoque earum computandas non esse. Quod ergo « nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus « appetivit, detruncatum vel etiam ademptum non « ægrè sustinere debemus. Cupiditatem omnium ma- « lorum radicem Spiritus Domini per Apostolum « pronuntiavit. Eam non in concupiscentiâ alieni tan- « tùm constitutam interpretemur ; nam et quod nos- « trum videtur, alienum est ; nihil enim nostrum, « quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque « si damno affecti, impatienter senserimus, de non « nostro amissum dolentes, adfines cupiditatis depre- « hendemur. Alienum quærimus, cùm alienum amis- « sum ægrè sustinemus. Qui damni impatientiâ conci- « tatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo « in Deum peccat. Spiritum enim quem à Domino « sumpsit, secularis rei gratiâ concutit. Libentes igi- « tur terrena amittamus, cœlestia tueamur, totum li- « cet seculum pereat, dùm patientiam lucrifaciam. Jam « qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam « ignaviâ, non constanter sustinere constituit, nescio « an facilè, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre « posset in causâ eleemosynæ. Quis enim ab alio secari « omninò non sustinens, ipse ferrum corpori suo du- « cit? Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi « et communicandi. Non piget donare, qui non timet « perdere.... Gentilium est omnibus detrimentis im- « patientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortassè « animæ anteponant.... Nos verò secundùm diversita- « tem, quâ cum illis sumus, non animam pro pecuniâ, « sed pecuniam pro animâ deponere convenit ; seu « sponte in largiendo, seu patienter in amittendo ip- « sam animam, ipsumque corpus in seculo isto exposi- « tum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ « patientiam subimus : minorum deliberatione læde- « mur? Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut « patientia majoribus tentationibus præparata in fri- « volis excidat. » Hinc S. Cyprianus, amittendarum opum timorem inter impedimenta martyrii, et causas defectionis plurimorum à christianæ fidei confessione commemorat, libro de Lapsis : « Dissimulanda, inquit, « veritas non est, nec vulneris nostri materia et causa « reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæ- « cus ; nec ac recedendum paratu aut expediti esse « potuerunt, quos facultates suæ velut compedes liga-

« verunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ ca-
« tenæ; quibus et virtus retardata est, et fides pressa,
« et mens vincta, et anima præclusa; ut serpenti ter-
« ram, secundùm Dei sententiam, devoranti præda et ci-
« bus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.
« Et idcircò Dominus, bonorum magister, et præponens
« et consulens in futurum : *Si vis, inquit, perfectus esse,*
« *vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis*
« *thesaurum in cœlis, et veni, sequere me.* Si hoc divites
« facerent, per divitias suas non perirent; thesaurum
« in cœlo reponentes, hostem nunc expugnatorem do-
« mesticum non haberent; esset in cœlo cor et animus
« et sensus, si thesaurus esset in cœlo. Nec vinci à se-
« culo posset, qui unde vinceretur in seculo non ha-
« beret; sequeretur Dominum solutus et liber, ut
« Apostoli, et sub Apostolis multi, et nonnulli sæpè
« fecerunt, qui et rebus suis et parentibus derelictis,
« Christo individuis nexibus adhæserunt. Sequi autem
« Christum quomodò possunt, qui patrimonii vinculo
« detinentur? Aut quomodò cœlum petunt, et ad su-
« blimia et alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus
« degravantur? Possidere se credunt, qui potiùs possi-
« dentur; censûs sui servi, nec ad pecuniam suam do-
« mini, sed magis pecuniæ mancipati. »

Regula VII. — Quamvis recta ratio et christiana charitas postulent, ut patresfamiliâs, qui liberos habent, facultates illis comparent vitæ ac statui convenientes; avaritiæ tamen lethalis rei sunt, si nullum congerendis filiorum gratiâ opibus modum statuant, câque ratione ab erogandis eleemosynis se excusent urgente præcepto. Hanc regulam tradunt SS. Patres; è quibus duos impræsentiarum proferam, Cyprianum scilicet ac Augustinum. Audiatur S. Cyprianus, tractatu de Opere et Eleemosynis, ubi hæc habet : « Sed
« nec illa res, Fratres charissimi, à bonis operibus et
« justis refrenet et revocet Christianum, quòd excusari
« se posse aliquis existimet beneficio filiorum; quando
« in impensis spiritalibus Christum cogitare, qui acci-
« pere se professus est, debeamus; nec conservos libe-
« ris nostris, sed Dominum præferamus, ipso instruente
« et monente : *Qui diligit,* inquit, *patrem aut matrem*
« *super me, non est me dignus : et qui diligit filium*
« *aut filiam super me, non est me dignus.* Item in
« Deuteronomio ad corroborationem fidei, et dilectio-
« nem Dei paria scripta sunt : *Qui dicunt patri aut matri :*
« *Non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodie-*
« *runt præcepta tua, et testamentum tuum servaverunt.*
« Nam si Deum toto corde diligimus, nec parentes, nec
« filios Deo præferre debemus. Quod et Joannes in epi-
« stolâ suâ ponit, charitatem Dei apud eos non esse, quos
« videamus operari in pauperem nolle : *Qui habuerit,*
« inquit, *substantiam mundi, et viderit fratrem suum de-*
« *siderantem, et clauserit viscera sua, quomodò charitas*
« *Dei manet in illo?* Si enim Deus eleemosynis paupe-
« rum fœneratur, et cùm datur minimis, Christo datur,
« non est quòd quis terrena cœlestibus præferat, nec
« divinis humana præponat. Sic vidua illa in tertio Re-
« gnorum libro, cùm, in siccitate et fame consumptis
« omnibus, de modico farre et oleo quod superfuerat,
« fecisset subcinericium panem, quo assumpto mori-
« tura cum liberis esset; supervenit Elias, et petiit
« sibi priùs ad edendum dari, tunc quod superfuisset,
« inde illam cum filiis suis vesci; nec obtemperare
« illa dubitavit, aut Eliæ filios mater in fame et ege-
« state præposuit. Fit imò in conspectu Dei quod Deo
« placeat; promptè ac libenter quod petebatur, offer-
« tur; nec de abundantiâ portio, sed de modico to-
« tum datur, et esurientibus liberis alter priùs pasci-
« tur; neque in penuriâ et fame cibus, antequàm
« misericordia, cogitatur; ut dùm in opere salutari
« carnaliter contemnitur, spiritualiter anima servetur.
« Elias itaque, typum Christi gerens, et quòd ille pro
« misericordiâ vicem singulis reddat, ostendens, re-
« spondit : *Hæc dicit Dominus : Fidelia farris non de-*
« *ficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem quo*
« *dabit Dominus imbrem super terram.* Secundùm di-
« vinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ
« et cumulata quæ præstitit; et operibus justis ac mi-
« sericordiæ meritis augmenta et incrementa sumen-
« tibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis
« abstulit mater, quod Eliæ dedit; sed magis contulit
« filiis quòd benignè et piè fecit. Et illa nondùm
« Christum sciebat, nondùm præcepta ejus audierat;
« non cruce et passione ejus redempta, cibum et po-
« tum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat
« quantùm in Ecclesiâ peccet, qui se et filios Christo
« anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium
« copiosum cum indigentium paupertate communicat.
« Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te
« numerositas filiorum, quominùs largiter bonis ope-
« ribus insistas; atqui hoc ipso operari ampliùs de-
« bes, quò multorum pignorum pater es. Plures sunt
« pro quibus Dominum depreceris, multorum delicta
« redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ,
« multorum animæ liberandæ. Ut in hâc vitâ seculari
« alendis sustinendisque pignoribus, quò major est
« numerus, hoc major et sumptus est; ita et in vitâ
« spiritali atque cœlesti, quò amplior fuerit pignorum
« copia, esse et operum debet major impensa. Sic et
« Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quan-
« tusque erat in domo pignorum numerus, tantus da-
« batur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quo-
« tidiè deesse non potest quòd peccetur in conspectu
« Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent
« peccata tergi..... Si ergo verè filios tuos diligis, si eis
« exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis;
« operari magis debes ut filios tuos Deo justâ opera-
« tione commendes. Nec eum liberis tuis cogites pa-
« trem, qui et temporarius et infirmus est; sed illum
« Patrem pares, qui æternus et firmus filiorum spiri-
« tualium Pater est. Illi assigna facultates tuas, quas
« hæredibus servas; ille sit liberis tuis tutor, ille cu-
« rator, ille contra omnes injurias seculares divinâ
« majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec
« respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia
« aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur,
« quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus
« in posterum providere; hoc est futuris hæredibus

« paternâ pietate consulere secundùm fidem Scripturæ « sanctæ dicentis : *Junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane. Totâ die miseretur et fœnerat : et semen ejus in benedictione est.* « Et iterùm : *Qui conversatur sine vituperatione in justitiâ, beatos post se filios relinquet.* Prævaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosâ et verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cœlesti « patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare « quàm Christo, bis delinquis et geminum ac duplex « crimen admittis : et quòd non præparas filiis tuis « Dei Patris auxilium, et quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum. »

Idem confirmat S. Augustinus, sermone 87, aliàs de Diversis 43 : « Dicit avaritia : Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat quantùm putat avaritia, non quantùm ostendit, « non quantùm docet, non quantùm fidit, sed quantùm « putat vixerit, senuerit, finierit ; adhuc senex incurvus, baculo innixus lucrum quærit, et audit avaritiam dicentem : Consule in posterum. In quod posterum? Jam exspirans loquitur. Propter filios, inquit. « Utinam vel illos senes non avaros haberemus, qui filios non habent. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam « iniquitatem suam nullâ pietatis imagine excusantibus non cessat dicere : Consule in posterum. Sed « fortè ipsi citò erubescunt ; illos videamus qui filios « habent, utrùm certi sint filios suos possessuros esse « quæ reliquerint. Intendant, cùm vivunt, filios alio« rum, alios alienis improbitatibus quod habuerant « amittentes, alios proprià nequitiâ quod possederant « consumentes ; et remanent inopes filii divitum. Parce nosci servi avaritiæ. Sed possidebunt hoc, inquit, filii mei. Incertum est ; postremò, fac certum ; « quid eis vis relinquere? quod adquisisti tibi. Certè « quod adquisisti relictum non erat, et habes. Si tu « habere potuisti quod tibi relictum non est, poterunt « ergo habere et illi quod tu non reliqueris..... Serva « et filiis tuis ; sed audi me. Si de filiis quisque suis « aliquem amiserit, intendite, Fratres mei, quia avaritia excusationem non habet, neque hic, neque in « futuro seculo. Christianum filium amisisti ; non ergo « amisisti, sed præmisisti. Neque enim ille decessit, « sed præcessit. Interroga fidem tuam ; certè et tu illò « iturus es, quò ille antecessit. Vivit filius tuus. Si « ergo vivit, quare invaditur pars ejus à fratribus ejus? « Sed dices : Numquid rediturus est et possessurus? Mittatur ergo illi quò præcessit ille ; ad rem suam venire non potest ; res ejus ad eum ire potest ; vide « cum quo sit. Si in palatio militaret filius tuus, et « amicus imperatoris fieret, et diceret tibi : Vende ibi « partem meam, et mitte mihi ; numquid invenires « quid responderes? Modò cum Imperatore omnium « imperatorum, et cum Rege omnium regum, et cum « Domino omnium dominorum est filius tuus ; mitte « illi. Non dico, necessarium habet ipse ; Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terrâ. Hic « vult accipere quod dat in cœlo. Quod facere non« nulli avari solent, fac trajectitium ; da in peregrinos, « quod recipias in Patriâ tuâ. Postremò jam de te « nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum, dubitas et reddere alienum ; certè convinceris quia « non filiis tuis servabas. Ecce non das filiis tuis, « quia tolles filiis tuis. Huic certè tolles. Quare indignus est accipere, quia cum digniore vivit? Absit « ergo ut tibi dicam, da quod habes ; sed dico tibi, « redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres « illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem « optare fratribus suis ! Si de re fratris sui mortui di« tiores erunt, vide quemadmodùm se attendant in « domo tuâ. Quid ergo facies? Patrimonium dividis, et « parricidia doces? Sed nolo dicere de uno amisso, « ne casus humanos videar minari. Meliùs quodam « modo prosperiùsque loquamur. Non dico, unum mi« nùs habebis, computa quia unum plus habes. Fac « locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ « Dominus tuus, accedat ad prolem Creator tuus, ac« cedat ad numerum filiorum tuorum Frater tuus. Cùm « enim tantùm intersit, et frater esse dignatus est. Et « cùm sit Patri unicus, voluit habere cohæredes. Ecce « ille quàm largiter ! Tu quare tam steriliter? Duos fi« lios habes, tertium illum computa ; tres habes, quar« tus numeretur ; quintum habes, sextus dicatur ; « decem habes, undecimus sit. Nolo ampliùs dicere ; « unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim « dabis Domino tuo, et tibi proderit, et filiis tuis ; « quod autem malè servas filiis tuis, et tibi oberit et « filiis. Dabis autem portionem unam, quam unius « filii deputâsti. Deputa te unum ampliùs genuisse. « Quid magnum, Fratres mei? Consilium do, numquid « guttur ligo? sicut ait Apostolus, 1. Cor. 7 : *Hæc ad « utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam.* « Puto, Fratres, quia parva et facilis cogitatio est, putare patrem filiorum habere unum filium ampliùs, « et comparare talia prædia, quæ possideas in æter« num et ipse et filii tui. Quid dicat avaritia, non habet. Non vos vincat, non plus valeat in cordibus ve« stris quàm Redemptor vester. Non plus valeat in « corde vestro quàm ille qui monet sursùm corda « habere. »

Denique patres qui filiis suis ingentes opes congregant, cumulant illis *peccatorum materiam et irritamentum ;* adeòque metuere debent ne duplici pœnâ plectantur, tam propter sua scilicet quàm illorum peccata. Ille nimirùm filiorum inordinatus amor, « et illis « gravis est qui perniciosas pariunt hæreditates, et illis « qui inter improbissimum quæstum improbi educan« tur hæredes. Et hinc est quòd penè omnes parenti« bus suis filii non magis in patrimonia quàm in vitia « succedunt ; nec magis facultates paternas sumunt, « quàm pravitates ; ac sic transeuntes semper in mo« res patrum, ante eorum incipiunt nequitiam quàm « substantiam possidere. Bona enim parentum non« nisi mortuis eis possident ; viventibus autem adhuc « et valentibus, mores. Ac sic priusquàm in dominio « suo habere incipiant res paternas, habent in animis « ipsos patres ; et antequàm habeant illa quæ falsò di-

« cuntur bona, habent illa quæ verè probantur mala. « Quid ergo, cùm hæc ita sint, interdicere forsan parentibus filiorum videor affectum? Minimè... Non « solùm enim amandos filios dicimus, sed præcipuè « ac super omnia amandos; nec quemquam his ominò anteponendum, nisi Deum solum. Nam et hoc « est præcipuè amare illum, filiis anteponere, quem « non expediat omninò postponere. Quid est ergo, aut « quo modo amandos dicimus filios? Quo absque, dubio, nisi quo Deus ipse constituit? Neque enim est « ullus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, « qui ipsos filios dedit? Quomodò igitur Deus amari « filios jusserit, non dico ego, dicat sermo divinus; « ut tradant mandata Dei filiis suis, ut ponant in Deo « spem suam, et mandata ejus exquirant.... Non necesse est ergo ut filio tuo terrenos thesauros recondas; nullâ re eum facies ditiorem, quàm si ipsum « filium tuum thesaurum Dei feceris. Quanquàm hæc « licet ita se habeant, et sint vera ac saluberrima, « tamen non ita dicam, quasi filios bonis et facultatibus paternis penitùs excludam. » Verba sunt Salviani, lib. 1 ad Ecclesiam catholicam.

Ad hæc, avari illi homines, qui filiis immodicas opes congregant, nec succurrunt necessitati pauperum, animam suam, quæ liberis proprior et conjunctior est, adeòque præ illis diligenda, negligunt. Neque verò Deus liberos eâ conditione dedit, ut prohibeat eorum amor quominùs parentes Dei mandatis pareant, et ut parentibus regni cœlestis aditum intercludant, inquit S. Basilius, homiliâ in Ditescentes. Quòd autem pater avarus in suâ filiorumque personâ puniendus sit, cùm intuitu filiorum à sublevandâ pauperum inopiâ manum abstinet, docet psalmus 108 : *Cùm judicatur*, inquit, *exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent : et ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni laborem ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum : In generatione unâ deleatur nomen ejus... Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terrâ memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam; et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare.*

Regula VIII. — Lethalis avaritiæ rei sunt clerici, qui ex ecclesiasticis reditibus thesauros congregant, aut villas, agros, vel domos emunt, quibus res eorum familiaris, sive patrimonium augeatur. — Bonorum enim Ecclesiasticorum, *quæ Dei sunt*, ut sacra synodus Tridentina loquitur; quæ sunt *oblationes fidelium*, *pretia peccatorum*, *patrimonia pauperum*, ut loquuntur antiqua concilia, viri ecclesiastici dispensatores sunt duntaxat, non domini, ut aliàs probavimus. Quicquid igitur ex eis præter victum et vestitum, sive præter necessaria vitæ et decoro statûs reliquum fuerit, pauperum est, ac proinde pauperibus erogari debet, non servari ad rei familiaris sive patrimonii incrementum, non ad hæredes transmitti. Præclarè Salvianus, lib. 2, ad Ecclesiam catholicam, ait : « Licet decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem, « omnes tamen Levitas et sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit; quos scilicet neque segetem, neque vineam, neque ullum omninò fundum « habere permisit. Ex quo intelligi potest, an ea nunc « Deus noster velit in Evangelio viventes clericos suos « mundanis post se hæredibus derelinquere, quæ adhuc in lege positos ne ipsos quidem voluit possidere. » Et infrà : « Parùm est Levitis ac sacerdotibus si « ipsi tantùm divites fuerint, nisi etiam hæredes divites « relinquant. Erubescamus hâc infidelitate. Sufficiat « nobis quòd videmur usque ad vitæ terminos Dominum spernere; cur id agimus ut contemptum ipsius « etiam post mortem extendamus? »

Confirmatur ex S. Hieronymo, epistolâ 2 ad Nepotianum datâ, in quâ de clerico sic loquitur : « Qui Dominum possidet, et cum Prophetâ dicit : *Pars mea* « *Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Quòd « si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars « ejus non erit Dominus; verbi gratiâ, si aurum, si argentum, sì possessiones, si variam supellectilem, « cum istis partibus pars ejus fieri Dominus non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus « hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras « tribus, sed quasi Levita et Sacerdos vivo de decimis, et altari serviens, altaris oblatione sustentor, « habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Obsecro te ne officium « clericatûs genus antiquæ militiæ putes, id est, ne « lucra seculi in Christi quæras militiâ; ne plus habeas, quàm quando clericus esse cœpisti, et dicatur « tibi : *Cleri eorum non proderunt eis.* Nonnulli sunt « clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas « sub locuplete et fallace diabolo non habuerant; ut « suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit « ante mendicos. » Et lib. 2 Commentariorum in Isaiam, illa verba capitis 3 : *Rapina pauperum in domo vestrâ*, inflexit contra principes Ecclesiæ, id est, contra sacerdotes : « Rapina, inquit, pauperum in domi- « bus eorum est, quando thesauros suos replent, et « Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias, publicasque « stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, « vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt, et alienam inopiam suas suorumque faciunt esse divitias. »

Non est tamen avaritiæ, sed prudentiæ, si modicam pecuniæ summam reservent clerici, quibus nullum vel tenue patrimonium est, nec ampli beneficii reditus, ut sibi ipsis in gravi et diuturnâ, quæ contingere potest, infirmitate subveniant; vel ut calamitosâ tempestate, quâ villicis et agricolis debitorum aliquid remittendum est, habeant unde vivant, et pauperibus subministrent. Sed cavendum ne ingeniosa cupiditas, et prudentia seculi captent excusationes quibus à faciendis eleemosynis revocentur, ut monet S. Augustinus, sermone 177, ubi observat Apostolum ad Hebræos 13 scripsisse : *Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus*, propter malas cogitationes, quæ dicunt : « Si thesaurum non habuero, quis mihi dabit, cùm « egere cœpero? Deinde : Abundat unde vivam, sufficit

« mihi unde vivam, sed quid si impingatur mihi ca-
« lumnia, unde me redimam? Quid si mihi necesse sit
« litigare, unde sumptus impendam? Quamdiù omnia
« mala quæ possunt evenire generi humano narrare
« et computare non poteris, plerùmque una calamitas
« turbat computum numerantis, et totum quod nume-
« rabatur, non solùm perit, sed nec in digitis remane-
« bit? Ideò contra istum cogitationis vermiculum, con-
« tra malignam tineam apposuit Deus in Scripturâ
« suâ, quomodò solent apponi vestibus odoramenta
« quædam, ne tineent. Quid? cogitabasne tibi calami-
« tates? Non timebas unam grandem? Attende quod
« sequitur: *Sine amore modus pecuniæ sufficiens est præ-*
« *sentibus. Ipse enim dixit: Non te derelinquam, non te*
« *deseram.* Timebas mala nescio quæ, propterea pecu-
« niam servabas; tene fidejussorem; hoc Deus tibi
« dicit: *Non te derelinquam, non te deseram.* Homo si
« promitteret, crederes; Deus promittit, et dubitas?
« Promisit, scripsit, cautionem fecit; esto securus.
« Lege quod tenes, cautionem tenes, ipsum debito-
« rem tenuisti, à quo tua debita relaxari petisti. »
Avaritiam ac tenacitatem longè gravius esse peccatum in clericis, quàm in laicis hominibus, ex sacris canonibus et Ecclesiæ decretis adversùs hanc labem compertum est. Avarum et tenacem clericum ad episcopatum promovendum non esse, S. Gregorius Magnus, lib. 12, epistolâ 6, scripsit: « Indicatum nobis est,
« inquit, Florentinum archidiaconum Ecclesiæ Anco-
« nitanæ, qui ad episcopatum fuerat electus, Scriptu-
« ræ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis
« senio jam confectum, ut ad regiminis officium non
« possit assurgere; adjicientes etiam, ita illum tena-
« cem existere, ut in domum ejus amicus ad charita-
« tem nunquàm introeat... Requirendum est, si hoc
« quod de præfato archidiacono dictum est, quia nun-
« quàm amicus domum ejus ingressus est, si ita se ve-
« ritas habet; et utrùm ex necessitate, an ex tenaci-
« tate talis sit. »

Concilium Aquisgranense I, cap. 11 adversùs clericorum avaritiam hæc habet, ex S. Hieronymi ad Oceanum epistolâ: « Avaritiam, inquit, in sacerdote vitan-
« dam et Samuel docet, nihil coram populo eripuisse
« se cuiquam probans: et Apostolorum paupertas, qui
« refrigeria sumptuum à fratribus accipiebant, et præter
« victum atque vestitum, nihil se aliud nec habere,
« nec velle gloriabantur. Quam ad Timotheum ava-
« ritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem apertissimè
« notat: *Domum suam benè regentem*, Tit. 1; non ut
« opes augeat, » etc.

Concilium Parisiense VI, cap. 13: « Quia verò, in-
« quit, nonnullos ordinis nostri socios avaritiam tur-
« piter sectari, et meritò à multis reprehendi, et ob
« id innoxios cum noxiis hâc occasione infamari com-
« perimus; ab hinc in commune nos et socios nostros
« mutuâ exhortatione corrigendos esse dijudicamus,
« ita videlicet, ut nec nos in hujuscemodi peste ava-
« ritiæ coram Deo peccaremus, nec aliis per nostrum
« malum exemplum detrahendi et in nobis peccandi
« locum daremus. Verùm cùm nullus Christianus the-
« sauros in terrâ, sed potiùs, secundùm Domini sen-
« tentiam, in cœlo recondere debeat, cavendum sum-
« mopere sacerdotibus est, ut ab avaritiæ peste, quæ
« est idolorum servitus, et cupiditate, quæ radix om-
« nium malorum est, suosque sectatores à regno Dei
« excludunt, se compescant. Quoniam dignè non pos-
« sunt subditis prædicare ut ab his se abstineant, cùm
« ipsi his, quod valdè dedecens, imò periculosum est,
« se mancipaverint. Graviùs quippe atrociùsque hæ
« pestiferæ lues in illis damnantur, quàm in his qui
« eorum dictis et exemplis ab his coerceri debuerunt.
« Solent namque à nonnullis multifariæ occasiones
« obtendi, quæ necessitatis nomine palliantur. Et re-
« verà dùm exteriùs necessitas prætenditur, interiùs
« avaritia tegitur..... In vitâ Beati Ambrosii legi-
« tur: Ingemiscebat vehementer, cùm videret radicem
« omnium malorum avaritiam, quæ neque copiâ, ne-
« que inopiâ minui potest, magis magisque succrescere
« in hominibus, et maximè in his qui in potestatibus
« erant constituti, ita ut interveniendi apud illos gra-
« vissimus labor esset, quia omnia pretio distrahe-
« bant..... Et quid dicam, si in hujusmodi perso-
« nis ita rabiem suam exercent, qui solent aut filiorum
« aut propinquorum causas prætendere ad excusandas
« excusationes in peccatis, quandoquidem plerosque
« ceperit etiam cæca labes sacerdotes et Levitas, qui-
« bus portio Deus est, ut illam etiam ipsi appetant?
« Et væ mihi misero, quia nec fine mundi provocamur,
« ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod
« demergit usque ad profundum inferni, ut faciamus
« nobis amicos de mammonâ iniquitatis, qui nos reci-
« piant in æterna tabernacula. His itaque præmissis,
« oportet sacerdotes Domini ut ab appetitu avaritiæ
« et cupiditatis se cohibentes, sibi subjectis in om-
« nium virtutum profectibus imitabiles exhibeant,
« quibus pro omnibus divitiis solus Christus abundat,
« juxta illud Apostoli, Philipp. 1: *Mihi vivere Christus*
« *est, et mori lucrum.* » Et cap. 25: « Non solùm ru-
« more, sed etiam evidentibus factis comperimus,
« quorumdam episcoporum ministros, non solùm in
« presbyteris, sed etiam in plebibus parochiæ suæ,
« avaritiam potiùs exercere, quàm utilitati ecclesia-
« sticæ dignitatis inservire, populique saluti consu-
« lere. Quam negligentiam, imò et execrabile ac dam-
« nabile cupiditatis vitium, omnibus in commune dein-
« ceps vitandum statuimus. Pertimescenda porrò et
« vigilanter cavenda est Domini sacerdotibus Heli sa-
« cerdotis ruina, qui filios suos indignè agentes, Do-
« minumque in suis pravis actibus ad iracundiam
« provocantes, sacrificioque Domini injuriam irrogan-
« tes, quia verbis tantùm et non verberibus corripuit,
« eis divinâ justâque ultione ruentibus ruit. Ac si
« fortè, quod absit, ullus episcoporum deinceps secta-
« tores avaritiæ ministros in parochiâ suâ constituerit,
« et eorum cognitam pravitatem auctoritate pastorali
« acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentis
« Heli sacerdotis imitari se cognoscat, sciatque quia
« quicquid pravitatis vel avaritiæ hujusmodi subjecti
« in plebibus Christi egerint, si eos corrigere juxta

« facti qualitatem neglexerit, in eum procul dubio, à « quo constituti sunt, ea quæ admiserint, redunda- « bunt, et synodali correptioni modis omnibus subji- « ciendum. Nam et communi consensu statuimus, ut « unusquisque episcoporum super archidiaconis suis « deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam « propter eorum avaritiam et morum improbitatem « multi scandalizantur, et ministerium sacerdotale vi- « tuperatur, et in Ecclesiis à sacerdotibus multa pro- « pter eos negliguntur. » Eadem penè repetit concilium Aquisgranense II, p. 3, cap. 4.

S. Bernardus, sermone 10 in Cantica, luculenter ostendit quàm execranda sit clericorum avaritia. « Christi, inquit, opprobria, sputa, flagella, clavos, « lanceam, crucem, et mortem, hæc omnia in fornace « avaritiæ conflant, et profligant in acquisitionem tur- « pis quæstûs; et pretium universitatis suis marsupiis « includere festinant; hoc solo sanè à Judâ Iscariotis « differentes, quòd ille horum omne emolumentum « paucorum denariorum numero compensavit; isti vo- « raciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. « His insatiabili desiderio inhiant, pro his, ne amittant, « timent: et cùm amittunt, dolent, harum in amore « quiescunt, quantùm duntaxat eis liberum est à ser- « vandi vel augmentandi curâ. Animarum nec casus « reputatur, nec salus. Non sunt profectò matres, qui « cùm sint de Crucifixi patrimonio nimiùm incrassati, « impinguati, dilatati, non compatiuntur super contri- « tione Joseph. »

Regula IX.—Lethalis avaritiæ rei sunt, qui medio- cres eleemosynas erogant, ut ampliùs accipiant, di- tioresque fiant ex depositis pietatis, quæ, ad distri- buendum pauperibus, ipsis creduntur. — Hæc enim est turpis lucri cupiditas, hæc sordida et fraudulenta negotiatio, hæc pauperum defraudatio; de quâ S. Hie- ronymus, epistolâ 2: « Sunt qui pauperibus paululùm « tribuunt, ut ampliùs accipiant, et sub prætextu elee- « mosynæ quærunt divitias; quæ magis venatio appel- « landa est, quàm eleemosynæ genus. Sic bestiæ, sic « aves, sic capiuntur et pisces. Modica in hamo esca « ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur. « Sciat episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem « dispensationi pauperum curæque præficiat. Melius « est non habere quod tribuam, quàm imprudenter « petere quod recondam. » Et rursùs: « Amico quid- « piam rapere, furtum est; Ecclesiam fraudare, sacri- « legium est; accepisse quod pauperibus erogandum « sit, et esurientibus plurimis, aut, quod apertissimi « sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium præ- « donum crudelitatem superat. »

Regula X. — Quamvis interdùm necessarium sit, laudabile, et pium res suas judicio repetere vel tueri; sæpiùs tamen avaritiæ saltem venialis rei sunt, qui lites forenses suscipiunt bonorum temporalium causâ. — Hinc Christus homini ipsum interpellanti ut judex esset causæ, quæ ipsi erat adversùs fratrem totum patrimonium retinentem, nec volentem dividere cum fratre, quæ quidem causa ex parte supplicantis justa erat, respondit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Eâque occasione dixit: *Videte et cavete ab omni avaritiâ;* quia scilicet præcipuas in hujusmodi litibus, ut plurimùm, partes habet avaritia. Hinc etiam S. Paulus 1 ad Corinthios 6, non solùm eos arguit quòd apud judices infideles judicio agerent adversùs fratres, id est, adversùs Christianæ consor- tes religionis, sed quòd rerum temporalium causâ in- ter se litigarent; idque delictum esse asserit: *Jam quidem*, inquit, *omninò delictum est in vobis, quòd ju- dicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam acci- pitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos in- juriam facitis, et fraudatis: et hoc fratribus.* Quamvis enim quidam interpretes hìc non intelligant peccatum, sed imperfectionem, quasi dicat Apostolus: Hoc ad vestram imperfectionem pertinet, quòd vestra judicio repetitis, cùm sit evangelicæ perfectionis *non resi- stere malo*, dicente Domino, Matth. 5: *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, di- mitte ei et pallium;* et Lucæ 6: *Omni petenti te tribue, et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* « Tamen scien- « dum est, inquit Estius theologus doctissimus in hunc « S. Pauli locum, ea ipsa jam recitata Domini verba « præceptum continere, sic ut saltem ad venialem « culpam obligent, si non præstentur secundùm *præ- « parationem cordis*, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1 « de Sermone Domini in monte. Qui verus est ejusmodi « præceptorum intellectus. Quare et hic S. Pauli locus « sic accipiendus est, ut verè proprièque delictum « sit, Christianos habere judicia inter se; quatenùs « scilicet hoc contrarium sit memoratis Christi præ- « ceptis. Et ita locum hunc acceperunt veteres. »

Ita S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 16 in epistolam 1 ad Corinthios: « Duplex est crimen, inquit, et « quòd judicio contendit, et quòd apud infideles. Si « enim per se est peccatum cum fratre judicio con- « tendere; etiam apud exteros contendere, quamnam « habet veniam? *Jam quidem omninò delictum est in « vobis, quòd judicia habetis inter vos.* An autem justè « aut injustè judicio contendat, hoc est alterius disp « tationis. Ne dicas ergo: Quis fecit injuriam? Hin « enim te condemno, nempe quòd judicio contendas. « Si est autem crimen quòd ferre non possis eum qui « fecit injuriam; etiam injuriam facere, quantâ di- « gnum est accusatione! *Quare non magis injuriam ac- « cipitis? Quare non magis fraudem patimini?* etc. Rur « sùs crimen est duplum; fortassè autem et triplum, « et quadruplum: unum quidem, nescire ferre cùm in- « jurià sis affectus; secundum autem, etiam injuriam « facere; tertium, iniquis de his permittere cognitio- « nem; quartum, hoc facere fratrem. »

Ita S. Augustinus in Enchiridio, cap. 78, hunc Apostoli locum expendens: «Hìc posset putari, inquit, « judicium habere adversùs alterum non esse pecca- « tum, sed tantummodò id extra Ecclesiam velle judi- « cari, nisi secutus adjungeret: *Jam quidem omninò « delictum est, quia judicia habetis vobiscum.* Et ne « quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se « habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam vel- « let à se judicum sententiâ removeri; continuò tali

« bus cogitationibus vel excusationibus occurrit, at- « que ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? Qua- « re non potiùs fraudamini?* Ut ad illud redeatur quod « Dominus ait, Matth. 5 : *Si quis voluerit tunicam « tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi « et pallium;* et Luc 6 : *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli « repetere.* Prohibuit itaque suos de secularibus rebus « cum aliis hominibus habere judicium ; ex quâ doctri- « nâ Apostolus dicit esse delictum. Tamen cùm sinit « in Ecclesiâ talia judicia finiri inter fratres fratribus « judicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; « manifestum est etiam hìc quid secundùm veniam « concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi « peccata, et alia, licet eis minora, quæ fiunt verbo- « rum et cogitationum offensionibus, Apostolo Jaco- « bo confitente ac dicente cap. 3 : *In multis offendi- « mus omnes ;* oportet ut quotidiè crebròque oremus « ad Dominum, atque dicamus: *Dimitte nobis debita « nostra ;* nec in eo quod sequitur mentiamur: *Sicut « et nos dimittimus debitoribus nostris.* » Et Enarratione in Psalmum 80, Christianum sua repetentem, et pro illis habentem cum fratre judicium, numerat inter eos qui supra fundamentum, quod est Christus, ædificant lignum, fœnum, stipulam. « Sunt autem alii, in- « quit, qui rebus infirmitati concessis inhærent ali- « quantùm dilectione. Non rapit villam alienam, sed « sic amat suam, ut si perdiderit, contristetur.... Non « tollit aliena, sed repetit sua, et habet cum fratre suo « judicium. Talibus enim dicitur, 2 Cor. 5 : *Jam qui- « dem omninò delictum est in vobis, quia judicia habetis « vobiscum.* Verùm ipsa judicia in Ecclesiâ jubet agi, « non ad forum trahi, tamen delicta esse dicit. Con- « tendit enim Christianus pro rebus terrenis ampliùs « quàm decet eum cui promissum est regnum cœlo- « rum. Non totum cor sursùm levat, sed aliquam par- « tem ejus trahit in terrâ... Dico enim : Frater, possi- « des fundamentum, hære cœlo, calca terram. Si talis « es, non ædificas nisi aurum, argentum, et lapides « pretiosos. Cùm autem dixeris : Amo possessionem « istam, timeo ne pereat ; et imminet damnum, et tu « contristaris ; non quidem præponis eam Christo ; « nam sic amas possessionem istam, ut si dicatur tibi : « Ipsam vis an Christum? et si tristis eam perdis, « plus tamen amplecteris Christum quem posuisti in « fundamento ; salvus eris tanquàm per ignem. » Et sermone 24 in psalmum 118, explicans hunc versum : *Declinate à me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei*, sic litigantes vitiosis et negotiosis cupiditatibus implicari asserit ; conditionem Episcoporum deplorans, qui litibus Christianorum judicandis meliores horas impendere tenebantur. « Maligni, inquit, exercent ad fa- « cienda mandata, à scrutandis autem avocant, non « solùm cùm persequuntur, aut litigare nobiscum vo- « lunt, verùm etiam cùm obsequuntur et honorant, et « tamen suis vitiosis et negotiosis cupiditatibus adju- « vandis ut occupemur, et eis nostra tempora impen- « damus, efflagitant ; aut certè infirmos premunt, et « causas suas ad nos deferre compellunt ; quibus di- « cere non audemus : *Dic, homo, quis me constituit judi- « cem aut divisorem inter vos?* Constituit enim tali- « bus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in « foro prohibens jurgare Christianos. Ne illis quidem « qui non aliena rapiunt, sed sua cupidè repetunt, dici- « mus : *Cavete ab omni cupiditate*, Luc 12, constituen- « tes eis ante oculos hominem cui dictum est : *Stulte, « hâc nocte auferetur à te anima tua; quæ præparâsti « cujus erunt?* Quia et quando dicimus, non recedunt « nec declinant à nobis ; sed instant, urgent, precan- « tur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potiùs ad ista « quæ diligunt, quàm scrutandis Dei mandatis quæ « diligimus, occupemur. »

Ita S. Thomas, commentario in cap. 6 Epistolæ 1 ad Corinthios, lectione 2 : « Judicium, inquit, adversùs ali- « quem est illicitum omnibus quantùm ad quatuor. Pri- « mò quidem quantùm ad causam ex quâ aliquis judi- « cium habet, putà, ex cupiditate et avaritiâ. Unde « Lucæ 12, cùm quidam de turbâ Domino dixisset : « *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*, Domi- « nus dixit : *Quis me constituit judicem ad dividendum « inter vos?* Postea subdit : *Videte et cavete ab omni « avaritiâ.* Secundò, quantùm ad modum judicii, quia « scilicet cum contentione et detrimento pacis judi- « cium prosequuntur ; ut enim dicitur Jacobi 3 : *Ubi « zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pra- « vum.* Et hoc videtur Apostolus in eis reprehendere, « ut patet ex hoc quod supra dixit : *Frater cum fratre « in judicio contendit.* Tertiò ex perversitate judicii, « putà, cùm aliquis injustè et fraudulenter in judicio « procedit, secundùm illud Isaiæ 10 : *Ut opprimerent « pauperem, et vim facerent causæ humilium populi mei.* « Et hoc etiam Apostolus in eis reprehendit, ut patet « per id quod subdit : *Sed vos injuriam facitis.* Quartò, « propter scandalum quod sequitur ; unde et Dominus « mandat Matth. 5 : *Qui vult tecum in judicio conten- « dere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* « Ait ergo Apostolus : *Omninò delictum est in vobis*, id « est, ad delictum vobis reputatur, quòd *judicia ha- « betis inter vos ;* inter quos scilicet debet esse pax, « quia, ut dicitur 2 ad Timotheum 2 : *Servum Dei non « oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Ex « CHARITATE *verò sua in judicio repetere, licitum est ;* » cùm scilicet caventur pericula plurimarum offensio- num quæ ex litibus nascuntur, quales sunt pravæ de fratre suspiciones et judicia, obtrectationes, odia, etc., et pacis ac tranquillitatis internæ detrimentum majori aliquo bono compensatur ; scilicet cùm quis non suum, sed publicum alicujus communitatis agit negotium, ut ecclesiæ, monasterii, collegii, maximè si ex obedien- tiâ aut ex officio id faciat : cùm bona pauperum, pu- pillorum, viduarum, vel ablata, seu malè alienata re- petit, vel ne tollantur obsistit ; cùm sua repetit quæ conjugi et liberis alendis, fovendis, collocandis sunt necessaria ; cùm quis in judicio vitam suam defendit, præsertim multis profuturam ; quemadmodùm S. Pau- lus fecit, Cæsarem appellans, Act. 25 ; denique cùm adversarius videtur futurus ad nocendum audacior, ac plures alios injurus affecturus, si auctoritate judicis non reprimatur. Cæterùm ita debent esse affecti, qui

rerum temporalium causâ litigant, ut potiùs injurias et damna quælibet pati ex animo parati sint, quàm fraternam charitatem violare. Ea enim animi præparatio non est meri consilii, sed præcepti.

Hinc rursùs S. Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 8, ait: « Pecuniam dimittere illo « potiùs jubemur præcepto, quod superiùs dictum est, « Matth. 6 : *Si quis tibi tunicam tollere voluerit, et judicio tecum contendere, remitte ei et vestimentum ;* nec « ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere « debitum, sed ei qui reddere noluerit, in tantum ut « velit etiam litigare ; *servum autem Domini*, ut ait « Apostolus, 2 Tim. 2, *non oportet litigare.* Qui ergo « vel spontè, vel conventus pecuniam debitam red- « dere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res « nolet reddere, vel quòd non habeat, vel quòd ava- « rus sit, reique alienæ cupidus ; utrumque autem « pertinet ad inopiam ; nam illa inopia est rei familia- « ris, hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit debi- « tum, inopi dimittit, opusque Christianum operatur, « manente illâ regulâ, ut in animo paratus sit amitte- « re quod sibi debetur. Nam si modestè ac leniter « omni modo egerit, ut sibi restituatur, non tam in- « tendens fructum pecuniæ, quàm ut hominem corri- « gat, cui sine dubio perniciosum est habere unde « reddat, et non reddere ; non solùm non peccabit, « sed proderit etiam plurimùm, ne ille, dùm alienam « pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patia- « tur, quod tantò est gravius, ut nulla sit comparatio. » Hinc S. Gregorius Magnus, lib. 31 Moralium, cap. 8 : « Perfectus igitur Christianus, inquit, quomodò « debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc « præcipitur non possidere ? Itaque cùm res proprias « amittimus, si perfectè Deum sequimur, in hujus vi- « tæ itinere à magno onere levigati sumus. Cùm verò « curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas im- « ponit, quidam dùm eas rapiunt, solummodò tole- « randi sunt ; quidam verò conservatâ charitate pro- « hibendi, non tamen solâ curâ ne nostra subtrahant, « sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus « quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quàm re- « bus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista nam- « que etiam non rapta morientes amittimus ; cum « illis verò et nunc conditionis ordine, et si corrigi « studeant, post perceptionem muneris unum sumus. « Quis autem nesciat, quia minùs ea quibus utimur, « et plus debemus amare quod sumus ? Si ergo et pro « suâ utilitate raptoribus loquimur, non jam solùm « nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt « æterna, vindicamus. Quâ in re illud est solerter in- « tuendum, ne per necessitatis metum cupiditas sub- « repat rerum, et zelo succensa prohibitio, impetûs « immoderatione distensa, usque ad odiosa verba, et « turpitudinem contentionis erumpat. Dùmque pro « terrenâ re pax à corde cum proximo scinditur, li- « quidò apparet quia plus res quàm proximus amatur. « Si enim charitatis viscera etiam circa raptorem « proximum non habemus, nosmetipsos pejùs ipso « raptore persequimur, graviùsque nos, quàm alter « poterat, devastamus ; quia dilectionis bonum sponte « deserentes, à nobis ipsis intùs est quod amittimus, « qui ab illo sola exteriora perdebamus. Sed hanc hy- « pocrita formam charitatis ignorat ; quia plus terrena « quàm cœlestia diligens, contra eum qui temporalia « diripsit sese in intimis immani odio inflammat. »

Quanquàm verò Christianis omnibus admodùm periculosæ sint lites rerum temporalium causâ susceptæ, ad quas nimirum suscipiendas sola plerùmque cupiditasi mpellit, et quarum prosecutione sæpiùs, heu ! fraterna charitas perit et extinguitur in litigantium animis ; adeòque nihil agere non debeant ut lites vitent, causarum suarum judicium communibus amicis aut electis arbitriis permittendo, quantùm in ipsis est ; magis tamen à litibus alieni esse debent ecclesiastici religiosique viri, qui vel perfecti esse debent, vel ad perfectionem ex sui statûs obligatione tendere. Omnem enim avaritiæ suspicionem illos vitare oportet, atque charitatis exemplo cæteris omnibus prælucere. Hinc concilii Carthaginensis IV canone 19 sancitum est, *ut episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus.* Hinc S. Ambrosius, lib. 2 de Officiis, cap. 21 : « Decet, inquit, esse benignum, non alieni cupidum, imò « de suo jure cedentem potiùs aliqua, si fuerit laces- « situs, quàm aliena jura pulsantem, fugitantem li- « tium, abhorrentem à jurgiis, redimentem concor- « diam, et tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo « jure virum bonum aliquid relaxare, non solùm libe- « ralitatis, sed plerùmque etiam commoditatis est. « Primùm dispendio litis carere, non mediocre est lu- « crum. Deinde accedit ad fructum, quòd augetur « amicitia, » etc. Et epistolâ 49, ad Marcellum episcopum scribens de compositione litis, quæ ipsi cum fratre et sorore intercesserat, et quam ipse Ambrosius partibus judex electus, finire maluerat ut arbiter, omnes causam vicisse ostendit, sed præcipuè Marcellum qui charitate vicit. « Cùm, inquit, anceps judicium « jus controversum, multiplices ab utrâque parte ac- « tiones cernerem, invidiæ plenas supplicationes, re- « scriptorum quoque obreptiones obtexerent ; adver- « terem etiam gravi conditione illum, si vicisset, « acturum de duplicis fructibus, et de sumptibus an- « nosæ litis ; tuo autem officio non convenire, ut ex- « pensas jurgii posceres, nec competere ut quidquam « de fructibus possessor ageres, quos percepisses ; ma- « lui jurgium compositione se dare, quàm pronuntia- « tione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia. « Tum, quod est gravissimum, etsi jurgia sublata fo- « rent, erant tamen odia mansura, quæ apud bonos « mores dispendia sunt. Inter hos æstus positus, cùm « me persona sacerdotis, feminæ sexus, viduæ gra- « vitas, amici quoque contemplatio trino quodam non « perfunctorio conveniret nomine, illud sequendum « putavi, ut neminem vinci vellem, et omnes vince- « re. Nec fefellit sententia. Vicistis enim omnes ger- « manitati, vicistis naturæ, vicistis Scripturæ dicenti : « *Quare non magis injuriam accepistis ? Quare non ma- « gis fraudem patimini ?* Sed putas te gravatum jacturâ « juris, damno pecuniæ. Meliora utique sacerdotibus

« damna, quàm lucra seculi sunt. *Beatius est enim « dare, quàm accipere*, Act. 20. Sed fortè dicas : Frau- « dem non debui pati, injuriam non debui perpeti, dam- « num subire. Quid ergo? Inferre velles ? Sed etsi tu « non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid « dicat Apostolus : *Quare non magis fraudem patimini*? « Ut propè videatur, qui non patitur, fecisse. Tolerare « enim debet qui fortior est. Verùm quid ego ita te- « cum ago, quasi hoc meum et non tuum sit? Tu « enim obtulisti, quasi arbiter litis, ut soror in diem « vitæ suæ possideret partem prædii, post obitum ejus « fratri cederet omnis possessio ; neque quisquam eum « tuo vel Ecclesiæ conveniret nomine; sed sibi haberet, « si ita mallet, ut nihil dispensaret Ecclesiæ.....Vicistis « ergo omnes ; latus, quia jus loci adeptus est, quod non « tenebat ; soror, quia annuis potietur fructibus, jam « sine lite, sine jurgio ; nemo tamen pleniùs, nemo glo- « riosiùs quàm tu vicisti, qui dùm erga sororem confir- « mari vis liberalitatem tuam, in utrumque eam fraternæ « consortem necessitudinis contulisti.Nam et fratri con- « cessisti proprietatem et sorori usum fructum. Nihil « autem adimitur Ecclesiæ,quod pietati acquiritur.Cha- « ritas enim non damnum, sed lucrum Christi est. De- « nique charitas fructus Spiritûs sancti est... Profuit « jurgium, ut formam indueres Apostolicæ vitæ et « præceptionis. Illud sacerdotio non congruebat, hæc « transactio et apostolicam decet normam. Nec vereare « ne immunis sit atque exsors Ecclesia liberalitatis tuæ. « Habet et illa fructus tuos, et quidem uberiores, ha- « bet fructus doctrinæ tuæ, habet tuæ vitæ stipen- « dium ; habet fœcunditatem, quam tuis institutis ri- « gâsti. His dives reditibus non quærit temporalia, « quia æterna possidet... Tu interea, confirmatus in « Apostolum Christi, assumens propheticam auctori- « tatem, dices ad Dominum, Psalm. 138 : *Possedisti « renes meos*. Hæc meliùs Christum possessio decet, ut « virtutes sacerdotis possideat sui ; hos fructus capiat, « qui sunt integritatis et continentiæ, et, quod est am- « pliùs, charitatis et tranquillitatis. »

Hinc S. Gregorius, epistolâ 58, libri 8, ad Bonifa- cium Regiensem episcopum scribit : « Sacerdotali pro- « cul dubio convenit gravitati, ut si quis Ecclesiæ suæ « causas habuerit, aut pacificâ eas ordinatione, si fieri « potest, aut certè judicio interveniente, sine morâ « definiat, ut sublatâ è medio contentionis materiâ, « sola illi cum filiis suis pacis possit concordia per- « manere. » Et tamen sanctus idem pontifex lites ali- quandò suscipiendas docet pro tuendis Ecclesiæ bo- nis, quæ sunt patrimonia pauperum, cùm alia media christiana mansuetudo frustra adhibuit. Sic enim scribit ad Italicam Patriciam, epistolâ 58 libri 2, in- dict. 11 : « Illud quod revocare in memoriam nostram « Excellentia vestra studiosè contendit scriptum, vo- « bis sciat nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu « vobiscum nos velle de causis pauperum definire. « Hoc et nos scripsisse meminimus, et scimus nosmet- « ipsos juvante Domino, à causarum litigiis ecclesias- « ticâ moderatione compescere, atque secundùm apo- « stolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum « cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos volumus, « taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post « me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non « facturam. » Hanc formam sanctus pontifex viris ec- clesiasticis dedit; imò à Christo, et à S. Paulo traditam docuit, libro 3 Moralium, cap. 8 : « Ecce, inquit, di- « vinâ voce præcipitur, Matth. 5 : *Si quis tibi tulerit « tunicam, et voluerit tecum judicio contendere, dimitte « illi et pallium;* et rursùm Luc. 6 : *Si quis quod tuum « est tulerit, ne repetas.* Paulus quoque apostolus disci- « pulos suos cupiens exteriora despicere, ut valeant « interna servare, admonet dicens : *Jam quidem om- « ninò delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter « vos ; quare non magis injuriam accipitis? quare non « magis fraudem patimini?* Et tamen hypocrita assump- « to sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam « deserit, et temporalia quæque defendere etiam jur- « giis quærit. Exemplo suo eorum perdere corda non « trepidat, et quasi per negligentiam amittere patri- « monia terrena formidat. In errorem discipulus labi- « tur, et tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur. « Ire in iniquitatis voraginem commissos sibi conspi- « cit, et hæc quasi inaudita pertransit; at si quod sibi « leviter inferri temporale damnum senserit, in ultio- « nis iram repentè ab intimis inardescit. Mox patientia « rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrenatur ; « quia dùm animarum damna æquanimiter tolerat, ja- « cturam verò rerum temporalium repellere etiam cum « spiritûs commotione festinat, cunctis veraciter in- « dicat, teste mentis perturbatione, quid amat. Ibi « quippe est grande studium defensionis, ubi et gra- « vior vis amoris. Nam quantò magis terrena diligit, « tantò privari eis vehementiùs pertimescit. Quia enim « mente aliquid in hoc mundo possidemus, non doce- « mur, nisi cùm amittimus. Sine dolore quippe amitti- « tur, quicquid sine amore possidetur. Quæ verò ar- « denter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. « Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas « Dominus condidit, suis autem animas hominum crea- « vit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui negle- « ctis his quæ ejus sunt, propria tuetur. Perdere nam- « que hypocritæ ea quæ Dei sunt, id est, animas ho- « minum, non timent; et ea quæ sua sunt, amittere, « videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto « judici posituri rationes, timent, ac si placatum inve- « niant, cui desideratis rebus, id est, rationabilibus « perditis, insensibilia et non quæsita conservant.

Eâ de re et S. Bernardum audiamus, epistolâ 301 ad Sanciam regis Hispaniæ sororem, quam rogat ut litem inter duo monasteria ortam operâ suâ sopire et componere conetur, aut certè à duobus episcopis finiri curet. « Et quoniam, inquit, servos Dei non oportet li- « tigare, consilii nobis fuit ad vestrum potissimùm « consilium causam remittere, ut vestrâ auctoritate et « operâ omnis inepta et injusta, ut aiunt, calumnia « conquiescat, et ordo in domo Dei receptus ad ejus « gloriam et vestram ipsius salutem deinceps in pace « permaneat..... Si autem vestris, quod non credimus « salutaribus monitis, aut consiliis contradictores illi

« acquiescere nolunt; tunc duorum judicio episcopo-
« rum, ad quos duo illa loca jure parochiali pertinere
« noscuntur, omnis inter eos controversia terminetur.
« Quodque ab eis judicatum sive constitutum concor-
« diter fuerit, vestrum erit ratum habere, et de cætero
« firmiter manu tenere... Si timetis Deum, non patie-
« mini impediri tantum bonum... Nec fratres illos suæ
« devotionis privari fructu, nec Deum denique tam
« accepto sibi reformati ordinis sacrificio defraudari. »
Sacri quoque canones clericos et monachos à litibus ex cupiditate suscipiendis ac persequendis abstinere jubent, ut constat ex cap. *Multa sunt*, extra, *ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant*, qui Moguntini concilii sub Carolo Magno canon decimus quartus est. « Multa sunt, inquit, negotia secularia ad
« quæ pertinet omnis concupiscentia... Contentiones,
« vel lites, vel rixas amare; in placitis secularibus
« disputare, exceptâ defensione orphanorum, aut vi-
« duarum... et omnibus quibuslibet causis superfluis
« interesse, ecce talia, et his similia ministris altaris
« Domini, necnon et monachis omninò contradicimus,
« de quibus ait Apostolus : *Nemo militans Deo, impli-*
« *cat se negotiis secularibus.* »

Regula XI. — Lethalis avaritiæ rei sunt monachi, et moniales, et quicumque paupertatis evangelicæ voto se obstrinxerunt, si peculium habeant; vel pecunias, aut quidvis aliud pretio æstimandum, absque superiorum licentiâ, ad usum retineant. — Hæc regula SS. Patrum et sacrorum canonum auctoritate firmatur : S. Basilii, in Constitution. monasticis, cap. 34 : « Et-
« enim qui proprium habere aliquid studet, is sine du-
« bio nihil aliud quàm distinctionem ac defectionem à
« cæteris meditatur. Nam cui hoc in animo non est,
« quid est tandem quod ipse possidere seorsùm velit;
« cùm ipse sciat Christi beneficio servos ipsius in ne-
« cessariorum copiâ assiduè versari? Proinde perspi-
« cuum est, qui talis sit, eum de præcidendâ ac mor-
« te afficiendâ animâ suâ meditari, qui exiguis obolis
« salutem suam addicere ac prodere paratus sit, et
« alter Judas efficiatur, nempe qui à furto exordiatur
« (furtum enim est privata possessio), et in proditio-
« nem desinat; quando ut ille Dominum, sic iste etiam
« veritatis verbum prodit. » Et infra : « Societatis ex-
« pilatio est rei cujuscumque et undecumque in pri-
« vatum usum sevocatio. » Idem in Epistolâ ad Chilonem monachum : « Aurum, inquit, maximoperè ut ani-
« mæ tuæ blandissimum insidiatorem, ut parentem
« peccati, ut diaboli administrum modis omnibus fu-
« ge. Prætextu sublevandæ pauperum inopiæ provide
« ne fias inexplebili congerendæ pecuniæ cupiditati
« obnoxius; adeò ut si quis pecunias offerat in inopum
« usum erogandas, ipse autem certò cognoveris indi-
« gos, is cujus sunt pecuniæ fac consilio tuo secum ut
« eas auferat, egenis fratribus erogaturus; ne contin-
« gat ut cùm dispertiendas ipse acceperis, earum affrictu
« conscientiæ tuæ nitor situm ducat avaritiæ, et inqui-
« netur. » S. Hieronymus epistolâ 20 ad Eustochium, de Custodiâ Virginitatis inscriptâ, refert quid gestum sit aliquando Nitriæ circa monachum vitio proprietatis maculatum. « Quidam, inquit, ex fratribus parcior
« magis quàm avarior, et nesciens triginta argenteis
« Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo
« acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter mo-
« nachos consilium (nam in eodem loco irciter quin-
« que millia divisis cellulis habitabant) quid facto opus es-
« set. Alii pauperibus distribuendos esse dicebant, alii
« dandos Ecclesiæ, Macarius verò et Pambo et Isidorus,
« et cæteri, quos Patres vocant, sancto in eis loquente
« Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem,
« dicentes : *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nec
« hoc crudeliter quisquam putet factum. Tantus cun-
« ctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum
« solidum dimisisse sit criminis. » S. Augustinus, epistolâ 211, aliàs 109, quæ est Regula monialibus scripta : « Non dicatis aliquid proprium, inquit, sed sint
« vobis omnia communia..... Charitas enim de quâ
« scriptum est, quòd *non quærit quæ sua sunt*, sic in-
« telligitur, quia communia propriis, non propria com-
« munibus anteponit. Et ideò quantò ampliùs rem
« communem quàm propriam curaveritis, tantò am-
« pliùs vos profecisse noveritis; ut in omnibus quibus
« utitur transitura necessitas, superemineat quæ per-
« manet charitas. Consequens ergo est, ut etiam illud
« quod suis vel filiabus vel aliquâ necessitudine ad se
« pertinentibus in monasterio constitutis aliquis vel
« aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud
« inter necessaria deputandum, non occultè accipia-
« tur, sed sit in potestate præpositæ, ut in commune
« redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quòd si
« aliqua rem sibi collatam celaverit, furti judicio con-
« demnetur. » Idem confirmat Cassianus, lib. 4 de Institutis Renuntiantium, cap. 3, 4, 13 et 15. Idem omnes regulæ monasticæ.

S. Gregorius Magnus, lib. 4 Dialogorum, cap. 55 :
« Neque hoc silendum puto, quod actum in meo mo-
« nasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam
« enim monachus Justus nomine medicinali arte fue-
« rat imbutus, qui mihi in eodem monasterio consti-
« tuto sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus
« meis excubare consueverat. Hic itaque languore cor-
« poris præventus, ad extremum deductus est. Cui in
« ipsâ suâ molestiâ frater germanus nomine Copiosus
« serviebat, qui ipse quoque nunc in hâc urbe per
« eamdem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia
« sectatur. Sed prædictus Justus, cùm jam se ad ex-
« tremum pervenisse cognovisset, eidem Copioso fra-
« tri suo, quia tres aureos occultatos haberet, inno-
« tuit. Quod nimirùm fratribus non potuit celari, sed
« subtiliter indagantes, atque illius omnia medica-
« menta perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt
« absconsos in medicamine. Quod mox ut mihi nun-
« tiatum est, tantum malum de fratre, qui nobiscum
« communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui;
« quippe quia ejusdem mei monasterii regula fuerat, ut
« cuncti fratres ita communiter viverent, quatenùs eis
« singulis nulla propria habere liceret. Tunc nimio mœ-
« rore percussus, cogitare cœpi vel quid ad purgationem
« morientis facerem, vel ad exemplum viventibus fra-

« tribus providerem. Pretioso igitur ejusdem monaste-
« rii præposito ad me accersito dixi : Vide ut nullus
« ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec ser-
« monem consolationis ex cujuslibet eorum ore per-
« cipiat; sed cùm in morte constitutus fratres exqui-
« sierit, ei suus carnalis frater dicat, quia propter
« aureos quos occultatos habuit, à cunctis fratribus
« abominatus sit; ut saltem in morte de culpâ suâ
« mentem ipsius amaritudo transverberet, atque à
« peccato quod perpetravit, purget. Cùm verò mor-
« tuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus
« non ponatur; sed quolibet in sterquilinio fossam fa-
« cite, et in eâ corpus ejus projicite, ibique super eum
« tres aureos, quos reliquit, jactate, omnes simul cla-
« mantes : *Pecunia tua tecum sit in perditionem :* et sic
« eum terrâ operite. In quibus utrisque rebus, unam
« morienti, alteram verò viventibus volui prodesse fra-
« tribus; ut et illum amaritudo mortis à culpâ solubi-
« lem faceret, et istos avaritiæ tanta damnatio terre-
« ret, atque à culpâ prohiberet, quod ita factum est.
« Nam cùm idem monachus pervenisset ad mortem,
« atque anxiè se quæreret commendari fratribus, et
« nullus è fratribus ei applicari et loqui dignaretur,
« ei carnalis frater cur ab omnibus fratribus esset abo-
« minatus, indicavit. Qui protinùs de reatu suo vehe-
« menter ingemuit, atque ipsâ suâ tristitiâ è corpore
« exivit; qui ita est sepultus, ut dixeram. Sed fratres
« omnes ex eâdem ejus sententiâ conturbati cœperunt
« singuli extrema quæque et vilia, et quæ eis habere
« regulariter semper licuerat, ad medium proferre,
« vehementerque formidare, ne quid apud eos esset
« unde reprehendi potuissent. »

Idem Epistolâ 22 libri 10 : « Venientes monachi
« monasterii quondam abbatis Claudii petiverunt sibi
« Constantium monachum abbatem debere constitui.
« Quos valdè ego in suâ petitione detestatus sum, quia
« mihi terrenæ mentis esse omnimodè apparuerunt,
« quia terrenum nimis hominem abbatem quæsive-
« runt habere. Cognovi enim quòd Constantius pecu-
« liaritati studeat; quæ res omninò testatur eum cor
« monachi non habere. » Et infra : « Hæc autem præ-
« dicto fratri et coepiscopo nostro omninò dicere
« stude, ut peculiaritatem à quatuor aut quinque mo-
« nasterii monachis, in quibus corrigi hactenùs mi-
« nimè potuit, studiosissimè compescat, et hoc ipsum
« monasterium à tali peste mundare festinet; quia
« si illic peculiaritas à monachis habetur, neque con-
« cordia neque charitas in congregatione eâdem po-
« terit permanere. Quid est autem habitus monachi,
« nisi despectus mundi? Quomodò igitur mundum de-
« spiciunt, qui in monasterio positi aurum quærunt? »
Idem confirmat et B. Petrus Damiani, opusculo 12, quod inscribitur Apologeticus de Contemptu seculi, cap. 3, illiusque gravitatem peccati ostendit proposito Ananiæ et Saphiræ exemplo, Actuum cap. 5; Hugo de Sancto Victore in Expositione Regulæ S. Augustini; S. Thomas, 2-2, quæst. 186, a. 3 et 7, et tractatus contra Proprietarios Regulæ S. Augustini, inter Gersonis opera, tom. 1.

Concilium Aurelianense, anno Christi 507, canone 21 : « Monachi, inquit, abbatibus omni obedientiâ et
« devotione subjaceant. Quòd si quis per contuma-
« ciam exstiterit indevotus, aut per aliqua loca vagari,
« aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia
« quæ acquisierit, ab abbatibus auferantur, secundùm
« regulam monasterio profutura. » Concilium Augustodunense sub S. Leodegario, circa annum Christi 670, canone 1, statuit « ut abbates vel monachi pecu-
« liare non habeant; et monachi ab abbate victum et
« vestitum consuetum accipiant..... Nemo suum ali-
« quid esse dicat, sed sint eis omnia communia, etc.
« Quisquis autem hæc à nobis Deo præcipiente dictata
« in confirmationem regularem monachorum tenta-
« verit aliquâ transgressione cassare, si abbas est,
« anno uno communionis ei potestas suspendatur; si
« præpositus, annos duos; si monachus, aut fustibus
« verberetur, aut à communione, et missâ, et chari-
« tate tres annos suspendatur. » Concilium œcumenicum Lateranense sub Alexandro III, cap. 10 de Monachis : « Si verò peculium habuerit, nisi ei ab
« abbate pro injunctâ fuerit administratione permis-
« sum, à communione removeatur altaris; et qui in
« extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio
« pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam;
« quod etiam de universis religiosis præcipimus ob-
« servari. »

Innocentius III, cap. *Cum ad Monasterium*, extra de Statu monachorum, prohibet in virtute obedientiæ et sub obtestatione divini judicii : « Ne quis mona-
« chorum proprium aliquo modo possideat, sed si
« quis aliquid habeat proprii, totum in continenti
« resignet. Alioquin regulari monitione præmissâ,
« de monasterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs,
« nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam.
« Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit
« in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra
« monasterium in sterquilinio subterretur. Unde si
« quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non
« præsumat illud accipere, sed abbati, vel priori, vel
« cellario assignetur. »

Concilium Salisburgense anno 1281, cap. 4 : « Item
« statuimus, ut monachi vel regulares, nisi à notitiâ
« præsentium, infra dies quindecim vel ante ad ma-
« nus suorum offerant prælatorum, usque ad restitu-
« tionem debitam ab officio sint suspensi; et nihilomi-
« nùs si manifesta sit proprietas, carcerali custodiæ
« mancipentur. » Concilium Oxoniense sub Stephano Cantuariensi archiepiscopo, anno 1222 : « Quoniam
« non licet viris religiosis aliquid proprium possidere,
« qui se et sua pariter in religionis ingressu Domino
« dedicârunt, præsenti auctoritate definimus, ut nulla
« persona in regulari ordine constituta condere testa-
« mentum præsumat, cùm nihil habeat suum tempo-
« rale, quod transferre valeat in dominium alienum. »
Idem concilium ut vitium proprietatis in monachis et monialibus penitùs eradicet, prohibet : « Ne singulis
« eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia

« per certas personas ad hoc deputatas, putà camerarios vel camerarias diligenter expediantur; qui, « ut quilibet indiguerit, et facultas domûs sustinuerit, « eis indumenta ministrent. Et cùm eis nova tradita « sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in usus pauperum « vel alias necessitates, de consilio abbatis, vel prioris, « vel abbatissæ, vel priorissæ convertantur. » Id et alia concilia sanxerunt, inter alia Cameracense anno 1565, tit. 18, cap. 10. Concilium Tridentinum, sessione 25, de Reformatione, cap. 2 : « Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, « tanquàm propria, aut etiam nomine conventûs possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem vel commendam. Administratio autem « bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos « officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita superiores « permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, « quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in « eâ sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quòd si aliquis quidquam tenere deprehensus « aut convictus fuerit, is biennio activâ et passivâ « voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ et « ordinis constitutiones puniatur. »

Denique « status religionis, inquit S. Thomas, 2-2, « quæst. 186, a. 3, est quoddam exercitium et disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis « affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit enim S. Augustinus, lib. 10 Confess., « cap. 9, ad Deum loquens : *Minùs te amat, qui tecum « aliquid amat, quod non propter te amat.* Et lib. Quæstionum octoginta trium, quæst. 36, ait quòd *nutrimentum charitatis est immunitio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* Ex hoc autem quòd aliquis res « mundanas possidet, allicitur animus ad earum « amorem. Unde S. Augustinus dicit in Epistolâ ad « Paulinum et Therasiam, epist. 31, aliàs 34, quòd « *terrena diliguntur arctiùs adepta quàm concupita. « Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illi « velut cibi repudiantur, illa verò velut membra præciduntur.* Et inde est quòd ad perfectionem charitatis « acquirendam primum fundamentum est voluntaria « paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente « Domino : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia « quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me.* »

Concilium provinciale Coloniense sub Conrado archiepiscopo sedis Apostolicæ legato, anno 1260, cap. 11 : « Statuimus, quòd abbates excommunicationis « sententiam in proprietarios semel in anno, scilicet « sabbato proximo ante dominicam *Lætare,* solemniter « in capitulo publicent; et si post aliquis inventus « fuerit habere proprium, secundùm regulam puniet tur. » Quod in alterâ synodo Coloniensi sub Henrico archiepiscopo, anno 1310, confirmatum est, addito statuto sequenti : « Si qui monachi vel sanctimoniales « beatorum Benedicti et Augustini ordinum, præter « superioris licentiam, bona mobilia apud se vel apud « alios in deposito negotiationis, aut aliâ de causâ « habuerint, illa suo superiori et conventui resignent, « et eisdem ad cautelam quolibet anno, intra quindenam ante festum Paschæ, intiment, specificent, revelent et demonstrent, et ad manus ejusdem superioris abbatis, in præsentiâ conventûs, resignent « penitùs atque tradant monachi et moniales ejusdem « Contrarium facientes, seu qui bona hujusmodi dolo « non desierint possidere, excommunicentur et puniantur secundùm inde statuta. Et quicumque alii « utriusque sexûs homines, præfata bona sub quovis « nomine sub se habuerint, tales, nisi eadem bona intra « mensem simili modo ad manus superioris ejusdem « monachi vel monialis reportent et resignent, excommunicationis sententiam volumus incurrere eo facto. »

Regula XII. — Lethalis avaritiæ rei sunt parentes qui filios aut filias in monasteria detrudunt, seu ad vitæ religiosæ professionem cogunt vel inducunt, ut eorum fratribus aut sororibus ampliores opes relinquant. — Hanc regulam firmat decretum concilii Remensis anno 1583, tit. de Regularibus, num. 3 : « Quoniam, inquit, arma hujus sanctæ militiæ non debent esse « carnalia, ut verbis Apostoli utamur, adulti monasterium ingressuri, vel puerorum parentes qui illos « afferunt, moneantur ut alia non subeat ipsorum « animos cogitatio, quàm sempiternorum bonorum. « Quisquis igitur otium, honores, beneficia vel alia « temporalia, quasi scopum sibi proponit, vitam monasticam suscepturus, vereatur ne mittatur in tenebras exteriores, non afferens vestem nuptialem; cui « periculo se etiam obnoxios parentes noverint, qui « liberis ingressum religionis procurant, vel quòd natură sint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel « corpore vitiosi, aut valdè deformes; vel certè ut aliis « liberis istorum quasi ablegatione ampliores opes re« linquant. » Parentum avaritiam filios religiosos velut exhæredantium graviter perstringit Salvianus lib. 3, ad Ecclesiam catholicam : « Nullis, inquit, omninò à « suis minùs relinquitur, quàm quibus ob Dei reverentiam plus debetur; nullos pietas minùs respicit, « quàm quos religio præcipuè commendat. Denique si « qui à parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis « postponuntur oblati; indigni judicantur hæreditate, « quia digni fuerint consecratione; ac per hoc unà « tantùm re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo « esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus « penè apud homines vilior est quàm Deus; cujus uti« que fit despectione, ut eos præcipuè parentes filios « spernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet qui hæc faciunt, rationem consilii « sui reddunt, dicentes : Quid opus est ut filiis jam religiosis æqua hæreditatis portio relinquatur? Nihil « ergo justius, nihil dignius, quàm, ut quia cœperunt

« religiosi esse, mendicent? Non quidem quòd eos hæc « res mendicitate oppressura sit, quòd à terrenis fa- « cultatibus abdicantur, cœlum spe possidentes, citò « etiam re possessuros, regente illos Deo suo ac pro- « tegente, qui eos cum immortali spe æternorum etiam « sufficientiâ temporalium munerabit; sed tamen quan- « tùm ad inhumanitatem parentum pertinet, egent, à « quibus sic relicti sunt, ut egerent. Certè etiam si « qui non penitùs domo eliminantur, et quibus non « omninò extorribus, quasi igne et aquâ interdicitur, « cùm aut tenues, aut certè usufructuarii relinquun- « tur, tamen tantò inferiores fratribus relinquuntur, « ut etiamsi paupertate non egeant, comparatione ta- « men egere videantur, » etc.

Regula XIII. — Lethalis avaritiæ et rapinæ rei sunt judices qui munera accipiunt, vel ut jus dicant, vel ut alicui partium faveant, vel ut crimina impunita relinquant; et quamvis eâ intentione non accipiant ut violent justitiam, ratione tamen scandali et periculi in quod se conjiciunt, à lethalis avaritiæ labe non sunt immunes, si dominatrix cupiditas eos ad munerum receptionem impellat. — Hinc munerum acceptione Scriptura sacra judicibus interdicit, graviaque mala ex eâ oriri declarat. Exodi 23 : *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes et subvertunt verba justorum.* Deuteronomii 16 : *Non accipies personam nec munera; quia munera excæcant oculos sapientûm et mutant verba justorum.* Et cap. 27 : *Maledictus qui accipit munera ut percutiat animam sanguinis innocentis.* Isaiæ 1 : *Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et cap. 5 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Cap. 33 : *Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumniâ, et excutit manus suas ab omni munere..., iste in excelsis habitabit.* Psalm. 25 : *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Proverb. 15 : *Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam; qui autem odit munera, vivet.* Proverb. 17 : *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* Ecclesiastici 20 : *Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Job. 15 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Jure etiam civili prohibetur munerum acceptio, scilicet l. *Plebiscito*, ff. de Officio præsidis; l. *Solet*, ff. de Officio Proconsulis, authentica *Novo Jure* c. de Pœnâ Jud., authent. de Judicibus, ff. *Nullo quoque.* Idemque judicibus ecclesiasticis speciatim prohibetur, cap. *Cùm ab omni*, extra de Vitâ et Honestate clericorum, et cap. *Statutum*, tit. de Rescriptis, in sexto. Hinc adversùs judices munera accipientes gravissimæ pœnæ statutæ sunt jure civili. In causâ pecuniariâ pro promisso duplum imponitur, pro dato triplum; in criminali, omnium bonorum proscriptio et exilium. Apud Romanos capitale quondam crimen fuit ex l. 12 Tabularum. Munerum denique quamvis exiguorum acceptio à partibus litigantibus, sub pœnâ criminis concussionis et repetundarum prohibita est regum christianissimorum edictis, Aurelianensi art. 43, Molinensi art. 19, Blesensi art. 114. Venditionem justitiæ gravius esse peccatum venditione beneficii ecclesiastici, censet Petrus Blesensis, epistolâ 115. « Quidam sunt, inquit, qui super exhibitione, aut « executione justitiæ litteras non indulgent, nisi sub « certâ promissione pecuniæ. Sed sciat, quisquis hu- « jusmodi litteras vendidit, quòd Dei justitiam, cujus « debitor est, et quam gratis exhibere tenetur, vena- « lem exponit.... Certè acceptior est apud Deum justi- « tia quàm prædenda. Ideòque, cùm in utroque possit « simonia committi, damnabilior tamen est omnis ve- « nalitas in exhibitione justitiæ quàm in venditione « decimæ vel prædendæ. »

Si tamen non sint ejusmodi munera, quæ integritatem judicis corrumpere valeant, et officii atque humanitatis, potiùs quàm lucri et cupiditatis motu recipiuntur, potest judex illa recipere absque peccato ab amicis, sed nunquàm à partibus litigantibus, aut earum nomine. Id enim non solùm mali speciem semper habet, à quâ Christianos omnes abstinere jubet Apostolus, sed legibus prohibitum et scandalo obnoxium est. Eâ de re S. Hilarium audire non ingratum erit, ea psalmi 14 verba : *Et munera super innocentem non accepit*, exponentem : « Est quædam, inquit, munerum « consuetudo, quæ honorem afferat largienti, ita ut « majoris doloris sit oblata contemni, quàm dona do- « nâsse, quæ sumpta sunt. Igitur ea munera, quæ in « alterius operarentur injuriam, inhibuit. Nam si usum « omninò munerum abstulisset, satis fuerat dixisse : « *Et munera non accepit;* sed quia simplex donorum « usus ex hominis aut etiam Dei reverentiâ venit, ea « vetuit munera quæ integritatem judicii corrumpe- « rent, quæ innocentis injuriam emerent, quæ nullum « in se charitatis mutuæ officium continerent. Etenim « quæ Deo offerimus, his quidem ille non eget, sed « per nos debitæ reverentiæ explentur officio. Ita eam « in muneribus docet servandam esse rationem, ut ea « sumantur à nobis, quæ sint grata et utilia offerenti- « bus, non quæ nos faciant venales, nec insidiosa in- « nocentibus sint, nec munerantibus sumptuosa, officio « potiùs quàm cupiditate sumpta, honore ingesta quàm « metu, charitate magis suscepta quàm lucro. » Ex his patet quàm meritò damnanda sit hæc recentiorum quorumdam casuistarum propositio : *Possunt judices accipere munera à litigantibus, nec tenentur restituere quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam.*

Regula XIV. — Quamvis lethalis avaritiæ rei sint judices qui vendunt justum judicium, et testes qui verum testimonium, possunt tamen advocati absque avaritiæ labe vendere justum patrocinium, vel consilium. — Hanc regulam tradit S. Augustinus, epistolâ 153, aliàs 54 ad Macedonium, cap. 6 : « Non « ideò, inquit, debet judex vendere justum judicium, « aut testis verum testimonium, quia vendit advoca- « tus justum patrocinium, et jurisperitus verum con- « silium. Illi enim inter utramque partem ad examen « adhibentur; isti ex unâ parte consistunt. Cùm autem

« judicia et testimonia, quæ nec justa et vera ven-
« denda sunt, iniqua et falsa venduntur, multò scele-
« ratiùs utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam
« quamvis à volentibus datur. Ille tamen solet tan-
« quàm malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui ju-
« stum judicium emit, quoniam venale esse non de-
« buit. Qui verò pro iniquo judicio dedit, vellet qui-
« dem repetere, nisi timeret vel puderet emisse. »
Refertur in Decretis, causâ 14, quæst. 52, can. *Non sanè*. Idem docet S. Thomas, 2-2, quæst. 71, a. 4, ad tertium : « Judex, inquit, et testis communes sunt
« utrique parti, quia judex tenetur justam sententiam
« dare, et testis verum testimonium dicere. Justitia
« autem et veritas non declinant in unam partem ma-
« gis quàm in aliam. Et ideò judicibus de publico
« sunt stipendia laboris statuta, et testes accipiunt,
« non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium
« laboris, expensas, vel ab utràque parte, vel ab eâ
« à quâ inducuntur, quia *nemo militat suis stipendiis*
« *unquàm*, 1 Cor. 9. Sed advocatus alteram partem
« tantùm defendit; et ideò licitè potest pretium acci-
« pere à parte quam adjuvat. » Eademque ratio est de procuratoribus, notariis, et aliis inferioris loci et officii hominibus. « Dùm tamen moderatè accipiant,
« consideratâ ratione personarum, et negotiorum, et
« laboris, et consuetudine patriæ, et regiorum edicto-
« rum verbis. Si autem per improbitatem aliquid im-
« moderatè extorqueant, peccant contra justitiam, »
inquit S. Thomas. Unde S. Augustinus ibidem ait :
« Ab his extorta per immoderatam improbitatem re-
« peti solent; data per tolerabilem consuetudinem,
« non solent; magisque reprehendimus, qui talia in-
« usitatè repetiverunt, quàm qui ea de more sumpse-
« runt, quoniam multæ necessariæ personæ rebus
« humanis, vel invitantur hujusmodi commodis, vel
« tenentur. »

Regula XV. — Lethalis avaritiæ reus est advocatus, conveniens de quotâ parte litis, aut pactum iniens ut obtentâ causâ tantùm sibi solvatur. — Id enim jura vetant, ne præbeatur advocatis occasio volendi per fas et nefas causam obtinere. Id confirmat S. Antoninus, part. 3, tit. 6, cap. 2, § 5, ubi vitia advocatorum percensens : « Quartò, inquit, peccant, recipiendo
« nimis magnum salarium, vel paciscendo de certâ
« parte litis cum gravi damno litigatoris, quod prohi-
« betur, 3, q. 7, c. *Infamis*, § 3. »

Regula XVI.—Lethalis avaritiæ rei sunt mercatores, qui lucrum tanquàm finem ultimum expetunt. — Nititur hæc morum regula, can. *Quicumque*, causâ 14, quæst. 4, qui ex lib. 1 Capitular., cap. 131, sumptus est. « Quicumque tempore messis vel vindemiæ, non
« necessitate, sed propter cupiditatem comparat an-
« nonam, vel vinum, verbi gratiâ, de duobus denariis
« comparat modium unum, et servat usquedùm ven-
« datur denariis quatuor, aut sex, aut ampliùs, hoc
« turpe lucrum dicimus. » Hanc regulam confirmat S. Thomas, 2-2, quæst. 77, a. 4, ad primum. Censetur autem finem ultimum in lucro constituere, si Dei legem violare lucri gratiâ paratus sit; item : « Quando
« rem non immutatâm chariùs vendit. At cùm aliquis
« lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordi-
« nat ad domûs suæ sustentationem, vel etiam ad
« subveniendum indigentibus, vel etiam cùm aliquis
« negotiationi intendit propter publicam utilitatem,
« ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint, et
« lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipen-
« dium laboris, *non peccat*. »

Regula XVII. — Lucrum tanquàm finem ultimum expetunt, qui alienis incommodis compendium suum quærunt, et honesti rationem solâ utilitate metiuntur. — Id hominum genus omni exsecratione dignum Tullius ipse judicavit, lib. 3 de Officiis demonstrans, nihil esse utile, nisi quod honestum. Sed S. Ambrosium audire præstat, libro pariter 3 de Officiis, cap. 4 :
« Liquet, inquit, id expetendum et tenendum omni-
« bus, quòd eadem singulorum sit utilitas, quæ sit
« universorum. Nihilque judicandum utile, nisi quod
« in commune prosit. Quomodò enim potest uni pro-
« desse, quod inutile sit omnibus? Mihi certè non vi-
« detur qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse.
« Etenim si una lex naturæ omnibus, una utique uti-
« litas universorum. Quòd si una utilitas univer-
« sorum, ad consulendum itaque omnibus naturæ
« lege constringimur. Non est ergo ejus qui consultum
« velit alteri secundùm naturam, nocere ei adversùs
« legem naturæ. Etenim si hi qui in stadio currunt,
« ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut
« unusquisque celeritate non fraude contendat, cursu-
« que quantùm potest ad victoriam properet, supplan-
« tare autem alterum, aut manum dejicere non ausit;
« quantò magis in hoc cursu vitæ istius, sine fraude
« alterius et circumscriptione quærenda nobis victoria
« est? » Et cap. 3 : « Hoc est, inquit, conformari Chri-
« sto, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, ut
« acquirat sibi. Christus enim Dominus cùm esset in
« formâ Dei, exinanivit se ut formam susciperet ho-
« minis, quam operum suorum locupletaret virtuti-
« bus. Tu ergo expolias quem Christus induit? tu
« exuis quem vestivit Christus? Hoc enim agis,
« quando alterius detrimento tua commoda augeri
« expetis. Considera, ô homo, unde nomen sumpse-
« ris: ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed
« omnia largitur omnibus, et diversos in usum om-
« nium animantium fructus ministrat. Inde appellata
« humanitas, specialis et domestica, virtus hominis,
« quâ consortem adjuvet. Ipsa te doceat forma tui
« corporis membrorumque usus. Numquid membrum
« tuum alterius membri officia sibi vindicat, ut oculus
« officium oris, aut os oculi officium sibi vindicet, aut
« manus pedum ministerium, aut pes manuum? Quin
« etiam ipsæ manus dextera ac sinistra dispertita ha-
« bent officia pleraque, ut si usum commutes utrius-
« que, adversùm naturam sit, prinsque totum homi-
« nem exuas, quàm membrorum tuorum ministeria
« convertas.... Finge hanc et da oculo virtutem, ut
« possit detrahere sensum capiti, auditum auribus,
« menti cogitationes, odoratum naribus, ori saporem,
« et sibi conferat, nonne omnem statum dissolvet na-

« turæ? Unde pulchrè Apostolus ait 1 Cor. 12 : *Si « totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, « ubi odoratus? Omnes ergo unum corpus sumus, et di- « versa membra, sed omnia corpori necessaria. Non « enim potest membrum membro dicere : Non es mihi « necessarium.* Quin etiam ipsa quæ videntur infir- « miora membra esse, multò magis necessaria sunt, « et majorem plerumque tuendi se requirunt sollicitu- « dinem. Et si quid dolet membrum unum, compa- « tiuntur ei membra omnia. Unde quàm grave est ut « detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet, et « cui debemus consortium ministerii, ei fraudi et « noxæ simus! Hæc utique lex naturæ est, quæ « nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri « tanquàm unius partes corporis invicem deferamus; « nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra « naturæ legem sit non juvare. Sic enim nascimur, « ut consentiant membra membris, et alterum alteri « adhæreat, et obsequantur sibi mutuo ministerio. « Quòd si unum desit officio suo, impediantur et cæ- « tera; ut si eruat oculum manus, nonne sibi operis « sui usum negavit? Si pedem vulneret, quantorum « sibi actuum profectum inviderit? Et quantò gravius « est totum hominem quàm unum membrum detrahi! « Jam si in uno membro totum corpus violatur, uti- « que in uno homine communio totius humanitatis « solvitur, violatur natura generis humani, et sanctæ « Ecclesiæ congregatio, quæ in unum connexum cor- « pus atque compactum unitate fidei et charitatis as- « surgit. Christus quoque Dominus, qui pro universis « mortuus est, mercedem sanguinis sui evacuatam « dolebit. Quid quod etiam ipsa lex Domini hanc for- « mam tenendam edocet, ut nihil alteri detrahas tui « commodi servandi gratiâ. » Nihil ergo spectat vir justus, nisi quod constans et honestum est, inquit idem Pater, cap. 1. « Et ideò etiamsi aliis videa- « tur pauper, sibi dives est, qui non eorum quæ ca- « duca, sed eorum quæ æterna sunt, æstimatione cen- « setur. »

### Articulus III.

### *De filiabus avaritiæ.*

*Radix omnium malorum cupiditas*, inquit Apostolus 1 ad Timotheum 4, quia sicut ex radice rami, folia, flores, fructus progerminant et sobolescunt, ita ex avaritiâ omne genus vitiorum. Id significavit Amos propheta, Vaticiniorum suorum cap. 9 : *Vidi*, inquit, *Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem, et commoveantur superliminaria; avaritia enim in capite omnium.* Præmiserat sanctissimus vates : *In die illâ deficient virgines pulchræ :* quas S. Hieronymus, istud oraculum exponens, virtutes interpretatur. Septem autem sunt avaritiæ filiæ, secundùm S. Gregorium, lib. 31 Moralium, cap. 31, scilicet : *proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, et contra misericordiam obduratio.* Ex avaritiâ enim præcipuâ quâdam ratione oriuntur, ad eamque ceu ad finem ordinantur.

Proditio est *manifestatio illicita rei alicujus vel personæ in proximi detrimentum vergens, et explendæ avaritiæ causâ.* Quadrupliciter exerceri potest : primò respectu personarum; secundò, respectu locorum scilicet urbium, castrorum, etc.; tertiò, respectu rerum mobilium; quartò, respectu arcanorum.

Fraus peccatum est, *quo quis media astutè ad proximi deceptionem excogitata adhibet ad assequendum avaritiæ finem.* Istud autem discrimen intercedit inter astutiam, dolum et fraudem, quòd astutia sit excogitatio viarum falsarum, simulatarum et obliquarum ad finem aliquem consequendum; dolus sit executio astutiæ seu verbis, seu factis. Verbis; unde Psalm. 9 dicitur : *Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo;* Psalm. 11 : *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa;* Psalm. 13 : *Linguis suis dolosè agebant;* Psalm. 14 : *Non egit dolum in linguâ suâ;* Psal. 49 : *Et lingua tua concinnabat dolos;* Psal. 51 : *Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa;* Psal. 108 : *Loquebantur adversùm me linguâ dolosâ;* Psal. 119 : *Libera animam meam à labiis iniquis, et à linguâ dolosâ.* Factis verò; unde Psal. 105 dicitur : *Et dolum fecerunt in servos ejus*, quamvis et in corde sit dolus secundùm illud Ecclesiastici 19 : *Interiora ejus plena sunt dolo;* et Psal. 37 : *Dolos totâ die meditabantur.* At fraus ad astutiæ executionem spectat, quatenùs ejus opus factis consummatur, Marci 19 : *Ne fraudem feceris.* Astutia porrò ita viro Christiano indigna est, ut ne ob bonum quidem finem liceat. « Nec enim oportet ad « finem bonum falsis viis pervenire et simulatis, sed « veris. Unde etiam astutia, si ordinetur ad bonum « finem, est peccatum, » ad falsam prudentiam pertinens. De quâ S. Gregorius, lib. 10 Moralium, cap. 16, exponens illud Job. 12 : *Deridetur justi simplicitas*, ait : « Sapientia hujus mundi est cor machi- « nationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa « sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demon- « strare. Hæc nimirùm prudentia usu à juvenibus « scitur, hæc à pueris pretio discitur. »

Fallacia est *verborum mendacium, aut æquivocorum dolosa usurpatio ad decipiendum proximum.*

Perjurium est *hujusmodi verborum usurpatio in eumdem finem juramento confirmata.*

Inquietudo seu sollicitudo est *nimia anxiaque animi occupatio circa temporalia vitæ subsidia, ne fortè in futurum desint.*

Violentia est *peccatum quo quis ditior et potentior aliena usurpat, suam ut expleat cupiditatem;* seu, *tyrannias pauperes opprimens oneribus, rapinis, injuriis, verberibus, iniquis pecuniarum vel operum exactionibus.*

Obduratio contra misericordiam est *pravus animi affectus quo divites ita rerum suarum sunt tenaces, ut cor eorum miseriis proximorum emolliri non possit ad eorum inopiam suis opibus sublevandam.* De plerisque avaritiæ filiabus S. Augustinus, sermone 367, aliàs 25 De Verbis Domini, hunc in modum disserit : « Inex- « plebilis est sola avaritia divitum. Semper rapit, et « nunquàm satiatur; nec Deum timet, nec hominem « reveretur; nec patri parcit, nec matrem agnoscit;

« nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat; vi-
« duam opprimit, pupulli rem invadit; libertas in
« servitium revocat, testamentum falsum profert. Res
« mortui occupantur, quasi non et ipsi qui hoc faciunt
« moriantur. Quæ est ergo ista animarum insania,
« amittere vitam, appetere mortem? Adquirere au-
« rum, et perdere cœlum? » Et S. Leo, sermone 9 de Passione Domini, cap. 4 : « Videte, dilectissimi,
« quæ germina et quales fructus de avaritiæ stirpe
« nascantur, quàm meritò Apostolus radicem omnium
« malorum esse definivit, quia nullum peccatum sine
« cupiditate committitur, et omnis illicitus appetitus
« istius aviditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis
« est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro
« exiguo perire non metuit; nullumque est in illo
« corde justitiæ vestigium, ubi avaritia sibi fixit ha-
« bitaculum. Hoc perfidus Judas veneno, dùm sitit lu-
« crum, pervenit ad laqueum; et tamen stultè impius
« fuit, ut triginta argenteis et Dominum venderet et
« Magistrum. »

ARTICULUS IV.

## Regulae morum,

*Filias avaritiæ spectantes, ac inprimis proditionem.*

REGULA PRIMA. — Proditio lethale crimen est, cùm quis proximum simulatâ specie amicitiæ occidit, vel in hostium manus tradit, aut factum aliquod manifestat, cujus denuntiatione grave damnum proximo procuratur. — Sic Cain deambulationis specie invitatum in agrum fratrem interficiens, Genes. 4, homicidii crimen proditione cumulavit. Sic Dalila meretrix Samsonem in sinu suo recumbentem, abrasis septem crinibus, fractum et debilitatum, Philistæis tradidit, à quibus pecuniam acceperat; qui statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molæ admoverunt, Judicum 16. Sic Doeg proditionis scelus commisit, cùm Sauli denunciavit Davidem Nobe ab Achimelech sacerdote receptum; quo audito, Saül omnes sacerdotes Domini trucidari jussit, et Nobe civitatis sacerdotalis incolas universos gladio exterminari, 1 Regum 21 et 22. Sic Joab occurrens Amasæ regii exercitûs æmulo duci dixit: *Salve, mi frater; et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum;* et gladio *percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram*, ut refertur 2 Regum 20. Sic Judas Iscariotes triginta argenteos pactus, Dominum nostrum Jesum Christum Judæis tradidit, Matth. 26. Cùm « vim sceleris per speciem
« pacis incipiens, signum traditionis sæviore omnibus
« telis osculo præbuisset, » ut loquitur S. Leo, sermone 1 de Passione Domini.

REGULA II. — Traditio perduellium legitimo principi, contra quem conjurârunt sive seditionem moverunt, non est peccatum, sed officium. — Sic mulier sapiens de Abelâ Sebam filium Bochri perduellem adversùs David regem, tradendum suasit Joab civitatem nomine Davidis obsidenti. Cùmque populus abscissum perduellis hominis caput per murum ad Joab projecisset, ille obsidionem solvit. 2 Regum 20.

REGULA III. Lethalis criminis reus est quisquis regnum, provinciam, urbem, castrum, aut aliquem locum seu fidei suæ, seu alienæ commissum, et à legitimo domino possessum tradit hostibus. — Hinc Andegavense concilium, canone 6 : « Qui in tradendis,
« inquit, vel capiendis civitatibus interfuisse fuerint
« detecti, non solùm à communione habeantur alieni,
« sed ne conviviorum quidem admittantur esse par-
« ticipes. » Et meritò, fides enim et justitia hujusmodi proditione violantur, grave detrimentum principi aut domino locorum infertur. Hoc scelere se obstrinxerunt Angli, qui regnum Arausiaco principi tradiderunt, in Deum regemque legitimum Magnæ Britanniæ Jacobum perfidi.

REGULA IV. — Lethalis proditionis reus est, qui fidem non solùm amico, sed hosti datam violat in re gravi. — Hanc regulam tradit S. Augustinus, epistolâ 189, aliàs 205 : « Fides, inquit, quando promitti-
« tur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum
« geritur; quantò magis amico pro quo pugnatur! » Et S. Thomas, 2-2, quæst. 40, a. 3 : « Illicitum semper esse
« *docet fallere hostes, vel dicendo falsum, vel non ser-*
« *vando promissum.* Sunt enim quædam jura bellorum
« et fœdera, etiam inter ipsos hostes servanda. » Hinc S. Ambrosius, lib. 1 de Officiis, cap. 29 : « Quanta,
« inquit, justitia sit, ex hoc intelligi potest, quòd etiam
« hostibus reservatur, ut si constitutus sit cum hoste
« aut locus aut dies prælio, adversùs justitiam putetur
« prævenire. »

REGULA V. — Lethalis proditionis rei sunt, qui adversùs legitimum principem suum quocumque modo conjurant, aut ab eo deficiunt, et juratam ipsi vel debitam fidem violant. — Divini enim præcepti per Apostolos Petrum et Paulum in eorum Epistolis promulgati, quo nos *regi subjectos* esse jubet; et *qui resistunt potestati, ordinationi Dei resistere, et damnationem sibi acquirere* docet, sunt prævaricatores manifesti. Ipsorum ideò perfidiam excommunicatione ulciscitur Ecclesia, concilii Toletani IV, canone 74; Toletani V, canon. 2 et 4; Toletani VII, canone 1; Toletani XII, canone 1; Aquisgranensis II, p. 2, cap. 12; Moguntini sub Rabano archiepiscopo, canone 5; Meldensis, canonibus 14 et 15. Wormatiensis, canone 43.

REGULA VI. — Lethalis proditionis reus est, quicumque subditos sollicitat ut à legitimo suo principe deficiant, et per occultas machinationes ad regni fastigium arrepit. — Talis fuit Absalomi proditio, 2 Regum, cap. 15. Contra hujusmodi sceleris reos synodus Toletana VIII excommunicationem decrevit : « Quem-
« cumque, inquit, aut per tumultuosas plebes, aut per
« absconsa dignitatis publicæ machinamenta adeptum
« esse constiterit regni fastigia, mox idem cum omni-
« bus tam nefariè sibi consentientibus, et anathema fiat,
« et Christianorum communionem amittat. »

REGULA VII. — Lethalis proditionis rei sunt, qui casus principum exquirunt, et vivente principe de successore eligendo consilia agitant, et alios in partes trahunt. — Hujus sceleris reos excommunicatione percellit concilium Toletanum V, canone 4 :

« Quia, inquit, et religioni inimicum, et hominibus « constat esse perniciosum futura illicita cogitare, et « casus principum exquirere, ac sibi in posterum pro- « videre... Censemus ut quisquis inventus fuerit talia « perquisisse, et vivente principe in alium attendisse « pro futurâ regni spe, aut alios in se propter id at- « traxisse, à conventu Catholicorum excommunicatio- « nis sententiâ expellatur. »

Regula VIII. — Lethalis proditionis rei sunt clerici et laici adversùs episcopos suos conjurantes, et consilia ineuntes, et chartas conscribentes. — Clericos quidem hujus sceleris reos è cleri matriculâ expungendos, omnique gradu privandos, et curiæ seculari tradendos, laicos verò excommunicatione plectendos canones decernunt : can. *Conjurationum*, et *Si qui clerici*, causâ 11, quæst. 1, qui concilii Chalcedonensis canon decimus octavus est; et can. *Conspirationum*, qui Calixto papæ tribuitur, ibidem; et can. *Si qui Clericorum*, 2, qui concilii Aurelianensis III canon vigesimus primus est. Item can. *Clericus*, causâ 3, quæst. 4; et can. *Clericus*, dist. 46, qui concilii Carthaginensis IV canon quinquagesimus sextus est.

Regula IX. — Lethalis proditionis reus est, qui absconditas alicujus pecunias, vestes, aut quamlibet supellectilem, chartas, titulos, contractus, apochas, codices magni momenti et similia indicat latroni ut ea rapiat. — Is enim furti particeps et conscius est; unde et restitutionis lege tenetur. Sic proditionis, et quidem sacrilegæ reus fuit Simon de tribu Benjamin, templi Hierosolymitani præpositus, qui Apollonio duci thesauros ejusdem templi manifestos fecit, ad quos rapiendos missus est à Seleuco rege Heliodorus; 2 Machabæorum, cap. 3.

Regula X. — Lethalis proditionis reus est, quisquis alterius arcanum in ejus detrimentum aperit et divulgat. — Id scilicet naturæ legi, fidei, amicitiæ, justitiæ repugnat. Sic proditionis rei sunt consiliarii et ministri principum vel rerumpublicarum, qui ipsorum arcana revelant. Secreti fidem ita servandam existimavit S. Ambrosius, ut neque cum amantissimo fratre Satyro communium amicorum secreta communicare sibi integrum esse duceret, ut ipse testatur libro 1 de Excessu fratris sui Satyri, num. 39 : « Cùm omnia « nobis essent nostra communia, inquit, individuus « spiritus, individuus affectus, solum tamen commune « non erat secretum amicorum; non quò conferendi « periculum vereremur, sed tenendi servaremus fidem. « Sanè si consilio pendenda res esset, erat semper « commune consilium, nec semper commune secre- « tum. Nam etsi amici ita alteri nostrûm dicerent, ut « dicta sua ad alterum pervenirent, tamen scio ple- « rumque ita fidem secreti esse servatam, ut nec fratri « committeretur. Erat enim fidele indicium, et extra- « neo non esse proditum, quod non esset cum fratre « collatum. » Proditionis rei sunt, quicumque societatis alicujus arcana consilia et negotia in ejus damnum patefaciunt. Proditionis rei sunt procuratores et advocati, qui clientum arcana revelant adversæ parti; medici, chirurgi, pharmacopolæ, qui morbos pudendos, sed occultos, eorum qui seipsorum fidei curisque crediderunt, ad ipsorum infamiam divulgant Sacrilegæ proditionis rei sunt confessarii, sacramentalis confessionis arcanum revelantes. Proditionis lethale crimen incurrunt quicumque arcanum amici ipsis creditum quod gravis sit momenti, et ex cujus revelatione malum ipsi probabiliter imminеat, alteri præter ipsius voluntatem revelant. Iis enim quos nobis amicos existimamus arcana nostra lubenter committimus, non extraneis et ignotis, vel quibus diffidimus, ne inde insultandi nobis nocendique occasionem arripiant, secundùm illam Salomonis sententiam, Proverb. 35 : *Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles, ne fortè insultet tibi cùm audierit, et exprobrare non cesset.* Qui autem amici revelat arcanum, violat amicitiæ jura et fraudulenter nocet amico suo; quare nec imprudentia vel inconsideratio ipsum à peccato lethali excusant, si res sit gravis momenti. Unde Proverb. 26 scriptum est : *Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem; ita vir qui fraudulenter nocet amico suo : et cùm fuerit deprehensus, dicit : Ludens feci.* Hinc rursùs Proverb. 11 : *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Et Ecclesiastici 22 : *Ad amicum si aperueris os triste, ne timeas. Est enim concordatio; excepto convitio, et improperio, et superbiâ, et mysterii revelatione, et plagâ dolosâ; in his omnibus effugiet amicus.* Et cap. 27 : *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum. Dilige proximum et conjungere fide cum illo; quòd si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum.* Et infra : *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* Proditionis denique lethale crimen est alienarum litterarum resignatio juri gentium contraria, et publicæ fidei, cui sigilla litterarum credita intelliguntur, debitamque mittenti et ei ad quem mittuntur velut inanimati legati, justitiam violans. Cùm enim jus habeat homo cogitationes suas abscondendi, et cui voluerit patefaciendi, ita ut ne ipsi quidem angeli cogitationes nostras certò cognoscere possint, nisi revelantibus nobis, aut aliquo signo externo animi nostri affectum pandentibus, idque unius Dei proprium sit, cujus supremum est in mentes nostras atque voluntates dominium; nullum jus habet homo cogitationes, et arcana consilia, vel negotia alterius litteris commissa et sigillo munita cognoscendi. Unde non solùm injustæ curiositatis, verùm etiam proditionis crimen incurrit, quisquis obsignatas aliorum litteras invitis dominis resignat.

Exceptiones tamen habet hæc regula. Si enim alienis litteris res levis duntaxat momenti contineri certus sit, venialis tantùm peccati reus est. Nullius verò, si ejusmodi litteras vel in proprium, vel in tertii cujuspiam, præsertim communitatis damnum conscriptas esse non temerè, sed probabiliter judicet. Jure namque suo excidit, qui in alterius damnum eo abutitur. Publicâ etiam auctoritate alienæ litteræ licitè reserantur, scilicet regis, proregis, aut præfecti provinciæ, vel urbis, aut ducis exercitûs mandato,

tempore belli; item jussu magistratuum, cùm ad eos scriptæ sunt, qui criminis alicujus in suspicionem veniunt. Licet etiam patri et matri reserare litteras filiorum et filiarum, qui sub eorum curâ adhuc versantur. Idemque judicium esto de iis qui patris et matris loco sunt post eorum mortem. Vir pariter potestatem habet resignandi litteras uxoris, cùm sit caput et rector illius; non uxor viri, cui subdita esse debet, ipso invito et repugnante. Hinc Illiberritana synodus, canone ultimo sanxit : *Ne feminæ suo potiùs quàm maritorum nominibus, laicis scribere audeant, qui fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas ad suum nomen scriptas accipiant.* Quo decreto maritorum honori et auctoritati, feminarum castitati et pudori consultum, audaciæ sollicitatorum obviam itum est. Licet etiam superioribus religiosorum hominum, et abbatissis aut priorissis monialium, quibus litterarum scriptione ac receptione clandestinâ regula vel constitutiones monasticæ interdicunt, subditorum vel subditarum litteras aperire et legere. Quâ de re S. Augustinus, epistolâ 211, aliàs 109, quæ regula est Sanctimonialibus præscriptâ, ita statuit : « Quæcumque in tantum progressa fuerit malum, ut « occultè ab aliquo litteras vel quælibet munuscula « accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, et « oretur pro eâ. Si autem deprehenditur atque con- « vincitur, secundùm arbitrium præpositæ, vel pre- « sbyteri, vel etiam episcopi, graviùs emendetur. » Et S. Benedictus, in regulâ, cap. 54 : « Nullatenùs liceat « monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam « hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel « quælibet munuscula accipere, aut dare, sine præ- « cepto abbatis. »

Exceptiones pariter habet regula de arcanis aliorum non revelandis. Tantùm enim abest ut proditionis reus sit mortalique peccato se obstringat, qui arcanum à quopiam, etsi amicissimo, sibi creditum revelat, cùm vergit in grave damnum tertii, præsertim Ecclesiæ, regis, reipublicæ, aut cujuslibet communitatis; ut è contrario lethale crimen incurreret, nisi arcanum hujusmodi revelaret iis quorum interest, ut damnum caveant, vel prohibeant; nefariique consilii executionem impediant. Sic laude dignus Chusai amicus Davidis regis, qui dissipavit consilium Achitophel, arcanaque consilia perduellis Absalom et seniorum Israel Davidi domino suo revelavit, ut refertur 2 Regum 17. Si quis igitur hæreses, aut prava quævis dogmata contra morum disciplinam, contra fidem, reverentiam et obedientiam principi debitam occultè disseminet, aut meditetur; si quid moliatur contra sacram regis majestatem vel jura, contra regni tranquillitatem et pacem; si alicujus etiam privati vitæ, famæ, bonis insidietur; omninò tenetur hæc arcana denuntiare et revelare iis quorum interest, quisquis ille sit cui credita sunt, si humano modo illa noverit et exceperit, etiamsi dixerit vir nequam : hoc tibi arcanum credo sub sigillo confessionis; modò extra confessionem sacramentalem id faciat. Quia juramentum præstitum contrà bonos mores non obligat; nullumque secretum recipiendum aut celandum est contra bonum commune. Hinc S. Thomas, 2-2, quæstione 68, a. 1 ad tertium, ait : « Revelare secreta « in malum personæ est contra fidelitatem; non au- « tem si revelentur propter bonum commune, quod « semper præferendum est bono privato. Et ideò con- « tra bonum commune nullum secretum licet susci- « pere. » Et quæstione 70, a. 1, ad secundum : « De « illis quæ homini sunt commissa in secreto per « confessionem nullo modo debet testimonium ferre; « quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquàm Dei « minister, et majus est vinculum sacramenti quolibet « hominis præcepto. Circa verò ea quæ aliter homini « sub secreto committuntur, distinguendum est. Quan- « doque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam « hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, « putà, si pertinent ad corruptionem multitudinis « spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum « alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi « quod aliquis propalare tenetur, vel testificando, vel « denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non « potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret « fidem quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, « quæ quis prodere non tenetur. Unde potest obligari « ex hoc quod sibi sub secreto committuntur; et tunc « nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto « superioris, quia servare fidem est de jure naturali. « Nihil autem potest præcipi homini contra id quod « est de jure naturali. »

Et quodlibeto 1, quæstione 8, a. 1, ubi quærit *utrùm religiosus teneatur revelare prælato præcipienti secretum suæ fidei commissum?* Istud principium S. Bernardi, lib. de Dispensatione et Præcepto, cap. 4, statuit : « Sufficiens obedientia est, ut religiosus obediat « suo prælato in his quæ ad regulam pertinent; vel di- « rectè, sicut ea quæ scripta sunt in regulâ; vel indi- « rectè, sicut ea quæ ad hæc reduci possunt; sicut « ministeria exhibenda fratribus, et pœnæ pro culpis « inflictæ, et hujusmodi; perfecta autem obedientia « est, ut simpliciter in omnibus obediat, quæ non sunt « contra regulam, vel contra Deum; sed quòd aliquis « obediat prælato in his quæ sunt contra Deum, vel « contra regulam, est obedientia incauta et illicita. » Quo posito, respondet quæstioni, distinctione præmissâ. « Est enim, inquit, aliquod secretum quod illi- « citum est celare; sicut quod in periculum vergit alio- « rum, quibus aliquis cavere tenetur; unde et in jura- « mento fidelitatis continetur quòd hujusmodi servi se- « creta debeant dominis revelare. Ad præceptum ergo « prælati tenetur religiosus tale secretum pandere, « etiamsi promisit se non revelare; dicente S. Isidoro, « lib. 2 Synonymorùm, ex quo refertur in Decretis, « causâ 22, quæst. 4, cap. In malis : *In malis promissis rescinde fidem*, nisi fortè in confessione audierit, « quia tunc nullo modo esset revelandum. Est autem « secretum, quod de se celari potest sine peccato; et « tale secretum religiosus nullo modo prælato præci- « pienti pandere debet, si sit fidei suæ commissum, « peccaret enim frangendo fidem commissi. »

## Articulus V.

*De fraude, alterâ avaritiæ filiâ.*

Regula prima. — Lethalis fraudis reus est, qui rem pluris justo pretio vendit, aut minoris justo emit. — Justum autem pretium illud est quod vel à publicâ potestate præfinitum, vel communi hominum prudentum æstimatione determinatum est. Quod principis vel magistratûs auctoritate sancitum est, vulgò dicitur *Pretium legitimum*; quod communi hominum peritorum æstimatione constitutum est, dicitur *Pretium naturale et vulgare*. Primum in indivisibili positum est, ita ut qui pretium à principe vel magistratu præfixum prætergressus fuerit, mortaliter peccet, et quod ultra illud accepit, restituere teneatur. Secundum verò non consistit in indivisibili, sed pro circumstantiarum varietate mutatur. Pro mercium scilicet inopiâ, et emptorum multitudine augetur; pro mercium copiâ et ementium paucitate minuitur. Unde tres justi pretii gradus distingui solent; summum seu rigidum, medium et infimum. Verbi gratiâ, si ulna panni ad summum æstimetur sex libellis monetæ Gallicæ, ut minimum verò quinque, justum pretium erit quinque libellarum, et quod excurrit ad summam usque sex libellarum inclusivè. Justo itaque pretio rem vendet mercator, qui summum seu rigidum pretium sex libellarum non excedet, quamvis uni pluris vendat quàm alteri. Justo pretio comparabit emptor, qui libellas quinque solvet, modò infra pretium illud infimum non descendat. Hinc S. Thomas, 2-2, quæstione 77, a. 1 ad primum, ait : Pretium rerum non est punctualiter « determinatum, sed magis in quâdam æstimatione « consistit; ita quod modica additio vel minutio non « videtur tollere æqualitatem justitiæ. » Hoc posito, regulæ statutæ veritas probatur ex lege naturali et divinâ, Matthæi 7, à Christo expressâ : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Cùm igitur nullus velit sibi rem chariùs vendi quàm valeat, nullus debet alteri rem pluris vendere, justumque pretium excedere.

Præterea, emptio et venditio sunt introductæ pro communi utilitate contrahentium. « Quod autem pro « communi utilitate inductum est, non debet esse « magis in gravamen unius quàm alterius; et ideò de- « bet secundùm æqualitatem rei inter eos contractus « institui. Quantitas autem rei, quæ in usum hominis « venit, mensuratur secundùm pretium datum. Et « ideò si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, « vel res excedat pretium, tolletur justitiæ æqualitas. « Quamobrem, chariùs vendere, vel viliùs emere rem « quàm valeat, est secundùm se injustum et illicitum. » Ita ratiocinatur S. Thomas, 2-2, quæstione 77, a. 1, et Quodlibeto 2, quæst. 5, art. 2 : « Est, inquit, justa « venditio, quando pretium acceptum ab habente æqua- « tur rei venditæ; injusta autem, si non æquetur, sed « plus accipiat. »

Regula II. — Cùm quis rem alterius admodùm sibi necessariam vult emere, quâ si careat alter, damnum patietur, pluris quàm valeat venundari absque fraude vel injustitiâ potest. — Hanc regulam tradit S. Thomas 2-2, quæstione et articulo supra laudatis : « Alio « modo, inquit, possumus loqui de emptione et ven- « ditione, secundùm quòd per accidens cedit in utili- « tatem unius et detrimentum alterius, putà, cùm « aliquis multùm indiget habere rem aliquam, et « alius læditur si eâ careat. Et in tali casu justum pre- « tium erit, ut non solùm respiciatur ad rem quæ ven- « ditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione « incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi plus quàm « valeat secundùm se, quamvis non vendatur plus « quàm valeat habenti. » Si tamen venditor non rogante et urgente emptore, sed sponte, ac rerum suarum necessitate compulsus quidpiam vendat, pretium ejus ob damnum quod patitur nullatenùs augere potest, ut docet S. Thomas, quæstione 13 de Malo, inter quæstiones disputatas, a. 4 ad decimumquartum : « Qui emit rem aliquam, inquit, tantùm pro eâ justè « dat, quantùm valet; non autem quantùm ille qui « vendit ex ejus carentiâ damnificatur. » Ratione igitur damni emergentis, et lucri cessantis, modò fraus et dolus absint, et vera sit, efficax, propinqua, non simulata damni emergentis lucrique cessantis causa, res chariùs quàm valeat vendi potest.

Regula III. — Pretium rei augeri absque fraude et injustitiâ non potest ob necessitatem emptoris, et commoda quæ ex illâ percipiet, si venditor illam distrahendo nullum damnum patiatur. — Hanc regulam tradit S. Thomas, ibidem, eâque ratione firmat quòd « uti- « litas quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed « ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere « alteri quod non est suum, licet possit ei vendere « damnum quod patitur. Ille tamen qui ex re alterius « acceptâ multùm juvatur, potest propriâ sponte ali- « quid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus « honestatem. »

Regula IV. — Emptiones et venditiones citra dimidium justi pretii fraudulentæ sunt et injustæ. — In iis enim non conservatur æqualitas pretii ad rem, et rei ad pretium, adeòque justitia manifestè violatur. Et quanquàm leges civiles declarent, ad rescindendam venditionem non sufficere quòd comparatus magno pretio fundus distrahatur minori quàm emptus sit, l. *ad restituendam*, lib. 4, Cod. tit. 44, et 4, Digest. tit. 4, l. 16, et lib. 19, tit. 2, l. 12, vulgatumque sit effatum, *Res tantùm valet quantùm vendi potest;* id tamen intelligendum cum hâc restrictione, ut res ultra summum pretium aut infra infimum non vendatur. Nam *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur;* ut habetur l. *Pretia rerum*, ff. Ad Legem Falcidiam. Hanc legibus impp. sancitum est, ut si venditor læsus fuerit infra dimidium justi pretii, emptor cujus in utilitatem cessit, rem ipsam restituere teneatur, aut quod justo pretio deest, supplere. Sic enim l. *Rem majoris*, c. lib. 4, tit. 44, de rescindendâ Venditione : « Rem majoris pretii, si tu « vel pater tuus minoris distraxerit; humanum est ut « vel pretium te restituente emptoribus, fundum ve- « nundatum recipias auctoritate judicis intercedente;

« vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio re-
« cipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec
« dimidia pars veri pretii soluta sit. » Idem confirma-
tur ex cap. *Cùm causa*, extra de Emptione et Vendi-
tione, ubi Innocentius III in causâ monasterii S. Mar-
tini de Monte ex unâ parte, et civium Viterbiensium
ex alterâ, sic respondet : « Cùm constitisset nobis
« Monasterium in venditione ultra dimidiam justi pre-
« tii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut
« præfati cives aut recepto pretio possessiones res-
« tituerent memoratas, aut supplerent, quantùm con-
« staret legitimæ venditionis tempore justo pretio
« defuisse. » Idem antea responderat Alexander III
in causâ monachorum Cariloci ex unâ parte, et Bello-
vacensium canonicorum ex alterâ, ut constat ex cap.
*Cùm Dilecti*, sub eodem titulo. « Quia verò, inquit,
« in arbitrio emptoris est, si velit, supplere justum
« pretium, aut venditionem rescindere, cùm res mi-
« nùs dimidiâ justi pretii comparatur; sententiam
« ipsam tanquàm juri contrariam irritantes, posses-
« sionem monachis judicavimus esse reddendam. » Res
igitur tantùm valet quantùm vendi potest absque frau-
de, et intra limites justi pretii, non quantùm vendi
potest absolutè, pro arbitrio et cupiditate venditoris.
Confirmatur hæc regula ex S. Thomâ, 2-2, quæ-
stione 77, a. 1 ad primum. « Lex humana, inquit,
« populo datur, in quo sunt multi à virtute deficientes.
« Et ideò lex humana non potuit prohibere quicquid
« est contra virtutem, sed ei sufficit ut prohibeat ea
« quæ destruunt hominum convictum, alia verò ha-
« beat quasi licita, non quia ea approbet, sed quia ea
« non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non
« inducens, si absque fraude venditor rem suam su-
« pervendat, aut emptor viliùs emat, nisi sit nimius
« excessus, quia tunc etiam lex humana cogit ad re-
« stituendum, putà, si aliquis sit deceptus ultra dimi-
« diam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil
« impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium;
« unde secùndùm divinam legem illicitum putatur,
« si in emptione et venditione non sit æqualitas ju-
« stitiæ observata. Et tenetur ille qui plus habet,
« recompensare ei qui damnificatus est, si sit notabile
« damnum. »

At, inquies, scienti et volenti non fit injuria. Igitur emptori pluris rem ementi quàm valeat, nulla fit injuria. Falsa consecutio. Nam justum pretium ignorat contrahentium alter; vel si sciat, vult tantùm solvere pretium æquale rei; et si plus offerat, hoc velut invitus facit, compellente necessitate, sicut qui solvit usuras, aut pecunias dat latroni. Hinc S. Thomas, quæstione 13 de Malo, articulo 4 ad septimum respondet, eum qui solvit usuram, injustitiam pati, non à seipso, sed ab usurario : « Qui licet non inferat ei
« violentiam absolutam; infert tamen ei quamdam
« violentiam mixtam, quia necessitatem habenti acci-
« pere mutuum, gravem conditionem imponit, ut scili-
« cet plus reddat quàm ei præstetur. Et est simile si
« quis alicui in necessitate constituto venderet rem
« aliquam multò ampliùs quàm valeret : esset enim
« injusta venditio, sicut et usurarii mutuatio est in-
« justa. » Injustum itaque prorsùs est lucrum negotiatorum, qui duplò cariùs merces vendunt quàm emerint, nisi res ipsorum arte et industriâ meliores factæ sint; aut ratione expensarum et periculi, quod in earum transvectione subierunt; aut quia mercium pretium secundùm diversitatem loci vel temporis mutatum est; ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 77, a. 4 ad secundum. Ex his colligitur, non rerum duntaxat ad humanos usus necessariarum, sed et earum quæ ad curiositatem, splendorem, voluptatem conducunt, verbi gratiâ, gemmarum, florum, avium, canum, picturarum antiquarum, veterum numismatum, ac manuscriptorum codicum valorem et pretium virorum peritorum judicio æstimandum, non verò pro venditoris arbitrio et cupiditate augeri posse.

Regula V. — Non est reus fraudis aut injustitiæ qui vendit merces certo pretio majori quàm tunc valeant, cùm distrahuntur, quia non intendebat eas vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter pluris erant valituræ; nunc autem vendit rogante et urgente emptore, ut ejus commodis serviat. Si verò illas quantocius vendere statuerat, vel probabile seu verisimile non sit eo tempore, quo eas distrahere decreverat, tanti valituras quanti tunc vendit, eas ultra vulgare pretium nunc vendere non potest, quia nullam habet rationem consulendi indemnitati suæ, cùm nullum damnum probabiliter sit passurus. — Hanc regulam tradit S. Antoninus, p. 2, tit. 1, cap. 8, § 1, eamque probat ex cap. In Civitate, extra. de Usuris, quo Alexander III, Genuensi archiepiscopo respondet : « In Civi-
« tate tuâ, inquit, dicis sæpè contingere, quòd quidam
« piper seu cinnamomum, seu alias merces comparant,
« quæ tunc ultra quinque libras non valent, et promit-
« tunt se illis, à quibus illas merces accipiunt, sex li-
« bras statuto termino soluturos; licet autem contra-
« ctus hujusmodi ex tali formâ non possit censeri no-
« mine usurarum, nihilominus tamen venditores pec-
« catum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus
« minùsve solutionis tempore valituras. » Idem esto de emptore judicium. Si enim numeratâ pecuniâ solvit pretium mercium ante tempus quo eas recepturus est, et minoris emit quàm tunc valeant solutionis tempore, quia probabile est minoris valituras cùm eas est recepturus, aut saltem dubium est utrùm pluris an minoris tunc valituræ sint; justo pretio emere censetur. Verbi gratiâ, si mense martio emit sextarium frumenti tunc sex libellis monetæ Gallicæ æstimatum, quem julio mense recepturus est, quo tempore probabile est quinque duntaxat libellis vulgò vendendum, vel dubium est an minoris tunc pretii futurus sit; emptio fraudulenta non est, vel injusta. Bona igitur fides desideratur, sine quâ venditio et emptio in hujusmodi casu justæ non essent ac immunes à fraude. Quamobrem cùm sæpè mentiatur iniquitas sibi, et dubitare se fingat cupiditas, ubi nulla est dubitandi ratio, consultius est ac tutius ab augendo pretio abstinere, cùm solùm dubium est an pluris vel minùs valituræ sint merces quo tempore mercator illas vendere proposuerat. Id

constat ex Alexandri III, Decretali mox laudatâ. Et ideò, inquit, cives tui saluti suæ benè consulerent, si à tali contractu cessarent : cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

Regula VI. — Lethalis fraudis reus est venditor, qui supposititios emptores interponit et subornat, qui mercium pretium augeant, dùm pretium justo majus illi offerunt ut fallatur emptor. Fraudis pariter reus est emptor, si aliquos subornet, qui pretium offerant justo longè minus, ad cogendum venditorem ut ab ipso emptore pretium quod obtulerit majus, sed tamen infrà vulgare et infimum, accipiat. — Hanc regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæst. 77, a. 1, et solo rationis naturalis lumine ipsis ethnicis cognitam fuisse, testimonio Ciceronis ostendit : « Fraudem, inquit, adhibere « ad hoc quòd aliquid plus justo pretio vendatur, omninò peccatum est, in quantùm aliquis decipit proximum in damnum ipsius. Unde Tullius dicit, lib. 3 « de Officiis : *Tollendum est ex rebus contrahendis omne « mendacium : non licitatorem venditor, nec qui contra « se licitetur, emptor apponat.* Istius generis fuit fraus « illa Siculi hominis, qui cùm peregrinum aliquem reperisset, cognito quòd cupidus esset hortorum venalium, ad cœnam in hortos rogavit. Promisit invitatus postridiè se venire. Veniens offendit illic magnam piscatorum multitudinem, exquisitis copiis « adornatum convivium, in prospectu cœnantium, « ante hortulos, compositos piscatores, ubi nunquàm « ante jaciebant retia; unusquisque, quod ceperat, « certatim offerebat epulantibus; supra mensam pisces « ingerebantur, oculos recumbentium resilientes verberabant. Mirari hospes cœpit tantam copiam piscium, tantumque numerum cymbarum. Responsum « quærenti, aquationem illic esse, dulcis aquæ gratiâ « innumerabiles eò pisces convenire. Quid multa ? « Pellexit hospitem, ut sibi extorqueret hortos; vendere volens cogitur, pretium gravatim suscipit. Sequenti die ad hortos emptor cum amicis venit, navigium nullum invenit. Percontanti num aliqua piscatoribus eo esset die feriarum solemnitas, respondetur, nulla, nec unquàm illic præter hesternum diem « piscari solitos. Ita refert S. Ambrosius, lib. 3 de Officiis, cap. 11, post Ciceronem, lib. pariter 3 de Officiis, sectione 14. »

Regula VII. — Lethalis fraudis et injustitiæ rei sunt monopoliorum auctores et participes. — Monopolium est clandestina machinatio mercatorum, ex compacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certo quod ipsi constituerint pretio, merces emant aut vendant; quod ut faciliùs assequantur, servant illas in tempus inopiæ; aut vi vel fraude impediunt ne merces aliundè advehantur; vel falsis rationibus expositis, et per subreptionem, privilegium impetrant à principe ut ipsi soli merces hujusmodi vendant, legitimo pretio his mercibus ab ipso principe vel magistratu, minimè constituto. Si tamen ob graviores impensas, vel probabilia damni pericula, vel cum onere solvendi certam pecuniæ summam, quâ ad regni necessitates utatur, hujusmodi privilegium princeps concesserit, rei non sunt monopolii qui illud obtinent, modò res ultra justum pretium non vendant. Monopolium etiam à mercatoribus exercetur, cùm annonæ, vel aliarum mercium ad humanos usus necessariarum, pretium imminutum iri prævidentes, quia naves ejusmodi mercibus onustæ mox ad portum sunt appellendæ, supposititias litteras, aut falsum rumorem spargunt in vulgus, naves illas periisse, aut ab hostibus captas fuisse, ut hujusmodi commento annonæ vel mercium pretium incendatur. Exercetur etiam ab artificibus monopolium, cùm inter se conveniunt, et conspirant, ut si quis aliquod opus inchoaverit, nemo illud perficiat. His positis, regulæ statutæ veritas ostenditur. Monopolium enim in reipublicæ et privatorum grave detrimentum vergit ad communem inopiam invehendam, contra negotiationis et commerciorum finem exercetur; publicæ fidei juri gentium, civilique repugnat, ut constat ex l. Jubemus, lib. 4 Cod. tit. 59 de Monopoliis, cujus hæc sunt verba : « Jubemus ne quis « cujuscumque vestis, vel piscis, vel pectinum fortè, « aut echini, vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad « quemcumque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materiæ, pro suâ auctoritate, vel sacro jam elicito, aut inposterum eliciendo rescripto, aut pragmaticâ sanctione, vel sacrâ nostræ pietatis adnotatione, monopolium audeat exercere; neve quis « illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis, « non minoris quàm inter se statuerint venundentur. « Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores, et balneatores penitùs arceantur pacta inter se componere, « ut ne quis, quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri necessitudinem alter intercipiat; datâ licentiâ unicuique ab altero inchoatum et derelictum opus, per alterum sine aliquo « timore dispendii implere, omniaque hujusmodi facinora denunciandi sine ullâ formidine, et sine judiciariis sumptibus. Si quis autem monopolium « ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, « perpetuitate damnetur exilii. Cæterarum præterea « professionum primates, si in posterum aut super « taxandis rerum pretiis, aut super quibuslibet illicitis placitis ausi fuerint convenientes hujusmodi « sese pactis constringere, quadraginta librarum auri « solutione percelli decernimus. »

Quæ cùm ita sint, monopoliorum auctores, et participes, et quicumque ultra justum pretium merces aut res alias vendiderunt, restitutionis lege tenentur, vel iis ipsis quos læserunt, si illos noverint; vel, si sint ignoti, pauperibus faciendæ. Quòd si ingruente charitate nondùm vendidêre merces, quas monopolio coacervârunt, tenentur eas illo ipso pretio vendere, quo probabiliter erant valituræ, si eas majoris lucri gratiâ non congregâssent.

Regula VIII. — Vili velle emere, et charè vendere, non naturæ desiderium, sed pravæ cupiditatis est. — Hanc regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæst. 77, a. 1. Cùm enim hanc objectionem secundo loco præmi-

sisset : Quod est omnibus commune, videtur esse naturale, et non peccatum; sed, ut S. Augustinus refert lib. 13 de Trinitate, cap. 3, dictum cujusdam mimi fuit ab omnibus approbatum, *vili vultis emere, t charò vendere;* cui etiam consonat illud Proverbiorum 20 : *Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cùm recesserit, gloriatur :* ergo licitum est chariùs vendere, et viliùs emere quàm valeat; huic objectioni respondet : « Illud desiderium non esse naturæ, sed « vitii : et ideò commune esse multis, qui per latam « viam vitiorum incedunt. » Unde S. Augustinus ibidem ait : « Et mimus quidem ille vel seipsum in- « tuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere, « et charò vendere, omnibus id credidit esse commune. « Sed quoniam reverà vitium est, potest quisque adi- « pisci ejusmodi justitiam... quâ huic resistat, et vin- « cat. Nam scio ipse hominem, cùm venalis codex ei « fuisset oblatus, pretiique ejus ignarum et ideò quid- « dam exiguum poscentem cerneret venditorem, justum « pretium quod multò amplius erat, nec opinanti dedis- « se... Largitionis etiam gratiâ novimus quosdam emis- « se frumenta chariùs, et viliùs vendidisse suis civibus. »

Regula IX. — Lethalis fraudis et injustitiæ reus est, qui vendit rem aliquam vel in substantiâ, vel in quantitate, seu mensurâ, vel in qualitate notabiliter deficientem; adeòque restitutionis lege tenetur. — Hic enim divinum mandatum violat ab Apostolo promulgatum, 1 Thess. 4 : Ut *nemo circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.*

Hanc regulam ipsis S. Thomæ verbis, 2-2, quæstione 77, a. 2 explico et confirmo : « Circa rem quæ « venditur, triplex defectus considerari potest. Unus « secundùm speciem rei. Et hunc quidem defectum si « venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem com « mittit in venditione; unde venditio illicita redditur. « Et hoc est quod dicitur contra quosdam, Isai. 1: « *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum « mixtum est aquâ.* Quod enim permixtum est, pati- « tur defectum quantùm ad speciem. Alius defectus « est secundùm quantitatem, quæ per mensuram co- « gnoscitur. Et ideò si quis scienter utatur deficienti « mensurâ in vendendo, fraudem committit, et illicita « venditio est. Unde dicitur Deuteronom. 25 : *Non ha- « bebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec « erit in domo tuâ modius major et minor. Pondus ha- « bebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit « tibi; ut multo vivas tempore super terram, quam Do- « minus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Do- « minus Deus tuus eum qui facit hæc, et aversatur om- « nem injustitiam.* »

Huic Scripturæ loco, quem profert S. Thomas, adde sequentia testimonia Levitici 19 : *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in mensurâ. Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius; ego Dominus Deus vester*, Psalm. 61 : *Mendaces filii hominum in stateris ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ad quæ verba S. Augustinus ait : « Decipere vultis, fraudem vultis facere, quid af- « fertis ut decipiatis? Stateras dolosas... falso exa- « mine fallitis intuentes; nescitis alium esse qui appen- « dit, alium qui de pondere judicat? Non videt cui tu « appendis, sed videt qui te et ipsum appendit. Pro- « verb. 11 : *Statera dolosa, abominatio est apud Domi- « num : et pondus æquum, voluntas ejus.* Et Cap. 20 : « *Pondus et pondus, mensura et mensura; utrumque « abominabile est apud Deum.* Et infrà : *Abominatio est « apud Dominum pondus et pondus; statera dolosa non « est bona.* Michææ 6 : *Adhuc ignis in domo impii « thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Num- « quid justificabo stateram impiam, et sacculi pondera « dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et « habitantes in eâ loquebantur mendacium, et lingua eo- « rum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi per- « cutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes, et « non saturaberis..... Tu seminabis, et non metes; tu « calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum, et « non bibes vinum.* »

Tertius rerum venalium defectus est « ex parte « qualitatis, putà, si quis aliquod animal infirmum « vendat quasi sanum. Quod si quis sciens fecerit, « fraudem committit in venditione; unde est illicita « venditio. » Et in his omnibus non solùm aliquis peccat injustâ venditione, « sed etiam ad restitutionem « tenetur, » inquit S. Thomas.

Confirmatur hæc regula ex S. Ambrosio, lib. 3 de Officiis, cap. 21 : « Regula, inquit, justitiæ manifesta « est, quòd à vero declinare virum non liceat bonum, « nec damno injusto afficere quemquam, nec doli ali- « quid annectere. »

Regula X. — Si venditor rei venditæ notabilem defectum absque suâ culpâ ignoret, fraudis aut injustitiæ reatum non incurrit, cùm tamen ad ejus notitiam pervenerit, damnum illatum emptori resarcire tenetur. Idemque de emptore judicium ferendum est, si venditorem pretiosas merces pro vilibus vendidisse, aut in rerum venalium qualitate et pretio cùm suo damno fuisse deceptum animadvertit. — Hanc regulam tradit S. Thomas, loco supra laudato. Et certè bona fides alienæ rei possessionem non excusat, nisi quamdiù duraverit : « Et jure naturæ æquum est neminem « cum alterius detrimento et injuriâ fieri locupletio- « rem, » ut habetur l. 206 de diversis Regulis juris. Cùm igitur aliquis rei venalis defectum ignorans, ipsam bonâ fide quasi integram vendidit, et postea defectu notabili affectam fuisse compertum habet, adeòque se ex alterius detrimento commodum reportâsse, « tene- « tur damnum recompensare emptori, » ut loquitur S. Thomas. Tunc enim venditor desiit esse bonæ fidei, ipsumque arguit conscientia damni proximo illati. Idemque de emptore ferendum judicium est. « Contin- « git enim quandoque venditorem credere rem suam « esse minùs pretiosam quantùm ad speciem, sicut si « aliquis vendat aurum loco aurichalci, emptor si co- « gnoscat, injustè emit, et ad restitutionem tenetur; et « eadem est ratio de defectu qualitatis et quantitatis, » inquit S. Thomas ibidem.

Regula XI. — Pondera et mensuras publicâ auctoritate vel consuetudine institutas adulterare aut pra-

terire non licet; idque ne fiat, invigilare tenentur principes et magistratus sub reatu peccati mortalis.— Hanc regulam conceptis verbis tradit S. Thomas, ibidem in responsione ad secundum. « Mensuras, inquit, « rerum venalium necesse est in diversis locis esse « diversas, propter diversitatem copiæ et inopiæ rerum; quia ubi res magis abundant, consueverunt « esse majores mensuræ. In unoquoque tamen loco « ad rectores civitatis pertinet determinare quæ sint « justæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum et rerum. Et ideò has mensuras publicâ auctoritate vel consuetudine institutas præterire non licet. » Quâ de re concilium Parisiense 6, p. 1, cap. 51, sic loquitur : « Illud ex toto à divinâ « auctoritate dissentit, et afflictionem atque oppressionem ingentem pauperibus irrogat, quòd quidam « non solùm clerici, sed et laici, dominici præcepti « transgressores effecti, minorem modium atque sextarium in vendendo atque commodando, majoremque in recipiendo habent; simulque stateras minores « atque dolosas in mutuando atque vendendo, majoresque in recipiendo habentes; et ob hoc dùm suæ « intolerabili cupiditati satisfacere æstuant, heu! Proh « dolor! miseros quosque paupertati addicunt, et « mendicos efficiunt..... Quanquàm ergo consuetudines perversæ non facilè corrigantur, hæc tamen « consuetudo inæqualium modiorum, et injustorum « sextariorum, atque ponderum dolosorum, necesse « est ut principali metu ociùs corrigatur, et ad præceptum divinum tanta fortitudo reflectatur; quia « verendum est ne inter cætera mala hoc quoque non « sloùm facientibus et consentientibus, sed etiam non « corrigentibus, quod absit, proveniat in damnationem. » Confirmatur ex cap. *Ut mensuræ*, extra. de Emptione et Venditione, quod ex Moguntino concilio sumptum indicatur : « Si quis, inquit, justas mensuras, « et justa pondera causâ lucri mutare præsumpserit « triginta dies in pane et aquâ pœniteat, » præter restitutionis obligationem, quâ fungi inprimis debet.

Regula XII. — Lethalis fraudis rei sunt, non solùm qui merces, sed etiam qui monetam quovis modo adulterant, vel adulterinam, aut inæqualis ponderis scientes volentes tradunt pro sincerâ; quamvis ipsi priùs decepti fuerint, et velut sinceram receperint : adeòque restitutionis lege tenentur. — Hæc regula colligitur ex cap. *Quantò*, extra. de Jure jurando, quo Innocentius III Aragonum regi respondet, qui imprudenter juraverat se ad certum usque tempus conservaturum monetam patris sui, « quæ tamen circa « mortem ejus fuerat legitimo pondere defraudata, et « adeò diminuta erat et minoris valoris effecta, » ut grave propter hoc scandalum in populo ortum esset. Quocirca princeps absolutionem à juramento rogaverat. Respondit pontifex, juramentum fuisse illicitum et nullatenùs observandum, si monetam falsam seu legitimo pondere destitutam esse crediderit quando juramentum edidit : « Cùm juramentum non ut esset « iniquitatis vinculum fuerit institutum. » Si autem legitimam et sinceram esse crediderit, juramentum licitum fuisse, et usquequaque servandum. Unde consulit et mandat, « ut reprobatâ monetâ, quæ à legi« timo pondere fuerat defraudata, » alia sub nomine patris ejus moneta cudatur « quam ad legitimum pon« dus reducat, secundùm eum statum, quem tempore « patris ejus habuit meliorem. »

Confirmatur ex concilio Lateranensi I, sub Callisto II, canone 15 : « Quicumque monetam falsam « scienter fecerit, aut studiosè expenderit, tanquàm « maledictus, et pauperum virorum oppressor, et civitatis turbator, à fidelium consortio separetur. » Monetarum falsarios et eorum receptores excommunicatione ferit synodus Coloniensis, anno circiter 1300, celebrata, cap. 18, et interdicti pœnam decernit in loca in quibus falsæ monetæ cuduntur, quamdiù falsarii ibi steterint.

Denique synodus Turonensis, apud Bochellum, lib. 8 Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, tit. 59, ita statuit : « Pecuniam si quis adulterinam aut minùs « probatam receperit, quamvis ignoranter, auctorque « sibi sit incognitus, alteri tradere non præsumat; « cùm id fieri nequeat sine specie mali; à quâ Apostolus vult omnes abstinere Christianos, ac sine magnâ « furti suspicione. » Quidni verò dixerimus, sine furto evidenti? Jus canonicum civili concordat, ad l. *Corneliam*, ff. de Falsis.

Quærit Hecato, lib. 6 de Officiis, « si sapiens adul« terinos nummos acceperit imprudens pro bonis; « cùm id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, « pro bonis. Diogenes ait, Antipater negat, cui potiùs « assentior, inquit Tullius, lib. 3 de Officiis. » Adulterari autem potest moneta tribus modis, videlicet circa substantiam, circa pondus et circa formam. Quoad substantiam, cùm substituitur aut permiscetur unum metallum pro alio; quoad pondus quando minus pro majori ponitur. Quoad formam, cùm quis bonam monetam cudit, justique ponderis, sed sine auctoritate id faciendi, aut imprimendo characterem vel formam alienam, absque ejus consensu, cujus erat.

Regula XIII. Lethalis fraudis et injustitiæ reus est venditor, qui occultum rei venalis vitium, et emptori noxium vel periculosum, ipsi ante venditionem non aperit. Hanc regulam tradit S. Thomas 2-2, quæst. 77, a. 3, eâque ratione firmat : « Dare alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum. Venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc « ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, « quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum « vel periculum incurrere possit. Damnum quidem, « si propter hujusmodi vitium res quæ vendenda proponitur minoris sit pretii; ipse verò nihil de pretio subtrahat. Periculum autem si, propter hujusmodi vitium usus rei reddatur impeditus : *Sive inutilis « et noxius : ut si vendat equum claudicantem aut debilem pro veloci, et valido; pannum adustum, frumentum corruptum, vinum acidum, aut adeò debile ut « diù servari non possit, oves morbidas, cibum vel pharmacum noxium aut veneno infectum pro salubri.* Unde « si hujusmodi vitia sint occulta, et ipse non detegat,

« erit illicita et dolosa venditio, et tenetur venditor « ad damni compensationem; » inquit S. Thomas. Tenetur, inquam, non modò detrahere tantùm de pretio, quantùm ad rem vitiatam, non pluris quàm valeat, emendam detrahere oportuerit, ut rursùs confirmat S. Thomas, Quodlibeto 2, quæst. 5, articulo 2; sed etiam obligatur ad resarciendum damna quæcumque ex hujusmodi venditione consecuta; verbi gratiâ, si quis ovem morbidam, non indicato, quo laborabat morbo vendiderit, et illa cæteras oves infecerit, tenetur etiam restituere omnia damna, quæ ovili per ipsam illata sunt. Qui enim *occasionem damni dat, damnum dedisse videtur;* ut dicitur cap. *Si culpa*, extra. de Pœnis. Quin etiam ad rescindendum contractum tenetur pro emptoris voluntate, quia nemini fraus sua patrocinari debet.

Confirmatur ex S. Ambrosio, lib. 3 de Officiis, cap. 10. « Ubique, inquit, honestatis præponderat « consideratio, quæ dolum excludit, fraudem ejicit. « Unde rectè generalem David propheta prompsit sententiam dicens, Psal. 14 : *Nec fecit proximo suo « malum.* Non solùm itaque in contractibus, in quibus etiam vitia eorum quæ væneunt, prodi jubentur, « ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur, sed « etiam generaliter in omnibus dolus abesse debet : « aperianda simplicitas, intimanda veritas est. « Veterem autem istam de dolo non jurisperitorum « formulam, sed patriarcharum sententiam Scriptura « divina evidenter expressit, » etc. Contractum venditionis, si vitium rei venditæ celaverit venditor emptorem, doli actione vacuari, id est, rescindi, S. Ambrosius asserit. Actio enim doli appellatur, quæ permittitur alicui coram judice ad querelam de dolo sibi facto instituendam contra eum à quo deceptus est, et ad indemnitatem suam postulandam. Hanc sanioris moralis regulam solo rationis lumine cognovit ac explicuit profanus orator Cicero, lib. 3 Officiorum, sectione 13. « Vendat, inquit, ædes vir bonus propter « aliqua vitia, quæ ipse nôrit, cæteri ignorent; pestilentes sint, et habeantur salubres : ignoretur in « omnibus cubiculis apparere serpentes : malè materiatæ, ruinosæ; sed hoc præter dominum nemo « sciat, quæro, si hoc emptoribus venditor non dixerit, « ædesque vendiderit pluris multò quàm se venditurum putârit, num id injustè an improbè fecerit. Ille « verò, inquit Antipater, quid enim est aliud erranti « viam non monstrare (quod Athenis exsecrationibus « publicis sancitum est) si hoc non est, emptorem « pati ruere, et per errorem in maximam fraudem « incurrere? Plus etiam est, quàm viam non monstrare : nam est scientem in errorem alterum inducere.... Ac de jure quidem prædiorum sancitum est « apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cùm ex 12 « Tabulis satis esset ea præstari quæ essent lingua « nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam « subiret; à jureconsultis etiam reticentiæ pœna est « constituta. Quicquid enim esset in prædio vitii, id « statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. » Quod et Romanis senatûs-consultis confirmat. « Raguel propinquus Tobiæ contemplatione honestatis, cùm rogaretur ut « filiam suam in conjugium daret, vitia quoque filiæ « non tacebat, ne circumvenire petitorem videretur tacendo. Itaque cùm Tobias filius Tobiæ posceret ut « sibi daret puellam, respondit, lege quidem ipsi eam « deberi tanquàm propinquo, sed dedisse se eam jam « sex viris, et omnes eos esse mortuos; justus itaque « vir plus alienis timebat, et malebat innuptam sibi « manere filiam, quàm propter nuptias ejus extraneos « periclitari. Quàm breviter absolvit omnes quæstiones philosophorum! Illi de vitiis tractant domorum, « tegenda an prodenda à venditore videantur; hic noster nec filiæ vitia celanda arbitratus est, et certè « non ipse affectabat ut eam traderet, sed rogabatur. « Quantò utique iste honestior sit illis, dubitare non « possumus, si conferamus, quantò præstantior sit « filiæ causa, quàm rei venalis pecunia! » inquit S. Ambrosius, cap. 16.

Regula XIV. Vitium rei venalis manifestum non semper tenetur venditor emptori aperire, modò propter illud subtrahat de pretio quantùm oportet. Hanc regulam tradit S. Thomas 2-2, quæst. 77, a. 3 : « Si « vitium, inquit, sit manifestum, putà, cùm equus « est monoculus; vel cùm usus rei et si non competat « venditori, potest tamen esse conveniens aliis; et si « ipse, propter hujusmodi vitium, subtrahat quantùm « oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum « vitium rei; quia forte propter hujusmodi vitium « emptor vellet plus subtrahi de pretio, quàm esset « subtrahendum. Unde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. » Refert Tullius, lib. 3 de Officiis, « M. Marium Gratidianum « propinquum suum C. Sergio Oratæ vendidisse ædes « eas, quas ab eodem ipse paucis antè annis emerat; « hæ Sergio serviebant; sed hoc in mancipio Marius « non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam « Crassus, Gratidianum defendebat Antonius; jus « Crassus urgebat, quòd vitii venditor non dixisset « sciens, oportere præstari; æquitatem Antonius, « quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui « illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec « eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure « esset, teneret. » Si tamen subsit aliqua fraus, verbi gratiâ, si vitium rei venalis, etsi manifestum, non ita facilè ab emptore deprehendi possit; vel si emptor se rem vitiatam emere nolle sit contestatus, aut venditor interrogatus de rei venalis vitio illud vel tacuerit, vel negaverit, vel eam quasi vitio carentem, etiam non interrogatus laudaverit, aut inter res integras omnisque vitii expertes venalem exposuerit; tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere, si res vendita tunc temporis integra maneat.

Regula XV. — Non videtur esse reus fraudis aut injustitiæ mercator, qui frumentorum, aut aliarum rerum ad humanos usus necessariarum copiam brevi advehendam certò sciens, id celat emptores, et sua fru-

menta, ve. res alias vendit currente pretio. Majoris tamen honestatis et virtutis est, animique ab avaritiâ et dolo magis alieni, id non celare. — Hanc regulam tradit S. Thomas 2-2, quæst 73, a. 3 ad tertium, ubi respondet non sequi quòd venditor vitia rei venalis celare possit emptorem absque fraude et injustitiâ, si triticum deferens ad locum ubi fervet frumenti charitas, dissimulare possit frumenti copiam à multis aliis mercatoribus brevi advehendam. Rationem affert discriminis; quia « Vitium rei facit rem in præsenti esse « minoris valoris, quàm videatur. Sed in casu præ- « misso, in futurum res expectatur esse minoris valo- « ris per superventum negotiatorum, qui ab ementi- « bus ignoratur. Unde venditor qui vendit rem secun- « dùm pretium quod invenit, non videtur contra justi- « tiam facere; si quid futurum est, non exponat. Si « tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abun- « dantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videa- « tur teneri ex justitiæ debito. »

Angelico doctori simpliciter docenti, quàm Tullio exaggeranti potiùs adhæreo. Quæstionem proponit ille lib. 3 Officiorum, sectione 12 : « Si vir bonus Alexan- « driâ Rhodum magnum frumenti numerum advexerit « in Rhodiorum inopiâ, et fame, summâque annonæ « charitate; si idem sciat complures mercatores Ale- « xandriâ solvisse, navesque in cursu frumento onu- « stas, petentes Rhodum viderit; dicturusne sit id « Rhodiis, an silentio suum, quàm plurimò venditu- « rus? Sapientem et bonum virum fingimus, de ejus « deliberatione et consultatione quærimus; qui cela- « turus Rhodios non sit, si id turpe judicet; sed dubi- « tet an turpe non sit. In hujusmodi causis aliud Dio- « geni Babylonio videri solet, magno et gravi stoico; « aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. « Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omninò « quod venditor nôrit, emptor ignoret. Diogeni, ven- « ditorem, quatenùs jure civili constitutum sit, dicere « vitia oportere, cætera sine insidiis agere; et quoniam « vendat, velle quàm optimè vendere; advexi, expo- « sui, vendo meum, non pluris quàm cæteri; fortasse « etiam minoris, cùm major est copia; cui fit injuria? « Exoritur Antipatri ratio ex alterâ parte; quid ais? « Tu cùm hominibus consulere debeas, et servire hu- « manæ societati, eâque lege natus sis, et ea ha- « beas principia naturæ quibus parere et quæ sequi « debeas, ut utilitas tua communis utilitas sit; vicis- « simque communis utilitas tua sit; celabis homines « quid iis sit commoditatis et copiæ? » Et infra : « Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodius, « nec hic ædium venditor, celare emptores debuisse. « Neque enim, id est, celare, quicquid reticeas; sed « cùm quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causâ « velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem ce- « landi genus quale sit, et cujus hominis, quis non vi- « deat? Certè non aperti, non simplicis, non ingenui, « non justi, non viri boni; versuti potiùs, astuti, falla- « cis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. »

Regula XVI. — Proxeneta, vel factor, aut alius quispiam, cui aliud certo pretio vendendum commissum est, si pluris vendat, non potest id quod accedit lucri absque fraude et injustitiâ retinere, si laboris sui mercedem acceperit, aut accepturus sit. — Nullo enim legitimo titulo retinere potest quod accedit lucri ad summam quâ rem suam vendi constituit dominus. Res quippe vendita non est proxenetæ, aut factoris, seu alterius cui commissa est ejus venditio; industriæ autem vel laboris sui merces ei constituta est. Tenetur itaque reddere domino quicquid lucri ex venditione provenit. Idem esto judicium de eo, qui rem alterius vendendam gratis susceperit, ut enim l. *Obligatio*, ff. *Mandati*, habetur : *Mandatum nisi gratuitum nullum est. Nam originem ex officio atque amicitiâ trahit; contrarium porrò est officio merces.* Quòd verò dominus pretium rei venalis præfixerit, non est argumento quòd retinere possit venditor id quod accedit amplioris lucri, aut quòd id permittat dominus; sed pretium eâ venditione præfixisse intelligitur, ut minori vendere non possit, non autem ut pluris non vendat, si valeat, in commodum ejus cujus est res. At si dominus rem vendendam proxenetæ commiserit certo pretio, nullâ ipsi assignatâ laboris mercede, sed cum pacto ut ipsi proxenetæ seu factori cedat, si quid lucri proveniat amplioris : illud legitimo titulo retinebit.

Regula XVII. — Famuli aut artifices in aliquâ officinâ emere soliti minori pretio, retinere sibi non possunt absque fraude, quod in eorum gratiam detrahere mercator videtur de majori pretio, quo res similis in aliâ officinâ venumdatur.— Cùm enim mandatum acceperint à domino, cujus obsequiis sunt addicti, aut cujus res gerunt, ipsius commoda fideliter procurare debent, non sua : maximè cùm nec verisimile sit aut facilè credi debeat, mercatores in gratiam hujusmodi hominum aliquid de mercium suarum pretio condonare, sed ipsis blandiantur sæpiùs ac mentiantur : et ea sit dominorum voluntas, ut quo poterunt æquiori ac minori pretio comparent, quorum ipsis emptionem commiserunt. Unde Tullius, in oratione pro Sexto Roscio Amerino : « In privatis, inquit, rebus, si qui « rem mandatam non modò malitiosiùs gessisset, sui « quæstûs aut commodi causâ, verùm etiam negligen- « tiùs; eum majores summum admisisse dedecus exi- « stimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, « non minùs turpe, quàm furti. Credo propterea quòd, « quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his « operæ nostræ vicaria, fides amicorum supponitur; « quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsi- « dium; et, quantùm in ipso est, disturbat vitæ socie- « tatem. Non enim possumus omnia per nos agere. Alius « in aliâ re est magis utilis... Quid recipis mandatum, si « aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus « es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simu- « lato officis et obstas? Recede de medio, per aliud « transigam... Ergo idcircò turpis hæc culpa est, quòd « duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem. Nam « neque mandat quisquam fere nisi amico; neque cre- « dit nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi igitur est « hominis, simul et amicitiam dissolvere, et fallere « eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. »

Regula XVIII. — Lethalis fraudis reus est quicumque in quovis ludi genere summam notabilem malis artibus lucratur, fallendo scilicet, ac receptas ludi leges violando. — Peccat enim in re gravi adversùs justitiam, bonam fidem, et charitatem, necnon adversùs sextum præceptum Decalogi : *Non furtum facies.* Unde et ad restitutionem tenetur, ut docet S. Thomas 2-2, quæstione 32, a. 7, ad secundum. Idem esto judicium de illo, qui se victorem in ludo futurum certò novit, ob collusorum inæqualitatem. Decipiuntur enim qui sperant se tantumdem lucrari posse, quantùm ipsi periculo exponunt. Idem censendum est de illis qui in ollæ ludo, quem vulgò lotteriam vocant, permutant vel imminuunt præmia, vel schedulas alterant quibus fit sortitio, vel præmia proponunt non extantia, vel distractis præmiis ludum prorogant. Hi, inquam, lethalis fraudis rei sunt, et restitutionis lege tenentur. Quasdam præterea conditiones postulant theologi, ut ludus ille sit licitus, nempe ut qui in privatum commodum lotteriam instituit, non plus inde lucretur, quam si quovis alio contractu licito suas merces distraheret. Si verò in publicam utilitatem, auctoritate principis, aliquid ampliùs lucrari possit, prout arbitrio prudentum, ad publicam necessitatem sublevandam, vel ad causam piam promovendam, visum fuerit decernere quantùm quisque sortientium inferre debeat. Deinde conditiones, si quæ sint à principe aut magistratu statutæ, observare oportet. In ipsis enim ludis leges civiles obligare conscientiam docet S. Thomas 2-2, quæstione et articulo supra laudatis.

Regula XIX.—Lethalis fraudis reus est qui de aliquo eventu seu futuro, seu præterito spondet apposito pignore aut pretio notabili, si sit de eventu certus.— Id enim contra naturam sponsionis est, quæ est concertatio plurium de eodem eventu incerto, sub spe certi pretii à victore obtinendi. Si ergo spondentium alter de eventu certus sit, injusta sponsio est ob inæqualitatem, et restituere tenetur quod ita certando lucratus est; nisi fortè se eâ de re certum esse ante sponsionem professus sit, et alter nihilominùs certare voluerit. Scienti enim et volenti non fit injuria. Non posset etiam absque fraude pretium sponsionis sibi vindicare, si alter eodem sensu non accepisset id de quo facta sponsio est. Hæc enim conditio ad legitimam sponsionem est etiam necessaria. Certæ nihilominùs sponsiones Jure civili ac municipali regnorum aut provinciarum aliquarum vetitæ sunt. Quædam jure ipso naturali sunt illicitæ et invalidæ, quæ nimirùm criminibus viam aperiunt, aut occasionem præbent spondentibus aliquid agendi aut optandi contra Dei legem, contra jus, contra officium; ut si sponsio fiat cum illo qui crimen aliquod meditatur, quòd illud non audebit facere; hujusmodi enim sponsione et spe mercedis victori constitutæ, ad crimen perficiendum inflammatur. Aut si de morte hominum, itineribus, navigationibus, felici vel infelici mulieris partu sponsiones fiant; quibus datur occasio mortem proximi optandi, aut infaustum iter, naufragium, infelicem partum, vel necem, abortum, insidias, alia nocumenta procurandi, struendi, inferendi, optandi; aut si quis rege bellum gerente, et urbem aliquam hostilem obsidente, spondeat victorem non futurum, non expugnaturum. Qui enim eâ de re spondet, ipsam videtur optare, quod certè contra officium boni subditi erga principem est.

### Articulus VI.

*De fallaciâ et perjurio, avaritiæ filiabus.*

De mendacio, quod idem videtur cum fallaciâ, necnon de perjurio, erit alibi opportunior dicendi locus, cùm scilicet in Decalogi explicatione versabimur. Hic igitur unam aut alteram duntaxat regulam statuemus.

Regula I. — Differenda est absolutio sacramentalis mercatoribus, qui mendaciis et perjuriis assueverunt, nec aliter vendere et emere se posse aiunt, donec pravum habitum emendaverint.— Hi namque in occasione continuâ et affectu lethalis peccati versantur. Quamvis enim mendacium veniale sit, cùm grave damnum proximo non infert, lethale tamen est semper cùm ad proximum in negotio graviter circumveniendum ac fallendum adhibetur, aut perjurio confirmatur. Unde Ecclesiastici 20 : *Potior fur quàm assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt.* In mercatoribus sanè plerisque impleri videmus, quod Apocalypsis 13 prædictum est : *Ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Bestia diabolus est; character illius, mendacium. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus;* inquit Christus, Joannis 8. Absque isto charactere se emere aut vendere non posse, mercatores plerique profitentur; nec attendunt ad illud oraculum, Apocal. 14 : *Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte suâ, aut in manu suâ, et hic bibet de vino iræ Dei, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni; et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Fallacia tamen et perjuria non sunt vitia negotiationis, quasi per se illis occasionem præbeat, aut sine illis exerceri non possit, sed hominum lucri cupiditate æstuantium. Quod S. Augustinus testatur, enarratione in psalmum 70, explicans hunc versum : *Quoniam non cognovi litteraturam*, seu, ut ipse legit, *negotiationes, introibo in potentias Domini.* Sic enim habet : « Audiant negotiatores et mutent vitam; et si fuerunt, « non sint; non cognoscant quid fuerunt, obliviscantur; « postremò non approbent, non laudent; improbent, « damnent, mutentur, si peccatum est negotiatio. Hinc « enim aviditate nescio quâ adquirendi, ô negotiator, « quando damnum passus fueris, blasphemabis; et non « erit in te quod dictum est : *Totâ die laudem tuam.* « Quando autem pro pretiis rerum quas vendis, non « solùm mentiris, verùm etiam falsum juras; quomodò « in ore tuo totâ die laus Dei? Quando, si Christianus « es, etiam ex ore tuo blasphematur nomen Dei, ut « dicatur, ecce quales sunt Christiani. Ergo si propter- « ea iste totâ die laudem Dei dicit, quia non cognovit « negotiationes; corrigant se Christiani, non negotien- « tur. Sed ait mihi negotiator, ecce ego affero quidem

« ex longinquo merces ad ea loca, in quibus non sunt « ea quæ attulero; unde vivam, tanquàm mercedem « laboris mei peto, ut chariùs vendam quàm emerim; « unde enim vivam, cùm scriptum sit, Luc. 10, *Di-* « *gnus est operarius mercede suâ?* Sed agitur de men- « dacio, de perjurio. Hoc vitium meum est, non ne- « gotiationis; neque enim non, si vellem, possem agere « sine isto vitio. Non ergo meam culpam actor ad ne- « gotium transfero; sed si mentior, ego mentior, non « negotium. Possem enim dicere, tantò emi, sed tantò « vendam; si placet, eme. Non enim istam veritatem « audiens emptor repelleretur, et potiùs omnes ac- « currerent, quia plus fidem quàm mercem diligè- « rent. Hoc ergo, inquit, me monet ne mentiar, ne « perjurem; non ut abjiciam negotium unde me tran- « sigo... Mone quemadmodùm vivam; si benè, benè « mihi erit; unum tamen scio, quia si malus fuero, « non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea. Quando « verum dicitur, non est quod contradicatur. » Attamen spectatâ hominum cupiditate, et ad vitium propensione, periculosa negotiatio est. Hinc Tertullianus, lib. de Idololatriâ, cap. 10: « De negotiationibus cæ- « tera delictorum recogitemus, inprimis cupiditatem, « radicem omnium malorum; tum mendacium, cupi- « ditatis ministrum. Taceo de perjurio, quando ne ju- « rare quidem liceat. Negotiatio servo Dei apta est? » Et S. Leo, epistolâ 2, aliàs 92, ad Rusticum Narbonen- sem episcopum, Inquisitione 11: « Qualitas lucri, in- « quit, negotiantem aut excusat, aut arguit; quia est « et honestus quæstus, et turpis. Verumtamen pœni- « tenti utilius est dispendia pati, quàm periculis nego- « tiationis obstringi; quia difficile est, inter ementis « vendentisque commercium, non intervenire pecca- « tum. » Nam Ecclesiastici 26 dicitur: *Duæ species dif- ficiles et periculosæ mihi apparuerunt; difficilè eruitur negotiator à negligentiâ*, bonorum scilicet spiritualium, et propriæ salutis, *et non justificabitur caupo à peccatis labiorum.* Et cap. 27: *Sicut in medio compaginis lapi- dum palus figitur; sic et inter medium venditionis et em- ptionis angustiabitur peccatum.* Et Deus Tyriorum pec- cata prodiisse ex negotiatione significat, Ezechielis 28: *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccâsti, et ejeci te.* Et rursùm: *Iniqui- tate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.*

Regula II.—Lethalis fallaciæ reus est qui promissa et pacta non servat in re gravi; aut sincerè, ac sponte promittit rem licitam et possibilem, absque voluntate solvendi promissum. Jus enim naturæ ac gentium violat, frangendo fidem, quæ humanæ societatis fundamentum ac vinculum est: et adversùs justitiam peccat, cùm se promissione obligaverit. Hinc cap. *Qualiter*, extra. de Pactis, dicitur: « Studiosè agendum est, ut ea quæ pro- « mittuntur opere compleantur. » Et quid mirum si homo promissis suis debitor fiat, cùm Deus ipse debitor « nobis factus sit, non aliquid à nobis accipiendo, sed « quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus ho- « mini, debes mihi quia dedi tibi: et aliter dicimus, « debes mihi quia promisisti mihi... Quando dicis, « debes mihi quia promisisti mihi; tu nihil dedisti, et « tamen exigis. Bonitas enim ejus qui promisit, dabit, « ne in malitiam fides convertatur. Qui enim fallit, « malus est, » inquit S. Augustinus, sermone 158, aliàs 16 de Verbis Apostoli. Hinc S. Thomas 2-2, quæst. 88, a. 3. « Ad fidelitatem hominis, inquit, « pertinet ut solvat id quod promisit. Unde secundùm « Augustinum fides dicitur ex eo quòd fiunt dicta. Et « in responsione ad primum: Secundùm honestatem, « inquit, ex quâlibet promissione homo homini obli- « gatur; et hæc est obligatio juris naturalis. Sed ad « hoc quod aliquis obligetur ex aliquâ promissione « obligatione civili, quædam alia requiruntur. » Ve- rùm si promissio sit de re illicitâ, reus non erit falla- ciæ, qui ipsam non servaverit, secundùm regulam Juris, in sexto: « In malis promissis fidem non expe- « dit observari. » Et can. In malis, causâ 22, quæst. 4: « In malis promissis rescinde fidem. » Et cap. *Pactiones*, extra. de Pactis, Gregorius IX respon- det: « Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus « obtinendis, cùm in hujusmodi omnis pactio, « omnisque conventio debeat omninò cessare, « nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis « est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ de- « trimentum. Nam etiam juxta legitimas sanctiones, « pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de jure « vel de facto, nullam obligationem inducit. » Et l. *Pacta*, c. Tit. de Pactis, lib. 2: « Pacta quæ contra « leges constitutionesque, vel contra bonos mores « fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. »

Nec etiam fallaciæ reus est, qui promissa non ser- vat, quæ exsolvere non potest. Nemo enim ad impos- sibile tenetur. l. *Si stipulor*, tit. de Verborum obliga- tionibus, digest. lib. 45: « Si stipulor ut id fiat, quod « natura fieri non concedit, non magis obligatio con- « sistit, quàm cùm stipulor ut detur quod dari non « potest; nisi per quem stetit, quominus facere id « possit. » Et l. *Impossibilium*, ff. de regulis juris, 185: *Impossibilium nulla obligatio est.* Quamobrem si quod tempore promissionis erat possibile, postea impossibile fiat; vel propter aliquam rerum aut personarum muta- tionem ita fiat arduum, ut si promissor hos casus vel eventus prævidisset, non fuisset promissurus, vel casus illos excepisset, ut si quis ensem alteri promiserit, et ille insanus fiat; si puellam ducere, et hæc postea fornicetur; si merces aliquas mittere, et regis vel ma- gistratûs prohibitio superveniat, cessat obligatio pro- missi. Ita docet S. Thomas 2-2, quæst. 110, a. 3 ad quintum respondens: « Ille qui aliquid promittit, si « habeat animum faciendi quod promittit, non men- « titur, quia non loquitur contra id quod gerit in mente. « Si verò non faciat quod promisit, videtur infide- « liter agere per hoc quod animum mutat. Potest « tamen excusari ex duobus: uno modo si promisit id « quod manifestè est illicitum, quia promittendo pec- « cavit, mutando autem propositum, benè facit; alio « modo, si sint mutatæ conditiones personarum et « negotiorum. Ut enim Seneca dicit, lib. 4 de Bene- « ficiis, cap. 3: *Ad hoc quòd homo teneatur facere quod* « *promisit, requiritur quòd omnia immutata perma-*

« *neant; alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia* « *promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis* « *conditionibus; nec etiam est infidelis non implendo* « *quod promisit, quia eædem conditiones non exstant.* « Unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit « Corinthum, quò se iturum promiserat, ut dicitur 2 « ad Corinthios 1, et hoc propter impedimenta quæ « supervenerant. »

Non est etiam fallaciæ reus, qui promissum vi, metu, aut dolo extortum non servat. Cùm enim promissio sit liberalis merèque gratuita pollicitatio, ab eâ debent abesse vis, metus, et dolus. Unde cap. *Abbas*, extra, *De his quæ vi, metusve causâ fiunt*, ait Alexander III : « Quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari. » Et Innocentius III, cap. *Ad audientiam*, sub eodem titulo : « *Quæ vi metùsve causâ fiunt* carere de- « bent rebore firmitatis. » Id confirmatur testimonio S. Thomæ, 2-2, quæst. 89, a. 7, ad tertium respondentis : Obligatio quâ quis obligatur homini cui « aliquid promittit, tollitur per coactionem; quia ille « qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non « servetur. »

Non est denique fallaciæ reus qui promissum non solvit ei cui promissio grata non est, nec accepta; sed lethalis fallaciæ reus est, etiam si non habuerit voluntatem se obligandi, cùm sponte promisit rem honestam, possibilem, gratam et acceptam ei cui facta promissio est, et magni momenti, si voluntatem se obligandi verbis aut instrumentis expresserit, neque tamen promissionem impleat. Promissione enim suâ delusit proximum in re gravi. Et si causam indicaverit ob quam promisit, vel sine causâ promisisse non censetur, ut cùm aliquid promisit loco pio, vel civitati, aut reipublicæ, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori tenetur exsolvere promissum, secundùm jurisperitos. Quanquàm verò promissum aut *Pactum nudum*, ut vocant, non pariat actionem, secundùm leges civiles; nec aliquis in jus vocari possit, quandò non intervenit stipulatio, nec contractus aliquis actualis nominatus, nec chirographum, aut litterarum solemnitas, quæ *Pactum vestitum*, ut loquuntur, efficiunt; tamen ex nudo pacto et promisso actionem etiam oriri, secundùm canones, communis est et verior juris canonici peritorum opinio. Quâ de re legi potest Prosper Fagnanus in 2 p. primi decretalium, ad cap. *Antigonus*, tit. de Pactis. Ut ut est, non servans pactum legitimum in re gravi, peccati lethalis reus est, quia violans pactum potest excommunicari, ut constat ex cap. *Antigonus*, extra, de Pactis, quod ex concilio Carthaginensi 1 sumptum est. « Antigonus episcopus dixit...: Aut inita pacta suam « obtineant firmitatem, aut conventus, si se non co- « hibuerit, ecclesiasticam sentiat disciplinam. Universi « dixerunt : Pax servetur, pacta custodiantur. » Porrò excommunicatio jure non infligitur nisi ob mortale peccatum, ut colligitur ex can. *Nemo Episcoporum*, causâ 11, quæst. 3.

Regula III. — Lethalis fallaciæ reus est, qui pro altero fide jussorem se obligat, cùm nec ipse solvendo sit, nec principalem debitorem solvendo futurum existimet. — Fallaciâ enim suâ occasionem præbet creditori gravis damni. « Dare porrò alicui occasio- « nem periculi vel damni, semper est illicitum, » inquit S. Thomas 2-2, quæst. 77, a. 3. Hinc Ecclesiastici 8, Spiritus sanctus ait : *Non spondeas super virtutem tuam; quod si spoponderis, quasi restituens cogita.*

## Articulus VII.

### *De sollicitudine.*

Regula prima. — Sollicitudo lethale peccatum est, cùm finem ultimum in rebus temporalibus quis constituit, et terrenis curis ita se immergit, ut æternæ salutis suæ curam abjiciat; vel cùm divinæ providentiæ diffidit. — Hæc scilicet sollicitudinis genera, ut gentium incredularum vitia damnat Christus Dominus, Matth. 6 : *Non potestis*, inquit, *Deo servire et mammonæ. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ?.... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodò crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.* Quam postremam Christi salvatoris sententiam S. Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini in monte, cap. 16, sic exponit : « Quid intersit inter bonum quod appetendum est, « et necessarium quod sumendum est, hâc sententiâ « declaravit. Regnum ergo et justitia Dei bonum no- « strum est, et hoc appetendum, et ibi finis constituen- « dus; propter quod omnia faciamus quæcumque fa- « cimus. Sed quia in hâc vitâ militamus, ut ad illud « regnum pervenire possimus, quæ vita sine his ne- « cessariis agi non potest : *Apponentur vobis hæc*, in- « quit. Sed vos regnum Dei et justitiam ejus primùm « quærite. Cùm enim dixit illud primùm, significavit « quia hoc posteriùs quærendum est, non tempore, « sed dignitate; illud tanquàm bonum nostrum, istud « tanquàm necessarium nostrum; necessarium autem « propter illud bonum. »

Confirmatur hæc regula ex S. Thomâ 2-2, quæstione 55, a. 6 : Sollicitudo, inquit, temporalium rerum tripliciter potest esse illicita : uno quidem modo ex parte ejus de quo sollicitamur, si scilicet temporalia tanquàm finem quæramus; unde S. Augustinus dicit, lib. de Opere monachorum, cap. 26 : « Dominus « ait : *Nolite solliciti esse animæ quid manducetis, neque* « *corpori quid vestiamini.* Rectè, quoniam supra dixe-

« rat : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Qui enim « propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat unde « manducet, et unde vestiatur, simul se putat et Deo « servire, quia Evangelium prædicat, et mammonæ, « quia propter ista necessaria prædicat ; quod Domi- « nus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille qui propter « ista Evangelium prædicat, non Deo, sed mammonæ « servire convincitur ; etsi Deus illo ad aliorum pro- « vectum, quomodò ipse nescit, utatur. Nam huic « sententiæ subjungit : *Ideò dico vobis, nolite solliciti « esse animæ quid manducetis, neque corpori quid vestia- « mini ;* » non ut ista non procurent, quantùm necessitati satis est, unde honestè potuerint ; sed ut non ista intueantur, et propter ista faciant quicquid in Evangelii prædicatione facere jubentur. Pergit S. Thomas : « Alio modo potest esse temporalium sollici- « tudo illicita propter superfluum studium quod ap- « ponitur ad temporalia procuranda ; propter quod « homo à spiritualibus, quibus principaliùs inservire « debet, retrahitur ; et ideò dicitur, Matth. 13 : *Solli- « citudo seculi istius, et fallacia divitiarum suffocat ver- « bum, et sine fructu efficitur.* » Hinc vetus auctor operis imperfecti in Matthæum, inter S. Chrysostomi opera editi, homilià 31 : « Sollicitudo divitiarum, in- « quit, ecclesiam te frequentare non permittit, ut nu- « triatur verbum quod accepisti ; et si venis corpore, « non venis mente ; si audis auribus, non audis corde ; « totus animus tuus in illis est, de quibus sollici- « tus es. »

Tertio modo sollicitudo temporalium est illicita « ex « parte timoris superflui, quando scilicet aliquis timet, « ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant ; quod « Dominus tripliciter excludit : primò, propter majora « beneficia homini præstita divinitùs præter suam solli- « citudinem, scilicet corpus et animam. Secundò, pro- « pter subventionem, quâ Deus animalibus et plantis « subvenit, absque opere humano, secundùm propor- « tionem suæ naturæ. Tertiò, ex divinâ providentiâ, « propter cujus ignorantiam gentiles circa temporalia « bona quærenda principaliùs sollicitantur. Et ideò « concludit, quòd principaliter nostra sollicitudo esse « debet de spiritualibus bonis, sperantes quòd tempo- « ralia nobis provenient ad necessitatem, si fecerimus « quod debemus. » Labor ergo exercendus est ; unde Apostolus ait, 2 ad Thessalon. 3 : *Si quis non vult operari, nec manducet :* Sollicitudo tollenda, meticulosa scilicet, animum discrucians, divinæ providentiæ dissidens. Hinc S. Augustinus, lib. supra laudato de Opere monachorum, cap. 27, ait : « Si et nos per ali- « quam vel infirmitatem, vel occupationem, non pos- « sumus operari, sic ille nos pascet et vestiet, quem- « admodùm aves et lilia, quæ nihil operantur hu- « juscemodi ; cùm autem possumus, non debemus « tentare Deum nostrum ; quia et hoc quod possumus, « ejus munere possumus ; et cùm hinc vivimus, illo « largiente vivimus, qui largitus est ut possimus. Et « ideò de istis necessariis solliciti non sumus ; quia « cùm hæc possumus agere, ille nos pascit et vestit, « à quo pascuntur homines et vestiuntur ; cùm verò « hæc non possumus agere, idem ipse nos pascit et « vestit, à quo aves pascuntur et lilia vestiuntur, quo- « niam nos pluris sumus illis : quapropter in istâ mili- « tiâ nostrâ, nec in crastinum cogitamus ; quia non « propter ista temporalia, quò pertinet crastinus, sed « propter illa sempiterna ubi semper hodiernus est, « nos illi probavimus, ut ei nullis negotiis secularibus « implicati placeamus.

Regula II.— Sollicitudo temporalium etiam ea quæ non repugnat fini charitatis, veniale peccatum est, si superflua sit et anticipata. — Hanc regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæstione 55, art. 5, ad tertium : « Sollicitudo, inquit, temporalium in operibus miseri- « cordiæ ordinatur ad finem charitatis. Et ideò « non est illicita, nisi sit superflua. » Et articulo 7, nullum opus bonum esse posse ait, nisi debitis circumstantiis comitatum, quarum una est *debitum tempus*, secundùm illud Ecclesiastis 8 : *Omni negotio tempus est et opportunitas.* Quod non solùm in exterioribus operibus, sed etiam in interiori sollicitudine locum habet : *Unicuique enim tempori competit propria sollicitudo ;* sicut tempori æstatis competit sollicitudo metendi ; tempori autem autumni, sollicitudo vindemiæ. « Si quis ergo tempore æstatis de vindemiâ jam « esset sollicitus, superfluè præoccuparet futuri tem- « poris sollicitudinem. Unde hujusmodi sollicitudinem « tanquàm superfluam Dominus prohibet dicens, « Matth. 6 : *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Cra- « stinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi,* » id est, propriam sollicitudinem suam afferet, quæ sufficit ad animum affligendum. Unde subdit : *Sufficit diei malitia sua*, id est, sufficit quòd ista sumere urgebit ipsa necessitas ; sive, sufficit afflictio ipsa sollicitudinis. Verumtamen, inquit S. Augustinus lib. de Sermone Domini in monte, cap. 17 : « Vehementer cavendum est, « ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei provi- « dere ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis quo- « rum sibi cura commissa est, judicemus eum contra « præceptum Domini facere, et de crastino esse solli- « citum. Nam et ipse Dominus, cui ministrabant an- « geli, tamen propter exemplum, ne quis postea scan- « dalum pateretur, cùm aliquem servorum ejus « animadvertisset ista necessaria procurare, loculos « habere dignatus est cum pecuniâ, unde usibus neces- « sariis quicquid opus fuisset præberetur..... Item in « Actibus Apostolorum cap. 2, scriptum est, *ea quæ ad « victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter « imminentem famem.* » Quibus et similibus Scripturarum locis, « satis apparet Dominum nostrum non hoc « improbare, si quis humano more ista procuret ; sed « si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis « non regnum Dei, sed istorum adquisitionem intuea- « tur. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum « redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum « Dei cogitemus, in militiâ verò regni Dei ista non co- « gitemus. Ita enim etiamsi aliquando defuerint, quod « plerumque propter exercitationem nostram Deus si- « nit, non solùm non debilitant propositum nostrum, « sed etiam examinatum probatumque confirmant.....

« Quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille medi-
« cus, cui semel nos totos commisimus, et à quo habe-
« mus promissionem vitæ præsentis et futuræ, quando
« apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expe-
« dire, quos et consolandos et exercendos in hâc vitâ,
« et post hanc vitam in perpetuâ requie stabiliendos
« atque firmandos gubernat, ac dirigit. Non enim et
« homo, cùm plerumque jumento suo cibaria detrahit,
« deserit illud curâ suâ, ac non potiùs curando hæc
« facit. »

Hinc idem S. Augustinus, Enarratione in psalmum 39, explicans hunc versum : *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est meî*, ait : « Et
« quid facturus es, ô egene et pauper? Mendica ante
« januam Dei, pulsa et aperietur tibi. Jacta in Domi-
« num curam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.
« Quid tibi curaturus es. Quid tibi provisurus? Habeat
« tuî curam, qui fecit te. Qui habuit tuî curam ante-
« quàm esses, quomodo non habebit curam cùm jam
« hoc es, quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es,
« jam ambulas in viâ justitiæ. Curam tibi non ha-
« bebit, qui facit solem suum oriri super bonos et
« malos, et pluit super justos et injustos; te jam
« justum ex fide viventem negliget, deseret, di-
« mittet? Imò verò et hìc fovet, et hìc adjuvat, et hìc
« necessaria subministrat, et noxia resecat. Dando
« consolatur, ut permaneas; auferendo corripit, ne
« pereas. Dominus curam habet tuî, securus esto. Ille
« portat qui te fecit; ab Artificis tui manu noli cadere;
« si cecideris à manu Artificis, frangeris. Ut autem
« permaneas in manu Artificis, bona voluntas facit.
« Dic, Deus meus voluit, et portabit ipse, et tenebit
« ipse. Jacta te in illum, noli putare inane esse, ut
« quasi præcipiteris; non ita tibi videatur. Ille dixit
« Jerem. 23 : *Cœlum et terram ego impleo.* Nusquàm
« tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse : Do-
« minus sollicitus est meî. »

### Articulus VIII.

*De violentiâ.*

Regula I. — Lethalis violentiæ rei sunt divites, qui pauperes opprimunt rapinis, oneribus, injuriis, verberibus, iniquis vectigalibus. — Hi scilicet justitiæ, charitatis, imò humanitatis, quam natura docet, et quæ alios pro veris nos juvare jubet ut ejusdem corporis membra, leges palam violant et evertunt. Quæ flagitia quantum Deus execretur, Scriptura sacra testis est. Ecclesiastis 4 : *Verti me ad alia, et vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem; nec posse resistere eorum violentiæ functorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quàm viventes : et feliciorem utroque judicavi, qui nec-dum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Proverb. 21 : *Qui calumiatur pauperem ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit... Non facias violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteras egenum in portâ, quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus.* Proverb. 30 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comeaat inopes ae terrâ, et pauperes ex hominibus.* Ecclesiastici 13 : *Quæ pars diviti ad pauperem? Venatio leonis, onager in eremo; sic et pascua divitum sunt pauperes.* Isaiæ 3 : *Vos depasti estis vineam : et rapina pauperis in domo vestrâ. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?* Michææ 3 : *Audite, principes Jacob, et duces domûs Israel. Numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos : et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.* Habacuc 1 : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me?.... Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagenâ suâ,* et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur et exultabit. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo; quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. Amos 8 : *Audite hoc qui conteritis pauperem et deficere facitis egenos terræ dicentes : Quando transibit messis, et venundabimus merces; et sabbatum, et aperiemus frumentum; ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis et quisquilias frumenti vendamus. Juravit Dominus in superbiam Jacob; si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.*

Quod spectat iniqua vectigalia, quibus pauperes à potentibus opprimuntur, de his præclarè Salvianus, lib. 5 de Gubernatione Dei : « Illud, inquit, gravius est,
« quòd plurimi proscribuntur à paucis, quibus exactio
« publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titu-
« los faciunt esse quæstus privatos : et hoc non sum-
« mi tantùm, sed pene infimi; non judices solùm, sed
« judicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modò ur-
« bes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot
« curiales fuerint, tot tyranni sint? Quanquàm fortè hoc
« nomine sibi gratulentur, quia potentes et honora-
« ti esse videantur. Nam et latrones fermè omnes gau-
« dent et gloriantur, si atrociores admodùm quàm sunt
« esse dicantur. » Et infra : « Exactionis publicæ nomen
« in quæstûs proprii emolumenta verterunt : et indi-
« ctiones tributarias prædas suas esse fecerunt; qui
« in similitudinem immanium bestiarum non rexerunt
« traditos sibi, sed devorârunt; nec spoliis tantùm ho-
« minum, ut plerique latrones solent, sed laceratione
« etiam, et, ut ita dicam, sanguine pascebantur. Miseri,
« qui assiduum, imò continuum exactionis publicæ
« patiuntur excidium! Quibus imminet semper gravis
« et indefessa proscriptio; qui domos deserunt, ne in

« ipsis domibus torqueantur; exilia petunt, ne suppli-
« cia sustineant. Leviores his hostes, quàm exactores
« sunt : et res ipsa hoc indicat, ad hostes fugiunt, ut
« vim exactionis evadant. »

Regula II. — Lethalis violentiæ rei sunt consules, collectores, et quicumque indictiones publicas, tributa, seu tallias, ut loquuntur, imponunt facultatum proportione minimè servatâ, et pauperum aggravant onera, ut ditiores sublevent; aut ipsi præstationes suas minuant. Lethalis etiam violentiæ rei sunt nobiles, qui ex agris non nobilibus indictiones seu tallias non solvunt, iis in provinciis, in quibus hujusmodi indictiones seu talliæ reales sunt, et eas solvere tenentur; quò fit, ut hujusmodi onera consules, aut communia oppidorum vel pagorum, in cæteros incolas refundere cogantur. — Adversùs tam crudele violentiæ genus Salvianus, loco supra laudato, hunc in modum invehitur : « Illud « indignius ac pœnalius, quòd omnium onus non om-
« nes sustinent; imò quòd pauperculos homines tributa
« divitum premunt, et infirmiores ferunt sarcinas for-
« tiorum; nec alia causa est quòd sustinere non pos-
« sunt, nisi quia major est miserorum sarcina quàm
« facultas. Res diversissimas dissimillimasque patiun-
« tur, invidiam et egestatem. Invidia est enim in solu-
« tione, egestas in facultate. Si respicias quod depen-
« dunt, abundare arbitreris; si respicias quod habent,
« egere reperies. Quis æstimare rem hujus iniquitatis
« potest? Solutionem sustinent divitum, et indigentiam
« mendicorum. Plus multò est quod dicturus sum.
« Adjectiones tributarias ipsi interdùm divites faciunt,
« pro quibus pauperes solvunt.... Vepiunt plerumque
« novi nuntii, novi epistolarii à summis sublimitatibus
« missi, qui commendantur illustribus paucis ad exi-
« tia plurimorum : Decernuntur his nova munera, de-
« cernuntur novæ indictiones; decernunt potentes,
« quod solvant pauperes; decernit gratia divitum, quod
« perdat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt,
« quod decernunt. »

Confirmatur ex l. *Fundos*, c. de Fundis patrim. Quâ sancitum est, « Ut relevato onere rei, quod imminet
« fatigatis, translatio in eos qui integris viribus florent,
« et adscriptio tributorum æquâ lance dividatur. »

Regula III. — Lethalis violentiæ rei sunt, qui indictionum, sive talliarum, aut tributorum quorumcumque remissionem à principe aut republicâ concessam, secundùm æquitatis leges non distribuunt, spectatis locorum et hominum facultatibus, et oneribus. — Hujus immanitatem flagitii verbis gravissimis perstringit Salvianus, loco supra laudato. « Sicut, inquit, sunt in
« aggravatione pauperes primi, ita in relevatione po-
« stremi. Si quando enim defectis urbibus minuendas
« in aliquo tributarias functiones potestates summæ
« existimaverint, illicò remedium cunctis datum soli
« inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum me-
« minit? Quis ad communionem beneficii humiles et
« egestuosos vocat? Quis eum qui primus est semper
« in sarcinâ, vel ultimo esse loco patitur in medelâ?
« Et quid plura? Tributarii omninò pauperes non pu-
« tantur, nisi cùm his tributi cumulus imponitur. Ex-
« tra numerum autem tributariorum sunt, cùm remedia
« dividuntur. Et putamus, quòd pœnâ divinæ severi-
« tatis indigni sumus, cùm sic nos semper pauperes
« puniamus? Aut credimus, cùm iniqui nos jugiter
« simus, quòd Deus justus in nos omninò esse non de-
« beat. »

Regula IV. — Lethalis violentiæ rei sunt toparchæ, magnates, divites et potentes quicumque homines, qui pauperibus patrocinium suum vendunt, et ab eis munera, obsequia, servitutes indebitas, et operas exigunt clientelæ prætextu; vexationesque graviores redimere cogunt minorum vexationum tolerantiâ. — Hi scilicet concussionis pauperum rei manifestò probantur, divinis humanisque legibus ut tales damnandi. Horum crimen sinceris coloribus pingit Salvianus, eodem libro. « Tradunt se, inquit, pauperes ad tuen-
« dum protegendumque majoribus, dedititios se divi-
« tum faciunt, et quasi in jus eorum, ditionemque
« transcendunt. Nec tamen grave hoc aut indignum
« arbitrarer, imò potiùs gratularer hanc potentûm
« magnitudinem, quibus sese pauperes dedunt, si
« patrocinia ista non venderent; si quòd se dicunt
« humiles defensare, humanitati tribuerent, non
« cupiditati. Illud grave ac peracerbum est, quòd
« hâc lege tueri pauperes videntur, ut spolient;
« hâc lege defendunt miseros, ut miseriores faciant
« defendendo. Omnes enim hi, qui defendi viden-
« tur, defensoribus suis omnem ferè substantiam
« suam, priùs quàm defendantur, addicunt; ac sic, ut
« patres habeant defensionem, perdunt filiis hæredita-
« tem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum com-
« paratur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia majo-
« rum. Nihil susceptis tribuunt, sed sibi. Hoc enim
« pacto aliquid parentibus temporariè attribuitur, ut
« in futuro totum filiis auferatur. Vendunt itaque, et
« quidem gravissimo pretio, majores quidam quæ
« cuncta præstant. Et quod dixi, vendunt; utinam
« venderent usitato more atque communi! Aliquid
« forsitan remaneret emptoribus. Novum quippe hoc
« genus venditionis et emptionis est. Venditor nihil
« tradit, et totum accipit. Emptor nihil accipit, et to-
« tum penitùs amittit. Cùmque omnis fermè contra-
« ctus hoc in se habeat, ut invidia penes emptorem,
« inopia penes venditorem esse videatur; quia emp-
« tor ad hoc emit ut substantiam suam augeat, vendi-
« tor ad hoc vendit ut minuat; inauditum hoc com-
« mercii genus est; venditoribus crescit facultas, em-
« ptoribus nihil remanet nisi sola mendicitas. Nam
« illud quale! Quàm non ferendum atque monstrige-
« rum, et quod non dicam pati humanæ mentes, sed
« quod audire vix possunt! Quòd plerique paupercu-
« lorum atque miserorum spoliati resculis suis, et ex-
« terminati agellis suis, cùm rem amiserint, amissa-
« rum tamen rerum tributa patiuntur; cum possessio
« ab his recesserit, capitatio non recedit. Proprietati-
« bus carent, et vectigalibus obruuntur. Quis æstima-
« re hoc malum possit? Rebus eorum incubant per-

« vasores, et tributa miseri pervasoribus solvunt. Post « mortem patris nati obsequiis juris sui agellos non « habent, et agrorum munere enecantur. Ac per hoc « nihil aliud sceleribus tantis agitur, nisi ut qui privatà « pervasione nudati sunt, publicà afflictione morian- « tur; et quibus rem deprædatio tulit, vitam tollat « exactio. »

Regula V. — Lethalis violentiæ rei sunt toparchæ seu domini, qui tenentes suos seu vassallos cogunt ut ad suum molendinum frumenta sua molenda deferant, quamvis molendinum bannale non sit. Item qui ad molendinum bannale venire cogunt homines ab eâ servitute liberos; aut molitores suos haud æquâ mensurâ uti patiuntur. — Justitiam namque simul et charitatem violant, dùm servitutem et onus imponunt liberis hominibus præter jus et consuetudinem municipalem; faventque molitorum rapacitati. Contra hujusmodi injuriam ac violentiam graviter expostulat Fulbertus Carnotensis episcopus apud Richardum Normanniæ ducem, epistolâ 14 : « Nuper ad nos venit insperata « legatio, quòd Baldricus Minister nostris hominibus « novam angariam induxerit, banniendo scilicet ut « irent ad Molendinum S. Audoeni, quinque leucis, ut « fertur, ab eorum hospitiis remotum. Si hæc, optime « princeps, vestro jussu, quòd minimè credimus, facta « sunt, plurimùm vestri causâ dolemus, et ut corri- « gantur, suppliciter postulamus. » Paris violentiæ rei sunt, qui compellunt homines absque legitimo titulo, aut præscriptâ consuetudine ut ad furnum suum coquendum panem, aut ad torcular premendas uvas, aut poma vel olivas deferant; jus enim molendini, furni, aut torcularis bannalis seu bannarii nemini competit, nisi municipali jure aut præscriptâ et immemoriali consuetudine, aut concessione principis, aut liberâ pactione ab incolis initâ cum domino. Cæterùm « longi « temporis consuetudinem vicem servitutis obtinere, si « possessor nec vi, nec clam, nec precariò possideat, « constat ex l. 1, *Si quas*, c. tit. de Servitutibus et « Aquâ. » Quod molitores spectat, tenentur bannalium Molendinorum domini invigilare et curare ut æquâ mensurâ utantur, eorumque rapacitatem cohibere. Conniventia enim eorum vel negligentia ipsos, ut dixi, lethalis peccati reos, et restitutioni obnoxios facit, in molitorum ipsorum supplementum, si huic justitiæ officio illi defuerint.

Regula VI. — Lethalis violentiæ rei sunt nobiles, qui minis et terroribus prohibent ne ipsorum vassalli decimas capitulis, monasteriis, aut parochis debitas conducant, ut ipsis vili pretio elocentur. Et multò magis qui decimarum solutionem impediunt, vel recusant. — Gravem enim injuriam ac detrimentum inferunt Ecclesiæ libertati ac bonis; et edicta regia Caroli IX, 1571, et Henrici III, 1585, regum christianissimorum violant, quibus prohibetur viris quibuscumque nobilibus, sub pœnâ excidendi à privilegiis nobilitatis, ne directè vel indirectè, per se vel per interpositas personas, decimas, aliave jura, aut reditus ecclesiasticos conducant. Hinc sacri canones excommunicationem in eos decreverunt, qui decimarum collectionem, perceptionem, elocationem ab ecclesiasticis viris liberè fieri impedirent. Ita concilium Turonense anno 1582 : « Omnes illos cujuscumque statûs, aut conditionis exi- « stant, qui personas ecclesiasticas, aut ecclesiarum « ministros, quominùs possint decimas ad ipsos seu « eorum ecclesias pertinentes colligere, percipere, « ad firmam tradere, cui aut quibus expedire viderint, « et impedire præsumpserint quoquo modo, post in- « hibitiones et monitiones eis in generali competentes « factas, præcipimus excommunicationis vinculo gene- « raliter innodandos. » Concilium Bituricense anno 1584 : « Inquirant episcopi, archidiaconi, aut alii eo- « rum nomine visitantes in eos, qui decimas, quas de- « bent, aut in rem suam vertunt, aut quoquomodo non « solvunt, aut solvere volentes impediunt; hi autem « cujuscumque sint gradûs, aut conditionis, auctoritate « episcopi excommunicentur. Contumaces judici se- « culari denuntientur. » Concilium Burdigalense anno 1582 : « Ne per inscitiam aut oblivionem aliquis pœnas « à sacris canonibus adversùs eos decretas, qui decimas « ecclesiis, et religiosis locis, vel ex parte tantùm vel « omninò non solvunt, incurrat, parochis omnibus, et « verbi divini prædicatoribus mandamus, ut primo « quoque die Dominico Adventûs et Quadragesimæ in « suis pronis et concionibus denuntient, eos omnes « qui decimas subtrahunt, vel impediunt, excommuni- « catos esse, nec ab hoc crimine, nisi plenè restitu- « tione subsecutâ, absolvi posse. » Concilium Tridentinum, sessione 25 de Reformatione, cap. 12 : « Non « sunt ferendi, qui variis artibus decimas ecclesiis ob- « venientes subtrahere moliuntur; aut qui ab aliis « solvendas temerè occupant, et in rem suam vertunt, « cùm decimarum solutio debita sit Deo : et qui eas « dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas « invadunt. Præcipit igitur sancta synodus omnibus, « cujuscumque gradûs et conditionis sint, ad quos de- « cimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure te- « nentur, Cathedrali, aut quibuscumque aliis eccle- « siis, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè « persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impe- « diunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi « plenâ restitutione secutâ, absolvantur. » Idem decretum repetit concilium Rothomagense anno 1581.

Regula VII. — Lethalis violentiæ rei sunt nobiles, qui colonos cogunt ut censualia prædialiaque jura sibi solvant, eaque colligunt et in sua horrea transferri jubent, ante collectionem et solutionem decimarum. — Id enim vergit in Ecclesiæ injuriam et decimatorum detrimentum, jureque Canonico prohibitum est, cap. *Cùm non sit in homine*, extra, de Decimis, quod est Innocentii III, et concilii Lateranensis. « Cùm, inquit, « non sit in homine quid semen serenti respondeat, « quoniam juxta verbum Apostoli, *neque qui plantat,* « *neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat* « *Deus :* ipsum qui de mortificato semine plurimùm « fructum affert, nimis avarè quidam in decimis de- « fraudare nituntur : census et tributa, quæ interdùm « indecimata prætereunt, de frugibus primitus dedu- « centes. Cùm autem in signum universalis domini

« quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas « reservaverit; nos et Ecclesiarum dispendiis, et ani- « marum periculis obviare volentes; statuimus, ut in « prærogativam dominii generalis, exactionem tribu- « torum et censuum præcedat solutio decimarum; vel « saltem hi, ad quos census, vel tributa indecimata « pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea « per censuram ecclesiasticam decimare cogantur ec- « clesiis, quibus de jure debentur. Pluribus tandem « senatusconsultis decretum est, ut priùs decimæ « quàm prædialia censualiaque jura solverentur. »

Regula VIII. — Lethalis violentiæ conscii sunt nobiles, quorum toparchiis annexa est summâ jurisdictio, seu jus gladii, si maleficos ac sceleratos pœnis legum sanctione constitutis plecti non curent, sive ut sumptibus parcant, sive ut commodum aliquod ex patrocinio flagitiosis illis hominibus impenso consequantur. Idemque de judicibus censendum est, qui criminosos coercere ac punire negligunt, aut pœnas legibus constitutas relaxant; quod ad solos principes, nec citra causam legitimam, pertinet; aut pœnas corporales in mulctas pecuniarias convertunt. — Vim scilicet inferunt legibus, reipublicæ, privatis, quibus jus denegant, et in quos ex improborum impunitate gravissima in dies incommoda derivantur. Divinum etiam mandatum violant, Exodi 20 scriptum : *Maleficos non patieris vivere.* Et Levitici 19 : *Auferes malum de medio tui; non parcet oculus tuus ut miserearis.* Et Prov. 17 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Præterea, « non « frustra instituta sunt potestas regis, jus gladii cogni- « toris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina do- « minantis, severitas etiam boni patris. Habent ista « omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc « cùm timentur, et coercentur mali, et quietiùs inter « malos vivunt boni; non quia boni pronuntiandi sunt, « qui talia metuendo non peccant, non enim bonus « est quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ; ve- « rumtamen non inutiliter etiam metu legum humana « coercetur audacia, ut et tuta sit inter improbos in- « nocentia, et in ipsis improbis dùm formidato suppli- « cio frenatur facultas, invocato Deo sanetur volun- « tas; » inquit S. Augustinus, Epistolâ 153, aliàs 54. Hæc autem inania reddunt, quantùm in ipsis est, toparchæ jus gladii habentes, cùm maleficos pœnis legum sanctione constitutis plecti non curant; et judices, qui sceleratos comprimere ac punire negligunt; aut pœnas legibus constitutas relaxant; aut pœnas corporales in mulctas pecuniarias convertunt. Denique « sicut non est beneficentiæ adjuvando efficere, ut bo- « num quod majus est amittatur; ita non est innocen- « tiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. « Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm ne- « mini malum inferre, verùm etiam cohibere à pecca- « to vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur, « corrigatur experimento, aut alii terreantur exem- « plo; » inquit S. Augustinus, lib. 19 de Civitate Dei, cap. 16.

Furti et cujuslibet damni proximo illati conscios esse, et restitutionis lege teneri qui non obstant, non reprehendunt, non puniunt, « quando incumbit illis « ex officio, sicut principibus terræ, qui propter hoc « potestate publicâ potiuntur, ut sint justitiæ custo- « des, » docet S. Thomas, 2-2, quæst. 62, art. 7 ad tertium; edicti etiam Blesensis art. 196. Toparchis jurisdictiones summas, seu jus gladii habentibus præceptum est, ut in maleficos inquiri, ipsosque in carcerem detrudi, et secundùm leges plecti curent, sub pœnâ jurisdictionis amittendæ.

Regula IX. — Lethalis violentiæ conscii sunt judices, qui pauperes, pupillos, viduas, quibus succurrere possunt, et tenentur ex officio, à magnatibus opprimi patiuntur. — Istud violentiæ genus Dominus detestatur, Isaiæ 1 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum : Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Et Jeremiæ 6 : *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus; aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea?* Hinc Ecclesiastici 4 præcipit Deus : *Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi : et non acidè feras in animâ tuâ. In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro illorum; et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quàm mater.* Scilicet : « Religio « munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc « est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eo- « rum, » inquit S. Jacobus, Epistolæ suæ catholicæ, cap. 1; pupillorum preces, et viduarum gemitus ad Dominum clamant, non solùm contra magnates et potentes qui ipsos opprimunt, sed etiam contra judices, qui ipsis non succurrunt legum præsidio, cùm possint, et ex officio teneantur. Ecclesiastici 35 : *Non accipiet Dominus personam in pauperem, et deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitûs. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxillâ enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

Regula X. — Lethalis violentiæ rei sunt judices, qui recusationem, aut appellationem, quam debent, non admittunt. Ejusdem criminis rei sunt iniquè appellantes. — Hæc regula colligitur et firmatur ex cap. *Super eo,* et ex cap. *Consuluit,* 18. Extra, *de Appellationibus;* item ex cap. *Proposuit,* 24, ibidem, cap. *Postremò,* 36, sub eodem titulo. Item cap. *Secundò requiris,* § *Consultationi.;* et aliis decretalibus quibus, sub eodem titulo, casus declarantur in quibus judicem recusare, vel ab eo appellare liceat. Item ex l. *Apertissimi,* c. tit. *De judiciis,* item ex l. *Appellatione,* l. *Litigatoribus,* l. *Judicibus,* aliisque c. tit. de Appellationibus et Consultationibus. Verùm et lethalis sæpè violentiæ rei sunt iniquè appellantes, conscii verò supremi judices, qui malè appellantes non plectunt, ut appellationum abusum resecent. Hinc S. Bernardus, lib. de Consideratione, cap. 2, sic Eugenium pontificem alloquitur : « Formulam hanc justitiæ præfigit tibi et di-

« vinæ incommutabilis ratio æquitatis, et, ni fallor, ipsa « appellationum lex, ut illicitè usurpata appellatio nec « prosit appellanti, nec appellato obsit. Ut quid enim « frustra fatigatus sit homo? Quàm plenum justitiæ, « ut sese potius læserit, qui voluit proximum? Appel- « lâsse iniquè, iniquum est; iniquè et impunè, ini- « quarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis « appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Ap- « pellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appel- « landum à sententiâ; ante sententiam improbè om- « ninò, nisi ob manifestum gravamen, præsumitur « appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet « quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non « est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quan- « tos novimus appellâsse pulsatos, quò interim liceret, « quod nunquàm licet. Nonnullis etiam, quoad vixe- « runt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, « verbi gratiâ, incestum, adulterium. Quale est hoc, « turpitudini patrocinari, quod vel maximè formidari « à turpibus oportebat? Quousque murmur universæ « terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque « dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua « ad tantam appellationum confusionem atque abusio- « nem? Præter jus et fas, præter morem et ordinem « fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa « discernitur aut persona. Præsumuntur leviter pas- « sim, plerumque et nequiter. Volentes malignari, « nonne his potissimùm terreri solebant? Nunc ter- « rori ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antido- « tum versum in venenum, non mutatio dexteræ Ex- « celsi hæc. Appellantur boni à malis, ut non faciant « bona, et supersedent à voce tonitrui tui formidantes; « denique appellantur episcopi ne illicita audeant ma- « trimonia solvere vel prohibere. Appellantur, ne ra- « pinas, ne furta, ne sacrilegia, et quæ ejusmodi sunt, « punire ullatenùs vel cohibere præsumant. Appellan- « tur, ne indignas et infames personas à sacris officiis « beneficiisve repellere seu amovere queant. Quod tu « invenis remedium morbo huic, ne quod repertum « ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus « est Dominus domum orationis factam speluncam la- « tronum; tu ejus minister dissimulas miserorum re- « fugium datum arma iniquitati. Videas præripi pas- « sim partes oppressorum, et prorumpere ad appel- « landum non tam gravatos, quàm gravare volentes. »

Hinc S. Thomas, 2-2, quæstione 69, articulo 3: « Duplici de causâ, inquit, contingit aliquem appellare. « Uno quidem modo confidentiâ justæ causæ; quia « videlicet injustè à judice gravatur; et sic licitum est « appellare; hoc enim est prudenter evadere. Alio « modo aliquis appellat causâ afferendæ moræ, ne « contra eum justa sententia proferatur: et hoc est « calumniosè se defendere. Facit enim injuriam et ju- « dici, cujus officium impedit; et adversario suo, cu- « jus justitiam, quantum potest, perturbat. Et ideo « sicut dicitur, causâ 2, quæst. 6, canone *Omninò*, ex « legibus Theodosii accepto, omnimodè puniendus est, « cujus appellatio injusta pronuntiatur. »

Regula XI. — Lethalis violentiæ et rapinæ rei sunt Publicani, qui aliquid exigunt et extorquent, præter id quod ipsis à rege vel à republicâ constitutum est. — Violant enim divinum mandatum ipsis à S. Joanne Baptistâ significatum, cùm ex illis quidam ad Baptismum accederent: *Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Hinc pœnæ in ipsos, si quid ultra exegerint, vel extorserint, jure civili decretæ. l. *Locatio*, Digest. lib. 39, tit. 4, de Publicanis, et Vectigalibus, Paulus jurisconsultus ait: « Quod illi « citè publicè privatimque exactum est, cum altero « tanto passis injuriam exsolvitur; per vim verò ex- « tortum, cum pœnâ tripli restituitur. Ampliùs extra « ordinem plectuntur; alterum enim utilitas privato- « rum, alterum vigor disciplinæ postulat. » Et l. *Si Provincialium*, tit. de Vectigalibus et Commissis, c. lib. 4: « Si Provincialium nostrorum querela de con- « ductorum aviditate extiterit, et probatum fuerit ul- « tra antiquam consuetudinem, et nostræ terminos « Jussionis aliquid eos profligâsse, rei tanti criminis « perpetuo exilio puniantur. »

Regula XII. — Lethalis violentiæ rei sunt, qui pauperibus suas domos, vel agros adhibitâ vi adimunt, aut vendere cogunt, etiam justo pretio. — Primam hujus regulæ partem, quamvis per se manifestam, probat illud Michææ prophetæ oraculum, cap. 2: *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris; in luce matutinâ faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et rapuerunt domos, et calumniabantur virum, et domum ejus, virum, et hæreditatem ejus. Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum; unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.* Et Proverb. 23: *Ne attingas parvulorum terminos, et agrum pupillorum ne introeas; propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum.*

Secundam verò partem nostræ regulæ confirmat historia regis Achab, qui Nabuthis vineam concupiscens, hortis suis amplificandis opportunam, et regiæ conjunctam, ipsum cogere voluit ut eam venderet justo pretio, ac negantem crudelis Jezabel uxor ejus oppressit. 3 Regum, cap. 21: *Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum oleorum, quia vicina est, et propè domum meam, daboque tibi pro eâ vineam meliorem; aut, si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth..... Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et benè regis regnum Israel. Surge et comede panem, et æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth.* Mox crudelis Jezabel Nabuthem falsis testimoniis oppressum lapidari jussit, necisque illius accepto nuntio, dixit regi: *Surge et posside vineam Naboth, qui noluit tibi acquiescere, et dare eam tibi, acceptâ pecuniâ.* Statim surrexit Achab, vineæ possessionem ut iniret, cui, Deo jubente, occurrit Elias propheta, dicens: *Hæc dicit Dominus: Occi-*

*disti, insuper et possedisti.* Quam historiam expendens S. Ambrosius, lib. De Nabuthe, cap. 9, ait : « Utinam « non approperes rapinam ; utinam quod concupieris, « non extorqueas ; utinam alienum non petas, negatum « prætermittas, excusatum patienter feras, non audias « illam Jezabel, quæ est avaritia, quodam profluvio va- « nitatis dicentem : Ego tibi dabo possessionem quam « desideras. Tu tristis es, quia vis mensuram consi- « derare justitiæ, ut alienum non eripias ; ego habeo « mea jura, habeo meas leges ; calumniabor ut spo- « liem ; et ut possessio pauperis eripiatur, vita pul- « sabitur. Quid enim aliud in illâ historiâ, nisi divi- « tum avaritia describitur, quâ est vanum profluvium, « quod omnia fluvii modo rapiat, et nulli usui profu- « tura transducat ? Hæc est Jezabel non una, sed mul- « tiplex, non unius temporis, sed temporum pluri- « morum ; hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro « suo Achab : *Surge, manduca panem, et redi ad te :* « *ego tibi dabo vineam Nabuthe Jezraelitæ.* »

Idem confirmat S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 87, in Matthæum. « Noli, inquit, dicere : Quid est « si rem proximi desiderabo ? Hoc enim Achab regem « perdidit. Nam quamvis pretium dederit, verumtamen « quia à nolente accepit, pœnas luit. Emptor enim non « cogere, sed persuadere debet. Quòd si verò æquum « pretium persolvens tanto supplicio affectus est ; qui « nullo pretio dato aliena rapit, præsertim cùm gratiæ « documentis sit roboratus, quam punitionem non me- « retur ? » Denique concilium Arelatense VI, canone 23, vetat « ne comites, vel vicarii, seu judices vel cen « tenarii sub malâ occasione vel ingenio res paupe- « rum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argu- « mento subripiant ; sed si cui aliquid possessionum « emendum et vendendum sit, id in publico coram « comite, et judicibus, et nobilibus civitatis facere « debebit. »

Regula XIII. — Lethalis violentiæ rei sunt, qui proximo de usu luminis in domibus suis lites injustas intentant, easque demoliri cogunt. — Hæc regula colligitur ex S. Augustino, sermone 50, aliàs de Diversis 15 : « Plerùmque, inquit, homines de usu solis et lu- « minis in ædificiis suis lites injustissimas concitant ; « et ut fenestris suis radii liberiores aliquantò largiùs « infundantur, domos alienas dejicere sæpè moliun- « tur ; et eos qui contradixerint, etiamsi jure certis- « simo contradicant, inimicitiis acerbissimis insectan- « tur. Si quem igitur infirmorum potentior aliquis in- « justè ac nefariè propter usum solis oppresserit, « diripuerit, in exsilium etiam mortemve compulerit, « solis est crimen, quo ille abundantiùs uti desiderat, « an potiùs malè utentis iniquitas, qui dùm cupit cor- « poris oculis temporale lumen largiùs acquirere, cu- « biculum cordis luci non aperit æquitatis ? »

Regula XIV. — Lethalis violentiæ rei sunt, qui alicujus ecclesiæ, seu beneficii secularis vel regularis, aut cujuslibet pii loci jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu quâcumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, et usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur. Ejusdem criminis rei sunt, qui defunctorum oblationes et pia legata intervertunt, retinent, vel ecclesiis aut aliis piis locis tradere differunt. — Adversùs hos omnes excommunicationis pœnam sacri canones decernunt, donec restitutis rebus, ecclesiam vel ejus administratorem aut beneficiatum, indemnem reddiderint. Ita concilium Aurelianense V, canone 13, hujusmodi homines *Necatores pauperum* appellans, Valense I, canone 4 ; Turonense II, canone 25 ; Moguntinum sub Leone IV, canonibus 6 et 11 ; Arvernense, canone 4 ; Meldense, canone 40 ; Nicænum 2 ; Œcumenicum, canone 13 ; Troflejanum, canone 4 ; cujus hæc sunt verba : « Res et facultates Ecclesiæ sunt vota fidelium, « pretia peccatorum, patrimonia pauperum ; si quis « illas rapuerit, damnationis Ananiæ et Saphiræ par- « ticeps erit : et oportet hujusmodi tradere Satanæ in « interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Do- « mini..... Ergo et nos congregati cum Spiritu sancto, « sicut Jeremias peccatorem populum quadruplici « planxit alphabeto, sic et nos sacrilegos Dei et Eccle- « siæ contemptores percutiamus quadruplici anathe- « matis maledicto. Sit eis clausa porta cœli, aperta « janua inferni, cum nullo Christiano partem habeant « omninò vel societatem ; sed et de reliquiis ciborum « illorum nihil detur pauperibus, quin potius proji- « ciatur canibus, donec per dignam et humilem pœni- « tentiam et congruam emendationem, lætificent Ec- « clesiam, quam per sacrilegia et nefanda scelera « exacerbaverunt. » Concilium Lateranense III Œcumenicum, canone 2, et concilium Tridentinum, cujus penè verbis regula concepta est, pœnam excommunicationis in violentos illos rerum ecclesiasticarum invasores et detentores pariter decernunt. Ejusmodi violentia casus est Romano pontifici reservatus, secundùm Tridentinam synodum. Si Ecclesiæ patronus hoc in crimen incurrat, etiam jure patronatûs præterea privatus ipso facto existet. Clericus verò nefandæ fraudis et usurpationis auctor vel conscius eisdem etiam pœnis subjacebit, omnibusque beneficiis insuper excidet, atque ad alia beneficia perpetuò fiet inhabilis, et ab ordinum suorum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui ordinarii arbitrio suspendetur.

Regula XV. — Lethalis violentiæ rei sunt divites, qui suis opibus et auctoritate freti, pauperes ad tribunalia judicum trahunt, corruptisque pecuniâ vel favore judiciis, opprimunt et spoliant ; aut lites pauperibus intentatas malis artibus ita protrahunt, ut ab iis persequendis omninò desistere cogantur. Aut minis et incusso terrore impediunt ne à pauperibus sua repetentibus in jus ipsi vocentur. — Hæc violentiæ genera verbo Dei damnantur. Ecclesiastis 5 : *Si viaeris calumnias egenorum, et violenta judicia et subverti justitiam in provinciâ, non mireris super hoc negotio ; quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque emi-*

*nentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti.* Job. 31 : *Si contempsi subire judicium cum servo meo, et ancillâ meâ, cùm disceptarent adversùm me, quid enim faciam, cùm surrexerit ad judicandum Deus? Et cùm quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, et formavit me in vulvâ unus?* Quem locum expendens S. Gregorius, libro 21 Moralium, cap. 10, ait : « Quis « dignè considerare valeat hujus viri tam sublimia « virtutum moderamina? In quo tanta est auctoritas « regiminis, ut ad silentium restringantur duces; « tanta humilitas cordis, ut ex æquo ad judicium ve- « nire permittantur ancillæ. Ex quo apparet miro « modo in potestate principibus potentius in certa- « mine servis æqualis; in cœtu principum memor re- « giminis, in certamine famulorum memor conditio- « nis. Se quippe sub vero Domino famulum conspicit, « ideòque cordis altitudine se super famulos non extol- « lit. Qui venturum judicem cogitat, indesinenter « quotidiè rationum suarum in melius causas parat; « quia dùm æternum Dominum tremore cordis intue- « tur, jura temporalis dominii super subjectos mode- « rari compellitur. Perpendit enim nil esse quod tem- « poraliter præest cæteris, quando illi ad reddendam « rationem subest, qui sine fine dominatur..... Unde « beatus Job, quia ejus judicium, qui super omnia « est, metuit, hìc ad temporale judicium famulis « æqualis venit. Qui ut semper cor in humilitate de- « primat, nequaquàm in eisdem famulis conspicit, « quòd sibi status est dispar, sed quòd natura com- « munis. *Numquid non in utero fecit me, qui et illum « operatus est? et formavit in vulvâ unus?* Ac si apertè « dicat : Cur non æquè debeamus in cujuslibet nego- « tii judicio discuti, qui per Conditoris potentiam su- « mus æqualiter facti? » Id confirmat S. Jacobus, Epistolæ catholicæ, cap. 2 : « Vos autem exhonorâstis « pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt « vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? »

Regula XVI.—Lethalis violentiæ rei sunt magnates, nobiles et potentes quilibet viri, ac magistratus, qui subditos suos, vel alios collocare cogunt in matrimonium filias suas, neptes, aut pupillas, liberis, amicis, aut servis suis; aut quovis modo directè vel indirectè aliquem vel aliquam cogunt quominùs matrimonium liberè contrahat.— Violentia enim hujusmodi juri naturali adversatur, quod matrimonii libertatem vindicat; quam qui violaverint, excommunicatione secundùm sacros canones percelluntur, etiamsi regiam auctoritatem ad obtinendam puellam adhibuerint, ut constat ex can. *Nullus*, causâ 36, quæst. 2, qui concilii Parisiensis III, canon sextus est, et ex concilii Aurelianensis IV canone 22. Contra hoc violentiæ genus decretum edidit sacra synodus Tridentina, sessione 24, de reformatione Matrimonii, cap 9, his verbis : « Ita plerumque temporalium dominorum et magi- « stratuum mentis oculos terreni affectus atque cupi- « ditates excæcant, ut viros et mulieres sub eorum « jurisdictione degentes, maximè divites, vel spem « magnæ hæreditatis habentes, minis et pœnis adi- « gant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos « ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. « Quare cùm maximè nefarium sit matrimonii liberta- « tem violare, et ab eis injurias nasci, à quibus jura « expectantur, præcipit sancta synodus omnibus, cu- « juscumque gradûs, dignitatis, et conditionis exi- « stant, sub anathematis pœnâ, quam ipso facto in- « currant, ne quovis modo directè vel indirectè sub- « ditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo- « minùs liberè matrimonia contrahant. » Idem sanxerunt concilium Rothomagense anno 1581, tit. de Matrimonio, cap. 13; Remense 1583, eodem titulo, cap. 6; Turonense eodem anno, cap. 9; Aquense 1585, sub eodem titulo. Carolus IX, rex christianissimus, edicto Aurelianensi, et Henricus III, edicto Blesensi, contra hujusmodi violentiæ auctores ceu contra raptores in judicio agi, atque illos è nobilium albo expungi sanxerunt; etiamsi ad puellas rapiendas et sequestrandas regias litteras aut mandata importunis precibus, vel per obreptionem impetraverint.

Cæterùm quod pœnam excommunicationis spectat, sacra congregatio concilii Tridentini interpres illam à concilio latam non esse declaravit in privatas personas, quæ directè vel indirectè cogerent aliquem quò minùs matrimonium liberè contrahat, sed tantùm in dominos temporales et magistratus cujuscumqne gradûs et conditionis, ut refert Fagnanus, in 4 Decretalium, in cap. *Insinuante*, tit. *Qui clerici vel voventes*, etc.

Regula XVII.—Lethalis violentiæ rei sunt parentes, et alii quicumque qui suos liberos, vel alios, ad Monasticum Habitum suscipiendum, et ad Religiosam Professionem emittendam, vel adhibitâ vi, vel incusso metu adigunt.—Libertatem enim ipsis adimunt, in quam jus non habent, præsertim cùm agitur de vitæ statu deligendo, in quo ad mortem usque perseverare necesse est. Hinc S. Gaudentius Brixiensis episcopus, sermone 8, parentes *imperare perpetuam continentiam* non posse ait; *quia res esse noscitur voluntatis*; et hæc Apostoli verba : *Qui dat Virginem suam benè facit, et qui non dat melius facit*, non parentibus virginum, *quos constat alienæ voluntatis arbitrio dominari non posse*, sed unicuique hominum dicta interpretatur, cui optio data sit, « ut virginem suam, hoc est, car- « nem suam, virginem natam aut integritati conser- « vet, meliorem partem liberumque eligens; aut ag- « nità conditione, nuptui eam (si se non contineat) « tradat. » Hinc Carolus Magnus, in Capitulari secundo anni 811, cap. 10, quærit « in quo canonum, vel in « cujus sancti Patris regulâ constitutum sit, ut invitus « quislibet aut clericus aut monachus fiat; aut ubi « Christus præcepisset, aut quis Apostolus prædicâs- « set, ut de nolentibus et invitis et vilibus personis « congregatio fieret in Ecclesiâ vel canonicorum vel « monachorum? » Quamobrem concilium Tridentinum, sessione 25, de *Regularibus et Monialibus*, cap. 18, « anathemati subjicit omnes et singulas personas, « cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam « clericos quàm laicos, seculares vel regulares, at-

« que etiam quâlibet dignitate fulgentes, si quomodo-« cumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, « aut aliam quamcumque mulierem invitam, præter-« quàm in casibus à jure expressis, ad ingrediendum « monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujus-« cumque religionis, vel ad emittendam professionem; « quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; « quique scientes eam non spontè ingredi monaste-« rium, aut habitum suscipere, aut professionem « emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, « vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. »

Regula XIX. — Lethalis violentiæ rei sunt, qui ab habitûs religiosi susceptione, vel solemni Votorum nuncupatione, absque justâ causâ, aliquem impedierint. — Hanc regulam sacri canones pariter confirmant, cùm in hujusmodi violentiæ reos excommunicationem decernunt. Ita concilium Toletanum III, canone 10: « Pro consultu castitatis, quod maximè « hortamento concilii proficere debet, annuente do-« mino nostro gloriosissimo Reccaredo rege, hoc « sanctum affirmat concilium, ut viduæ, quibus pla-« cuerit tenere castitatem, nullâ vi ad nuptias ite-« randas venire cogantur. Quòd si priusquàm profi-« teantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, « quos propriâ voluntate elegerint habere maritos. « Similis conditio et de virginibus habeatur, ne citra « voluntatem parentûm vel suam cogantur maritos « accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ « vel virginis impedierit, à sanctâ communione et à « liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus. » Puellam vel adolescentem, ætate religiosæ professionis legitimâ, quæ olim duodecim annorum fuit, ex hodiernâ verò disciplinâ sexdecim, parentes vel tutores à religiosâ professione impedire jure non posse, statutum est, can. Puella, causâ 20, quæst. 1, qui concilii Triburiensis canon vigesimus quartus est : « Puella, « si ante duodecim annos ætatis sponte suâ sacrum « sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes « ejus vel tutores id factum irritum facere, si vo-« luerint. At si annum et diem id dissimulando consen-« serint, ulteriùs nec ipsi, nec ipsa mutare hoc po-« terunt. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel « adolescens servire Deo elegerit, non est potestas « parentum prohibendi. » Denique concilium Tridentinum loco supra laudato, *anathemati subjicit eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justâ causâ, impedierint.*

Cæterùm quàm graviter à Deo puniendi sint homines violenti, Spiritus sanctus docet, Job 27 : *Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient : Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt. Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet. Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum. Dives cùm dormierit, nihil secum auferet. Aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. Et mittet super eum, et non parcet : de manu ejus fugiens fugiet. Stringet super eum manus suas, et sibilabit super illum, intuens locum ejus.* Et Sapientiæ 6 : *Audite, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ. Præbete aures, vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est à Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur : quoniam cùm essetis ministri illius, non rectè judicâstis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulâstis. Horrendè et citò apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.*

### Articulus IX.

*De obduratione contra misericordiam.*

Regula prima. — Lethalis obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui pauperibus pecuniam mutuo dare, nisi sub fœnoris sive usurarum conditione, renuunt : vel in extremâ necessitate constitutis dare mutuum nolunt, quòd nulla spes recuperandæ sortis affulgeat. — Illi enim Dei mandatum prohibentis usurarum exactionem, præsertim à pauperibus, violare non verentur. Expressum illud est Exodi 22 : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Et Levitici 25 : *Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti.* Deuteronomii 15 : *Si unus de fratribus tuis, qui non morantur intra portas civitatis tuæ in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit : non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus annus remissionis : et avertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare : ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei : nec ages quippiam callidè in ejus necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris.* Quòd si Judæis præceptum erat popularibus suis indigentibus, dare mutuum gratis, etiam desperatâ sorte ob annum sabbaticum imminentem, multò magis Christianis, quos novi Testamenti gratia ad majorem, quàm Judæos, obligat perfectionem, præceptum est ut proximo ad extremam inopiam redacto, mutuum dando gratis, desperatâ etiam sortis recuperatione, succurrant. Quod quidem ex Ecclesiastici cap. 29 confirmatur : *Qui facit mise-*

*ricordiam, fœneratur proximo suo : et qui prævalet manu, mandata servat. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius..... Multi non causâ nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt. Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro eleemosynâ non trahas illum. Propter mandatum assume pauperem : et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum : et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum in præceptis : et proderit tibi magis quàm aurum.* Denique Christus, Lucæ 6, Evangelica præcepta tradens : *Et si*, inquit, *mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia... Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.* Quem locum explicans S. Ambrosius, lib. de Tobiâ, ait : « Date mutuum iis « à quibus non speratis vos, quod datum fuerit, recepturos. Nullum hìc damnum est, sed compendium. « Minimum datis, multùm recipietis : in terrâ datis, « et id vobis solvetur in cœlo : fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis : fœneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi : eritis misericordes, qui « vos Patris æterni probetis hæredes. Sed fœneratorum vos delectat et usurarum vocabulum. Id quoque « non invideo. Docebo quomodò boni fœneratores esse « possitis, quomodò bonas quæratis usuras. Dicit Salomon, Proverb. 19 : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi : secundùm datum autem ejus retribuet ei.* Ecce bonum fœnus de malo factum est : ecce irreprehensibilis fœnerator, usura laudabilis. Nolite « ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quòd hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum « demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate « ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. « Ille adstringitur et tenetur; ille scribit quicquid egenus acceperit : Evangelium ejus cautio est : ille promittit pro omnibus indigentibus; ille dicit fidem, « quid dubitatis dare! Si quis vobis dives hujus seculi « offeratur, qui fide promittat suâ pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam : pauper est vobis « Dominus cœli et Conditor mundi hujus; et adhuc « deliberatis quem ditiorem quæratis fide jussorem. » Verùm de usuris uberiùs agemus capite sequenti.

Regula II. — Lethalis obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui rem pauperum usibus necessariam ab illis in pignus accipiunt, ac diu retinent. — Peccant enim contra divinum mandatum, Deuteronomii 24 : *Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam : quia animam suam opposuit tibi... Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas : Sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum : ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo.... Nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.* Et Exodi 22 : *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* L. *Executores*, C. lib. 8, tit. *Quæ res pignori obligari possunt*, Constantinus imperator prohibet sub gravi pœnâ, ne boves aratorii, aut aratorium instrumentum pignoris causâ à creditoribus abstrahantur. L. *Pignorum*, ibidem, Honorius et Theodosius imperatores ita decernunt : *Pignorum causâ aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit.*

Regula III. — Lethalis obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui frumenta necessitatis tempore comprimunt, faciuntque ut suâ culpâ charior ac durior sit annona. — Peccant enim gravissimè contra charitatem et justitiam. Hinc Proverbiorum cap. 11, Spiritus sanctus ait : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium.* Populi autem adversùs hujusmodi homines imprecatio, divinam in eorum capita maledictionem trahit, secundùm illud Ecclesiastici 4 : *Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram : et non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere : maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exauditur deprecatio illius : exaudiet autem eum qui fecit illum.* Temporali simul et æternâ maledictione immanes illos annonæ flagellatores, ex calamitate publicâ lucra captantes, à Deo configi, testis est S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 39 in Epistolam 1 ad Corinthios : « Sicut, inquit, isti à curculione exesum fru« mentum, et inutile redditum, projiciunt in amnes : « ita eos à quibus id est factitatum, propter hoc ipsum « inutiles factos Deus in stagnum ignis projiciet. Sicut « enim frumentum arrodit curculio et vermis; ita im« piorum animas exedit crudelitas et immanitas. » Hujus criminis gravitatem ostendit S. Ambrosius, lib. 3 de Officiis, cap. 6 : « Non vincat, inquit, honestatem « utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilita« tem, quæ æstimatur secundùm vulgi opinionem. « Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. San« ctus in negotiationem introïsse se negat, quia pre« tiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed « versutiæ est. Et alius ait : *Captans pretia frumenti,* « *maledictus in plebe est.* Definita est sententia, nihil « disputationi relinquens. » Mox inanes eorum qui frumenta comprimunt excusationes refellit. « Aravi, « inquiunt, studiosiùs, uberiùs seminavi, diligentiùs « excolui, bonos collegi proventus, sollicitus recon« didi, servavi fideliter, providè custodivi. Nunc in « tempore famis subvenio esurientibus; vendo fru« mentum non alienum, sed meum, non pluris quàm « cæteri, imò etiam minori pretio. Quid hìc fraudis « est, cùm multi possent periclitari, si non haberent « quod emerent? Num industria in crimen vocatur? « Num diligentia reprehenditur? Num providentia vi« tuperatur? Fortassè dicat : Et Joseph frumenta in « abundantiâ collegit, in charitate vendidit. Num cha« rùs aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur « emptori? Omnibus defertur emendi copia, nulli ir« rogatur injuria. » Quas avarorum hominum ratiun-

culas nullius esse momenti ad eorum duritiem excusandam sic ostendit : « Cur ad fraudem convertis naturæ indulgentiam? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, recondente frumentum, optant potiùs nihil nasci, quàm te de fame publicâ negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilior proventus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil usquàm nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseriâ congeris opes : et hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est? Et hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ? Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquàm latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur pretium tanquàm sorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur usura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris malè omnibus, quia major futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infœcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit : nec pretia captavit annonæ, sed perenne subsidium collocavit : nihil sibi acquisivit; sed quemadmodùm fames etiam in posterum vinceretur, providâ ordinatione disposuit. » Denique legibus etiam civilibus pœnæ decretæ sunt adversùs immanem avaritiam hominum vexantium et comprimentium annonam, quos *Dardanarios* vocant. His scilicet negotiatione interdicitur, interdùm et relegandos esse pronuntiatur, humiliores verò ad opus publicum damnandos, l. *Annonam*, tit. *de extraordinariis Criminibus*, lib. 47 *Digestorum*. Cùm verò in omnibus gravissimum sit id crimen, tum maximè in clericis execrandum est. Quamobrem consultissimè statutum est à concilii Cabilonensis II Patribus, canone 8 : « Ut si quando sacerdotes fruges vel quosdam reditus terræ congregant, et protelant; non ideò hoc faciant, ut chariùs vendant, et thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant. »

Sed et Carolus Magnus in Capitulari Noviomagensi anni 806, cap. 18, eâ de re ita statuit : « Quicumque tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, verbi gratiâ, de duobus denariis comparat modium unum, et servat usquedùm iterùm venumdari possit contra denarios quatuor aut sex seu ampliùs, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter necessitatem comparat, ut sibi habeat et aliis tribuat, negotium dicimus. »

Regula IV. — Lethalis obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui peregrinos tempore famis urbe expellunt, si satis annonæ suppetat, vel comparari possit, ut iis simul et indigenis subveniatur. — Hanc regulam tradit S. Ambrosius, lib. 3 de Officiis, cap 7 : « Sed et illi, inquit, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquàm probandi : expellere eo tempore quo deberent juvare, separare commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare, inita jam consortia vivendi averruncare : cum quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ non expellunt feras, et homo excludit hominem! Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adjuvant; homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quicquid humani est. Quantò ille rectiùs, qui cùm jam provectâ processisset ætate, et famem toleraret civitas, atque (ut in talibus solet) peterent vulgò ut peregrini urbe pellerentur, præfecturæ urbanæ curam cæteris majorem sustinens, convocavit honoratos et locupletiores viros, poposcit ut in medium consulerent, dicens : Quàm immane esset peregrinos ejici, quàm hominem exuere, qui cibum morienti negaret? Canes ante mensam impastos esse non patimur, et homines extrudimus? Quàm inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes? Quantos urbi suæ perire, qui solerent adjumento esse vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis? Neminem fame alienâ juvari : protrahere ut plurimùm diem posse, non inopiam repellere : Imò tot cultoribus extinctis, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueverunt? Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate paverunt. Quanta sunt quæ ab ipsis nobis hoc tempore ministrantur? Non in solo pane vivit homo. Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus quod accipimus. Sed veremur ne cumulemus inopiam. Primùm omnium misericordia nunquàm destituitur, sed adjuvatur. Deinde subsidia annonæ, quæ hìc impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Numquid his deficientibus, non alii nobis redimendi cultores videntur? Quantò vilius est pascere, quàm emere cultores?..... Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam urbis minuit, et peregrinis alimoniam submistravit. Quantæ hoc commendationis apud Deum fuit sanctissimo seni? Quantæ apud homines gloriæ? Hic magnus verè probatus, qui verè potuit imperatori dicere, demonstrans provinciæ totius populos : Hos tibi omnes reservavi, hi vivunt beneficio tui senatûs, hos tua curia jam morti abstulit. Quantò hoc utilius, quàm illud quod proximè Romæ factum est, ejectos esse urbe amplissimâ, qui jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates? Et certè arriserat anni fœcunditas, invectitio urbs sola egebat frumento :

« potuissent juvari, si peterent ab Italis frumentum, « quorum filii expellebantur. Nihil hoc turpius exclu- « dere quasi alienum, et exigere quasi suum. Quid « illum ejicis, qui de suo pascitur? quid illum eji- « cis, qui te pascit? Servum retines, trudis pa- « rentem! Frumentum suscipis, nec affectum im- « partis! Victum extorques, nec rependis gratiam! « Quàm deforme hoc, quàm inutile! Quomodò enim « potest utile esse, quod non decet! Quantis corpora- « torum subsidiis dudùm Roma fraudata est? Potuit « et illos non amittere, et evadere famem, expectatis « ventorum opportunis statibus, ac speratarum com- « meatu navium. Quàm verò illud superius hone- « stum atque utile! Quid enim tam decorum atque « honestum, quàm collatione locupletum juvare egentes, « ministrare victum esurientibus, nulli cibum defore?»

Regula V.—Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est, qui pauperibus in extremâ necessitate constitutis non erogat eleemosynam, tum ex superfluis naturæ, id est, ex iis sine quibus se suamque familiam sustentare potest; tum ex necessario personæ seu statûs, id est, sine quo retinere ac servare non potest decorum ac decentiam suæ conditionis sive dignitatis.—Extremam necessitatem dicimus, ad quam qui redactus est, in manifestum mortis periculum adducitur, vel probabiliter et ex prudentûm judicio creditur moriturus, nisi quis illi subveniat. Id ubi cognoverit Christianus sive per se, sive ex testium fide dignorum relatione, tenetur ipsi subvenire. Peccat alioqui contra præceptum charitatis, ab Apostolo Joanne Epistolâ 1, cap. 3, promulgatum: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Ordo certè charitatis postulat, ut proximi vitam magis quàm statûs nostri decorum diligamus. Si enim decentiam sacris Mysteriis debitam imminuendam censuerunt SS. Patres, et aurea argenteaque vasa in quibus conficiuntur Christi corpus et sanguis, frangenda, conflanda et distribuenda pauperibus in extremâ necessitate constitutis, vel captivis redimendis impendenda; quâ de re egregius exstat apud S. Ambrosium locus, lib. 2 de Officiis, cap. 28; minimè dubium est quin Christiani quilibet statûs sui decentiam imminuere teneantur, et ad tempus abdicare, ut pauperibus in extremâ necessitate constitutis subveniant. Hinc S. Gregorius, Homiliâ 20 in Evangelia, explicans illa S. Joannis Baptistæ verba, Luc. 3: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat*, ait: « Per hoc quòd tunica plus est necessaria usui nostro « quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ per- « tinet, ut non solùm exteriora quæque et minùs ne- « cessaria, sed ipsa valdè nobis necessaria dividere « cum proximis debeamus, scilicet, vel escam quâ « carnaliter vivimus, vel tunicam quâ vestimur. Quia « enim in Lege scriptum est: *Diliges proximum tuum « sicut te ipsum*, minùs proximum amare convincitur, « qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ « sibi sunt necessaria partitur.» Homicidii certè reus est, qui pauperi ad eas angustias redacto non succurit, secundùm illud Lactantii, lib. 6 divinarum Institutionum, cap. 11: « Largire cæcis, debilibus, claudis, « destitutis, quibus nisi largiare, moriendum est: « Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo, qui eos « vitâ, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Fove « quantùm in te est, et animas hominum, ne extin- « guantur, humanitate sustenta. Qui succurrere peri- « turo potest, si non succurrerit, occidit.» Hinc illud sub S. Ambrosii nomine laudari solitum: *Quisquis pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.* Hinc verus Ambrosius, lib. de Bono Mortis, cap. 8: « Si quem viderimus pauperem moriturum, « sumptu juvemus; et dicat unusquisque nostrûm: « *Benedictio morituri in me veniat.*(Job. 29.) Si quem « viderimus debilem, non deseramus; si quem in « extremis positum, non relinquamus: occurrat et « nobis dicere: *Benedictio morituri in me veniat.* Laudet « et te unusquisque moriturus, unusquisque depositus « ævo, unusquisque confectus vulnere gravi, unus- « quisque morbo absumptus, et jam morti proximus. « Hic versiculus quantos benedici fecit? Quoties mihi « pudorem incussit, si moriturum præterii, si non « visitavi graviter ægrum, si fastidivi inopem, si « captivum non redemi, si senem sprevi? Sit ergo in « corde id semper, ut stimulet duriores, ut admoneat « promptiores. Resonent te postrema verba morituri, « et benedictionem tui egrediens corpore anima secum « vehat. Eripe etiam eum qui ad mortem ducitur, qui « periturus erat, nisi tu subvenisses, ut dicas: *Bene- « dictio perituri in me veniat.*»

Idipsum docet S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 11 in Epistolam ad Romanos: « Hoc ipsum, inquit, « quantam gehennam meretur, cùm fratrem tuum, « qui bonorum arcanorum tecum particeps factus, « atque eòusque à Domino honoratus est tuo, in infi- « nitas calamitates præcipitem agis, ut lapides, ut « domûs tuæ pavimentum, ut animantium ratione ca- « rentium, ornatùmque hujusmodi minimè sentien- « tium corpora exornes. Tene tam sollicitam alendi « canis curam gerere, hominem autem, seu (ut verius « dicam) Christum ipsum, propter canem, et ea (quæ « modò diximus omnia) ad summam famem adigi? « Quid hâc confusione pestilentius? Quid hâc iniqui- « tate lethalius? Quot tandem ignei fluvii ad hujus- « modi animam depascendam satis esse possunt? Hem! « qui ad Dei similitudinem conditus est, pannosus « indecorusque jacet per tuam inhumanitatem, muli « autem uxorem tuam portantes, tum pelles, et ligna « quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt: « Christi autem membrum, et is propter quem è cœlo « ad nos Deus descendit, sanguinemque pretiosum « effudit, avaritiâ tuâ nequidem necessarium cibum « habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, « undique ornati sunt: sanctorum verò corpora vel « necessario operculo carent, ac tibi minoris fit ipse « Christus quàm famulorum grex, quàm muli, quàm « lectus, quàm sedile, quàm scabellum! Omitto enim « vasa his etiam viliora..... Brutis inhumanior es

« effectus, qui cùm erga ea quæ sensu omninò carent, « studium impendas, Dei templa fame ac nuditate « perire sinas. »

Idem sensit S. Gregorius Magnus, qui « dùm quemdam pauperem in angustis andronarum recessibus à « vespillonibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopiâ periisse, ita per aliquot dies « à Missarum celebratione vacando tristatus est, *tanquàm si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisset;* » ut refert Joannes Diaconus in ejus Vitâ libro 2, cap. 29. Quod opere docuit, scriptis tradidit sanctissimus pontifex. Ait enim Pastoralis Curæ 3, P. Admonitione 21 : « Admonendi sunt, qui « nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant « sollicitè quod ea, de quâ sumpti sunt, cunctis homi- « nibus terra communis est, et idcircò alimenta quo- « que omnibus communiter profert. Incassùm ergo se « innocentes putant, qui commune Dei munus sibi « privatim vendicant; qui cùm accepta non tribuunt, « in proximorum nece grassantur : quia tot penè quo- « tidiè perimunt, quot morientium pauperum apud se « subsidia abscondunt. »

Hanc verò sententiam SS. Patres ex Scripturis sacris hauserunt. Dicitur enim Proverbiorum 24 : *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris : Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, et Servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.* Et Ecclesiastici 34 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Hinc divitis illius Epulonis damnationem in ejus duritiem quam extrema Lazari mendici necessitas non commovit, SS. Patres post Evangelium refundunt. S. Petrum Chrysologum inter alios audiamus, sermone 121 : « Iste dives, inquit, imò divitiarum captivus, servus « opum, et ipsis censibus compeditus, tantùm pompæ « immobile sepulcrum, in quo pietatis totus utique et « visus defecerat et auditus, non jam personam, non « pauperem, sed ipsam misericordiam despicit ad ja- « nuam suam Lazaro sic jacente. Purpurâ, bysso, de- « licatis vestibus, epulis blandis ferrea viscera crudelis « anima nutriebat, quem Deus humanæ salutis avidus « inquisitor emollire cupiens, non tam Lazarum, quàm « ipsum pietatis conflatorium ejus projecit ad januam : « conflatorium dixi propter ferrea viscera. Impiis ergo « oculis mendicus Lazarus ingeritur, admovetur, et ut « dives dare possit, magis magisque divitis census cu- « mulatur : sed dives adamante durior, quicquid Deus « pauperis propter alimoniam, divitis conferebat ad « censum, ille aut effundebat turpiter, aut crudeliter « reponebat. Item Deus ut non taceret, ut clamaret, « ut admoneret divitem, ut panem se quærere tantùm « jejuniis pauper ostendat, ut vel ad minima largienda « abundantis impellat animum, augetur pauperi fames. « *Cupiebat*, inquit, *de micis saturari, quæ cadebant de « mensâ divitis.* At dives variis crapulatus ferculis in- « digerieni suam ructabat ad cœlum, ne vocem pau- « peris humi taliter jacentis audiret. Itemque Deus, « quia obturatis auribus unius oris nil erat vox cla- « mantis, ad aperiendum cor divitis, totum corpus « pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite « tot essent pauperis ora, quot vulnera : solvuntur « viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dila- « tatur, sanies effunditur, et tota pauperis caro com- « ponitur in scenam pietatis : ut quem vox esurientis « non moverat, vel suspiria, vel dolores, vel gemitus, « et tota ærumnarum congeries commoveret : sed di- « ves superbo oculo et insatiabili corde, hæc omnia et « audire, et videre, et sentire contemnit. Quærit adhuc « Deus quemadmodùm dives à suâ obstinatione solva- « tur. Solvit pauperi manus à suis artubus, uti nec « abigeret canes divitis, quos vulneribus suis divitis « erat pasturus in vulnus : et novo modo, fratres, hu- « manitatis ordo mutatur : fit humana mendicitas, ut « cupiditas prodatur inhumana. Dives pauperem nec « cadentibus de mensâ micis pascit : et Lazarus pau- « per, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis « canibus humanus exstitit. Miser dives, si panem non « dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed mi- « tiores te canes tui, imò tu sævior canibus tuis : nam « te sæviente illi parcunt, qui non ad morsum dentes, « sed linguas ad obsequium sic producunt, ut in mo- « dum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant. « Dives, in canibus tuis famem pietas vicit : In te im- « pietatem saturitas non evicit. Idcircò dives *sepultus « est in inferno*, et clamabat ad Abraham, *Pater Abra- « ham, miserere meî.* Stultè petit à Patre misericordiam, « quam negaverat fratri : *Miserere meî.* Quid illi cum « misericordiâ, cui jam totum in pœnam? Aut quæ illi « supplicatio apud Patrem poterit subvenire, cui in « sinu Patris residet accusator? Pectus Patris Lazarus « tenet, et totam sanctî cordis pulsat æquitatem, qua- « tenùs se filii patrem boni, mali judicem servet. *Mitte « Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquâ, et « refrigeret linguam meam.* Sitit itaque guttam, qui vini « lacus, cùm pauper sitiret, effudit : et stillâ digiti ex- « tremi credit gehennæ flammas extinguere, qui men- « suris per totam diem ebrietatis non extinxit incen- « dia. Sed hanc sibi guttam ad refrigerium dari « petit, ad ardorem pauperis quam negârat. Ista gutta « est, dives, quæ te facit crudelem; ista gutta est, quæ « os Lazari à te negata siccavit : Quia ad refrigerium « pauperis et gutta sufficit, et mica : *Cupiens*, inquit, « *saturari de micis quæ cadebant de mensâ.* Spargebat u « panis, fundebatur vinum, et quod ad extremam vi- « tam pauperis negabatur, hoc totam divitis peribat « ad pompam. *Et mitte Lazarum ut intingat extremum « digiti sui in aquâ, et refrigeret linguam meam.* Lingua « in capite, caput mali, ipsa derogat egeno, insultat « pauperi, pietatem latrat, misericordiam carpit : et « meritò prima est in gehennâ, in cruciatu prævia, « dux pœnarum, quia ipsa interdixit misericordiam, « cui datum fuerat ut juberet. Dives ille, inquit S. Au- « gustinus, sermone 178, aliàs 9 de Verbis Apostoli, « non est dictus raptor rerum alienarum. *Erat quidam « dives*, inquit, *qui induebatur purpurâ et bysso, et epu- « labatur quotidiè splendidè. Dives*, inquit, *erat.* Non « dixit, calumniator; non dixit pauperum oppressor;

« non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut « receptor; non dixit, pupillorum spoliator; non « dixit, viduarum persecutor; nihil horum. Sed, *Erat « quidam dives.* Quid magnum est? Dives erat, de suo « dives erat. Cui aliquid tulerat? An fortè auferret, et « Dominus de illo reticeret, et personam ejus accipe- « ret, si crimina ejus absconderet, qui nobis dicit : « *Nolite personaliter judicare?* Si vis ergo audire cri- « men divitis illius, noli ampliùs quærere quàm audis « à veritate. *Dives erat, qui induebatur purpurâ et bysso, « et epulabatur quotidiè splendidè.* Quod ergo ejus cri- « men? Jacens ante januam ulcerosus, et non adjutus. « Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immiseri- « cors erat. Numquid enim si pauper ille ante januam « jacens sufficientem panem à divite acciperet, dice- « retur de illo quia cupiebat saturari de micis quæ ca- « debant de mensâ divitis? Propter hanc solam inhu- « manitatem, quâ contemnebat pauperem ante januam « suam jacentem, nec congruè dignèque pascebat, mor- « tuus est et sepultus; et cùm apud inferos in tormentis « esset, levavit oculos suos, et vidit pauperem in sinu « Abrahæ. Et quid pluribus immoror? Desideravit gut- « tam, qui non dedit micam : non recepit justâ sen- « tentiâ, qui non dedit crudeli avaritiâ. »

Statutam superiùs regulam confirmat S. Thomas, secundâ secundæ, quæstione 32, articulo 5 : *Dare*, inquit, *eleemosynam de superfluo, est in præcepto, et dare eleemosynam ei qui est in extremâ necessitate.* Et Articulo 6, necessarium dupliciter dici observat : *Uno modo, sine quo aliquid esse non potest; et de tali necessario omninò eleemosyna dari non debet. Putà, si aliquis in articulo necessitatis constitutus, haberet solum unde ipse et ejus familia sustentari posset. De hoc enim necessariò eleemosynam dare est sibi et suis vitam subtrahere.* Casum excipit S. Thomas, in quo *subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia vel respublica substentaretur : quia pro talis personæ liberatione seipsum et suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cùm bonum commune sit proprio præferendum.* Alio modo aliquid necessarium esse dicitur, sine quo non potest convenienter vita transigi secundùm conditionem et statum propriæ personæ, et aliarum quarum ei cura incumbit. « De hujusmodi necessario, inquit S. Tho- « mas, eleemosynam dare, non cadit sub præcepto, « sed sub consilio : illis nimirùm pauperibus, qui « communem tantùm necessitatem patiuntur. Inordi- « natum enim esset, si aliquis tantùm sibi de bonis « propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quòd de re- « siduo non posset vitam transigere convenienter se- « cundùm proprium statum, et negotia occurrentia. « Nullus enim inconvenienter vivere debet. » Atque hanc esse doctoris Angelici mentem probant exceptiones quas affert. « Sed ab hoc, inquit, tria sunt exci- « pienda. Primum est, quando aliquis statum mutat, « putà, per religionis ingressum. Tunc enim omnia « sua propter Christum largiens, opus perfectionis fa- « cit, se in alio statu ponendo. Secundò, quando ea « quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad conve- « nientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut « non sequatur maximum inconveniens. Tertiò, quando « occurreret extrema necessitas alicujus privatæ per- « sonæ, vel etiam aliqua magna necessitas reipublicæ. « In his etiam casibus laudabiliter prætermitteret ali- « quis id quod ad decentiam sui statûs pertinere vide- « retur, ut majori necessitati subveniret. » Laudabile dixit S. Thomas, non quòd meri consilii esse censeret eleemosynam de necessariis ad decentiam statûs dare pauperi necessitatem extremam patienti; sed quòd ratio laudabilis ad illud moveat, scilicet divini præcepti executio, et fraternæ miseriæ allevatio : tantùm abest ut ea quæ ad statûs decorum necessaria sunt, imminuere vel resecare, in tali casu sit inordinatum vel indecens. Ipse sui sit interpres S. Thomas, in 4 Sententiarum, distinct. 15, quæst. 2, art. 1, quæstiunculâ 4 : « Cùm, inquit, usus divitiarum sit ordinatus ad subve- « niendum necessitatibus præsentis vitæ, qui divitiis « in eum finem non utitur, vel inordinatè utitur, à « virtute recidit. Ordo autem subventionis talis debet « attendi quantùm ad duo. Primò, ex parte eorum « quibus subvenitur, ut primò sibi, postea sibi con- « junctis subveniat, deinde extraneis. Secundò, ex « parte necessitatis talis debet esse ordo, ut priùs « absolutæ necessitati subveniatur, quàm necessitati « conditionatæ; quæ est cùm quis indiget aliquo ad « sui statûs decentem conservationem. Et ideò præ- « ceptum legis ad hoc obligat, ut illud quod superest « alicui post subventionem perfectam, et sibi conjunc- « tis (puta, familiæ quam gubernare debet), respectu « utriusque necessitatis, in eleemosynas expendat ad « subveniendum aliis respectu utriusque dictarum ne- « cessitatum... Et similiter præceptum legis obligat « quòd etiam necessitati extraneorum absolutæ primò « subveniatur, quàm necessitati propriæ vel propin- « quorum conditionatæ. Et ideò dicitur communiter « quòd dare eleemosynam de superfluo, cadit in præ- « cepto, et sic dare eleemosynam ei qui est in extremâ « necessitate; dare autem de eo quod est necessarium « necessitate secundâ, non autem de eo quod est ne- « cessarium necessitate primâ, quia hoc esset contra « ordinem charitatis. » Legis igitur divinæ præcepto tenetur dives eleemosynam dare pauperi ad extremæ necessitatis angustias vel periculum redacto, ex eo quod necessarium sibi vel suis est necessitate duntaxat conditionatâ, scilicet ad decentem sui statûs conservationem; et nisi det, lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est. « Præterea, quandò alius est « in statu extremæ necessitatis, efficiuntur ei omnia « communia; unde etsi per violentiam vel furtum ac- « ciperet, non peccaret, » inquit S. Thomas in responsione ad secundum. Rem igitur alienam retinet, qui pauperi ad extremæ necessitatis angustias redacto ex iis quæ ad sui statûs decorum necessaria videntur, non subvenit. Et in responsione ad quartum, ait præceptum de eleemosynâ erogandâ obligare ex parte accipientis, « quando apparent signa probabilia extremæ « necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur; ut cùm ali- « quis vidit alios impotentes vel pigros ad subvenien- « dum, et pauperem indigentem cibo et potu, et aliis

« vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse. Non « enim expectanda est ultima necessitas, quia tunc « fortè non posset juvari natura jam fame vel siti con- « sumpta. » Dicit enim Chrysostomus Homilià 76 in Joannem : « Non oportet pauperem ululantem decepto- « rem vocare. Quid dicis, ô homo, propter unum pa- « nem deceptionem quis complicat ? Utique dicis : « Quocirca maximè misericordiam consequatur, aut « maximæ necessitati eripiatur. »

Regula VI. — Lethalis obdurationis adversùs mise- ricordiam reus est, qui pauperibus in gravi necessitate constitutis eleemosynas non erogat ex iis quæ suæ suorumque sustentationi superflua sunt, tametsi ad statûs seu conditionis suæ decentiam sint necessaria. — Gravis necessitas dicitur, ex quâ mors si non evi- denter imminere judicatur, probabili certè conjecturâ metuitur. Item cùm quis versatur in evidenti periculo patiendi grave aliquod detrimentum, ut gravem mor- bum, carcerem, infamiam, amentiam, cùm ingenuas mulieres in periculum prostitutionis egestas adducit, etc. Tunc, inquam, lethalis adversùs misericordiam obdurationis reus est, qui eleemosynam non erogat etiam ex iis quæ ad decorum sui statûs aut dignitatis conservandum sunt necessaria. Non solùm enim ex- tremam, sed gravem necessitatem expressit dilectus Domini discipulus, Epist. 1, capite 3, scribens : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo ?* Quæ verba expli- cans S. Augustinus, tract. 5 in illam Epistolam, num. 12, ait : « Ecce unde incipit charitas. Si nondùm es « idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de « tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua « charitas, ut non de jactantià facias, sed de intimo « adipe misericordiæ, ut consideres illum in egestate « positum. Si enim superflua non potes dare fratri « tuo, animam tuam potes ponere pro fratre ? Jacet « pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt aufer- « re; et si illam non auferent fures, moriendo illam « deseres, etiamsi te illa viventem non deserat. Quid « inde facturus es ? Esurit frater tuus, in necessitate « positus est; fortassis suspenditur, à creditore an- « gustatur : non habet ipse, habes tu. Frater tuus est, « simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo « sanguine Christi redempti estis : vide si misereris, « si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, « fortè dicis ? Ego daturus sum pecuniam meam, ne « ille molestiam patiatur ? Si hoc tibi responderit cor « tuum, dilectio Patris non in te manet; si dilectio « Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quo- « modò te gloriaris esse Christianum ? Nomen habes, « et facta non habes. Quid tibi prodest nomen, ubi « res non invenitur ? »

Eamdem regulam confirmat S. Ambrosius, lib. 1 de Officiis, cap. 30 : « Grandis culpa, inquit, si sciente « te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame « laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere « erubescat; si in causam ceciderit, aut captivitatis « suorum, aut calumniæ, et non adjuves; si sit in « carcere, et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod « justus excrucietur; si tempore afflictionis suæ nihil à te « impetret, si tempore periculi quo rapitur ad mortem, « plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri. »

Non diffiteor S. Thomam, 2-2, quæst. 32, art 5, duos tantùm statuere casus, quibus præceptum elee- mosynæ obligat, scilicet ratione extremæ necessitatis, et ratione superflui ; aliàs autem rem esse meri consi- lii. « Sic ergo, inquit, dare eleemosynam de superfluo, « est in præcepto, et dare eleemosynam ei qui est in « extremâ necessitate. Aliàs autem eleemosynam dare « est in consilio; sicut et de quolibet meliori bono « dantur consilia. » Verùm necessitatis extremæ no- mine S. Thomam gravem quoque necessitatem signi- ficâsse, constat evidenter ex ipsius responsione ad tertium. « Est, inquit, aliquod tempus, in quo morta- « liter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte « quidem recipientis, cùm apparet evidens et urgens « necessitas; nec apparet in promptu qui subveniat. « Ex parte verò dantis, cùm habet superflua, quæ se- « cundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria. »

Regula VII. — Lethalis obdurationis adversùs mi- sericordiam rei sunt, qui pauperibus communem ne- cessitatem patientibus superflua non erogant, id est, ea quæ suæ ac suorum sustentationi, atque status sui ac dignitatis decentiæ conservandæ non sunt necessa- ria. — Id probat primò divina hæc sententia, Ezech. 16 : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, su- perbia, et saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porri- gebant.* Id deinde probant S. Joannis Baptistæ verba, Luc. 3 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat.* Quæ verba S. Hieronymus explicans, Epist. 150 ad Hedibiam, unius tunicæ no- mine significari asserit, *quicquid corpori nostro suffi- cere potest, et humanæ succurrere imbecillitati ;* escarum verò seu victûs unius diei nomine, *quicquid in præsen- tibus alimentis necessarium est.* « Unde præceptum est, « *Non cogitetis de crastino*, hoc est, de futuro tempore. « Et Apostolus : *Habentes*, inquit, *alimenta, et quibus « tegamur, his contenti simus.* Si plus habes, quàm tibi « ad victum vestitumque necessarium est, illud ero- « ga, et in illo debitricem esse te noveris. » Idem pro- bant Christi verba, Luc. 11 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam.* Quæ verba S. Gregorius lib. 12, Ep. 30 ad Augustinum Episcopum, ad interrog. 2 respondens, hoc brevi commentario illustrat : « Omne quod super- « est necessitatibus, in causis piis ac religiosis ero- « gandum est, Domino ac Magistro omnibus dicente : « *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda « sunt vobis.* » Idem probant Christi judicis sententiam extremam in reprobos pronuntiantis verba terribilia, Matth. 25 : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum : Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum*, etc. Quibus verbis non extre- mam, neque gravem et urgentem, sed quamcumque necessitatem exprimit, cui sublevandæ superflua pau- peribus non erogârunt. Hinc S. Augustinus, lib. 1 cont. Advers. Leg. et Proph., cap. 16 : « Ecce, inquit,

pro escâ temporali, non ablatâ, sed non datâ, æternum et horrendum supplicium comminatur. Et rectè, si consulas veritatem. Perparvum est enim quod in eleemosynis datur; sed cum piè datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideò potiùs quia parvum est quod datur, magnâ impietate non datur. Unde non mirum est quod tantæ sterilitati velut infructuosarum arborum, ignis æterni supplicium præparatur. « Et sermone 60, aliàs de Tempore 50, cap. 10 : « Illis quos « damnaturus est, imò plus illis quos coronaturus est, « solas eleemosynas imputabit, tanquàm dicens : Dif- « ficile est, ut si examinem vos, et appendam vos, et « scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam « unde vos damnem; sed : *Ite in regnum, esurivi enim, « et dedistis mihi manducare.* Non ergo itis in regnum, « quia non peccâstis; sed quia vestra peccata eleemo- « synis redemistis. Rursùs et illis : *Ite in ignem æter- « num qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Et illi tan- « quàm noxii, olim rei, serò trementes, attendentes « peccata sua, quando auderent dicere immeritò se « damnari, immeritò in se hanc depromi à Judice tam « justo sententiam? Sine dubio videbunt se justè dam- » nari pro sceleribus et criminibus suis : et quasi eis « diceret : Non, non inde unde putatis; sed quia esurivi, « et non dedistis mihi manducare. Si enim ab illis « omnibus vestris factis aversi, et ad me conversi, illa « omnia crimina atque peccata eleemosynis redemis- « setis, illæ eleemosynæ modò liberarent vos, et à « reatu tantorum criminum absolverent. Beati enim « misericordes, quoniam ipsis misericordia præstabi- « tur. Modò autem, *Ite in ignem æternum.* Judicium « sine misericordiâ ei qui non fecit misericordiam. »

Idem probat S. Joannis locus supra laudatus, Epist. 1, cap. 3 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Christianus quisque tenetur charitatem Dei in animo habere, siquidem, ut ait idem Apostolus : *Qui non diligit, manet in morte.* Charitatem autem Dei non habet, qui necessitati proximi non solùm gravi, sed communi succurrere negligit. Nuñum enim excipit dilectus Christi Apostolus. Unde ibidem ait : *Filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ, sed opere et veritate.* Quem locum expendens S. Augustinus, tract. 6 in hanc Epistolam, ait : « Hinc incipit ista charitas, ut de suis su- « perfluis tribuat egenti; » et tract. 50 in Evangelium S. Joannis : « Unge pedes Jesu : benè vivendo domi- « nica sectare vestigia. Capillis terge : si habes super- « flua, da pauperibus, et Domini pedes tersisti. Habes « quid agas de superfluis tuis : tibi superflua sunt, « sed Domini pedibus necessaria. »

Hanc regulam confirmat S. Paulus, cùm ipsis infimæ sortis hominibus et artificibus præcipit ut laborent, non solùm ad victum comparandum, sed ut aliquid seponere possint ex quo pauperibus subveniant. Ad Ephesios, cap. 4 : *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti;* et 1 ad Timotheum, 6, ipsum docens quomodò erga divites gerere se debeat : *Divitibus*, inquit, *hujus seculi præcipe... Divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thezaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Non paucas eleemosynas erogare jubet, sed plurimas et uberrimas, ex quibus thesaurus in futuram vitam cumuletur : non interdùm, sed frequenter; non ex consilio, sed ex præcepto, ad illas erogandas teneri docet : Præcipe, adeòque non tantùm pauperibus ad extremam necessitatem redactis, qui rarò admodùm occurrunt, sed quamcumque necessitatem patientibus, sive publicè et ostiatim, sive clanculum et privatim mendicent, sive in xenodochiis et ptochiis fidelium misericordiâ communiter sustententur; de quibus ait Christus Matth. 26 : *Semper pauperes habetis vobiscum.*

Confirmatur hæc regula SS. Patrum suffragio, asserentium superflua divitum pauperibus deberi, atque adeò non solùm ex charitate, sed ex justitiâ, non quidem in foro seculi, sed in foro Dei teneri ad superflua, cùm naturæ tùm personæ sive statûs, pauperibus eroganda. Ita S. Basilius, Homiliâ in illud S. Lucæ : *Destruam horrea mea*, etc. : « Quis, inquit, peculator? « Ille qui ad se unum transfert quæ sunt singulorum. « Tu ergo nonne peculator, qui ea quæ dispensanda « distribuendaque acceperis, tibi uni propria facias? « Nonne qui vestem deripuerit, spoliator appellabitur? « Qui autem nudum non vestierit, modò potuerit, an « alio quàm spoliatoris nomine donandus erit? Esu- « rientis est panis, quem tu retines; nudi est vestis « quam in arcâ servas; discalceati calceus qui apud « te marcescit, indigentis argentum quod possides de- fossum. Quocirca tam multis injuriam facis, quàm « multis opem conferre potuisti. »

Ità S. Joannes Chrysostomus, concione 11 de Lazaro, tom. 15 : « Rapina est, inquit, de suis facultati- « bus non impartiri. Quapropter Deus accusans Ju- « dæos per Prophetam, ait : *Produxit terra proventum « suum, et non intulistis decimas, sed rapina pauperis « est in domibus vestris.* Quoniam, inquit, oblationes « solitas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. « Ita divites affatur per Malachiam Prophetam, ut « intelligant divites, sese res pauperum possidere, « etiamsi ex paternâ hæreditate eis obvenerint, etiam- « si aliunde pecunias ex æquo et bono conflaverint. « Et alibi : *Ne spolies*, inquit, *vitam pauperis.* Qui au- « tem spoliat, intervertit aliena. Nam spoliatio quæ- « dam admittitur à nobis, cùm aliena rapimus et de- « tinemus. Unde discimus nos, si eleemosynæ præ- « ceptum infregerimus, eodem supplicio affectum iri, « quo raptores et spoliatores affici solent. Nostræ fa- « cultates, undecumque obvenerint, illius sunt Do- « mini, cujus obsequio mancipati sumus. Quòd si eas « egentibus erogaverimus, maximas opes procul du- « bio inde capiemus. Ideò enim uberiores divitias « nobis indulsit Deus, non ut eas in scortationes, in te- « mulentiam, in ingluviem superbasque vestes, fœ- « damque mollitiem effunderemus, sed egenis et ca- « lamitosis earum largitione succurreremus. Quemad- « modùm enim regalis ærarii custos, si commissas

« sibi pecunias illis ipsis quibus est jussus distribue-
« re, impartiri neglexerit, sed in suas contulerit vo-
« luptates et delicias, plectitur et exauctoratur; ita
« vir dives sese gerere debet ad instar quæstoris cu-
« juspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus ero-
« gandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi
« pecuniarum copiam, quàm poscat sua ipsius ne-
« cessitas, suos in usus convertat, se gravissimè ple-
« ctendum esse noverit. Non enim ejus sunt quæ pos-
« sidet, sed conservorum, quos egestas affixerit. Par-
« camus igitur nostris opibus ut alienis, ut verè in
« nostram possessionem transeant. Quomodò autem
« illis parcemus? Si eas non contulerimus in sumptus
« supervacaneos, nec in nostros duntaxat usus con-
« verterimus, sed in manus pauperum effuderimus.
« Nam quantumvis opulentus fueris, creditarum tibi
« pecuniarum redditurus es rationem, si ex eis im-
« penderis plus quàm tua necessitas postularet. Hoc
« ipsum factitatur in magnatum ædibus. Multi quippe
« suos reditus, suas apothecas committunt famulis;
« famuli illi commissa studiosissimè tuentur et ser-
« vant, nec iis abutuntur, at distribuunt prout herus
« edixerit. Hoc ipsum, quisquis es dives, facito. Non
« enim plura cæteris accepisti bona, ut solus ea con-
« sumeres, sed ut ea indigentibus proximis impartien-
« do, boni dispensatoris gloriam tibi comparares. »

Ita S. Ambrosius, libro de Nabuthe, cap. 12 : « *Ne*
« *dixeris*, inquit Deus, Proverb. 3, *Cras dabo*. Qui non
« patitur te dicere, *Cras dabo*, quomodò patitur dicere,
« Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo
« reddis. Quod enim commune est in omnium usum
« datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non di
« vitum : sed pauciores qui non utuntur suo, quàm
« qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris in-
« debitum. Ideò ait Scriptura, Eccli.: *Declina pauperi*
« *sine tristitiâ aurem tuam, et redde debitum tuum*, et
« *responde illi pacifica in mansuetudine.* » Et Sermone 8
in Psalmum 118 : « Misericordia quidem justitiæ
« portio est; ut si velis donare pauperibus, hæc miseri-
« cordia justitia est, secundùm illud : *Dispersit, dedit*
« *pauperibus : justitia ejus manet in æternum.* Deinde
« quia conformis tuus injustum est ut non adjuvetur
« à socio; cùm præsertim Dominus Deus noster ter-
« ram hanc possessionem omnium hominum voluerit
« esse communem, et fructus omnibus ministrare; sed
« avaritia possessionum jura distribuit; justum est
« igitur, ut si aliquid tibi privatum vindicas, quod ge-
« neri humano, imò omnibus animantibus in commune
« collatum est, saltem aliquid inde pauperibus asper-
« gas; ut quibus juris tui consortium debes, his ali-
« menta non deneges. » Idem lib. 2 in Lucam,
num. 77. — « Singulis, inquit, generibus hominum
« conveniens tribuit S. Joannes Baptista responsum
« unum omnibus : Ita publicanis, ne ultra præscri-
« ptum exigant; militibus, ne calumniam faciant, ne
« prædam requirant; docens idcircò stipendia consti-
« tuta militiæ; ne dùm sumptus quæritur, prædo gras-
« setur. Sed hæc et alia officiorum præcepta propria
« singulorum : misericordia communis est usus, ideò
« commune præceptum; omnibus officiis, omnibus
« ætatibus, necessaria, et ab omnibus deferenda. Non
« publicanus, non miles excipitur, non agricola vel
« urbanus, dives et pauper; omnes in commune ad-
« monentur, ut conferant non habenti. Misericordia
« enim plenitudo virtutum est; et ideò omnibus est
« proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis
« alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ip-
« sius pro possibilitate conditionis humanæ mensura
« servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat,
« sed quod habet, cum paupere partiatur. »

Ita S. Augustinus, sermone 50, aliàs de Diversis 15.
« Cur non miseri intelligunt quod apud Aggæum lo-
« quens Dominus propterea dixerit : *Meum est aurum,*
« *et meum est argentum*, ut et ille qui non vult cum in-
« digentibus communicare quod habet, cùm audit
« præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum
« non de re illius cui jubet, sed de re suâ jubere do-
« nari; et ille qui aliquid porrigit pauperi, non se ar-
« bitretur de suo facere, ne fortè non tam confirme-
« tur misericordiæ nomine, quàm infletur superbiæ
« vanitate? *Meum est*, inquit, *aurum et meum est ar-*
« *gentum;* non vestrûm, ô divites terræ. Quid ergo
« dubitatis pauperi dare de meo, aut quid extollimini
« cùm datis de meo? » — Idem sermone 206, aliàs
de Diversis 70 : « Hinc, inquit, intelligit animus chri-
« stianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ
« rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua
« sua non tribuerit indigenti. » Sed, ô cæca hominum
corda, dant necessaria ut hìc diutiùs vel miserè vi-
vant; nolunt dare superflua ut in æternum cum Chri-
sto regnent. « Quàm multos invenimus qui dicant :
« Tollat fiscus res meas, ut seriùs moriar. Et tamen,
« ô amator temporalis vitæ, si tollat fiscus, te spoliat
« in hoc seculo; si tollat Christus, tibi servat in cœlo.
« Propter hanc vitam volunt habere homines unde vi-
« vant, et propter hanc volunt dare unde vivant. Quod
« tibi servas unde vivas, hoc das ut vivas fortè fame
« defecturus. Et tamen dicis : Tollat, quid ad me?
« Mendicare volo. Das unde vivas, mendicare paratus,
« ut vivas. Paratus es, datis etiam necessariis, mendi-
« care in hoc mundo; et non es paratus, erogatis su-
« perfluis, regnare cum Christo. » Verba sunt S. Au-
gustini Sermone 302, aliàs de Diversis, 111, cap. 6.

Idem sermone 61, aliàs 5 de Verbis Domini, cap. 7 :
« Mendici (inquit) Dei sumus : ut agnoscat ille men-
« dicos suos, agnoscamus et nos nostros. Sed et ibi
« etiam cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt,
« à quibus petunt, quid petunt. Qui petunt? Homines.
« A quibus petunt? Ab hominibus. Qui petunt? Morta-
« les. A quibus petunt? A mortalibus? Qui petunt?
« Fragiles. A quibus petunt? A fragilibus. Qui petunt?
« Miseri. A quibus petunt? A miseris. Exceptâ sub-
« stantiâ facultatum, tales sunt qui petunt, quales
« sunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo
« ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum?
« Non sum, inquit, talis; absit à me ut talis sim. In-
« flatus obsericatus ista loquitur de pannoso, sed ego
« nudos interrogo. Non interrogo in vestibus quales

« sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, miseram vitam inchoantes ideò, ambo plorantes. Recole, dives, primordia tua, vide utrùm huc aliquid attuleris. Jam venisti, et tanta invenisti. Dic quid attuleris, aut si dicere erubescis, Apostolum audi : *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus.* Quid ergo sequitur? *Victum et tegumentum habentes, his contenti simus.* Nihil dives habet de divitiis suis, nisi quod ab illo postulat et pauper, victum et tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? Accepisti victum, accepisti necessarium tegumentum. Necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus de divitiis tuis capis? Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sint pauperibus necessaria. » Et infra : « Non cogam, inquit, divites cibis pauperum vilibus et inconditis vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ : sed doleant aliter se non posse. Meliùs enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Conceditur tibi : utere superfluis, da pauperibus necessaria; utere pretiosis, da pauperibus vilia. Exspectat à te, expectas à Deo; expectat ille manum quæ facta est secum, exspectas tu manum quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed et pauperem tecum. Dedit vobis unam viam, istam vitam : invenistis vos comites, unam viam ambulatis : ille nihil portat, tu nimiùm oneratus es; ille nihil secum portat, tu tecum plus portas quàm opus est. Oneratus es : da illi de eo quod habes, et illum pascis, et onus minuis. »

Idem sermone 85, aliàs de tempore, 205 : « Decimas dabant Scribæ et Pharisæi, pro quibus Christus nondùm sanguinem fuderat. Ne fortè aliquid magnum facere te putes, quia frangis panem pauperi; et vix est millesima ista facultatum tuarum. Et tamen non reprehendo; vel hoc fac. Sic sitio, sic esurio, ut et ad micas istas gaudeam. Sed tamen quid dixerit Vivus, qui pro nobis mortuus est, non tacebo : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* (Matth. 5.) Ille nos non palpat, medicus est, usque ad vivum pervenit : Scribæ et Pharisæi decimas dabant. Quid est? Interrogate vos ipsos. Videte quid faciatis, de quanto faciatis; quid detis, quid vobis relinquatis; quid misericordiæ impendatis, quid luxuriæ reservetis. Ergo facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. »

Ita S. Gregorius Magnus, P. 3 Pastoralis Curæ, Admonitione 22 : « Cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potiùs solvimus, quàm misericordiæ opus implemus. Unde et ipsa Veritas cùm de misericordià cautè exhibendà loqueretur, ait, Matth. 6 : *Attendite ne justitiam vestram facialis coram hominibus.* Cui sententiæ Psalmista concinens dicit, Psal. 3 : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* Cùm enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit : quia quod à communi Domino tribuitur, justum profectò est ut quicumque accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait, Proverb. 21 : *Qui justus est, tribuet, et non cessabit.* Admonendi sunt quoque ut sollicitè attendant quòd ficulnea quæ fructum non habuit, contra hanc districtus agricola queritur quòd etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter servat. »

Ita S. Thomas, secundâ secundæ, quæstione 32, art. 5 : « Cùm, inquit, dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illa cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud 1 Joannis 3 : *Non diligamus verbo neque linguâ, sed opere et veritate.* Ad hoc autem quòd velimus et operemur bonum alicujus, requiritur quòd ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem : et ideò eleemosynarum largitio est in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est quòd hoc modo donum eleemosynæ cadat sub præcepto, secundùm quòd actus est de necessitate virtutis : scilicet secundùm quod recta ratio requirit, secundùm quam est aliquid considerandum ex parte dantis, et aliquid ex parte ejus cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis, considerandum est ut id quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illud Luc. 11 : *Quod superest, date eleemosynam.* Et dico superfluum, non solùm respectu sui ipsius, quod est supra id quod est necessarium individuo, sed etiam respectu aliorum quorum cura sibi incumbit, respectu quorum dicitur necessarium personæ, secundùm quod persona dignitatem importat; quia priùs oportet quòd unusquisque sibi provideat, et his quorum cura ei incumbit, et postea de residuo necessitatibus aliorum subveniat. Ex parte autem recipientis, requiritur quòd necessitatem habeat, alioquin non esset ratio cur ei eleemosyna daretur. » Necessitatem, etiam communem, ex parte recipientis; superfluum ex parte dantis, legitimas ac sufficientes rationes esse, quibus aliquis ad erogandam eleemosynam obligatur, S. Thomas docet; quamvis extremam duntaxat vel gravem necessitatem rationem esse asserat, cur huic potiùs pauperi determinatè, quàm aliis subvenire quis ex præcepto teneatur, cùm omnibus subvenire non possit. « Sed cùm, inquit, non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri : non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine quâ is qui necessitatem patitur, sustentari non potest. » Hanc autem esse S. Thomæ mentem facilè ostenditur ex aliis ejusdem locis; nempe quæstione 66, art. 7, ubi ait : « Res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, et non potest ex eâdem re omnibus subveniri,

« committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem « patientibus; et quæstione 87, art. 1 ad quartum : Secundæ decimæ, quæ reservabatur ad sacrificia offerenda, locum in novâ lege non habent, cessantibus « legalibus victimis. Tertiæ verò decimæ, quas cum « pauperibus comedere debebant, in novâ lege augentur, per hoc quòd Dominus non solùm decimam « partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet « exhiberi, secundùm illud Luc. 11 : *Quod superest, « date eleemosynam.* Ipsæ etiam decimæ, quæ ministris « Ecclesiæ dantur, per eos debent in usus pauperum « dispensari. » Et in 4 Sententiarum, dist. 15, quæst. 2, art. 1, quæstiunculâ 4 ad quartum, asserit præceptum de eleemosynis erogandis obligare « ex parte « dantis, quando habet homo multa quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ sui et suorum, « neque ad decentem statûs sui conservationem; etsi « pauperes extremæ necessitatis non compareant. »

Sed, ut jam innui, cùm omnibus pauperibus communem patientibus necessitatem eleemosynam erogare dives quisque non possit, satis erit ut satisfaciat divino præcepto, si quantùm in ipso erit pauperibus ex superfluo suo succurrat. Unde Tobiæ 4 dicitur : *Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Cum prudentiâ quoque, et servato charitatis ordine, superflua sua pauperibus erogare debet, ut scilicet parentes et propinquos extraneis, indigenas advenis, domesticos fidei infidelibus et hæreticis, inter fideles eos qui sanctiores sunt, utpote Deo propinquiores, si sit æqualis eorum necessitas, cæteris anteponat. Nam absolutè loquendo, priùs ei subveniendum qui extremam, illi deinde qui gravem, postremò illi qui communem necessitatem patitur. Charitatis ordinem commendavit Apostolus, ad Timotheum 5 scribens : *Qui suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Canonibus etiam sancitum est ut unaquæque civitas pauperes suos alat; et Carolus Magnus, in Capitulari 5, anni 806, sive in Capitulari Noviomagensi, statuit : *Ut unusquisque suum pauperem de beneficio aut de propriâ familiâ nutriat, et non permittat aliubi ire mendicando.* Verùm de prudentiâ in eleemosynarum erogatione servandâ alius erit dicendi locus.

Regula VIII. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui præsenti statui superflua servant et recondunt, ut ad altiorem statum ascendant, aut censum augeant, si avaritiæ aut ambitionis impulsu illa reservent; vel graves pauperum necessitates postulent ut iis inpræsentiarum succurrant; vel ascensus ille ad altiorem statum probabilis non sit; vel si probabiliter sit futurus, frequentes et sufficientes eleemosynas pauperibus communem etiam necessitatem patientibus non erogent. — Hanc regulam S. Augustinus fulcit, Enarratione in Psalmum 147, num. 12 : « Nos, inquit, consolatur Scriptura, quæ hortatur ad « misericordiam faciendam, ut omninò crebrescamus « in erogando quod ampliùs habemus. Multa autem « superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus : « nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Forma « vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus « Dei. Quære quæ sufficiant, et videbis quàm pauca « sint... Videte quia non solùm pauca sunt quæ vobis « sufficiant; sed nec ipse Deus multa à vobis quærit. « Quære quantùm tibi dederit, et ex eo tolle quod sufficit : cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. « Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur. »

Eamdem regulam confirmat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 32, art. 5, ad tertium respondens : « Est, inquit, aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem « recipientis, cùm apparet evidens et urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat; ex « parte verò dantis, cùm habet superflua, quæ secundùm præsentem statum non sunt sibi necessaria, « prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet quòd « consideret omnes casus qui possunt contingere in « futurum. Hoc enim esset de crastino cogitare, quod « Dominus prohibet, Matth. 6. Sed debent dijudicari « superfluum et necessarium, secundùm ea quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt. »

Hinc Lovaniensis Academia propositionem illam ut falsam et obligationem eleemosynæ, à Scripturâ sacrâ crebrò inculcatam, elidentem, censurâ suâ confixit anno 1657 : *Superfluum non est quod homines servant pro statûs sui vel parentum qualitate habitâ vel adipiscendâ; ideòque vix poterunt inter seculares inveniri qui superfluum habeant.* Damnata est eadem propositio à sacrâ Facultate Parisiensi, à plerisque Galliarum Episcopis, et tandem ab Innocentio XI, die secundâ Martii 1679. Inter propositiones scilicet quas *ut minimùm tanquàm scandalosas et in praxi perniciosas* damnavit et prohibuit, hæc 12 legitur : *Vix in secularibus invenias, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Si quis objiciat divitum partem maximam damnationem æternam incurrere, si res ita se habeat, et in magno periculo versari sacerdotes qui eorum confessiones excipiunt, id totum concedemus. Firmum enim Christi oraculum est, Luc. 17 : *Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Quod oraculum expendens S. Hilarius, canone 19 in Matth., ait : « Periculosa cura est, « velle ditescere; et grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata : rem enim seculi, famulatus Dei non sine seculi istius vitiis assequetur. Hinc « difficile est divitem regnum cœlorum adire. Atque « etiam quia uti plures his quæ habent rectè possent, « in sermone Domini ratio servata est, ut non abso-

« lutè regnum cœlorum nemo introire possit, sed in-
« telligi posset futurorum raritas ex difficultate. »
Quod spectat divitum confessarios, in maximo certè salutis suæ periculo versantur, si absolvant eos qui superflua sua pauperibus non erogant. *Si* enim *cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Illud itaque divitibus, quorum confessiones excipiunt, non suadere tantùm, sed præcipere, et à Deo præceptum significare tenentur, ut superflua sua pauperibus etiam communem duntaxat necessitatem patientibus erogent, juxta illud Danielis 4 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum;* et illud Apostoli 1 ad Tim. 6 : *Præcipe divitibus hujus seculi non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, benè agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Pastoribus in Timothei personâ præscribit non solùm ut hæc divitibus persuadeant, sed ut *præcipiant*; non modò tribuere, sed *facilè tribuere, communicare;* nec illis vult permitti ut neglectis pauperibus thesauros cumulent, quibus ad sublimiorem in terris statum conscendant, sed jubet *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Qui non ita sunt affecti divites, absolvi sacramentaliter non debent; siquidem Dei mandatum violare non solùm non verentur, sed nec audire volunt, ut liberiùs peccent. Merum consilium esse licet recentiores quidam inhumanæ cupiditatis adulatores effutierint, Christus, Prophetæ, Apostoli, SS. Patres præcipiunt, aut præceptum à Deo divitibus esse docent, ut superflua sua pauperibus erogent vel communem patientibus necessitatem. Temperare mihi non possum quin egregium S. Gregorii Nazianzeni locum ad hujus confirmationem veritatis proferam, oratione 16 de pauperum Amore inscriptâ. « Cæterùm, inquit, omnium
« maximè divino mandato et exemplo moveamur.
« Quodnam porrò hoc mandatum est? Videte quàm
« constans sit atque sincerum! Neque enim hominibus
« Spiritu sancto afflatis sat fuit semel atque iterùm de
« pauperibus sermonem habuisse, nec quidam dun-
« taxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minimè;
« aut alii parciùs, velut de re non ita magnâ, nec ad-
« modùm necessariâ; verùm et omnes in universum,
« et sedulò quisque, vel primùm, vel inprimis ad eam
« rem nos cohortantur, nunc admonentes, nunc com-
« minantes, nunc exprobrantes, nonnunquàm etiam
« eos qui virtutis hujusce munere funguntur, laudibus
« efferentes : nimirùm ut per admonitionis assiduita-
« tem eò nos adducant, ut hoc mandatum exequa-
« mur. » Et infrà : « An tu benignitatem non neces-
« sariam, sed tibi liberam esse putas, ac non legem,
« sed consilium? Hoc quoque magnoperè vellem
« et existimarem; sed me sinistra illa manus terret,
« et hœdi, et probra quæ ab eo à quo illic collocati
« sunt, conjiciuntur, non quia manus alienis bonis at-
« tulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut adulte-
« rium perpetrârunt, aut aliud quiddam ex aliis quæ
« interdicta sunt, admiserunt, hoc ordine mulctati,
« sed quia Christum in pauperibus minimè curârunt.
« Quocirca, si quid mihi auscultandum putatis, servi
« Christi, et fratres, et cohæderes, Christum, quam-
« diù licet, visitemus, Christum curemus, Christum
« alamus, Christum induamus, Christum colligamus,
« Christum honoremus, non mensâ solùm, ut qui-
« dam; nec unguentis, ut Maria; nec sepulcro dun-
« taxat, ut Joseph Arimathæus; nec rebus ad sepultu-
« ram accommodatis, ut ille dimidiâ tantùm ex parte
« Christum amans Nicodemus; nec denique auro,
« thure et myrrhâ, ut Magi : sed quoniam omnium
« Dominus misericordiam vult, non sacrificium, ac
« pinguium agnorum myriades commiseratio superat,
« hanc in pauperibus humi provolutis ipsi confera-
« mus, ut cùm hinc excesserimus, in æterna taberna-
« cula nos accipiant. Enimverò, inquit idem doctor,
« duorum alterum faciendum est, ut vel omnia pro-
« pter Christum deponamus, quò verè atque sincerè
« ipsum sublatâ humeris cruce sequamur, ac leves et
« expediti, nec ab ullâ re in diversum tracti, ad
« supernum mundum convolemus, Christumque loco
« omnium rerum lucremur, propter humilitatem elati,
« propter egestatem locupletati; vel certè cum Chri-
« sto opes nostras partiamur, ut ipsæ honestè posses-
« sæ, et cum iis qui paupertate constricti sunt, com-
« municatæ, sanctitate quâdam imbuantur. »

Regula IX. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt divites, qui christianæ frugalitatis et moderationis regulas prætergressi, ea quæ familiæ sustentationi, et statûs sui atque dignitatis decentiæ minimè necessaria sunt, in frequentes et splendidas epulas, in ædium magnificentiam, in pretiosiorem, quàm par sit, supellectilem, in vestium luxum, in ludos, in curiositatis lenocinia, aut voluptates profundunt. — Hi nempe pauperibus subtrahunt superflua, quæ illorum usibus à Deo sunt destinata. « Bona enim
« temporalia, quæ homini divinitùs conferuntur, ejus
« quidem sunt quantùm ad proprietatem; sed quan-
« tùm ad usum non solùm debent esse ejus, sed etiam
« aliorum, qui eis sustentari possunt ex eo quod ei
« superfluit, » inquit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 33, art. 5 in Resp. ad secundam objectionem. Hinc S. Gregorius Nyssenus, Oratione 1 de Pauperibus amandis, ait : « Usui vitæ modum imponite, ne
« omnia vestra existimate, sit pars etiam pauperum
« et amicorum Dei. Illius enim verè sunt omnia, quem
« habemus Patrem; nos autem fratres sumus. Qua-
« propter ut genere conjunctos ac fratres meliùs qui-
« dem et justiùs erat, æquis partibus cernere hæredi-
« tatem. Verùm quando id factum non est, sed unus
« aut alter plus intervertit, reliqui partem unam sal-
« tem accipiant. Quòd si quis omnium prorsùs esse
« dominus, et universam vult hæreditatem avertere,
« et sextâ aut quintâ parte fratres excludere, ille fra-
« ter non est, sed acerbus tyrannus, immitis, barba-
« rus, imò verò inexplebilis fera, quæ hianti ore sola
« suaves devoret dapes, vel potiùs ipsis etiam feris
« sævior et agrestior. Siquidem et lupus ad devoran-
« dum prædam lupum sibi socium adjungit, et canes

« multi nonnunquàm simul idem dilaniant corpus. At « iste divitiarum suarum nullum ejusdem generis ho- « minem participem facit. Moderata mensa sufficit « tibi. Ne te in illud luxuriæ pelagus demittas, ut con- « vivia omni genere ciborum instructa velis... Utere « igitur, ne abutaris. Sic enim Paulus etiam edocuit. » Et infra : « Qui molliter et delicatè vivere institue- « runt, necessariò ad excogitandos magnificos ædifi- « ciorum apparatus alliciuntur. In his construendis et « exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. « Ad hæc cœtus hominum libenter convocant et invi- « tant, splendidam et variam supellectilem studiosè « comparant, innumerabilia poculorum genera, scur- « ras, mimos, citharistas, cantatores, cantatrices, sal- « tatores, saltatrices, totum denique petulantiæ lu- « dum. Atque dùm hæc intùs geruntur, assident ad « vestibuli fores innumerabiles Lazari, partim gravi- « bus ulceribus pleni, partim oculis orbati, partim pe- « dibus mutili. Conclamant, nec tamen exaudiuntur. « Si Deus hæc aspicit, ut profectò aspicit, quam vitæ « commutationem, quem exitum fore cogitatis, ô pau- « perum inimici? An nescitis horum causà in sacro « Evangelio poni et commemorari exempla omnia hor- « renda et terribilia? Nonne graves illius cruciatus et « gemitus recensentur, qui in bysso fuerat enutritus? « An non in malorum abysso describitur coerceri? « Quid huic alter similis, nonne cùm vespere de ma- « tutinis deliciis cogitaret, tam inexpectatà et repen- « tinà damnatus est morte, ut ne orientis quidem so- « lis radium potuerit intueri? Proinde cùm mortales « simus, fidem ne abjiciamus, neve fruamur voluptà- « tibus ut immortales. » Adversùs divites illos quibus nihil superfluum videtur, cùm in luxum ac voluptatem profundant quicquid præter necessaria naturæ ac statui superest, terribilis maledictio exarata est, Amos. 6 : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris ; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti ; qui canitis ad vocem psalterii... Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Id est, calamitati et inopiæ fratres nullatenùs compatiebantur, nec illi succurrebant.

Regula X. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est, qui pauperi omnibus omninò bonis temporalibus et vitæ præsidiis, viribus, arte, et industriâ destituto, per mutuum quidem, commodatum, aut venditionem credito factam subvenire paratus est, non verò eleemosynam simpliciter erogare. — Is enim indigentiam proximi non sublevat eo modo quo lex divina præscribit, gratis scilicet ac sine onere; sed præceptum eleemosynæ eludit. Mutuum nempe ab eleemosynâ distingui nemo nescit. Quanquàm enim et eleemosyna mutuum sit, sive fœnus, non tamen respectu pauperis, sed Dei, secundùm illud Proverb. 19 : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Quæ verba S. Basilius in Psalm. 14 expendens ait : « Intellige dicti « efficaciam, et Legislatoris humanitatem admiraberis. « Quando pauperi das in Domini gratiam, idem ipsum « et donum est, et mutuum : donum quidem, quòd à « paupere non speres te recepturum, mutuum vero « sive fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro « illo reddentis: qui parva quidem in paupere cùm ac- « ceperit, maxima pro ipso retribuet. » Hinc S. Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in monte, cap. 20 : « Mutuatur, inquit, omnis qui accipit, etiamsi non ipse « soluturus est : cùm enim misericordibus Deus plura « restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. »

Regula XI. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui salutaris scientiæ, seu Prædicationis talento donati, illud in proximorum salutem, et ædificationem Ecclesiæ impendere renuunt. — Non minùs enim tenentur ex officio charitatis spiritale illud talentum in proximorum utilitatem conferre, et divinis illis opibus spiritalem fratrum inopiam sublevare, quàm teneantur divites eleemosynam ex terrenis opibus pauperibus erogare. Id probat evangelica talentorum parabola, Matth. 25. Terribilis enim illa increpatio servi, qui talentum defoderat : *Serve, male et piger;* et illa verba : *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis*, præceptum indicant à servo inutili violatum, hoc ipso quòd nullum ex talento sibi dato lucrum domino peperit. Peccati verò gravitatem ostendit privatio talenti, et æternæ damnationis pœna. *Tollite itaque ab eo talentum*, inquit; *et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium.* Non diligit proximum sicut seipsum, qui salutem plurimorum, cùm possit, non procurat; non diligit Ecclesiam, pro quâ Christus seipsum tradidit, qui eam sanæ doctrinæ verbo ædificare recusat; non diligit Christum, qui ejus oves et membra pascere negligit et curare. *Unicuique*, inquit S. Paulus 1 ad Corinthios 12, *datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum.* Ad utilitatem, inquit, non ad otium. Id confirmat S. Petrus, Epist. 1, cap. 4 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Huic Regulæ robur addit Admonitio 26 S. Gregorii 3, P. Pastoralis Curæ, scribentis : « Admonendi « sunt, qui cùm utiliter prædicare possunt, immode- « ratâ tamen humilitate refugiunt, ut ex minori consi- « deratione colligant, quantùm in majoribus rebus « delinquant. Si enim indigentibus proximis, ipsi quas « habent pecunias absconderent, adjutores procul du- « bio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constrin- « gantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus « verbum prædicationis subtrahunt, morientibus men- « tibus vitæ remedia abscondunt. Si populum fames « attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, aucto- « res procul dubio mortis existerent. Quâ itaque ple- « ctendi sunt pœnâ considerent, qui cùm fame verbi « Dei animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non « ministrant? Unde et benè per Salomonem dicitur : « *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Fru- « menta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ

« verba apud se retinere. In populis autem talis quis- « que maledicitur, quia in solius culpâ silentii pro « multorum, quos corrigere poterat, pœnâ damnatur. « Si medicinalis artis minimè ignari secandum vulnus « cernerent, et tamen secare recusarent, profectò « peccatum fraternæ mortis ex solo torpore commit- « terent. Quantâ ergo culpâ involvantur, aspiciant, qui « dùm cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt « eà sectione verborum? Unde et benè per Prophetam « dicitur, Jerem. 48 : *Maledictus qui prohibet gladium « suum à sanguine.* Gladium quippe à sanguine prohi- « bere est prædicationis verbum à carnalis vitæ in- « terfectione retinere... Hi itaque cùm apud se sermo- « nem prædicationis occultant, divinas contra se sen- « tentias terribiliter audiant, quatenùs ab eorum cor- « dibus timorem timor expellat. Audiant quòd talentum « qui erogare noluit, cum sententiâ damnationis ami- « sit. Audiant quòd Paulus eò se à proximorum san- « guine mundum credidit, quò feriendis eorum vitiis « non pepercit, dicens, Matth. 25, Act. 20 : *Contestor « vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine om- « nium : non enim subterfugi quò minùs annuntiarem « omne consilium Dei vobis.* Audiant quòd voce ange- « licâ Joannes admonetur, cùm dicitur, Apoc. 22 : « *Qui audit, dicat, Veni.* Ut nimirùm cui se vox interna « insinuat, illuc etiam clamando alios, quò ipse rapi- « tur, trahat, ne clausas fores etiam vocatus inveniat, « si vocanti vacuus appropinquat. Audiant quòd Isaias, « quia à verbi ministerio tacuit, illustratus superno « lumine, magnâ voce pœnitentiæ seipse reprehendit, « dicens : Væ mihi quia tacui.

Regula XII. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est advocatus, qui causæ pauperum in extremâ vel gravi necessitate constitutorum gratis patrocinari renuit. — Hanc regulam tradit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 71, art. 1 : « Cùm enim præ- « stare patrocinium causæ pauperum ad opus miseri- « cordiæ pertineat, » idem de eo judicium esse debet ac de aliis misericordiæ operibus. « Nullus autem « sufficit omnibus indigentibus misericordiæ opus im- « pendere. » Et ideò, sicut S. Augustinus ait, lib. 1 de Doctrinâ christianâ, cap. 28 : Cùm omnibus pro- « desse non possis, his potissimùm consulendum est, « qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum « opportunitatibus constrictiùs tibi quâdam sorte jun- « guntur. » Dicit, *pro locorum opportunitatibus*, quia « non tenetur homo per mundum quærere indigentes, « quibus subveniat, sed sufficit si eis qui sibi occurrunt, « misericordiæ opus impendat. » Unde dicitur Exodi 21 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, re- duc ad eum.* Addit, *et temporum*, quia « non tenetur « homo futuræ necessitati alterius providere ; sed suf- « ficit si præsenti necessitati succurrat. » Unde dicitur 1 Joan. 3 : *Qui viderit fratrem suum necessitatem ha- bere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo?* Subdit, *Vel quarumlibet rerum*, quia homo « sibi conjunctis quâcumque necessitudine ma- « ximè debet curam impendere, » secundùm illud 1 ad Timoth. 5 : *Si quis suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit.* Quibus tamen concurrentibus, « considerandum restat, utrum aliquis tantam « necessitatem patiatur, quòd non in promptu appa- « reat quomodò possit ei aliter subveniri ; et in tali « casu tenetur ei opus misericordiæ impendere. Si au- « tem in promptu appareat, quomodo aliter ei subve- « niri possit, vel per se ipsum, vel per aliam personam « magis conjunctam, aut majorem facultatem haben- « tem, non tenetur ex necessitate indigenti subvenire, « ita quòd faciendo peccet ; quamvis, si subvenerit « absque tali necessitate, laudabiliter faciat. Unde ad- « vocatus non tenetur semper causæ pauperum patro- « cinium præstare, sed solùm concurrentibus conditio- « nibus prædictis : alioquin oporteret eum omnia alia « negotia prætermittere, et solis causis pauperum ju- « vandis intendere. »

Cùm igitur pauper sic eget patrocinio, ad quod tamen sibi procurandum pecuniâ et similibus auxiliis destitutus est, ut nisi adjuvetur, causâ sit casurus, et vel injustâ morte plectendus, vel suis, quantulæcumque sint, rebus omnibus spoliandus ; aut certè gravem bonorum jacturam passurus, artis suæ instrumentis equis quibus arabat, vaccis quibus vivebat, privandus, aut ad triremes durumve carcerem damnandus, aut ad mendicitatem redigendus, qui antea vitam utcumque tolerabat tenui negotio vel artificiolo, tenetur advocatus ipsi gratis præstare patrocinium, si verisimile sit neminem ipsius causam citò suscepturum ac defensurum. Id ni faciat, obdurationis adversùs misericordiam reus est, secundùm divinam illam S. Joannis sententiam : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodò charitas Dei manet in eo?* 1 Joan. 3.

Quamvis porrò duplicem duntaxat necessitatis gradum, extremæ scilicet ac gravis, regula nostra exprimat, pauperibus tamen communem duntaxat necessitatem passis nisi gratis patrocinentur advocati, lethalis aliquando, adversùs misericordiam obdurationis rei sunt, cùm nempe id præstare possunt absque sui statûs imminutione : alioqui proximum sicut se ipsum non diligere convincuntur.

Ejusdem adversùs misericordiam obdurationis reus erit judex, nisi pauperibus designet advocatum, qui causas ipsorum gratis agat. Hinc Tolosanum concilium anno 1590 sanxit, ut *qui per egestatem litigantes sibi advocatum comparare non possunt, illis curia de advo- cato, si res postulet, provideat.* Idem multò ante statuerat concilium apud campinacum à Gerardo archiepiscopo Burdegalensi et comprovincialibus episcopis celebratum anno 1238 ; imò antiquo jure statutum declaraverat, canone 15 : *Pristini juris recolentes cen- suram, mandamus, ut si aliqui pauperes sint, qui pro paupertate advocatum habere non possint, det ipsis cu- ria advocatum, si causa indiget advocato.*

Regula XIII. — Medici, chirurgi, pharmacopolæ, pauperibus ægrotis, qui ab omnibus deserti sunt, aut probabiliter deserendi, succurrere tenentur, et eorum

curationem gratis procurare. Id nisi faciant, lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt. — Præceptum enim divinum de proximi dilectione alioquin violabunt, quod Spiritus sanctus Proverbiorum 24 sic explicuit, ut ad regulam istam confirmandam nihil sit oraculo illo accommodatius : *Erue eos*, inquit, *qui deducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris : Vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.* Qui locus non solùm de illis intelligendus est, qui iniquâ judicis sententiâ, falsisve testimoniis circumventi et oppressi rapiuntur ad mortem, sed etiam de omnibus quorum salus et vita præ alimentorum, vestimentorum, remediorum, aut aliarum id genus rerum, in extremo vel gravi periculo versatur.

Hanc regulam confirmat S. Thomæ auctoritas, secundâ secundæ, quæst. 71, art. 1, ubi postquàm advocati obligationem in causis pauperum agendis et defendendis eo, quo diximus, modo exposuit; mox subdit : *Et idem dicendum est de medico quantùm ad curationem pauperum.*

Regula XIV. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui volentes subvenire pauperibus et calamitosis hominibus, aut religiosorum virorum, vel sacrarum virginum ex eleemosynis victitantium cœnobiis, aut pauperum clericorum seminariis benefacere, à pio illo proposito quocumque modo deterrent aut impediunt, vel fundationes aut pia legata in eorum favorem facta revocare cogunt aut suadent absque causâ justâ, et officium conscientiæ spectante. — Nititur hæc regula Sipiritûs sancti per Salomonem loquentis oraculo, Proverbiorum 3 : *Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, et ipse benefac.* Quod non solùm respectu secularium hominum pauperum et calamitosorum intelligendum esse, sed etiam respectu pauperum clericorum, religiosorum virorum, aut sacrarum virginum ex eleemosynis victitantium, probat egregius S. Augustini locus, concione 3 in Psalmum 103. « Sic pascis, inquit, bovem Dei, quo« modò transeuntem mendicum? Illi petenti das, quia « scriptum est Luc. 6 : *Omni petenti te da.* De isto « quid scriptum est? *Beatus qui intelligit super egenum « et pauperem*, Psalm. 40. Quære cui des. *Beatus* enim « *qui intelligit super egenum et pauperem*, qui præoc« cupat vocem petituri. Si sic inter vos indigent mili« tes Christi, ut etiam petant, videte ne vos judicent « antequàm petant.... Alius ad te venit ut petat, alium « præveni ne petat. Sicut enim de illo qui te quærit « dictum est : *Omni petenti te da;* sic de illo quem tu de« bes quærere dictum est : *Sudet eleemosyna in manu « tuâ, donec invenias justum cui eam tradas.* Cùm enim « dandum sit et istis pauperibus petentibus.... Voca « et ipsos, pasce et ipsos, epulare, cùm illi epulantur; « delectare, cùm illi saginantur; illi enim pane tuo, « tu justitiâ Dei. Nemo vobis dicat : Præceptum est à « Christo, ut servo Dei detur, mendico non detur. Ab« sit; prorsùs impius ista loquitur. Da illi, sed multò « magis illi. Ille enim petit, et in voce petentis agnoscis « cui des; ille autem quantò minus petit, tantò magis tibi « vigilandum est ut præoccupes petiturum; aut fortè « modò non petiturum, et aliquando damnaturum... Non « indiget cibo, fortè veste indiget. Non indiget veste, « fortè tecto indiget, fortè Ecclesiam fabricat, fortè ali« quid utile in domo Dei molitur; exspectat ut attendas, « exspectat ut intelligas super egentem et pauperem. Tu « contra, terra dura, lapidea, non irrigata, servas tibi « dicere : Non sciebam, non noveram, nemo mihi di« xit; nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere, « Propheta non cessat dicere : *Beatus qui intelligit su« per egenum et pauperem.* Non vides arcam inanem « præpositi tui? Vides certè vel surgentem fabricam, « quò intraturus et oraturus es. Nonne admovetur ocu« lis tuis? Nisi fortè putatis, fratres, quia præpositi « vestri thesaurizant; et novimus multos non thesau« rizare, et ad quotidiana egere, de quibus omninò non « creditur; quos et vos inveniretis, si velletis, si cir« cumspiceretis, si ad hoc vigilaretis ut fructum dare« tis. » Lethalis ergo obdurationis adversùs misericordiam rei sunt, qui volentes benefacere præpositis suis, parochialibus Ecclesiis, pauperum clericorum seminariis, religiosorum virorum, aut sacrarum virginum monasteriis, à pio proposito quocumque modo deterrent vel impediunt; aut fundationes, vel pia legata in eorum favorem facta revocare compellunt aut suadent absque justâ causâ et officium conscientiæ spectante. Quam exceptionem regulæ consultò apposui, quia tenetur quandoque conscientiarum moderator suadere, imò præcipere pœnitentibus, ut donationes, legata, fundationes in favorem capitulorum, parochialium Ecclesiarum, seminariorum, pauperum clericorum, cœnobiorum aut parthenonum inopum factas rescindant et commutent; cùm scilicet ipsorum bona restitutioni sunt obnoxia; cùm debitis onerati sunt; cùm parentes vel propinquos habent egenos, aut à sui statûs honestate et decentiâ mox casuros, nisi ipsis succurratur; cùm pauperes, alios noverunt in parochiâ, in vicinià, in urbe magis indigentes, et quibus minùs subvenitur, et præsertim invalidos, ægros, orphanos, puellas ingenuas, quas dura egestas in prostitutionis periculum conjicit, familias honestas, quas pudor mendicare prohibet. His enim prudens et pius conscientiarum moderator priùs potiùsque subveniendum esse docebit, quàm parochiis, seminariis, cœnobiis et monasteriis, quibus vel reditus aliqui, vel oblationes et eleemosynæ suppetunt ad vitam, tenuiter licet ac frugaliter sustentandam. Sed restitutionem rerum malè partarum inprimis fieri tum debita solvi necesse est; nec fundationes ullas, aut impia potiùs quàm pia legata fieri permittet à pœnitente prudens et pius conscientiæ moderator, nisi his officiis perfunctus fuerit; nec hæredes pauperes, aut illos quos enumeravimus calamitosorum hominum ordines, graviori necessitate afflictos et oppressos, necessariis subsidiis frustrari patietur, ut capitulis, parochiis, seminariis, cœnobiis, monasteriis non ita gravem passis inopiam subvenia tur. Reus erit alioquin et ipse lethalis adversùs misericordiam obdurationis.

Regula XV. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est, qui opus aliquod misericordiæ, sive corporalis, sive spiritualis prætermittit ac negligit, cùm illud exercere potest et tenetur, quando nimirùm extrema est vel urgens proximi eâ misericordiâ indigentis necessitas. — Præceptum enim de proximi dilectione naturali et positivâ Dei lege homini datum violat; et videns fratrem suum ad necessitatem redactum, quam sublevare ille potest : *Claudit viscera sua ab eo*, 1 Joann. 3; igitur charitas Dei non manet in illo. Hinc S. Gregorius, homilià 9, in Evangelia ait : « Nullus est qui veraciter dicat : Talentum minimè « accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti « enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum repu- « tabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque ac- « cepit intelligentiam, prædicationis ministerium debet « ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, eroga- « tionem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum « intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, sed ta- « men didicit artem quâ pascitur; ipsa ars ei in talenti « acceptionem reputatur. Alius nihil horum assecutus « est, sed tamen fortassè familiaritatis locum apud divi- « tem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. « Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti « retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet « omninò ne taceat; habens rerum affluentiam, vigilet « ne à misericordiæ largitate torpescat; habens ar- « tem quâ regitur, magnoperè studeat ut usum atque « utilitatem illius cum proximo partiatur; habens lo- « quendi locum apud divitem, damnationem pro re- « tento talento timeat, si cùm valet, non apud eum pro « pauperibus intercedit. »

Septem porrò misericordiæ corporalis opera numerantur, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, excipere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum vel in carcere detentum, et sepelire mortuum; quæ hoc versu exprimuntur :

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

De illis divina exstant in sacris litteris præcepta; Isaiæ 58 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris;* Proverbiorum 25, et ad Romanos 12 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi;* item posteriori isto loco : *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes;* Epist. S. Jacobi cap. 1 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione ipsorum.* Priora sex misericordiæ corporalis opera Christus commendat Matthæi 25 : *Tunc dicet rex his qui à dextris erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitâstis me; in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quòd verò in æternam damnationem incurrant qui opera illa misericordiæ neglexerunt, ostendit sententia ibidem adversùs reprobos lata : *Tunc dicet his qui à sinistris erunt : Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitâstis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis, quamdiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Mortuorum sepulturam Christus ibi non commemorat, quia illa duntaxat misericordiæ opera recenset, quæ sunt evidentioris necessitatis : sepultura porrò nihil confert mortuo, quantùm ad sensum, ut loquitur S. Thomas. Cæterùm et illam inter opera misericordiæ meritò recenseri constat ex libro Tobiæ, cap. 12, ubi Raphael archangelus ait : *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Quamobrem et qui Christum Dominum sepelierunt, in Evangelio commendantur. Et quamvis nullus insit cadaveribus sensus, defunctorum tamen honori consulitur sepeliendo eorum corpora, quibus ignominiosum est, quatenùs in memoriâ hominum vivunt, ut maneant insepulta. Unde privatio sepulturæ pœna est gravissimam includens infamiam. Satisfit etiam sepeliendo mortuos legitimo desiderio quod habuêre dùm viverent, ut eorum corpora honorificè tractarentur, ut ait S. Thomas 2-2, quæst. 32.

Cùm autem visitationem infirmorum inter opera misericordiæ recenseri audis, ne existimes eo nomine visitationem illam duntaxat intelligi, quæ fit ad levandum infirmi tædium et mœrorem, sed maximè obsequium et ministerium infirmo exhibitum ad pellendam ægritudinem et recuperandam sanitatem. Quâ de re egregius est apud S. Gregorium Nazianzenum locus, oratione 15 de Pauperibus amandis. « Curemus, « inquit, non minùs aliorum corpora, quàm suum « quisque corpus, seu commodâ valetudine sit, seu eo- « dem modo consumatur. Omnes enim in Domino su- « mus, sive dives, sive pauper, sive servus, sive liber, « sive sanus, sive æger; atque unum omnium caput, « ex quo omnia, Christus. Quodque membra inter se « sunt, hoc unum alteri, atque omnibus omnes. Ac « proinde minimè committendum est, ut eos qui priùs « in communem infirmitatem inciderunt, contemna- « mus et negligamus; nec magis gaudendum nobis est, « quòd commodâ valetudine utimur, quàm lugendum « quòd fratres miserâ et afflictâ. Quin potiùs ita existi- « mare debemus, corporum et animarum nostrarum « salutem in hoc uno positam esse, ut eos misericordiâ « prosequamur..... O serve Christi ac Dei, et homi-

« num amore prædite, ne degenerem atque ignavum « animum geras, verùm fide subnitere. Misericordia « timiditatem, Dei metus mollitiem vincat; rationes « eas quæ carni favent, pietas superet. Ne fratrem « despicias, ne prætereas, ne ut scelus, ut piaculum, « ut aliud quiddam fugiendum et execrandum averse- « ris. Membrum tuum est, tametsi calamitate curvetur. « Tibi, licet animo admodùm forti prætereas, pauper « relictus est ut Deo..... Quisquis navigat, naufragio « propinquus est, eòque magis, quò audaciùs navigat; « et quisquis corpus gerit, corporis malis propinquus « est, eòque magis, quò erectior incedit, nec eos qui « ante se jacent, intuetur. Dùm secundo vento navi- « gas, ei qui naufragium facit, manum porrige, dùm « sanus es et locuples, afflicto fer opem. Ne exspectes, « dùm, quantum malum sit inhumanitas, in te ipso « discas, quantumque bonum viscera egentibus ape- « rire. Nec experiri velis Deum adversùs eos qui cer- « vicem attollunt, ac pauperes prætereunt, manum « extendentem. In alienis calamitatibus hæc disce, « egenti parùm aliquid tribue, neque enim parvum « est ei, qui omnibus rebus caret, imò ne ipsi quidem « Deo, si viribus par sit. Summi muneris loco animi « promptitudinem dona; si nihil habes, illacryma. « Magnum calamitoso remedium est miseratio ex ani- « mo collata; ac verè et sincerè condolere, calamita- « tem magnâ ex parte levat. Homo apud te jumento « vilior non est, quod cùm in foveam incidit, aut aber- « ravit, erigere ac reducere tibi lex præscribit. »

Ad redemptionem captivorum, seu detentorum in carcere ob debita quibus solvendis non sunt, revocatur misericordia, quâ proximo adversùs quamcumque vim et injuriam extrinsecùs illatam subvenitur, inquit S. Thomas. Quâ de re S. Ambrosius, lib. 2 de Officiis, cap. 15, scribit : « Summa liberalitas captivos redi- « mere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci « homines, et maximè feminas turpitudini, reddere « parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ « restituere..... Præcipua est igitur liberalitas re- « dimere captivos, et maximè ab hoste barbaro, qui « nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod « avaritia reservaverit; æs alienum subire, si debitor « solvendo non sit, atque arcetur ad solutionem, quæ « sit jure debita, et inopiâ destituta; enutrire parvulos, « pupillos tueri. Sunt etiam qui virgines orbatas pa- « rentibus, tuendæ pudicitiæ gratiâ, connubio locent, « nec solùm studio, sed etiam sumptu adjuvent. » Ad redemptionem captivorum, ad sepulturam fidelium, ad alimoniam pauperum, vasa etiam sacra frangi posse, et quandoque debere, conflari, vendi, S. Ambrosius docet cap. 28 : « Aurum, inquit, sacramenta non « quærunt; neque auro placent, quæ auro non emun- « tur. Ornatus sacramentorum redemptio captivorum « est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt « animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, « qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc « vas Dominici sanguinis agnosco, cùm in utroque « videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, « quos sanguis ab hoste redemit. » Id S. Laurentii martyris exemplo se præstitisse S. Ambrosius testatur, et Arianorum invidiam propterea subiisse. Et infra subdit : « Sanè si in sua quis derivat emolumenta, crimen « est; sin verò pauperibus erogat, captivum redimit, « misericordia est. Nemo enim potest dicere : Cur pau- « per vivit? Nemo potest quæri quia captivi redempti « sunt. Nemo potest accusare quia templum Dei ædifi- « catum est; nemo potest indignari quia humandis « fidelium reliquiis spatia laxata sunt; nemo potest « dolere quia in sepulturis Christianorum requies de- « functorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ « etiam initiata refringere, conflare, vendere licet. » Concilium quoque Remense anno circiter 630, canone 22, *ministeria sancta*, seu vasa sacra, *frangere* permittit episcopo, *si evenerit ardua necessitas pro redemptione captivorum.*

Inter opera misericordiæ corporalis plurimum etiam commendatur hospitalitas. Unde « Abraham pro hospi- « talitatis mercede fructum posteritatis recepit. Lot « propter hospilitatis affectum Sodomitana à se suisque « supplicia detorsit. In officiis autem hospitalibus om- « nibus quidem humanitas impartienda est; justis au- « tem uberior deferenda honorificentia. *Quicumque* « enim *justum receperit in nomine justi, mercedem justi* « *accipiet*, ut Dominus pronuntiavit, Matth. 10. Vides « quia Abraham Deum recepit hospitio, dùm hospites « quærit? Vides quia Lot angelos suscepit? Qui scis an « et tu, cùm suscipis hospitem, suscipias Christum? « Cùm in hospite sit Christus, quia Christus in pau- « pere est. » Hinc episcopum *hospitalem* esse oportere S. Paulus scribit 1 Timoth. 3 et 5, et inter bona opera quibus viduam Christianam commendari optat, hospitalitatis officium recenset : *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit.*

Opera misericordiæ spiritualis septem pariter numerantur, scilicet ignorantes docere, consilium præbere dubitantibus, afflictos consolari, peccantes corrigere, offensas remittere iis qui læserunt, aliorum defectus et infirmitates tolerare, pro omnibus orare; quæ hic versus complectitur :

*Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

Variis Scripturæ sacræ testimoniis commendantur. Ecclesiastici 18 : *Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum;* Galat. 6 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis;* Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum;* 2 ad Thessalonicenses 3 : *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur; et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem;* 1 ad Thessalonicenses 4 : *Consolamini invicem in verbis istis;* Lucæ 6 : *Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini;* Matthæi 6 : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittit et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra;* Matth. 18 : *Serve*

*nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Ad Romanos 15 : *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Ad Galatas 6 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Matthæi 5 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Jacobi 5 : *Orate pro invicem, ut salvemini... Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Correptio peccantium inter opera misericordiæ meritò numeratur. Quamvis enim in executione actus severitatem justitiæ continere videatur : quantùm ad intentionem tamen corripientis, qui vult hominem à malo culpæ liberare, pertinet ad misericordiam et dilectionis affectum : secundùm illud Proverbiorum 27 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.*

De utroque misericordiæ genere, et obligatione illam exercendi, hæc habet S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 16 de Pauperibus amandis inscriptâ : « Tu « verò siquidem majora quoque potes, et quibus anima « beneficio afficitur : ne his quoque de indigente benè « mereri absiste : imò primùm ac potissimum hæc ei « qui abs te petit, dona, priusque etiam quàm postu- « let, totâ die miserans ac sermonem commodans, « sortemque cum fœnore sedulò exigens, hoc est, « ejus cui utilitas affertur, incrementum quod quidem « doctrinæ semper adjungit, quisquis pietatis semina « in seipso paulatim auget. Sin hæc largiri nequis; hæc « secunda et minora, et quæ sub facultatem tuam ca- « dunt, præsta : subveni, cibum præbe, detritum pan- « num porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, « de calamitate aliquid percuntare, de patientiâ ora- « tionem habe. »

De misericordiâ spirituali, quæ in salubris consilii suggestione posita est, hæc S. Ambrosius lib. 2 de Officiis, cap. 15 : « Sunt, inquit, plerique etiam viri « boni, qui tenues sunt censu, contenti quidem exi- « guo ad sui usum, sed non idonei ad subsidium le- « vandæ paupertatis alienæ. Tamen suppetit aliud be- « neficentiæ genus, quo juvare possint inferiorem. « Est enim duplex liberalitas, una quæ subsidio rei « adjuvat, id est, usu pecuniæ; altera quæ operarum « collatione impenditur, multò frequenter splendidior, « multòque clarior... Quantò utiliùs regem Pharao- « nem sanctus Joseph consilio providentiæ juvit, quàm « si contulisset pecuniam? Pecunia enim unius civita- « tis non redimit ubertatem, prospicientia totius « Ægypti per septennium famem repulit. Facilè autem « pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. « Hæc usu augentur, pecunia minuitur, et citò deficit « atque ipsam destituit benignitatem; ut quò pluribus « largiri volueris, eò pauciores adjuvet, et sæpè tibi « desit, quod aliis conferendum putaveris. Consilii « autem collatio quò in plures diffunditur, eò redun- « dantior manet, et in suum fontem recurrit. »

De misericordiâ quæ in condonatione injuriarum versatur, dicemus aliàs opportuniùs. Illud interim ex S. Augustino accipe sermone 42, aliàs 29, ex homiliis quinquaginta. « Sacrificium, inquit, Christiani « est eleemosyna in pauperem. Hinc enim et Deus « peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat « Deus, quis remanet, nisi reus? Ab eis peccatis et « delictis, sine quibus vita ista non ducitur, mundan- « tur homines per eleemosynas; quæ sunt duorum « generum, erogando, et remittendo; erogando quod « habes bonum, remittendo quod pateris malum. « Hæc duo genera elemosynarum Dominus Magister « bonus quàm breviter fuerit complexus, audite : *Re- « mittite*, inquit, *et remittetur vobis; date, et dabitur « vobis.* Remittite, et remittetur vobis, pertinet ad « ignoscendum; date, et dabitur vobis, pertinet ad « erogandum. Ex illâ eleemosynâ, quâ ignoscis homini, « nihil perdis. Ecce statim veniam petit, ignovisti, « nihil amisisti. Charitate amplior domum redisti. »

De peccantium fraternâ correptione aliàs etiam agemus. Sufficiat inpræsentiarum illa S. Augustini sententia sermone 5, aliàs primo, ex iis quos edidit Sirmondus : « Sicut, inquit, Deus diligit, et tamen « corripit; sic et tu si habes aliquem in potestate, « quamvis serves affectum dilectionis, noli tamen ne- « gare flagellum correptionis. Quia si negaveris, non « tenebis delectionem; quia ille moritur in peccatis, « qui fortè correptus ea relinqueret; et magis tibi im- « putatur verum odium. »

Regula XVI.—Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est creditor, qui debitorem, quem solvendo non esse constat, urget opprimitque ut solvat, nec inducias ipsi concedit.—Hanc regulam Deus per Isaiam tradit, Judæis declarans, jejunium illorum Deo gratum non esse ob vitia ipsum contaminantia, præsertim verò quòd à debitoribus suis, qui solvendo non erant, debita exigerent acerbiùs : *Ecce*, inquit Isai. 58, *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis... Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.*

Eamdem regulam tradit Christus Dominus propositâ parabolâ de rege rationem à servis suis exigente, quorum unus decem millium talentorum debitor non habebat unde redderet : cui debitum omne dimisit. Ille verò unum è conservis, qui debebat ipsi centum denarios, rogantem inducias ad solvendum, oppressit, et in carcerem misit. Quem vocavit Dominus, et his verbis increpuit, Matth. 18 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* etc.

Hoc moralis christianæ caput confirmat S. Augustinus, sermone 239, aliàs de Tempore 146 : « Noli, « inquit, te avertere ab eo qui mutuum petit, sed « tantùm accipe quantùm dedisti. Non ploret cui de- « disti, nam beneficium perdidisti. Et si hoc ipsum

« quod datum est, vel quod accepit, exigitur, fortè « ad manum nondùm habet; pertulisti petentem, « exspecta non habentem; cùm habuerit, reddet tibi. « Noli clamare et dicere: Numquid fœnus quæro? Tan- « tùm peto quantùm dedi; quod dedi, hoc accipiam. « Benè facis, sed nondùm habet. Non es fœnerator, « et vis cui præstitisti ut quærat fœneratorem ut tibi « reddat. Si propterea fœnus non exigis, ne te fœne- « ratorem patiatur, quare vis ut propter te alium « fœneratorem patiatur? Premis, suffocas. Etsi tantùm « exigis quantùm dedisti, suffocando tamen et angus- « tias faciendo, non beneficium dedisti, sed potiùs « majores angustias intulisti. Sed fortè dicis: Habet « unde reddat; habet domum, vendat; habet posses- « sionem, vendat. Quando à te petivit, ideò petivit « ne venderet; propter te non faciat, qui subvenisti, « ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus « hoc vult Deus. »

Non solùm verò contra charitatem, sed et contra naturalem, ipsam æquitatem peccant, qui à debitoribus suis, quos solvendo non esse constat, debita exigunt acerbiùs, nec ipsis inducias concedere volunt. Unde judices, qui medii sunt inter instantiam seu persecutionem creditorum, et moram debitorum suâ sententiâ interdùm statuunt solutionis terminum, et debitori dilationem concedunt pro personarum, summæque ratione. Inducias autem illas invito quandoque creditore debitoribus concessas jus civile disertis verbis aprobat lex *Si debitori*, tit. *de Judiciis*, Digest. 5, et lex *Promissor* 21, tit. *de Pecuniâ constitutâ*, Digest. 13; item legibus 1 et 2, c., tit. *de Usuris rei judicatæ*. Lex *Si benè collocatæ* 33, *de Usuris*, lib. 22, Digest., tit 1, ait, creditorem præbere se non debere *acerbum exactorem, nec contumeliosum, sed moderatum, et cum efficaciâ benignum, et cum instantiâ humanum*. Sic loquiturl Ulpianus, ex christianâ ferè disciplinâ. Theodoricus Gothorum rex Sipontinis negotiatoribus, qui se dicebant hostium populatione vastatos, concedit privilegium ne per annos duos continuos à creditoribus possint fatigari; quatenùs his induciis et datam possint reparare pecuniam creditores ipsi, et aliquatenùs debitorum valeat respirare substantiâ: *Quid enim*, inquit, *proficit creditorem urgere, quando incassum nititur nudatos exigere? Quibus magis prospicimus si ad mutuata sustinendo pervenire faciamus*. Refert Cassiodorus lib. II Variarum epist. 38.

Regula XVII. — Lethalis obdurationis adversùs misericordiam reus est, qui agrorum suorum aut vinearum colono sive conductori, pensionem non remittit pro ratâ gravis incommodi sive damni ex sterilitate, aut alio casu fortuito, absque ipsius coloni seu conductoris culpa, aut vitio rei contingente.—Nec solùm adversùs misericordiam, verùm et adversùs justitiam peccat. Utroque enim jure sancitum est ut in hujusmodi casibus remissio fiat annuæ pensionis pro rata damni et incommodi: nisi fortè sterilitas anni præcedentis vel subsequentis valeat ubertate compensari. Ita Gregorius Nonus respondet, cap. *Propter*, Extra. *de Locato et Conducto*, cujus hæc sunt verba: « Pro- « pter sterilitatem afficientem magno incom. odo con- « ductores, vitio rei, sine culpâ coloni, sèu casu for- « tuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro ratâ est « pensionis remissio facienda; nisi cum ubertate præ- « cedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas con- « pensari. »

Idem confirmatur ex lege *Licet certis*, lib. 4 Cod. tit. 65, et lege *Ex conducto*, lib. 19 Digestorum, tit. 2.

### Articulus X.

### *De prodigalitate.*

Prodigalitas peccatum est avaritiæ oppositum, et cum liberalitatis virtute pariter pugnans. « Differunt « autem avaritia et prodigalitas secundùm superabun- « dantiam et defectum diversimodè, inquit S. Thomas, « 2-2, quæst. 119, art. 1. Nam in affectione divitiarum « avarus superabundat, plus debito eas diligens: pro- « digus autem deficit, minùs debito earum sollicitudi- « nem gerens. Circa exteriora verò ad prodigalitatem « pertinet excedere quidem in dando, deficere autem « in retinendo et acquirendo; ad avaritiam autem « pertinet è contrario deficere quidem in dando, su- « perabundare autem in accipiendo et retinendo. » Prodigalitatem peccatum esse ex eo confirmatur, quòd divites, quamvis bonorum suorum temporalium domini sint, Dominum tamen superiorem habent, cujus est terra et plenitudo ejus, qui per Prophetam ait, Aggæi 2: *Meum est aurum, et meum est argentum;* qui hominibus temporalia dedit ad utendum, se ipsum ad fruendum. Non ergo divitiis uti possunt homines prout libet, sed secundùm voluntatem Dei, et leges ab ipso positas. Alioqui illas jure non possident. *Nam tunc quisque habere aliquid dicendus est, quando benè utitur;* et *quod justè non tractat, jure non tenet*, inquit S. Augustinus sermone 50, aliàs de Diversis 15. Hinc Christus (Luc. 16) discipulos, et in iis fidlees omnes propositis parabolis erudiens, similitudinem villici inter alias proposuit, « ut exemplo hujus personæ ni- « hil esse nostrum in seculo isto signaret; sed nobis « creditam esse dispensionem facultatum Domini nostri « vel ad utendum ex eis sufficienter cum gratiarum « actione, vel ad distribuendum conservis, prout cui- « que opus est; nec licere nobis passim facultatibus « abuti commissis, aut in expensas usurpare super- « fluas, cùm sit erogationis ratio Domino venienti red- « denda. » Verba sunt S. Gaudentii, sermone 18.

Hinc S. Ambrosius, lib. 2 de Officiis, cap. 21: « Non « prodigos, inquit, nos docet esse Scriptura, sed libe- « rales. Largitatis enim duo sunt genera, unum libe- « ralitatis, alterum prodigæ effusionis. Liberale est « hospitio suscipere, nudum vestire, redimere capti- « vos, non habentes sumptum juvare; prodigum est « sumptuosis effluere conviviis, et vino plurimo. Unde « legisti, Proverb. 20: *Prodigum est vinum, et contu- « meliosc ebrietas*. Prodigum est, popularis favoris « gratiâ exinanire proprias opes. Quod faciunt, qui « ludis circensibus, vel etiam theatralibus et mune- « ribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimo-

« nium dilapidant suum, ut vincant superiorum cele-
« britates, cùm totum illud sit inane quod agunt
« Quandoquidem etiam bonorum operum sumptibus
« immoderatum esse non deceat. Pulchra liberalitas,
« erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut
« abundes pluribus, non conciliandi favoris gratiâ ul-
« tra modum fluere. Quicquid ex affectu puro ac sin-
« cero promitur, hoc est decorum ; non superfluas æ-
« dificationes aggredi, nec prætermittere necessarias.
« Et maximè sacerdoti hoc convenit, ornare tem-
« plum Dei decore congruo, ut etiam hoc cultu aula
« Domini resplendeat, impensas misericordiæ conve-
« nientes frequentare, quantùm oporteat largiri pere-
« grinis, non superflua, sed competentia ; non redun-
« dantia, sed congrua humanitati ; ne sumptu paupe-
« rum alienam sibi quærat gratiam ; ne restrictiorem
« erga clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alte-
« rum enim inhumanum, alterum prodigum : si aut
« sumptus desit necessitati eorum, quos à sordidis ne-
« gotiationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptati
« superfluat. »

Regula I. — Quamvis prodigalitas veniale tantùm peccatum sit ex genere suo, quatenùs cum solâ liberalitate pugnat, lethale tamen peccatum est, cùm aliquis res suas prodigit contra regulas charitatis et justitiæ, seu ob finem utrique illi virtuti oppositum. — Sic lethalis peccati rei sunt, qui bona sua profundunt et decoquunt in comessationibus et ebrietate, in scortationibus, aleâ, luxu, et quovis illicitarum voluptatum genere, ut filius ille prodigus, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè*, ut dicitur Luc. 15.— Quod expendens S. Augustinus, lib. 2 Quæst. Evang. quæst. 33, ait : *Hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis exterioribus, intus innanescentem, cùm ea quisque sequitur quæ ab illâ procedunt, et relinquit eum qui sibi est interior.* Lethalis prodigalitatis rei sunt, quicumque cum gravi aliorum damno vel scandalo bona sua profundunt. Item tutores et curatores, qui bona pupillorum, dispensatores, œconomi, administri, qui bona suæ fidei commissa ; nobiles, mercatores, et quicumque bona creditorum decoquere non verentur ; patresfamiliàs, qui suarum pecuniarum profusione uxori et liberis graviter nocent, eis non providendo necessaria ; et mulieres quæ in mundo muliebri, et superfluo vestium ornatu sumptus immodicos faciunt. De quibus Tertullianus, lib. de Cultu feminarum, cap. 8, scribit : *De brevissimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies sestertium inseritur. Saltus et insulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare.*

Lethalis tandem prodigalitatis rei sunt, quos sumptus inutiles, vani, immoderati impediunt ab eroganda eleemosynis ex illis quæ sunt ipsis habitâ statûs et dignitatis ratione superflua. Immodicos et inutiles sumptus servi aut œconomi sui, rerumque profusionem suarum ab ipsis factam nemo probaret. Quâ igitur fronte homines, quibus rerum temporalium possessionem quidem, sed tamen ad rectum usum et dispensationem Deus supremus omnium rerum hominumque Dominus concessit, rationes suas ipsi probandas sperant, nisi fideliter illas administrent et dispensent ? « Placet tibi, homo, servus tuus fidelis,
« et tu nos vis esse Deo servus fidelis ? Attendis quia
« habes servum, attende quia habes Dominum. Ser-
« vum tuum potuisti comparare, non creare : Dominus
« tuus et verbo suo creavit te, et sanguine suo rede
« mit te. Si viluisti tibi, recole pretium ; si et hoc
« oblitus es, lege Evangelium, instrumentum tuum.
« Fidem amas in servo tuo, et Dominus tuus non quæ
« rit eam in suo ? Redde quod exigis. Quod tibi gau
« des reddi ab inferiore, redde superiori. Amas ser-
« vum, qui fideliter custodit aurum tuum : noli con-
« temnere Dominum, qui misericorditer custodit cor
« tuum. » Verba sunt S. Augustini, sermone 36, aliàs de Tempore 212.

Regula II. — Lethalis est ut plurimùm Clericorum prodigalitas qui reditus ecclesiasticos in sumptus inanes profundunt.—Hæc regula colligitur ex S. Thomâ, secundâ secundæ, quæst 119, art. 2, in responsione ad primum : « Prodigus, inquit, peccat in se ipsum,
« dùm bona consumit, unde vivere deberet : peccat
« etiam in alterum consumendo bona ex quibus de-
« beret aliis providere. Et præcipuè hoc apparet in
« clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ,
« quæ sunt pauperum, quos defraudant, prodigè ex-
« pendendo. » Quò spectat et illud S. Bernardi, tract. de Moribus et Officio episcoporum, sive Epist. ad Henricum Senonensem archiepisc., cap. 2 : « Dicite pon-
« tifices, non quidem in sancto, sed in freno quid
« facit aurum ? Quàm tolerabiliùs cernitur in sancto,
« quàm in fræno ! Hoc me etiam tacente, etsi non
« curia regum, tamen penuria pauperum clamat. Si-
« leat licet fama, sed non fames. Fama quidem silet,
« quia non potest mundus odisse vos. Nam quomodò
« arguet mundus peccatum, à quo potiùs laudatur
« peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus be-
« nedicitur ? Clamant verò nudi, clamant famelici,
« conqueruntur et dicunt : ... Nobis frigore et fame
« miserabiliter laborantibus quid conferunt tot muta-
« toria vel extensa in perticis, vel plicata in manti-
« cis ? Nostrum est quod effunditis ; nobis crudeliter
« subtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos enim
« Dei plasmatio, et nos Christi sanguine redempti
« sumus. Nos ergo, fratres vestri, videte quale sit de
« fraternâ portione pascere oculos vestros ; vita no-
« stra cedit vobis in superfluas copias. Nostris neces-
« sitatibus detrahitur, quicquam succedit vanitatibus
« vestris. Duo denique mala de unâ prodeunt radice
« cupiditatis, dùm et vos vanitando peritis, et nos
« spoliando perimitis. » Hinc rursùs S. Thomas, quodlibeto 6, quæstione 8, articulo 1, ad quartum : « Di-
« cendum, inquit, quòd neque moderatus usus divi-
« tiarum, neque bona fides dispensatorum salvari vi-
« detur in eo qui scienter superfluas expensas facit

« in voluptuosis conviviis, et aliis hujusmodi superfluitatibus; et ideò non est dubium quòd in talibus « peccat mortaliter... Si autem aliquis non multùm « in talibus excedat, potest bonâ fide fieri ab aliquo, « qui vult secundùm decentiam sui statûs morem « gerere his quibus convivit. »

## CAPUT VI.

### DE LUXURIA.

#### ARTICULUS PRIMUS.

#### *Quid sit, et quàm grave peccatum.*

Luxuria peccatum est, *quo venerea voluptas supra modum et contra legem naturalem et divinam appetitur et percipitur.* Usus nempe venereorum secundùm se non est illicitus, si debito modo et ordine fiat. « Sicut enim « ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus « ciborum, ita etiam ad conservationem totius humani « generis usus venereorum. Unde S. Augustinus dicit « lib. de Bono conjugali, cap. 16. *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.* « Et ideò sicut usus ciborum potest esse absque pec- « cato, si fiat debito modo et ordine secundùm quòd « competit saluti corporis; ita etiam et usus venereo- « rum potest esse absque peccato, si fiat debito modo « et ordine, secundùm quòd est conveniens ad finem « generationis humanæ, » inquit S. Thomas 2-2, quæstione 153, a. 2. Id autem debito modo et ordine fieri non potest extra legitimum matrimonium. Quamobrem luxuria lethale ex genere suo peccatum est, ut constat ex Apostolo, ad Galatas 5: *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc., quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

Præterea, « ex eo quòd aliquis inordinatè corpore « suo utitur, injuriam facit Deo, qui est principalis Do- « minus corporis nostri; » inquit S. Thomas, articulo 5 quæstionis laudatæ. Hinc Apostolus 1, ad Corinthios 3, ait: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus... Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et cap. 6: *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Hoc templum Dei, quod baptismate consecratum est, de quo Tertullianus ait libro 2: de Cultu feminarum, cap. 1: « Cùm omnes templum Dei simus, « illato in nos et consecrato Spiritu sancto, ejus tem- « pli æditua et antistita pudicitia est, quæ nihil im- « mundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui « inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. » Et S. Cyprianus, libro de Disciplinâ et Habitu virginum, scribit: « Considerantes pariter ac scientes, « quòd templa Dei sunt membra nostra, ab omni fœce « contagionis antiquæ lavacri vitalis sanctificatione « purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui « violat, et ipse violetur. Eorum nos templorum cul- « tores et antistites sumus; serviamus illi, cujus esse « jam cœpimus. » Hoc, inquam, templum luxuria polluit. Hinc S. Augustinus, sermone 9 de decem Chordis, aliàs 96, de Tempore, cap. 10, ait: « Deus qui scit « quid tibi utile sit, qui verè sic suos servos gubernat « ad utilitatem illorum, non ad suam; non enim indi- « get servis quasi ad adjutorium, sed tu indiges Domini « auxilio; ipse ergo Dominus qui scit quid tibi sit utile, « uxorem concessit, nihil amplius. Hoc jussit, hoc præ- « cepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus « quod esse cœpisti. Numquid hoc ego dico, Apostolum « audite: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus « Dei habitat in vobis?* Hoc dicit Christianis, hoc dicit « fidelibus... *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet « illum Deus.* Videtis quomodò minatur? Non vis cor- « rumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? « Certè facis alicui quod pati non vis. Non est ergo « quà evadatur... Omnia enim peccata hominum, aut « ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora « nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus « in flagitiis cum offendis, in corruptelis cum offendis, « in te illi facis injuriam. Facis enim injuriam gratiæ « ipsius, domui ipsius. »

Singularem etiam Christo infert injuriam luxuria, quatenùs violat membra Christi. Corpora enim nostra membra Christi sunt, ipsi tanquàm capiti cohærentia, si sanctè et castè vivamus. Ipsa autem à Christo disjungit luxuria, et cum meretrice copulat, ut ait Apostolus 1 ad Corinthios 6: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens autem membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne unâ. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Non solùm in incarnatione sese naturæ nostræ personaliter conjunxit Dei Filius, sed etiam in unicuique nostrûm in Eucharistiâ substantiali simul et sacramentali modo se conjungit. *Seipsum nobis commiscet*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *et non fide tantùm, verùm et reipsà nos suum efficit corpus?* Luxuria verò divinam illam conjunctionem solvit et abrumpit. Hinc impudicos, et præsertim adulteros, ab Eucharistiæ communione quædam olim Ecclesiæ in perpetuum removebant, ut constat ex Illiberitani concilii canone 3: « Si post pœnitentiam, inquit, fue- « rint mœchati, placuit ulteriùs eis non esse dandam « communionem, ne lusisse de dominicâ communione « videantur. » Et canone 7: « Si quis fortè fidelis, « post lapsum mœchiæ, post tempora constituta actâ « pœnitentiâ, denuò fuerit fornicatus, placuit, eum « nec in fine habere communionem. » Christus animarum nostrarum sponsus est, ipsasque per fidem, spem et charitatem sibi conjungit. *Despondi enim vos*, inquit Apostolus, 2 ad Cor. 2, *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quanquàm enim fideles conjugati virgines non sint corpore et spiritu, sicut Ecclesia, sancti tamen et casti esse debent corpore et spiritu, alioquin eorum animas Christus virginis Filius et virginum sponsus repudiabit, execrabitur. Christus enim Dei sapientia *in malevolam animam non intrabit, neque habitabit in corpore subdito peccatis.*

Luxuriam affine idololatriæ crimen Patres existimârunt, et ad ejus gravitatem proximè accedens. Quâ de re Tertullianus, lib. de Pudicitiâ, cap. 5: « Itaque « mœchia affinis idololatriæ (nam et idololatria mœ- « chiæ nomine et fornicationis sæpè populo exprobra- « tur) etiam sorte conjungetur illi sicut et serie; etiam « damnatione cohærebit illi, sicut et dispositione ... « Est et mali dignitas, quod in summo aut in medio pes- « simorum collocatur. Pompam quamdam atque sug- « gestum aspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ « antecedentis, hinc comitatum homicidii insequen- « tis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine « dubio digna consedit, et per medium eorum quasi « vacantem locum pari criminis auctoritate comple- « vit ..... Ego quidem idololatria sæpissimè mœ- « chiæ occasionem subministro. Sciunt luci mei, et « mei montes, et vivæ aquæ, ipsaque in urbibus tem- « pla, quantùm evertendæ pudicitiæ procuremus. Ego « quoque homicidium nonnunquàm mœchiæ elaboro. « Ut tragœdias omittam, sciunt hodiè venerarii, sciunt « magi, quot pellicatus ulciscar, quot rivalitates de- « fendam, quot custodes, quot delatores, quot con- « scios auferam. Sciunt etiam obstetrices, quot ad- « ulteri conceptus trucidentur. Etiam apud Christianos « non est mœchia sine nobis; ibidem sunt idololatriæ « ubi immundi spiritûs res est. Ibidem est et homici- « dium, ubi homo, cùm inquinatur, occiditur. » Magis criminosum mœchum eo qui metu aut vi tormento- rum in idololatriam lapsus est, contendit idem auctor, cap. 23: « Nemo volens, inquit, negare compellitur; « nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est « nisi ipsa. Negationem porrò quanta compellunt in- « genia carnificis et genera pœnarum? Quis magis ne- « gavit, qui Christum vexatus, an qui delectatus ami- « sit? Qui cùm amitteret doluit, an qui cùm amitte- « ret, lusit? » Manichæos olim concupiscentiam ado- râsse, testis est S. Epiphanius. Luxuriosi hanc impie- tatem æmulantur. Cùm enim corpora sua: *Hostiam vi- ventem, sanctam, Deo placentem* offere deberent, ea fœdæ libidini et concupiscentiæ immolant; ut de illis meritò dici possit, quod de idolorum artificibus Ter- tullianus, libro de Idololatriâ, cap. 6, ait: « Colis, non « spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio; « nec animâ pecudis impensâ, sed animâ tuâ. Illis in- « genium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, « illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quàm « sacerdos... Diligentiâ tuâ Numen illorum est .... « Negas te colere, sed illi non negant, quibus hanc « saginatiorem, et auratiorem, et majorem hostiam « cædis, salutem tuam. » Hinc Arnoldus Bonævallis abbas, sermone de Jejunio et Tentationibus, inter S. Cypriani opera: *Genuflexo*, inquit, *concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, et propriæ libidinis adorat si- mulacrum.* Quid Salomonem ad idololatriam pertraxit? nonne luxuria? 3 Regum, cap. 11: *Rex Salomon ad- amavit mulieres alienigenas multas... His copulatus est ardentissimo amore... et averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.*

Graviter quoque peccat in se ipsum luxuriosus, quatenus corpus suum polluit et contaminat. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino*, inquit Apostolus, 1 Cor. 6, *et Dominus corpori. Deus autem et Dominum suscitavit; et nos suscitabit per virtutem suam. Fugite fornicatio nem. Omne peccatum, quodcumque peccerit homo, extr corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* Fœdius autem et probrosius est homini cæteris pecca tis luxuriæ crimen, quòd in aliis affectionibus animus à seipso vincatur, in hâc verò vincatur à corpore, quod ei naturâ inferiore subjectum est. « Minùs autem « pudet, cùm sibi animus ex vitiosis suis partibus non « obtemperat, quàm cùm ei corpus, quod alterum al « illo est, atque infra illum est, et cujus sine illo na « tura non vivit, jubentique non cedit, » inquit S. Augustinus, lib. 14 de Civitate Dei, cap. 23. Denique peccatum gravissimum est in proximum, teste S. Thomâ, quæstione 15 de Malo, inter quæstiones dispu tatas, articulo 2 ad quartum. « Omnes, inquit, cor- « ruptiones luxuriæ, quæ sunt præter legitimum « matrimonii usum, sunt peccata in proximum, in « quantum sunt contra bonum prolis generandæ et « educandæ. »

### Articulus II.

### *De luxuriæ speciebus*

Septem sunt luxuriæ species, scilicet fornicatio simplex, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, et vitium contra naturam.

Fornicatio simplex *est commixtio soluti cum solutâ*, sive vidua sit, sive meretrix, sive concubina.

Adulterium est *accessus ad alienum torum*, sive *commixtio conjugati hominis cum alienâ uxore; vel conjugati cum muliere solutâ; vel feminæ conjugatæ cum viro soluto.* Hinc S. Augustinus, libro de Bono conjugali, cap. 4. « In eo ipso, inquit, quòd sibi invicem « conjuges debitum solvunt, etiamsi id aliquantò in- « temperantiùs et incontinentiùs expetant, fidem ta- « men sibi pariter debent. Cui fidei tantùm juris tri- « buit Apostolus 1, Cor. 7, ut eam potestatem appel- « laret, dicens: *Mulier non habet potestatem corporis « sui, sed vir; similiter autem et vir non habet potestatem « corporis sui, sed mulier.* Hujus autem fidei violatio « dicitur adulterium, cùm vel propriæ libidinis in- « stinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel alterâ « contra pactum conjugale concumbitur. »

*Stuprum est illicita virginis sub curâ parentûm exi- stentis defloratio.* Hæc verba, *sub curâ parentûm*, sta- tum virginis usque ad matrimonium explicant. Unde si quis virginem grandævam, et sui juris existentem, etiam consentientem, extra matrimonium defloraverit, stupri reus est.

*Sacrilegium* in materiâ luxuriæ est *personæ vel rei Dei consecratæ per actum venereum violatio.* Quod com- mittitur cùm quis sacris ordinibus initiatus, aut so- lemni professione alicui ordini religioso addictus, aut etiam simplici vero castitatis obstrictus, luxuriæ pec- catum committit; vel laicus cum sanctimoniali pro- fessâ, aut muliere voto simplici castitatis Deo dicatâ; aut mulier sæcularis cum viro aliquo ex his modis

sacro; aut cùm duæ personæ sacræ simul venereum peccatum committunt, seu voluntate solâ, vel deliberatâ delectatione, seu opere consummato, vel imperfecto, quales sunt aspectus et tactus impudici, et oscula libidinosa; aut denique cùm in loco sacro, id est, ecclesiâ consecratâ vel benedictâ, cœmeterio, aut sacello episcopi auctoritate erecto et divino cultui dicato, actus venereus, etiam à conjugibus exercetur. Quæ circumstantiæ in confessione sacramentali omninò explicandæ sunt.

Incestus est *commixtio venerea personarum consanguineârum vel affinium intra gradus prohibitos;* scilicet usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, item usque ad quartum gradum affinitatis ex matrimonio legitimo contractæ inclusivè, ex copulâ autem illicitâ usque ad secundum. Ad quam speciem pertinet quidem violatio cognationis spiritualis ortæ ex baptismo vel confirmatione, et congressus confessarii cum filiâ spirituali pœnitente, vel illius sollicitatio, ut constat ex canone *Omnes* et ex canone *Si quis sacerdos*, causâ 30, quæst. 1; sed sacrilegii deformitate cumulatur.

Raptus est *distincta luxuriæ species quâ persona quæpiam invita, vel repugnantibus ejus parentibus, aut iis quorum curæ commissa est, per vim aut seductionem abducitur, explendæ libidinis, aut matrimonii contrahendi causâ; vel in paternis ædibus aut alibi opprimitur et polluitur invita.* Personæ nomine vir et mulier, sive soluta, sive conjugata, sive vidua, sive virgo, sive deflorata et corrupta, sive secularis, sive Deo sacra intelligitur. Raptum enim quandoque cum stupro conjunctum, quandoque raptum sine stupro, quandoque stuprum sine raptu inveniri, scitè observat S. Thomas 2-2, quæstione 154, articulo 7. Raptus cum stupro conjunctus est, cùm aliquis vim infert puellæ ad florem virginitatis ejus delibandum. Quæ quidem vis quandoque infertur parentibus, sed non virgini, cùm scilicet ipsa consentit ut per violentiam à paterno domo abducatur. Alio etiam modo violentia et raptus differunt, quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, et invita repugnansque violatur; quandoque autem etsi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, sed volens, sive fornicario concubitu, sive matrimoniali. Sed tamen quæcumque vis illata fuerit, sive personæ quæ abducitur, sive parentibus, tutoribus, marito, quibus reluctantibus aufertur, veri nominis raptus est, sive copula sequatur, sive non sequatur. Si ergo per vim abducatur femina, etiamsi postea in matrimonium vel in copulam consentiat cum raptore, ille nihilominùs raptûs damnatur. Raptus etiam est, cùm puella reclamante patre aut iis qui loco sunt patris, sive tutoribus; vel uxor invito marito abducitur, etsi consentiens et volens. Invenitur autem raptus sine stupro, cùm aliquis rapit viduam aut puellam corruptam. Stuprum verò sine raptu, cùm virgo nullâ vi illatâ illicitè defloratur.

Peccatum contra naturam *est actus venereus ex quo generatio sequi non potest, sive qui fit præter eum usum, quae humana natura potest nascendo subsistere*, ut loquitur S. Augustinus libro 3 contra Julianum, cap. 20. Dicitur contra naturam, quia non solùm repugnat rectæ rationi, ut cætera peccata; sed etiam naturali ordini et modo, quo Deus utrumque sexum copulari, et per eam copulam humanum genus propagari voluit.

Quatuor sunt illius peccati species, scilicet 1° Mollities sive pollutio, *quâ quis voluntariâ seminis effusione se ipsum contaminat, vel alienâ manu provocatus contaminatur.*

2° Inordinatus concubitus est *indebitus modus copulæ carnalis, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum est, et generatio impeditur.*

3° Sodomia *nefarium et abominandum præposteræ libidinis crimen est, quo personæ ejusdem sexûs carnaliter copulantur et commiscentur, uno turpiter agente, altero turpiter patiente.*

4° Bestialitas est *nefaria copula cum re alterius speciei, scilicet cum brutis animantibus, aut dæmonibus succubis vel incubis.*

5° Addi potest execranda illa species luxuriæ quam *fellationem* vocant; et qui eam exercent, *fellatores*, quos Martialis poeta, lib. 11, epigrammate 61, *linguâ maritos, et ore mœchos* appellat. Quo flagitio Lesbii turpissimi fuerunt, teste Suidâ. De quo facinore Minucius Felix, in Octavio, hæc scribit adversùs Ethnicos : « Etiam ille qui de adoratis sacerdotis virilibus « adversùs nos fabulatur, tentat in nos conferre quæ « sua sunt. Ista enim impudicitiæ eorum forsitan sa- « cra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus « prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urba- « nitas; qui scortorum licentiæ invident, qui medios « viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhære- « scunt, homines malæ linguæ etiam si tacerent; quos « priùs tœdescit impudicitiæ suæ, quàm pudescit. « Proh nefas! Id in se mali facinoris admittunt, « quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servi- « tus durior. Hæc et hujusmodi propudia nobis non « licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere « est. »

De his luxuriæ speciebus regulæ quædam morum stabiliendæ supersunt, reliquis alibi tractandis, nempe ubi de sexto Decalogi præcepto agetur.

### Articulus III.

## Regulae morum luxuriam spectantes.

Regula prima. — Actus omnis venereus extra legitimum matrimonium semper est peccatum lethale. — Unum enim est ex operibus carnis, de quibus Apostolus ad Galatas 5 ait : *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Præterea, visus mulieris cum concupiscentiâ lethale peccatum est, secundùm illud Matthei 5 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Cùm igitur visus mulieris inter omnes actus luxuriæ primum sit minimumque peccatum, multò magis omnes alii actus sunt peccata mortalia, inquit S. Thomas,

quæstione 15, de Malo, a. 2. Idem probat intrinseca ipsius actûs inordinatio, quia scilicet : « Actus non est « proportionatus generationi et educationi prolis. Vi- « demus enim quòd peccatum mortale est non solùm « homicidium per quod vita hominis tollitur, sed « etiam furtum per quod subtrahuntur exteriora bo- « na quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur. « Propinquiùs autem ordinantur ad vitam hominis se- « men humanum, in quo est homo in potentiâ, quàm « quæcumque res exteriores : et ideò inordinatio circa « emissionem seminis est circa vitam hominis in po- « tentiâ propinquâ. Undè manifestum est quòd omnis « actus luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere. » Ita ratiocinatur S. Thomas, ibidem.

Regula II.— Omnis appetitus actûs venerei extra fines legitimi matrimonii, si sit plenè deliberatus, lethale peccatum est. — Ait enim Christus, Matthæi 15 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes... Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Quæ verba S. Augustinus expendens, libro de Continentiâ, cap. 2 : « Nihil est, inquit, istorum « malorum quæ perpetrari etiam membris corporis « possunt, quod cogitatio non antecedat mala, et co- « inquinet hominem, etiamsi aliquid impediat, ne « subsequantur opera flagitiosa et facinorosa mem- « brorum. Si enim quia potestas non datur, vacat « manus ab hominis interfectione, numquid ideò mun- « dum est à scelere cor homicidæ? Aut si rem subri- « pere alienam, non ut quis vult potest, numquid « ideò in ipsâ voluntate fur non est? Aut si casta est, « quam vult adulterare non castus, ideò eam non est « in corde mœchatus? Aut si meretrix non inveniatur « in fornice, ideò qui eam quærit non fornicatur in « mente?..... Ita cætera mala facta hominum, quæ « nullus agit corporis motus, quæ nescit ullus corpo- « ris sensus, reos suos occultos habent; quos etiam « solus inquinat in cogitatione consensus, id est oris « interioris verbum malignum. In quod timens ille de- « clinari cor suum, ostium continentiæ circum labia « oris hujus poni poscit à Domino, quod contineat cor, « ne declinetur in verba maligna; contineat autem, « non sinendo cogitationem procedere in consensio- « nem; sic enim secundùm præceptum apostolicum : « *Non regnat peccatum in nostro mortali corpore, ne- « que exhibemus membra nostra arma iniquitatis pecca- « to.* A quo præcepto implendo utique alieni sunt, « qui ob hoc ad peccandum membra non movent, « quia potestas nulla permittitur; quæ si adsit, pro- « tinùs ex membrorum velut armorum motibus, quis « in eis intus regnet, ostendunt. Proinde, quantùm « in ipsis est, membra sua exhibent arma iniquita- « tis peccato; quia hoc volunt, quod propterea non « exhibent, quia non possunt. »

Id confirmat S. Thomas, quæstione 15 de Malo, articulo 2 : « Quia, inquit, appetitus interior accipit « bonitatem vel malitiam ex eo quod appetitur, inde « est quòd etiam appetitus hujusmodi actûs inordinati « est peccatum mortale, si sit completus, scilicet cum « ratione deliberatâ; alioquin est peccatum veniale. »

Regula III.— Fornicationem simplicem esse peccatum mortale, dogma fidei est.

Ita quippe definitum est in Clementinâ, *Ad nostram*, tit. de Hæreticis, contra Beguardos et Beguinas; quæ definitio evidentibus Scripturæ sacræ nititur testimoniis. Ab Apostolo enim cap. 1 Epistolæ ad Romanos, inter ea peccata numeratur, de quibus ait : *Quoniam qui talia agunt digni sunt morte.* Et ad Galatas 5 recensetur inter opera carnis, de quibus scribit : *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* 1 ad Corinthios 5 : *Scripsi vobis in epistolâ : Ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris... Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur est fornicator aut avarus... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et cap. 6 : *Neque fornicarii*, inquit, *neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt.* Ad Ephesios 5 : Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Ad Hebræos 13 : *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* Apocalypsis 21 : *Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; quod est mors secunda.*

Et in lege Dei, non solùm sexto Decalogi præcepto, *Non mœchaberis*, sed et Deuteronomii 22 ut peccatum morte dignum damnatur et prohibetur. *Si non est in puellâ inventa virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris sui, et lapidibus obruent eam viri civitatis illius, et morietur, quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui; et auferes malum de medio tui.* Et cap. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* Quem locum S. Augustinus expendens, quæstione 37 in Deuteronomium, ait : « Ecce « ubi manifestè prohibuit fornicari et viros et feminas « etiam cum non alienis conjugibus; peccatum esse « demonstrans misceri non conjugibus suis, quando « et meretrices esse, et ad meretrices accedere prohi- « bet, quarum publicè venalis est turpitudo. Et To- « biæ 4 : *Attende tibi ab omni fornicatione, et præter « uxorem tuam nunquàm patiaris crimen scire.* Et pro- « verb. 5 : *Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim « distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. « Novissima autem illius amara quasi absynthium, et « acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in « mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per se- « mitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et « investigabiles. Longè fac ab eâ viam tuam, et ne ap- « propinques foribus domûs ejus.* Et cap. 23 : *Fovea « profunda est meretrix, et puteus angustus, aliena. In- « sidiatur in viâ quasi latro, et quos incautos viderit, « interficiet.* »

Idem confirmat S. Thomas 2-2, quæstione 154, a. 2 : « Peccatum mortale est, inquit, omne pecca- « tum quod committitur directè contra vitam hominis. « Fornicatio autem simplex importat inordinationem, « quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali « concubitu nasciturus. Ad educationem enim homi-

« nis non solùm requiritur cura matris à quâ nutritur, « sed multò magis cura patris à quo est instituendus et « defendendus, et in bonis tam interioribus quàm ex- « terioribus promovendus. Et ideò contra naturam « hominis est quòd utatur vago concubitu ; sed opor- « tet quod sit maris cum determinatâ feminâ, cum « quâ permaneat, non per modicum tempus, sed diu, « vel etiam per totam vitam. » Hinc viris naturaliter inest sollicitudo de certitudine prolis, quia illis incumbit ejus educatio. Hæc autem certitudo tolleretur, si vagus esset concubitus, et nisi vir et mulier legitimo matrimonio conjungerentur. « Unde cùm forni- « catio sit concubitus vagus, utpotè præter matrimo- « nium existens, est contra bonum prolis educandæ; « ideò est peccatum mortale. » Nec obstat, inquit S. Thomas, si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione : « Quia id « quod cadit sub legis determinatione judicatur se- « cundùm id quod communiter accidit, et non secun- « dùm id quod in aliquo casu potest accidere. » Denique ab Innocentio XI pontifice maximo damnata est inter alias hæc propositio ordine 48 : *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, et solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.*

Hæc propositio cum septimo Beguardorum et Beguinarum errore à Clemente V damnato in concilio Viennensi affinitatem habet : « Mulieris osculum, in- « quiebant, cùm ad hoc natura non inclinet, est mor- « tale peccatum; actus autem carnalis, cùm ad hoc « natura inclinet, peccatum non est, maximè cùm « tentatur exercens. »

Regula IV. — Fornicatio cum publicæ libidinis victimis gravius peccatum est furtivo cum aliis publicè ac promiscuè non prostitutis concubitu. — Graviorem namque proli facit injuriam; siquidem hujusmodi congressu non solùm impeditur bona educatio prolis nascituræ, sed etiam fit ne ulla proles nascatur. Attamen utraque fornicatio ejusdem est speciei, utraque lethale peccatum, de utrâque ab Apostolo scriptum est ad Ephesios 5 : *Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos... Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Et quamvis meretrices quibusdam in locis tolerentur, et quæstum publicè facere permittantur, hinc inferri non potest fornicationem cum ipsis et ab ipsis perpetratam non esse peccatum lethale; sed solùm esse minus adulterio, stupro, raptu, incestu, et peccatis contra naturam; quia lex humana multitudini posita est, in quâ major pars est hominum non perfectorum virtute : et ideò lege humanâ non prohibentur omnia vitia à quibus abstinent homines virtute præditi; sed solùm graviora, à quibus majorem populi partem abstinere possibile est, spectatâ hominum in malum propensione : sed præcipuè quæ grave nocumentum aliis inferunt, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; ut ait S. Thomas, 1-2, quæstione 96, a. 2, sed pleraque vitia quæ lege humanâ tolerantur, divinâ lege nihilominùs severissimè vindicantur. Unde S. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, ait : « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ « Christi ; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præ- « cipit. Apud illos viris impudicitiæ frænа laxantur, « et solo stupro atque adulterio condemnato, passim « per lupanaria et ancillulas libido permittitur; quasi « culpam dignitas faciat, non voluntas. » Et S. Augustinus, lib. 1 de Libero Arbitrio, cap. 5 probat illam Evodii sententiam : « Videtur mihi et legem istam, « quæ regendo populo scribitur, rectè ista permittere, « et divinam providentiam vindicare. Ea enim vindi- « canda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sint « conciliandæ paci hominibus imperitis, et quanta pos- « sunt per hominem regi. Illæ verò culpæ alias pœnas « aptas habent, à quibus sola mihi videtur posse libe- « rare sapientia. » Ait autem S. Augustinus : « Laudo « et probo istam, quamvis inchoatam minùsque per- « fectam, tamen fidentem et sublimia quædam peten- « tem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista « quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, « atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen « providentiam vindicantur; et rectè. Neque enim « quia non omnia facit, ideò quæ facit improbanda « sunt. » Hinc libro de Ordine, cap. 4 : « Quid sordi- « dius, inquit, quid inanius decoris et turpitudinis « plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc ge- « nus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus « humanis, turbaveris omnia libidinibus. Constitue « matronarum loco, labe ac dedecore dehonestaveris. « Sic igitur hoc genus hominum per suos mores im- « purissimum vitâ, per ordinis leges conditione vilis- « simum. »

Regula V. — Concubinatus gravius aliis fornicationibus crimen est. — Statum enim et perseverantiam in fornicatione addit, et quasi uxoriam cum fornicariâ mulierculâ, quam domi retinet, vel ad quam foris habitantem ex consuetudine adit, consuetudinem. Quamobrem non solùm fornicationum, aliarumve obscœnitatum cum concubinâ commissarum numerus in sacramentali Confessione exprimendus est, verùm et temporis intervallum declarandum, quo ipsam apud se detinuit, vel cum eâ alibi manente impudicum habuit commercium concubinarius; cùm verisimile non sit id absque gravi proximorum scandalo factum esse. Concubinarios excommunicatione plectendos ecclesia decrevit in concilio Vaurensi canone 117 et in concilio Tridentino, sessione 24, de Reformatione matrimonii, cap. 8 : « Grave peccatum est, inquit, homines solutos « concubinas habere; gravissimum verò et in hujus « magni sacramenti singularem contemptum admissum, « uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac « audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere « et retinere. Quare ut huic tanto malo sancta synodus « opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi « concubinarios, tam solutos quàm uxoratos, cujus- « cumque statûs, dignitatis et conditionis existant, « si, postquàm ab ordinario, etiam ex officio, ter ad- « moniti eâ de re fuerint, concubinas non ejecerint,

« seque ab earum consuetudine non sejunxerint, ex-
« communicatione feriendos esse, à quâ non absol-
« vantur, donec reipsà admonitioni factæ paruerint.
« Quòd si in concubinatu per annum, censuris neglectis
« permanserint; contra eos ab ordinario severè pro
« qualitate criminis procedatur. Mulieres sive conju-
« gatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris sive concubi-
« nariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint,
« ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex
« officio graviter pro modo culpæ puniantur; et extra
« oppidum vel diœcesim, si id eisdem ordinariis vide-
« bitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari,
« ejiciantur; aliis pœnis contra adulteros et concubi-
« narios inflictis in suo robore permanentibus. »

Clericos publicè concubinarios à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, trium mensium spatio, statim ipso facto suspensos; deinde, nisi post monitionem ordinarii infra brevissimum tempus concubinas dimittant, beneficiis omninò privari, Basileense concilium edixit, quod decretum synodus Frisingensis anno 1440, et Rothomagensis, anno 1445, canone 21, ac tandem concilium Lateranense, sub Leone X, in concordatis titulo 19 confirmavit. Eosdem clericos concubinarios, usquequò cum eis per suos superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad quoscumque honores, dignitates, beneficia et officia inhabiles, concordata et synodus Lateranensis declarant; qui, si post dispensationem ad publicum hujusmodi concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis perpetuò ad prædicta inhabiles futuros decernunt. Publici autem concubinarii sunt intelligendi, « non solùm ii quorum concubinatus per sententiam « aut confessionem in jure factam, seu per rei eviden-
« tiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, noto-
« rius est; sed etiam qui mulierem de incontinentiâ
« suspectam, et diffamatam tenent, et per suum su-
« periorem admoniti, ipsam cum effectu non dimit-
« tunt, » inquiunt eadem concordata. Non esse ordinandum eum, qui ex concubinâ filios suscepisset, aut mortuâ legitimâ uxore concubinam haberet, concilium Aurelianense 3 sanxerat, canone 9.

Nec verò aliquis sibi persuadeat meretricios amores et concubinatum olim Ecclesiam permisisse, quòd concilium Toletanum 1, canone 17, relato can. *Is qui*, dist. 34, decreverit, ut *is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ sit conjunctione contentus.* Nam de concubinis impropriè dictis Canon ille intelligendus est, quæ quodammodò uxores erant, quanquàm nec dotalibus instrumentis, nec solemniter ductæ. Hanc explicationem tradunt Gregoriani decreti censores. Concubinas scilicet duplicis olim fuisse generis observant, quasdam ad tempus adhibitas, quarum concubitum turpem fuisse docent, etiamsi filiorum procreandorum causâ haberentur, de quibus locutum fuisse S. Augustinum, can. *Audite*, et can. *Concubinæ*, causâ 32, quæst. 2, laudatum, aiunt; nec de his intelligendum concilii Toletani canonem; alias autem concubinas velut uxores fuisse, quæ sine dotalium tabularum solemnitate ductæ fuerant, quo modo Abraham et Jacob ancillas pro uxoribus habuerunt, quæ tamen interdùm concubinæ, interdùm uxores in Scripturâ sacrâ et à Patribus appellantur. Hoc concubinarum genus olim fuisse licitum : de his loqui Justianum Novellâ 18, apud Julianum Antecessorem, et S. Augustinum lib. de Bono conjugali, cap. 5, relato can. *Solet*, causâ 32, quæst. 2, tametsi dubitantem. In his autem concubinis tria fuisse necessaria : primùm ut uterque esset solutus; deinde fidem mutuam, scilicet quòd alteri non jungerentur, neque abhorrerent à procreatione filiorum; tertium ut usque ad mortem in eâ vitæ conjunctione manendum sibi proponerent. Et in his scribere S. Augustinum posse aliquo modo dici nuptias esse et connubium, quamvis sic habitam non audeat appellare uxorem, quia non intervenerant instrumenta dotalia, et reliqua solemnia juris, ut colligitur ex prædictâ novellâ 18, et ex can. *Aliter*, causâ 30, quæst. 5. Itaque hujusmodi mulieres vocari concubinas; sed ob illa tria, ac præcipuè quòd in affectu maritali permanere statuerant, permissam illis communionem. Habitas nimirùm fuisse tanquàm uxores minùs solemniter ductas. Alias Toletani canonis affert explicationes Ferdinandus de Mendoza, Commentarii in concilium Illiberritanum cap. 8. Sed quocumque sensu explicetur, certum est concubinatum ab Ecclesiâ pro re turpi gravique crimine semper habitum fuisse. Cujus veritatis testes sunt Tertullianus, lib. de Pudicitiâ, cap. 4 : « Omne, inquit, homicidium
« extra sylvam, latrocinium est : ita et ubicumque vel
« in quamcumque semetipsum adulterat et stuprat, qui
« aliter quàm nuptiis utitur. Ideò penès nos occultæ
« quoque conjunctiones, nec priùs apud Ecclesiam pro-
« fessæ, juxta mœchiam et fornicationem judicari peri-
« clitantur. Nec inde consertæ obtentu matrimonii cri-
« men eludant. » Minutius Felix, in Octavio, sic Gentiles allocutus : « Nos pudorem non facie, sed mente præ-
« stamus; unius matrimonii vinculo inhæremus; cu-
« piditate procreandi aut unam scimus, aut nullam. » S. Joannes Chrysostomus, sermone contra Concubinarios, duas tantùm vias agnoscit quibus viri mulieribus cohabitant : « Et una quidem, inquit, vetus est
« ac justa, rationique consentanea, nempe matrimo-
« nium, quod Deo legislatore institutum; altera verò
« posterior, et ex confesso injusta, legique adversa,
« nempe concubinatus sive stuprum, quod à malignis
« introductum est dæmonibus. » S. Ambrosius, lib. 1 de Abraham, cap. 7 : « Habet, inquit, omnis viri mu-
« lierisque concubitus nullâ legitimi matrimonii sorte
« celebratus, suam culpam. Nulli licet scire mulie-
« rem, præter uxorem. Ideòque conjugii tibi datum
« est jus, ne in laqueum incidas, et cum alienâ mu-
« liere delinquas..... Tolerabilior est si lateat culpa,
« quàm si culpæ usurpetur auctoritas. Nec hoc solùm
« est adulterium, cum alienâ peccare conjuge, sed
« omne quod non habet potestatem conjugii. » S. Augustinus, sermone 392, aliàs 49, inter homilias quin-

quaginta : « Audite, charissimi, membra Christi, et « Matris catholicæ filii. Quod dico competentibus, « audiant fideles; quod dico fidelibus, audiant compe- « tentes; quod dico competentibus et fidelibus, au- « diant pœnitentes; quod dico fidelibus, competen- « tibus et pœnitentibus, audiant catechumeni, audiant « omnes : omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi « in consolationem vester auditus, ne sit vobis in te- « stimonium dolor meus. Competentibus dico : For- « nicari vobis non licet. Sufficiant vobis aut uxores, « aut nec uxores; concubinas vobis habere non licet. « Audiat Deus si vos surdi estis; audiant angeli ejus, « si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non « licet. Et si non habetis uxores, non licet vobis ha- « bere concubinas, quas postea dimittatis, ut ducatis « uxores; quantò magis damnatio vobis erit, si ha- « bere volueritis et concubinas et uxores. » Et libro de Bono conjugali, cap. 14 : « Itaque, inquit, si fortè, « quod utrum fieri possit ignoro, magisque fieri non « posse existimo; sed tamen si fortè ad tempus adhi- « bitâ concubinâ filios solos ex eâdem commixtione « quæsiverit; nec sic ista conjunctio vel earum nuptiis « præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid « enim sit nuptiarum considerandum est, non quid « nubentium et immoderatiùs nuptiis utentium. Neque « enim si agris iniquè ac perperàm invasis ita quisque « utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas « faciat, ideò rapinam justificat; neque si alius ruri « paterno vel justè quæsito avarus incumbat, ideò « culpanda est juris civilis regula, quâ possessor legi- « timus factus est; nec tyrannicæ factionis perversitas « laudabilis erit, si regiâ clementiâ tyrannus subditos « tractet; nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si « rex crudelitate tyrannicâ sæviat. Aliud est namque « injustâ potestate justè velle uti, et aliud est justâ « potestate injustè uti. Ita nec concubinæ ad tempus « adhibitæ, si filiorum causâ concumbant, justum fa- « ciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum « maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen impo- « nunt ! » S. Leo, Epist. 2, aliàs 92, ad Rusticum Narbonensem episcopum, inquisitioni quartæ, quintæ et sextæ illius respondens : « Non omnis mulier, in- « quit, juncta viro, uxor est viri, quia nec omnis filius « hæres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter « ingenuos sunt legitima, et inter æquales, multò « priùs hoc ipsum Domino constituente, quàm initium « Romani juris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud « concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera.... Unde « cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, « ut præter sexuum conjunctionem haberet in se « Christi et Ecclesiæ sacramentum, dubium non est « eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in « quâ docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur « cujuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti « concubinam in matrimonium dederit, non ita acci- « piendum est, quasi eam conjugato dederit, nisi fortè « illa mulier et ingenua facta, et dotata legitimè, et « publicis nuptiis honestata videatur..... Paterno ar- « bitrio viris junctæ carent culpâ, si mulieres, quæ « à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia « aliud est nupta, aliud concubina..... Ancillam à « thoro abjicere, et uxorem certæ ingenuitatis acci- « pere, non duplicatio conjugii, sed prefectus est ho- « nestatis. »

Regula VI.—Absolvi sacramentaliter non debet concubinarius, nisi concubinam dimiserit, firmumque ad eam non redeundi propositum habuerit. Idemque ferendum judicium est de omnibus qui in proximâ peccandi occasione versantur : ipsis scilicet neganda est absolutio, nisi ab hujusmodi occasione reipsà et ex animo recesserint.—Peccati scilicet affectum non deposuerunt, qui proximam illud committendi occasionem dimittere nolunt, imò illam amant: *Qui enim amat periculum, in illo peribit*, inquit Spiritus sanctus, Eccli. 3. Et Christi Domini præceptum apertè violant, qui cùm in præclaro illo sermone coram discipulis in monte habito, quo christianæ disciplinæ summa continetur, præmisisset, Matth. 5, 18: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, statim subjunxit : *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod documentum aliâ occasione repetendum ducit Christus, ut illius necessitatem discipulis inculcaret. Cùm enim præmisisset, Matth. 18 : *Væ homini illi per quem scandalum venit*, statim adjecit : *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod etiam legitur Marc. 9. Quibus Christi Domini oraculis admonemur, peccandi occasiones procul à nobis removendas, et à personis quibuscum summa nobis necessitudo et conjunctio est, vel quarum opera nobis non solùm utilis est, sed quodam modo necessaria, esse omninò discedendum sub pœnâ damnationis æternæ, si nobis peccandi occasionem præbeant. Ita hunc locum explicant summo consensu SS. Patres.

S. Hilarius, cap. 4 in Matth. : Carere, inquit, non « solùm propriis vitiis, sed et extrinsecùs incidenti- « bus admonemur. Non enim ex causis peccantium « membrorum, corporis damna præcepta sunt; dextro « enim oculo non minùs sinister erraret : certè pes « sensu concupiscentiæ carens damno inutilis est, in « quem pœnæ causa non incidet. Sed quia diversa « invicem membra, corpus tamen omnes unum su- « mus, abjicere à nobis, vel potiùs eruere propinqui- « tates charissimorum nominum admonemur, si in illis « aliquid tale cernamus, ne in consortium criminis « eorum de familiaritate veniamus : rectiùs utilibus « et maximè necessariis, tanquàm oculi et pedis « membris carentes, quàm usque in societatem

« gehennæ, vitiosæ propinquitatis teneamur affectu. »

S. Pacianus, epist. 3, ad Sympronianum Novatianum, qui his Evangelii locis abutebatur ut lapsos à pœnitentiâ repellendos esse probaret : « Vides, inquit, « non de pœnitentibus dictum, sed de his qui non « solùm ipsi in facinore perseverant, verùm etiam nos « scandalizare non desinunt. Hi, quàmlibet chari sint, « relinquendi ; quamlibet utiles, deserendi sunt. »

S. Joannes Chrysostomus, homilià 17 in Matth. ait Christum his verbis *iram* significâsse, *quà in ejusmodi feminas uti debemus ;* et idcircò subjunxisse : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Ne enim diceres : « Quid igitur si propinqua « sit, si aliquâ mihi necessitudine conjuncta ? Propterea ista mandavit, cùm utique non de membrorum disturbandâ compage disserat : absit. Nusquàm « enim carnis crimen adesse enuntiat, sed utique malum arguit voluntatis.... Quòd si de membris ista « loqueretur, nequaquàm vel de uno, vel de dextro id « oculo, sed indifferenter de utroque. Qui enim dextro « scandalizatur oculo, haud dubium quin idipsum « etiam patietur de sinistro. Quam igitur ob causam « dextrum posuit, et manum adjecit ? Ut scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his « potiùs qui nobis familiaritate junguntur. Et si igitur « tantùm aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris « vice ; aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut « eum dextræ manus ducas loco, et hi tamen animæ « tuæ fortassis incommodent ; etiam istos, inquit, à « te abscinde. Et diligentiùs vim ipsam sermonis exa- « mina. Non enim dixit : A talium societate discede, « sed maximam separationem indicans : *Eruè,* inquit, « *et projice abs te.* Deinde quia satis severè præcecerat, lucrum ex utroque ostendit. *Expedit enim tibi,* « inquit, *ut pereat unum membrorum tuorum, ac non « totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Cùm enim « nec seipsum certè salvet qui tibi fuerit adjunctus, « et te perditionis suæ socium faciat : Quæ tandem « illa humanitas sit, utrumque demergi, cùm liceat « vel unum separatione servare ?... Et idcircò non ait « tantummodò, *erue,* sed *projice,* inquit, *abs te* : ut « eum nunquàm recipias ulteriùs, si qualis fuerat, « perseverat. Hoc enim modo et illum majori crimine « liberabis, et te à perditione salvabis. Ut autem ma- « nifestiùs commodum istius legis aspicias, si placet « etiam in corpore, exempli gratiâ, id, quod dictum « est, requiramus. Si enim daretur electio, unumque « esset necessarium è duobus, videlicet aut cum am- « bobus oculis in foveam ruere, atque ibidem perire, « aut etiam absque uno oculo reliquum salvare cor- « pus : putasne è duobus suscipere non malles se- « cundum ? Istud omnibus absque ambiguitate perspicuum est ; non enim hoc esset odio habentis ocu- « lum, sed corpus reliquum diligentis. Hoc etiam in « viris consideretur et feminis. Si qua enim tibi no- « ceat amando, incurabilisque permaneat : et te « omni peste, dùm sic abscinditur, liberavit ; et ipsa « à majoribus est erepta peccatis, non jam ultra cum « suis malis etiam crimen tuæ perditionis admiscens. »

S. Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 13 : « Hic verò, inquit, magnà opus est fortitu- « dine ad membra præcidenda. Quicquid enim est « quod significat oculus, sine dubio tale est quod ve- « hementer diligitur. Solet enim et ab eis qui vehe- « menter volunt exprimere dilectionem suam, ita dici : « Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quàm « oculos meos. Quod autem additum est, *dexter,* for- « tassè ad augendam vim dilectectionis valet. Quan- « quàm enim ad videndum isti oculi corporis com- « muniter intendantur, et si ambo intendantur, æqua- « liter possint, ampliùs tamen formidant homines « dextrum amittere ; ut iste sit sensus : quicquid il- « lud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo nabeas, « si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad « veram beatitudinem, erue illud, et projice abs te. « Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita « diligis ut tanquàm membra tibi hæreant, quàm to- « tum corpus tuum eat in gehennam. »

Meritò itaque hæc propositio ab academiis celeberrimis, ab episcopis Gallicanis, et ab Alexandro VII pontifice maximo damnata est : *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dùm deficiente illâ nimis ægrè vitam ageret, et aliæ epulæ concubinarium magno tædio afficerent, et alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Regula VII. — Lethalis peccati rei sunt et absolutionis incapaces qui lenocinium exercent, quamdiù in voluntate et occasione infame illud commercium exercendi perseverant. — Gravius est ipsorum quàm meretricum et fornicatorum, vel adulterorum crimen, cùm infelices feminas ad crimen illiciant, illisque auctores sint flagitii, et viris ad fœdam voluptatem explendam absque voluptatis carnalis sensu cooperentur ; sicque dæmonis officio fungantur. Hinc Tertullianus, lib. de Idololatriâ, cap. 11 : « Nam quòd ipsam « carnem meam à lupanaribus segregavi, agnosco me « neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius « causâ exercere posse. Sed et homicidii interdictio « ostendit mihi lanistam quoque ab Ecclesiâ arceri ; « neque per se non faciet, quod faciendum aliis sub- « ministrat. » Adversùs infame illud hominum genus editus est Trullanæ synodi canon 86, quo statutum est, *Eos qui ad animarum lapsum meretrices cogunt, et alunt, si sint quidem clerici, deponi ; si vero laici, segregari.* His communionem nec in fine dandam censuit Illiberritana synodus, canone 12, ut pestem illam quæ in Hispaniâ grassabatur, severiore disciplinâ et acriore remedio compesceret. *Mater,* inquit, *vel parentes, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eò quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs suum, placuit eam nec in fine accipere communionem.*

Disciplinæ istius severitas postea temperata est, et ad duos annos pœnitentiæ redacta, sed tamen laudatum est Illiberritanæ synodi decretum ad gravitatem criminis ostendendam, ut constat ex pœnitentiali Theodori Cantuariensis archiepiscopi, et ex Burchardo Wormatiensi, lib. 19, cap. 278. Lenones ut-

timo supplicio afficiendos, Justiniano imperatori placuit, Novellâ constitutione 14, tit. 1 de Lenonibus, quem Theodoræ Augustæ suasu sodalitia meretricum et lenonum sustulisse, refert Procopius, lib. 1 de Ædificiis Justiniani. Gravius enim istud crimen, turpius, et reipublicæ exitialius jure existimavit, quàm pecuniaria furta et latrocinia, cùm castitas, cujus furtum et latrocinium est, sit pecuniis et temporalibus omnibus bonis pretiosior, animæque et corporis thesaurus. Unde pestiferos illos castitatis vastatores, et vetulas seductrices mulierum, turpeque commercium exercentes, Ecclesia, principesque christiani gravissimis pœnis affecerunt. Hujus criminis, et illati ab infamibus hujusmodi personis proximo nocumenti gravitatem collige ex illis Tertulliani verbis, Apologetici cap. ultimo, Ethnicos alloquentis : *Probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideò nos hæc pati Deus patitur. Nam et proximè ad lenonem damnando Christianam, potiùs quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ et omni morte reputari.*

Christianos principes et magistratus ad hanc luem depellendam excitare debet præclarum Florentii præfecti prætorio exemplum, quod à Theodosio imperatore meritò laudatum est, et ad memoriam posteritatis sempiternam transmissum Novellâ, constitutione 18. Cùm scilicet lenones illatâ in ærarium publicum annis singulis tributi nomine ingenti pecuniæ summâ, exercendi lenocinii libertatem obtinuissent, vir illustris proprium patrimonii fundum ærario obtulit, ex cujus reditibus posset accedere, quod pessimum illud genus consueverat pensitare; sicque rempublicam à pudendæ turpitudinis labe atque ignominiâ liberavit. Theodosius enim illustris præfecti liberalitatem et providentiam gratam habens, lenones verberum et exilii pœnis damnavit. Eamdem vigilantiam eumdemque zelum in magistratibus ad tantam turpitudinem ab hoc regno christianissimo depellendam postulat Ecclesia Gallicana in conventu Melodunensi congregata, tit. de publicorum criminum Correctione : « Rogandi judices et magistratus, ut ejus criminis « convictos, emendandos et corrigendos curent; fo- « carias nullas patiantur inultas, ne modicum fermenti totam massam corrumpat, et dissipatis lupanaribus publicis tanta colluvies honestissimas « quasque familias inhonestet et corrumpat. Ab iis « principibus et magistratibus etiam petimus, ut « istiusmodi impudicis mulieribus omnis auri, argenti « et serici usus interdicatur. Indecens enim est impudica et inverecunda scorta, pudicarum ac honestarum ornamento mulierum honorari. Omnes ex « lenocinio quæstum facientes procul exilio aman- « dent. » Idem S. Carolus Borromæus edixit in concilio Mediolanensi I, p. 2, tit. de Meretricibus et Lenonibus.

Lenocinii autem rei sunt qui mulierum ingenuarum aut juvenum animos, vel muneribus, vel blanditiis, vel consilio, vel quibusvis malis artibus ad fœdos amores pelliciunt, et turpium voluptatum conciliatores vel conciliatrices existunt. S. Antonini verbis minùs quidem elegantibus, sed sententiosis id exprimam. « Mediatores in hujusmodi de turpibus, « qui portant ambassiatas de talibus materiis, sive « viri, sive mulieres, vel qui persuadent, vel qui de- « ferunt litteras scienter in istis etiam honesta con- « tinentes, sed ad contrahendam malam amicitiam, « nulli dubium quin peccent mortaliter. Digni enim « sunt morte æternâ, videlicet non solùm qui faciunt « hujusmodi, sed etiam qui consentiunt facientibus « (Rom 1). Unus autem modus consensus est per « cooperationem, ut hoc; et multò magis mittentes « ipsas litteras, et scienter recipientes, et legen- « tes. »

Regula VIII. — Lethalis peccati rei sunt patres et matres, nec absolvi sacramentaliter debent, qui filios aut filias scortantes non prohibent à scelere. — Mandatum enim Dei violant, Eccli. capite 7, exaratum : *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam tuam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam;* et cap. 42 : *Filia patris abscondita est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum, ne fortè in adolescentiâ suâ adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat : nequando polluatur in virginitate suâ, et in paternis gravida inveniatur, aut certè sterilis efficiatur. Super filiam luxuriosam confirma custodiam : nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in civitate, et abjectione plebis, et confundat te in multitudine populi.*

Confirmatur ex Eliæ Cretensis metropolitæ responsis ad interrogationes Dionysii monachi, insertis libro 5 Juris Græco-Romani : « Quantùm autem ad « illud pertinet, inquit, an oporteat sacerdotes susci- « pere oblationes patrum illorum, quibus scientibus « filii in potestate positi scortantur, necne. (Hæc enim « tua interrogatio quarta.) Aio : Si scortantium, nec « à scortatione recedentium admittendæ sunt, et pa- « trum etiam omninò, quorum permissu liberi scor- « tantur; nam non vetare scientes, sed tacere, per- « mittere procul dubio est. Quòd si non illud, hoc « quonam modo? Atqui scortantium non sunt admit- « tendæ; nec igitur eorum qui conscii participant. « Conscium autem et participem esse partem perspi- « cuum est. Eò enim illud pertinet : *Si conspiciebas « furem, cum eo concurrebas, et cum mœcho partem « tuam ponebas* (Psalm. 49). Et in septuagesimo primo « canone magni Basilii, qui his verbis pronuntiat : « Conscius cum unoquoque delinquentium, non con- « fessus, sed convictus, tanto tempore sub pœnâ erit, « quanto is qui est mali auctor emendatur. Quanquàm « hic in filio qui sciente parte scortatur, plus quid- « piam conspicitur, quàm de quibus dictum est. Adeò « enim subjecti sunt patribus filii, ut neque legitimæ « uxori sine illorum consensu conjungi possint. Nu- « ptiæ enim sine iis qui habent in potestate coeuntes « (ut iterùm Magnus ille inquit quadragesimo secundo « canone), sunt scortationes... Si hæc igitur ita se « habent, quis horum patrem pœnâ scortantium exi-

« met? Ideòque et hic quemadmodùm filius erit ex-
« communicatus, quia cùm posset prohibere, aut ali-
« ter legitimo elocare matrimonio, nihil horum
« fecerit. Quonam autem modo non magis Deum
« exacerbabit, qui cùm peccati causam non præcidat,
« oblationibus et precationibus placari Deum arbi-
« tratur? Idem enim faceret cum iis qui iniquitatem
« commiserunt, et injustè parta possident, sed male-
« ficiorum remitti sibi pœnam à judice muneribus
« deprecantur. Hi enim talia deprecantes, acerbiorem
« omninò sibi potiùs reddent judicem. »

Regula IX. — Lethalis peccati rei sunt, qui domos suas meretricibus vel lenonibus scientes locant; nec debent absolvi donec infames illos conductores vel conductrices expulerint. — Qui enim domos suas hujusmodi pestibus locant, partîcipes sunt lenocinii turpisque commercii conniventiâ suâ et favore; participes sunt et scandali quod toti viciniæ creatur. Hinc gravem pœnam illis leges ipsæ civiles infligunt, ut constat ex Novellâ constitutione 14 Justiniani, tit. de Lenonibus, cujus hæc sunt verba : *Si quis autem patiatur in sûâ domo quemdam lenonem et hujusmodi præpositum operationis habere, et hæc denuntiata cognoscens, non etiam domo suâ expulerit, sciat se et decem librarum auri sustinere pœnam, et circa ipsam periclitaturum habitationem.*

Regula X. — Stuprum gravius peccatum est fornicatione simplici. — Virginis enim sub custodiâ parentum existentis defloratio singularem involvit deformitatem, « tum ex parte puellæ, quæ ex hoc quòd « violatur, nullâ pactione conjugali præcedente, et « impeditur à legitimo matrimonio consequendo, et « ponitur in viâ meretricii, à quo retrahebatur, ne « signaculum virginitatis amitteret; tum etiam ex « parte patris, qui de ejus custodiâ sollicitudinem gerit, « secundùm illud Ecclesiastici 42 : *Super filiam luxu-* « *riosam confirma custodiam, ne quando faciat te in op-* « *probrium venire inimicis.* » Ita S. Thomas, 2-2, quæst. 154, a. 6.

Nec refert si puella et ejus parentes consentiant; illicitus enim hujusmodi consensus stupri deformitatem non tollit; peccant siquidem tam stuprator quàm puella contra naturalem ordinem, secundùm quem signaculum virginitatis integrum et inviolatum in puellâ servari debet, donec matrimonio conjuncta sit. Quamobrem sicut non tollitur adulterii deformitas, cùm mulier conjugata, consentiente marito, sui corporis copiam alteri facit, quia peccat contra fidem conjugalem, ita non tollitur stupri deformitas, cùm virgo consentientibus parentibus se ipsam amasio prostituit, quia non solùm fornicatur, sed etiam virginalis integritatis jacturam facit contra ordinem lege naturali ac divinâ constitutum.

Ex his sequitur circumstantiam virginitatis in confessione sacramentali à feminâ exprimi debere, quæ carnalem copulam desideravit, aut ejus cogitatione spontè ac liberè delectata est, vel osculis libidinosis, tactibus impudicis, aut pollutione voluntariâ se contaminavit, aut quæ primò cum viro commixta est extra legitimum matrimonium, et similiter à viro qui virginem corrupit, vel impudicè tetigit, aut osculatus est, aut concupivit, aut denique de copulâ cum virgine cogitans, delectationi consensit. Illa enim circumstantia speciem peccati mutat, novamque his actibus deformitatem tribuit.

Regula XI. — Gravius peccatum est cùm puella illatâ vi opprimitur, vel consensus ejus in stuprum incusso metu, vel dolo extorquetur, quàm si blanditiis et importunis precibus delinita in scelus pelliciatur. — Gravior enim nolenti, vel deceptæ puellæ, quàm volenti fit injuria; quamvis dici non possit nullam volenti injuriam fieri, quia non est domina sui corporis, nisi ad usus legitimos. Unde, quemadmodùm gravis injuriæ in proximum reus est, qui perire volentem interficit, sicut adolescens ille Amalecites, qui Saûlem regem gladio suo incubantem, ab ipso rogatum, se occidisse gloriatus est, 2 Regum cap. 1, ita gravem puellæ infert injuriam, qui virginitatem ejus delibat, corporisque ipsius integritatem violat, quamvis ipsa consentiat, imò spontè se offerat; sed gravius tamen, ut dixi, crimen illius est qui opprimit invitam.

Regula XII. — Puella consensûs in stuprum convincitur, si non clamaverit, cùm posset, domesticorum aut vicinorum auxilium contra pudicitiæ suæ aggressorem violentum imploratura. — Nititur hæc regula Scripturæ sacræ auctoritate, Deuteronomii 22 : *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum eâ, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur : puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, et auferes malum de medio tui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum eâ, ipse morietur solus; puella nihil patietur, nec est rea mortis, quia sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita et puella perpessa est. Sola erat in agro; clamavit, et nullus adfuit qui liberaret eam.* Id ita explicat Philo, ut locus frequentioris exempli causâ sit positus, non quòd ex eo solo semper finienda sit controversia. Potest enim, ut ille libro de specialibus Legibus disserit, et in urbe aliquâ vim pati occluso ore vel incusso metu mortis prohiberi ne clamet, et in agro aliqua consentire in stuprum.

Regula XIII. — Qui virginem illatâ vi, aut gravi metu incusso, vel importunis precibus, falsis persuasionibus et pollicitationibus, aut futuri matrimonii promissione verâ vel simulatâ, compulit aut pellexit ad stuprum, eam ducere tenetur, aut certè ita dotare, ut alteri honorificè et suæ conditioni congruenter collocari valeat in matrimonium. Tenetur etiam satisfacere parentibus puellæ, in quos redundat ejûs dedecus. — « Habet enim stuprum duplicem injuriam annexam : unam quidem ex parte virginis, quam « etsi non vi corrumpat, tamen seducit, et sic tenetur « ei satisfacere. Unde dicitur Exodi 22 : *Si seduxerit* « *quis virginem necdùm desponsatam, dormieritque cum* « *eâ, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater vir-* « *ginis dare noluerit reddet pecuniam juxta modum do-*

« *ita quam virgines accipere consueverunt.* Aliam verò « injuriam facit patri puellæ. Unde et ei secundùm « legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deuteronomii 22 : *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illâ, et res ad judicium evenerit; dabit qui dormivit cum eâ, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam; non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Et hoc dico, *ne videatur ludibrium fecisse*, ut ait S. Augustinus, quæstione 34 « in Deuteronomium. » Ita S. Thomas, 2-2, quæst. 54, a. 6, ad tertium. Cùm autem stuprator spe ac promissione futuri matrimonii puellam ad stuprum illexit, eam omninò ducere tenetur, si ipsa et pater illius voluerint; si verò noluerint, tenetur, ut dixi, eam dotare, idque sub reatu peccati mortalis; sive sincera fuerit, sive simulata matrimonii promissio. Si enim sincera fuit, verus fuit contractus, quem infelix puella complevit, adeòque et stuprator complere tenetur; si verò simulata fuerit promissio, doli reus est; nemini autem fraus sua patrocinari debet, sive dolus.

Id confirmatur ex cap. *Pervenit*, extra. *de Adulteriis et Stupro.* Exceptiones tamen aliquas communi consensu statuunt theologi. Si enim tanta sit conditionis disparitas, ut puella prospicere potuerit ac debuerit, sese ad nuptias tam sublimes pervenire non posse, utpote quæ sit infimæ sortis, vir autem nobilitatis primariæ, ipsa pauper, vir opibus potens, non censetur in errorem inducta; unde illam ducere non tenetur, sed tantùm dotare, prout ipsius conditioni congruit, aut dotem augere, ut perinde collocetur ac si virgo esset. Secundò, si constuprata puella sese alteri prostituerit, vel si affirmanti se esse virginem, stuprator promisit matrimonium, ut eâ frueretur, et tamen virginem non esse deprehendit, eam ducere non tenetur: ipsa enim illusit viro. Quamobrem fraus illi sua patrocinari non debet. Illam tamen dotare tenetur sub reatu peccati mortalis, si famæ sit integræ, publicâque opinione ut virgo habeatur. Si autem famæ integræ antea non erat, aut legitimis documentis probetur eam virginem non fuisse cùm ad ipsam accessit, ad dotem solvendam, vel ad satisfactionem aliquam non tenetur. Tertiò, si vir aliam duxerit, aut aliud impedimentum canonicum habeat, eam ducere non tenetur. Has exceptiones maximâ ex parte affert S. Thomas, quæstione 46, Supplementi a. 2, ad quartum : « In tali « casu, inquit, sponsus, antequàm aliam duxerit, tenetur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, « vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam « duxerit, jam factus est impotens ad solvendum illud, « ad quod tenebatur; et ideò sufficit si ei de nuptiis provideat; et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, « si sponsus sit multò melioris conditionis, aut aliquod « signum fraudis evidens fuerit, quia præsumi probabiliter potest quòd sponsa non fuerit decepta, sed « decipi se finxerit. » Quartò, si gravia scandala, vel mala non levia, ut cædes, familiarum dissidia, jactura dignitatis, bonorum temporalium amissio, exhæredationes, subversio fidei, vel corruptela morum, vel infamia, ex matrimonio probabiliter oritura timeantur, puellam ducere non tenetur stuprator, etsi fidem illi obstrinxerit, sed tantùm damna sarcire. Quintò, si virginem leviter rogatam, et ultrò consentientem corrupit, nec ipsam ducere tenetur, nec dotare. Tenetur tamen satisfacere patri puellæ, cui gravem intulit injuriam ut custodi virginitatis. Sextò, si puella per vim aut fraudem constuprata tam facilè nupserit, et tam benè collocata fuerit, ac si virgo esset, ad nullam compensationem tenetur stuprator, nisi maritus corruptam fuisse deprehendat, ipsamque propterea relinquat, aut malè excipiat.

Regula XIV.— Qui puellam vi, metu, fraude, mendaciis ita sollicitavit ad stuprum, ut infamiâ propterea notata sit, ac si constuprata fuisset, quamvis eam non constupraverit, tenetur sarcire damnum, vel eam ducendo, vel dotando ut convenienter nubat. — Culpâ namque sollicitatoris impeditur à convenientis matrimonii consecutione. Si verò ipsum lubens admiserit, ejusque blanditiis faciles aures accommodaverit, non tenetur sarcire damnum, quod imprudens et levis puella, nec omninò casta, sibi ipsa intulit.

Regula XV.— Qui voto simplici obstrictus, puellam ad stuprum pellexit matrimonii promissione, ipsam ducere absolutè non tenetur, sed tantùm ipsam dotare. — Potior enim et strictior est obligatio voti Deo nuncupati, quàm promissi hominibus facti; neque compensanda est injuria homini illata irrogando injuriam Deo, et violando fidem ipsi datam. Rationes tamen graves urgere possunt, quibus obligetur ad remissionem voti à summo pontifice postulandam, nimirùm ut grave scandalum vel alia mala meritò formidanda vitentur, vel quia continentiam servare facilè non potest.

Regula XVI. — Adulterium luxuriæ species est ab aliis distincta, novamque deformitatem includens. — Hoc enim crimine, quod *nefas et iniquitas maxima, et ignis usque ad perditionem devorans, et eradicans omnia genimina*, Job 32, dicitur, dupliciter contra castitatem et humanæ generationis bonum peccatur. Primò quidem, quatenùs vir *accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ; alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, et sic impedit bonum prolis alienæ*, inquit S. Thomas, 2-2, q. 154, a. 8; idem esto de muliere adulterâ judicium. Unde *Ecclesiastici* 23 criminis ab eâ commissi gravitas ex triplici capite petitur : primò, ex divinæ legis violatione, quâ mœchia expressè prohibetur : *Non mœchaberis*; secundò, ex injuriâ viro illatâ, cui datam fidem frangit, et ejus prolem incertam facit; tertiò, ex damno legitimis filiis illato, aut certè legitimis hæredibus; adulterio siquidem suo efficit ut tota hæreditas, vel certa ejus portio legitimis filiis et hæredibus debita colligatur à nothis et adulterinis : *Omnis homo qui transgredietur lectum suum... erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. Sic et mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi mere-*

*dibilis fuit ; secundò, in virum suum deliquit ; tertiò, in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi.* Tum de pœnâ illius, ex quâ conjicere licet criminis gravitatem, subdit Spiritus sanctus : *Hæc in Ecclesiam adducetur, et in filios ejus respicietur. Non tradent filii ejus radices, et rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, et dedecus illius non delebitur.* Quàm grave crimen esset adulterium, sola naturæ lex gentes ipsas docuit. Cùm enim Isaac ortâ fame Geraram in Palæstinâ profectus esset, ac Rebeccam uxorem sororem suam esse dixisset, rex Abimelech rei veritate perspectâ Patriarcham his verbis increpuit, Genes. 26 : *Perspicuum est quòd uxor tua sit ; cur mentitus es eam sororem tuam esse ? Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tuâ, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo dicens : Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Pœna capitis in adulteros lege veteri sancita est, Levitici 20 : *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetravit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera.* Quæ lex Deuteronomii 22 repetitur. Ad juge miraculum edendum, ut convinceretur plectereturque mulier adulterii suspecta et rea, populo judaico se Deus obstrinxit, ut patet ex lege et sacrificio zelotypiæ, cujus ritum legimus Numerorum 5 : *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam,* inquit Salomon, Proverbiorum 6. *Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur.* De sceleris hujus ultione legitur Jeremiæ 5 : *Mœchati sunt, et in domo mulieris luxuriabantur, equi amatores et emissarii facti sunt ; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea?* Judicium Dei adulteris imminens denuntiat Apostolus ad Hebræos, 13 : *Honorabile,* inquit, *connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.* Romano jure adulteri, capitali pœnâ plexi. Par in homicidium, adulterium et maleficium à Constantino ejusque filiis pœna decreta est, l. 1, *de Pœnis,* Cod. Theodos. l. 1, *de Indulgentiâ criminum,* et l. 4, *Quorum appellationes non recipiuntur.* Quin etiam parricidarum pœnæ hâc postremâ lege adulteris communes factæ : *Cùm pari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tanquàm manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat.* Sacrilegos nuptiarum vocat, quasi sacri sanctissimique fœderis nuptiarum, quod sacramentum est conjunctionis Christi cum Ecclesiâ, violatores. Plures olim Africanæ Ecclesiæ episcopi absolutionem sacramentalem adulteris etiam in morte negârunt, non desperatione veniæ, sed rigore disciplinæ, ut refert S. Cyprianus, epistolâ 52 : « Et quidem, inquit, apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provinciâ « nostrâ dandam pacem mœchis non putaverunt, et « in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt ; non tamen à coepiscoporum suorum collegio « recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt. » Adulterium cum homicidio et idololatriâ, publicæ pœnitentiæ legibus subditum fuit, quamdiù sanctissima illa disciplina in Ecclesiâ viguit. Adulteros, postquàm Eucharistiæ Viatico in mortis discrimine donati fuerant, si in pristinam sanitatem restituti rursùs mœcharentur, in perpetuum à communione arcendos sanxit Hispaniensis Ecclesia, concilii Illiberitani canone 47 : « Si « quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpè « fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus ; « quòd si se promiserit cessaturum, detur ei commu- « nio. Si resuscitatus, rursùs fuerit mœchatus, non « edat ulteriùs de communione pacis. »

Regula XVII. — Gravius crimen est adulterium conjugati cum uxore alienâ, quàm cum solutâ muliere. — Uno enim eodemque facinore duplex proximo infertur injuria ; suæ namque conjugi, et marito mulieris quâcum peccat injuriam facit ; suum et alienum violat matrimonium. Quamobrem in confessione sacramentali circumstantiam illam aperire necesse est, sicut, si quis uno ictu duos homines occiderit, utrumque homicidium confiteri tenetur.

Regula XVIII. — Viri adulterium gravius peccatum est adulterio mulieris. — Hanc regulam statuit et probat S. Augustinus, libro 2 de adulterinis Conjugiis, cap. 8 : « Non solùm, inquit, nihil volunt detrahere « severitati ; sed irascuntur insuper veritati, et loquun- « tur atque respondent : Sed nos viri sumus ; an verò « sexûs nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut « cum aliis feminis præter uxores nostras si aliquid « admittimus, in luendis pœnis mulieribus compare- « mur? Quasi non propterea magis debeant illicitas « concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt ; « quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad « virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt ; « quasi non propterea minùs debeant à libidine supe- « rari, quia viri sunt ; quasi non propterea minùs de- « beant lasciviendi carni servire, quia viri sunt! Et « tamen indignantur, si audiant adulteros viros pen- « dere similes adulteris feminis pœnas, cùm tantò gra- « viùs eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos « pertinet et virtute vincere, et exemplo regere femi « nas. Christianis equidem loquor, qui fideliter au- « diunt : *Caput mulieris vir ;* ubi se agnoscunt duces, « illas autem comites esse debere ; et ideò cavendum « viro illàc ire vivendo, quà timet ne uxor sequatur « imitando. Sed isti quibus displicet ut inter virum et « uxorem par pudicitiæ forma servetur, et potiùs eli- « gunt, maximèque in hâc causâ, mundi legibus sub- « diti esse quàm Christi, quoniam jura forensia non « eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros vi- « dentur obstringere ; legant quid imperator Antoninus, « non utique Christianus, de hâc re constituerit, ubi « maritus uxorem de adulterii crimine accusare non « sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis ex- « emplum, ita ut ambo damnentur, si ambos pariter « impudicos conflictus ipse convicerit. » Tum relato imperatoris edicto, subdit : « Si hæc observanda sunt « propter decus terrenæ civitatis, quantò castiores « quærit cœlestis patria et societas angelorum ! Quæ

« cùm ita sint, numquid ideò minor est, ac non potiùs « major et pejor virorum impudicitia, quia inest illis « superba et licentiosa jactantia? »

Plura de adulterio dicentur ad sextum Præceptum Decalogi.

Regula XIX. — Sacrilegium distincta luxuriæ species est, malitiamque involvit singularem. — Cùm enim eo crimine res Deo consecrata polluatur, non solùm fit injuria castitati, sed religioni. Hinc clericos à castitate lapsos sacri canones de suo gradu ac ministerio in perpetuum dejecerunt: Scilicet canon 25, ex iis qui Apostolici inscribuntur, concilium Aurelianense I, canone 9, Aurelianense II, canone 8, Arausicanum I, canone 23, Epaonense, canone 22, post Siricum Romanum pontificem in Epistolâ ad Himerium Tarraconensem episcopum, et Joannes II, Romanus pontifex, in Epistolâ ad Cæsarium Arelatensem episcopum, in causâ Contumeliosi regiensis episcopi. Cæsarius ipse in Oratione Epistolæ Joannis II, et canonibus ab eo missis subjectâ : « Ecce, inquit, manifestissimè constat quia secundùm quod et tituli « antiquorum Patrum à S. Joanne papâ transmissi, et « trecentorum decem et octo episcoporum sententia, « sed et canones Gallicani continere videntur, clerici in « adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis « revicti, ad honorem redire non possunt. » Et S. Gregorius, libro 3, epistolâ 26 ad Januarium episcoporum Calaritanum scriptâ : « Pervenit ad nos, inquit, quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post « pœnitentiam, vel ante, ad ministerii sui officium « revocari; quod omninò prohibuimus, et in hâc re « sacratissimi quoque canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad « altaris ministerium ulteriùs non accedat. » Quam disciplinam confirmat S. Martinus, primus Romanus pontifex, in Epistolâ ad Amandum Trajectensem episcopum. Concilium Illiberitanum, canone 19, episcopos, presbyteros et diaconos in peccatum carnis lapsos communione etiam in exitu privaverat « Episcopi, inquit, presbyteri et diacones, si in ministerio « positi detecti fuerint quòd sint mœchati, placuit « propter scandalum, et propter profanum crimen, nec « in fine eos Communionem accipere debere. » Depositionis pœnâ plectendos clericos in peccatum carnis lapsos censuerat S. Basilius Epist. ad Amphilochium, canone 70 : « Diaconus, inquit, qui pollutus est in « labris, et se eò usque peccâsse confessus est, à ministerio prohibetur..... Presbyter quoque. Si quid « autem ampliùs peccâsse quis deprehensus fuerit, in « quocumque sit gradu, deponatur. » Quæ pœna sacrilegæ luxuriæ horrendam probat gravitatem.

De monachis et monialibus à castitate, quam solemniter voverunt, deficientibus, hæc habentur can. *Impudicas*, causâ 27 quæst. 1, qui Triburiensis concilii canon sextus est. « Impudicas, inquit, detestabilesque personas monachorum ac monacharum, quæ « abjecto proposito sanctitatis, illicitâ et sacrilegâ « contagione se miscuerunt, et in abruptum conscientiæ desperatione perductæ de illicitis complexibus « liberè filios procreaverunt, à monasteriorum cœtu, « Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus. » Et concilium Andegavense, anno 453, canone 5, communione privandas statuit, *quæ de virginitate sanctimoniali proprio crimine deciderunt*. Innocentius I, epistolâ 2 ad Victricium Rothomagensem episcopum, cap. 12, de sacrilegio virginum quæ solemni veli susceptione consecratæ fuerant, ita scribit. « Quæ « Christo spiritualiter nupserunt, et velari à sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel « se clanculò corruperint, non eas admittendas esse « ad agendum pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, « de seculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio « custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ « licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus; quantò et illa magis tenenda est, quæ ante « immortali se Sponso conjunxerat, et postea ad humanas nuptias transmigravit! »

De his verò quæ simplici virginitatis voto erant obstrictæ, et fidem Christo promissam violabant, hæc subdit cap. 13 : « Hæ verò quæ necdùm sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper « manere promiserant, licet velatæ non sint, si fortè « nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia « est, quia sponsio earum à Deo tenebatur. Nam si « inter homines solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam « cum Deo pepigerit virgo, solvi sine vindictâ non « debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito « viduitatis defecerunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quantò « magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt visæ! »

S. Basilius, epistolâ 2 canonicâ ad Amphilochium, canone 18 : « Si vidua, inquit, gravissimo judicio « subjecta est, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit, quid de virgine putandum est, quæ est sponsa « Christi, et sacrum vas Domino dedicatum? Magnum « quidem est peccatum, ancillam quoque, quæ clandestinis matrimoniis se dedit, stupri domum implere, et possessorem per malam vitam injuriâ afficere; sed multò est gravius sponsam fieri adulteram, « et conjunctione cum sponso ignominiâ et dedecore « affectâ, se incompetentibus voluptatibus tradere. « Vidua itaque ut corrupta ancilla condemnatur; virgo « verò adulteræ judicio subjicitur. » S. Cyprianus, epistolâ 58 ad Pomponium inscriptâ : « Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero « videat, nonne indignatur et fremit, et per zeli livorem fortassis et gladium in manum sumit? Quid « Christus Dominus et Judex noster, cùm virginem « suam sibi dicatam, et sanctitati suæ destinatam, « jacere cum altero cernit, quàm indignatur, et irascitur! Et quas pœnas incestis hujusmodi conjunctionibus comminatur! » Et infra : « Si autem de « eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non

« mariti, sed Christi adultera est... Quòd si obstinatè « perseverant, nec se ab invicem separant, sciant « cum hâc suâ impudicâ obstinatione nunquàm à « nobis admitti in Ecclesiam posse. » Eò gravius crimen est sacrarum virginum violatio, seu profanus illarum amor, tactus, oscula, litterulæ dulces et blandæ ad ipsas, vel ab ipsis scriptæ, munuscula ultrò citròque data, quæ *sanctus amor non habet*, et alia *morituræ castitatis indicia* ut loquitur S. Hieronymus, quò virginitatis status in Ecclesiâ sublimior est et sanctior. « Flos ille est ecclesiastici germinis, de- « cus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indo- « les, laudis et honoris opus integrum atque incor- « ruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam « Domini, illustrior portio gregis Christi, » inquit S. Cyprianus lib. de Disciplinâ et Habitu virginum.

Regula XX.—Gravius sacrilegium est, cùm utraque persona sacra est, quàm cùm altera omninò secularis est et profana.—Duplex enim consecratio violatur. Unde sicut gravius crimen esset ejus qui calices duos ad usus profanos adhiberet ac pollueret, quàm ejus qui unicum duntaxat violaret; eaque circumstantia in confessione sacramentali necessariò esset explicanda, ita gravius crimen est, quo duæ personæ sacræ violantur quàm quo una, quia et suam consecrationem, et alienam quæque contaminat. Adeòque et se Deo consecratam esse confessario declarare debet, nisi id noverit; et cùm persona Deo pariter consecrata peccatum carnis commisisse, aut de ejus cogitatione delectatam fuisse cum deliberato consensu; aut tactibus impudicis, vel osculis libidinosis, aut verbis obscœnis, ipsam sollicitâsse, exprimere necessariò debet.

Regula XXI. — Gravius sacrilegium est violatio voti solemnis quàm simplicis. — Votum enim solemne spiritale veluti matrimonium est, quo sua corpora Deo reipsà tradunt et consecrant voventes; votum autem simplex veluti sponsaliorum vim habet quo fidem suam obstringunt Christo, quòd alium sponsum non eligent. Quod discrimen ex Epistolâ Innocentii I ad Victricium Rothomagensem supra laudatâ colligitur. Et *solemnitas voti consistit in quâdam consecratione seu benedictione voventis*, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 88, a. 11. *Et ideò votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm votum simplex, et graviùs peccat qui illud transgreditur (quamvis utriusque voti transgressor peccet mortaliter)*, inquit idem sanctus doctor articulo 7 ejusdem quæstionis, in responsione ad primum. Quamobrem non sufficit in confessione sacramentali exprimere votum quo reus ipse vel ejus conscia obstricta est, et è contra, sed omninò declarandum est an votum simplex sit vel solemne.

Regula XXII. — Gravius sacrilegium est luxuria sacerdotis, diaconi vel subdiaconi vitam religiosam solemniter professi, quàm sacerdotis, diaconi, vel subdiaconi secularium. — Duplex enim votum solemne duplicemque consecrationem prius illud flagitium violat, illud scilicet quod sacris ordinibus annexum est, et illud quod religiosæ professioni; posterius verò unicum duntaxat votum unicamque consecrationem. Id strictius quidem est votum religiosæ professioni quàm ordini sacro annexum. « Non est enim essentialiter « annexum debitum continentiæ ordini sacro, sed ex « statuto Ecclesiæ. Unde videtur quòd per Ecclesiam « possit dispensari in voto continentiæ solemnizato « per susceptionem sacri ordinis. Est autem debitum « continentiæ essentiale statui religionis, per quem « homo abrenuntiat seculo, totaliter Dei servitio man- « cipatus. Quod non potest simul stare cum matrimo- « nio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, « et prolis, et familiæ, et rerum quæ ad hoc requirun- « tur. » Unde Apostolus, 1 ad Corinthios 7 : *Qui cum uxore est*, inquit, *sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est.* « Et ideò, inquit S. Tho- « mas, 2-2, quæst. 88, a. 11, in voto solemnizato per « professionem religionis non potest per Ecclesiam di- « spensari. » Et rationem assignat Decretalis, *Cùm ad monasterium*, Extra. *de Statu monachorum*, his verbis : *Quia castitas est annexa regulæ monachali*. Quamobrem quæ luxuriæ peccatum commisit, exprimere non solùm debet in confessione sacramentali, se cum sacerdote fuisse nefariè commixtam, vel aliquid impudicum ab ipso passam esse, sed etiam cum religioso solemniter professo, si stuprator sit in utroque statu constitutus; et ille similiter utramque illam circumstantiam aperire debet confessario, nisi ipsum noverit. Idemque dicendum de desideriis et consensu in delectationem, de obscœno quopiam actu perpetrato cum sacerdote, diacono vel subdiacono religiosam vitam solemniter professis.

Regula XXIII. — Eò gravius sacrilegium est, quò cum gravioris et magis horrendæ luxuriæ specie concurrit. — Hanc regulam tradit et explicat S. Thomas, 2-2, quæst. 154, a. 2, in responsione ad secundum : « Sacrilegium, inquit, est species luxuriæ, secundùm « quòd ordinatur ad alterius vitii finem, et potest con- « currere cum diversis luxuriæ speciebus. Si enim ali- « quis abutatur personâ conjunctâ sibi secundùm spi- « ritualem cognationem (in Baptismo scilicet vel Con- « firmatione contractam), committit sacrilegium ad « modum incestûs. Si autem abutatur virgine Deo sa- « cratâ, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium « per modum adulterii; in quantum verò est sub spi- « ritualis patris curâ constituta, erit quoddam spiri- « tuale stuprum. Et si violentia inferatur, erit spiri- « tualis raptus, qui, etiam secundùm leges civiles « graviùs punitur quàm alius raptus. » Unde Justinianus imperator edixit : *Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodò matrimonii causâ sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.* Circumstantiæ itaque hujusmodi in sacramentali confessione necessariò aperiendæ sunt.

Regula XXIV. — Sacrilegium sacerdotis cum filiâ spirituali pœnitente fœdiorem quamdam et magis horrendam deformitatem habet, quàm cum aliâ muliere; graviusque adhuc peccatum est, si in Pœnitentiæ sacramento, aut illius occasione, vel prætextu, illam ad turpia sollicitet. — Trahit enim illam in peccatum, vel

cùm eâ peccatum committit, quam ex officio à peccato revocare tenetur ; et *Spirituale stuprum* perpetrat, ut loquitur S. Thomas. Et si in confessione sacramentali, aut illius occasione mulierem sacerdotes sollicitent ac provocent ad actus inhonestos, « sacramento pœnitentiæ abutuntur, nec illi, et qui id instituit Domino « Deo et Salvatori nostro Jesu Christo injuriam facere « verentur; ac loco eorum per sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerant, et in manibus diaboli « tradunt, in divinæ majestatis offensam, et animarum « perniciem, et Christi fidelium scandalum non modicum. » Verba sunt summi pontificis Pii IV, in constitutione ad archiepiscopum Hispalensem in regnis Hispaniæ hæreticæ pravitatis inquisitorem generalem datâ, quæ incipit : *Cùm sicut*, inter ejus Constitutiones 31, tomo 2 Bullarii Romani, quâ et contra nefarios hujusmodi sollicitatores quæstionem haberi tam de sceleris quàm de fide jubet; cùm vix verisimile sit, quòd *qui de fide catholicâ rectè sentiunt, sacramentis in Ecclesiâ Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Et convictos puniri, vel prout de jure faciendum fuerit, præcedente degradatione, secularis judicis arbitrio puniendos tradi præcipit. Hujusmodi sacrilegium *impium ac nefandum scelus* appellat meritò Gregorius XIV, cùm sacerdos *sacrosancto pœnitentiæ sacramento abutatur, ac pro medicinâ venenum, pro pane aspidem porrigat ; et ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur.* Et Constitutionem laudatam Pii IV, pro Hispaniis duntaxat datam, ad omnia totius orbis christiani loca, in quibus institutum est sacræ Inquisitionis officium, extendit, Constitutione quæ incipit : *Universi Dominici gregis*, 24, Bullarii Romani tom. 3.

Constitutiones pontificum mox laudatæ antiquis canonibus omninò consonæ sunt. Ita canon, *Omnes*, qui Symmacho papæ tribuitur apud Gratianum, causâ 30, quæst. 1 : « Omnes quos in Pœnitentiâ suscipimus, ita « nostri sunt spirituales filii, ut et ipsi quos vel nobis « suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda sacri Baptismatis regeneravit. Silvester quoque docens admonet unumquemque sacerdotem, ut nullus causâ fornicationis ad suam pœnitentialem accedat, quia scriptum est : *Omnes quos « in Pœnitentiâ accipimus, ita filii nostri sunt, ut in « Baptismate suscepti.* Quapropter hoc scelus si quis « perpetraverit, non solùm dignitatis honorem amittat, verùm etiam usque ad exitum vitæ suæ jugi « Pœnitentiæ se subdat. » Et canon, *Si quis*, Cœlestino Papæ adscriptus : « Si quis sacerdos cum filiâ spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium « commisisse. Idcircò femina, si laica est (1), omnia derelinquat, et res suas pauperibus tradat, et « conversa in monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit « hominibus, ab omni officio deponatur, et peregrinando duodecim annis pœniteat; postea verò ad « monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ « Deo serviat. » Nec immeritò sacrilegium tam horrendum severiori disciplinâ castigandum Ecclesia judicavit. Nam, ut docet S. Thomas, in quartum sententiarum, dist. 42, quæst. 1, articulo 2, ad octavum : « Per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter « sacerdotem et mulierem confitentem simile cognationi spirituali, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia; et hoc « ideò, quia maxima familiaritas est inter sacerdotem « et confitentem ; et ex hoc ista prohibitio est inducta, « ut tollatur peccandi occasio. »

Ex his sequitur, mulierem seu personam quamlibet, quæ confessario ad turpia sollicitanti obsecuta est, vel ejus blanditiis delectata, et inhonestis sermonibus ; vel sacerdoti cuilibet auditionem confessionis simulanti, aut confessionis occasione vel prætextu ipsam convenienti vel alloquenti, hanc circumstantiam in sacramentali omninò exprimere debere ; et similiter sacerdotes qui personas quaslibet « ad inhonesta sive « inter se, sive cum aliis perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive antea, vel post immediatè, seu occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam confessione non secutâ, sive extra « occasionem confessionis in confessionario, aut in « loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel « provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, » has circumstantias in confessione sacramentali exprimere necessariò debere.

De criminis istius gravitate legendus B. Petrus Damiani, opusculo 7, cui titulus est : *Liber Gomorrhianus*, cap. 6 : « Sequitur, inquit, ut eâdem sententiâ « dignè feriatur, et qui carnalem filiam perdidit, et « qui spiritualem sacrilegâ commixtione corrupit. » Et cap. 9 : « Ut ad sacros, id est, execrabiles confessores adhuc se disputationis sermo retorqueat, si quilibet canonicus presbyter cum muliere cecidit, cui « pœnitentiæ judicium vel semel indixit, à nemine « prorsùs ambigitur, quin synodali judicio degradetur. »

Regula XXV.—Sacrilegii reus est confessarius, qui pœnitenti in sacramentali confessione tradit chartam postea legendam, quâ ad venerem sollicitat; ac proinde est omninò denuntiandus inquisitori vel episcopo.—Hæc regula colligitur ex Constitutionibus supra laudatis Pii IV et Gregorii XV. Hinc Alexander VII, pontifex maximus, hanc inter alias propositionem damnavit Decreto edito anno 1660 : *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitâsse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

Regula XXVI.—Mulier pœnitens non evadit obligationem denuntiandi confessarium, qui ad actus inhonestos ipsam sollicitavit, si peccata sua apud ipsum sacerdotem à quo provocata est deponat.—Sic enim eluderentur pontificiæ constitutiones, et Ecclesiæ le-

(1) Subintelligendum, ET SUI JURIS.

gibus illuderetur. Hinc Alexander VII hanc rursùs propositionem damnavit : *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* Præterea decretis Ecclesiæ prohibitum est sacerdotibus ne confessiones audiant illarum personarum quibuscum peccaverunt. Ita synodus Lingonensis, anno 1404 : « Caveat sacerdos ne audiat confessionem alicujus de peccato, de quo ipse est agens vel « consentiens, sed illam personam remittat ad alium « confessorem, et si sit opus, det licentiam confiteri « alteri. » Ita synodus Carnotensis, anno 1526 : « Inhibemus omnibus et singulis sacerdotibus, ne confessiones mulierum, cum quibus carnaliter peccaverunt, vel eas ad peccandum induxerunt, audiant, « nisi in magno necessitas articulo. » Ita multis ante has synodos seculis B. Petrus Damiani, in libro qui *Gomorrhianus* inscribitur, cap. 7 : « Qui reatûs auctores existunt, ipsi judices fiunt.... Sed legis præceptum est, ut cùm quis leprâ perfunditur, sacerdotibus « ostendatur; tunc autem non sacerdotibus, sed le « proso potiùs ostenditur, cùm immundus immunde « peractam communem nequitiam confitetur. »

Regula XXVII. — Mulieribus, et quibuscumque personis, à confessario ad actus inhonestos provocatis sive sollicitatis, prohibere debet sacerdos apud quem peccata deponunt, ne ad impudicum illum sacerdotem deinceps adeant quâcumque occasione vel prætextu, aut ipsum alloquantur, vel admittant ( si necessitas urgeat ) remotis arbitris; maximè verò ne apud ipsum peccatorum suorum confessionem edant, quocumque promissionis, aut voti vinculo se obstrinxerint ad alium confessarium non eligendum. — Hæc regula nititur Christi præcepto Matthæi 5 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Dextri oculi symbolo significatur consiliarius demonstrans iter in rebus divinis, qui si nos scandalizet, atque in perniciosam hæresim conetur inducere, aut ad crimen pertrahere nomine religionis, deserendus ac projiciendus est, ne cum ipso mittamur in gehennam. Ita hanc Salvatoris nostri sententiam explicat S. Augustinus, libro 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 13 : « Sed quoniam, inquit, sequitur de manu dexterâ, et similiter « dicitur : *Si dextera manus tua scandalizat te, abscide « eam, et projice abs te;* cogit quærere diligentiùs quid « dixerit oculum. In quâ quæstione nihil mihi occurrit « congruentius quàm dilectissimum amicum; nam hoc « est utique quod membrum rectè possumus appellare, quod vehementer diligimus; et hunc consiliarium quia oculus est, tanquàm demonstrans iter, et « in rebus divinis, quia dexter est; ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis ad « necessitatem corporis pertinentibus; de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec « dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam « hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur « inducere Ergo et dextera manus accipiatur dilectus « adjutor et minister in divinis operibus; nam quem« admodùm in oculo contemplatio, sic in manu rectè « actio intelligitur, ut sinistra manus intelligatur in « operibus quæ huic vitæ et corpori sunt necessaria. » Præcipiendum itaque est pœnitenti, quem prior confessarius ad inhonestos actus sollicitavit seu provocavit, ne ad ipsum unquàm adeat, aut illum admittat, seu cum ipso colloquatur secretò et remotis arbitris, quâcumque occasione et prætextu, et maximè ne apud ipsum confessionem edat, nisi extrema necessitas urgeret, nullusque alius reperiretur confessarius. Et nisi id promittat pœnitens, neganda est ipsi absolutio. Si verò aliquo promissionis, juramenti aut voti vinculo se obstrinxit ad alium confessarium non eligendum sive adeundum, ipsi declarandum est promissionis illius, juramenti, aut voti obligationem nullam esse, quia polliceri, jurare aut vovere non potuit, se illi confessario adhæsuram quocumque eventu, etiamsi hæreticus esset, vel criminosus, et ipsam in hæresim vel crimen pertrahere tentaret; hæc enim promissio esset contra bonos mores, votum illud non esset de meliori bono, imò de re per se malâ, adeòque per se nullum et irritum esset. Censenda est ergo promisisse vel vovisse, illi confessario se adhæsuram, quamdiù ipsam secundùm Dei legem ad salutem æternam dirigeret, quamdiù ipsi ad veram beatitudinem consequendam impedimento non esset, quamdiù ministerio suo rectè fungeretur; quamdiù dotes omnes haberet sacerdoti ad confessiones audiendas præposito necessarias. Quanquàm et hujusmodi promissiones et vota à mulieribus præsertim edita de certo quopiam confessario non mutando, etiamsi probus sit et pius, temeraria sint, et propter varia pericula, rescindi debeant à superioribus, vel ab aliis confessariis, quibus ea pœnitentes aperiunt. Quamvis enim nullum aliud periculum esset quàm nimiæ adhæsionis et affectûs pœnitentis ad confessarium suum, istud certè non leve est, præsertim in mulieribus; et quamvis spiritualem adhæsionem et affectum esse obtendant, metuendum tamen est, ne cùm spiritu cœperint, carne tandem consummentur.

Regula XXVIII. — Incestus species est luxuriæ à cæteris distincta, malitiæque ac deformitatis singularis. — Cùm enim actus venerei turpitudinem quamdam includant, ex quâ pudor et verecundia nascitur, exerceri cum parentibus, consanguineis, vel affinibus non possunt, sine violatione honoris naturæ lege ipsis debiti. Unde Dominus ait Levitici 18 : *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut non revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies; mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filiâ non revelabis; quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quòd caro sit matris tuæ. Turpitudinem*

*patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate jungitur. Turpitudinem nurûs tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ, et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut revelet ignominiam ejus, quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est.* Hinc S. Augustinus, libro 2 de Civitate Dei, cap. 4, ait : « Habet « quiddam erga parentes humana verecundia, quod « nec ipsa nequitia possit auferre. Illam proinde tur- « pitudinem obscœnorum dictorum atque factorum, « scenicos ipsos domi suæ profudendi causâ coram « matribus suis agere puderet, quam per publicum « agebant coram deûm matre, spectante et audiente « utriusque sexûs frequentissimâ multitudine. » Et libro 15, cap. 16 : « Nescio, inquit, quomodò inest humanæ « verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut « cui debet causâ propinquitatis reverendum honorem, « ab eâ contineat, quamvis generatricem, tamen libi « dinem, de quâ erubescere videmus et ipsam pudi- « citiam conjugalem. » Præterea inter personas sanguine conjunctas majorem consuetudinem et familiaritatem intercedere necesse est. Unde, si à commixtione venereâ non arcerentur, nimia daretur omnibus opportunitas venereæ commixtionis, sicque animi hominum nimis effeminarentur ac diffluerent per luxuriam, nimiusque esset ardor amoris, et maximum libidinis incentivum. Ideò in veteri lege concubitus cum illis personis speciatim videtur esse prohibitus, quas simul commorari aut familiariter agere necesse est. Nunc autem inter consanguineos usque ad quartum gradum inclusivè; inter affines usque ad quartum gradum affinitatis ex matrimonio legitimo contracto, etiam inclusivè; ex copulâ autem illicitâ, usque ad secundum. Quibus ergo consanguineis vel affinibus matrimonio inter se jungi non licet, sive lege naturæ, sive lege Ecclesiæ, eorum copula carnalis, sive extra matrimonium, sive matrimonii absque Ecclesiæ dispensatione contracti in iis gradibus in quibus Ecclesia dispensare potest et solet, nomine velata, incestus est. Tertiò, consanguineorum et affinium conjugia necessitudinum propagationem impedirent. Dùm enim homo uxorem extraneam accipit, jungantur ei præcipuo quodam amicitiæ fœdere omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei ejus, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 54, a. 9. Quæ ratio ex S. Augustino sumpta est, libro 15 de Civitate Dei, cap. 16, cujus verba descripsi in tract. de Matrimonio, cap. 4, a. 5, num. 6.

Incestuosos sacri canones, Apostolo præeunte, 1 Corinth. 5, excommunicatione percellunt, scilicet concilium Aurelianense I, canone 18; Epaonense, canone 30; Averneuse, canone 12; Turonense II, canone 21; Vernense, canone 9, etc. Illos in Catechumenorum ordinem usque ad legitimam satisfactionem detrudant concilium Agathense canone 61, et Herdense canone 4, qui referuntur can. *de Incestis*, et can. *de His*, causâ 35, quæst. 2 et 3.

Regula XXIX. — In confessione sacramentali exprimendum est, utrùm incestus perpetratus sit cum consanguineâ vel affine, et in quo consanguinitatis vel affinitatis gradu.—Eò enim gravius peccatum est, quò personæ sunt magis conjunctæ. Sic incestum cum matre quàm cum novercâ, et copulam cum novercâ quàm cùm ejus filiâ gravius et immanius crimen esse nemo dubitaverit; et incestum cum propriâ sorore quàm cum sorore conjugis; et cum socru quàm cum nepte vel consobrinâ. Unde Deuteronomii 27 scriptum est : *Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus; et dicet omnis populus : Amen..... Maledictus qui dormit cum sorore suâ, filiâ patris sui vel matris suæ; et dicet omnis populus : Amen. Maledictus qui dormit cum socru suâ; et dicet omnis populus : Amen.* Genesis 29, Jacob filiis suis benedicens, illisque eventura præmuntians : *Ruben*, inquit, *primogenitus meus, tu principium doloris mei... Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculâsti stratum ejus.* Apostolus, 1 ad Corinthios 5 : *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis; et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrùm qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Confirmatur hæc regula ex antiquis canonibus pœnitentialibus, qui incestæ copulæ reos pro majoris propinquitatis ratione graviori pœnitentiæ subjiciunt. Legantur S. Basilii Epistola ad Amphilochium, cap. 66, 74, 75, et antiqua Pœnitentialia.

Regula XXX. — Cognatio spiritualis, si quæ inter illos qui carnaliter commixti sunt, intercedat, necessariò in Confessione à Pœnitentibus exprimenda est.

Carnalis enim copula inter personas fœdere illo spirituali conjunctas, scilicet inter patrinum et filiolam quam ex Baptismo vel Confirmatione suscepit, vel inter matrinam et filiolum, vel patrini cum matre filioli, aut matrinæ cum ejus patre, aut ejus qui Baptismum vel Confirmationem administravit, cum eâ quam baptizavit aut confirmavit, vel cum ejus matre, incestus est, ut constat ex synodo sub Pipino, seu capitulari Metensi, cap. 1, ex synodo Wormatiensi canone 54, *Veniens*, Extra. *de Cognatione spirituali*, et ex concilio Tridentino, sessione 24, *de Reformatione matrimonii*, cap. 2.

Regula XXXI. — Non sunt absolvendi consanguinei, vel affines incestuosi in eâdem domo manentes, ante separationem, si cohabitatio et convictus sit illis occasio proxima incestum committendi; iis verò qui simul non manent, prohibere debet confessarius mutuam frequentationem, si necesse sit, aut certè nec clam et remotis arbitris conversentur aut colloquantur; quod nisi spoponderint, neganda illis est absolutio. — Morem patriæ, necessitatem convictûs, commoda temporalia, imminens ex separatione infamiæ

periculum nemo obtendat. Prudentiâ quidem non vulgari confessario opus est ut consiliis suis hujusmodi personas dirigat ac juvet in electione mediorum quibus necessaria illa separatio fiat, orandus ferventiùs Deus, prudentiores ac peritiores regiminis animarum interrogandi; rogandum est episcopi consilium, si necesse sit : sed tamen rationibus omnibus quas amor proprius prudentiaque carnis et seculi suggerunt, Christi præceptum præponderare debet, Matthæi 5 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod de propinquis ipsis ad commoda temporalia nobis maximè necessariis aut utilibus intelligendum, nec pertimescendum infamiæ periculum ex separatione imminens, SS. Patres docent. Ita S. Hieronymus, in cap. 18 S. Matthæi : « Omnis, inquit, « truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis « tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus et est utilis « atque sollicitus et acutus ad percipiendum; scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam; melius est ut et propinquitate ejus et emolumentis carnalibus careas, « ne, dùm vis lucrifacere cognatos et necessarios, « causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non « uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui « nos excludere potest à regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque credentium, « quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur animus ac « sæpè tentetur. Melius est vitam solitariam ducere « quàm ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam « perdere. » Ita S. Cyrillus, libro 12 in Joannem : « Licet, inquit, qui charissimi nobis sunt, aliquid fortiter agere prohibeant, infamiâ apud homines, aut « mundanâ quâdam re propositâ, cavendum ne assentiare. Nec enim à Satanâ ullo modo differunt, qui « creare scandala, et ab utilis indagatione versutis ac « blandis quandoque sermonibus abstrahere pium solet. Et quidem Christus tale quid significare mihi « videtur, cùm ait : *Si ergo oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Quod enim offendiculum præstat, non jam nostrum esse debet, licet « dilectionis lege in unitatem constringatur, et naturalis dilectionis jure nobiscum copuletur. »

Hæc porrò separatio à convictu et familiaritate personarum quæ sunt nobis occasiones peccandi, eò magis necessaria est, quòd cætera vitia resistendo, luxuria verò fugiendo vincatur. Unde Ecclesiastici 42 scriptum est : *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.* Et Apostolus 1 ad Corinthios 6, scribit : *Fugite fornicationem.* Hinc auctor Sermonis olim 250, de Tempore, nunc 293, in Appendice, quem S. Cæsario Arelatensi tribuendum viri eruditi conjiciunt, ait : « Quòd libidinem fugiendam esse diximus, Apostolo « doctore evidenter didicimus. Qui enim omnibus viitiis resistendum prædixerit, contra libidinem non « ait : Resistite, sed dixit : *Fugite fornicationem.* Ac « sic contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in « præsenti resistere, libidinem verò fugiendo superare. Sic et alibi in Scripturis legimus. Eccli. 9 : *Noli « in faciem virginis attendere, ne te scandalizet vultus « ejus.* Et beatus Joseph, ut impudicam posset evadere dominam, pallium quo deprehensus fuerat, « reliquit, et fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. » Et infra : « Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna, et rara victoria. Gravem namque castitas sortita « est inimicum, qui quotidiè vincitur, et timetur. Et « ideò nemo se falsâ securitate decipiat, nemo de suis « viribus periculosè præsumat. » Hinc S. Ambrosius, lib. de Joseph Patriarchâ, cap. 5 : « Magnus vir, inquit, qui venditus servile nescivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehensus aufugit. Qui cùm ab uxore domini conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit; ac ne ipsa quidem verba diu passus, contagium judicavit si diutius moraretur, ne per manus « adulteræ libidinis incentiva transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit, et relictis, quibus tenebatur, exuviis, spoliatus quidem, sed non nudus « aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. »

Regula XXXII. — Raptus distincta luxuriæ species est, malitiam ac deformitatem singularem involvens. Nam *illatio violentiæ procedit ex magnitudine concupiscentiæ, ex quâ aliquis non refugit periculo se injicere violentiæ inferendæ*, inquit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 154, art. 7 ad secundum. Hinc concilium Chalcedonense canone 27 contra raptores eorumque conscios et adjutores ita decernit : *Qui rapiunt mulieres prætextu conjugii, et adjutores ac consentientes, si clerici sunt, cadant à gradu suo; si laici, anathematizentur.* Et Symmachus Romanus pontifex, Epistolâ ad Cæsarium Arelatensem episcopum : « Raptores, inquit, viduarum vel virginum, ob immanitatem « tanti facinoris detestamur, illos vehementiùs persequendo, qui sacras virgines vel volentes vel invitas « matrimonio suo sociare tentaverint. Quos pro tam « nefandissimi criminis atrocitate à communione « suspendi præcipimus. » Refertur can. *Raptores*, causâ 36, quæst. 2. Idem statuit sacra synodus Tridentina, sessione 24, de Reformatione Matrimonii, cap 6 : « Quòd si rapta à raptore separata, et in loco « tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, illam raptor in uxorem habeat, et nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio « gradu decidant. »

Regula XXXIII. — Raptùs rei sunt, raptorumque pœnis obnoxii, qui puellam seductam, quamvis con-

sentientem abducunt, et cum eâ sic abductâ nubunt invitis parentibus. — Hæc regula firmatur auctoritate concilii Aurelianensis I, canone 2 : « De raptoribus autem, inquit, id custodiendum esse censuimus, ut si ad Ecclesiam raptor cum raptâ confugerit, et feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et raptor ( mortis vel pœnarum immunitate concessâ ) aut serviendi conditioni subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur, patrem habere constiterit, et puella raptori, aut rapienda aut rapta consenserit, potestati patris excusata reddatur, et raptor à patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius. » Idem confirmatur ex libro 6 Capitularium, cap. 96. Ex eo enim constat non solùm raptores pœnis ecclesiasticis et civilibus adversùs hoc crimen latis obnoxios fuisse, etiamsi puellæ consensissent; sed puellas ipsas, sive primò, sive postea ipsis consentientes, pœnitentiæ publicæ subjectas fuisse, et reclusas, absque ullâ spe matrimonii, non solùm cum ipso raptore, sed et cum aliis viris contrahendi. Quæ leges etsi jam antiquatæ sint quoad istud caput, probant tamen raptûs reos esse, pœnisque raptorum obnoxios, qui puellam, quamvis consentientem, invitis parentibus abducunt. « Si quis, inquit, alterius sponsam, virginem, aut viduam necdùm desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit; seu non, seu cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipsam accipere, vel tenere potuerit, nunquàm illam uxorem habeat, sed raptori aut furi auferatur, et proximis suis alio viro tempore congruo (si ipsa hoc malum non consenserit), nuptura legibusque acceptura reddatur. Raptor verò, sive fur, omnesque eis consentientes, publicâ pœnitentiâ juxta canonicam auctoritatem mulctentur, et proximis illius quicquid injustè in eam nefando scelere egerunt, in triplo componant, et unamquamque rem semotim legibus in triplo restituant. Ipsa namque quæ rapitur, si aut primò, aut postmodùm tam nefario sceleri libens consenserit, nunquàm postea nubat, sed publicâ pœnitentiâ mulctetur, et sub tali custodiâ ponatur ut ei nullatenùs luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoscant quoniam nec seculi leges tam nefandis conjunctionibus consentiant, nec sacri canones consilium ullum præbeant; sed tales seculi leges, cooperatoresque eorum capite feriri præcipiunt; et sacri canones Spiritu Dei conditi non solùm raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes anathemate feriunt. » Jus quoque Romanum hanc regulam confirmat. Constantinus Magnus, lex Si quis, lib. 9, Cod. Theodos. tit. 24 de Raptu virginum vel viduarum, raptorem infusione liquentis plumbi in os plecti edicit, sive invitam rapuerit, sive volentem abduxerit. Eâdemque pœnâ participes et ministri sceleris damnantur. « Etsi voluntatis assensio detegitur in virgine, eâdem quâ raptor severitate plectatur, cùm neque his impunitas præstanda sit quæ rapiuntur invitæ; cùm et domi se usque ad conjunctionis diem servare potuerint, et si fores raptoris frangerentur audaciâ, vicinorum operæ clamoribus quærere seque omnibus tueri conatibus. » Sed leviorem tamen earum pœnam esse voluit Constantinus, solam scilicet hæreditatis paternæ privationem. Parentes denique nisi contra raptorem actores se præberent, in exilium deportari sanxit. Justinianus imperator, lex Raptores, lib. 9, Cod. tit. 13, raptores capite plectendos decernit; bonaque omnia tam mobilia quàm immobilia raptorum, eorumque consciorum et adjutorum, ad dominium mulierum honestarum et ingenuarum, quæ raptum passæ fuerint, transferri : pœnæ autem capitali addicit tam raptores, quàm eorum comites, et qui consiliarii et ministri hujusmodi criminis, adjutores, susceptores, et fautores convicti fuerint, cujuscumque sexûs et conditionis vel dignitatis fuerint : *Sive volentibus, sive nolentibus virginibus, vel aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum.* Parentes autem, quorum maximè vindicta interest, si patientiam præbuerint, vel dolorem remiserint, vel filiarum matrimonio cum raptoribus, legibus vetito, consenserint, damnat exilio. Id confirmat Novella, constitutione 143 de Muliere raptum passâ, declaratque beneficium lege indultum mulieribus raptis, ut in earum dominium ac possessionem bona raptorum transferantur, ad eas non pertinere, quæ raptoribus consenserunt, et eorum connubium contra legis tenorem elegerunt.

Regula XXXIV. — Raptus eò gravius peccatum est, quò fit ad fœdiorem et magis horrendam libidinem explendam. — Gravissimum enim esset, si masculus masculum, aut femina feminam raperet. Inter raptus verò feminarum à viris, primum locum tenet criminis gravitate raptus sanctimonialium; secundum locum tenet raptus earum quæ simplici voto virginitatem suam Deo consecrârunt; sequitur raptus consanguinearum vel affinium, tum conjugatarum, deinde virginum, sive ingenuarum puellarum, postremò viduarum. Idem esto judicium de violentâ abductione viri à muliere potente : si enim virum religiosum raperet, aut sacerdotem, aut voto simplici castitatis obstrictum, gravius crimen esset, quàm si virum profanum aut nullius voti religione Deo consecratum; si consanguineum vel affinem, gravius crimen esset, quàm si extraneum; si conjugatum, majus scelus esset quàm si solutum. Hæ itaque circumstantiæ in sacramentali confessione necessariò declarandæ sunt, per quas nimirùm fit ut raptus cum aliis luxuriæ speciebus concurrat; nempe cum peccato contra naturam, vel cum sacrilegio, vel cum incestu, vel cum adulterio, vel cum stupro, vel cum fornicatione simplici.

Regula XXXV. — Sponsus qui sponsam abducit ante matrimonium, quamvis graviter peccet, raptor tamen non censetur. — Hanc regulam ex jure canonico hausit S. Thomas, adstruxitque secundâ secundæ, quæst. 154, art. 7, in resp. ad quartum. *Sponsus*, inquit, *ex ipsâ desponsatione habet aliquod jus in suâ sponsâ. Et ideò quamvis peccet violentiam infe-*

*rendo, excusatur tamen à crimine raptûs.* Unde Gelasius papa dicit Can. *Lex illa* causâ 36, quæst. 1 : *Lex illa præteritorum principum ibi raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus ante nuptiis nihil actum fuerat, videbatur abducta.* Idem colligitur ex synodo Romanâ sub Gregorio II, can. 11, et ex concilio Troflejano, can. 8 : *Si quis virginem, nisi desponsaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientem ei, anathema sit.* Item ex synodo Romanâ sub Zachariâ pontifice, can. 7 : *Si quis temerario ausu præsumpserit virginem aut viduam furari in uxorem, præter si desponsatam habuerit, anathema sit.* Quod can. 67, ex iis qui apostolici vocantur, consonum est : *Qui virginem,* inquit, *non sponsatam violaverit, excommunicetur, nec aliam ducat, sed eam, licet pauper sit.* Idem confirmatur ex cap. *Cùm causam*, extra *de Raptoribus*, quod est Lucii III, Burgensi episcopo sic respondentis : *Cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, et priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licet parentes reclament, à quibus eam dicitur rapuisse.*

Si tamen puellam sibi desponsatam per verba de futuro sponsus abduceret, etiam volentem, non ad matrimonium celebrandum, sed ad libidinem explendam ante nuptias, vel si invitam ad matrimonium perficiendum abduceret ac nolentem compelleret, raptûs reus esset. Idem esto judicium de viro qui uxorem suam matrimonium consummare nolentem, intra bimestre, quod puellæ ad deliberandum de ingressu in monasterium ante matrimonii consummationem canones concedunt (ut patet cap. *Ex publico*, extra, *de Conversione conjugatorum*), ex ædibus parentum ad consummandum matrimonium vi abduceret.

Regula XXXVI. — Raptûs rei sunt, qui puellam prædivitem, amplique patrimonii hæredem, vel aliàs locuplete dote auctam, impetrato principis assensu è domo parentum vel tutorum ipsis invitis abducunt, ut matrimonio sibi jungant. — Hæc regula colligitur ex can. *Nullus*, causâ 36, quæstione 2, qui canon septimus est concilii Parisiensis III. *Nullus*, inquit, *viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur.*

Regula XXXVII. — Raptor non est sacramentaliter absolvendus, donec raptam puellam sponso reddiderit, si desponsata sit; vel parentibus, si non sit desponsata; vel denique in pristinam libertatem restituerit, si mulier sit sui juris. — Nititur hæc regula auctoritate S. Basilii, in Epistolâ canonicâ ad Amphilochium, can. 22 : « Eos, inquit, qui ex raptu habent « mulieres, si aliis quidem desponsatas abripuerint, « non priùs oportet admittere, quàm ab eis ablatæ « sint, et sint in eorum potestate, quibus desponsæ « fuerant, an eas velint accipere, an desistere. Si quis « autem vacantem acceperit, auferre quidem oportet, « et suis restituere; illorum autem sententiæ permittere, sive sint parentes, sive fratres, sive quicumque alii præsint : et si ei tradere voluerint, matrimonium constituere; sin autem renuerint, non « cogi. » Confirmatur ex can. *Desponsatas*, causâ 36, quæst. 2, qui Ancyrani concilii canon decimus est : *Desponsatas*, inquit, *puellas, et postea ab aliis raptas, reddi placet sponsis, et si vis ab aliis illis illata fuerit.* Confirmatur secundò ex can. *Si autem*, eâdem causâ et quæstione, qui Meldensis concilii can. 65, est : « Hi autem, inquit, qui necdùm eas quas rapuerant, « cum voluntate parentum, sub desponsionis vel dotalitii nomine in conjugium sumptas habent, quando « in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, « ab earum conjunctione separentur, et publicæ pœnitentiæ subigantur : raptæ autem parentibus legaliter restituantur. » Confirmatur tertiò ex S. Thomâ, secundâ secundæ, quæst. 154, art. 7, in resp. ad tertium : « Aliter, inquit, est dicendum de raptu puellarum quæ sunt aliis desponsatæ, et aliter de raptu « illarum quæ sunt non aliis desponsatæ. Illæ enim « quæ sunt aliis desponsatæ, restituendæ sunt suis « sponsis, qui in eas ex ipsâ desponsatione jus habent. « Illæ autem quæ non sunt aliis desponsatæ, primò « restituendæ sunt patris potestati; et tunc de voluntate parentum licitè possunt eas in uxores accipere. « Si autem aliter fiat, illicitè matrimonium contrahitur. Tenetur enim qui quamcumque rem rapit, ad « ejus restitutionem. »

Regula XXXVIII. — Tenetur raptor mulierem raptam, sive uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. — Iisdem verbis hanc regulam statuit sacra synodus Tridentina, sessione 24 de Reformatione matrimonii.

Regula XXXIX. — Famuli aut familiares, et amici, qui dominis, aut amicis ad raptum, stuprum, adulterium, aut aliud crimen consilio, vel auxilio cooperantur, admovendo scalam ad fenestras, aperiendo januam, litteras ferendo, vel horam opportunam crimini hinc inde nuntiando, excubias agendo ne in crimine deprehendantur; eos comitando noctu vel die in domum concubinæ, qui sine eorum satellitio illùc non irent, mortaliter peccant, etiamsi id faciant metu gravis detrimenti; nec absolvi sacramentaliter debent quamdiù in iis occasionibus versantur. — Quicumque enim consilium vel auxilium quovis modo præbent ad crimen perficiendum, consentiunt crimini (quàcumque excusatione se purgare nitantur); *digni* autem *sunt morte, non solùm qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus,* inquit Apostolus ad Romanos, cap. 1. Hinc Tertullianus, libro de Idololatriâ, cap. 11 : « Graviora, inquit, delicta quæque, pro magnitudine « periculi diligentiam extendunt observationis, ut non « ab his tantùm abscedamus, sed et ab iis per quæ « fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest, si per « me. In nullo necessarius esse debeo alii, cùm facit « quod mihi non licet. Ex hoc quòd vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. « Denique in aliâ causâ non levioris reatûs, præjudicium istud observo. Nam quod mihi de stupro inter-

« dictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ aut « conscientiæ exhibeo. Nam quòd ipsam carnem meam « à lupanaribus segregavi, agnosco me neque lenoci- « nium, neque id genus lucrum alterius causâ exer- « cere posse. Sic et homicidii interdictio ostendit mihi « lanistam quoque ab Ecclesiâ arceri; nec per se non « faciet, quod faciendum aliis subministrat.... Malè « nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis sup- « plaudimus, si post fidem obsignatam dicimus : Non « habeo quo vivam. Serò dicitur, ante enim fuit deli- « berandum, ex similitudine providentissimi ædificis « illius, qui priùs sumptus operis cum viribus suis « supputat, ne ubi cœperit, defectus, postea erubes- « cat. Sed et nunc habes edicta Domini et exempla « adimentia tibi omnem causationem. Quid enim di- « cis : Egebo? Sed felices egenos Dominus appellat; « victum non habebo? sed *nolite*, inquit, *cogitare de* « *victu;* et vestitûs habemus exemplum, lilia. Substan- « tiâ mihi opus erat; atquin omnia vendenda sunt, et « egentibus dividenda. Sed filiis et posteritati provi- « dendum; nemo aratro manum imponens, et retrò « spectans, aptus est operi. Sed conditionalis eram; « nemo duobus dominis servire potest. Si vis Domini « discipulus esse, crucem tuam tollas, et Dominum se- « quaris necesse est, id est, angustias et cruciatus « tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est. « Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi « erunt. De artibus et negotiationibus, et de profes- « sionibus etiam liberorum et parentum causâ dubi- « tas.... Nemo eorum, quos Dominus allegit : *Non ha-* « *beo*, dixit, *quo vivam*. Fides famem non timet. Scit « etiam famem non minùs sibi contemnendam propter « Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respi- « cere vitam, quantò magis victum? Quotusquisque « hæc adimplevit? Sed quæ penès homines difficilia, « penès Deum facilia. » Meritò itaque Namurcensis episcopus in synodo diœcesanâ, anno 1659, hanc propositionem damnavit : *Famuli comitantes dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret, vel qui ferunt internuntia vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel custodiam dùm simul cum concubinâ vel alterâ committit peccatum, absolvi non possunt si consentiant in peccatum. Secùs si id fieret propter temporalem commoditatem.* Denique Innocentius XI, pontifex maximus, inter alias propositiones scandalosas et in praxi perniciosas, hanc etiam damnavit die 4 martii 1679 : *Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

Regula XL. — Peccatum contra naturam inter omnia luxuriæ genera gravissimum est. — Id significat Apostolica illa sententia ad Ephesios 5 : *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* Idem docet Tertullianus, libro de Pudicitiâ, cap. 5 : « Reliquas, « inquit, libidinum furias impias et in corpora et in « sexus ultra jura naturæ, non modò limine, verùm « omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt de- « licta, sed monstra. » Idem confirmat S. Augustinus, libro 3 Confessionum, cap. 8 : « Flagitia, inquit, quæ « sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda « atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. « Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu « divinâ lege tenerentur, quæ non sic fecit homines « ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa so- « cietas quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem « natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate « polluitur. » S. Petrus Damiani, in libro *Gomorrhiano* cap. 16 : « Hoc sanè vitium, inquit, nulli prorsùs est « vitio conferendum, quod omnium immanitatem su- « perat vitiorum. Hoc siquidem vitium mors est cor- « porum, interitus animarum, carnem polluit, mentis « lumen extinguit, Spiritum sanctum de templo hu- « mani pectoris ejicit, incentorem luxuriæ diabolum « introducit, mittit in errorem, subtrahit deceptæ « menti funditùs veritatem, eunti laqueos præparat, « cadenti in puteum, ne egrediatur, oppilat; infer- « num aperit, Paradisi januam claudit; cœlestis Je- « rusalem civem, tartareæ Babylonis facit hære- « dem, etc. »

Idem confirmat S. Thomas, 2-2, quæst. 154, a. 11 : « In quolibet, inquit, genere pessima est principii cor- « ruptio, ex quo alia dependent. Principia autem ra- « tionis sunt ea quæ sunt secundùm naturam. Nam « ratio præsuppositis his quæ sunt à naturâ determi- « nata, disponit alia secundùm quod convenit. Et hoc « apparet tam in speculativis, quàm in practicis. Et « ideò sicut in speculativis error circa ea quorum co- « gnitio est homini naturaliter indita, est gravissimus « et turpissimus; ita in agendis, agere contra ea quæ « sunt secundùm naturam determinata, est gravissi- « mum et turpissimum. Quia ergo in vitiis quæ sunt « contra naturam, transgreditur homo id quod est « secundùm naturam determinatum circa usum vene- « reorum; inde est quòd in tali materiâ hoc peccatum « est gravissimum et turpissimum. » Et in responsione ad primum : « Sicut, inquit, ordo rationis rectæ est « ab homine, ita ordo naturæ est ab ipso Deo. Et ideò « in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo na- « turæ violatur, fit injuria ipsi Deo ordinatori natu- « ræ. » Et in responsione ad secundum : « Vitia, in- « quit, contra naturam tantò sunt graviora quàm « sacrilegii corruptela, quantò ordo naturæ humanæ « insitus est prior et stabilior, quàm quilibet alius « ordo supernaturalis. »

Regula XLI. — Mollities sive pollutio, quæ directè vel indirectè, expressè vel interpretativè, in se vel in suâ causâ volita est, quæ quidem causa sit lethale peccatum, mortale peccatum est vel in se, vel in causâ, sive dormienti, sive vigilanti contingat. — Cùm dormienti contingit, voluntaria non est, nisi ratione voluntatis quæ in vigilante præcessit. Quæ si pollutionem ipsam optaverit, aut de illâ probabiliter futurâ delectata sit, lethalis peccati rea est. Si autem pollutionem

ipsam expressè noluit, causam tamen voluit, ex quâ mens prævidebat, aut certè prævidere poterat ac debebat, fore ut sequeretur pollutio, et hujusmodi causa erat inhonesta et lethalis; pollutio etiam est lethale peccatum ratione causæ in quâ est volita, sive, ut loquitur S. Thomas, 2-2, quæst. 54, a. 5, *est sequela peccati præcedentis*. Cùm verò vigilanti, et directè vel indirectè consentienti, causamve prævisam, quam avertere tenebatur et poterat, non avertenti, contingit pollutio, lethale semper peccatum est. Inter ea scilicet ab Apostolo numeratur, quæ à regno Dei excludunt, 1 ad Corinthios 6 : *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt;* et Genesis 38, res detestabilis dicitur, ubi de Onan filio Judæ hæc leguntur : *Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Hinc S. Augustinus, libro 4 contra Julianum, cap. 5 : « Malè, inquit, utitur homo « membris bonis, quando consentit eis quæ in nobis « habitant, cupiditatibus malis, in quibus libido præ « cæteris turpis est, cui nisi resistatur, horrenda im« munda committit. Quo malo benè non utitur nisi « sola pudicitia conjugalis. » Lethale pariter peccatum est, si consensus interpretativus adsit, id est, si ratio, quæ pervigil esse deberet ad obscœnos motus reprimendos, dùm actu insurgunt, omittit et negligit repellere, vel improbare, quasi tacens, juxta vulgatum illud juris effatum : *Qui tacet, consentire videtur.* Sic nauta negligens causa censetur submersionis navis.

Regula XLII. — Mollities jure naturæ prohibita est, et per se ac intrinsecè mala; adeò ut, secluso etiam positivo Dei præcepto, nusquàm bona, licita, expetenda, multò minùs obligatoria esse possit. — Libidinosa enim delectatio, quæ in effusione genitalis seminis sentitur, ita vehemens ac effrenis est, ita rationem absorbet, ac veluti submergit, ut contra rationem sit eam unquàm procurare vel admittere, aut expetere citra legitimum usum matrimonii. Unde nec ipsa conjugalis pudicitia unquàm eâ libidine uti vellet, si absque illâ filios propagare posset, ut S. Augustinus asserit libro 14 de Civitate Dei, cap. 16 : « Cùm igitur « sint multarum libidines rerum, tamen cùm libido « dicitur, neque cujus rei libido sit additur, non ferè « adsolet animo occurrere nisi illa quâ obscœnæ corpo« ris partes excitantur. Hæc autem sibi non solùm to« tum corpus, nec solùm extrinsecùs, verùm etiam « intrinsecùs vindicat, totumque commovet hominem « animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto « atque permixto, ut ea voluptas sequatur, quâ major « in corporis voluptatibus nulla est; ita ut momento « ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, « penè omnis acies et quasi vigilia cogitationis obrua« tur. Quis autem amicus sapientiæ sanctorumque « gaudiorum, conjugalem agens vitam, sed sicut Apo« stolus monuit 1 Thessal. 4 : *Scions vas suum possi« dere in sanctificatione et honore, non in morbo desi« derii, sicut et gentes quæ ignorant Deum,* non mallet, « si posset, sine hâc libidine filios procreare; ut etiam « in hoc serendæ prolis officio, sic ejus menti ea quæ « ad hoc opus creata sunt, quemadmodùm cætera suis « quæque operibus distributa membra servirent, nutu « voluntatis acta, non æstu libidinis incitata? » Et libro 4 contra Julianum, cap. 14, Pelagianum illum patronum libidinis ita compellat : « Illa pro quâ me « cum tantis contentionibus litigas, etiam quando ad « eam bonâ intentione, hoc est, causâ propagandæ « prolis acceditur, tamen in ipso opere, quem per« mittit, aliquid non dico sapientiæ, sed cujuslibet rei « aliud cogitare? Nonne illi totus animus et corpus « impenditur, et ipsius mentis quâdam submersione « illud extremum ejus impletur? Cùm verò vincit « etiam conjugatos, ut non propagationis, sed carnalis « delectationis cupiditate misceantur, quod Apostolus « 1 Cor. 7, *secundùm veniam, non secundùm imperium*, « se dixisse testatur, ita hinc emergitur, et quasi in « auram cogitationis post illum gurgitem respiratur, « ut fiat consequens quod verum sit quidam : *Et pœ« nitendi quæ est cum voluptate vicinitas!* Quis ergo « amator spiritalis boni, etiam solâ causâ sobolis con« jugatus, non mallet vel sine istâ, si possit, vel sine « tam magnâ vi ejus filios procreare? Obsecro te, non « sit honestior philosophia gentium, quàm nostra « Christiana, quæ una est vera philosophia. Vide « enim quid in Hortensio Dialogo dicat Tullius : *An « verò*, inquit, *voluptates corporis expetendæ, quæ verè « et graviter à Platone dictæ sunt illecebræ esse utiques « atque escæ malorum? Quæ enim confectio est valetu« dinis, quæ deformatio coloris et corporis, quod turpe « damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eli« ciatur voluptate? Cujus motus ut quisque est maxi« mus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere « enim cum cogitatione magna voluptas corporis non « potest. Quis enim cùm utatur voluptate eâ quâ nulla « possit major esse, attendere animo, intùe rationem, « cogitare omninò quidquam potest? Quis autem tantus « est gurges, qui dies et noctes sine ullâ nimirùm tempo« ris intermissione velit ita moveri suos sensus, ut mo« ventur in summis voluptatibus? Quis autem bonâ « mente præditus, non mallet nullas omninò nobis à na« turâ voluptates datas?.....* Erubescamus interim ve« ris disputationibus impiorum, qui didicimus in verâ « veræ pietatis sanctâque philosophiâ, et contra spi« ritum carnem, et contra carnem concupiscere spiri« tum. » Ex his perspicuum est, gentiles ipsos philosophos, solo naturalis rationis lumine agnovisse repugnantiam venereæ libidinis cum humanâ naturâ et cum sapientiæ studio, quo nihil eidem naturæ magis consentaneum est. Nunquàm igitur à peccato immunis esse potest, nisi cùm rationis freno regitur, quod fieri non potest nisi cùm ejus usum in matrimonio legitimo mens permittit ad propagandæ prolis officium. Mollities igitur jure naturæ prohibita est, et per se ac intrinsecè mala.

Confirmatur regula ex S. Thomâ, quæstione 15 de Malo, a. 1, ubi de actu venereo sic loquitur : « Quandoque « cum inordinatione concupiscentiæ est etiam inordi-

« natio ipsius actûs exterioris secundùm se ipsum, si- « cut contingit in omni usu membrorum genitalium « præter matrimonialem actum. Et QUOD OMNIS TALIS « ACTUS SIT INORDINATUS SECUNDUM SE IPSUM, apparet « ex hoc quòd omnis actus humanus dicitur inordina- « tus, qui non est proportionatus debito fini; sicut « comestio est inordinata, si non proportionetur cor- « poris salubritati, ad quam ordinatur sicut ad finem. « Finis autem usûs genitalium membrorum est gene- « ratio et educatio prolis. Et ideò omnis usus prædi- « ctorum membrorum, qui non est proportionatus ge- « nerationi prolis, et debitæ ejus educationi, EST « SECUNDUM SE INORDINATUS. Quicumque autem actus « prædictorum membrorum est præter commixtionem « maris et feminæ, manifestum est quòd non sit ac- « commodus generationi prolis. » Et articulo 3 : « Pec- « catum, inquit, luxuriæ dupliciter habet inordinatio- « nem : uno quidem modo ex parte concupiscentiæ, « et talis inordinatio non semper facit peccatum mor- « tale; alio modo EX PARTE IPSIUS ACTUS, QUI DE SE « EST INORDINATUS, ET SIC SEMPER EST PECCATUM MOR- « TALE. Et ideò ex hâc parte ex quâ est major gravitas « peccati, sumuntur species prædictæ luxuriæ. Est « autem actus luxuriæ inordinatus, aut ex hoc quòd « non potest sequi ex actu generatio prolis, et sic est « VITIUM CONTRA NATURAM; aut ex eo quòd non potest « sequi debita educatio, quia scilicet mulier non est « determinata viro, ut sit sua secundùm legem matri- « monii. » Mollities porrò, et effusio quælibet seminis præter commixtionem maris et feminæ debito modo factam, *dicitur peccatum contra naturam, non solùm quia repugnat rationi, quæ natura est hominis, sed etiam* QUIA EST CONTRA NATURAM OMNIS ANIMALIS, *in quâ generatio fit commixtione utriusque sexûs*, inquit S. Thomas, articulo 1 ejusdem quæstionis in responsione ad septimum.

Nusquàm igitur licet, aut licere potest, pollutionem quocumque modo sibi procurare, aut eam expetere, vel etiam naturæ impetu evenienti consensum præbere, sanitatis aut vitæ tuendæ et conservandæ causâ. Sicut enim mentiri nusquàm licet, etiamsi nobis aut proximis prodesse mentiendo possimus, quia mendacium per se malum est, ita nusquàm licet actum venereum extra legitimum matrimonium exercere, etiamsi ad sanitatem corporis profuturus videatur. Unde S. Augustinus, Enchiridii cap. 22, ait : « Nec « ideò ullum mendacium putandum est non esse pec- « catum, quia possumus aliquando alicui prodesse « mentiendo. Possumus enim et furando, si pauper « cui palam datur, sentit commodum, et dives cui « clam tollitur, non sentit incommodum; nec ideò « tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. « Possumus et adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei « consentiatur, appareat amando moritura, et si vixe- « rit, pœnitendo purganda; nec ideò peccatum nega- « bitur tale adulterium. » Multò minùs peccatum de- sinet esse mollities, quæ flagitium est contra naturam, etiamsi profutura videatur sanitati. Quòd si adulterium *non ideò malum est quia vetatur lege, sed ideò vetatur lege quia malum est*, ut ait Evodius approbante S. Augustino, lib. 1 de libero Arbitrio, cap. 3, quis idem potiori jure neget asserendum de mollitie aliisque flagitiis quæ *contra naturam* dicuntur, quia in illis *ipse ordo naturæ violatur*, ut loquitur S. Thomas? Quamobrem fieri non potest quin repugnent æternæ legi, quæ est *ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans;* ut docet S. Augustinus libro 22 contra Faustum, cap. 27; qui naturæ ordo, sicut cibum destinat sustentationi corporis, ita et semen legitimæ propagationi prolis. Unde sicut cibis idolo consecratis nusquàm vesci licet in honorem idoli, aut cum offensione proximi, etiamsi fame moriendum sit, ita nunquàm licet coitus extra legitimum matrimonium, et multò minùs effusio seminis absque sexûs utriusque commixtione, quâ solâ proles propagatur, aut sterilis quælibet luxuria, etiamsi mors vitari non possit nisi semen effundatur. « Quod enim est cibus ad salutem hominis, inquit S. « Augustinus libro de Bono conjugali, cap. 16, hoc « est concubitus ad salutem generis, et utrumque « non est sine delectatione carnali, quæ tamen modi- « ficata, et temperantiâ refrænante in usum naturalem « redacta, libido esse non potest. Quod est autem in « sustentandâ vitâ illicitus cibus, hoc est in quærendâ « prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et « quod est in luxuriâ ventris et gutturis illicitus cibus, « hoc est in libidine nullam prolem quærente illicitus « concubitus. Et quod est in cibo licito nonnullis im- « moderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis « ille concubitus. Sicut ergo satius est emori fame quàm « idolothytis vesci, ita satius est defungi sine liberis, « quàm ex illicito coitu stirpem quærere. » Meritò itaque Innocentius XI hanc inter alias propositionem damnavit, anno 1679 : *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde, si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.*

REGULA XLIII. — « Hæc propositio : *Non refert quid « sensus agat vel quid sentiat corpus, modò animus Deo « conjungatur*, hæretica est, ad frena libidinibus « laxanda viam aperiens, et contradictionem in ter- « minis implicans. » — Hanc hæresim à Beguardis et Beguinis olim assertam, et in concilio Viennensi damnatam, nefarii quietistæ, ab Innocentio XI pontifice maximo, damnati, renovârunt. Beguardorum et Beguinarum error ita refertur in Clementinâ *Ad nostrum*, tit. de hæreticis : « Quòd jejunare non oportet homi- « nem, nec orare, postquàm gradum perfectionis « hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est « ita perfectè spiritui et rationi subjecta, quòd homo « potest liberè concedere corpori quicquid placet. » Quam hæresim Apostolus evertit his verbis ad Coloss. 3 : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus; propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis, in quibus et vos ambulâstis aliquando, cùm viveretis in illis.* Et ad Galatas 5 : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis... Manifesta sunt opera car-*

*nis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, etc... *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur... Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Et ad Romanos 8 : *Qui in carne sunt*, inquit, *Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus... Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Refellitur idem error auctoritate S. Augustini, libro 22 contra Faustum, cap. 28 : « Quapropter, inquit, « hominis actio serviens fidei servienti Deo, refrænat « omnes mortales delectationes, et eas coercet ad na- « turalem modum, meliora inferioribus ordinata dile- « ctione præponens. Si enim nihil delectaret illicitum, « nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti « relaxat potiùs quàm refrænat. Est autem illicitum, « quod lex illa prohibet, quâ naturalis ordo servatur. » Et cap 29 : « Mortales autem delectationes usque ad « reparandam seu custodiendam istam mortalem sa- « lutem, sive uniuscujusque hominis, sive ipsius hu- « mani generis, vel excitandæ vel relaxandæ sunt; « ultra si prolapsæ fuerint, et contra temperantiæ ra- « tionem hominem non se regentem abripuerint, li- « bidines erunt profectò illicitæ ac turpes, et dignæ « doloribus emendari. Quòd si etiam perturbatum re- « ctorem in totam voraginem perditæ consuetudinis « mergant, ut vel inultas fore credens, confessionis « et pœnitentiæ negligat medicinam, quâ correctus « emergat; vel pejore morte cordis contra illam æter- « nam providentiæ legem blasphemum ei patrocinium « defensionis adhibeat, atque ita diem fungatur extre- « mum; non jam emendatione, sed damnatione di- « gnum lex illa irreprehensibilis censet. »

Iiis adde quod à B. Petro Damiani lib. qui inscribitur *Gomorrhianus*, cap. 20, de quodam eremitâ narratur, « qui cùm multis virtutibus cum suo quodam collegâ de- « servisset, hæc illi per diabolum injecta cogitatio est, ut « quandocumque libidine titillaretur, sic semen detritu « genitalis membri egere deberet, tanquàm phlegma « de naribus projiceret; qui ob id dæmonibus moriens, « vidente socio, traditus est. Tum idem socius reatum « ejus ignorans, sed exercitia virtutum recolens, penè « desperavit dicens : *O qui poterit salvus esse?* Quo- « modò iste periit? Cui mox angelus adstans dixit : « *Ne turberis;* iste enim licet multa fecerit, tamen per « illud vitium, quod Apostolus vocat *immunditiam*, « cuncta fœdavit. »

Denique in terminis contradictionem implicat illa propositio; impossibile enim est impudici animum Deo esse conjunctum; impossibile est ut serviat charitati, qui servit cupiditati.

Regula XLIV. — Nocturna pollutio secundùm se nunquàm est peccatum, sed quandoque est sequela peccati præcedentis. — Sunt ipsa S. Thomæ verba, 2-2, quæstione 154, art. 5, eâque ratione regulam fulcit : *Omne peccatum dependet ex judicio rationis, quia etiam primus motus sensualitatis non habet quòd sit peccatum, nisi in quantum judicio rationis reprimi potest; et ideò sublato judicio rationis tollitur ratio peccati; in somno autem ratio non habet liberum judicium; unde id quod agit homo dormiens non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus aut amens.* Nititur etiam hæc regula S. Augustini testimonio, libro 12 de Genesi ad litteram, cap. 15 : « Porrò, inquit, ipsa « phantasia quæ fit in cogitatione sermocinantis, cùm « ita expressa fuerit in visione somniantis, ut inter « illam et veram commixtionem corporum non dis- « cernatur, continuò movetur caro et sequitur quod « eum motum sequi solet, cùm hoc tam sine peccato « fiat, quàm sine peccato à vigilante dicitur, quod ut « diceretur, sine dubio cogitatum est. »

Regula XLV. — Nocturna pollutio ex superabundantiâ et resolutione naturali seminis proveniens, nullâ præcedente culpâ, quæ illius causa sit, non est peccatum; si autem sit ex culpâ præcedente, puta ex superfluitate cibi aut potûs, peccatum est, interdùm mortale, aliàs veniale. — Hanc regulam tradit S. Thomas, quæstione et articulo mox laudatis, et 3 parte, quæst. 80, art. 7. Nullum enim peccatum est, nisi sit voluntarium; at pollutio proveniens ex abundantiâ et naturali resolutione seminis, ob caloris in corpore dominantis intemperiem, aliamve commotionem humorum, aut ex infirmitate naturæ, non est voluntaria; non est igitur peccatum. Quæ verò ex superfluitate cibi vel potûs oritur, voluntaria est ex parte causæ, ideòque peccatum est; mortale quidem cùm ex lethali gulæ vel ebrietatis peccato; veniale, cùm ex veniali ortum habet.

Regula XLVI. — Lethalis peccati reus est, qui somnum capit, aut somno se daturus corpus inhonestè componit, ut dormienti contingat pollutio. — Tunc enim pollutio volita est, seu à voluntate imperata. Quemadmodùm ergo qui sagittam ex arcu, vel globum ex tormento emisit, quibus alter occiditur, homicidii reus est, etiamsi non sit ampliùs in ejus potestate, cùm lethale vulnus infligit, seu mortem infert; ita lethaliter peccat qui somno indulget, aut corpus certo quodam modo componit ut pollutio sequatur in somnis, quamvis non sit ampliùs in ejus potestate illam cohibere, cùm actu consummatur.

Regula XLVII. — Lethalis peccati reus est, qui datâ operâ nimium cibum potumve sumit ob hunc finem, ut in somno sequatur pollutio; etsi non ob delectationem carnalem, sed ad allevationem naturæ et sanitatem id faciat. — Hanc regulam iisdem penè verbis tradit S. Antoninus, 2 part., tit 6, cap. 5, rationemque subdit : « Sicut, inquit, si in vigiliâ volun- « tariè se pollueret ob sanitatem solùm, non excusa- « retur à mortali, quia facit directè contra finem in- « tentum à naturâ, qui non est alius in emissione « seminis voluntariâ, nisi generatio, quæ per illum « motum sequi non potest. »

Regula XLVIII.—Pollutionis appetitum, etiam propter allevationem naturæ, quæ naturali viâ, et absque nostrâ operâ contingat, illicitum esse et lethale pecca-

tum probabilius est. — Cùm enim pollutio sit per se et ex naturâ suâ mala, utpote luxuriæ species, ordinique naturali actûs venerei repugnans; adeòque semper sit peccatum, quando voluntaria est, nec illam appetere licet ob quemcumque finem. Sicut ergo fornicationem, adulterium, homicidium, in somnis etiam perpetranda, non licet appetere ob quodcumque commodum temporale, quia per se mala sunt, et ex genere suo peccata mortalia; ita nec pollutionem. A Deo certè petere licet quod licet desiderare, cùm oratio sit interpres desiderii, illiusque apud Deum expositio. Unde S. Thomas, 2-2, quæstione 83, a. 6, hoc ex S. Augustino, epist. ad Probam, principium statuit : *Hoc licet orare, quod licet desiderare;* indeque colligit, temporalia licitè peti à Deo in oratione, quia licitè desiderantur. Non licet autem Deum orare ut pollutio in somnis eveniat, cùm contra, Spiritu sancto, qui Ecclesiam regit, docente sic oremus in publicis Ecclesiæ precibus : *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Licitum itaque non videtur pollutionem quæ in somno contingat desiderare, etiam propter allevationem naturæ et valetudinem; et desiderium hujusmodi carere non videtur peccato mortali. Varias cà de re esse scio theologorum opiniones, sed ea mihi probabilior ac tutior videtur, quam Dominicus Soto, Medina, Silvius, aliique insignes theologi propugnant.

Regula XLIX. — Gaudere non licet de pollutione quæ in somno contigit, etiam propter allevamentum naturæ. — De ipso quidem allevamento naturæ et de sanitate gaudere honestum est; nec aliud voluisse videtur S. Thomas, in 4 Sententiarum, dist. 9, quæstione 1, articulo 4, quæstiunculâ 1, ad quintum, dicens : *Si autem placeant ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.* At de pollutione ipsâ quæ allevamenti istius causa fuit, gaudere non licet; neque alia mens fuit Angelici doctoris, qui pollutionem per se malam, actum secundùm se inordinatum, violationem ordinis naturalis, peccatum ex genere suo mortale, vitium contra naturam, passim vocat, quæ proinde honestæ delectationis objectum esse non potest. Sicut gaudere non licet homini vigilanti de fornicatione, incestu, adulterio, homicidio ab eodem dormiente perpetratis, quamvis inde corporis valetudo, pinguis hæreditatis consecutio, pax et tranquillitas seu domestica, seu privata provenerint, quia fornicatio, incestus, adulterium, homicidium per se et ex naturâ suâ peccata sunt. Cùm igitur pollutio sit luxuriæ species, fornicatione, adulterio, incestu, ipsâque sacrilegii corruptelâ gravior, ut docet S. Thomas, de illâ gaudere non licet potiori jure quàm de aliis luxuriæ speciebus, quodcumque bonum ex illâ fuerit per accidens consecutum; quamvis de ipso bono ex illâ consecuto gaudere liceat. Et licet complacentiam in ipsâ pollutione quatenùs alleviatio corporis est, non quatenùs delectatio carnalis, peccatum non esse daremus, periculosam tamen esse quis negare possit, cum hujusmodi præcisiones in praxi sint difficillimæ? Hinc Gersonius, tractatu de Pollutione diurnâ, propositione 11 : *Videat,* inquit, *homo præsertim novitius, ne hujusmodi complacentiâ se seducat, prætendens unum, et agens alterum. Salubrius est itaque cogitationes circa rem hanc divertere, quàm habere.*

Regula L. — Nocturna pollutio ex præcedenti rerum turpium, seu carnalium vitiorum cogitatione proveniens, quam illarum comitatur desiderium, aut voluntaria in illis delectatio cum consensu, lethale peccatum est in suâ causâ. — Ita docet S. Thomas, 2-2, quæst. 154, a. 5 : « Alia causa, inquit, nocturnæ pollutionis potest esse animalis et interior, puta, cùm ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem quæ in vigilià præcessit, quandoque est purè speculativa, puta, cùm aliquis causâ disputationis cogitat de peccatis carnalibus; quandoque autem est cum aliquâ affectione vel concupiscentiæ, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ sunt cum concupiscentiâ talium delectationum, quia ex hoc remanet quoddam vestigium et inclinatio in animâ, ita quòd dormiens faciliùs inducitur in suâ imaginatione ad assentiendum tactibus ex quibus sequitur pollutio. » Hinc S. Augustinus, lib. 12 de Genesi ad litteram, cap. 15, ait quòd, *propter bonam animæ affectionem, quædam ejus merita etiam in somnis clarent.* Et sic patet quòd *nocturna pollutio habet rationem culpæ ex parte causæ suæ.*

Regula LI. — Nocturna pollutio ex præcedenti rerum turpium cogitatione merè speculativâ, aut cum horrore, nec in se, nec in suâ causâ peccatum est. — Ita docet S. Thomas loco mox laudato, et in 4 sententiarum, distinctione 9, quæst. 1, a. 4, quæstiunculâ 2 : « Considerandum est, inquit, utrùm in causâ pollutionis possit inveniri peccatum præcedens, quia cogitatio turpium quandoque est sine peccato; sicut cùm in cogitatione tantùm manet, ut cùm quis disputans de talibus, oportet quòd loquens cogitet : aliquando etiam cum peccato veniali, quando ad affectionem cogitatio pertingens in solâ delectatione finitur : quandoque etiam cum mortali, quando consensus adjungitur. Et quia cogitationi tali de propinquo est delectatio, et delectationi consensus, inde etiam in dubium potest verti, utrùm sequens pollutio ex peccato acciderit, vel non; et aut veniali, aut mortali. Satis tamen probabiliter potest conjici non præcessisse consensum, quando in ipsâ somni imaginatione anima dissentit. Non tamen oportet quòd si consentiat, consensus in vigilando præcesserit, quia hoc potest accidere propter ligamen judicii rationis, quod quandoque magis, quandoque minùs est liberum in somno. » Et 3 parte, quæst. 80, a. 7 : « Præcedentes, inquit, cogitationes lascivæ quandoque possunt esse omninò sine peccato, puta cùm aliquis causâ lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare. Et si hoc sit sine concupiscentiâ et delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ, ex quibus tamen pollutio sequi potest. Quandoque verò sunt ex concupiscentiâ et delectatione, et si adsit consensus, erit peccatum mortale,

« si autem desit, erit veniale. » Confirmatur ex S. Augustino, libro 12 de Genesi ad litteram, cap. 15 : « Ali- « quando, inquit, fit quæstio de consensionibus som- « niantium, cùm etiam concumbere sibi videntur, vel « contra propositum suum, vel contra etiam licitos « mores. Quod non contingit nisi cùm ea quæ vigilan- « tes etiam cogitamus, non cum placito consensionis, « sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic « admoventur in somnis et exprimuntur, ut eis natu- « raliter etiam caro moveatur, et quod naturaliter « colligit, per genitales vias emittat, sicut hoc ipsum « dicere utique non possem, nisi etiam cogitarem. « Porrò imagines rerum corporalium, quas neces- « sariò cogitavi, ut hoc dicerem, si tantâ expres- « sione præsentarentur in somnis, quantâ præsentan- « tur corpora vigilantibus, fieret illud quod sine pec- « cato fieri à vigilante non posset. Quis enim vel cùm « loquitur, et, postulante necessitate sermonis, de suo « concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod « dicit? »

Regula LII. — Pollutio nocturna, quæ provenit ex illusione et operatione dæmonis phantasmata commoventis, veniale saltem in suâ causâ peccatum est, cùm neglexit homo se contra dæmonis illusiones oratione et invocatione divini auxilii præmunire. — Ita docet S. Thomas, 2-2, quæst. 154, a. 5. Et certè somno dare se non debent Christiani sicut cæteri homines, sed armis christianæ militiæ muniti, ut possint omnia tela hostis nequissimi ignea extinguere, qui et in tenebris negotium suum agit, et in somnis nobis insidiatur, nisi sopitis sensibus cor nostrum, sacrificio vespertino orationis expiatum, ad Deum semper vigilet. Quò flecti possunt illa Apostoli verba 1 ad Thessalonicenses 5 : *Omnes vos filii lucis estis, et filii Dei; non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii sumus, induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis : quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis; ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.*

Regula LIII. — Pollutio nocturna quandoque contingit absque omni culpâ hominis, ex solâ nequitiâ dæmonis, cùm scilicet homo ante somnum se contra dæmonis illusiones, quâ par erat pietate, præparavit. — Ita docet S. Thomas, loco supra laudato, idque confirmat exemplo cujusdam monachi, ex Collationibus Cassiani, collatione 22, cap. 6, petito. Ille scilicet, quamvis cordis corporisque castitatem summâ vigilantiâ atque humilitate coleret et servaret, quoties tamen se ad sacram communionem præparabat, nocturnâ pollutione fœdabatur. Sed cùm à sacrosanctis mysteriis diù trepidus abstineret, ad seniorum tandem examen rem detulit, qui fœditatem illam viro religioso, absque ejus culpâ, solâ dæmonis illusione contingere cùm intellexissent, ipsum nihilominùs ad communionem Dominici corporis accedere jusserunt; cujus virtute præteritæ illusionis consuetudo cessavit. Tales igitur illusiones et pollutiones *animus nesciens pertulisse magis dolendus est quàm fecisse*, ait S. Gregorius. Has autem illusiones immittit cacodæmon vel ad turbandam puræ conscientiæ serenitatem et tranquillitatem; vel ad bonum opus impediendum, puta celebrationem Missæ, aut Eucharistiæ sumptionem; vel ut vigilanti placeat quod somnians passus est; vel ut abstinentiam periculosam, et imprudentem vitæ austeritatem suadeat, et in insaniam præcipites agat; vel dæmonis malitiâ Deus utitur ut devotam mentem sic exerceat, et ex tali fœditate stimulatam in humilitate custodiat, ut docent SS. Patres et vitæ spiritualis magistri et inter alios Gersonius, tractatu *de nocturnâ pollutione*, consideratione 6.

Regula LIV. — Pollutio in somnis inchoata, et evigilante homine consummata, non est peccatum mortale, nisi homo plenè expergefactus carnali delectationi consentiat. — Hæc regula colligitur ex S. Thomâ, in 4 Sententiarum, dist. 9, quæst. 1, art. 4, quæstiunculâ 1, in responsione ad quintum : « No- « cturna, inquit, pollutio magis judicatur quantùm ad « rationem meriti vel demeriti, secundùm principium « quod est in dormiendo, quàm secundùm terminum « qui est in vigilando, quia ex quo in dormiendo ex- « citatus est motus carnis, non subjacet voluntati vi- « gilantis ulteriùs motus ille; nec reputatur evigilâs- « se, quousque perfectum usum liberi arbitrii recupe- « raverit. Potest tamen contingere quòd in ipsâ evigi- « latione peccatum oriatur, siquidem pollutio propter « delectationem placeat; quod quidem erit veniale « peccatum, si sit ex subreptione talis placentia; mor- « tale autem, si sit cum deliberante consensu, et præ- « cipuè cum appetitu futuri. Ista autem placentia non « facit præteritam pollutionem peccatum, quia ipsius « causa non est, sed ipsa in se peccatum est. » Idem confirmat S. Antoninus, 2 parte, tit. 6, cap. 5.

Regula LV.—Pollutio vigilantium lethale peccatum est, cùm procuratur, aut ex lethali peccato oritur, aut deliberatâ voluntate placet.—Hæc regula nititur auctoritate S. Thomæ, 3 parte, quæst. 80, a. 7 et alibi, eoque principio quòd pollutio nunquàm sit peccatum mortale, nisi sit plenè voluntaria, aut mens carnis voluptati ad consensum turpitudinis cedat. « Quòd si illa concupis- « centialis inobedientia, quæ adhuc in membris mo- « ribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem « quasi lege suâ movetur; quantò magis absque culpâ « est in corpore non consentientis, si absque culpâ « est in corpore dormientis? » inquit S. Augustinus, lib. 1 de Civitate Dei, cap. 25. Idem S. doctor, lib. de Continentiâ, cap. 2, hanc regulam confirmat : « Nunc « autem, inquit, quamdiù concupiscit caro adversùs « spiritum, et spiritus adversùs carnem, sat est nobis « non consentire malis quæ sentimus in nobis. Cùm « autem fit ista consensio, tunc exit ex ore cordis « quod coinquinat hominem. Cùm verò per continen- « tiam consensio non tenetur, malum concupiscentiæ « carnalis, contra quod pugnat concupiscentia spiri- « talis, nocere non sinitur. » Et cap. 13 : « Spiritus ita-

« que hominis adhærens Spiritui Dei, concupiscit adversùs carnem, id est, adversùs seipsum, sed pro se ipso ut motus illi, sive in carne, sive in animâ, secundùm hominem, non secundùm Deum, qui sunt adhuc per acquisitum languorem, continentiâ cohibeantur, propter adquirendam salutem, ut homo non secundùm hominem vivens, jam possit dicere : *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, Galat. 2; ubi enim non ego, ibi feliciùs ego, ut quandò secundùm hominem reprobus ullus motus exsurgit, cui non consentiat qui mente legi Dei servit, dicat etiam : *Jam non ego operor illud*, 7 Rom.... Quorum ergo vita erat abscondita in Deo, admonentur et exhortantur, ut membra sua mortificent quæ sunt super terram. Id enim sequitur, Coloss. 3 : *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* Et ne quisquam nimis tardus membra ista visibilia corporis mortificanda putaret à talibus, continuò quid dicat aperiens : *Fornicationem*, inquit, *immunditiam concupiscentiam malam et avaritiam.* Itane verò credendum est, quòd isti qui jam mortui erant, eorum que vita abscondita erat cum Christo in Deo, adhuc fornicabantur, adhuc in moribus immundis operibusque vivebant, adhuc perturbationibus concupiscentiæ malæ atque avaritiæ serviebant? Quis demens ista de talibus senserit? Quid ergo vult ut mortificent, opere scilicet continentiæ, nisi motus ipsos adhuc in suâ quàdam interpellatione, sine nostræ mentis consensione, sine membrorum corporalium operatione viventes, et quomodò isti mortificantur opere continentiæ nisi cùm eis mente non consentitur, nec exhibentur eis arma corporis membra, et quod est majus, atque vigilantiâ continentiæ majore curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, quamvis eorum quodam modo suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis ne oblectetur, avertitur, et ad superna delectabiliùs cogitanda convertitur; ob hoc ea nominans in sermonibus, ne habitetur in eis, sed fugiatur ab eis? » Quamvis porrò pollutio cum sensu voluptatis consummetur, non ideò peccatum est, nisi præcedat, comitetur, aut subsequatur consensus. Aliud enim est sensus, aliud consensus. Cæterùm cùm plerùmque difficile sit certò cognoscere an pollutio ex consensu expresso vel interpretativo, directo vel indirecto, pleno vel imperfecto, aut absque ullo consensu superioris rationis contigerit, expedit illam in sacramentali confessione declarare cum circumstantiis omnibus. Cùm autem vigilanti præter voluntatem contingit illa obscœnitas, non solùm rejiciendæ sunt et abnegandæ turpes cogitationes, non solùm mortificatio carnis adhibenda, et divinæ gratiæ auxilium invocandum, sine quâ nemo continens esse potest, sed sistenda et cohibenda, quantùm fieri potest, seminis fluxio, *quoniam*, inquit piissimus Gersonius, *etsi hæc retentio nocere debeat corpori proderit animæ.* Addit, naturam alio fortè modo se allevare. Exemplo puerperarum mulierum rem illustrat, quibus arescunt ubera, cùm lac elici desinit, alioqui jugiter scaturit, et fluere paratum est. *Sic pollutiones istæ et pruritus tutiùs abstinendo vincuntur.* Rescindendæ tandem sunt radices et causæ pollutionis, etsi præter voluntatem evenientis, eâ tamen prudentiâ ne majori cum periculo, detrimento spirituali et scandalo rescindantur; nec ex adverso admittantur quæ ex se reprehendenda sunt, vel periculosa, ut lubrici aspectus, societas et familiaritas nimia cum alterius sexûs personis, delectationem pariens, etsi non per se libidinosam, periculi tamen plenam, et quæ sensibus plus æquo blandiatur; quæ nihilominùs sub officiis aliquibus spiritualis ædificii, qualia sunt confessio, lectio, vel eruditio, aliquando se abscondit. Monita sunt Gersonii, tractatu *de Pollutione diurnâ.*

Regula LVI.— Quamvis mollities inter vitia contra naturam infimum sit gravitate, plures tamen sunt hoc in flagitio malitiæ gradus, in sacramentali confessione necessariò exprimendi.— Prima pars regulæ traditur à S. Thomâ, 2-2, quæst. 154, art. 12, in responsione ad quartum. *Gravitas*, inquit, *in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quàm ex omissione debiti usûs. Et ideò inter vitia quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in solâ omissione concubitûs ad alterum.* Altera pars regulæ explicatur : Gravius enim peccatum est pollutio voluntaria in viro religioso, aut sacris ordinibus initiato, in sanctimoniali, aut virgine simplici voto castitatis obstrictâ, quàm in laicis : sacrilegii siquidem malitiâ cumulatur. Gravius in conjugato, quàm in soluto. Item si quis inter pollutionem conjugatæ mulieris copulam expetat, aut illius morosâ cogitatione delectetur, gravius peccatum est, quàm si de solutâ cogitaret, illamque concupisceret : si de consanguineâ, vel affine, gravius peccatum est, quàm si de extraneâ; si de personâ Deo sacrâ, gravius est crimen, quàm si de seculari et profanâ. Idemque judicium esto de peccato mulieris, quæ inter pollutionem de viro cogitat cum desiderio vel affectu carnali : pro varietate scilicet objectorum in quæ tendit desiderium vel affectus, seu quibus adhæret morosa cogitatio, nova luxuriæ specie distinctæ deformitas ad pollutionem accedit, puta sacrilegii, incestûs, adulterii, etc. Quamobrem circumstantias illas in sacramentali confessione declarare omninò necesse est.

Item pollutio quæ fit alienâ manu et contactu, seu ad quam aliqui mutuò se excitant, gravius peccatum est eâ quam quis sibi procurat nullo conscio vel consorte criminis. Sui enim et alieni peccati reus est, qui alterum fœdâ contrectatione contaminat, aut ab illo se contaminari patitur; multòque magis reus est qui tanti flagitii nescium aut inexpertum docet, vel repugnantem, aut turpitudinem hujusmodi aliàs non admissurum, ad illam impellit attrectatione aut titillatione, pudendorum nudatione, osculis, blanditiis, obscœnis verbis et cantibus. Hinc in Romano Pœnitentiali triginta dies pœnitentiæ ac jejunii in pane et aquâ imponuntur illis, qui se mutuâ contrectatione polluerunt; illis verò qui soli ad pollutionem se excitârunt, decem duntaxat dies.

Gravius item peccatum est, cùm iis modis procura-

tur, qui ad Sodomiæ vel bestialitatis execranda crimina propiùs accedunt, de quibus B. Petrus Damiani, libro qui *Gomorrhianus* inscribitur, cap. 1. Unde et Pœnitentiale Romanum, et Pœnitentiale Bedæ, graviorem pœnitentiam illis indicunt, qui contra corpus aliquod molle, quasi concumbendo se contaminaverint, viginti scilicet dierum jejunium in pane et aquâ; graviorem rursùs iis qui inter aliorum ejusdem sexûs femora se polluerint, scilicet quadraginta dierum jejunium in pane pariter et aquâ.

Regula LVII.—Inordinatus concubitus lethale peccatum est, simplici pollutione gravius, cùm semen extra vas debitum effunditur, et quoties ejus effusionis periculum imminet; quoties denique generatio defectu debiti ordinis in modo concumbendi, etiam in usu matrimonii, impeditur. — Hujus peccati gravitatem pluribus in locis Scriptura sacra cum execratione notat; Gen. 38, peccatum Her et Onam detestatur, qui in copulâ conjugali se retrahebant, semenque fundebant extra vas naturale : *Dedit Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini, et ab eo occisus est. Dixit ergo Judas ad Onam filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri suo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Id confirmat S. Augustinus, lib. 2, de adulterinis Conjugiis, cap. 12 : « Illicitè, inquit, et turpiter etiam cum legitimâ uxore « concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur. Quod fa- « ciebat Onam filius Judæ, et occidit illum propter hoc « Deus. » Et libro de Bono conjugali, cap. 11 : « Cùm, « inquit, ille naturalis usus, quando prolabitur ultra « pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessita- « tem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; « iste qui est contra naturam, exsecrabiliter fit in « meretrice, sed exsecrabiliùs in uxore. Tantùm valet « ordinatio Creatoris et ordo creaturæ, ut in rebus ad « utendum concessis, etiam cùm modus exceditur, « longè sit tolerabilius, quàm in eis quæ concessa non « sunt, vel unius vel rarus excessus. Et ideò in re con- « cessâ immoderatio conjugis, ne in rem non conces- « sam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam « quòd longè minùs peccat quàmlibet assiduus ad uxo- « rem, quàm vel rarissimus ad fornicationem. Cùm « verò vir membro mulieris non ad hoc concesso uti « voluerit, turpior est uxor si in se, quàm si in aliâ « fieri permiserit. » Ex hoc S. Augustini loco conflatum est cap. *Adulterii*, causâ 32, quæst. 7.

Eamdem regulam confirmat S. Thomas, in 4 Sententiarum, dist. 31, in expositione textûs : « Usus, « inquit, contra naturam conjugis est, quando debitum « vas prætermittit, vel debitum modum à naturâ in- « stitutum quantùm ad situm; et in primo semper est « peccatum mortale, quia proles sequi non potest; « Unde totaliter intentio naturæ frustratur; sed in se- « cundo modo non semper est peccatum mortale, ut « quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concu- « piscentiæ : quandoque etiam sine peccato esse potest « quando dispositio corporis alium modum non pati- « tur : aliàs tantò est gravius, quantò magis à naturali « modo receditur. » Et secundâ secundæ, quæst. 154, art. 12, in resp. ad quartam objectionem : « Gravitas « in peccato, inquit, magis attenditur ex abusu alicu- « jus rei, quàm ex omissione debiti usûs. Et ideò inter « vitia quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet « peccatum immunditiæ, quod consistit in solâ omis- « sione concubitûs ad alterum. Gravissimum autem est « peccatum bestialitatis, quia non servatur debita spe- « cies. Post hoc autem est vitium Sodomiticum, cùm « ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est « peccatum ex eo quòd non servatur debitus modus « concumbendi. Magis autem si non sit debitum vas, « quàm si sit inordinatio secundùm aliqua alia perti- « nentia ad modum concubitûs. »

Regula LVIII. — Sodomia gravius peccatum est pollutione simplici, et inordinato concubitu. — Nefarium illud crimen, quod in cœlum clamare dicitur, Deus igne et sulphure ultus est, quo Sodomam et Gomorrham, omnemque regionem finitimam consumpsit, Genes. 18 : *Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrùm clamorem qui venit ad me opere complevcrint. an non est ita, ut sciam.* Humano modo Deus loquitur. Abominandum adeò crimen est, ut vix credibile sit homines ad imaginem Dei creatos illud committere, à quo vel bruta ipsa animantia abhorrent. *Descendam igitur, et videbo.* Et cap. 19 : *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo : et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.* De quibus S. Judas Apostolus in Epistolâ catholicâ : « Sicut, in- « quit, Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates si- « mili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem « alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam « sustinentes. » In ipsâ qualitate ultionis notavit Deus maculam criminis, ut observat S. Gregorius, lib. 15 Moralium, cap. 10 : « Sulphur quippe fœtorem habet, « ignis ardorem. Quia itaque ad perversa desideria ex « carnis fœtore arserant, dignum fuit ut simul igne et « sulphure perirent; quatenùs ex justâ pœnâ disce- « rent, ex injusto desiderio quid fecissent. » Pœnam capitis in hujus criminis reos Deus lege veteri decrevit, Levit. 20 : *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur : sit sanguis eorum super eos.* Ethnicos philosophos in pœnam superbiæ et idololatriæ Deus ita excæcavit, non quidem infundendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, ut in pudendum illud et execrandum scelus, solutis libidinis frenis præcipites ruerent, Apostolo teste, ad Romanos 1 : *Propter quod*, inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis : qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones*

*quoniniæ; nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

De flagitii istius gravitate audiendus S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 4 in Epistolam ad Romanos, ubi Sodomitas *iis etiam qui mortem sibi ipsis consciscunt, deteriores* esse affirmat : « Præstiterit enim mori, « quàm tantâ contumeliâ acceptâ vivere. Nam qui se « ipse interimit, is animam à corpore dissociat ; at « hic animam unà cum corpore perdit. Quodcumque « porrò delictum nominaveris, nullum huic peccato « par dixeris. Qui si facta sua sentirent qui patiuntur, « sexcentas utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur. Neque enim est hâc injuriâ alia ulla gravior, nec « rationis minùs habens. Nam si de scortatione Paulus « disserens dixit, 1 Cor. 6 : *Peccatum omne, quodcumque « commiserit homo, extra corpus esse; qui autem scortatur, « eum in proprium corpus delinquere :* quid de insaniâ « hâc dixerimus, quæ ipsâ tantò est scortatione deterior, quantùm ne verbis quidem exprimere licet ? « Neque enim hoc solùm dico, quòd femina effectus « sis, sed quòd perdideris ipsum hoc, nimirùm virum « esse ; et quòd neque in hanc transieris naturam, neque quam haberes asservaveris, sed communis « utriusque affectûs sis proditor, dignus quem tum « viri, tum feminæ lapidibus à se exigant, tanquàm qui « utrumque genus injuriâ affeceris. Atque ut intelligas, quantùm hoc demùm sit, si quis ad te adiens « promitteret fore, ut te ex viro canem efficeret, nonne « ab eo tanquàm exitioso declinares ? Tu verò te ipse « non ex viro canem effecisti, sed animal hocce animante infamius ; id enim ad usum accommodum, at « catamitus nullibi usui esse possit. Quid autem, « quæso, si quis profiteatur præstiturum se ut viri pariant, et à partu in lecto decumbant, nonne irâ « excandesceremus ? At qui sic furunt, deteriore conditione sunt. Neque enim par idemque fuerit, in muliebrem naturam migrare, et vir interim dùm manes, « feminam fieri, quin potiùs neque hoc, neque illud « fuerit. Quòd si et aliunde mali enormitatem pernoscere vis, interroga quamobrem qui se ipsi eunuchos faciunt, eos legislatores pœnâ afficiant, et intelliges id non ob aliud esse, nisi quòd naturam « mutilent, quanquàm non usque adeò illi injurii sunt ; « sunt enim vel post mutilationem multis quidem locis « usui qui exsecti fuerint. At quisquis scortum se facit, hoc nihil esse potest inutilius ; neque enim « anima solùm, verùm et corpus ejus qui hæc patrat, « infame est, ac certè dignum quod undequaque exterminetur. Quot obsecro gehennæ his plectendis « suffecerint ? Quod si audito gehennæ nomine irrides, « ac fidem non habes, illum ignem recordare Sodomorum... Nam posteaquàm permulti verba despicerent, illis Deus per ipsa demùm opera gehennæ effigiem ostendit novâ quâdam ratione. Erat enim « præter omnium opinionem pluvia illa, quoniam « quidem et præter naturam ipsam coitio ; atque ea « quidem pluvia terram exussit, quoniam et illorum « animos desiderium : ob quod pluvia eadem ferebatur « contra quàm quotidiana ista ferri soleat. Neque enim « non excitabat modò terræ uterum ad fructuum generationem, et ad seminum susceptionem inutilem « efficiebat. Talis enim erat ipsa Sodomitarum coitio, « ejuscemodi corpus inutilius reddens. Quid enim viro « corpus suum meretricio more prostituente abominabilius ? Quid scelestius ? O vos et brutis insipientiores, « et canibus impudentiores ! Nusquàm enim hujusmodi « congressus apud illos, sed agnoscit proprios termi- « nos natura. Vos autem genus nostrum infamius bru- « torum genere effecistis. » Et lib. 3 adv. Vituperatores vitæ monasticæ, cap. 7 : « Amor quidam novus « et nequissimus nostrâ ætate in nostrum genus irrupit, « et latè dominatur ; morbus irruit acerbus atque insanabilis, pestis teterrima, atque omni pernicie immanior et gravior invecta est : scelus quoddam novum « et intolerabile excogitatum est. Non enim scriptæ et « constitutæ modò, verùm ipsæ quoque naturæ pervertuntur leges. Nihil jam ferè ad impudicitiæ ratio- « nem fornicatio esse existimatur. Cæterùm ut in do- « loribus cùm passio incumbit violentior, prioris doloris « sensum omnem suâ magnitudine intercipit ; sic hujus « quoque magnitudo flagitii facit, ut quod suâpte natura tolerabile non est, non jam videatur esse intolerabile, obscœna scilicet cum mulieribus libido. « Optandum enim jam votis omnibus videtur posse « hujusmodi retia effugere, periclitaturque jam superfluus effectus sexûs muliebris, adolescentibus vices « ejus implentibus. Quod cùm per se est acerbissimum, « facit id profectò ut deterius sit, quòd tantum scelus, « tam nefarium facinus incredibili audaciâ, summâque « jam cum libertate admittitur, flagitiumque lex factum est. » Et infra : « Cur cùm admittantur Sodomorum scelera, non tamen contingunt Sodomorum « clades ? Quia manet istos ignis alius longè illo gravior, cruciatusque finem nullum habens....., Nam si « nos ipsi quoque super his irascimur et indignamur, « Deus cui omnium maximè totius mortalium generis « cura incumbit, qui vitia vehementer et aversatur et « odit, quando ista impunè admitti scelera passurus « est ? Immittet in illos penitùs manum illam validissimam et plagam non ferendam, doloremque cruciatuum sempiternorum adeò gravissimum, ut si Sodomorum clades illi conferatur, ludus puerorum esse « existimetur. Quam enim barbarorum feritatem isti « non suâ improbitate transcenderunt ? Quod belluarum genus congressu suo impurissimo non superaverunt ? Est in quibusdam mutarum animantium à « naturâ insitus libidinis ardor incredibilis, cupidoque « intolerabilis, et nullò ab insaniâ differens ; quæ tamen « amorem hunc nefarium non nôrunt, sed intra leges « à naturâ præstitas permanserunt. At isti et rationales conditi, divinoque magisterio potiti, quidve agendum sit vel non aliis quoque annuntiare jussi, non

« ita licentiosè ac sine metu cum meretricibus, ut cum « adolescentibus congrediantur. »

*Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse communionem*, decrevit Illiberritana synodus, can. 71. Execrandi istius criminis reos, si clerici fuerint, depositione et rejectione ex clero, ac detrusione in monasterium ad agendam pœnitentiam; si laici, excommunicatione plecti, statuunt concilium Lateranense III sub Alexandro III, can. 11, et refertur cap. *Clerici*, extra, *de Excessibus prælatorum*; concilium Lateranense IV sub Innocentio III, can. 14, et refertur cap. *Ut clericorum*, extra. *de Vitâ et Honestate clericorum;* necnon concilium Toletanum XVI, canone 3. Clericos hujus flagitii reos degradari et seculari judici tradi sanxit Pius V. Gladio vel igne scelus tantum vindicari principum leges sanxerunt. Constantius et Constans impp. lege *Cùm vir*, ad legem Juliam de adulteriis : « Cùm vir nubit, inquiunt, in feminâ viros « pariturâ quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum, ubi « scelus est quod non proficit scire, ubi venus mutatur « in alteram formam, ubi amor quæritur, nec videtur? « jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, « ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel « qui futuri sunt rei. »

Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Augusti, lege 6, tit. 7, lib. 9, Cod. Theodos.: « Omnes, inquiunt, « quibus flagitii usus est virile corpus muliebriter « constitutum alieni sexûs damnare patientiâ (nihil « enim discretum habere videntur cum feminis), hu- « jusmodi scelus, spectante populo, flammis vindici- « bus expiabunt. » Cùm occultum est, casus est nihilominùs reservatus episcopis cum excommunicatione, severissimâque pœnitentiâ plectendus. « Hoc namque « peccatum sancti Patres divino Spiritu afflati, meritò « in sacris canonibus acriùs cæteris judicandum de- « creverunt, quoniam eo regnante, et statum Christi « Ecclesiæ infirmari, et regnum periclitari apertè co- « gnoverunt; » ut loquitur concilium Parisiense VI, lib. 1, cap. 34.

Regula LIX. — Peccatum Sodomiticum aliud alio gravius est. — Graviùs enim peccat, qui turpiter agit aliumque impellit ad crimen, eo qui turpiter patitur. Graviùs peccat Sodomita conjugatus, quàm solutus; graviùs ordine sacro aut voto solemni Deo mancipatus, quàm laicus; graviùs consanguinei vel affines, in primo præsertim vel secundo gradu, nefariam illam et præposteram copulam exercentes; graviùs maturi judicii viri quàm adolescentes vel pueri; graviùs senes quàm juvenes; graviùs item qui diù in abominandâ illâ fœditate hærent, quàm qui semel in eam prolapsi, mox ad pœnitentiam confugerunt. Quamobrem hujusmodi circumstantias perscrutari debet confessarius, ut convenientem pœnitentiam imponat.

Confirmatur hæc regula ex can. 15 Ancyrani concilii : « De his, inquit, qui irrationabiliter versati sunt, « sive versantur, quotquot ante vigesimum annum tale « crimen commiserint, quindecim annis exactis in « pœnitentiâ, communionem mereantur orationum, « Deinde quinquennio in hâc communione durantes, « tunc demùm oblationis sacramenta contingant. Dis- « cutiatur autem et vita eorum, quales pœnitudinis « tempore exstiterint, et ita misericordiam consequan- « tur. Quòd si inexplebiliter his hæsêre criminibus, « ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. « Quotquot autem peractâ viginti annorum ætate, « et uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, vi- « ginti quinque annis pœnitudinem gerentes, in com- « munionem suscipiantur orationum. In quâ quinquen- « nio perdurantes, tunc demùm oblationis sacramen- « ta percipiant. Quòd si qui et uxores habentes, et « transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita « deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam « consequantur. » Et can. 16 : « Eos qui irrationabili- « ter vixerint (id est, qui cum masculis vel brutis ani- « mantibus nefariè commixti fuerint), et leprâ inusti « criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus « inter eos orare, qui Spiritu periclitantur immundo. »

Hos canones observari, et secundùm illos pœnitentiam imponi decrevit concilium Parisiense VI, lib. 1, cap. 34 : « Proinde omnibus nobis valdè necessarium « visum est, ut quidam sacerdotes, qui hoc vitium ali- « ter quàm sacri canones sanciant, non ad salutem, « sed ad deceptionem animarum puniunt, corrigantur « et instruantur, ut codicibus Pœnitentialibus prorsùs « abdicatis, per quos multi inani spe et promissione « decepti sunt et decipiuntur, ab hinc patratores tam « nefandissimi Deoque detestabilis vitii, secundùm ju- « dicium canonicum, quod in Ancyritano concilio sub « titulo 16 continetur, judicentur. »

Regula LX.— Clericis in Sodomiam lapsis, vel qui se diù ac frequenter ad pollutionem soli excitârunt, vel cum aliis longo usu, vel cum pluribus, brevi licet tempore, se contaminârunt, confessarii in sacro pœnitentiæ tribunali prohibere debent ne suorum ordinum functiones exerceant, et ad altiores gradus ascendant; laicis verò sãcrorum ordinum susceptio debet interdici : nec aliâ conditione concedenda ipsis est absolutio.— Hanc regulam B. Petrus Damiani adstruit et probat in opusculo quod inscribitur *Liber Gomorrhianus*. Postquàm enim quatuor gradus peccati contra naturam distinxit, hæc subjungit cap. 2 : « Hujus sanè per- « ditionis obnoxii sæpè largiente divinâ clementiâ re- « sipiscunt, atque ad satisfactionem veniunt, et pœni- « tentiæ quidem pondus quamlibet grave devotè « suscipiunt, ecclesiasticum verò ordinem perdere « vehementer perhorrescunt. Quidam namque recto- « res ecclesiarum circa hoc vitium humaniores forsi- « tan quàm expediat, absolutè decernunt, propter tres « illos gradus, qui superiùs enumerati sunt, neminem « à suo ordine debere deponi; hos autem solummodò « non abnuunt degradari, quos ultimo actu cecidisse « constiterit. Unde fit ut qui cum octo vel decem aliis « æquè sordidis in hanc nequitiam lapsus esse cogno- « scitur, nihilominùs in suo ordine permanere videatur. « Quæ procul dubio impia pietas non vulnus amputat, « sed ut augeatur, fomitem subministrat : non perpe- « trati illiciti actûs prohibet amaritudinem, sed perpe-

« trandi potiùs tribuit libertatem. Carnalis quippe cu-
« juslibet ordinis homo magis formidat et expavescit
« in conspectu hominum despici, quàm in superni ju-
« dicis examine condemnari : ac per hoc mavult quam-
« libet distractæ, quamlibet animosæ pœnitentiæ susti-
« nere laborem, quàm sui gradûs periculo subjacere ;
« et dùm per indiscretam discretionem non timet sta-
« tum sui honoris amittere, incitatur et inexperta præ-
« sumere, et in his quæ inultè præsumpsit, diutiùs
« permanere : atque, ut ita dixerim, dùm illic non feri-
« tur, ubi acriùs dolet, in eo, in quo semel corruit,
« cœnosæ obscœnitatis volutabro molliter jacet. » Cap. 3 : « Sed, ut nobis videtur, valdè præposterum est, ut
« consuetudinaliter hâc purulentâ contagione fœdati,
« vel ad Ordinem provehi, vel in gradu persistere au-
« deant jam promoti, quia et rationi contrarium, et
« canonicis Patrum sanctionibus probatur adversum. »

Probat subinde ex S. Gregorio, lib. 10, epist. 13 ad Passivum episcopum, neminem ad Ecclesiasticum ordinem promoveri debere, qui in illud crimen lapsus est, quod vetus lex præcipit morte damnari. Indeque colligit : « Quia quisquis vir cum viro labitur, quod ni-
« mirùm scelus per vetustæ Legis sententiam morte
« mulctatur, etiamsi honestis moribus polleat, si psal-
« modiæ studio ferveat, si in amore orationis enitescat,
« et omninò religiosam vitam sub approbatæ famæ te-
« stimonio ducat ; reatûs quidem indulgentiam plenè
« potest accipere, ad ecclesiasticum verò ordinem ne-
« quaquàm permittitur aspirare. Nam cùm de illo ve-
« nerabili viro IMPORTUNO, qui primùm tanto fervore
« laudis attollitur, tot religiosæ et honestæ vitæ infulis
« redimitur, tot virtutum præconiis decoratur, tamen
« postmodùm dicitur : *Si nulla ei crimina, quæ per sa-*
« *cræ Legis regulam morte mulctata sunt, obviant, tunc*
« *ordinandus est ;* patet profectò quia quem dignum
« morte crimen abjecerat, quælibet religiosa vita subse-
« quens ad suscipiendum ecclesiastici gradûs ordinem
« non reformat. » CAP. 13. laudat Ancyranæ synodi canonem 15, ex quo ita colligit : « Si ergo quilibet se-
« cularis hujus facinoris reus, peractâ viginti quinque
« annorum pœnitentiâ, in communionem quidem ora-
« tionum, necdùm autem ad percipienda oblationum
« sacramenta admittitur, quo pacto religiosus non so-
« lùm ad percipienda, sed etiam ad offerenda et con-
« secranda ipsa sacra mysteria idoneus judicabitur ? Si
« vix illi permittitur ut Ecclesiam cum aliis oraturus
« introeat, qualiter isti dabitur ut ad altare Domini
« pro aliis intercessurus accedat ? Si ille antequàm tam
« proiixum pœnitentiæ spatium transigat, non meretur
« audire, iste quomodò dignus est sacra Missarum so-
« lemnia celebrare ? Si ille qui minùs peccavit, utpote
« per latum seculi iter incedens, indignus est cœlestis
« Eucharistiæ munus ore percipere, qualiter iste me-
« rebitur tam terribile mysterium pollutis manibus con-
« trectare ? » Cap. 14, sequenti canone ejusdem concilii recensito, quem uti et decimum quintum non de solis corruptoribus masculorum, sed de pollutionis cujuslibet reis intelligendum esse censet, ita colligit : « Li-
« quet profectò quia quocumque modo per ardorem
« libidinis vir cum viro polluitur, non inter catholicos
« Christianos, sed inter dæmoniacos orare præcipitur ;
« quatenùs si carnales homines ex semetipsis nesciunt
« pensare quod sunt, ab ipsis saltem valeant edoceri,
« cum quibus sunt communi orationis ergastulo depu-
« tati. Et certè satis dignum est, ut qui contra legem
« naturæ, contra humanæ rationis ordinem, carnem
« suam per tam fœda commercia dæmonibus tradunt,
« communem orationis angulum cum dæmoniacis sor-
« tiantur. Nam cùm his malis ipsa penitùs natura hu-
« mana resistat, difficultatem diversi sexûs abhorreat,
« luce clariùs constat, quia nunquàm tam aversa, tam
« aliena præsumerent, nisi eos, ut putà, vasa iræ apta
« in interitum, iniqui spiritus pleniter possiderent ; sed
« cùm eos possidere incipiunt, tunc per omne quod
« implent, invasi pectoris tartareum virus suæ mali-
« gnitatis infundunt, ut jam illa inhianter appetant,
« non quæ naturalis motus carnis efflagitet, sed quæ sola
« diabolica præcipitatio subministret. Nam cùm vir in
« virum ad perpetrandam immunditiam irruit, non est
« ille naturalis impetus carnis, sed tantùm diabolicæ
« stimulus impulsionis. Vigilanter ergo sancti Patres
« Sodomitas cum energumenis simul orare sanxerunt,
« quos eodem diabolico spiritu invasos esse non du-
« bitaverunt. Quomodò ergo per sacerdotalis officii di-
« gnitatem inter Deum et populum debet mediator as-
« sistere, qui à totius populi congregatione sejunctus,
« nunquàm nisi inter dæmoniacos jubetur orare ? »
Cap. 15, idem probat ex S. Basilio ita decernente : « Clericus vel monachus adolescentum vel parvulorum
« insectator, vel qui osculo, vel qui aliquâ occasione
« turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, et co-
« ronam amittat, decalvatusque turpiter sputamentis
« obliniatur in facie, vinculisque arctatus ferreis, car-
« cerali sex mensibus angustiâ maceretur, et triduò
« per hebdomadas singulas ex pane hordeaceo ad vespe-
« ram reficiatur : post hæc aliis sex mensibus sub se-
« nioris spiritualis custodiâ, segregatâ in curticulâ de-
« gens, operi manuum, et orationi sit intentus, vigiliis
« et orationibus subjectus et sub custodiâ semper duo-
« rum spiritualium fratrum ambulet, nullâ pravâ locu-
« tione vel consilio deinceps juvenibus conjungendus. »
Ex quibus B. Petrus Damiani ita colligit : « Hìc carna-
« lis homo studiosè perpendat, utrùm ecclesiasticis
« officiis tutò ministrare valeat, quem sacra auctoritas
« tam ignominiosis, tam turpibus dehonestandum con-
« tumeliis judicat. Nec ex eo sibi blandiatur, quia ne-
« minem corruperit, cùm apertissimè scriptum videat,
« quia qui solo osculo, vel aliquâ occasione turpi de-
« prehensus fuerit, omnibus illis probrosæ disciplinæ
« confusionibus meritò subjacebit. Quòd si osculum
« tam austeræ ultionis supplicio plectitur, ipsa cum
« alio contaminatio quid meretur ? Ad puniendum nam-
« que cui crimini, cui immanissimo sceleri non suffi-
« ceret publicè verberari, coronam amittere, turpiter
« decalvari, salivarum spurcitiis obliniri, carceralibus
« angustiis diutius comprimi, ferreis insuper vinculis
« coarctari ? Postremum quoque ordeaceo pane refici
« præcipitur ; quia qui factus est sicut equus et mu-

« lus, congruè non cibo reficitur hominum, sed an-
« nonâ pascitur jumentorum. Porrò si hujus peccati
« pondus pensare negligimus, in ipso saltem pœniten-
« tiæ judicio, quod imponitur, manifestissimè decla-
« ratur. Quisquis enim canonicâ censurâ publicam sub-
« ire pœnitentiam cogitur, profectò ecclesiasticis in-
« dignus officiis perspicuâ Patrum sententiâ judicatur.
« Unde et B. papa Siricius inter cætera scripsit, dicens :
« *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœniten-*
« *tiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et*
« *post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquàm*
« *laico liceat honorem clericatûs adipisci : quia quamvis*
« *sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla*
« *tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta*
« *suscipere, qui dudùm fuerant vasa vitiorum.* Cùm ergo
« hujus peccati obnoxium non solùm duram, sed et
« publicam pœnitentiam B. Basilius subire præcipiat,
« pœnitentem verò clericatûs ordinem obtinere Siri-
« cius interdicat, manifestè colligitur quia qui fœdâ
« cum masculo libidinosæ immunditiæ sorde polluitur,
« ecclesiasticis fungi officiis non meretur ; nec idonei
« sunt divinum tractare mysterium, qui, ut dicitur,
« dudùm fuerant vasa vitiorum. »

Confirmatur hæc regula auctoritate Leonis IX pontificis maximi, qui Gomorrhianum B. Petri Damiani librum approbavit Epistolâ decretali ad ipsum scriptâ : « *Clerici verò*, inquit, de quorum vitâ spurcissimâ fle-
« biliter pariterque rationabiliter tua prudentia dispu-
« tavit, verè et omninò verè ad funiculum hæreditatis
« ejus non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oble-
« ctationibus summovent. Qui si pudicè conversaren-
« tur, non solùm templum Dei sanctum, sed ipsum
« etiam sanctuarium dicerentur, in quo divino candore
« conspicuus ille Dei Agnus immolatur, per quem fœda
« totius orbis lues lavatur. Tales nimirùm clerici et si
« non verborum, tamen operum testimonio profiten-
« tur, quia non existunt quod censentur. Quo enim
« modo clericus possit esse vel nominari, qui proprio
« arbitrio non metuit se inquinare? De qualibus, quia
« sancto fervore permotus, quæ tibi videbantur, scri-
« pseras, oportet, sicut desideras, apostolicam nostram
« interponamus auctoritatem, quatenùs scrupulosam
« legentibus auferamus dubietatem; et constet omnibus
« certum nostro judicio placuisse quæcumque continet
« ipse libellus diabolico igni velut aqua oppositus. »
Et paulò post : « Ecce, inquit, illi qui quàvis quatuor
« generum quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, pro-
« spectâ æquitatis censurâ, ab omnibus immaculatæ
« Ecclesiæ gradibus, tam sacrorum canonum, quàm
« nostro judicio depelluntur. Sed nos humaniùs agen-
« tes, eos qui vel propriis manibus, vel invicem inter
« se egerunt semen, vel etiam qui inter femora profu-
« derunt, et non longo usu, nec cum pluribus, si vo-
« luptatem refrenaverint, et dignâ pœnitudine pro-
« brosa commissa luerint, admitti ad eosdem gradus,
« in quibus in scelere manentes, non permanentes
« fuerant, divinæ miseratione confisi, volumus atque
« etiam jubemus : ablatâ aliis spe recuperationis sui
« ordinis, qui vel per longa tempora secum, sive cum
« aliis, vel cum pluribus, brevi licet tempore, quolibet
« duorum fœditatis genere, quæ descripseras, macu-
« lati, vel, quod est horrendum dictu et auditu, in
« terga prolapsi sunt. Contra quod nostrum apostolicæ
« sanctionis decretum si quis ausus fuerit vel judicare,
« vel latrare, ordinis sui se noverit periculo agere. Qui
« enim non pungit vitium, sed palpat, cum eo qui vitio
moritur, ipse quoque mortis reus meritò judicatur. »

Leo X constitutione 7, quæ incipit : *Supernæ*, statuit ut *quicumque clerici illâ incontentiâ quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehensi fuerint laborare, à clero dejiciantur, vel ad agendam in monasteriis pœnitentiam detrudantur.* Sanctus pontifex Pius V *clericos hujus nefarii criminis reos omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate et beneficio ecclesiastico* privat, ita quòd per judicem ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur, iisdem pœnis puniendi quibus laici in illud crimen prolapsi, constitutione 5, quæ incipit : *Cùm primum*, et 72, quæ incipit : *Horrendum.*

Regula LXI. — Peccatorum contra naturam gravissimum est bestialitas. — Id, Genesis 37, 3, indicari ait Glossa, ubi de Joseph dicitur : *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Contra illud abominationis genus à Deo lata lex est, Levitici cap. 20 : *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos.*

Tot regulis ut luxuriæ species explicarem, hominum corruptela et confessariorum instructio necessaria compulit. Si quis ad illarum lectionem impudicus accedit, « facta denotet suæ turpitudinis, non verba
« nostræ necessitatis, in quibus mihi facilimè pudicus
« et religiosus lector vel auditor ignoscit... Legit enim
« hæc sine offensione, qui non exhorret Apostolum
« horrenda feminarum flagitia reprehendentem, Rom.
« 1, quæ *immutaverunt naturalem usum, in eum usum*
« *qui est contra naturam;* præcipuè quia verba, sicut
« ille, obscœna vitamus. » Cum S. Augustino loquor, libro 14 de Civitate Dei, cap. 23.

### Articulus IV.

### *De luxuriæ filiabus.*

Luxuriæ filiæ octo à S. Gregorio, lib. 31 Moralium, cap. 17, recensentur, scilicet *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror vel desperatio futuræ.* De quibus S. Thomas, 2-2, quæst. 153, a. 5.

I. *Cæcitas mentis*, peccatum est, pœna peccati, et causa peccati, quâ aliquis suâ libidine excæcatus, in rebus agendis bonum et legitimum finem sibi non ponit ob oculos, vel ab eo deflectit et aberrat. In hujus rei figuram angeli ante excidium Sodomæ in domum Loth descendentes, Gen. 19, *clauserunt ostium, et eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.* Quibus verbis significatur eos, qui carnalibus voluptatibus sunt immersi, in cæcitatem incurrere spiritalem, ita ut Christum invenire non possint, qui de seipso dicit :

*Ego sum ostium*. Luxuriosis convenit illud Psalmi : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem*. Prohibet nimirùm ignis luxuriæ, ne in Christum justitiæ solem et lucem mundi, ac in spiritualia bona, quæ illius lumine revelantur, oculos intendant. In hujus iterùm rei figuram Naas rex Ammonitarum bellum gerens contra viros Jabes Galaad, 1 Reg. cap. 11, ait : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrùm oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel*. Naas diabolus est, contra filios Israel, id est, fideles crudele bellum gerens. Illi se dedunt homines impudici, et cum illo fœdus percutiunt, operibus, sin minùs verbis dicentes : *Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi*. At ille pactum cum ipsis init hâc conditione ut eruat ipsorum oculos dextros, ne Deum ejusque legem præ oculis habeant. Diaboli typus Nabuchodonosor rex Babylonis, qui captum Sedeciam regem Hierosolymis fugientem excæcavit, occisis coram eo filiis, et captivum Babylonem abduxit, 4 Reg. cap. ultimo. Hierosolymis sanctâ civitate fugit impudicus, divinoque destitutus præsidio, venit in potestatem dæmonis, qui Babyloni impiorum civitati dominatur, à quo extinctis bonis operibus, spiritûs sancti et humanæ voluntatis filiis, excæcatur, et catenis cupiditatum et peccatorum suorum vinctus, Babylonem confusionis regnum captivus abducitur. Hinc de senibus illis impudicis, qui Susannæ castitati sunt insidiati, Danielis 13, scriptum est : *Exarserunt in concupiscentiam ejus, et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum istorum*. Et illorum alteri dixit Daniel : *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*.

II. *Præcipitatio*, peccatum est, quo quis libidinis impetu abreptus, absque consilio et deliberatione in actum exteriorem prosilit. Hinc Deuteronomii 32 Moyses ait : *Gens absque consilio est, et sine prudentiâ. Utinam saperent, et intelligerent, et novissima providerent!* Ex præteritorum scilicet recordatione, præsentium consideratione, futurorum solerti prævisione, ratio unum cum altero conferens, et docilitas majorum atque prudentiorum sententiis acquiescens, optimum consilium ineunt, quo ductus homo media legitimi finis assecutioni convenientia eligit. Præcipitatio incipit à verbo cordis, quòd est propositum faciendi aliquid. Homo nempe cupiditatis impetu abreptus, quod menti primum occurrit, agere deliberat, absque sufficienti examine. Hinc, Job. cap. 18 dicitur : *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna quæ super eum est, extinguetur. Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat*. Qui temerè et ex præcipitatione aliquid agit, *avertens se à regulis divinis*, aut *contemnens et repudians divina documenta*, mortalis peccati reus est. Si verò præceps prosilit in opus, *absque contemptu divinæ regulæ, sed cum detrimento seu defectu eorum, quæ sunt de necessitate salutis, iterùm est mortale*, vel circumstantia peccati mortalis, inquit S. Antoninus, 2 parte, tit. 5, cap. 10. Exemplis rem illustrat : « Sicut, inquit, cùm debeat quis semel « in anno confiteri et communicare, subitò accedit ad « confessionem sine aliquâ præcogitatione, cùm tamen « habeat multa intricamenta et gravia peccata, propter quod parùm dicit, et multa omittit gravia, quæ « de facili menti occurrissent, et sic subitò communicat indispositus. » Illa confessionis præcipitatio, *mortale peccatum* est. Similiter si quis disputationem habiturus cum infidelibus de rebus arduis, præcipiti motu et improvisò id aggrediatur, *unde probabiliter deficere possit, et confundi fides*, quod periculum maturâ provisione et præmeditatione potuisset avertere, mortalis peccati reus est. Si autem aliquid præcipiti motu et temerè operetur, *absque detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis*, erit veniale duntaxat peccatum. Contingit secundò præcipitatio in verbis, contra quam Ecclesiastis 5 dicitur : *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo* Et Ecclesiastici 9 : *Terribilis in civitate suâ nomo linguosus; et temerarius in verbo suo odibilis erit*.

In tribus autem præcipuè cavendam præcipitationem, S. Antoninus monet, in sententiis scilicet proferendis; in dubiis, quæ conscientiam spectant, solvendis; in revelandis arcanis. Quoad primum, David injustitiam commisit, quia præceps fuit in sententiâ contra Miphiboseth Saülis filium ferendâ. Cùm enim Davidi Absalomum fugienti occurrisset Siba procurator Miphiboseth cibaria afferens, ac de ipso Miphiboseth à domino suo interrogatus, calumniam in illum adornâsset, remansisse dicens Hierosolymis, lætum de Davidis ejectione et spe recuperandi regni quod à Saüle translatum fuerat in Davidem, erectum atque animatum, David re ad examen et deliberationem non vocatâ, bona Miphiboseth in Sibæ dominium subitò transcripsit 2 Regum cap. 16, cùmque infelix Miphiboseth regi Hierosolyma reduci occurrens, innocentiam suam probâsset, Sibæ calumniam aperuisset, præcipitem tamen sententiam David non revocavit, sed possessiones inter Miphiboseth ac Sibam dividi jussit, 2. Regum, cap. 19. Quoad secundum, S. Antoninus triplex dubium esse notat, juris scilicet, facti et personæ. Cùm certum est factum, sed dubitatur quis fecerit, tunc, inquit, potest ferri certa sententia, non contra personam aliquam determinatè, sed in genere, nempe in excommunicationem ipso facto incursurum, qui tale delictum commiserit, nisi infra statutum tempus satisfecerit, ut colligitur ex can. *Quidam*, causâ 5, quæst. 1. Ubi verò factum ambiguum et obscurum est, non est ferenda sententia alteri nocitura : verbi gratiâ, si dubitatur utrùm aliquis justè aliquid possideat, vel non; seu utrùm aliqui in gradu prohibito contraxerint, vel non, in tali dubio non debet ferri sententia in damnum alterius, ut colligitur ex can. *Grave*, causâ 11, quæst. 3, cujus hæc sunt verba ex S. Gregorio, lib. 8, epist. 30, desumpta : *Grave est et satis indecens, ut in re dubiâ certa detur sententia*. In dubiis juris, *id sequendum, quod nec evangelicis præceptis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversum*, ut dicitur can. *Sicut quædam*, dist. 14, qui ex

S. Leone sumptus est. « Ubi autem reperiuntur diversæ opiniones et adversæ solemnium doctorum « in aliquâ materiâ, inquit S. Antoninus, nec habetur « expressa circa hæc declaratio per auctoritatem Scripturæ, vel determinatio per Ecclesiam, tunc periculosum est præcipitare sententiam, et ita uni opinioni adhærere, quòd alteram condemnet ut hæreticam vel damnabilem, sicut cognoscere uxorem « menstruatam, asserere quòd sit mortale; emere imprestita Venetiarum seu jura Montis Florentiæ, « quòd sit usura, et multa hujusmodi. In his igitur « quamvis tutior via sit eligenda et consulenda, non « tamen est præcipitanda sententia, condemnando alteram opinionem. Et hoc est contra multos prædicatores et confessores modernos, qui sunt nimis faciles « ad judicandum aliquid esse mortale. » Nathan propheta interrogatus à Davide utrùm Domino Deo templum ædificare deberet, præceps responsum dedit inconsulto Deo : *Omne*, inquit, *quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Ideò sententiam revocare coactus est jubente Deo, et Davidi ut propheta denuntiare, ipsum non ædificaturum Domino, sed filium ejus pacificum Salomonem, 2 Regum 7. Josue tribuumque Israeliticarum principes præcipites fuêre ad ineundum fœdus cum Gabaonitis simulatoribus, ideòque illos decipi Deus permisit, quia *os Domini non interrogaverunt*, et Gabaonitas, aliàs delendos, Deus servari voluit ob juramenti reverentiam, ut narratur Josue 9. Quoad tertium, præcipitatio Samsonis ad arcanum suum Dalilæ revelandum, ipsi exitii causa fuit, ut refertur Judicum 16. Hinc Jeremiæ 9 scriptum est : *Unusquisque se à proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.*

Contingit denique præcipitatio in opere, cùm aliquis opus aggreditur et exequitur absque examine, ut si ad sacerdotium vel ad monasticam professionem episcopus vel abbas ignotum, non exploratâ ejus vocatione dotibusque necessariis, admittant; si quis prælatum, sive superiorem quemcumque ignotum eligat, vel opus aliquod arduum, viribus suis priùs non tentatis aggrediatur. Hinc can. *Inter hæc*, 1, distinct. 3 de Pœnitentiâ, qui ex Origene et Hesychio magnâ ex parte sumptus est, dicitur : *Lenta virtus et cunctatrix ante judicat, quàm incipit, quid decorum, quid honestum; iniquitas omnia præcipitat;* et can. *Ponderet*, qui Calixti I nomine refertur, distinct. 50, dicitur : *Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agamus. Nec præcipitemus consilia et opera nostra, neque ordinem corrumpamus.*

III. *Inconsideratio* peccatum est ex libidine velut ex radice progerminans, quo aliquis à recto judicio deficit, ex hoc quòd contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit. Judicii namque directrix et moderatrix est consideratio, de quâ dicitur, Proverb. 4 : *Oculi tui videant recta, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos;* de quâ S. Bernardus, lib. 1 de Consideratione, cap. 7 : « Quid sit « pietas quæris? Vacare consideratioui. Quid tam « pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipse hortatur « in Psalmo 45 : *Vacate et videte quoniam ego sum « Deus?* Quod sanè in partibus considerationis præcipuum est. Quid denique tam valens ad omnia, « quàm quæ ipsius quoque actionis partes benignâ « quàdam præsumptione suas facit, præagendo quodammodò, et præordinando quæ agenda sunt? Necessariò sanè, ne fortè quæ et prævisa et præmeditata poterant esse proficuò, præcipitata magis « periculo fiant.... Et primùm quidem ipsum fontem « suum, id est, mentem de quâ oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et « ordinat, postremò divinarum pariter et humanarum « rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa dis- « terminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta « rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta « et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordi- « nat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut « incorrectum, aut correctione egens. » Cùm autem ejus quatuor sint partes, et quatuor considerare debeamus, scilicet nos ipsos, quæ sub nobis, quæ circa nos, quæ supra nos sunt, ut latè S. Bernardus explicat in libris de Consideratione; rectum de his omnibus judicium impedit luxuria mater inconsiderationis.

IV. *Inconstantia* peccatum est quo vir libidinosus à bono proposito recedit, aut mediocri difficultate fractus, aut voluptate illectus. Hujusmodi autem recessûs principium ab appetitu quidem est; *non enim aliquis recedit à bono proposito, nisi propter aliquid quod sibi inordinatè placet; sed iste recessus non consummatur nisi defectu rationis id repudiantis quod rectè acceptaverat*, inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 53, a. 5; cùm nempe resistere possit cupiditatum impetui, si non resistat, id ipsius debilitati tribuendum est, quæ non stat firmiter in bono proposito concepto. Cùm itaque ratio recta triplici actu hominem dirigat in agendis, consilio, judicio et præcepto, luxuria quæ *totam animam absorbet, et trahit ad sensibilem delectationem, et extinguit judicium rationis*, ut loquitur S. Thomas, consilium præcipitatione, judicium inconsideratione, præceptum seu bonum propositum de præcepti executione conceptum, inconstantiâ obruit et evertit. Unde, Sapientiæ 4, scriptum est : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitiâ.* Quamobrem libidinosis et luxuriosis hominibus præcipuâ quàdam ratione convenit illud Psalmi 77 : *Averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodùm patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.* Averterunt se à Deo recedentes, ad quem per pœnitentiam, religiosæ vitæ professionem, ordinem sacrum, aut bonum quodvis propositum conversi erant; et non servaverunt pactum cum Deo initum in baptismo, vel pœnitentiâ, vel professione religiosâ, aut sacrâ ordinatione. Quemadmodùm patres eorum, conversi sunt in arcum pravum. Arcus pravus est, qui cùm tenditur ad vibrandas sagittas, frangitur et deficit; sic libidinosi, cùm tempus

adest exequendi bonum quod se facturos proposuerant et promiserant, et divina mandata implendi, quâvis etsi modicâ difficultate fracti, aut voluptate illecti, bonum propositum abjiciunt.

V. *Amor suî* pravus est et inordinatus affectus, quo viri libidinosi carnem suam, carnisque voluptates, præ cæteris rebus omnibus, præ officiis suis, præ Dei et Ecclesiæ mandatis, præ Deo ipso diligunt. Hi scilicet intimo corde, sin minùs voce aiunt : *Venite, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creaturâ tanquàm in juventute celeriter. Coronemus nos rosis antequàm marcescant; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exsors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors*, Sap. 2. De illis Apostolus 2 ad Timotheum 3, scribit : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines se ipsos amantes..., incontinentes..., voluptatum amatores magis quàm Dei.* Amor ille suî, quamvis filia sit luxuriæ quatenùs in carnis voluptates quasi in finem tendit, commune tamen peccatorum principium est, quatenùs privatum quodcumque hominis bonum inordinatè appetit. Hinc S. Augustinus hæc verba Psalmi 79 : *Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultûs tui peribunt*, de peccatis interpretatus, ait : « Quæ sunt peccata succensa igni « et effossa? Quid fecerat amor malus? Tanquàm « ignem succenderat. Quid fecerat timor malus? Tan- « quàm effoderat. Amor quippe inflammat, timor hu- « miliat; ideò peccata mali amoris igne succensa sunt; « peccata mali timoris, effossa sunt. »

VI. *Odium Dei* est aversio à Deo, quâ viri luxuriosi quandoque ipsum refugiunt et ab ejus lege abhorrent, quatenùs carnis voluptates prohibet, æternasque pœnas impudicis infligit. Quod quidem peccatum omnium gravissimum est, cùm opponatur charitati, quæ est maxima virtutum. Hinc S. Gregorius, lib. 25 Moralium, cap. 11, ait : *Sicut nonnunquàm gravius est peccatum diligere quàm perpetrare, ita nequius est odisse justitiam quàm non fecisse.*

VII. *Affectus præsentis seculi*, seu inordinatus vitæ præsentis amor, peccatum est, quo libidinosi homines carnalibus voluptatibus ita capiuntur, ut hujus seculi vitam fruendæ voluptatis causâ perpetuam esse vellent, de supernâ felicitate nihil curantes. His convenit illud Psalmi 13 : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Seculi præsentis immoderatus amor inimicos Dei facit, teste apostolo S. Jacobo, cap. 4 Epistolæ catholicæ : *Qui voluerit amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituitur* ; et S. Joanne, Epist. 1, cap. 2 : *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscentia ejus.* Miseri! Qui mundum amant ob voluptates fœdas, momentaneas, fastidium et amaritudinem parientes. Unde, Proverb. 5, dicitur : *Favus distillans labia meretricis, et nitidius olco guttur ejus ; novissima autem illius amara quasi absinthium.* Cæci! Qui mundum tot amaritudinibus respersum amant ob falsi nominis voluptates. « Fœdus est « mundus, non ametur. Ecce talis est, et sic amatur. « Ruinosa est domus, et piget migrare. Matres, sive « nutrices, ne pueri multùm sugant, ubi eos grandes- « cere viderint, et non jam decere ut lacte nutriantur, « illos tamen molestè mammis inhiare, circumlinunt « papillas suas aliquâ amaritudine, quâ offensus par- « vulus lac ulteriùs non requirat. Quid ergo adhuc tam « delectabiliter sugitur, si amarus tibi factus est mun- « dus? Implevit Deus amaritudinibus mundum, et in- « hias tu, incumbis tu, sugis tu; nonnisi inde et inde « voluptatem capis. Quamdiù? Quid si dulcis esset, « quomodò amaretur? Offendunt te ista, elige aliam « vitam. Ama Deum, contemne ista. Despice res hu- « manas, quandocumque hinc iturus, non enim hìc « futurus semper. Et tamen sic, quomodò malus est, « quomodò amarus est mundus, quomodò plenus est « calamitatibus mundus, si dictum tibi esset à Deo « quòd semper hìc esses, lætitiâ te non caperes, ex- « sultares, gratias ageres. Unde? Quia miseriam non « finires. Ipsa est major infelicitas, quæ se amari co- « git. Minor esset, si non amaretur; tantò pejor est, « quantò plus amatur. » Verba sunt S. Augustini, sermone 311, aliàs de Diversis, 115. Vera voluptas in carnalium voluptatum fastidio, in seculi contemptu, in conscientiæ puritate posita est, secundùm præclaram illam Tertulliani sententiam, lib. de Spectaculis, cap. 29 : « Dicas velim : Non possumus vivere sine « voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam « quod est aliud votum nostrum, quàm quod et Apo- « stoli, exire de seculo, et recipi ad Dominum? Hìc « voluptas ubi et votum. Jam nunc puta delectamen- « tis exigere spatium hoc. Cur tam ingratus es, ut « tot et tales voluptates à Deo contributas tibi satis « non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucun- « dius, quàm Dei Patris et Domini reconciliatio, quàm « veritatis revelatio, quàm errorum recognitio, quàm « tantorum retrò criminum venia? Quæ major volup- « tas, quàm fastìdium ipsius voluptatis, quàm seculi « totius contemptus, quàm vera libertas, quàm con- « scientia integra? »

VIII. *Horror* seu *desperatio futuri seculi*, peccatum est quo viri libidinosi mortem ac judicium divinum ita metuunt, ut de felicitatis æternæ consecutione desperent. Cùm enim mors iis voluptatibus finem allatura sit, quas intemperanter appetunt et sectantur, fieri non potest quin illam horreant. Deinde stimulis conscientiæ tantò ampliùs vexati, quantò se illicitis voluptatibus profundiùs immerserunt, diutiùsque in illis hæserunt, diffidunt de venià; quo fit ut novas in libidines prolabantur, ex quibus nunquàm emergunt ad pœnitentiam. Hinc, Osee cap. 5, scriptum est : *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.* Et ad Ephesios 4 : *Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Hinc S. Thomas 1-2, quæst. 73 a. 5

ad secundum, ait : *Diabolus dicitur maximè gaudere de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, et difficilè ab eo homo potest eripi.*

IX. Alias alii luxuriæ filias recensent, scilicet *stultitiam, turpiloquia, scurrilitatem.* Et stultitiam quidem filiam esse luxuriæ, S. Thomas docet, 2-2, quæst. 46 a. 3 : « Stultitia, inquit, secundùm quòd est peccatum, provenit ex hoc quòd sensus spiritualis hebetatus est, ut non sit aptus ad spiritalia dijudicanda. « Maximè autem sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, quæ est circa maximas delectationes, quibus anima maximè absorbetur. Et ideò « stultitia quæ est peccatum, maximè nascitur ex luxuriâ. » Unde Proverb. 7, de juvene meretricem sequente dicitur : *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quòd de periculo animæ illius agitur.* Appositè S. Hieronymus, lib. 1 adversùs Jovinianum, scribit : « Amor « formæ rationis oblivio est, et insaniæ proximus; « fœdum minimèque conveniens animo sospiti vitium; « turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, à « magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; que« rulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, ser« viliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissimè « amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate insatiabilis « flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, « conquestionibus perdit, odium suî facit; et ipse no« vissimè sibi odio est. » Sed stultitia vel ad cæcitatem mentis, vel ad inconsiderationem pertinet; partim etiam ad odium Dei et desperationem futuri seculi. Hinc S. Thomas loco mox indicato, in responsione ad primum, ait : « Ad stultitiam pertinet quòd « homo habeat fastidium de Deo et donis ipsius. Unde « duo S. Gregorius numerat inter filias luxuriæ, quæ « pertinent ad stultitiam, scilicet odium Dei, et de« sperationem futuri seculi, quasi dividens stultitiam « in duas partes. »

Quòd spectat turpiloquia, scurrilitatem et stultiloquia, ad præcipitationem et inconsiderationem illa pertinere manifestum est. Cùm enim ex abundantiâ cordis os loquatur, luxuriosi, quorum cor turpibus concupiscentiis plenum est, facilè ad turpia verba prorumpunt. Præcipitatio quoque et inconsideratio mala luxuriæ germina pronum hominem faciunt in verba leviter et inconsideratè dicta, quæ scurrilia vocantur.

X. Dicendi finem non fecero, si vitia omnia percensere voluero, quæ ex luxuriâ oriuntur, vel illam comitantur. Hinc Magdalenam peccatricem septem dæmonia possederant. « Septenario numero, inquit S. Gre« gorius, universitas vitiorum designatur. Rectè ergo « septem dæmonia habuit, quæ universis vitiis plena « fuit. » Hinc S. Ambrosius, lib. de Eliâ et Jejunio, cap. 19, ait : « Luxuria nec fidem habet, nec observan« tiam disciplinæ; luxuria seminarium et origo vitio« rum est. Nec arbitremini me adversùs Apostolum « dixisse, quia ille ait, 1 Timoth. 6: *Avaritiam radicem « esse vitiorum omnium*, quoniam luxuria ipsius est « mater avaritiæ. Etenim cùm exhauserit quis luxu« riando proprias facultates, quærit postea avara com« pendia. »

### Articulus V.

*De remediis contra luxuriam.*

I. Remedia contra luxuriam *partim in cogitatione, partim in actione consistunt*, inquit concilii Tridentini Catechismus, parte 3, cap. 7. Quod in cogitatione remedium positum est, id in eo maximè versatur, ut intelligamus quanta sit hujus peccati turpitudo et pernicies, quæ pœnæ ipsum consequantur. Ponatur ergo ob oculos generale totius orbis diluvium, cujus causa fuit hominum libido. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Unde Deus ait : *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et dixit ad Noe : *Finis universæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate à facie eorum, et ego disperdam eos cum terrâ.* Revocetur in memoriam supplicium Israelitarum, qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto, Numerorum 25, de quo Apostolus, 1 ad Corinthios 10 : *Neque fornicemur*, inquit, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt unâ die viginti-tria millia.* Item Benjamiticæ tribûs deletio, Judicum 20. Qui verò mortem effugiunt, aliis tamen corporis animique pœnis gravissimis sæpè plectuntur, et præsertim cæcitate mentis, quæ pœna omnium gravissima est, ita ut neque Dei, nec salutis æternæ, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum, vitæque suæ rationem habeant; sicque adeò nequam et inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeat, et ad nullum ferè officii munus idonei sint. Funesta hujus rei exempla in Davide et Salomone cernimus, quorum alter, scilicet David, postquàm adulterium commisit, repentè sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis evasit, ut Uriam optimè de se meritum morti exponi jusserit, 2 Regum 11. Alter verò, scilicet Salomon, cùm se totum in alienigenarum mulierum libidinem effudisset, in idololatriam lapsus est, 3 Regum 11. Quamobrem, Osee 4, scriptum est : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.* Hinc S. Gregorius, libro 16 Moralium, cap. 29, verba illa explicans : *Dulcedo ejus vermis*, quæ, Job. 24, leguntur, ait : « Luxuriosi ergo atque carnis voluptatibus dediti quanta sit cæcitas mentis demonstratur, « cùm dicitur : *Dulcedo ejus vermis.* Quid namque caro, « nisi putredo et vermis est? Et quisquis carnalibus « desideriis anhelat, quid aliud quàm vermem amat? »

II. Remediorum verò in actione positorum, primum est, otii fuga, necnon crapulæ et ebrietatis, quæ ad luxuriam provocant. Unde, Ezechielis 16, scriptum est : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et otium ipsius, et filiarum ejus.* David in adulterium lapsus est, cùm de strato suo post meridiem surrexisset et in solario domûs regiæ deambularet, *eo tempore quo solent reges ad bella procedere*, otio vacans. Hinc S. Hieronymus, epistolâ 4 : *Ama*, inquit, *scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis..... Facito aliquid operis, ut te semper diabolus in-*

*venia! occupatum.* Quantùm verò fugiendæ sint crapula et ebrietas ad custodiam castitatis, Scriptura sacra non uno in loco docet, Exodi 32 : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Quem locum Tertullianus, lib. de Jejuniis proferens, ait : *Intellige sanctæ Scripturæ verecundiam, lusum nisi impudicum non denotâsset.* Eodemque in libro ait : *Appendices gulæ lascivia atque luxuria.* Proverb. 20 : *Luxuriosa res vinum.* Ad Ephes. 5 : *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Hinc S. Hieronymus, lib. 2 adversùs Jovinianum, scribit : « Non ei debemur cui « nascimur, sed cui renascimur, qui repugnantem « carnem, et ad libidinum incentiva rapientem, inedià subjugamus. Esus carnium, et potus vini, ventris« que saturitas, seminarium libidinis est. Unde et « Comicus : *Sine Cerere*, inquit, *et Libero friget Venus.* » Hinc Pompeii amphitheatrum Baccho simul et Veneri dedicatum; quâ de re Tertullianus, libro de Spectaculis, ait : « Duo ista dæmonia conspirata et conjurata « inter se sunt, ebrietatis et libidinis. Itaque theatrum « Veneris, Liberi quoque domus est. » Hinc S. Gregorius, Curæ pastoralis part. 3, admonitione 20 : « Plerùmque, inquit, edacitas usque ad luxuriam per« trahit, quia dùm satietate venter extenditur, aculei « libidinis excitantur..... Gulæ deditos luxuria sequi« tur, Prophetâ testante, qui dùm aperta narrat, oc« culta denuntiat, dicens, Jerem. 52 : *Princeps coquo« rum dextruxit muros Jerusalem.* Princeps coquorum, « venter est. Muri Jerusalem, virtutes animæ ad desi« derium supernæ pacis elevatæ. Coquorum ergo « princeps muros Jerusalem dejicit, quia dùm venter « ingluvie distenditur, virtutes animæ per luxuriam « destruuntur. »

III. Tertium remedium est, nimiam frequentationem et familiaritatem mulierum vitare. *Numquid* enim *potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem*, etc. Prov. 6; et Ecclesiastici 42 : *In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, et mulier confundens in opprobrium;* id est, mulieris, quamvis piæ, societas periculosior, quàm viri improbi; et cap. 9 : *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt. Colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum alienâ muliere ne sedeas omninò, nec accumbas cum eâ super cubitum; et non alterceris cùm illâ in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam.*

IV. Quartum remedium est fidelis et vigilans custodia sensuum, *quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*, ut dicitur Jeremiæ 9, id est, *per omnes sensus ad animæ interitum mors introit peccatorum*, ut S. Hieronymus explicat; quem eo de argumento disserentem, libro 2 contra Jovinianum, audire operæ pretium est : « Per quinque sensus, in« quit, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad ani« mam introitus est. Non potest ante metropolis et « arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis « exercitus. Horum perturbationibus anima prægra« vatur, et capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, « tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si athle« tarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis « mulierum, splendore gemmarum, vestium, metal« lorum, et cæteris hujuscemodi; per oculorum fe« nestras animæ capta libertas est, et impletur illud « propheticum : *Mors intravit per fenestras nostras.* « Rursùm auditus vario organorum cantu et vocum « inflexionibus delinitur, et carmine poetarum, et co« mœdorum mimorumque urbanitatibus et strophis, et « quicquid per aures introiens virilitatem mentis effe« minat. Odoris autem suavitas, et diversa thymia« mata, et amomum, et cyphi, ænanthe, muscus, et « peregrini muris pellicula, quòd dissolutis et amato« ribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat..... Ta« ctus autem alienorum corporum, et feminarum ar« dentior appetitus, vicinus insaniæ est. Ob hunc sen« sum cupimus, irascimur, gestimus, invidemus, æmu« lamur, solliciti sumus; et explicatâ voluptate, per « quamdam plenitudinem rursùs accendimur, quæri« musque facere, quòd cùm fecerimus, iterùm pœni« teamus. Igitur cùm per has portas quasi quidam « perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis in« traverint, ubi erit libertas, ubi fortitudo ejus, ubi de « Deo cogitatio? Maximè cùm tactus depingat sibi « etiam præteritas voluptates, et recordatione vitio« rum cogat animam compati, et quodam modo exer« cere quod non agit. Iis igitur rationibus invitati « multi philosophorum, reliquerunt frequentias ur« bium, et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, et « arborum comæ, et susurrus avium, fontis speculum, « rivus immurmurans, et multæ oculorum auriumque « illecebræ, ne per luxum et abundantiam copiarum, « animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia con« stupraretur. Inutile quippe est crebrò videre per « quæ aliquando captus sis, et eorum te experimento « committere, quibus difficulter careas. Nam et Py« thagorei hujuscemodi frequentiam declinantes, in « solitudine et desertis habitare consueverant. Pla« tonici quoque et Stoici in templorum locis et porti« cibus versabantur, ut admoniti augustioris habita« culi sanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogi« tarent. Sed et ipse Plato, cùm esset dives, et thoros « ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset « vacare philosophiæ, elegit academicam villam ab « urbe procul, non solùm desertam, sed et pestilen« tem, ut curâ et assiduitate morborum libidinis im« petus frangeretur, discipulique sui nullam aliam « sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas disce« rent. Quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per « eorum visum à contemplatione philosophiæ avoca« rentur. Unde et Crates ille Thebanus, projecto in « mare non parvo auri pondere : *Abite*, inquit, *pessum, « malæ cupiditates; ego vos mergam, ne ipse mergar à « vobis.* Quòd si quis existimat, et abundantiâ ciborum « potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiæ, « hoc est, et versari in deliciis, et deliciarum vitiis « non teneri, ipsum decipit. Cùm enim procul ab

« nis remoti, sæpè capiamur naturæ illecebris, et co-
« gamur ea cupere, quorum copiam non habemus,
« quantò magis, si circumdati retibus voluptatum, esse
« nos liberos arbitremur?.... Vetus quoque sententia
« est : *Difficile est, imò impossibile, deliciis et voluptatibus affluentes, non ea cogitare quæ gerimus ;* frustraque quidam simulant, salvâ fide, et pudicitiâ, et integritate mentis, se abuti voluptatibus, cùm contra naturam sit, copiis voluptatum sine voluptate perfruiet; Apostolus hoc ipsum cavens dixerit 1, Timoth. 5 : *Quæ autem in deliciis est vidua, vivens mortua est.* Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes; anima verò in aurigæ modum retinet frena currentium, et quomodò equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio animæ in suum fertur interitum. »

Consonat S. Gregorius, libro 21 Moralium, cap. 2, explicans illud Job. 31 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sic enim hanc sententiam exponit : « Cùm sit invisibilis anima, nequaquàm corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quòd inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, et tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foràs veniat, et ea quæ extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait, c. 9 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Mors quippe per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quo contra de justis per Isaiam dicitur, 16, 60 : *Qui sunt hi qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Justi namque volare ut nubes dicti sunt, quia à terrenis contagiis sublevantur; et quasi columbæ ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit, plerùmque in delectationem peccati etiam nolens cadit; atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. » Et nonnullis subjunctis, quæ aliâ occasione referemus, ita colligit : « Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantâlibet virtute mens polleat, quantâlibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exteriùs perstrepunt; et nisi interioris gravitatis pondere et quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt. »

Ante hos Patres S. Basilius, libro de sanctâ Virginitate, in eamdem sententiam scribit : « Voluptas cùm una generaliter sit, veluti fons quidam à carne profluit, atque in quinos sensus, veluti rivos totidem distributa, per hos ab intimis ad sensibilia fluit : quorum quilibet per propriam organi sui fenestram vehementer emittens fluentum suum quicquid corruptum cominùs occurrerit, ad se pertrahit, carnalique limo implet, torrentis instar. Rursùs quoque ab exterioribus per easdem fenestras in carnis æstus celeriùs refluens, animam fluctibus perturbationum quatit, atque in profundà demergit. » Et infra : « Obstruendus est igitur primus ingressus per sensus satelliti carnis; sensusque ipsi ut januæ ac fenestræ cordis, seris ac vectibus undique firmandi atque muniendi, ne per aliquem illorum versutus ascendens, mortem contubernalem suam secum unà introducat. *Mors enim*, inquit, *ascendit per fenestras.* Reverà enim sensus, fenestræ animæ sunt, quibus anima, sive ut pudica mulier exteriorem sensuum lucem ad considerationem rei cujusque utilis, modicè castèque eas aperiens, haurit, sive ut impudica meretrix, attonita ad exteriora quæque ac noxia curiosè spectanda, prospicit ad oblectamenta lasciviæ, cervicem malè contorquens, ac per hoc sua via et læta hauriens. »

V. Quintum remedium est humiliatio et mortificatio spiritûs, quò spectat juvenis cujusdam monachi historia, quam S. Hieronymus narrat, epistolâ 4 ad Rusticum datâ : « Græcus adolescens erat in cœnobio, inquit, qui nullâ abstinentiâ, nullâ operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem pater monasterii hâc arte servavit : imperat cuidam viro gravi ut jurgiis atque conviciis insectaretur hominem, et post irrogatam injuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium; nullus alius credere veritati; solus pater defensionem suam callidè opponere, ne abundantiori tristitiâ absorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus est, quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret : *Papæ !* inquit, *vivere mihi non licet, et fornicari libeat?* »

VI. Sextum remedium est oratio jugisque ad Deum gemitus, ut colligitur ex illo Sapientiæ 8 : *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, et deprecatus sum illum.* Et ex illo 2 ad Corinthios 12 : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea.* Quàm salubre sit istud remedium, exemplo suo docuit S. Hieronymus, epistolâ 22 ad Eustochium, de Custodiâ Virginitatis. « O quoties, inquit, ego ipse in eremo constitutus, et in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Sedebam solus, qui amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lacrymæ, quotidiè gemitus, et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò et potu taceo

« cùm etiam languentes monachi aquâ frigidâ utantur,
« et coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Illc igitur
« ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse
« damnaveram, scorpionum tantùm socius et ferarum,
« sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora je-
« juniis, et mens desideriis æstuabat in frigido cor-
« pore; et ante hominem suâ jam carne præmortuum,
« sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni
« auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam
« lacrymis, carne tergebam, et repugnantem carnem
« hebdomadarum inediâ subjugabam.... Memini me
« clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, nec
« priùs à pectoris cessâsse verberibus, quàm rediret,
« Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cel-
« lulam meam, quasi cogitationum mearum consciam,
« pertimescebam; et mihimet iratus et rigidus, solus
« deserta penetrabam, Sicubi concava vallium, aspera
« montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ ora-
« tionis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum;
« et, ut ipsi mihi testis est Dominus, post multas la-
« crymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquàm
« videbar mihi interesse agminibus angelorum; et læ-
« tus gaudensque cantabam : *Post te in odorem un-*
« *guentorum tuorum curremus*, Cant. 1. »

## CAPUT VII.

### DE INVIDIA.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit? et quàm grave crimen*

I. Invidia est *tristitia de bono alterius, perinde ac si malum nostrum esset, quatenùs illo propriam gloriam aut excellentiam imminui concipimus.* Dolere namque de bono alterius, quatenùs ex eo nobis periculum imminet alicujus nocumenti, sicut cùm quis de inimici sui fortunâ mœret, timens ne eum lædat, non invidiæ, sed timoris effectus est. Dolorem de alieno bono concipere, eo nomine quòd ejus possessorem tali bono prorsùs indignum existimes, alterum verò eo carentem ejus possessione dignum judices, non est invidiæ, sed indignationis. Dolere de alieno bono eo nomine quo ipso careas, quo tamen potiri pariter cupias, æmulationis est. At dolere de alienâ fœlicitate seu bono, ita ut proximum eo spoliari velles, quia illud ut malum proprium aspicis, illud in tuæ gloriæ vel excellentiæ detrimentum vel imminutionem vergere arbitratus, invidia est. Oritur autem invidia ex bonis, quæ vulgari hominum opinione honorifica et gloriosa censentur, quales sunt divitiæ, dignitates, magistratus, titulorum insignia, potestas et auctoritas, gratia principum, amicitiæ et clientelæ, eruditio, eloquentia, virtus, celebritas nominis, pulchritudo, ornatus, et alia id genus bona, seu vera, seu fucata, seu spiritualia, seu temporalia.

II. Invidia peccatum est, et quidem ex genere suo lethale, cùm ab Apostolo inter ea numeretur, de quibus ait ad Gal. 5: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur;* et ibidem : *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Et sanè, cùm adversetur charitati, quæ *non æmulatur*, sed de bono proximi gaudet perinde ac si proprium bonum esset, consequens est ut ex genere suo mortale peccatum sit. Unde, Job 5, dicitur : *Parvulum occidit invidia.* Quem locum præclaro Commentario S. Gregorius illustrat, lib. 5 Moralium, c. 31 : « Invidere enim non
« possumus, inquit, nisi eis, quos nobis in aliquo me-
« liores putamus. Parvulus ergo est qui livore occidi-
« tur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo
« minor sit, cujus invidiâ torquetur. Hinc est quòd
« hostis callidus primo homini invidendo surripuit,
« quia amissâ beatitudine minorem se immortalitate
« illius agnovit. Hinc est quòd Cain ad perpetrandum
« fratricidium corruit : quia despecto suo sacrificio,
« prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit;
« et, quem meliorem se esse exhorruit, ne utcumque
« esset, amputavit. Hinc Esaü ad persecutionem fratris
« exarsit, quia primogenitorum benedictione perditâ,
« quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, mi-
« norem se eo quem nascendo præibat, ingemuit. Hinc
« Joseph fratres sui Ismaelitis transeuntibus vendide-
« runt : quia cognito revelationis mysterio, ne se fieret
« melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc
« Saül David subditum lanceam intorquendo persequi-
« tur, quia quem magnis quotidiè augeri virtutum suc-
« cessibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus
« itaque est qui invidiâ occiditur, quia nisi ipse infe-
« rior resisteret, de bono alterius non doleret. Sed
« inter hæc sciendum est quia quamvis per omne vi-
« tium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis
« virus infunditur, in hâc tamen nequitiâ tota sua vi-
« scera serpens concutit, et imprimendæ malitiæ pe-
« stem vomit. De quo nimirùm scriptum est, Sap. 2 :
« *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Nam
« cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa
« quoque exteriora indicant quàm graviter animum
« vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi
« deprimuntur, mens accenditur, et membra frige-
« scunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor;
« cùmque in latebris cordis crescens absconditur odium,
« dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum.
« Nihil lætum de propriis libet, quia tabescentem men-
« tem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena;
« quantòque extranei operis in altum fabrica ducitur,
« tantò fundamentum mentis lividæ profundiùs suffo-
« ditur, ut quò alii ad meliora properant, eò ipso de-
« teriùs ruant : quâ ruinâ videlicet etiam illud de-
« struitur, quod in aliis actibus perfecto opere surre-
« xisse putabatur. Nam invidia cùm mentem tabefece-
« rit, cuncta quæ invenerit benè gesta consumit. Unde
« benè per Salomonem dicitur : *Vita carnium sanitas*
« *cordis;* quia si mentis innocentia custoditur, etiam si
« qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. Et
« rectè subditur : *Putredo ossium invidia;* quia per li-
« voris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia
« acta virtutum. Ossa quippe per invidiam putrescere,
« est quædam etiam robusta deperire. »

III. Quàm grave sit invidiæ crimen, docet S. Cyprianus, in egregio tract. de Zelo et Livore, ita scribens :

« Zelare quod bonum videas, et invidere melioribus, « leve apud quosdam et modicum crimen videtur; « dùmque existimatur leve esse et modicum, non ti- « metur; dùm non timetur, contemnitur; dùm con- « temnitur, non facilè vitatur, et fit cæca et occulta « pernicies..... Videamus unde zelus, et quando, et « quomodò cœperit: faciliùs enim à nobis malum tam « perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et « magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia sta- « tim mundi et perit primus, et perdidit. Ille dudùm « angelicâ majestate subnixus, ille Deo acceptus et « charus, postquàm hominem ad imaginem Dei factum « conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non « priùs alterum dejiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo « ante dejectus, captivus antequàm captus, perditus « antequàm perdens; dùm stimulante livore homini « gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque « id quod priùs fuerat, amisit. Quale malum est, fra- « tres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circum- « veniri et subverti alta illa et præclara sublimitas « potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde « invidia grassatur in terris, dùm livore periturus, « magistro perditionis obsequitur; dùm diabolum qui « zelat, imitatur, sicut scriptum est : *Invidiâ autem « diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur « ergo illum qui sunt ex parte ejus.* Hinc denique novæ « fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœ- « perunt, dùm Abel justum Cain zelat injustus, dùm « bonum malus invidiâ et livore persequitur. Tantùm « valuit ad consummationem facinoris æmulationis « furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immani- « tas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. « Injustè oppressus est, qui justitiam primus ostende- « rat; odia perpessus est, qui odisse non noverat; oc- « cisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et « quòd Esaü fratri suo Jacob inimicus exstitit, zelus « fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, « hic in odium persecutionis facibus livoris exarsit. Et « quòd Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi « de æmulatione descendit, postquàm id quod sibi in « visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter « ut fratribus frater exposuit, in invidiam malevolus « animus erupit. Saül quoque rex ut David odisset, ut « persecutionibus sæpè repetitis innocentem, miseri- « cordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid « aliud quàm zeli stimulus provocavit? Quia Goliath « interfecto et ope ac dignatione divinâ tanto hoste de- « leto, populus admirans in laudes David prædicationis « suffragio prosiliit, Saül simultatis atque insectatio- « nis furias de livore concepit... Judæi nonne inde pe- « rierunt, dùm Christo malunt invidere quàm credere? « Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo ex- « cæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis « oculos aperire potuerunt. Non est autem quòd ali- « quis existimet malum illud unâ specie contineri, aut « brevibus terminis et angusto fine concludi. Latè pa- « tet zeli multiplex et fœcunda pernicies. Radix est « malorum omnium, fons cladium, seminarium deli- « ctorum, materia culparum. Inde odium surgit, ani- « mositas inde procedit Avaritiam zelus inflammat « dùm quis suo non potest esse contentus, videns al- « terum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dùm « cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo ex « cæcante sensus nostros, atque in ditionem suam « mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, ma- « gisterium Christi negligitur, judicii dies non provi- « detur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia « prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, « ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere, « qui factus est potestatis alienæ. Hinc dominicæ pacis « vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, « hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hære- « ses atque ad schismata prosilitur, dùm obtrectatur « sacerdotibus, dùm episcopis invidetur, cùm quis « aut queritur non se potiùs ordinatum, aut dedigna- « tur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc « rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus, « animositate et livore, non hominis, sed honoris ini- « micus. Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationum « tabes, pectoris quanta rubigo? Zelare in altero vel « virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel « merita propria, vel beneficia divina; in malum pro- « prium bona aliena convertere, illustrium prosperi- « tate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam; « velut quosdam pectori suo admovere carnifices, co- « gitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se « intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta « malevolentiæ ungulis pulsent : non cibus talibus læ- « tus, non potus potest esse jucundus; suspiratur sem- « per, et ingemiscitur, et doletur : dùmque ab invidis « nunquàm livor exponitur, diebus ac noctibus pectus « obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera « habent terminum; et quodcumque delinquitur, de- « licti consummatione finitur. In adultero cessat faci- « nus perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus « homicidio admisso; et prædoni rapacitatem statuit « præda possessa; et falsario modum ponit impleta « fallacia; zelus terminum non habet, permanens ju- « giter malum et sine fine peccatum, quantòque ille « cui invidetur successu meliore profecerit, tantò in- « vidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. « Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, « in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, « effrenata convicia, manus ad cædis violentiam « prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen « furiatæ mentis armata; et idcircò Spiritus sanctus « dicit in Psalmis : *Nolite zelare benè ambulantem in « viâ suâ.* et iterùm : *Observabit peccator justum, et « stridebit ad eum dentibus suis. Deus autem irridebit « eum; quoniam providet quia veniet dies ejus.* Hos bea- « tus apostolus Paulus designat et denotat, dicens : « *Venenum aspidum sub labiis eorum, et os eorum male- « dictione et amaritudine plenum est. Veloces ad effun- « dendum sanguinem pedes eorum : contritio et calami- « tas in vitiis eorum qui viam pacis non agnoverunt, nec « est timor Dei ante oculos eorum.* Multò malum levius, et « periculum minus est, cùm membra gladio vulnerան- « tur. Facilis cura est, ubi plaga perspicua est; et citò

« ad sanitatem medelâ subveniente perducitur vulnus, « quòd videtur : zeli vulnera abstrusa sunt et occulta, « nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se « intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. « Quicumque es invidus et malignus, videris quàm sis « eis quos odisti insidiosus, perniciosus, infestus : « nullius magis quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis « ille est quem zelo persequeris, subterfugere et vitare « te poterit : tu te non potes fugere : ubicumque fueris, « adversarius tuus tecum est ; hostis semper in pectore « tuo est, pernicies intùs inclusa est, ineluctabili cate- « narum nexu ligatus et vinctus es, zelo dominante « captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perse- « verare malum est, hominem persequi ad Dei gra- « tiam pertinentem : calamitas sine remedio est, odisse « felicem. »

S. Basilius, Homiliâ de Invidiâ, criminis istius gravitatem et malitiam disertè describit. Invidiam diaboli vitium, invidos damnationis ipsius socios futuros affirmat ; nihil esse hâc perturbatione perniciosius, quæ ante omnia ipsi nocet auctori. Quemadmodùm enim rubigo ferrum, sic invidia hos, qui eâ laborant, inficit et consumit. Et sicut viperæ abrupto matris ventre nasci dicuntur, sic et invidia concipientem se animam corrodit, tabefacit. Invidi diaboli ministerium obeunt, inimici fiunt hominum, qui nihil ipsos læserunt ; inimici Dei optimi maximi omnibus benefacientis, nemini invidentis. *Invidia intolerabile malum, serpentis documentum, dæmonum inventum, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum privatio.* Vultu ipso hoc vitium fatentur invidi. Aspectus illis aridus et obscurus, genæ subtristes, supercilium demissum, anima, ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscendâ veritate ac rebus agendis minimè habens. Sicut autem vultures per multa quidem prata, seu loca amœna et suavem odorem spirantia circumvolantes, ad sordida et fœculenta loca feruntur ; muscæ quoque si quid salubre offendunt, eo prætermisso ad ulcera properant : sic invidi vitæ splendorem ac rerum benè gestarum magnitudinem minimè respiciunt ; aliorum verò defectus, nævos et vitia observant, et ad vulgi notitiam perducunt, quemadmodùm maligni pictores, qui hominis imaginem cum insitis vel fortuitis deformitatibus effingere amant et exponere, ut in ludibrium veniat. Audacem enim dicunt eum, qui fortis est ; stupidum, qui temperans ; crudelem, qui justus ; astutum, qui prudens ; prodigum, qui liberalis ; avarum, qui frugalis. Denique omne genus virtutis in vicina vitiorum nomina convertunt.

S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 41 in Matth., de criminis ejusdem gravitate præclarè disserit : « Tale « malum, inquit, invidia est, quâ nulla unquàm ma- « lignitas pejor invenitur. Nam adulterio inquinati, « voluptatis saltem iniquæ fructum, ut putant, aliquem « capiunt, et brevi tempore peccatum committunt. « Invidi autem et multò ante seipsos, quàm quibus « invident, perturbant et cruciant, et ita in agendo « semper invidendoque sunt, ut nunquàm peccandi « afferant finem : sed quemadmodùm sues lutosâ « immunditie, et dæmones nostris damnis lætantur, « sic invidi calamitate proximorum exultant..... For- « nicatores ac publicani ad cœlos conscendere potue- « runt, invidiæ autem morbo laborantes, cùm intùs « essent, à regno cœlorum exciderunt... Invidia pesti- « ferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac « in dæmonem immanissimum convertit. Invidiâ « prima hominis cædes apparuit. Invidiâ fraterna « charitas contempta est. Invidiâ factum est ut hiatu « suo terra Dathan, Core, Abiron, universumque illum « populum vivos absorpserit. Sed facillimum est, dicet « aliquis, invidos accusare : dicendum autem est quo- « modò hoc morbo liberabimur. Quomodò igitur ne « veneno suo nos inficiat facimus? Si dabimus ope- « ram, ut quemadmodùm fornicatori nefas est Eccle- « siam ingredi, sic invido quoque : imò verò multò « magis invidus quàm fornicator à cœtu fidelium ex- « terminandus est. »

Invidiâ concivium Christi factum est ne ulla Christus miracula in patriâ suâ ederet, ut explicat S. Ambrosius, lib. 4 in Lucam, ad illa verba Salvatoris : *Amen dico vobis, quòd nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.* « Non mediocriter, inquit, invidia proditur, « quæ civicæ charitatis oblita, in acerba odia causas « amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et ora- « culo declaratur, quòd frustra opem misericordiæ « cœlestis exspectes, si alienæ fructibus virtutis invi- « deas ; aspernator enim Dominus invidorum est, et « ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, mi- « racula suæ potestatis avertit. Non otiosè itaque Sal- « vator excusat quòd nulla in patriâ suâ miracula vir- « tutis operatus sit, ne fortassis aliquis viliorem patriæ « nobis esse debere putaret affectum. Neque enim « cives poterat non amare, qui amaret omnes ; sed « ipsi se charitate patriæ, qui invident, abdicârunt. « Charitas enim non æmulatur, non inflatur. Nec ta- « men exsors beneficiorum patria divinorum est. Quod « enim majus miraculum, quàm quòd in eâ natus est « Christus? Videte igitur quid mali invidia adferat. « Indigna propter invidiam patria judicatur, in quâ ci- « vis operetur, quæ digna fuit in quâ Dei Filius na- « sceretur. »

Invidia superbiæ fœtus est, cùm superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium felicitatis alienæ. « Amando enim quisque excellentiam suam, « vel paribus invidet quòd ei coæquentur : vel infe- « rioribus, ne sibi coæquentur ; vel superioribus, quòd « eis non coæquetur, » inquit S. Augustinus, lib. 11 de Genesi ad Litteram, cap. 14. Et sermone 354, aliàs 53, de Verbis Domini, cap. 4 : « Non potest su- « perbus esse non invidus. Invidia filia est superbiæ : « sed ista mater nescit esse sterilis ; ubi fuerit, conti- « tinuò paret. »

### Articulus II.

## Regulae morum circa invidiam.

Regula prima. — Tristitia de bono alterius, quatenùs ex eo timetur grave malum, vel sibi ipsi, vel aliis

bonis injustè inferendum, non est invidia; imò sine peccato esse potest, si ordo charitatis servetur. — Sic Esther et Mardochæus de gratiâ et auctoritate Aman apud regem Persarum meritò dolere poterant, à quo sibi totique Judæorum genti supremam cladem imminere cernebant. Hinc S. Gregorius, lib. 22 Moralium, cap. 6, ait: « Evenire plerumque solet ut non amissâ « charitate, et inimici nos ruina lætificet, et rursùm « ejus gloria sine invidiæ culpâ contristet : cùm et « ruente eo, quosdam benè erigi credimus, et profi- « ciente illo, plerosque injustè opprimi formidamus. « Quâ in re mentem nostram nec ejus jam defectus « erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra « cogitatio non quid in ipso, sed quid de ipso circa « alios agatur, attendit. Sed ad hæc servanda valdè « est necessarium subtilissimæ discretionis examen; « ne cùm nostra odia exequimur, fallamur sub specie « utilitatis alienæ. » Hanc etiam regulam auctoritate suâ confirmat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 36, art. 2.

Regula II. — Qui dolet de bono spirituli alterius, non quòd proximum hujusmodi bono carere velit, sed quòd ipse illo careat, non est reus invidiæ. — Hæc enim laudabilis æmulatio est, ut docet S. Thomas loco supra laudato. « Potest, inquit, aliquis tristari de « bono alterius, non ex eo quòd ipse habet bonum, « sed ex eo quòd nobis deest bonum illud quod ipse « habet. Et hoc propriè est zelus. Et si iste zelus sit « circa bona honesta, laudabilis est, secundùm illud « 1 ad Corinthios 14 : *Æmulamini spiritualia.* Hæc « æmulatio non invidiæ, sed charitatis est. Unde ibi- « dem præmittit : *Sectamini charitatem.* Illâ fit ut vir- « tutes proximorum imitemur, adeoque ut de illius « bonis quæ nobis communia sunt, et in quibus su- « mus ipsi similes, gaudeamus. » Atque ita impletur illud S. Augustini consilium, sermone 205, aliàs de Diversis, 68 : « In spiritualibus bonis tuum deputa « quod amas in fratre; suum deputet quod amat in te. »

Regula III. — In genere invidiæ nullum peccatum gravius est fraternæ charitatis invidentiâ. — Peccatum enim est in Spiritum sanctum, quod quidem committunt, qui majora Spiritûs sancti dona in proximis, quàm in se effulgere, magisque Ecclesiæ utiles illos esse dolent. A Moysis charitate longè remoti sunt, cui cùm nuntiâsset puer Eldad et Medad prophetare in castris, et Josue suggereret ut eos prohiberet, respondit, Num. 2 : *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum?* Qui fraternæ charitati invident, sub ovium specie lupi sunt, Christi gregem dilacerantes. Quâ de re S. Cyprianus, in Tract. de Zelo et Livore, ait : « Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam « Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncu- « pet : oves nominat, ut innocentia Christiana ovibus « æquetur; agnos vocat, ut agnorum naturam sim- « plicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu « ovium lupus latitat? Quid gregem Christi, qui se « Christianum mentitur, infamat? Christi nomen in- « duere, et non per Christi viam pergere, quid aliud « quàm prævaricatio est divini nominis, quàm de- « sertio itineris salutaris? Quando ipse doceat et dica; « eum ad vitam venire, qui mandata servaverit; et « eum esse sapientem, qui verba ejus audierit et fe- « cerit; doctorem quoque eum maximum in regno « cœlorum vocari, qui fecerit, et sic docuerit; tunc « prædicanti profuturum quòd benè atque utiliter præ- « dicatum fuerit, si id quod ore promitur, factis se- « quentibus impleatur. Quid verò insinuavit crebriùs « discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita « et præcepta cœlestia custodiendum magis servan- « dumque mandavit, quàm ut eâdem dilectione quâ « discipulos ipse dilexit, nos quoque invicem diliga- « mus? Quòmodò autem vel pacem Domini, vel cha- « ritatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus « potest esse, nec charus? Ideò et Apostolus Paulus, « cùm charitatis merita depromeret, cùmque asseve- « raret firmiter et doceret, nec fidem sibi, nec elee- « mosynas, nec passionem quoque ipsam confessio- « nis et martyrii profuturam, nisi charitatis fœdera « integra atque inviolata servâsset, adjecit, et dixit : « *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas* « *non zelat.* Docens scilicet et ostendens eum posse « charitatem tenere, quisquis magnanimus fuerit et « benignus, et zeli ac livoris alienus. »

Hanc regulam confirmat concilium Carthaginense IV, can. 54, quo sancitum est ut *Clericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoveatur.*

Denique S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 36, art. 4, ad secundum, ait : « Est quædam invidia, quæ « inter gravissima peccata computatur, scilicet invi- « dentia fraternæ gratiæ, secundùm quòd aliquis dolet « de ipso augmento gratiæ Dei, non solùm de bono « proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum san- « ctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodò « invidet Spiritui sancto, qui in suis operibus glorifi- « catur. »

Regula IV. — Tristitia de bonis alienis concepta, eo solùm nomine quòd indignis eveniant, non est peccatum, sed justa indignatio. — Dolere namque licet de malo, quatenùs malum est, vel naturæ, vel morum. Sic absque culpâ stomachatur aliquis, quod opibus abundent, qui malè illis utuntur, quales sunt tum avari, qui illas recondunt, easque ad suas et suorum, atque etiam pauperum necessitates sublevandas impendere nolunt; tum prodigi, qui eas dilapidant et decoquunt. Sic justè dolent viri pii, et Ecclesiæ atque reipublicæ amantes, quòd beneficia et dignitates seculares aut ecclesiasticæ illis conferantur, qui reverà sunt indigni.

Regula V. — Tristitia de temporalibus aliorum bonis concepta, quatenùs ex divinæ Providentiæ ordine etiam improbis distribuuntur, peccatum est, et lethale quidem, si adversùs divinam Providentiam propterea quis insurgat, vel obmurmuret, aut studium pietatis deserat. — Hanc regulam tradit S. Thomas, loco supra laudato. « Secundùm doctrinam fidei, inquit, tempo- « ralia bona, quæ indignis proveniunt, ex juxtâ Dei « ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctio-

« nem, vel ad eorum damnationem, et hujusmodi bona « quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura quæ « servantur bonis. Et ideò hujusmodi tristitia prohibe- « tur in Scripturâ sacrâ, secundùm illud Psal. 36 : « *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris fa- « cientes iniquitatem;* et Psalm. 72 : *Penè effusi sunt « gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem pecca- « torum videns.* Quàm grave sit autem periculum, in « quod hujusmodi tristitia impellit, Propheta ibidem « explicat : *Et dixi : Quomodò scit Deus, et si est scien- « tia in Excelso?* »

Regula VI. — Tristitia de bono alterius, quatenùs nos excedit in bonis, aut nobis coæquatur, peccatum est ex genere suo mortale. — Hæc enim tristitia propriè est invidia. Et hic animi motus semper pravus est, *quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi*, inquit S. Thomas loco supra laudato. Dixi peccatum esse ex genere suo mortale, quia « in- « videre importat aliquid charitati repugnans ex ipsâ « comparatione actûs ad suum objectum. Est enim de « ratione amicitiæ, ut proximis velimus bona, sicut et « nobis ipsis. Unde quòd aliquis de felicitate alterius « tristetur, manifestè repugnat charitati, in quantum « per eam diligitur proximus, » inquit S. Thomas, quæst. 10 de Malo, art. 2. Hinc S. Augustinus, lib. de verâ Religione, cap. 47, ait : « Qui invidet benè can- « tanti, non amat benè cantantem; sed rursùs qui « eo indiget non benè cantat. Quod multò accommo- « datiùs de benè vivente dici potest, quia invidere nulli « potest : quò enim perveniunt benè viventes, tantum- « dem est omnibus, nec minùs fit cùm plures habue- « rint. Et potest esse tempus quo bonus cantator can- « tare non decenter queat, et indigeat voce alterius, « quâ sibi exhibeatur, quod diligit; tanquàm si alicubi « convivetur, ubi eum cantare turpe sit, sed deceat « audire cantantem : benè autem vivere semper decet. « Quare quisquis hoc et diligit et facit, non solùm non « invidet imitantibus, sed et his se præbet libentis- « simè atque humanissimè quantùm potest; nec tamen « eis indiget. Nam quod in illis diligit, in seipso habet « totum atque perfectum. Ita cùm diligat proximum « tanquàm seipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi; « præstat ei quod potest, quia et sibi ipsi; non eo in- « diget quia nec seipso : tantùm Deo indiget, cui ad- « hærendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum. »

Quidam tamen invidiæ motus venialia duntaxat peccata sunt, propter imperfectionem actûs, vel quia motus subitus est, et non procedit ex ratione deliberatâ, vel quia dolet aliquis de bono alterius, quod est adeò parvum, ut vix nomen boni mereri videatur, ut cùm alicui victoriam in ludo aut cursu invidet. *Impedire* igitur *bonum alicujus potest esse absque peccato mortali propter imperfectionem actûs, quia illud quod impeditur non habet plenam rationem boni, aut quia est parvum, aut quia est indebitum*, inquit S. Thomas, loco proximè citato, in resp. ad quartum.

Regula VII. — « Lethalis invidiæ rei sunt artium et « scientiarum professores, qui tironibus suis aut dis- « cipulis abscondunt aliqua ad artis aut scientiæ per- « fectionem necessaria, ne ipsis coæquentur, aut pa- « rem nominis celebritatem obtineant. In idem crimen « incurrunt, qui arcana aliqua reipublicæ profutura « cum nemine mortalium communicare volunt. Gra- « vissimè autem omnium qui doctrinam salutis, cùm « possint et debeant, in ædificationem Ecclesiæ, et « proximorum salutem profundere renuunt; cùm de « cœlesti sapientiâ dictum sit : *Quam sine invidiâ com- « munico, et honestatem illius non abscondo.* »

### Articulus III.

### *De invidiæ remediis.*

Primum remedium contra invidiam est consideratio gravitatis illius criminis, et pœnarum ipsi debitarum. Diabolicum enim crimen est. *Invidiâ diaboli*, inquit, Sap. 2, *mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius.* Considerans nempe hominem per Incarnationem Filii Dei, quæ angelis revelata fuerat, ad infinitam dignitatem promovendum, insidias illi struxit, atque ad peccandum alliciens, è paradiso exturbavit. Vidit, et invidit; cecidit, et ejecit. Invidia *fera* illa *pessima* est, à quâ filium suum Joseph devoratum patriarcha Jacob lugebat. Pejor est avaritiâ : avarus enim licet sua communicare nolit, vult tamen ut alii sua communicent. Invidus autem nec vult communicare bona sua, nec vult quòd alius ea communicet. De ipsâ Dei bonitate dolet, quam erga se duntaxat profusam, erga reliquos omnes parcam et tenacem esse cuperet. Irâ vel odio pejor est : irati enim vel alteri infensi hominis mala voluntas ortum plerumque habet ex alienâ malitiâ et offensâ; invidia verò ex solâ malitiâ invidentis. Invidia mortis Christi causa fuit. Unde Judæi invidiâ tabescentes aiebant : *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit;* et Pilatus *sciebat quòd per invidiam tradidissent eum.* Invidia sapientiam, quæ incomparabilis thesaurus est, aufert homini. Hinc Sap. 6 dicitur : *Neque cum invidiâ tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Invidia paupertatem et ignominiam parit. Unde Proverb. 28 dicitur : *Vir qui festinat ditari et aliis invidet, ignorat quòd egestas superveniet ei;* et Eccli. 6 : *Improperium et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis.* Hinc fugiendam invidorum familiaritatem monet Spiritus sanctus Proverb. 23 : *Ne comedas*, inquit, *cum homine invido, et ne desideres cibos ejus : quoniam in similitudinem arioli et conjectoris, æstimat quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi; et mens ejus non est tecum.*

Secundum remedium est consideratio pusillanimitatis et ignaviæ invidorum. Nobilis enim et excelsus animus ab invidiæ vitio alienus est. Unde Job. 5 dicitur : *Parvulum occidit invidia.* Hinc mulieres et pueri hoc morbo maximè laborant.

Tertium remedium est consideratio societatis spiritualis, quam inter se fideles habent, ut unius Dei Patris, et unius Matris Ecclesiæ filii, ut in eamdem hæreditatem æternam vocati, ut unius corporis membra, cujus caput Christus est. Cujus quidem societatis et

conjunctionis ratione, alterius bona quisque sua existimare debet. Hinc S. Gregorius, in Pastorali P. 3, admonitione 11, ait : « Admonendi sunt invidi, ut per- « pendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu « deficiunt, alienâ exaltatione contabescunt; quantæ « infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deterio- « res fiunt, dùmque augmenta alienæ prosperitatis « aspiciunt, apud semetipsos anxiè afflicti, cordis sui « peste moriuntur. Quid istis infelicius, quos dùm con- « specta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Alio- « rum verò bona, quæ habere non possunt, si dilige- « rent, sua fecissent. Sic quippe sunt universi consi- « stentes in fide, sicut multa membra quæ uno « continentur in corpore : quæ per officium quidem « diversa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, « unum fiunt. Unde fit ut pes per oculum videat, et « per pedes oculi gradiantur; ori auditus aurium ser- « viat, et ad usum suum auribus oris lingua concurrat : « suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. « In ipsâ igitur corporis positione accipimus, quod in « actione servemus. Nimis itaque turpe est non imitari « quod sumus. Nostra sunt nimirùm, quæ etsi imitari « non possumus, amamus in aliis, et amantium fiunt « quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, « charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera « nostra sine labore facit. »

Quartum remedium est alienæ virtutis imitatio. Quâ de re audiendus est S. Augustinus, Enarratione in Psal. 139 : « Isti, inquit, qui falsi justi sunt, videri « volunt justi, cùm non sint; et necesse est ut quem « viderint verum justum, invideant illi, et hoc cum « illo agant, quomodò amittat unde gloriatur. Inde « veniunt omnes seductiones et supplantationes. Hoc « prior ipse diabolus voluit, qui cadens stanti homini « invidit; et quia ipse amisit regnum cœlorum, homi- « nem illuc pervenire noluit, et non vult; et id agit « nunc, ut homo illuc non perveniat, unde ipse dejectus « est. Quia ergo superbus est ipse, et ideò invidus quia « superbus, omne corpus ipsius talium corpus est. « Sed nos oremus contra illum qui corrigi non potest, « et pro ipsis qui possunt, ut dicamus homini injusto : « quare invides justo, ô homo injuste? Quia vis videri « justus? Citò fac quod melius est, et faciliùs eris « quod vis videri. Esto justus : ita diliges cui invide- « bas; quia quod illum doles esse, eris et tu, et ama- « bis in eo te, et ipsum in te. Etenim si invideres di- « viti, non esset in potestate tuâ ut dives esses; si in- « videres honesto alicui senatori nobili, non esset in « potestate tuâ ut nobilis tu esses et clarus; si invide- « res pulchro, nunquàm te pulchrum faceres; si invide- « res forti et valido, nunquàm tibi vires dares : si « invides justo, res in voluntate est; esto quod doles « esse alterum. Non enim empturus es quod tu non « es, et alius est : gratis constat, citò constat. *Pax in « terrâ hominibus bonæ voluntatis.* » (Luc. 2.)

Quintum remedium est rerum humanarum, suâpte naturâ fragilium et caducarum despicientia; ut scilicet nec opes, nec potentiam, nec gloriam, nec honores et dignitates, nec robur corporis, nec elegantiam formæ, nec eloquentiam, magni faciamus. Hæc enim instrumenta quidem sunt virtutis iis qui rectè utuntur; sed felicem per se non efficiunt hominem; imò qui ipsis abutitur, miser est, adeòque commiseratione dignus, non invidiâ : si autem his rectè utatur, eâ de re gaudendum, non invidendum est. Non in rebus fluxis et caducis bonum constituimus, sed ad sempiterna veraque bona possidenda vocati sumus : quid ergo ob fragilia perituraque proximis invidemus? (S. Basilius, homil. de Invidiâ.)

Sextum remedium est studium spiritalis profectûs ex insignium et celebrium concionatorum et doctorum concionibus et doctrinâ capessendi. Ita enim fiet, ut eorum famæ laudibusque non invideamus, sed eorum bonis, ut nostris, gratulemur. « Tuum « enim est bonum, inquit S. Basilius, tibique per « fratrem missum doctrinæ donum, si suscipere velis. « Deinde fontem scaturientem obturat nemo, et sole « splendente nemo oculos obvelat, neque illis invidet, « sed sibi ipsi comprecatur ut frui contingat. Sermo- « nis verò spiritualis pia corda fidelium sancti Spiritûs « gratiâ irrigantis auditum cum gaudio cur non susti- « nes? Cur non grato animo utilitatem illius acceptas? « sed auditorum plausus te offendit? Et malles nec « qui adjutus inde sit, nec qui laudet quemquam esse? « Quam excusationem apud justum Judicem habebis? »

### Articulus IV.

### *De filiabus invidiæ.*

Invidia capitale vitium est, quod quinque filias parit, scilicet odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, et afflictionem in prosperis, ut docet S. Gregorius, lib. 31 Moralium, cap. 17. In conatu enim invidiæ aliquid tanquàm principium, aliquid tanquàm medium, aliquid tanquàm terminus spectari potest. Principium est, ut aliquis gloriam alterius minuat; vel in occulto, et sic est *susurratio;* vel manifestè, et sic est *detractio.* Medium est, quia invidus aut proximi gloriam minuere potest, ideòque præ gaudio tripudiat, et sic *exultatio in adversis* inter invidiæ filias numeratur; aut non potest, et ideò mœrore tabescit, et sic *afflictio in prosperis* inter invidiæ filias recensetur. Terminus autem est ipsum *odium*, quia sicut bonum delectans parit amorem, sic tristitia parit odium, ut disserit S. Thomas secundâ secundæ, quæst. 36, art. 4, in resp. ad tertium.

### Articulus V.

## Regulae morum, filias invidiae spectantes.

Regula prima. Odium proximi ex invidiâ natum lethale peccatum est, quoties alteri grave aliquod malum deliberato consilio volumus.—Hæc morum regula ex verbo Dei deprompta est. Ait enim S. Joannes, Epist. 1, cap. 2 : *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Et infrà : *In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum : quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio,*

*ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa... Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte : omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* In quem locum S. Augustinus, tract. 6 in illam Epistolam, ait : « Jam ergo si contemnebat quisquam odium fra- « ternum, numquid et homicidium in corde suo con- « tempturus est? Non movet manus ad occidendum « hominem, homicida jam tenetur à Domino : vivit « ille, et iste jam interfector judicatur. » Et paulò superiùs : « Ubi est invidia, amor fraternus esse non « potest. Qui invidet, non amat. Peccatum diaboli est « in illo : quia et diabolus invidendo dejecit. Cecidit « enim, et invidit stanti. Non ideò voluit dejicere ut « ipse staret, sed ne solus caderet. Tenete in animo « ex hoc quod subjecit, invidiam non posse esse in cha- « ritate. Habes apertè cùm laudaretur ipsa charitas, « *Charitas non æmulatur.* (1 Cor. 13.) Non fuit charitas « in Cain; et nisi esset charitas in Abel, non ac- « ciperet Deus sacrificium ejus. Cùm enim ambo ob- « tulissent, ille de fructibus terræ, ille de fœtibus ovium, « quid putatis, fratres, quia Deus fructus terræ ne- « glexit? Non intendit Deus ad manus; sed in corde « vidit : et quem vidit cum charitate offerre, ipsius sa- « crificium respexit; quem vidit cum invidiâ offerre, « ab ipsius sacrificio oculos avertit. Opera ergo « bona Abel non dicit nisi charitatem : opera mala « Cain non dicit nisi odium fraternum. Parùm est quia « odit fratrem suum, et invidit operibus bonis : quia « imitari noluit, necare voluit. Et hinc apparuit quia « filius erat diaboli, et ille hinc apparuit justus « Dei. Hinc ergo discernuntur homines. Nemo atten- « dat linguas, sed facta et cor. »

Regula II. — Qui proximos oderunt, et ab illis dissident, sacramentaliter absolvi non possunt, et ad Eucharistiæ participationem admitti, nisi depositis inimicitiis, cum ipsis reconciliati fuerint. — Christi verbis ac præcepto nititur hæc morum regula, Matth. 5, dicentis : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Quam Salvatoris nostri sententiam S. Augustinus explicans, lib. 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 10, ait : « Pergendum est ergo ad reconciliatio- « nem, cùm in mentem venerit quòd nos fortè fratrem « in aliquo læsimus; pergendum autem non pedibus « corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu « prosternas fratri, ad quem charâ cogitatione cucur- « reris, conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita « enim etiamsi præsens sit, poteris eum non simulato « animo lenire, atque in gratiam revocare veniam po- « stulando, si hoc priùs coram Deo feceris, pergens « ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo di- « lectionis affectu; atque inde veniens, id est, inten- « tionem revocans ad id quod agere cœperis, offeres « munus tuum. »

Hunc etiam locum appositè explicat ad rem nostram S. Joannes Chrysostomus, homilià 16 in Matth. : « O « admirabilem, inquit, benignitatem, atque ineffabi- « lem erga homines amorem Dei! Honorem suum de- « spicit, dùm in proximo charitatem requirit. Inter- « rumpatur, inquit, cultus meus, ut charitas tua inte- « gretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. « Propterea quippe non dixit : Postquàm obtuleris, « aut priusquàm offeras; sed, munere ipso jam posito, « et inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fra- « trem. Quam igitur ob causam istud fieri jubet? Duo « sunt quæ per ista designat. Unum quidem, quod jam « dixi, ostendere scilicet volens quòd honoret maximè « charitatem, et hanc acceptissimum esse sacrificium « ducat; absque istâ verò nec illud profectò suscipiat. « Aliud verò quò irrefutabilem quamdam necessitatem « reconciliationis imponat. Qui enim jussus est non « priùs munus offerre quàm reconcilietur offenso, « etiamsi non ob proximi charitatem, saltem ne sacri- « ficium maneat imperfectum, currere ad contristatum « jubet, inimicitiasque dissolvere. Propterea et diser- « tè cuncta memoravit, terrens illum videlicet ac su- « scitans. Cùm enim dicitur : *Relinque munus tuum;* « non ibi substitit, sed intulit, *ante altare;* rursùs ab « ipso etiam loco horrorem injiciens : *et vade;* nec « tantùm dicit : *vade*, sed adjunxit : *priùs, et tunc ve- « niens offeres munus tuum*, per omnia ista significans « quia per aliquas inter se inimiticias dissidentes ne- « quaquàm mensa illa suscipiat. Audiant hi qui sacris « mysteriis initiati, cum inimicitiis ad communionem « altaris accedunt. Audiant etiam illi qui nondùm ini- « tiati sunt. Offerunt namque et ipsi munus et hostiam, « orationem dico et eleemosynam. Quia enim et hæc « sacrificii instar obtineant, audi Prophetam loquen- « tem, Psal. 49 : *Sacrificium laudis honorificabit me;* « et rursùm, Psalm. 140 : *Immola Deo sacrificium lau- « dis;* et : *Elevatio manuum mearum sacrificium vesper- « tinum.* Itaque etiamsi orationem cum tali offeras vo- « luntate, melius est orationem relinquere, et ad « reconciliationem fratris excurrere, et tunc oratio- « nem consequenter offerre. Propter hoc enim facta « sunt omnia. Idcircò et Deus homo factus est, atque « omnia illa gessit, ut nos in unum sine dubio congre « garet. »

Hanc morum regulam sacri canones confirmant. Concilium Carthaginense IV, can. 93 : *Oblationes*, inquit, *dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.*

Concilium Arelatense II, can. 50 : *Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab ecclesiasticis conventibus sunt removendi, donec ad pacem recurrant.*

Concilium Aquisthense, can. 31 : *Placuit ut, sicut plerùmque fit, quicumque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint, et ad pacem revocari diutinâ intentione nequiverint, à civitatis primitus sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosâ intentione nolucrint, de Ecclesiæ cœtu iustissimâ excommunicatione pellantur.*

Concilium Ilerdense, can. 7 : *Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à communione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, flelibus, et quantis potuerit jejuniis abluat; ad charitatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.*

Concilium Toletanum XI, can. 4 : « Sicut omnis qui « diligit fratrem suum ex Deo, ita omnis qui non dili- « git proximum ex diabolo est : dilectione enim solâ « discernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente « Joanne, 1 Epist. : *In hoc manifesti sunt filii Dei et « filii diaboli : omnis qui non facit justitiam, non est de « Deo, et qui non diligit fratrem suum....* Et post pau- « lulùm : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est...* « Cùm igitur his præceptis beatus Apostolus consonâ « prædicatione concordet, dicens, Ephes. 4 : *Non oc- « cidat sol super iracundiam vestram, et nolite locum « dare diabolo;* relatæ sunt nobis quorumdam sacer- « dotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse « discordiam, ut non solùm illos ab irâ occasus solis « non revocet, sed nec annosa quidem transactio tem- « porum ad bonum charitatis reclinet : quippe in quo- « rum cordibus ita sol justitiæ Christus occubuit, ut « ad lumen charitatis redire vix possint. Horum igitur « et similium discordantium fratrum oblationes, juxta « antiqui canonis definitionem, nullo modo recipiendas « esse censemus. De personis tamen discordantium id « specialiter definitione præcipimus, ut antequàm eos « reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere « ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis « sanctæ percipiat; sed, geminato tempore per pœni- « tentiam compensabunt quod discordiæ servierunt. « Quòd si unus eorum, alio contemnente, ad satisfa- « ctionem charitatis cucurrerit, ex eo tempore, ut pa- « cificus intra Ecclesiam receptetur, ex quo ad con- « cordiam festinâsse convincitur; sententiâ tamen « superiori servatâ, ut tempus quod quisque in irâ « expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione « persolvat. »

Concilium Troflejanum, can. 12 : « Cohibenda est « iracundia, pellenda discordia, refrænanda est rixa, « ut non solùm nostro vitio non provocemus quem- « quam, sed ut provocati, et graviter læsi, juxta Pauli « vocem, simus cum patientiâ supportantes invicem, « et donantes nobismetipsis, si quis adversùs ali- « quem habet querelam. Sicut Deus in Christo dona- « vit nobis, ita et nos dimittamus invicem quod debe- « tur nobis, ut dimittatur quod debetur à nobis. Tale « quippe pactum cum Deo facimus in oratione, di- « cendo : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos « dimittimus debitoribus nostris.* Unde summoperè « cavendum est omnibus nobis. Qui enim non dimit- « tit ei qui sibi facit injuriam, hoc petendo non pro « se facit orationem, sed superinducit maledictionem; « et frustra sibi Deum propitium fieri quærit, qui « placari proximo negligit. Et quia tales ab eo qui « pax est, separati sunt, jure et ab Ecclesiâ separa- « rantur, nisi inimicitias deposuerint. » Quod ubi confirmavit recitatis conciliorum Carthaginensis IV, et Agathensis canonibus, ita concludit : « Quorum « igitur oblatio in præsentis Ecclesiæ non recipitur « sacrario, horum procul dubio animæ à cœlestis « sacrarii, scilicet regni Dei repelluntur consortio. »

Concilium Nannetense, can. 1, statuit « ut domi- « nicis et festis diebus presbyteri, antequàm Missas « celebrent, interrogent, si aliqui discordantes sint, « qui inter se litem implacabilem habeant. Et si in- « venti fuerint, statim reconcilientur. Quòd si re- « nuerint pacem suscipere, ab Ecclesiâ ejiciantur, « usquequò ad charitatem redeant. Non enim pos- « sumus munus vel oblationem ad altare offerre, « donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis, « sacerdotes Missarum solemnia ritè peragant. »

Regula III. — Susurratio, id est, secreta oblocutio, quâ quis malum culpæ alienæ, vel pœnæ, vel aliquem etiam naturæ defectum, inordinatè cupiam renuntiat, eo fine ut justam, quæ inter eos intercedit, amicitiam lædat, aut dirimat; aut ea detegit imprudens, quæ rectam et laudabilem amicitiam graviter lædere aut dissolvere valeant, vel suâpte naturâ, vel ratione personarum apud quas referuntur : lethale peccatum est. — Hæc morum regula nititur auctoritate veteris novique Testamenti, susurrationem inter gravia quæque crimina recensentis, et divinam maledictionem susurronibus intentantis. Levitici 19 : *Non eris criminator, nec susurro in populo;* et Proverbiorum, cap. 6 : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias;* et cap. 26 : *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, et susurrone subtracto jurgia conquiescent.* Ecclesiastici 28 : *Vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam... Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.* « Susurro bilinguis propriè dicitur. Cùm enim « amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utrâque « parte amicitiam rumpere, et ideò duabus linguis « utitur ad duos, uni dicens malum de alio, » inquit S. Thomas 2-2, quæst. 74, a. 1, ad tertium. Unde et lingua susurronis vocatur ibidem lingua tertia. *Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Ecclesiastici cap. 5 : *Non appelleris susurro, et linguâ tuâ ne capiaris, et confundaris. Super furem enim est confusio, et pœnitentia, et denotatio* (1) *pessima super*

(1) Denotatio, id est, *condemnatio.*

*bilinguem; susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia.* Epistolæ ad Romanos cap. 1 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate,* SUSURRONES, *detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordiâ. Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Hanc regulam confirmat concilii Tridentini Catechismus part. 3, in explicatione octavi præcepti Decalogi, § 17; ubi enim de obtrectatoribus et maledicis locutus est, subjungit : « In eodem genere sunt, qui « suis artificiis distrahunt homines et inter se com- « mittunt, magnoperèque ferendis discordiis delectan- « tur; ut summas conjunctiones ac societates fictis « sermonibus dirimentes, amicissimos viros ad im- « mortales inimicitias et ad arma compellant. Tales « erant multi ex consiliariis Saülis, qui ejus volun- « tatem à Davide alienare et in illum regem incitare « conabantur. » 1 Regum 24.

REGULA IV. — In susurrationis peccatum non incurrit qui malum proximi renuntiat alteri, vel ad salutem ipsius procurandam, vel ob Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitatem; vel ut amicorum suorum bono consulat, vel ut pravas et in damnum alterius conspirantes amicitias dissolvat. — Non sunt igitur susurrationis rei qui superiori mala subditorum revelant, ad eorum emendationem, vel boni publici gratiâ, puta ne ad sacros ordines promoveatur canonicis impedimentis irretitus, ne ad beneficium ecclesiasticum promoveatur indignus; ne ad monasticam professionem admittatur, qui secundùm canones, aut regulas, vel constitutiones religiosorum ordinum, ad eam vel absolutè, vel in tali ordine emittendam ineptus est; ne matrimonium contrahere permittantur, quos à contrahendo, vel absolutè, vel inter se, lex divina vel ecclesiastica impedit; ne aditus ad aulam pateat suspectæ fidei viris, vel adversùs salutem principis conjuratis; ne divini verbi prædicatio, confessionum audiendarum munus, docendi provincia hominibus errores contra fidem aut bonos mores clam disseminantibus, seu prava quæcumque dogmata tradentibus, aut ad novitates doctrinarum propensis, sive mente et corde corruptis demandentur. Non sunt etiam susurrones, qui puellæ, aut ejus parentibus, ex charitate aut amicitiâ vitia aut veros defectus alicujus hominis aperiunt, qui puellæ ipsius nuptias ambit, et in eorum affinitatem per fraudes et dolos irrepere nititur. Susurronibus denique non sunt annumerandi, qui mala alienæ culpæ, aut pœnæ, vel naturales defectus aperiunt alteri, eo fine ut dissolvant amicitiam utriusque saluti periculosam, aut in grave scandalum aliorum vergentem; ut si quis inter concubinam et concubinarium discordiam excitet eo fine ut infame illorum contubernium dissolvat.

REGULA V. — Venialis est susurratio, cùm quis per jocum amicorum uni renuntiat aliquid de altero, quod scit ingratum ipsi fore, et ex eo nonnihil commotum iri adversùs amicum, non tamen ita ut amicitia dissolvatur aut labefactetur. — In eâ enim hypothesi nec amicos disjungere, aut gravem inter illos discordiam serere intendit; nec quæ dicit homo leviculus et facetus, talia sunt ut suâpte naturâ, aut habitâ ratione personarum, amicitiam infringere, aut graviter lædere valeant; et si leves aliquæ suspiciones, vel contentiones hinc inter amicos oriantur, certus est se illas protinùs dissipaturum ac sedaturum, quia apud utrumque auctoritate valet, utrique amicus est, novit uterque ipsum ad jocos hujusmodi, aliàs periculosos, proclivem. His, inquam, circumstantiis concurrentibus, susurratio veniale duntaxat peccatum est.

REGULA VI. — Susurratio peccatum est detractione gravius. — Peccatum namque in proximum eò gravius est, quò per ipsum gravius damnum proximo infertur; damnum autem eò gravius censendum est, quò majus et excellentius bonum ipsi eripitur. Inter cætera verò exteriora bona præeminet amicus. Unde dicitur Ecclesiastici c. 6 : *Amicus fidelis, protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis, et qui metuunt Dominum, invenient illum.* Fama autem ipsa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. *Et ideò susurratio est majus peccatum quàm detractio, et etiam quàm contumelia, quia amicus est melior quàm honor,* inquit S. Thomas, 2-2, quæst. 74, a. 2.

REGULA VII. — Susurrationis peccatum aliud altero gravius est, non solum ratione finis, quo fit interdùm ut novæ deformitatis accessione cumuletur, seu ad alteram quoque peccati speciem pertineat; sed etiam ratione aliarum circumstantiarum. — Gravius est scilicet peccatum susurronis, qui discordiam serit inter virum et uxorem, ut ipsius uxoris amplexibus fruatur, quàm si nullâ aliâ nisi susurrandi libidine eorum concordiam turbet, quia non solùm susurrationis, sed etiam adulterii reus est. Sed et susurratio quâ quis alteri conjugum renuntiat absolutè aliquid de altero quod ipsorum amorem dirimere aut labefactare possit, graviùs peccat intra eamdem speciem, quàm si necessitudines alias, quarum non ita sacrum nec strictum vinculum est, disrumpere niteretur. Sic graviùs peccat susurro qui patrem ita commovet in filium, ut ipsum exhæredet aut duriùs tractet; vel qui domino aliquid renuntiat de servo, quo fit ut ipsum è domo suâ expellat, aut graves adversùs illius fidelitatem suspiciones concipiat, aut ipsum excipiat acerbiùs; vel aulicus qui in aurem principis aliquid ex invidiâ insusurrat de altero, quod ejus animum ab illo ita abalienet, aut abalienare possit, ut gratiâ suâ, et beneficiis, et muneribus vel officiis illum privet, illique aulæ aditu interdicat; idque molitur, ut de illius infortunio crescat, ut in ejus locum adrepat; vel qui susurrationi-

bus suis bella sive intestina, sive externa accendunt, quales erant multi ex consiliariis Saülis, qui ejus voluntatem à Davide alienare, et in illum Regem concitare conabantur, 1 Reg. cap. 12 et 14. Illi, inquam, gravius susurrationis peccatum committunt, quàm si vulgares conjunctiones et amicitias oblocutionibus suis dirimere aut perturbare conarentur. Unde circumstantiæ hujusmodi in sacramentali confessione sunt necessariò exprimendæ : sic graviùs peccant susurrones, qui religiosorum hominum, vel sanctimonialium amicitiam dirimunt, aut subditos adversùs prælatos et superiores commovent; unde fit ut disciplina regularis solvatur, vel remittatur; ordo et pax monasteriorum vel aliarum societatum sanctarum turbetur, partes fiant et conventicula, nascantur lites, scandala oriantur. Cùm enim sanctior sit fratrum et sororum in eâdem familiâ religiosâ Deo servientium, quàm secularium amicorum societas et amicitia, et versus ille Psalmi 132 : *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum*, ad eos magis propriè pertineat, *qui sic vivunt in unum ut unum hominem faciant, ut sit illis verè quod scriptum est : Act. 4*: Anima una et unum cor ; *multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda*, ut docet S. Augustinus, Expositione in hunc Psalmum. Graviùs peccat susurro, qui discordias serit inter monachos aut sanctimoniales, quàm qui secularium amicorum concordiam sive amicitiam labefactat aut perturbat.

Regula VIII. — Susurro qui secretis oblocutionibus amicos disjunxit, aut legitimam illorum amicitiam graviter læsit atque labefactavit, absolvi non debet, donec illos, quoad ejus fieri poterit, inter se reconciliet; aut si id præstare non potest, pro damnis inde secutis, judicio viri probi satisfaciat. — Regula enim generalis est moralis christianæ, peccata quæ grave damnum proximo inferunt, à Deo non remitti, nisi damna illata resarciantur, juxta illam S. Augustini sententiam, quæ et inter juris regulas, in sexto, cap. *Peccatum*, quarta est : *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Regula IX. — Nihil unquàm de aliis referre debet Christianus, quod dissidia fovere vel excitare possit; alioqui susurrationis reus est. — Hinc dicitur Ecclesiastici 19 : *Audisti verbum adversùs proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* Præclarum hâc de re documentum ex Monicæ matris suæ sanctissimæ exemplo S. Augustinus tradit libro 9 Confessionum, cap. 9 : « Hoc quoque, inquit, illi bono « mancipio tuo, in cujus utero me creâsti, Deus meus, « misericordia mea, munus grande donaveras quòd « inter dissidentes atque discordes quasque animas, « ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cùm ab « utrâque multa de invicem audiret amarissima, quæ « lia solet eructare turgens atque indigesta discordia, « quando præsenti amicæ de absente inimicâ per acida « colloquia cruditas exhalatur odiorum, nunquàm tamen alteri de alterâ proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. » Hinc S. Hieronymus, epistolâ 2 ad Nepotianum, scribit : « Officii tui est visitare languentes, nôsse domos matronarum, ac liberos earum, et nobiliorum virorum custodire secreta. Officii tui est non solùm oculos castos servare, sed et « linguam. Nunquàm de formis mulierum disputes, « nec quid agatur in aliâ, domus alia per te noverit... « Omnium Christianorum domos debemus amare quasi « proprias. »

Regula X. — Detractio seu obtrectatio, quâ quispiam alienam famam labefactat penitùs, aut graviter lædit, extenuat, verba maledica profert, quibus pessumdari, graviter lædi, aut extenuari potest, lethale peccatum est. — Nam Apostolus, cap. 1 Epistolæ ad Romanos, detractores illis peccatoribus annumerat, qui digni sunt morte : *Detractores*, inquit, *Deo odibiles..... Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et 1 ad Corinth. 6 : *Neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et S. Jacobus, Epistolæ suæ catholicæ cap. 4 : *Nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem.* Detrahit legi, quatenùs contemnit præceptum de dilectione proximi. Mala quæ à linguâ maledicâ proveniunt, ibidem S. Jacobus describit, cap. 3 : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam frœno circumducere totum corpus. Si autem equis frœna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus; ecce et naves, cùm magnæ sint, et à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit, ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehennâ. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt à naturâ humanâ; linguam autem nullus hominum domare potest; inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsâ benedicimus Deum et Patrem, et in ipsâ maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque falsa dulcem potest facere aquam.* Sed et veteris Testamenti Scriptura de detractione ceu de gravi peccato loquitur, Psalm. 56 : *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus;* Proverbiorum cap. 24 : *Abominatio hominum detractor... Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum; et ruinam utriusque quis novit?* et Ecclesiastis 10: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minùs habet qui occultè detrahit;* Ecclesiastici 28 : *Flagelli plaga livorem facit. Plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii; sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.*

Criminis istius gravitatem SS. Patres ostendunt. S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 3 ad populum Antiochenum : « Detrahens, inquit, fraternas carnes co-

« medit, proximi carnem momordit. Propterea et Paulus terruit, dicens Galat 5 : *Si autem vos invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* « Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, « improbam suspicionem infixisti, vulnerâsti, innumeris affecisti malis et te ipsum, et illum, et alios plures; etenim audientem pejorem fecisti, proximum « calumnians. Sive enim peccator sit, in arrogantiam « tollitur, et inflatur ex aliorum peccato, magna de se « ipso sentire persuasus. Insuper communem Ecclesiæ « statum læsisti; non enim omnes audientes peccatorem solùm accusant; sed opprobria Christianorum « genti infliguntur. Ad hæc, Dei gloriam blasphemari « fecisti; sicut enim nobis laudabiliter viventibus Dei « nomen glorificatur, sic peccantibus blasphematur, et « contumeliâ afficitur. Quartum, malè audientem confudisti, et sic impudentiorem reddidisti, inimicum « et hostem reddens. Quintum, te ipsum pœnæ et castigationis reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens. Ne quis enim hoc mihi dicat : Tunc detraho « quando falsa dico; si autem vera dico, minimè. Nam « licet vera loquens maledixeris, et hoc est crimen. « Etenim Pharisæus ille Publicano veridicus maledixit, « sed tamen hoc ipsi nihil profuit. Dic enim mihi, Publicanus non erat Publicanus et peccator? Cuique « certum est quòd Publicanus erat, sed quoniam ipsum « vituperavit Pharisæus, abiit omnibus amissis..... « Fugiamus igitur, dilecti, fugiamus detractiones, docti « quòd est totum satanicum barathrum insidiarum ejus « hæc insessio. Ut enim nostra negligamus, et graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit; imò verò non solùm inest « hoc malum, quòd tunc rationem dabimus eorum « quæ diximus, sed etiam quòd peccata nostra sic graviora faciemus, omni nos excusatione privantes. « Acerbè enim aliena exquirens, in suis excessibus « nullam unquàm veniam nanciscetur.... Eliminemus « igitur omnem ex ore nostro detractionem, scientes « quòd et si cinerem comedamus, nulla nobis asperæ « vitæ hujus utilitas proderit, nisi à detractione abstineamus : *Non enim quæ intrant, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore.* » Matth. 15.

Et homiliâ 43 in Matthæum : « Diabolicus certè hic « maledicendi laqueus est, et peccatum nullam voluptatem, sed damnum tantùm afferens, et magnum « delictorum acervum efficiens. Quòd si quis perniciosis humoribus plenus, ægrotationis laborem non effugiet, multò magis qui hanc omni cholerâ amariorem malignitatem in se ipso recondit atque « conservat, ultimi atque perpetui doloribus morbi laborabit. »

S. Hieronymus in cap. 10 Ecclesiastis : « Serpens, « inquit, et detractor æquales sunt. Quomodò enim « ille occultè mordens venenum inserit, sic iste clam « detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem. »

Idem S. Hieronymus, sive S. Paulinus, in Epistolâ ad Celantiam, quâ matrem-familiàs instituit : « Nulli « unquam omninò detrahas, nec aliorum vituperatione « te laudabilem videri velis. Magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere. Ac semper « Scripturæ memor esto, dicentis : *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Pauci admodùm sunt qui huic vitio « renuntient; raròque invenies, qui ita vitam suam « irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter « reprehendant alienam; tantaque hujus mali libido « mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremun diaboli laqueum incidant, »

S. Augustinus, lib. 2 de Baptismo contra Donatistas, cap. 7 : « An levius, inquit, putatur, quod gladio minante, quàm quod linguâ insidiante committitur? » Et tractatu 5 in Joannem : « Illi graviùs cor feriunt, « qui linguæ gladio feriunt. »

S. Bernardus, serm 24 in Cantica : « Videas, inquit, « ambulare seorsùm, convenire sibi et sedere pariter « moxque laxare procaces linguas in detestandum su « surrum. Una uni conjungitur, nec spiraculum incedit « in eis; tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu « celebratur odiosa collatio. Haud secùs egêre quondam « Herodes et Pilatus, de quibus narrat Evangelium, « quia facti sunt amici in die illâ, hoc est, in die Dominicæ Passionis. Convenientibus sic in unum, non « est Dominicam Cœnam manducare, sed magis propinare et bibere calicem dæmoniorum; dùm importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe « juxta Prophetam Jerem. 9 : *Intrat mors per fenestras « nostras;* cùm prurientes auribus et oribus, lethale « poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium; quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo, « Rom. 1 : *Detractores Deo odibiles.* Quam sententiam « Deus ipse loquens in psalmo, audi quomodò confirmat : *Detrahentem*, inquit, *secretò proximo suo, hunc « persequebar.* Nec mirum, cùm id præcipuè vitium « charitatem, quæ Deus est, et quidem cæteris acriùs, « impugnare et persequi cognoscatur... Omnis qui detrahit, primùm quidem se ipsum prodit vacuum « charitate; deinde quid aliud detrahendo intendit « nisi ut is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem « in omnibus qui se audiunt lingua maledica, et « quantùm in se est, necat funditùs et extinguit; non « solùm autem, sed et in absentibus universis, ad quos « volans verbum fortè per eos qui præsentes sunt, pervenire contigerit. Vides quàm facilè et in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens « sermo tabe malitiæ hujus inficere possit? Propterea « dicit de talibus propheticus Spiritus, Psalm. 13 : « *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, « veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* utique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Unus « est qui loquitur, et unum tantùm verbum profert; « et tamen illud unum verbum uno in momento multitudinis audientium dùm aures inficit, animas inter-

« ficit. Cor siquidem felle livoris amarum, per linguæ « instrumentum spargere nisi amara non potest, di- « cente Domino, Luc. 6 : *Ex abundantiâ cordis os to- « quitur*. Et sunt species pestis hujus, dùm alii quidem « nudè atque irreverenter, uti in buccam venerit, vi- « rus evomant detractionis; alii autem quodam simu- « latæ verecundiæ fuco conceptam malitiam quam « retinere non possunt, adumbrare conentur. Videas « alta præmitti suspiria, sicque quadàm cum gravitate « et tarditate, vultu mœsto, dimissis superciliis, et « voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tantò « persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, « corde invito, et magis condolentis affectu, quàm « malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro « eo quòd diligo eum satis, et nunquàm potui de hâc « re corrigère eum. Et alius : Mihi quidem, ait, benè « compertum fuerat de illo istud, sed per me nun- « quàm innotuisset. At quoniam per alterum pa- « tefacta est res, veritatem negare non possum; do- « lens dico, reverà ita est. Et addit : Grande dam- « num ! Nam aliàs quidem in pluribus valet, cæterùm « in hâc parte, ut verum fateamur, excusari non po- « test. »

Et sermone 17 de Diversis, qui de triplici custodiâ manûs, linguæ et cordis, inscribitur : « Utinam, « inquit, vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis, « sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur, « nec modò ipsi amittere, sed adimere quoque, et hoc « fratribus suis. An non amittunt vitam detractores « Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit; et « quos vita fugit, mori necesse est. An non et ipse « moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada de- « tractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei di- « lectionis vita subtrahitur; et dùm nescit, paulatim « in eo fraterna charitas refrigescit. Auditurus est for- « sitan ipse quoque cui detrahitur; undique enim verba « volant, et multorum priùs ora sermo pertransiens, « difficilè fieri potest quin singulorum creverit linguis, « et quasi jam provectus referatur ad eum cujus spe « ctat offensam. Itaque scandalizabitur audiens, et ta- « bescet, eòque faciliùs extinguetur in eo charitas « quò ampliùs ante vivere videbatur. *Si inimicus*, ait « Psalm. 54, *meus maledixisset mihi, sustinuissem uti- « que*, et quidem cavet sibi prudens auditor, cavet et « ipse, si non desipit, qui sibi noverit esse detractum; « ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbe- « tur. Sed quod in se est tamen, lingua maledica et illius « percutiens conscientiam, et istius vulnerans chari- « tatem, secum pariter utrumque peremit. Numquid « non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimi- « rùm quæ tam lethaliter tres inficit flatu uno. Num- « quid non lancea est ista lingua? Profectò et acutissi- « ma, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua*, inquit, *eo- « rum gladius acutus*. Gladius equidem anceps, imò « triceps est lingua detractoris. Nec verò ejusmodi lin- « guam ipso etiam mucrone quo Dominicum latus « confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit « enim hæc quoque Christi corpus, et membrum de « membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime « fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi « tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiam « clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et « pedibus consummata judaicæ gentis iniquitas infixit. « Nisi enim hujus quod nunc pungitur et transfoditur, « corporis vitam, sui vitæ corporis prætulisset, nun- « quàm illud pro isto, mortis injuriæ, crucis ignomi- « niæ tradidisset. Et dicimus : Levis res est sermo. « Levis quidem res, quia leviter volat, sed graviter « vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter « penetrat animum, sed non leviter exit; profertur « leviter, sed non leviter revocatur; facilè volat, at- « que ideò facilè violat charitatem. »

Hanc morum regulam confirmat S. Thomas, 2-2, quæst. 73, a. 2 : « Peccata verborum, inquit, maxi- « mè sunt ex intentione dicentis judicanda. Detractio « autem secundùm suam rationem ordinatur ad deni- « grandam famam alicujus. Unde ille per se loquendo « detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo absente, « ut ejus famam denigret. Auferre autem alicui fa- « mam, valdè grave est; quia inter res temporales vi- « detur fama esse pretiosior, per cujus defectum im- « peditur homo à multis benè agendis; propter quod « dicitur, Ecclesiastici 41 : *Curam habe de bono nomine, « hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri « magni pretiosi*. Et ideò detractio, per se loquendo, « est peccatum mortale. » Et, articulo 3, docet, detra- ctionem gravius esse furto peccatum, quia *fama præ- minet divitiis, eò quòd propinquior est spiritualibus bo- nis*. Undè dicitur, Proverb. 22 : *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Homicidium quidem gravius est detractione peccatum; sed tamen detractio homicidii malitiæ et crudelitati proxima est, tum quia ex odio et invidiâ procedit, et *qui odit fratrem suum homicida est*; tum quia homicidia interdùm ex detractione originem habent, adeòque detractori imputantur; tum quia ple- rique homines magnanimi mori mallent, quàm infa- miæ suæ superstites vivere. Hinc Tertullianus, lib. de Idololatriâ, cap. 2 : « Homicidium, inquit, non in solâ « sanguinis profusione, et animæ ereptione reputan- « dum. Homicidium enim in verbo maledicti vel con- « vicii judicat Deus. » Atque detractoribus accommo- dari meritò potest quod Optatus Milevitanus ait de Donatistis, qui sacerdotes in Ecclesiâ catholicâ ordi- natos gradu movebant, eisque velut pœnitentibus ma- nus imponebant : « Vos vivum fecistis homicidium... Ad « infigendum morsum honoribus alienis, dentes ve- « stros in sagittas et arma vertistis; linguas acuistis « in gladios, quas movistis in mortes non corporum, « sed honorum. Jugulâstis non membra, sed nomina. « Quid prodest quia vivunt homines, et occisi sunt ho- « nores à vobis? Valent quidem membris, sed ereptæ « portant funera dignitatis. Certè non licet occidere. An « ideò vos putatis innocentes, quia ferro usi non estis? In- « nocentem se et venenarius judicet, si in solo ferro est « homicidium. Non sibi videatur reus, qui alterum sub- « ducto cibo necaverit. Innocentem se judicet, qui spi- « randi prohibitâ facultate, suffocaverit vivere cupien- « tem. Necis multa sunt genera, sed unum nomen est

« mortis. Maledictionibus tuis cum fiduciâ hominem mortuum protestaris. Quid interest an gladio ferias, an linguâ percutias? Indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui vivebat..... Dei episcopos linguæ gladio jugulàstis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. »

Regula XI. — Non est reus detractionis, qui alterius peccatum, seu malum quodcumque alicui patefacit, boni cujuspiam procurandi aut promovendi gratiâ, modò debitæ circumstantiæ serventur. — Sic occultum proximi peccatum, propter ejus emendationem, denuntiare licet superiori, servato priùs præcepto correptionis fraternæ. Sic grave crimen alterius, publicis legibus plectendum, prodere licet accusatione legitimâ; modò id fiat justitiæ bonique publici studio, non vindictæ affectu. Similiter occultum alicujus vitium vel defectum renuntiare licet, ad advertendum grave damnum vel periculum Ecclesiæ, reipublicæ, alicui societati, aut familiæ, vel privatis etiam personis imminens. Si quis, verbi gratiâ, cum Ecclesiæ, reipublicæ, vel ordinis alicujus aut societatis publico gravique detrimento sit ad beneficium aliquod, dignitatem, vel officium promovendus, occulta illius vitia vel defectus prodere licitum ac religiosum est, modò id prudenter fiat, nec citra necessitatem, nec pluribus quàm oporteat, et ex charitate, bonique publici studio. Sic etiam licitum est alios monere ut sibi caveant ab eo quem certò nôsti, vel non temerè suspicaris esse furem, veneficum, ganconem, proditorem, impium, hæreticum, pestifero morbo, aut lue venereâ laborantem; si malum ex hujus modi hominis societate ipsis imminens aliter avertere non possis. Licet pariter occultum alterius crimen prodere, si aliter ab injustâ illius vexatione liberari non possis, modò servetur moderatio, nec plura aut graviora ex illius criminibus occultis revelentur, quàm postulet justæ defensionis necessitas, nec vindictæ animo id fiat. Ita reus non peccat, et multò minùs innocens, qui testium illegitimorum testimonia, quibus damnatus est, vel opprimendus, repellit, vero illorum crimine detecto et probato. Non ergo quælibet alieni peccati, etiam occulti revelatio, detractionis peccatum est, sed ea tantùm quâ justitiæ vel charitatis ordo violatur. Hanc morum regulam confirmat S. Thomas, 2-2, quæst. 73, a. 2 : « Si verba, inquit, per quæ fama alterius diminuitur « proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, « debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, « nec potest dici detractio. »

Hæc regula confirmatur ex S. Basilio, in regulis brevioribus, interrogatione 25 : « Duo, inquit, esse « existimo tempora, in quibus liceat aliquid mali de « aliquo dicere : videlicet et quando necesse habet « aliquis consultare unà etiam cum aliis, qui ad hoc « idonei judicati sint, quo pacto corrigendus sit, qui « peccatum commisit; et item quando necessitas poscit ut periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumerò ex ignorantiâ commisceri possent cum malo « tanquàm cum bono; cùm Apostoli præceptum sit, ut « ne quis se cum his commisceat, qui istiusmodi sunt, « ne quando capiat quis laqueos animæ suæ. Quod « quidem videmus eumdem Apostolum fecisse, ex his, « quæ ipse ad Timotheum scribit, 2 Epist. 4, his « verbis . *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, « quem et tu devita. Valde enim restitit verbis nostris.* « Extra autem hujusmodi necessitatem, qui aliquid se « cùs de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi causâ, detractor est, esto verum sit quod « loquatur. »

Idem confirmatur ex cap. *Cùm ex injuncto*, quod est Innocentii III, extra, de Hæreticis, cujus hæc sunt verba : « Licet scientia sit valdè necessaria sacerdotibus « ad doctrinam, quia juxta verbum propheticum, Malach. 2, *labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore ejus;* non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam à scholasticis detrahendum, « cùm in eis sacerdotale officium debeat honorari; « propter quod Dominus in lege præcepit : *Diis non de « trahes*, sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis et officii dignitatem, Deorum nomine « nuncupantur... Quòd si fortè necessitas postularet, « ut sacerdos tanquàm inutilis et indignus, à curâ gregis debeat removeri; agendum est ordinatè apud « episcopum, ad cujus officium tam institutio quàm « destitutio sacerdotum noscitur pertinere. »

Hanc morum regulam, uti et præcedentem, et sequentem, Gersonius, cancellarius Parisiensis Ecclesiæ et academiæ, vir pius et eruditus, nitidè explicat in responsione ad quæstiones quatuor, quæst. 1 : « Scien« dum, inquit, quòd actio moralis libera accipit vel « vituperium, vel laudem, et peccatum, ex suis cir« cumstantiis, et specialiter, ex circumstantiâ finis. « Inquirendum est igitur ad quem finem dicitur malum « de absentibus, et occurrunt sex fines generales. « Quandoque hoc fit ad instructionem præsentium et « id audientium, ut caveant similia facere. Quandoque « fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantiâ « decipiantur per malam aliorum societatem, quos « præsumunt bonos. Quandoque etiam fit ad utilitatem « absentium, ut videlicet præsentes eis referant pro « ipsorum correctione et emendatione. Quandoque fit « ex quâdam compassione amicabili, ut scilicet se ipsum « et audientes referens provocet ad orandum instan« tiùs pro aliorum peccatis et eorum conversione. « Quandoque etiam fit ex solâ curiositate, et assuetâ « loquacitate, et quâdam libidine loquendi de aliis. « Quandoque autem fit ex odio vel invidiâ, ac pro di« minutione famæ alienæ, et ex animi indignatione. « Primis quatuor modis potest esse non solùm licitum, « imò et meritorium, referre mala absentium, dum« modò tamen non intendatur principaliter alius finis, « quàm aliquis prænotatorum quatuor. Et si non mi« sceatur alia intentio fermentata et sibi ipsi mentiens, « dùm benè provideatur ne sint falsa quæ dicuntur, « aut in malo ultra quàm in se sunt per referentem « ampliata, aut forsan sinistrè interpretata; ac etiam « quòd non plus noceat talis locutio absentibus et « eorum famæ, quàm prosit præsentibus et eo« rum ædificationi. Quoniam pro parvo bono conse-

« quendo non est magnum malum committendum »

« Malè loqui de absentibus ad solùm satisfaciendum « propriæ loquacitati et libidini loquendi de aliis, « etiam si sit pro solâ deductione temporis, et quasi « pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat, vix « aut nunquàm excusatur à peccato, et sæpiùs transit « in mortale peccatum. Tale enim verbum non solùm « otiosum, sed et communiter est perniciosum, et « multipliciter nocivum. »

« Si quis autem quærit signum quomodò sciet « quando ex bono fine loquatur, aut malo de malis « proximi : respondetur, quòd dùm aliquis loquitur ad « bonum istius cujus mala commemorat, ut puta ut in « se et audientibus provocet mentem ad orandum pro « talis emendatione, necessarium est ut sentiat tunc « in se quamdam ad eumdem de quo fit sermo com- « passionem piam, dulcemque, misericordem, et « charitativum affectum. Et etiam requiritur ut non « nimis longum texat sermonem de tam malâ materiâ « et despicabili. Sicut pia mater non delectatur in nar- « rando longè mala filii sui, nec etiam dicit illa nisi « ex necessitate, ut puta ipsi medico, aut illis qui « ejus saluti poterunt prodesse et malum adjacens « avertere. Sic itaque narrando suspirat altè, trista- « tur, dolet, et abbreviat sermonem quantùm præ- « valet, et quantùm videtur sufficere ad ostensio- « nem infirmitatis, quæ sibi tantæ tristitiæ causa « existit. Sed dùm quis loquitur malum de aliis ex « loquacitate, sunt signa opposita, quoniam tunc sen- « tit indignationem animi contra eos de quorum malis « loquitur, cum quâdam amaritudine fellis corrodit « et mordet ipsos absentes, et verbis suis venenatis, « linguâque sicut gladius acutus acuatâ, lacerat sine mi- « sericordiâ, sine aliquâ compassione, nec ponit finem « verbis suis, quia satiari nequit ejus vorax invidia. »

« Loqui malum de alio directè ex odio et invidiâ, « semper est peccatum. Et quando notabiliter læditur « per hoc aliena fama, et dùm loquens hoc advertit « in suâ conscientiâ, aut advertere posset, est gravius « peccatum sæpissimè quàm furtum, aut quàm foret « esus carnium die veneris vel jejunii Ecclesiæ magni « cujuscumque. »

Regula XII. — Qui malum aliquod, vel defectum proximi aperit, absque animo nocendi, absque odii, iræ, vel invidiæ affectu, sed ex merâ levitate, loquacitate, aliâve causâ non necessariâ, venialis duntaxat peccati reus est, nisi verba quæ profert grave vulnus alienæ famæ infligant, vel infligere possint. Tunc enim lethale peccatum est. — Hanc regulam tradit S. Thomas, loco supra citato : « Si autem, inquit, proferat « ex animi levitate, propter causam aliquam non ne- « cessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè « verbum quod dicitur, sit adeò grave, quòd notabi- « liter famam alicujus lædat, et præcipuè in his quæ « pertinent ad honestatem vitæ; quia hoc ex ipso ge- « nere verborum habet rationem peccati mortalis. » At si id quod narrat de altero, leve est, aut secundùm se, aut respectu personæ de quâ loquitur, in quam scilicet nulla ex hujus modi vitio, quamvis per se gravi, redundat infamia, quia de hoc gloriari solet, aut profligatæ famæ est, aut similis conditionis homines hæc vitia non ducunt dedecori, aut iis ut plurimùm obnoxii sunt, ut si de gregario milite aut bajulo dixerit aliquis, ebrium fuisse, aut ebriosum esse; vel quod de ipsis refertur malum jam illis innotuerit quibus dicitur; venialis duntaxat detractio est. Nam « Peccata verborum maximè sunt ex intentione dicen- « tis judicanda, » inquit S. Thomas, ibidem. Hic autem vel nocere proximo non intendit, vel reverà non multùm nocet, nec graviter lædere possunt quæ imprudenter et in consideratè profert.

Regula XIII. — Lethalis detractionis rei sunt, qui gravia proximorum peccata, vel etiam levia, vel naturalem aliquem defectum referendo, directè, vel indirectè, honestam eorum famam et existimationem graviter lædunt, aut grave damnum inferunt. — De gravibus peccatis res est per se manifesta, et ex iis quæ in regulæ decimæ explicatione dicta sunt, satis probata. Levia verò, vel quæ vulgò levia censentur, magnam interdùm infamiam aspergunt episcopis, aliisque ecclesiasticâ dignitate fulgentibus viris, doctoribus, religiosis, sanctimonialibus, aut mulieribus devotionem professis, et pietatis famam consecutis. Assiduitas, verbi gratiâ, mentiendi, vana gloria et ostentatio, secularis et liberior etsi honesta cum personis alterius sexûs amicitia et conversatio, seu agendi ratio, scribendique modus, iracundia, levitas et alia, quæ secularibus hominibus, aut certè Christianorum vulgo nullam aut certè levem dedecoris notam inurunt, gravem sacratis hominibus, et præsertim Ecclesiam regentibus infamiam inurunt; gravia interim damna hujusmodi peccatorum vel defectuum revelatio ipsis infert, quia vel ipsos in contemptum adducit, eorum auctoritatem minuit, impeditque ne spiritalem fructum in Ecclesiâ referant; interdùm à beneficiis vel dignitatibus, aut officiis consequendis ipsos impedit, quibus ob præclaras dotes alioqui digni essent, et Ecclesiæ utiles futuri. Sic etiam lethalis detractionis rei sunt, qui defectum naturalem alicui affingunt, vel inordinatè revelant, ex cujus revelatione in contemptum adducatur, aut à muneribus et honoribus, quos legitimè consequi ac laudabiliter gerere posset, arceatur, aut ab honestis et utilibus amicitiis abalienetur, aut commodis maximis privetur. Si quis, inquam, virum quempiam illustri aut honesto loco natum, spurium seu illegitimum esse effutiat, aut naturalem defectum cujuspiam in vulgus spargat, ex quo grave damnum illius sequatur, lethalis detractionis reus est. Exceptionem tamen patitur hic casus; si enim ab alicujus boni consecutione ipsum impediat defectûs hujusmodi revelatio, à quo ipsum leges excludunt, ut spurium ab hæreditate, à clero et ecclesiasticis ordinibus ac beneficiis, nisi summi pontificis dispensatio, vel religiosa professio defectum suppleverint, impotentem à matrimonio contrahendo, detractor non est, qui defectus illos revelat, nec peccati alicujus reus, si id faciat servato justitiæ et charitatis ordine.

Regula XIV. — Lethalis detractionis rei sunt, qui verum crimen alicujus hominis alteri nescienti aperiunt nocendi animo, etiamsi publicum sit, etiamsi judicis sententiâ damnatum et punitum. — Violant enim charitatem, quæ occulta proximi crimina contegere jubet in eo casu, et quod ipsi famæ reliquum est apud eos quibus vitia illius ignota sunt, deprædari vetat. Graviùs autem in eo genere peccant, si criminis illius memoriam penè deleverit oblivio, aut reus veterem infamiam pœnitentiâ et honestate morum abolleverit. Bonam enim famam sibi peperit emendatione vitiorum, et novæ vitæ integritate, quæ sine violatione justitiæ et charitatis ipsi eripi non potest. Hinc sacri concilii Tridentini catechismus p. 3, cap. 9, § 9, docet : « Non tantùm adhibendâ calumniâ offendi hominum existimationem, sed et augendis amplificandisque criminibus : et si quod occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave aut turpe fit ad famam; eam rem qui, ubi, quando, quibus necesse non sit, promulgârit, is obtrectator et maledicus jure dicitur. »

Regula XV. — Lethalis detractionis rei sunt, qui schedulam, in quâ aliquis juvandæ memoriæ causâ peccata sua sacerdoti in confessione aperienda descripsit, in vulgus indicant, si peccata illa gravia sint, vel spectatâ conditione personæ, famam proximi graviter læsura. — Charitatem siquidem et justitiam, legemque naturalem de arcani fide servandâ uno facinore violant.

Regula XVI. — Lethalis detractionis rei sunt historici, qui occulta principum aut aliorum virorum illustrium vitia litteris consignant; et quicumque verbo vel scripto defunctorum famam lacerant aut minuunt. — Quamvis enim prava principum, et aliorum, quorum res in historiam conferuntur, facinora, quæ publicè et cum hominum scandalo admiserunt, memoriæ prodere liceat, posteritatis informandæ studio, utque metus infamiæ principes et illustres viros à vitiis avertat; arcana tamen crimina litteris mandare, charitatis et justitiæ leges vetant; eòque crudelior detractio est, quòd in mortuos sæviat, eis immortalem inurat infamiam, vitamque eripiat honoris, quâ, extinctâ vitâ corporis, spiritali quodam modo, in hominum memoriâ vivunt. Nam *obitu existimatio augetur bonorum, quia omnis adversùs mortuos evanescit invidia*, ut scribunt Valentinianus et Marcianus in epistolâ ad Palladium præfectum Prætorio, quæ habetur actione tertiâ concilii Chalcedonensis. Sed et Facundus Hermianensis, lib. 3, ejusdem criminis atrocitatem ostendit. *Grave est*, inquit, *insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedùm illis qui in episcopatu hanc vitam deposuerunt. Justissimum enim apparet prudentibus viris cedere præscienti uniuscujusque voluntatem, et cognoscenti qualis unusquisque nostrùm futurus sit.* Idque S. Cyrilli Alexandri auctoritate confirmat.

Regula XVII. — Lethalis detractionis rei sunt, qui vel proximis falsum crimen imponunt, aut verum crimen exaggerant, vel occultum patefaciunt, aut aliena dicta sive facta pejorem in partem interpretantur; vel præclarum alterius factum, aut pro viribus minuunt, vel laudis occasione datâ silent, aut frigidâ laudatione infringunt; cùm scilicet eo silentio, vel remissâ frigidâque laudatione, fama proximi graviter lædîtur. — Hanc morum regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæst 73, a. 1, ad tertium. « Aliquis, inquit, « dicitur de altero detrahere, non quia diminuit de « veritate, sed quia diminuit famam ejus. Quod quidem fit quandoque directè, quandoque indirectè. « Directè quidem quadrupliciter. Uno modo, quando « falsum imponit alteri; secundò, quando peccatum « adauget suis verbis; tertiò, quando occultum revelat; quartò, quando id quod est bonum, dicit malâ « intentione factum. Indirectè autem, vel negando « bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo. » Qui detractionis modi hoc disticho exprimi solent :

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;*
*Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remissè.*

Septem duntaxat modos S. Thomas recenset, postremum illum frigidæ laudationis omittit, quia in sexto aut septimo continetur. Cæterùm qui proximo falsum crimen imponunt, id in sacramentali confessione tenentur exprimere, quia hujusmodi obtrectatio gravius peccatum est. Non sufficit ergo ut se de gravi detractione accusent. Qui quod ex se bonum est, in malam partem interpretantur, hypocrisi, ambitioni vel superbiæ tribuentes, quod honestum et laudabile apparet, non detractionis tantùm, sed judicii temerarii rei sunt: et utrumque in sacramentali confessione aperire necessariò debent. De hoc obtrectationis genere S. Gregorius, lib. 2 Moralium, cap. 5, scribit : « Antiquus « adversarius, cùm quæ accuset mala non invenit, ipsa « ad malum inflectere bona quærit. Cùmque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur. Cùm nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquàm bona « facta bono animo non fiant, et idcircò perpendi à « judice bona non debeant. Quia enim fructus arboris « esse et in æstu virides conspicit, quasi vermem pone ad radicem quærit. »

Indirectam detractionem quod attinet, observandum est illam non solùm verbis, sed etiam factis, signisque seu nutibus committi, cùm quispiam laudis alienæ intùs impatiens, malitiosè subridet, abnuit capite vel oculis, atque his motibus significat hominem qui laudatur, non esse talem qualis prædicatur. Nec solùm nutibus, sed et silentio committitur detractio. Qui enim de proximi probitate aut morum integritate, quam perspectam habet, interrogatus, silet, debitam proximo veritatem, debitum veritati testimonium negat, justitiamque pariter et charitatem violat. Similiter qui in aliquo hominum cœtu aliquem sibi probè notum, ex familiâ suâ, societate, aut vicinîâ, laudibus extolli audiens, tacet, dùm alii certatim ipsum laudant, silentio suo, heu, nimiùm eloquenti, significat illum indignum esse laudibus, quibus ornatur. Sed, inquies, certò novi talem illum non esse, qualis celebratur; an

contra propriam notitiam et opinionem loqui, an mentiri debeo vel adulari? Nequaquàm. Sed cùm nemo sit ita malus, qui bonis aliquibus dotibus præditus non sit, aliquâ laude digna non gerat, charitatis et justitiæ leges postulant, ut laude dignum ob multa quæ in eo sunt bona, significes, aut saltem placere tibi quòd laudetur; quia reverà placere debet laudantium charitas et error circa personas quas laudant, ex charitate quodammodò procedens, quæ *non cogitat malum*. At si quispiam ob vitia laudaretur, nec laudatoribus suffragari, nec silentium servare deberes, quia tunc error circa res ipsas, non circa personas tantùm esset; nec laudaret charitas, sed iniquitas, non solùm errans ipsa, sed et alios in errorem inducens, adeòque partes veritatis contra iniquitatem et errorem tueri deberes ex officio, quia *charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*, 1 Cor. 13. In iis tamen quæ *ad honestatem vitæ* non pertinent, ut loquitur S. Thomas, possumus ab iis qui proximum laudant dissentire aut certè silere; potest enim aliquis esse bonus sacerdos aut monachus, et ineptus concionator; potest esse vir probus, et dotibus ad præfecturam aliquam aut magistratum gerendum necessariis destitutus. In his tamen periculum est, ne ex invidiâ ve aliquo præjudicatæ mentis affectu negemus, aut extenuemus famam alienam, aut silentio nostro significemus ipsum immeritò laudari. Quamvis enim judicium vulgi plerùmque cæcum sit, præceps, instabile, sæpè tamen falluntur qui se perspicacissimos et æquissimos judices existimant, et occultæ invidiæ motu aguntur, aut certè superbâ quâdam singularitatis et dissensûs ab opinione vulgi affectatione, ut eos laude dignos esse negent, quos ab omnibus aut à plerisque laudari audiunt, aut minùs laudandos esse contendant, quos magnis laudibus efferri vident. Frigida tandem laudatio vituperationi plerùmque æquivalet, cùm scilicet de proximo cujus virtus et probitas, aut factum aliquod laudabile commendatur, quis frigidè dicit: Ita ferunt, vel, iste de illo rumor exit in vulgus; fortè id ab illo gestum est; sed si ita se res habet, *quantùm mutatus ab illo!* Si sanctus est, et eâ virtute præditus, nunc primùm ad sanctos aggregari cœpit; vir est doctus et pius, *sed*, etc. Mulier casta, sapiens, devota, *sed*, etc. Alius est detrahendi modus eò perniciosior, quo frequentior, dùm quis alterius crimen occultum se audivisse narrat, se tamen nolle credere asseverat; sic enim majorem sibi conciliat fidem ingeniosus et versipellis detractor, dùm se à detrahendi libidine simulat alienum. Alia est detrahendi methodus non minùs pestilens, cùm de aliquo dicitur corám aliis: Debet ille tacere coram me; novit enim quid sciam, quid fecerit etc. Ex modo enim dicendi aliquid grave suspicantur auditores, et fortè quid graviùs quàm detractor intelligat.

Regula XVIII. — Qui crimen alienum sine justâ necessitate patefacit uni, vel duobus viris prudentibus et fidelibus, arcanique tenacibus amicis, à lethali detractionis peccato non excusatur. — Famam enim proximi labefactat, aut extenuat apud illos, et quò prudentiores sunt, eò gravior est existimationis jactura apud ipsos, quàm apud vulgus ignobile. Hinc S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 3 ad populum Antiochenum: « Hoc verò, inquit, ridiculum magis est, quòd « talem habentes vitam, et res suas negligentes, cùm « aliquid arcanum dixerint, rogant audientem et ad- « jurant, ne cuiquam ampliùs alteri dicat, hinc declarantes quòd rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum ut nemini dicat rogas, multò « magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto « sermonem habebas; postquàm ipsum prodidisti, « tunc salutem ipsius curas; si non vis efferri, neque « alteri ipse dicas; postquàm verò alteri prodidisti « sermonis custodiam, superflua facis et inutilia, ad- « monens et obtestans pro dictorum custodiâ. » Hinc S. Thomas, 2-2, quæst. 73, art. 1, ad secundum, ait: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte.*

Regula XIX. — Non excusatur à peccato mortali, qui graves detractiones ab aliis auditas referendo et repetendo suas facit. — Quamvis enim non sit primus detractionis auctor, et ipse tamen detractor est. Detractio scilicet ab uno traducitur ad plurimos, ingenitâ quâdam maledicendi libidine, singulosque peccatores constituit. Quod significat Tertullianus, Apologetici cap. 7, his verbis: « Natura famæ omnibus nota « est. Vestrum est

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum.*

« Cur malum fama? quia velox, quia index? An « quia plurimùm mendax? Quæ ne tunc quidem cùm « aliquid veri adfert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid, quòd « ea illi conditio est, ut non nisi cùm mentitur perse- « veret; et tamdiù vivit, quamdiu non probat; siqui- « dem ubi probavit, cessat esse, et quasi officio nun- « tiandi functa, rem tradit, et exinde res tenetur, res « nominatur.... Fama, nomen incerti, locum non ha- « bet ubi certum est. An verò famæ credat nisi incon- « sideratus? Quia sapiens non credit incerto. Omnium « erit æstimare, quantâcumque illâ ambitione diffusa « sit, quantâcumque asseveratione constructa, quòd « ab uno aliquando principe exorta sit necesse est; « exinde in traduces linguarum et aurium serpat: et « ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, « ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium « seminaverit; quod sæpè fit, aut ingenio æmulatio- « nis, aut arbitrio suspicionis, aut non novâ, sed in- « genitâ quibusdam mentiendi voluptate. »

Regula XX. — Lethalis peccati reus est, qui gravem injuriam sibi ab aliquo illatam, renuntiat alteri, nullâ necessitate compulsus, sed nocendi animo, et ultionis libidine. — Is enim alienæ famæ grave vulnus infert, adeòque contra justitiam peccat, nec non contra charitatis et patientiæ Christianæ præceptum à Christo traditum, Matthæi, cap. 5: *Diligite inimicos vestros: Orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* et ab Apostolo prædicatum, Epist. ad Romanos, cap. 12: *Noli vinci à malo*, inquit, *sed vince in bono malum;* et à S. Petro, epist. 1, cap. 3: *Non redden-*

*tes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat, linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum.* Detractiones itaque ab æmulis et malevolis hominibus de se factas miti et humili animo vir christianus tolerare debet, utpote ad ejus humiliationem à Deo ordinatas, ut docet S. Gregorius, lib. 20 Moralium, cap. 5 : *Ne*, inquit, *immoderatis laudibus erigamur, plerùmque miro Rectoris nostri moderamine detractionibus lacerari permittimur; ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet.*

Regula XXI. — Lethalis peccati reus est, qui seipsum infamat, cùm ex infamiâ et dedecore quod sibi ipsi infert, salutis propriæ vel alienæ, aut etiam vitæ damnum, aut corporalis integritatis detrimentum sequitur; aut cùm illius infamia in familiam, societatem, vel ordinem cujus pars est, redundat, aut cùm suorum criminum patefactione omninò inutilem se reddit reipublicæ vel Ecclesiæ, cui aliàs utilem operam navare posset. — Jubet enim Spiritus sanctus, Ecclesiastici cap. 41, ut famæ nostræ curam geramus : *Curam habe*, inquit, *de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi et magni.* Hinc S. Augustinus, lib. de Bono Viduitatis, cap. 22, scribit : « Nec audiendi sunt sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensâ in aliquo negligentiâ suâ, « per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solùm, verùm etiam crudeliter contemnentes; cùm occidunt animas aliorum, « sive blasphemantium viam Dei, quibus secundùm suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. « Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benè facit; quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. « Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama « nostra : et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Unde non frustra Apostolus 2 Cor. 3 : « *Providemus*, inquit, *bona, non solùm coram Deo, verùm « etiam coram hominibus.* Item dicit, 1 Cor. 10 : *Placete « omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multorum, ut salvi fiant.* In quâdam etiam exhortatione « dicit, Philipp. 4 : *De cætero, Fratres, quæcumque sunt « vera, quæcumque sancta, quæcumque justa, quæcumque casta, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si « qua laus, hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.* Cernis quemadmodùm inter multa quæ exhortando commonuit, non « neglexerit ponere : *Quæcumque bonæ famæ;* duobusque verbis cuncta concluserit, ubi ait, *si qua virtus, « si qua laus.* Ad virtutem namque pertinent quæ antea memoravit bona; fama verò ad laudem. Puto « quòd non laudem hominum pro magno sumebat « Apostolus, alio loco dicens, 1 Cor. 4 : *Mihi autem « minimum est ut à vobis dijudicer aut ab humano die.* « Et Galat 1 : *Si hominibus placerem, Christi servus « non essem.* Et iterùm, 2 Cor. 1 : *Nam gloria nostra « hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Sed illorum « duorum, id est, bonæ vitæ, et bonæ famæ, vel, quod « breviùs dicitur, virtutis et laudis, unum propter se« ipsum sapientissimè retinebat, alterum propter alios « misericordissimè providebat. Sed quoniam quanta« libet humana cautela suspiciones malevolentissimas « non potest omni ex parte vitare, ubi pro existima« tione nostrâ quicquid rectè possumus fecerimus, si « aliqui de nobis vel mala fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit con« scientiæ solatium, planèque etiam gaudium, quòd « merces nostra magna est in cœlis, etiam cùm dicunt « homines mala multa de nobis, piè tamen justèque « viventibus. Illa enim merces tanquàm stipendium est « militantium per arma justitiæ, non solùm dextera, « verùm et sinistra, per gloriam scilicet et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam. » Et, sermone 355, aliàs de Diversis, 49, qui primus est de Vitâ et Moribus clericorum suorum, cap. 1 : « Propter nos, « inquit, conscientia nostra sufficit nobis; propter vos « fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. « Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, « conscientia et fama, conscientia tibi, fama proximo « tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam « suam, crudelis est, maximè in loco isto positus, de « quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum, Tit. cap. 2 : *Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum.*

Hinc à S. Hieronymo laudibus celebrata est mulier Vercellensis, adulterii falsò accusata à marito, quæ cruciata ut crimen fateretur impactum, quod adolescens, quîcum peccâsse dicebatur, vi tormentorum confessus erat, nunquàm adduci potuit ut se ream pronuntiaret, suamque famam pariter et innocentiam mendacio violaret; sed cœlum suspiciens, ait : « Tu « testis es, Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui « es scrutator renis et cordis, non ideò me negare « velle ne peream, sed ideò mentiri nolle, ne peccem. « At tu, miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem et ipsa cupio mori, « cupio invisum hoc corpus exuere, sed non quasi « adultera, præsto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. « Non moritur, quisquis victurus occiditur. » Oravit, jugulum præbuit, septies icta occidi non potuit. Miraculum celebrat S. Hieronymus, epistolâ 49 Ad Innocentium. Quamvis igitur sufficiat nobis *testimonium conscientiæ nostræ*, Deoque fideliter et constanter servire debeamus, *sive per infamiam, sive per bonam famam*, tamen famæ integritate propter alios indigemus, sine quâ procurandæ proximorum saluti, aut publico cuivis gerendo muneri pares non sumus. Ideòque ejus curam gerere tenemur. Hinc Petrus Cellensis abbas, lib. 5, epist. 13, scribit : *Uterque peccat, e*

*qui mentitur in suî accusatione, et qui dedignatur falsa objectâ verâ relatione diluere. Reproba humilitas est plus quàm in corde tuo sentias vanè te dejicere; detestanda præsumptio, famam suam negligere, et suspicionis nævum non abolere.*

Quasdam tamen exceptiones adhibere huic regulæ necesse est. Cùm enim semiplena probatio, vel indicia expressa, vel publica infamia criminis præcessit, reus a legitimo judice, servato juris ordine, interrogatus, crimen suum fateri tenetur, etiamsi damnum vitæ, aut membrorum mutilatio, ex confessione juridicâ delicti illi immineat; aut ejus infamia in aliquam familiam, societatem, vel ordinem redundatura sit. Non enim ipse se prodit aut infamat, qui secundùm ordinem juris à judice interrogatur, *sed ab alio proditur, dùm ei necessitas respondendi imponitur ab eo cui obedire tenetur;* ut ait S. Thomas, 2-2, quæst. 69, a. 1, ad primum. Sed de hoc aliàs.

Regula XXII.—Lethalis peccati rei sunt libellorum famosorum auctores, et qui ipsos spargunt in vulgus. Graviùs autem peccant, qui præsulum, ecclesiasticorum aut religiosorum virorum, doctorum et concionatorum famam verbis aut scriptis maledicis proscindunt, quàm qui secularium; graviùs qui principum et magistratuum, quàm qui subditorum et plebeiorum; graviùs tandem qui integræ communitati vel ordini, quàm qui privatis detrahunt. — Detractionis enim aut contumeliæ gravissimæ crimen committunt, aliorum crimina seu falsa, seu occulta, litteris consignantes, ut ad omnium, aut certè plurimorum notitiam perveniant; utque illorum infamia publica sit, et in omne tempus propagetur. Quamobrem sacri canones excommunicatione feriunt non solùm auctores hujusmodi libellorum, verùm etiam eos qui illos vulgaverint, aut inventos non laceraverint. Ita concilium Illiberitanum, canone 52, et refertur can. *Si qui*, causâ 5, quæst. 1 : *Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesiâ ponere, anathematizentur.*

Idem confirmatur ex can. *Qui in alterius*, causâ 5, quæst. 1, qui est Adriani I pontificis maximi: *Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, et repertus scripta non probaverit, flagelletur: et qui ea priùs invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* Eamdem pœnam decrevit S. Gregorius, in quemdam, qui maligni spiritûs consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem apostolicum *nocturno silentio in civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem*; ut habetur can. *Quidam*, causâ et quæstione citatis, qui sumptus est ex epistolâ trigesimâ libri quinti. « Et quia, inquit, quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare; oportet ut « publicè exeat, et quæcumque in contestatione suâ « loqui præsumpsit, ostendat; quòd si non exierit, « neque publicè confessus fuerit, quisquis ille sit qui « hoc agere præsumpsit, vel qui consensum in tantæ « iniquitatis consilio præbuit, ex Dei et Domini nostri « Jesu Christi Spiritu definimus, ut sancti ejus corporis « ac sanguinis participatione privatus sit. Si verò quia « latet, et quoniam nescitur, teneri à disciplinâ non « valet, si tanti mali conscius, etiam prohibitus corpus « ac sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis ultione percussus sit, et ut fallax ac pestifer « à Sanctæ Ecclesiæ corpore divisus. Si quis autem « fortasse talis est, quem nos hujus facti auctorem ac « participem esse nescientes, ad eum bona optantes « epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua. »

Pœna capitis in libellorum famosorum auctores constituta est apud Romanos, lege duodecim tabularum, cujus hæc sunt verba: *Si quis actitaverit, sive carmen condiderit, quod infamiam flagitiumve alteri precatur, capite puniatur;* cujus legis meminêre, post Ciceronem lib. 14 Tusculanarum quæstionum, Arnobius, lib. 4 adversùs gentes, et S. Augustinus, lib. 2 de Civitate Dei, cap. 9. Augustus imperator judicium de libellis famosis non minùs vehemens, quàm majestatis esse voluit, commotus *Cassu Severi libidine, qui viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat*, ut refert C. Tacitus. Intestabilem factum, qui libellum famosum edidisset, Ulpianus testis est in l. 5, § ult. de Injur.; id est, à jure ferendi testimonii, condendi testamenti, aut quidquam ex aliorum testamentis capiendi, legibus excludebatur. Constantinus Magnus famosis libellis fidem omnem abrogari jussit, eosque flammis aboleri, in auctores inquiri, repertos cum omni vigore cogi ut libello contenta probent; si probaverint, supplicio nihilominùs affici, ut qui infamare maluerint, quàm accusare. Constantius, lege latâ, edixit ne libelli famosi referrentur ad principem, aut in judiciis examinarentur, aut ullus ex iis calumniam seu infamiam pateretur. *Nam et innocens creditur*, inquit, *cui defuit accusator, cùm non defuerit inimicus.* Imperatores Valentinianus et Valens pœnam capitis decreverunt in eum qui libellos famosos *colligendos vel legendos putaverit*, id est, retinuerit, aut alteri legendos tradiderit, sive in vulgus sparserit, *ac non statim chartas igni consumpserit.* Imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius sanxerunt, ut *si quis famosum libellum sive domi, sive in publico ignarus offenderit, aut discerpat priùs quàm alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum; nemini denique, si tam curiosus est, referat quid legendo cognoverit. Nam quicumque obtulerit inventum, certum est ipsum reum ex lege retinendum, nisi prodiderit auctorem; nec evasurum pœnam hujusmodi criminibus constitutam, si proditus fuerit cuiquam retulisse quod legerit.* Gladii pœnâ crimen tam atrox iidem imperatores coerceri voluerunt. *Universi*, inquit, *qui famosis libellis inimicis suis velut venenatum quoddam telum injecerint, hi etiam qui famosam seriem scriptionis impudenti agnitâ lectione non illicò discerpserint, vel flammis exusserint, vel lectorem*, seu potiùs auctorem, *cognitum prodiderint, ultorem suis cervicibus gladium reformident.* Habentur hæ leges, lib. 19 codicis Theodosiani, tit. 34 de famosis libellis. Libro septimo Capitularium, cap. 200, libellorum et canticorum famosorum auctores, disseminatores, et cantores, extra ordinem puniendos decernitur; in quos exilii pœna

lege constituta erat. *Hi qui in blasphemiam alterius cantica composuerint, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicentur. Nam lex exiliari jubet eos qui libellos famosos excogitant aut proponunt. Notatur infamiâ quicumque, dùm appellat judicem, convicium dixerit. Non tantùm is qui maledictum aut convicium dixerit, famosus efficitur, sed et is cujus consilio factum esse patuerit.* Edictum Molinense Caroli IX regis christianissimi, anno 1566, art. 77; et Parisiense anno 1571, art. 10; Pictaviense Henrici III, anno 1577; Parisiense Ludovici XIII, anno 1629, de iis qui libellos famosos composuerint, scripserint, typis ediderint, vendiderint, disseminaverint, quæstionem haberi, et in illos tanquàm publicæ pacis perturbatores legibus animadverti sanxerunt. Si verò contra sacram regis personam, regni, rerumque publicarum administrationem, regni administros, regiorum consiliorum assessores, ac præcipuos magistratus hujusmodi libelli compositi, scripti, vel editi fuerint, in auctores, scriptores, distributores, velut in læsæ majestatis reos, et patriæ proditores agi, vitæque ac bonorum omnium proscriptione illos plecti statuit Ludovicus Justus, edicto mox laudato, secundùm articulum 183 constitutionis Blesensis. Ex quibus omnibus colligitur, lethalis peccati reos esse libellorum famosorum, aut cantionum contumeliosarum 1° auctores, 2° scribas, qui libellorum aut cantionum, seu carminum hujusmodi exemplaria describunt; 3° typographos qui famosa et contumeliosa scripta, cantica carmina typis edunt; 4° omnes qui illa vendunt, distribuunt, donant, mittunt, aut quomodocumque spargunt in vulgus; 5° qui illa retinent apud se, et legere amant, vel detrahendi et calumniandi libidine referunt aliis quod legerunt; 6° qui famosas cantiones cantant, aut earum auditu delectantur; 7° qui auctores cognitos non produnt; 8° qui famosas imagines vel effigies pingunt, sculpunt, excudunt, vendunt, exponunt, distribuunt, quibus proximi fama labefactatur, vel honor violatur; 9° gravioris criminis esse reos, qui in episcopos, aliosque prælatos, et viros ecclesiasticos, aut religiosos, præsertim qui in Ecclesiæ regimine, aut animarum salute sacris concionibus, doctrinâ, sacramentorum administratione, episcopis cooperantur; item in sanctimoniales et virgines sacras; in magistratus, et viros aut feminas illustres, libellos famosos, scripta, carmina vel cantica maledica componunt, edunt, aut spargunt; 10° atrocius illorum crimen esse, qui ordinem universum, societatem, vel familiam, scriptis, libellis, carminibus, cantilenis, tabellis vel imaginibus famosis dedecorant, diffamant, in contemptum et ludibrium adducunt, quàm qui privatas duntaxat personas. *Peccata* enim *quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per secundum nocumenta quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ;* inquit S. Thomas. Majus autem nocumentum inferunt proximo detractiones et libelli famosi, quibus communitatis aut ordinis alicujus fama proscinditur.

Quòd verò libelli famosi, et calumniæ, atque detractiones in prælatos, doctores, concionatores, viros principes, graviora peccata sint, ex canonibus compertum est; can. *Deteriores*, causâ 6, quæst. 1 : *Deteriores sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Ipsi enim ea quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt; nostri autem detractores et morum corruptores nostrorum, sive qui adversùs nos armantur, propriè nos ipsos diripiunt · et ideò justè infames sunt, et meritò ab Ecclesiâ extorres fiunt.* Item ex S. Gregorio, epistolâ 52, libri 12, scribente : « A nullis vita præsulum perturbari debet excessibus; quia valdè indignum est, ut hi qui throni « Dei vocantur, aliquâ motione à regibus vel subditis « turbentur. Quoniam si David, regum justissimus, in « Saül, quem constabat jam à Domino reprobatum « esse, manum mittere non præsumpsit; quantò magis « cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores « sanctæ Ecclesiæ! Quia eorum vexatio sive detractio « ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesiâ legatione funguntur. Unde summoperè cavendum est « omnibus fidelibus, ne clanculùm aut publicè episcopum suum, id est, unctum Domini, detractionibus « aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud « exemplum Mariæ; quia pro eo quòd Moysi famulo « Dei propter Æthiopissam detraxit, immunditiâ lepræ mulctata sit; et illud Psalmistæ, Ps. 104 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Et in lege divinâ legitur, Exod. 22 : *Diis non detrahes, et populi tui principi non maledices.* « Unde « valde prævidendum subditis tam clericis quàm laicis, « ne episcoporum aut præpositorum suorum vitam temerè reprehendere audeant, si quid eos fortasse « agere reprehensibiliter vident, ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora « mergantur. » Lege et Pastoralis Curæ p. 3, admonitionem sextam.

Idem confirmatur ex Nicolai I epistolâ ad Michaelem Græcorum imperatorem : « Si Cham videns patris verenda quia risit potiùs, quàm (ut cæteri) cooperuit, « maledictionem in filio percepisse legitur; quantò « potiùs hi qui verecundiam patris, non solùm si quæ « libet fuit, minimè cooperuerunt, sed et riserunt, et « falsò ad subsannationem sui moris homines provocaverunt, atque, quod est deterius, patenter contra « ipsum de pharetrâ iniquitatis suæ sagittam judicii « produxerunt? Non sic è contra filii sobrii, non sic, « sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius « doctor papa Gregorius interpretatus, ait : Aversari « dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo quòd filii « verecunda patris superjecto dorsis pallio, aversi venientes operiunt, nisi quòd bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab « aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia « dijudicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt. Sed hæc dicentes, nolite « æstimare nos cujuscumque proximorum nostrorum, « quæ sunt digna reprehensione, velle defendere; sed « quòd ita velim filios circa spiritalem patrem, et dis-

« cipulos erga magistrum devotos ac sobrios esse, « ut nullà penitùs temeritate ad eorum vitam, ut non « dicam dijudicandam, sed nec saltem tenuiter repre- « hendendam prosiliant. » Idque rursùs confirmat ex S. Gregorio, parte 3 Pastoralis, cap. 5, dicente : « Facta præpositorùm oris gladio ferienda non sunt, « etiam cùm rectè reprehendenda judicantur. Si quando « verò contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse « est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, « quatenùs ad semetipsam redeat; et cùm propositæ « potestati deliquerit, ejus contra se judicium, à quo « sibi prælata est, perhorrescat. Nam cùm in præpo- « sitis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis « prætulit, obviamus. Unde Moses cùm contra se et « Aaron conqueri populum cognovisset, ait, Exod. 16 : « *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur ve- « strum, sed contra Dominum.* »

Clericorum maledicentiam, præsertim in sacerdotes, coercuit concilium Carthaginense IV, canone 57 : *Clericus maledicus*, inquit (maximè in sacerdotibus), *cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, nec unquàm ad officium absque satisfactione revocetur.* Eos qui defunctorum episcoporum famæ detrahunt, pœnis mulctandos gravissimis decrevit concilium Emeritense anno 666, canone 17 : « Decernimus, inquit, « ut nullus subjectus decedentem detrahat episcopum, « nullus de eo deroget, nec malum quidquam loqua- « tur. Si quis talia deinceps facere præsumpserit, si « presbyter fuerit, tribus mensibus ab episcopo suo « sub pœnitentiâ relegatus maneat; si diaconus, quin- « que; si subdiaconus, aut clericus, vel quilibet reli- « giosus de majori gradu, quia constat ex his jam ali- « quos per bonam actionem esse venerandos, novem. « Si minimi fuerint, qui levi corde sint, minimæque « adhuc personæ, quinquagenis flagellis jussione fe- « riantur episcopi. Quòd si Laicus, quamvis ingenuus, « in domo Ecclesiæ tamen nutritus, et ab Ecclesiæ « rebus dignitatis gratiâ præditus, juxta quod dignitas « ejus exegerit, pro tali excessu excommunicationis « sententiâ feriendus erit. Si verò de familiâ Ecclesiæ « fuerit quisque, si major fuerit, qui dignitate polleat, « sex mensibus episcopo suo excommunicatus mane- « bit; inferior tamen aut minima persona disciplinam « mereatur, juxta quod episcopi sui processerit sen- « tentia. » Eos qui principibus obloquuntur, excommunicatione plectendos synodus Toletana V decrevit, canone 5. *Sed et hoc*, inquit, *pro pestilentiosis hominum moribus salubri deliberatione censemus; ne quis in principem maledicta congerat. Scriptum est enim à legislatore : Principem populi tui ne maledixeris*, Exod. 22. *Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiasticâ plectatur. Nam si Maledici regnum Dei non possidebunt*, 1 Cor. 6, *quantò magis talis ab Ecclesiâ necessariò pellitur, qui divinæ violator sententiæ invenitur?*

Pœnas omnes tam temporales quàm Ecclesiasticas per sacras leges et canonicas sanctiones latas et promulgatas in eos qui famosos libellos, aut litteras alicujus famæ et honori detrahentes, *vera etiam exprimendo*, scripserint, dictaverint, retinuerint, transmiserint, et non laceraverint ignique tradiderint, innovavit et confirmavit beatissimus pontifex Pius V, constitutione 148, quæ incipit, *Romani pontificis providentia.*

Nec verò minus crimen esse putandum est, cùm ab iis, quorum famam impetunt, petulantes libelli, versus, aut cantilenæ contemnuntur; ut fit plerùmque à viris principibus, illustribus et magnanimis. Cujus moderationis exemplum præbuit Justinianus imperator, l. *Si quis*, tit. *Si quis Imperatori maledixerit*, lib. 9 Codicis, cujus hæc sunt verba : « Si quis modestiæ « nescius, et pudoris ignarus, improbo petulantique « maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac « temulentiâ turbulentus obtrectator temporum no- « strorum fuerit; eum pœnæ nolumus subjugari, ne- « que durum aliquid nec asperum volumus sustine- « re: quoniam si id ex levitate processerit, contem- « nendum est; si ex insaniâ, miseratione dignissi- « mum; si ab injuriâ, remittendum. » Quod tamen semper non expedit, ne impunitate crescat petulantium et maledicorum hominum improbitas et impudentia.

Regula XXIII. — Nulla est capitalior obtrectatio, quàm eorum, qui catholicæ doctrinæ, ejusque prædicatoribus obtrectant. — Hanc regulam tradit concilii Tridentini catechismus, p. 3, cap. 9, § 9; additque, in simili culpâ esse, qui malarum doctrinarum et errorum magistros extollunt laudibus.

Regula XXIV. — Lethalis peccati rei sunt qui alios ad detrahendum incitant; aut gravem obtrectationem lubenter et cum voluptate audiunt; vel non corripiunt detrahentem cùm ad id tenentur ex officio, aut grave periculum ex detractione consequens avertere possunt; aut cùm metu boni cujuspiam temporalis amittendi abstinent à correptione detractoris, quam exercere tenentur et possunt. — Hanc morum regulam Apostoli sententia confirmat, ad Romanos, cap. 1, scribentis de gravibus illis peccatis, quorum unum est detractio : *Qui talia agunt, digni sunt morte, et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Id autem dupliciter contingere, S. Thomas observat, 2-2, quæst. 73, art. 4, directè scilicet, quando quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum; indirectè, quando non resistit, cùm resistere possit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, sed propter humanum timorem. Igitur, « si aliquis « detractiones audiat absque resistentiâ, inquit doctor « Angelicus, videtur detractori consentire; unde fit « particeps peccati ejus. Et, si quidem inducat eum ad « detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter « odium ejus, cui detrahitur, non minùs peccat quàm « detrahens, et quandoque magis. Unde S. Bernardus, « lib. 2 de Consideratione, cap. 13, ait : *Detrahere, « aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit « non facilè dixerim.* » Hinc S. Hieronymus, epistolâ 2, sic Nepotianum suum alloquitur : « Cave ne aut lin « guam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut « ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. *Si- « dens*, inquit Psalm. 49, *adversùs fratrem tuum lo-*

« *quebaris, et aversùs filium matris tuæ ponebas scandalum; hæc fecisti, et tacui; existimâsti iniquè, quòd ero tui similis; arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Parce à detractione linguæ. Custodi sermones tuos; et scito quia per cuncta quæ de aliis loqueris, tuâ conscientiâ judicaris; et in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Neque verò illa justa est excusatio : Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invitè audita libenter refert. Sagitta in lapidem nunquàm figitur, interdùm resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dùm te videt, non libenter audire; non facilè detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, Proverb. 24, ne miscearis : *Quoniam repente veniet perditio eorum; et ruinam utriusque quis novit?* Tam videlicet ejus qui detrahit, quàm illius qui accommodat aurem detrahenti. »

Idem, sive S. Paulinus in Epistolâ ad Celantiam, de Institutione matris-familiâs : « Non modò, inquit, ipsa non detrahas, sed ne alii quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. *Noli*, inquit Scriptura, Eccli. 28, *consentaneus esse cum derogantibus adversùs proximum tuum, et non accipies super illum peccatum.* Et alibi : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.* Unde et beatus David diversas innocentiæ species justitiæque dinumerans, de hâc quoque virtute non tacuit, dicendo, Psal. 14 : *Et opprobrium non accepit adversùs proximos suos;* propterea quòd ipse non solùm aversatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim, Psalm. 100 : *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Est sanè hoc vitium quod vel inprimis extingui debeat, et ab eis qui se sanctè instituere volunt, prorsùs excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem et levem faciat, quàm facilè totum credere, et obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dùm concordes quidem sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. At contra, magna quies animi, magnaque est morum gravitas, non temerè de quoquam sinistri quid audire. Beatusque est qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Quòd si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm se ipsos, viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre est, idcircò in multis fervet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur. » Hinc Paulinus alter, Forojuliensis episcopus, lib. de salutaribus Documentis, sub S. Augustini nomine olim edito, cap. 26 : *Detrahentis*, inquit, *et audientis, utrisque esca mortis est animæ detractio. Et ut breviùs concludam, detractor et libens auditor diabolum portat in linguâ.* Quòd verò lethalis interdùm peccati sit reus, qui detrahentem non corripit aut repellit, docet S. Thomas loco supra citato, et tres casus assignat, in quibus hæc omissio mortale peccatum est.

Primus est, cùm *alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere.* Sic superiores, nempe episcopi, parochi, patres et matres-familiâs, domini et dominæ, magistratus, et quicumque aliquâ auctoritate pollent, subditos suos alienæ famæ coram se detrahentes corripere tenentur ex officio justitiæ et charitatis; cui si desint, lethaliter peccant.

Casus alter est, cùm ille qui detractionem audit, *aliquod periculum consequens*, seu grave damnum vel detractori, vel illi cujus fama prosciditur, vel utrique, ex detractione imminere prospicit. Cùm enim proximum quisque diligere debeat sicut seipsum, illius etiam bono seu spirituali, seu temporali, quoad ejus est, consulere debet, et mala ipsi imminentia pro suâ virili avertere. Alioquin peccat contra charitatem, et quidem lethaliter. Sicut ergo nemo à peccato mortali excusatur, si videat sicarium vitæ proximi insidiantem, aut furem bona ejus diripientem, nec prohibet, cùm potest; ita non excusatur à peccato lethali, qui hominem maledicum audit alterius famæ graviter detrahentem, nec ipsum repellit, aut corripit, cùm potest prohibere et avertere periculum inde consequens.

Tertius casus quo lethaliter peccat qui detrahentem audit, nec corripit, est cùm timore mundano, id est metu amittendi boni cujuspiam temporalis, verbi gratiâ, amicitiæ favorisve detrahentis, aut ne vir morosus habeatur, à præcepto correptionis fraternæ, seu à reprehensione obtrectatoris abstinet. Tunc, inquam, lethale peccatum est *propter radicem, quia timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale*, inquit S. Thomas. Timor enim mundanus semper malus est, sicut et *amor mundanus, quo aliquis mundo innititur tanquàm fini. Timor autem ex amore nascitur*, secundùm illud S. Augustini, lib. Quæstionum octoginta trium, quæstione octogesimâ tertiâ : *Nulli dubium est, non esse aliam metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Cùm itaque timor mundanus sit, *qui procedit ab amore mundano tanquàm à malâ radice*, semper malus est. Et *si aliquis propter timorem quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege Divinâ, talis timor est peccatum mortale.* Verba sunt Angelici doctoris, 2-2, quæst. 19, a. 3, et quæst. 125, a. 3.

« Non tamen semper aliquis resistere debet detractori, arguendo eum de falsitate, maximè si sciat verum esse quod dicitur, juxta illud Ecclesiastici quarto : *Non contradicas verbo veritatis ullo modo;* sed debet eum verbis redarguere de hoc quòd peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei; quia, ut dicitur Proverbiorum 35 : *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* » Ita docet S. Thomas, 2-2, quæst. 73, a. 4, in Responsione ad secundum. Locum illum Proverbiorum spe-

stat S. Hieronymus, epistolâ ad Rusticum scribens : « Detractor cùm tristem viderit faciem audientis, « imò ne audientis quidem, sed obturantis aures, ne « audiat judicium sanguinis, illicò conticescit, pallet « vultus, hærent labia, saliva siccatur. »

Regula XXV. — Qui detrahentem sit audit, ut ei penitùs displiceat detractio, et tamen ipsum non corripit, extra tres casus in superiori regulâ expositos, venialis tantùm peccati plerùmque reus est. — Hanc regulam eruo ex S. Thomâ, quæstione et articulo mox citatis. « Si verò, inquit, non placeat ei peccatum; sed « ex timore, vel negligentiâ, vel etiam verecundiâ « quâdam, omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multò minùs quàm detrahens : et plerùm« que venialiter. » Imò nullum quandoque peccatum committit, nempè si detractor sit persona superior, vel si nulla sit spes fructûs, imò timor probabilis detrahentem potiùs inflammandi, quàm sedandi.

Regula XXVI. — Christianus homo alienæ famæ detrahentes impatientiùs ferre debet, quàm suæ. — Hanc morum regulam tradit S. Thomas ibidem, in responsione ad primum. « Possunt, inquit, ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum factæ, alio« rum relationibus pervenire. Et tunc sui arbitrii est, « detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in pe« riculum aliorum. Et ideò in hoc potest commen« dari ejus patientia, quòd patienter proprias de« tractiones sustineat. Non est autem sui arbitrii « quòd patiatur detrimentum famæ alterius; et ideò « in culpam ei vertitur, si non resistit, cùm possit re« sistere, eâdem ratione quâ tenetur aliquis sublevare « asinum alterius jacentem sub onere, ut præcipitur, « Deuteronomii 22. » Nec refert quòd detractio interdùm cedat in eorum utilitatem, quibus detrahitur. Si quæ enim utilitas ex detractione provenit, « non est « ex intentione detrahentis, sed ex Dei ordinatione, « qui ex quolibet malo elicit bonum. Et ideò nihilo« minùs est detractoribus resistendum; sicut et rapto« ribus vel oppressoribus aliorum, quamvis ex hoc « oppressis vel spoliatis meritum crescat; » inquit S. Thomas ibidem, in responsione ad tertium. Præterea detractio gravissima tentatio est respectu illius cujus fama violatur. Unde S. Augustinus, epistolâ 78, aliàs 137, ait : « Quem Diabolus non potest devorare « seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare co« natur, ut si fieri potest opprobriis hominum, et ma« larum linguarum detractione deficiat, et sic in ejus « fauces ruat. » Quamobrem et ei qui detrahit, et ei cujus famæ detrahitur subvenire debet christianus homo resistendo detractori, quantùm potest.

Regula XXVII. — Detractionem detractione elidere, calumniam calumniâ repellere nunquàm licet; nec absque lethali peccato fieri potest. — Id enim Christi præcepto directè adversatur, præcepto charitatis, præcepto christianæ justitiæ; Matth. 5 : *Ego autem dico vobis, non resistere malo... Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus et calumniantibus vos;* et Lucæ, 6 : *Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos;* et ad Romanos, 12 : *Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere;* et 1 ad Corinthios, 4 : *Maledicimur, et benedicimus... Blasphemamur, et obsecramus;* et 1 Petri, cap. 3 : *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet à malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et sequatur eam...* Præterea, qui detractionem detractione elidere, calumniam calumniâ repellere conatur, christianæ mansuetudinis et patientiæ traditum à Christo præceptum parvipendit, et violare non veretur : *Discite à me,* inquit, Matth. 11, *quia mitis sum et humilis corde.* Præceptorem optimum et Salvatorem imitari refugit, *qui cùm malediceretur, non maledicebat.* Evangelicâ beatitudine se privat, eamque contemnit : *Beati estis,* inquit Christus, Matth. 5, *cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me, gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quod et S. Petrus, epist. 1, cap. 3 inculcat : « Sed et si quid, inquit, patimini propter justitiam, « beati. Dominum autem Christum sanctificate in cor« dibus vestris... Conscientiam habentes bonam; ut « in eo quòd detrahunt vobis, confundantur qui ca« lumniantur vestram bonam in Christo conversatio« nem. Melius est enim benefacientes, si voluntas Dei « velit, pati, quàm malefacientes. » Hinc S. Gregorius, homiliâ 9 in Ezechielem, ait : « Linguas detrahentium « sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi « pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus « æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; « aliquando autem etiam compescere, nedùm de no« bis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona « poterant, corda innocentium corrumpant. » Sed compescendos monet, non mutuâ detractione et calumniâ; imò potiùs ostensione bonorum, et virtutum quas à Deo acceperunt, et convictione calumniæ; ita tamen ut privatæ gloriæ amore id minimè faciant, sed in proximorum necessitatem, et quâdam necessitate compulsi. Sicut Apostolus cùm virtutes suas Corinthiis enumerâsset, adjunxit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Justi itaque sicut sine arrogantiâ loquuntur aliquandò bona quæ agunt, ita *sine zelo privatæ gloriæ detrahentium sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cùm verò linguæ detrahentium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ. Nec obtrectationis sermo timendus est, ne dùm vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur.*

Quamobrem ab Innocentio XI, pontifice maximo, die secundâ martii anni 1679, inter alias propositiones hæ ad minùs tanquàm scandalosæ, et in praxi perniciosæ damnatæ sunt; quæ à celeberrimis academiis, et plerisque Galliarum episcopis censorio stigmate antea inustæ fuerant.

43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritа*

*tem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? — 44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologiâ.*

REGULA XXVIII.—Quisquis falsum crimen imposuit alteri, aut verum ejus crimen injustè et contra debitum ordinem prodidit, famam ejus restituere tenetur quo meliori modo fieri potest. Si autem restituere non possit, famæ damnum exhibitione honoris, commendatione virtutis, aut alio congruo modo, secundùm viri prudentis arbitrium compensare. Nisi verò ad id præstandum sit paratus, absolvi sacramentaliter non debet.—In jure naturali fundata est hæc morum regula. *Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Famam porrò injustè ademptam nobis restitui volumus; igitur et famam alienam debemus restituere, si calumniâ, aut detractione gravi fuerimus ipsam deprædati. « Si res aliena, propter quam peccatum est, « cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur; si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut « dixi, cùm restitui potest, » inquit S. Augustinus, epistolâ 152, aliàs 54 ad Macedonium. Quòd si fortunæ bona omninò necessarium est restitui ab eo qui injustè abstulit; idem asserendum est de restitutione famæ injustè ablatæ, cùm bonum sit longè pretiosius, juxta illud Proverb. 22 : *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Tam necessariæ restitutionis exemplum dedit Megalius Calamensis episcopus, Numidiæ primas, qui S. Augustinum à Valerio Hipponensi episcopo coadjutorem postulatum ordinare noluerat, effutiens et scribens ab ipso Augustino amatoria maleficia data mulieri, marito non solùm conscio, sed et favente. Cujus calumniæ pœnitens Megalius, à concilio Numidiæ veniam petiit, et obtinuit, ut S. Augustinus refert, lib. 3 contra litteras Petiliani, cap. 16, et lib. 3 contra Cresconium, cap. 80.

Hanc regulam confirmat S. Thomas 2-2, quæst. 62, a. 2 : « Restitutio, inquit, est actus justitiæ commutativæ, quæ in quâdam æqualitate consistit. Et ideò « restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Cùm ergo conservare justitiam sit « de necessitate salutis; consequens est, quòd restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis. » Et in responsione ad secundum : « Aliquis, inquit, potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, et justè, putà, « cùm aliquis crimen alterius prodit ordine debito « servato, et tunc non tenetur ad restitutionem famæ. « Alio modo falsum dicendo, et injustè, et tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum « dixisse. Tertio modo, verum dicendo, sed injustè, « putà, cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum; et tunc tenetur ad restitutionem « famæ, quantùm potest, sine mendacio tamen : utpote quòd dicat se malè dixisse, vel quòd injustè « eum diffamaverit. Vel si non possit famam resti « tuere, debet ei aliter recompensare. »

Calumniatorem seu detractorem, qui falsum crimen alteri imposuit, apud omnes qui calumniam seu detractionem audiverunt, eique crediderunt, seu ad quos falsus et improbus de proximo rumor eo pervenit auctore, palinodiam recantare debere, asserere se fuisse mentitum vel deceptum, adhibitis, si necesse fuerit, testibus, præstito etiam juramento id confirmare, æquale famæ propriæ detrimentum pati, si resarciri aliter non possit aliena, quia in pari periculo potior est conditio innocentis quàm nocentis; theologi censent. Eum qui crimen occultum alterius contra juris ordinem evulgavit, errorem pariter suum atque injustitiam fateri debere coram omnibus apud quos proximi famam pessumdedit aut extenuavit; si crimen nihilominùs verum esse credant, quia detractor non contestatur se falsum dixisse, teneri ad famam resarciendam exhibitione honoris, commendatione virtutum, familiaritate quâdam cum eo cujus famæ derogavit; theologi pari consensu docent. Si sit impossibilis restitutio famæ alienæ, quam aliquis injustè violavit, aut fieri non possit sine jacturâ famæ propriæ longè præstantioris, verbi gratiâ, si calumniator aut detractor sit persona valdè celebris, et ecclesiæ vel reipublicæ necessaria; quæ autem læsa fuit, sit valdè obscura, minimèque necessaria, tunc locum esse aiunt compensationi, satisque fore si persona læsa laudetur in eo genere, in quo ejus famæ derogatum est, aut ejus infamia pecuniâ vel beneficiis compensetur; aut remissio restitutionis ab eâ muneribus et gratiis impetretur. Quod S. Thomæ verbis confirmant loco supra citato, et in responsione ad primum. « Quando, inquit, id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; putà, cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in « pecuniâ, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni « viri. »

Quàm necessaria sit, simul et quàm difficilis hâc in materiâ restitutio, disertè explicat venerabilis Gersonius, in responsione ad Quæstiones quatuor, quæst. 1 : « Nonnunquàm, inquit, faciliùs satisfit pro homicidio « corporali et furto, quàm hujusmodi homicidio et furto spirituali, scilicet detractione : quia in illis « quantitas damni æstimari potest, et sic correspondens emenda subsequi; in istis autem nequit, cùm « non satis constare possit in quot hominum cordibus « mediatè et immediatè detrahens bonam opinionem « et famam ejus, cui detraxit, occiderit, atque furtivè « bonum famæ, quod inter omnia alia corporalia et « hujus vitæ bona multùm est pretiosum, subtraxerit; « unde et difficulter satisfacere ipsi læso potest. Cùm « tamen, juxta beatum Augustinum, peccatum non dimittatur, nisi ablatum restituatur. Quomodo autem « restituet, cùm ignoret quantùm debet? »

Denique concilii Tridentini catechismus, p. 3, cap. 9, § 19, idem docet. « Cùm, inquit, peccatum quod infe « rendo falso crimine, aut proximi famæ aut existi « mationi obtrectando, commissum sit, non remitta-

« tur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, « satisfaciat injuriarum : id autem difficile fiat ab ho- « minibus, primò, ut antea monuimus, pudore, et « inani quâdam dignitatis opinione deterritis; qui in « eo peccato sit, hunc addictum esse æternis infero- « rum pœnis, dubitare non possumus. Neque enim « quisquam speret, se calumniarum, vel obtrectationis « veniam consequi posse, nisi priùs ei satisfaciat, de « cujus dignitate, et famâ, aut publicè in judicio, aut « etiam in privatis et familiaribus congressibus, aliquid « detraxerit. »

Regula XXIX. — Ab alienæ famæ restitutione calumniator seu detractor excusatur, qui absque vitæ periculo restituere illam non potest; nisi calumniâ suâ alterum in vitæ periculum adduxerit, ex quo aliter eripi non valeat. — Convenit enim inter theologos, bona inferioris ordinis ab illo qui injustè abstulit, vel retinet, non esse restituenda cum jacturâ bonorum superioris ordinis. At exceptionem addunt. Si enim homicidium, aut aliud crimen capitale quis imposuerit alteri, propter quod ille comprehensus et in carcerem conjectus, mox torquendus est, et capitali supplicio plectendus, contestari debet apud judicem se falsò accusâsse, aut falsum testimonium dixisse, et se periculo vitæ exponere, si liberari aliter non possit ille quem calumniâ suâ, vel falso testimonio in extremum illud vitæ periculum conjecit. Alioquin auctor esset necis innocenti inferendæ. Sed tamen aliæ viæ tentandæ sunt, quas prudentia christiana confessario suggeret, antequàm calumniatorem ad crimen suum prodendum, et ad famam alterius cum vitæ periculo restituendam, obliget et compellat. Adire potest judicem, apud ipsum contestari, certò se scire, sed eâ viâ quam lex naturalis et divina arcanam esse ac semper manere jubeant, hunc hominem N. talis criminis falsò accusatum, et calumniâ oppressum, innocentem esse ; ipsum proinde obsecrare in Dei nomine, cujus minister est, ut modis omnibus ipsum liberare conetur, caveatque ne damnetur insons, cujus sanguinem de manu illius Deus requireret. Si tantæ non sit auctoritatis confessarius, ut speret judicem contestationis atque obsecrationis suæ rationem habiturum, pœnitentem calumniatorem mittat ad episcopum, cui ut patri et pastori conscientiæ suæ arcanum, et extremas angustias aperiat. Episcopus verò suam apud judicem auctoritatem et commendationem interponet, ne damnet hominem, quem certò scit reum non esse, quamvis ejus innocentiam juridicis et forensibus mediis probare non possit, quia id fieri non potest salvâ et inviolatâ religione arcani, quod Deus revelari vetat. Persuadeat interim calumniatori pœnitenti, ut quicquid ex parte suâ conferre potest ad liberationem innocentis, illud conferat. Idem esto judicium de illo qui calumniis suis fax belli, aut seditionis incentor extitit, ex quibus multorum cædes probabiliter timentur; debet, inquam, ille calumniator significare seu fateri principi, qui bellum movet hujusmodi calumniis excitatus, vel seditiosis aut conjuratis, se falsum dixisse, totisque studiis et viribus eniti ad abolendam infamiam, aut rumores dissipandos, qui bello vel seditioni occasionem dederunt; et vitæ periculum etiam subire, si publicum malum, cujus ille causa est, aliter avertere non possit.

Quid verò facto opus, si auctor criminis, cujus in suspicionem venit innocens mox torquendus, et morti addicendus, hoc ipsi crimen non affinxerit, sed usus sit occasione datâ, ut crimen præcogitatum patraret, cujus in suspicionem alterum sciret adducendum? Verbi gratiâ, Petrus et Jacobus inter se rixantur publicè, multis coram testibus, gravissimis conviciis et contumeliis se mutuò impetunt, alter fortè pugnis et calcibus alterum aggreditur et lædit. Qui graviùs læsus est, alteri palam comminatur, aitque : Non ante dies crastina præteribit quàm te pœniteat. Rixæ hujus testis Martinus, veteres cum Petro aggressore inimicitias gerens, odiumque dissimulans, et ultionis occasionem quærens opportunam, illius horreum vel domum clam incendit, aut illum occidit, certus Jacobum, qui à Petro læsus est, ipsique minas atroces palam intentavit, in suspicionem incendii vel cædis adducendum, seque ab omni suspicione ac pœnâ immunem fore. Scelus reverà, quod meditatus est, Martinus exequitur; publicus rumor, indicia vehementia, testes rixæ ac minarum, quas Petro Jacobus intentavit, judicem cogunt ut Jacobum velut reum in carcerem mitti decernat; ipsum habitâ quæstione tormentis subjiciet, cogentibus judiciis, testibusque malæ voluntatis, quam verbis minacibus significavit, capite damnabit. Martinus incendii vel homicidii verus auctor, considerans innocentem suâ culpâ mox periturum, horrore sceleris, stimulis conscientiæ, divini judicii metu perculsus, confessarium adit, ad ejus pedes advolutus, crimen confitetur, se domum vel horreum incendisse, aut cædem perpetrâsse, cujus in suspicionem venit, aut falsò accusatus est Jacobus, et propter quam, innocens licet, mox damnandus est. Quid, inquam, facto opus hoc in casu? Teneturne seipsum prodere Martinus, seque periculo capitis exponere ut Jacobum, criminis, cujus ipse auctor est, falsò accusatum liberet?

Respondetur, non teneri, neque ad id compelli à confessario debere, si prodere seipsum non possit absque certo vel probabili periculo mortis, quia ipse non est causa infamiæ, vel periculi, in quibus versatur innocens. Imprudentiæ suæ, rixæ, minis, infelicitati, periculum suum Jacobus tribuat, non Martino, qui eâ quidem occasione usus est ut inimicum ulciscceretur, sed non eo animo ut Jacobum in periculum conjiceret, in quod non minùs incurrisset, si quis alter penitùs ignarus rixæ Jacobi cum Petro, ac minarum quas Petro Jacobus intentavit, Petrum occidisset, vel ejus horreum aut domum incendisset. Hoc igitur in casu prudens confessarius, vel episcopus, cujus in sinu arcanum illud conscientiæ depositum fuerit, apud judicem agent eo modo, quem superiùs indicavi, ut innocentem liberet : Martino verò persuadebunt ut damna, Petro illata, ipsi vel ejus hæredibus resarciat et compenset.

Regula XXX.—Libellorum, carminum, seu canticorum famosorum auctores, et disseminatores sive distributores, ad famæ restitutionem obligantur. — Debent scilicet aliis libellis, seu carminibus retractare quæcumque falsa, contumeliosa, injuriosa in proximum scripserunt; illos celebrare et ornare laudibus, quorum famam prosciderunt libellis aut carminibus maledicis, seu satyris; libellos encomiasticos seu carmina in laudem hujusmodi personarum edita, iisdem in locis affigere, exponere, disseminare, distribuere, pari numero, quo famosos libellos, aut carmina maledica distributa sunt; manuscripta, si libelli famosi, versusque maledici manuscripti fuerint; typis excusa, si typis editi in vulgus emissi sint? Id nisi sufficiat ad abolendam infamiam quam proximo asperserunt, dare operam debent, quantùm in ipsis est, ut curati et concionatores hujusmodi libellorum improbitatem aut falsitatem populo denuntiant; nullam fidem ipsis adhibendam christianæ plebi significent; gravis peccati reos fore, qui malè sentirent de personis illustribus quorum famam proscindunt; libellorum hujusmodi auctores crimen suum agnoscere et execrari, pœnitentiæ sensu commotos veniam precari; et secundùm consilium et arbitrium sacerdotum apud quos peccata sua deposuerunt, satisfacere velle. Tandem ab iis, quos læserunt, injuriæ condonationem humiliter petere debent, si periculum absit, et sacerdotes, virosque pios intercessores adhibere, ut illam obtineant.

Regula XXXI. — Qui uno genere peccati infamem alterius criminis aspergit infamiâ, restitutionis lege tenetur. — Qui enim unius alteriusve peccati laborat infamiâ, non ideò jus amisit ad famam ex aliis virtutibus consecutam. Qui, verbi gratiâ, concubinarius habetur, non propterea famâ excidit integri judicis, hominis à re alienâ manum temperantis, catholicæ fidei professoris et cultoris. Si quis igitur ipsi injustitiæ, furti, hæreseos infamiam inurat, gravem certè illi infert injuriam adeòque restitutionis lege tenetur. Sicut ergo qui suâ culpâ facultatum suarum partem amittit, reliquis propterea spoliari non debet; nec qui ob crimen uno membro truncatus est, ideò cæteris membris debet mutilari; ita qui uno genere peccati infamis est, retinet jus ad famam virtutes aliis peccatis oppositas consecutam. Ita vulgò theologi. Si tamen sint peccata connexa, qui unius peccati infamiâ justè notatum alteri peccato illud concomitanti, vel consequenti obnoxium dixerit, restitutionis lege non tenebitur; quia ex peccatis connexis una infamia resultat.

Regula XXXII.—Detractores ad restitutionem non tenentur, cùm eorum detractione nullum vulnus alienæ famæ inflictum est, cùm scilicet ob notam eorum improbitatem, maledicendi libidinem, levitatem, eorum apud quos detraxerunt, æquitatem et pietatem, eorum quibus detrahere conati sunt benè ac firmiter stabilitam, omnibus maledictis superiorum famam, fides hujusmodi detractoribus non est adhibita. A restitutionis obligatione pariter absolvuntur, cùm infamia oblivione deleta, aut alio modo abolita est, famaque recuperata. — Cùm enim restituere nihil aliud sit quàm *iteratò aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, ut æqualitas reparetur*, inquit S. Thomas, non obligatur ad restitutionem qui nullum damnum intulit, quamvis inferre voluerit, et conatus sit. Similiter si rem suam recuperaverit proximus, obligatione restituendi solutus est, qui illam injustè eripuerat; siquidem cessavit damnum, et reparata est æqualitas justitiam constituens. Verumtamen si quos sumptus ad recuperandam famam proximus fecit, illos restituere tenetur detractor: et ratione infamiæ quam aliquandiù passus est, ipso auctore, tenetur aliquid restituere ad arbitrium viri prudentis, honoris et reverentiæ significatione, veniæ petitione, virtutum commendatione. Tandem cùm verisimile est oblivione deletam infamiam, aut dubium est an criminis olim injustè vulgati memoria manserit, maximâ prudentiâ dirigendum ac gerendum est restitutionis negotium. Si enim compertum sit illos quibus occultum illius personæ peccatum, verbi gratiâ, ingenuæ puellæ fornicationem olim revelavit obtrectator, pravâ etiamnum opinione de illâ imbutos esse, de illâ velut de muliere impudicâ, vel parùm honestâ loqui, nullo fultos argumento, præter quàm præjudiciis ex veteri detractione conceptis, detractor ad restitutionem omninò tenetur, et ad pravam opinionem ex illorum animis, quoad ejus erit, delendam. Si verò compertum non habeat quid de illâ puellâ seu muliere sentiant, et an meminerint peccati quod olim de illâ narravit, non est necessarium, imò nec prudentiæ legibus conveniens, ut ab ipsis petat an recordentur, aut eâ de re quovis modo cum ipsis loquatur, ne vulnus obductum aperiatur et recrudescat; sed satis erit, si occasione datâ de illâ personâ honorificè loquatur, ejusque commendet honestatem.

Regula XXXIII. — Justa compensatio detractorem excusat à restitutione famæ. — Cùm enim duo detractores se mutuis maledictis et obtrectationibus æqualiter dilacerârunt, et par in utrumque redundavit infamia, jura illorum sunt paria; unde si unus alteri satisfacere, famamque ablatam restituere nolit, alter ad restitutionem non obligatur. Quamvis enim per infamiam Petro illatam à Joanne non tollatur infamia quam Petrus intulit Joanni, sicut in debitis pecuniariis unum extinguitur per aliud æquale; tollitur tamen obligatio resarciendi damnum famæ alteri allatum, si nolit alius æquale, quod intulit, damnum resarcire. Sicut si Petrus Joannis domum vel horreum incendit, et postea Joannes Petri domum vel horreum, æqualis pretii, incendat, non reparatur quidem damnum, tollitur tamen debitum restitutionis, si prior incendiarius non restituat. Hæc morum regula confirmatur ex cap. *Tua Fraternitas*, quod est Innocentii III, extra, de adulteriis, cujus hæc sunt verba: *Cùm paria crimina compensatione mutuâ deleantur, etc.* Sed compensationi non est locus, cùm inæqualis est injuria; vel cùm unus alteri damnum illatum vult resarcire; vel cùm scandalum ex compensatione oriretur; vel cùm mutuum damnum ab utrâque parte non-

dum illatum est. Non licet enim ad compensationem habendam illum afficere contumeliâ, qui te contumeliâ prior affecit; vel illius famæ detrahere, qui tuæ prior detraxit, ut superiùs diximus.

Regula XXXIV.—Justa compensatio non censetur, si quis famam ejus cui detraxit, in alio genere augeat, aut cum eo familiariter conversetur. — Nam si quem dixisti fornicarium, concubinarium, ebrietati deditum, laudes à liberalitate in pauperes, à justitiâ, à mansuetudine, infamiam ipsi illatam non delebis, sed ei continget quod aliis frequenter accidit, ut homines benè de ipso loquantur, verumtamen cum adversativâ particulâ *sed*, dicendo, liberalis est in pauperes, justus, mansuetus; sed proh dolor! fornicator est, concubinarius, ebrietati deditus.

Quod familiaritatem spectat cum eo cujus famæ derogatum est, censetur quidem qui læsus est, remittere injuriam, si familiariter agat cum detractore; sed non ideò remittere censetur obligationem restituendi famam, si nondùm sit recuperata, nisi illud factis aut verbis exprimat; sicut nec alius creditor debitum remittere censetur, si familiariter agat cum debitore.

Regula XXXV.—Justa condonatio restitutionis detractorem absolvit ab obligatione restituendi. — Sicut enim is cui condonatum est ut per furtum ablata non restituat, obligatione restituendi solutus est; ita detractor, cui persona læsa obligationem restituendi remisit, lege restitutionis ligatus non manet. Potest autem privatus quisque famæ suæ restitutionem condonare justâ de causâ, præsertim ob bonum charitatis et pacis, utque christianæ patientiæ meritum consequatur. Sed justa condonatio non est, si vergat in damnum aliorum, verbi gratiâ, si fama ejus sit aliis necessaria, qualis est fama prælati, concionatoris, doctoris, magistratûs, principis, qui munus suum rectè gerere, et Ecclesiæ vel reipublicæ, ut par est, prodesse non possunt, nisi sint integræ famæ. Nec etiam justa est condonatio propter eamdem rationem, si condonantis infamia redundat in alios, qualis est religiosorum virorum et sanctimonialium infamia, quæ in monasterium et ordinem redundat; infamia parentum, fratrum et sororum, quæ redundat in filios, fratres et sorores, ipsisque vel aditum ad officia, beneficia, honores, nuptias conditioni suæ convenientes intercludit; vel graviter suspectos reddit. Quamobrem hujusmodi condonatio detractorem non liberat ab onere restitutionis. Quamvis enim cedere quisque possit jure suo, cessione tamen suâ jus aliorum evertere aut prodere non potest. Hinc S. Thomas 2-2, quæstione 73, a. 4, in responsione ad primum: *Possunt*, inquit, *ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum facta aliorum relationibus pervenire. Et tunc sui arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum.* Cùm verò alicujus infamia vergit in periculum aliorum, famam suam tueri, et detractores modis legitimis compescere tenetur, quod Apostoli in epistolis suis, et SS. Patres editis apologiis fecerunt. Hinc S. Gregorius, homiliâ nonâ in Ezechielem scribit: *Illi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, et in pravis moribus remanentes, benè vivere contemnant.*

Regula XXXVI. — Prælatus, sive superior, qui detractorem audiens communitatis sibi commissæ, aut subditorum suorum famam dilacerantem; aut subditum suum alienæ famæ detrahentem, nec illos prohibet, ad restitutionem tenetur. — Famam enim communitatis non minùs, imò potiori jure, quàm bona temporalia conservare tenetur ex officio; adeòque et famam subditi, cujus infamia in communitatem redundat. Ipsi etiam incumbit ex officio curare bona subditorum, non solùm spiritualia, sed et temporalia, quæ ad spiritualium conservationem et profectum sunt necessaria, qualis est famæ laudabilis integritas. Tenetur etiam impedire ne subditi sui aliis noceant, idque nisi prohibeat cùm potest, subditumque coerceat, et ad restitutionem compellat, ipse ad restitutionem tenetur; sicut prætor, qui raptorem, furem, incendiarium à damno aliis inferendo non prohibuit, aut illati damni reos non coercuit secundùm leges, nec damnum resarciri curavit, quoad ejus erat, ad restitutionem obligatur. Prælatorum igitur maximè interest detractores et susurrones, qui sub pietatis specie et honesto zelatorum pallio sæpè delitescunt, procul à se removere. Quos si lubenter audiant, foveantque, inextricabilibus laqueis se implicant. Auscultent igitur divina illa præcepta: Proverb. 4: *Remove à te os pravum, et detrahentia labia sint procul à te;* Proverb. 29: *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios;* prudens illud S. Bernardi monitum, lib. 4 de Consideratione, ad Eugenium, cap. 6, ad praxim revocent: « Clandestinas et susurratas de« lationes non recipias, magis detractiones censueris. « Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut « omnem qui palam veretur dicere, quod in aure lo« cutus est, suspectum habeas. Quòd si te judicante « dicendum coram ille renuerit, delatorem judices, « non accusatorem. »

Regula XXXVII. — Detractor non solùm ad restitutionem famæ direptæ vel extenuatæ, sed ad resarcienda omnia damna ex infamiâ secuta omninò tenetur. — Ea enim damna resarcire quisque tenetur, quorum vera causa fuit: detractor porrò causa est damnorum omnium quæ ex detractione consequuntur. Ad ea itaque resarcienda tenetur. Hoc ratiocinium æquitate ipsâ naturali, et cap. *Si culpa*, nititur, extra. *de Injuriis et Damno dato*, quod est Gregorii IX: *Si culpâ tuâ*, inquit, *datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentiâ evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Regula XXXVIII. — Hæredes verbis restituere non tenentur famam à detractore discerptam, asserendo quòd fuerit mentitus, vel falsum locutus. — Hæc enim

obligatio personalis est, quæ ad hæredes non transit, ut vulgò censent theologi.

Regula XXXIX. — Detractionis hæredes tenentur resarcire damna ex infamiâ secuta. — Cùm enim hæc obligatio sit realis, ad hæredes transit cum ipsâ hæreditate, sicut et alia onera realia, et debita pecuniaria. Unde si detractor nullâ famæ injustè violatæ restitutione factâ moriatur, hæredes non solùm ad alia damna ex infamiâ secuta, sed ad ipsius famæ damnum exhibitione honoris, laudibus, vel pecuniâ compensandum teneri, si resarciri aliter non possit, gravissimi theologi censent. Si autem ille cujus fama violata est, moriatur, restitutio facienda est hæredibus, qui in ejus jura succedunt, et quorum maximè interest ut ejus fama et post mortem integra sit.

Regula XL. — Detractor qui alterius famam labefactando vel extenuando, ipsum impedit ab ecclesiastici beneficii consecutione, ad restitutionem tenetur si jam collatum aut destinatum erat illi beneficium; ad compensationem verò si nondùm collatum aut destinatum erat. — Hæc morum regula colligitur ex S. Thomâ, secundâ secundæ, quæst. 62, art. 2, in resp. ad quartum : « Aliquis, inquit, potest impedire « aliquem ne habeat præbendam multipliciter. Uno « modo justè, puta, si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quòd detur alicui personæ « digniori; et tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel aliquam recompensationem faciendam. « Alio modo injustè, putà, si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, « aut aliquid hujusmodi; et tunc si impedit ne præbenda detur digno, consulens quòd non detur, antequàm sit firmatum quòd ei detur, tenetur quidem « ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, et negotii, secundùm arbitrium « sapientis : non tamen tenetur ad æquale, quia illam « nondùm fuerat adeptus, et poterat multipliciter impediri. Si verò firmatum sit quòd alicui detur præbenda, et aliquis propter indebitam causam procuret quòd revocetur, idem est ac si jam habitam ei « auferret; et ideò tenetur ad restitutionem æqualis, « tamen secundùm suam facultatem. »

Regula XLI. — Exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis, lethalia peccata sunt, cùm ex invidiæ vel odii fonte procedunt, et grave malum est proximi de quo aliquis gaudet : et hi motus sunt deliberati. — Hæc enim peccata charitati opponuntur, cujus est *gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus*, ut ait Apostolus ad Romanos cap. 12. Nam *pro invicem sollicita* debent esse *membra, ut non sit schisma in corpore. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro*, inquit idem Apostolus, 1 ad Corinthios, cap. 12; et 2 ad Corinthios, cap. 11 : *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Hinc Job 31 dicitur : *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exultavi quòd invenisset eum malum.* Et Prov. 17 : *Qui in ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Quâ de re S. Gregorius, lib. 22 Moralium, cap. 6, ita scribit : « Omnipotentis Dei nos esse discipulos, sola custodia « charitatis probat. Hinc est enim quòd per semetipsam veritas dicit : *In hoc cognoscent omnes, quia « mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* « Quæ nimirùm dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solèt : scilicet si et amicos in Deo, et inimicos diligimus propter Deum. « Sed sciendum est, quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cùm nec de profectu addicimur, nec « de ruinâ illius lætamur. Nam sæpè in dilectionis « imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc « diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat. « Sed dilectionis vim occultè et veraciter aut profectus « inimici, aut casus interrogat. Hâc etenim de re ad « plenum semetipsam mens hominum nescit, nisi eum « quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu, mutâsse modum sui statûs invenerit. Si enim « de prosperitate addicitur et de calamitate se odientis lætatur, constat quia non amat, quem non vult « esse meliorem; eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur. »

Regula XLII. — Quamvis de nostrâ et proximorum ereptione ab iis qui nobis aliisque nocent vel nocere conantur, et de justitiâ Dei malos punientis legitimum sit christianumque gaudium, nunquàm tamen de inimicorum nostrorum calamitate vel interitu gaudere licet. — Hanc morum regulam tradit S. Gregorius, libro 22 Moralium, cap. 6 : « Necessarium est, inquit, « subtilissimæ discretionis examen; ne cùm nostra « odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. Si enim de inimici morte gaudendum omninò « non esset, Psalmista non diceret, psal. 57 : *Lætabitur justus cùm viderit vindictam impiorum.* Sed aliud « est impium, aliud verò inimicum perpeti. Nam sunt « plerique inimici, qui non sunt impii; et sunt nonnulli impii, qui nobis specialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem quem inimicum « tolerat, etiam impium et iniquum putat, quia ejus « culpas apud cogitationem suam livor accusator exaggerat. Quibuslibet verò flagitiis prematur, minùs « iniquus creditur, si adversarius minimè sentitur. « Quâ in re discernendum est aliud esse quod nobis, « aliud verò quod sibi et cæteris noster inimicus nocet. Nam si aliis bonus est, sine nostrâ forsitan « culpâ esse non potest nobis malus; nec omninò jam « de ejus ruinâ gaudendum est, cujus nos solos certum est adversa tolerâsse. Cùm verò noster ac multorum hostis perimitur, de ereptione proximorum « potiùs quàm de inimici interitu necesse est ut animus « lætetur. Oportet namque ut pereunte adversario, « subtiliter pensare debeamus et quid debemus ruinæ « peccatoris, et quid justitiæ ferientis. Nam cùm perversum quemque Omnipotens percutit, et condolendum est miseriæ pereuntis, et congaudendum « justitiæ judicis, ut nobis et in luctu sit pœna morientis proximi, et rursùs in gaudium veniat exhibita æquitas judicantis Dei. Quatenùs nec pereunti

« homini existamus adversarii, nec judicanti Deo « inveniamur ingrati. Beatus igitur Job, quia cuncta « in adversitate odia perfectè calcavît, dicat : *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exultavi « quòd invenisset eum malum;* qui videlicet et inimicum diligens, dùm adversario ruenti condoluit, in « malis illius ipse ad bonum crevit, ut inde iste ad « benignitatem crescerat, unde illum mala quæ merebatur, invenissent. »

## CAPUT VIII.

## De Gula.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid, et quàm grave sit peccatum?*

Gula est *inordinatus comedendi vel bibendi appetitus, sive immoderata in cibo et potu delectatio.* Lethale peccatum est, cùm tanta est inordinatio, ut hominem à fine ultimo avertat. « Quod quidem contingit, quando « delectationi gulæ inhæret homo tanquàm fini propter « quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur. » Aliàs veniale peccatum est, ut docet S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 148, art. 2. Vocatur etiam hoc vitium *crapula* vel *ingluvies*, et *gastrimargia*, quasi insanum ventris studium.

Hujus gravitas peccati probatur inde, quòd species quædam sit idololatriæ, cùm homines gulæ dediti ventri suo veluti Deo serviant, ut ait Apostolus ad Romanos 16 : *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri;* et ad Philippenses 3 : *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Et Eccli. 19 dicitur : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Hinc Tertullianus, lib. de Jejuniis, cap. 16 et 17 : « Ethnicus, inquit, idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis. « Deus enim tibi venter est, et pulmo templum, et « aqualiculus altare, et sacerdos cocus, et sanctus Spiritus nidor, et condimenta charismata, et ructus « prophetia..... Apud te agape in cacabis ferret, fides « in culinis calet, spes in ferculis jacet. *Primum homi- « nem de paradiso voluptatis gula ejecit.* » (Genes. 3.) Hinc Tertullianus, lib. de Jejuniis, cap. 3, ait : « Acceperat Adam à Deo legem non gustandi de arbore « agnitionis boni et mali, moriturus si gustâsset. Verùm faciliùs ventri quàm Deo cessit; pabulo potiùs « quàm præcepto annuit; salutem gulâ vendidit. « Manducavit denique et periit. Salvus alioquin, si « vel uni arbusculæ jejunare maluisset... Teneo igitur « à primordio homicidam gulam, etc. »

Hinc S. Basilius in sermone de Abdicatione rerum, ait : « Cave ne te adversarius simili atque primum « parentem peccato circumveniat, et quamprimùm de « paradiso deliciarum expellat. Nam qui callidæ escæ « objectione ita malitiosè illum spoliavit, nihil est quòd « jam vereatur, ne te per hoc præsentissimum venenum inficiat. »

Hinc S. Gregorius Magnus, in pastorali, parte 3, admonitione 20, ait : « Hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiâ pomi aperuit, sed in « peccati laqueo strinxit, divinâ voce dicitur : *Pectore « et ventre repes*, ac si ei apertè diceretur : Cogitatione et ingluvie super humana corda dominaberis. » Sed et ante illum S. Ambrosius, lib. de Paradiso, cap. 15 : « Qui sunt, inquit, qui in utero suo « ambulabant, nisi qui ventri et gulæ vivunt, quorum « Deus venter est, et gloria in pudendis eorum qui « terrena sapiunt, et cibo onerati, ad terrena cur« vantur? »

Esaü gulæ vitio primogeniti dignitatem juraque vendidit, de quo Apostolus ad Hebræos 12 : *Ne quis fornicator*, inquit, *aut profanus ut Esaü, qui propter unam escam vendidit primitiva sua : scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit Pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam.* Vitio gulæ populus Israël iram Dei provocavit. Unde Psal. 77 dicitur : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, et electos Israël impedivit.* Sed et in verum Israël æterni Judicis ultionem accendit. Unde Christus, Luc. 21, ait : *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa.* Gula spirituale ædificium virtutum à fundamentis subvertit, ut ostendit S. Gregorius Magnus, lib. 30 Moralium, cap. 13 : « Cùm, inquit, continenti « viro contra innumera vitia multa virtutum certami« na suppetant, cur sub exactoris clamore contempto, « de solo hìc ventre dicitur quòd ejus impetum impul« sumque restringat, nisi quòd nullus palmam spiri« tualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso « priùs per afflictam ventris concupiscentiam carnis « incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum spi« ritalis agonis assurgitur, si non priùs intra nosmet« ipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edo« matur : quia si non ea quæ nobis sunt viciniora « prosternimus, nimirùm ad ea quæ longiùs sunt, impu« gnanda transimus. Incassùm namque contra exte« riores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa « urbis mœnia civis insidians habetur. Mens quoque « ipsa certantis sub gravi confusionis dedecore à spi« ritalis certaminis congressione repellitur, quando « infirma in carnis prælio, gulæ gladiis confossa supe« ratur. Nam cùm se parvis prosterni conspicit, confli« gere cum majoribus erubescit. Nonnulli verò ordinem « certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, et « jam ad spiritalia bella consurgunt. Qui aliquando « multa etiam quæ magnæ sunt fortitudinis, faciunt; « sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne « quod fortiter egerint, perdunt; et dùm venter non « restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ « virtutes obruuntur. Unde et de Nabuchodonosor « vincente scribitur : *Princeps cocorum destruxit muros « Jerusalem.* Quid enim per muros Jerusalem signifi« cans Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad « pacis visionem tendit? Aut quis cocorum princeps

« nisi venter accipitur, cui diligentissima à coquentibus curâ servitur? Muros igitur Jerusalem princeps « cocorum destruit, quia virtutes animæ, dùm non « restringitur venter, perdit. »

Nec verò spiritalia solùm sed et temporalia damna gravissima gulæ vitium infert, paupertatem inprimis, cùm homines gulæ dediti et ebriosi conviviis, comessationibus et compotationibus patrimonium suum exhauriunt, aut quicquid ex labore et industriâ ipsis obvenit, obliguriunt, debita contrahunt quibus solvendis non sunt, et familiam suam ad extremam adigunt egestatem. Hinc Proverb. 21 dicitur : *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur.* Et Eccli. 19 : *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Valetudinem corporis gula profligat, hominem interimit, imò vivum sepelit. Hinc Eccli. 37 præceptum illud saluberrimum tradit Spiritus sanctus : *Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam : in multis enim escis erit infirmitas..... Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, alliciet vitam.* Et Proverb. 23 : *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ, cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo; et dices : Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi : quando evigilabo, et rursùs vina reperiam?* Mala ex ebrietate consecuta disertè describit S. Basilius, homiliâ in Ebrietatem, in quâ hæc habet inter alia : « Ebrietas rationis « interitus, roboris pernicies, senectus immatura, « mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii, quàm « gentium idola? Oculos habent, et non vident; aures « habent, et non audiunt · manus paralysi affectas « habent, pedes infirmos atque emortuos, » etc.

S. Basilio concinit S. Ambrosius, lib. de Eliâ et Jejunio, cap. 14 : « Rogas, inquit, ad jucunditatem, co« gis ad mortem; invitas ad prandium, efferre vis ad « sepulcrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina « prætendis, venena suffundis. Omne enim quicquid « nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, « somnum infestat, caput vexat. Et jam major vis « vini, quàm veneni est. Denique venenum vino ex« cluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moy« sen non solùm veneno, sed etiam draconum veneno, « vinum comparavit, dicens, Deuter. 32 : *Furor dra« conum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis.* Et « pulchrè addidit, *insanabilis;* multi enim à reliquo « serpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate. « Certè veneno caro vulneratur, mens sine noxâ est; « ebrietas ad corporis mortem, mentis etiam crimen « adjungit. »

### Articulus II.

*De gulæ speciebus.*

Quinque gulæ species à S. Thomâ, cæteris que theologis assignantur, isto versiculo expressæ : *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* Quæ quidem conditiones non sunt meræ circumstantiæ, sed diversa, ut loquuntur, motiva; seu rationes variæ quibus cibi potûsque concupiscentia inordinata movetur et excitatur. In esu namque duo spectari possunt, scilicet ipse cibus qui comeditur, et ejus comestio. Potest ergo inordinatio concupiscentiæ attendi dupliciter. Uno quidem modo, quantùm ad ipsum cibum qui sumitur; et sic quantùm ad substantiam vel speciem cibi, quærit aliquis cibos *lautos*, id est, pretiosos. Quantùm ad qualitatem, quærit cibos nimis accuratè præparatos, id est, *studiosè*, quantùm ad quantitatem, excedit *nimis* in edendo. Alio modo attenditur inordinatio concupiscentiæ, quantùm ad ipsam sumptionem cibi, vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quod est *præpropere*, vel quia non servat modum debitum in edendo, quod est *ardenter*. Ita S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 148, art. 4. Id ex S. Gregorio, lib. 30 Moralium, cap. 13, hausit S. Thomas. Sic porrò scribit S. Gregorius : « Sciendum est quia quinque nos modis gulæ vitium « tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præ« venit; aliquando verò tempus non prævenit, sed ci« bos lautiores quærit; aliquando quælibet quæ su« menda sunt, præparari accuratiùs expetit; aliquando « autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in « ipsâ quantitate sumendi mensuram moderatæ refec« tionis excedit. Nonnunquàm verò et objectus est « quod desiderat; et tamen ipso æstu immensi desi« derii deteriùs peccat. Mortis quippe sententiam pa« tris ore Jonathas meruit, quia in gustu mellis consti« tutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto « populus eductus, in eremo occubuit, quia despecto « manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. « Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex « eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas « vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæ« rere, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Jerusa« lem dicitur : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ,* « *superbia, saturitas panis, et abundantia;* apertè « ostenditur quòd idcircò salutem perdidit, quia cum « superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis ex« cessit. Et primogenitorum gloriam Esaü amisit, quia « magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticu« lam concupivit, quam dùm vendendis etiam primo« genitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, in« dicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. « Unde et lautiores cibos plerumque sine culpâ sumi« mus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ de« gustamus. Hic quippe, quem diximus, Esaü prima« tum per lenticulam perdidit; et Elias in eremo per « virtutem Spiritûs carnes edendo servavit. Unde et « antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupi« scentiam esse causam damnationis intelligit; et pri« mum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, « et secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est, « quòd plerumque Adam culpa committitur, etiam cùm « abjecta et vilia sumuntur. » Refertur et distinctione 5 de Consecratione, can. *Quinque modis.*

ARTICULUS III

*De gulæ filiabus.*

Gula capitale peccatum est, quod quinque filias parturit, scilicet *ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, et hebetudinem mentis*, ut docent S. Gregorius, lib. 31 Moralium, cap. 17, et S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 148, art. 6.

I. *Inepta lætitia est quæ capitur ex rebus quæ nullam delectationem parere possunt, si recta ratio consulatur; vel si aliquam afferre possunt, in illam dissoluto penitùs animo, hoc est, rationis gubernaculo per cibi et potûs immoderationem veluti sopito, aliquis effunditur.* Ad ineptam lætitiam pertinet jocandi genus illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; cùm scilicet aliquis causâ ludi utitur turpibus verbis, vel factis, vel etiam his quæ vergunt in nocumentum proximi, quæ lethalia per se peccata sunt, ut docet S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 168, art. 3. Ad lætitiam ineptam et incompositam pariter pertinet vanitas histrionum, larvatorum, thymelicorum, sive hominum alios ad voluptatem parùm ingenuam vel cantu, vel manu, aut aliâ quâvis gesticulatione, seu clam seu palam provocantium. Ad ineptam denique lætitiam pertinent choreæ dissolutæ, tripudia, motus omnes lascivi et indecori, qui intemperantis hilaritatis signa sunt vel incitamenta.

Ex gulâ ineptam illam oriri lætitiam evidens est. Unde Exodi 32 dicitur : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Quamvis ludum illum cum idololatriâ fuisse conjunctum doceat Apostolus 1 ad Corinthios, cap. 10, vers. 7; ludumque inhonestum et impudicum Tertullianus interpretetur lib. de Jejuniis, cap. 6 : *Intellige*, inquit, *sanctæ Scripturæ verecundiam : lusum nisi impudicum non denotâsset.* De primâ illâ gulæ sobole S. Basilius, homiliâ in Ebrietatem et Luxum, ita loquitur : « Rationem ac mentem « vinum demergit; voluptates et animi cæteros affec- « tus malos velut apum examen excitat. Quis currus « equorum indomitorum ita præceps fertur, aurigam « suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore « destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum? « Ex talibus itaque malis viri ac feminæ communes « constituentes choros, maloque dæmoni miseras tra- « dentes animas, sese invicem libidinum telis confo- « diunt atque lacerant. Risus inter se histrionicos, « cantus probrosos, meretricios gestus ad libidinem « invitantes exercent. Rides, dic mihi, et gaudes ineptâ « stolidâque lætitiâ, cùm lacrymas fundere ac dolere, « ob ea quæ admisisti, oportet? Cantus profanos exer- « ces, oblitus Psalmorum et Hymnorum quos didicis- « tis. Moves pedes, et insanus saltas, choræas ducis « illicitas, cùm genua ad Dei et Domini nostri Jesu « Christi cultum flectere oporteat. Quas ego fleam, « puellasne conjugii expertes, an maritis junctas? Hæ « quidem amissâ virginitate reversæ sunt; illæ verò « pudicitiam maritis minimè reduxerunt. Nam si quæ « forsan peccatum corpore vitavêre, animo tamen ad- « misêre; quæ quidem et de viris simul dicta mihi « monitaque sint. Vidit ille malè, visa est illa malè. « *Qui mulierem ad concupiscendum viderit, jam est « mœchatus eam in corde suo* (Matth. 5). Si fortuiti « occursus iis qui obiter mulierculam inspexerunt, « tantùm pariunt periculi, quantò majus fuerit, cùm « de industriâ congrediuntur, cùm deditâ operâ mu- « lieres in ebrietate et convivio, omni lascivo gestu, « saltatione, cantu impudico ad libidinem effrænes « juvenes invitantes spectantur? »

II. *Scurrilitas est immoderatio in jocis et facetiis, aut in studio commovendi aliis risum :* quæ veniale plerumque peccatum est, cùm personarum quidem decorum in jocis non servatur, sed abest scandalum et prava intentio; quandoque mortale, ratione materiæ seu objecti, si jocus redundet in gravem Dei, sanctorum, religionis, vel proximorum injuriam, aut obscœnus sit et ad libidinem provocans. Unde Apostolus ad Ephesios 5 ait : *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut* SCURRILITAS *quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Et 1 ad Corinthios, cap. 15 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Contra scurrilitatem generatim spectatam S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 17 in Epistolam ad Ephesios, hunc in modum invehitur : « Quid prodest « aliquid urbanum dicere? Solum moves risum. Dic « mihi, sutor facietne aliquid ex iis quæ ad artem « suam non pertinent, aut possidebit aliquod hujus- « modi instrumentum? Nequaquàm. Nam quæ non « sunt in usu, et quibus non habemus opus, ea nihil « ad nos. Nullus sit sermo otiosus. Nam ab otioso « sermone in absurdos et importunos decidimus. Non « est præsens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctûs, af- « flictionum et ejulatûs. Tu autem in dictis urbanis et « facetis tempus teris. Quis athleta stadium ingressus, « missâ sollicitudine decertandi cum adversario, ur- « bana verba loquitur et facta? Instat diabolus, cir- « cuit quærens ut rapiat, omnia movet, et in caput « tuum vertit omnia, et molitur ut te è nido ejiciat, « dentibus stridet, rugit, ignem spirat adversùs tuam « salutem : et tu sedes urbana et facta verba dicens, « et stulta loquens, et quæ ad rem non pertinent, « proferens? Rectè ergo poteris eum superare?... Lu- « dis deliciaris, facetaque et urbana dicis, et risum « moves, remque nihil existimas? A lepidis et urbanis « dictis quot perjuria, quot damna, quàm multa verba « turpia et obscœna? Annon sunt, inquis, ejusmodi « dicta urbana? Sed audi. Omnem urbanitatem et di- « cacitatem expellit tempus belli et pugnæ, vigiliæ, « custodiæ, armaturæ, et aciei instruendæ. Nullum « locum hìc habere potest tempus risûs : hoc enim est « tempus mundi. Audi Christum dicentem : *Mundus « gaudebit, vos autem contristabimini.* Christus in cru- « cem actus est propter tua mala, tu autem rides? « Impactæ sunt illi alapæ et colaphi, et tam multa « passus est propter tuam calamitatem, et quæ te com- « prehenderat tempestatem : tu autem degis in deli- « ciis. Et quomodò non eum magis irritas? Sed quo- « niam videtur quibusdam res esse indifferens, ne sic

« quidem ipsum oporteret despicere, scientem quòd « ex eo multa nascantur mala, crescantque, et sæpè « desinant in scortationem. Quod autem non sit indif- « ferens, inde est perspicuum. Videamus ergo unde « nascatur; vel potiùs videamus cujusmodi oportet « esse sanctum, mitem, mansuetum, lugentem. Qui « ergo dicit urbana et faceta, non est sanctus, etiamsi « sit Græcus, id est, ridiculus. Iis solis qui sunt in « scenâ hæc permittuntur. Ubi est turpitudo, illic est « etiam urbanitas et dicacitas. Audi Prophetam dicen- « tem : *Servite Domino in timore, et exultate ei in tre- « more.* Nam urbanitas ac dicacitas mollem efficit ani- « mam, pigramque attollit et excitat, multaque probra « parturit, et contumelias, et bella facit.... Procul est « à Christiano comicis dictis incessere; et necesse est « ei qui urbanis ac facetis dictis utitur, supervacaneas « suscipere inimicitias eorum qui temerè urbanis dic- « teriis irridentur, sive adsint, sive absentes audie- « rint. Si res est pulchra et honesta, cur relinquitur « mimis? Minùs evadis, et te non pudet. Magna mala « habitant in animâ quæ verba usurpat urbana et fa- « ceta, magna effusæ lætitiæ dissolutio, et ironia ac « simulatio, hiat compago, marcescit ac putrescit ædi- « ficium, exterminatur timor, abest pietas ac reve- « rentia. »

Sacrilega scurrilitas est Scripturæ sacræ aut officiorum ecclesiasticorum verbis et sententiis abuti *ad scurrilia, fabulosa, vana,* etc. Eos omnes qui in hanc irreverentiam et contemptum incidunt, tanquàm temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceri jubet Tridentinia synodus, sessione quartâ. Quod et à sequentibus conciliis in provinciis congregatis statutum est, scilicet Mediolanensi I, anno 1565, p. 1, num. 2; Bituricensi, anno 1584, tit. 4, cap. 3; Aquensi, anno 1585, tit. de Vitâ et Honestate clericorum, p. 4, cap. 15, num. 3; et Tolosano, anno 1590.

III. *Immunditiæ* nomine intelligitur *impuritas omnis verborum et factorum*, obscœnitas omnis, quâ vel per vomitum, vel pollutionem etiam in somno ex intemperantiâ consecutam, corpus et anima helluonum et potatorum contaminantur. Quò spectat illud Isaiæ 28 : *Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt : sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino... Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus.* Hinc Tertullianus lib. de Jejuniis : *Appendices gulæ*, inquit, *lascivia atque luxuria;* et S. Hieronymus : *Venter escis repletus, facilè despumat in libidines.*

IV. *Multiloquium*, sive garrulitas effrænis, quarta gulæ filia, veniale plerumque peccatum est; aliquando mortale, si nimirùm in Dei aut proximorum injuriam effundatur : quod hominibus nimio cibo aut potu exhilaratis sæpè contingit. Arcana enim sibi commissa revelant, præsentes contumeliis insectantur, absentibus lubenter detrahunt, de rebus divinis temerè et impiè loquuntur. Quò spectat illud Psal. 72 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis. Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terrâ.* Hinc multiloquium velut cum peccato semper conjunctum Spiritus sanctus prohibet. Proverb. 10 : *In multiloquio non deerit peccatum : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Proverb. 13 : *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Proverb. 31 : *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; et ne fortè bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* Eccli. 20 : *Qui multis utitur verbis, lædet animam suam.* Et cap. 23 : *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum : est enim in illa verbum peccati.*

V. *Hebetudo sensûs*, sive mentis, quinta gulæ filia. Crapula nimirùm et ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut ineptus reddatur homo ad veritatis contemplationem, et ad actiones omnes quæ ingenii, rationis et prudentiæ luce ac moderamine magis indigent; Deique etiam obliviscatur. Hinc Eccle. cap. 2 Salomon ait : *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Et Osee 4 : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas, auferunt cor.* Hinc Tertullianus, lib. de Jejuniis, cap. 6 : « Conscientiam communem, inquit, consulamus, « ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum et « potum in virgine adhuc saliva exhibere consuevit « rebus duntaxat sensus agendis quo divina tractantur, « si multò pollentioris mentis, si multò vivacioris cor- « dis, quàm cùm totum illud domicilium interioris ho- « minis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis « jam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur « latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo super- « sit, quàm ad lasciviam sapere... Cæterùm quotus- « quisque meminerit religionis, occupatis memoriæ « locis, impeditis sapientiæ membris? Nemo ita ut « decet, ita ut par est, ita ut utile est, recordabitur « Dei in eo tempore, in quo ipsum sibi hominem ex- « cidere solemne est. Omnem disciplinam victus aut « occidit, aut vulnerat. Mentior si non Dominus ipse « oblivionem sui exprobrans Israeli, causam plenitu- « dini deputat : *Incrassatus est dilectus et pinguefactus,* « *et dilatatus est, et dereliquit Deum qui fecit eum, et* « *abscessit à Domino salutificatore suo.* » Deuter. 32.

Hebetudo porrò sensûs non solùm pœna peccati, sed peccatum est, quatenùs est voluntaria, ut in iis qui scientes, advertentes, et ad advertendum obligati, in sensûs hebetudinem incurrunt. Quod quidem peccatum lethale est, cùm aliquis ex affectu ad terrena fastidit ac negligit considerationem spiritualium, eo tempore quo sub periculo salutis obligatur; vel cùm ex nimiâ cibi et potûs ingurgitatione redditur ineptus ad exequenda officia, seu civilia, seu religiosa, quæ implere tenetur, veluti si medicus, advocatus, judex concionator, curatus, confessarius, redduntur inepti ad munia sua, ut par est, obeunda.

### Articulus IV.

### *De gulæ remediis.*

1. Remedia contra gulam præcipua sunt, temperan-

tia, jejunium, sobrietas. Temperantiæ regulam afflante Spiritu sancto tradit Siracides, Eccli. 31 : *Supra mensam magnam sedisti? Non aperias super illam faucem tuam prior. Non dicas sic : Multa sunt, quæ super illam sunt; memento quoniam malus est oculus nequam... Ne extendasm manu tuam prior, et invidiâ contaminatus erubescas. Ne comprimaris in convivio. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. Utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur; ne, cùm manducas multùm, odio habearis. Cessa prior causâ disciplinæ; et noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.* De sobrietate præcepta subjunxit : *Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate; si bibas illud moderatè, eris sobrius... Quæ vita est ei qui minuitur vino? Quid defraudat vitam? Mors. Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ et cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ et corpori sobrius potus. Vinum multùm potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multùm potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera.*

II. Ad coercendam gulam, divitis illius epulonis in inferis cruciatus meditari peropportunum est. Ut enim ait Tertullianus, lib. de Jejuniis : *Apud inferos in divite convivia cruciantur, in paupere verò jejunia recreantur.* Considerandum quod Apostolus 1 ad Corinthios 6, scribit : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet.* Et ad Hebræos 13 : *Optimum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Et rursùs 1 ad Corinthios 10 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod præceptum implemus, cùm modestè, frugaliter et temperanter manducamus et bibimus, ut explicat S. Augustinus, Enarratione in Psal. 147, ubi modum docet quo Deum in omni vitâ nostrâ laudemus : « Si benè agis, inquit, « quod et manducas, et bibis, et ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias « agens ei qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia, et cibus tuus, et potus tuus « laudat Deum; si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentiâ te « ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, « vita blasphemat. »

III. Temperantiæ hujus exemplum posteris omnibus imitandum primi Christiani præbuerunt; quorum de conviviis Tertullianus, Apologetici cap. 39, scribit : « Cœna nostra de nomine rationem suî ostendit. Id vocatur quod dilectio penès Græcos. Quantiscumque sumptibus constet : Lucrum est pietatis nomine « facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non quà penès vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed « quà penès Deum major est contemplatio mediocrium. « Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem « disciplinæ æstimate qui sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs « discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. « Editur quantùm esurientes cupiunt; bibitur quantùm « pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint « etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam « manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in « medium Deo canere. Hinc probatur quomodo bibe- « rint. Æquè oratio convivium dirimit. Indè discceditur « non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad « eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, ut qui non « tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam. » Et Municius Felix, in Octavio : « Convivia, inquit, non tantùm pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed « gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, « corpore castiore. »

IV. Christianæ temperantiæ regulas explicat S. Augustinus, lib. 2 Quæstionum Evangelicarum, quæst 11, ubi præmisit Joannis abstinentiam à cibis et potu luctum pœnitentiæ significâsse; Christum verò utendo cum cæteris cibo et potu, lætitiam regni figurâsse, subdit : « Quod autem, subjungit : *Et justificata est sa-* « *pientia ab omnibus filiis suis*, ostendit filios sapientiæ « intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando « esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantiâ per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi vel non sumendi ea quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omninò quid « alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, « dummodò congruas in generibus alimentorum his « cum quibus tibi vivendum est. Neque quantùm sumas, multùm interest, cùm videamus aliorum stomachum citiùs satiari, et eos tamen illi ipsi parvo « quo satiantur, ardenter et intolerabiliter, et omninò turpiter inhiare; alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabiliùs inopiam perpeti, et vel antè « ora positas epulas, si id in tempore aut opus sit, « aut necesse sit, cum tranquillitate adspicere, neque « tangere. Magis ergo interest, non quid vel quantùm « alimentorum pro congruentiâ hominum atque personæ suæ et pro suæ valetudinis necessitate quis « capiat, sed quantâ facilitate atque serenitate animi « careat, cùm his vel oportet, vel etiam necesse est « carere, ut illud in animo Christiani compleatur quod « Apostolus dicit, Philip. 4 : *Scio et minùs habere, scio* « *et abundare, in omnibus et in omnibus imbutus sum, et* « *satiari et esurire et abundare, et penuriam pati : omnia* « *possum in eo qui me confortat.* Et illud 1 Cor. 8. « *Neque si manducaverimus, abundabimus; neque si* « *non manducaverimus egebimus.* Et illud, Rom. 14 : « *Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia* « *et pax, et gaudium.* Et quia solent homines multùm « gaudere de carnalibus epulis, addidit, *in Spiritu san-*

« *cto*. Justificatur ergo sapientia ab omnibus filiis suis, « qui intelligunt, utendis terrenis tempora opportuna « esse debere; facilitatem verò utendi talibus, et amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, sed perpetuò retineri. »

V. Denique S. Johannes Climacus, Scalæ suæ mysticæ gradu 14, temperantiæ comparandæ modum tradit, meditationem scilicet novissimorum hominis et passionum Christi. « Si Christo, inquit, te per « angustam et asperam salutis viam ambulaturum « esse pollicitus es, appetitum tuum temperantiâ compesce. Si enim corpus tuum molliùs et indulgentiùs « curaveris, pacta cum Christo inita rescidisti. Attende diligentiùs ad verba ex ipsius ore profecta : *Lata « et spatiosa via est*, genialium scilicet epularum *quæ « ad interitum*, luxuriæ, deducit; ex adverso : *Quàm « angusta et arcta via est*, abstinentiæ, *quæ ducit ad « vitam*, castitatis, *et pauci sunt qui intrant per eam!* « Quemadmodùm Lucifer de cœlo deturbatus dæmonum principatum, ita et intemperantia vitiorum seu « libidinum principatum obtinet. Ubi ad cibum capiendum accubueris, tibi in mentem mortis et judicii recordatio veniat : hoc pacto intemperantiam « coercere poteris. Ubi poculum bibiturus acceperis, « memineris acetum et fel Jesu Christo oblatum, atque ita sobrietatis limitem non transilies, vel certè « majori humilitatis et modestiæ sensu concepto, in « altiora suspiria prorumpes. Cave ne tibimetipsi fucum facias : nusquàm ab Pharaonis servitute vindicabere, nec unquàm cœleste Pascha celebrabis, quin « lactucas agrestes et acerbiores cum azymis toto vitæ « curriculo comederis. Lactucæ autem illæ gustatu « acerbæ sunt violentia et mortificationis labor inter « jejunia tolerari solitus; azyma autem sunt sincera « humilitas mentis, quæ omnem tumorem et fastum « abs se procul ablegaverit.

### Articulus V.

*Regulæ morum, circa gulam et ebrietatem.*

Regula I. — Gula quatenùs avertit à fine ultimo, lethale peccatum est, cùm scilicet homo præcepta Dei et Ecclesiæ propter delectationes gulæ violare paratus est. — Hanc morum regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæst. 148 art. 2, in corpore articuli, et in resp. ad secundum : « Vitium gulæ, inquit, habet quòd sit peccatum mortale, in quantum avertit à fine ultimo, et « secundùm hoc per quamdam reductionem opponi « tur præcepto de sanctificatione sabbati, in quo præcipitur quies in fine ultimo. Non enim omnia peccata mortalia directè contrariantur præceptis Decalogi, sed solùm illa quæ injustitiam continent; quia « præcepta Decalogi specialiter pertinent ad justitiam « et partes ejus. » Quinto etiam præcepto opponitur, quia homines gulæ et ebrietati dediti, valetudinem suam plerumque lædunt, vitæ suæ tempus contrahunt, se ipsos quodammodo interimunt, tum quia ebrietas sæpè suscitat rixas, contentiones, et pugnas, è quibus deinde vulnera et cædes consequuntur. Hinc S. Hieronymus, lib. 2 contra Jovinianum, cap. 8 : « Cùm, inquit, variis « nidoribus fumant patinæ, ad esum sui expletâ esurie « quasi captivos trahunt. Unde et morbi ex saturitate « nimiâ concitantur; multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, et quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet crassa « et obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleverint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, « in paralysim et pessima morborum genera erumpere, et idcircò esse necessariam demptionem, ut rursùm habeant in quæ possint crescere; non enim « manere in uno statu naturam corporum, sed aut « crescere semper, aut decrescere, nec posse vivere « animal, nisi crescendi capax sit. Unde et Galenus « vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas quorum vita et ars sagina est, dicit in Exhortatione medicinæ, nec vivere posse diù, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine et adipibus, quasi « luto, involutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus et ructu, et ventris ingluvie cogitare. « Diogenes tyrannos, et subversiones urbium, bellaque vel hostilia vel civilia, non pro simplici victu « olerum pomorumque, sed pro carnibus et epularum « deliciis asserit excitari. » Et S. Ambrosius, lib. de Eliâ et Jejunio, cap. 12 de ebrietate, inquit, ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt. « Pro vino sanguis effunditur, et ipsum sanguinem vina fuderunt. « Quàm fortes sibi homines videntur in vino, quàm « deserti, quàm etiam pulchri ac decori, cùm stare non « possint? Mens necesse est titubet, lingua balbutiat, « pallor exsanguis ora suffundat, fætor ebrietatis horrori sit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si « quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora saucium vini lacrymas fundere, miserabiles epilogos « decantare. » Pugnant denique crapula et ebrietas cum sexto præcepto. Unde Apostolus ad Ephesios 5, ait : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Hinc illud comici à S. Hieronymo citatum : *Sine Cerere et Libero friget Venus*.

Regula II. — Ebrietas lethale peccatum est, cùm quis vim potûs cognoscens, et ultra modum bibens, inebriatur. — Propheticâ, evangelicâ et apostolicâ auctoritate hæc regula nititur. Ait enim Isaias, cap. 5 : *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis*. Sed et ante Isaiam Salomon eodem Spiritu afflatus *Væ* temulentis et ebriis dixerat Prov. 23 : *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et studeni calicibus epotandis?* Christus verò, Lucæ 21 : *Attendite vobis*, inquit, *ne fortè graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa : tanquàm laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis*. Apostolus denique comessationem et ebrietatem inter graviora peccata et opera tenebrarum, sive opera carnis, à regno Dei excludentia, numerat, ad Romanos 13 : *Abjiciamus ergo opera tene-*

*brarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Et 1 ad Corinthios 5: *Nunc autem scripsi vobis non commisceri: si is qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.* Et cap. 6 : *Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et ad Galatas 5 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia,* EBRIETATES, COMESSATIONES, *et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et 1 ad Thessalonicenses 5 : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquàm fur comprehendat; omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei ; non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem, qui diei sumus, sobrii sumus.*

Hanc regulam Patres confirmant, inter alios S. Petrus Chrysologus, sermone 26 : Meritò, inquit, inter « cætera quæ in dispensatore malo arguit hodiernus « sermo, vini condemnat insaniam, dicendo, Luc. 12 : « *Quòd si dicat servus ille : Moram facit dominus meus « venire; et cœperit percutere pueros et ancillas, et « edere et inebriari.* Propriè dixit, edere, et bibere, et in- « ebriari, et percutere. Ebrietas cædis mater, parens « litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est « magistra : hanc qui habet, se non habet; hanc qui « habet, homo non est; hanc qui habet, non pecca- « tum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæ- « mon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, in- « vitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris inju- « ria : hanc nullus noverit Christianus, ne auditu « quidem sacerdos attingat, ne qui est forma vir- « tutum, vitiorum inde fiat et inveniatur exem- « plum. »

Eamdem regulam confirmat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 150, art. 2 : « Culpa, inquit, ebrie- « tatis consistit in immoderato usu et concupiscentiâ « vini. Hoc autem contingit tripliciter. Uno modo sic, « quòd nesciat potum esse immoderatum, non tamen « æstimet potum esse inebriare potentem. Et sic ebrie- « tas potest esse sine peccato, præcipuè si ex negli- « gentiâ hominis non contingat. Sic Noe inebriatus « fuisse creditur. Alio modo sic, quòd aliquis perci- « piat potum esse immoderatum, non tamen æstimet « potum esse inebriare potentem ; et sic ebrietas po- « test esse cum peccato veniali. Tertio modo potest « contingere quòd aliquis benè advertat potum esse « immoderatum et inebriantem ; et tamen magis vult « errietatem incurrere, quàm à potu abstinere. Et « sic ebrietas est peccatum mortale, quia homo vo- « lens et sciens privat se usu rationis, quo secun- « dùm virtutem operatur, et peccata declinat; et « sic peccat mortaliter periculo peccandi se commit- « tens. »

S. Ambrosii auctoritate assertionem suam roborat lib. 1 de Abraham, cap. 6 : « Sanè, inquit, discimus « vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non « possumus. Nam quæ sobrii cavemus, per ebrieta- « tem ignorantes committimus. Parum est quòd ea « inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis ; « ipsam quoque mentem subruit, et animum capit, « sensum extorquet..... Multi se fortes putant, num « fortiores quàm Lot? Num continentiores quàm Noe? « Non utique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, « quos victos vino legimus; sed ut tu disceres quid « caveres. Ille nudus jacuit, iste filiarum errori patuit. « Et Noe justus deceptus est, quia vini vis adhuc igno- « rabatur ; sed in illo instructus es ne tu ignorares. « Lot filiabus se credidit, et per senectutem madi- « dam vino solutus, commisit incestum ignorans : tu « sic bibe, ne capiaris. Instruant te Patriarchæ non « solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum « est exemplum ebrietatis, ut confirmetur magisterium « cautionis. »

REGULA III. — Ebrietas frequens et assidua gravius peccatum est eâ in quam semel quis incurrit : quamvis et ista lethale sit peccatum. — Hæc morum regula sacrorum canonum auctoritate nititur, qui gravioribus pœnis ebrietatem frequentem et assiduam plectunt, scilicet depositione in clericis majoribus : excommunicatione verò in clericis minoribus et in laicis. Ita canones, inter eos qui Apostolici inscribuntur, quadragesimus secundus et quadragesimus tertius : « Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, aleæ « et ebrietati deserviens, vel cesset, vel deponatur. « Hypodiaconus, vel lector, vel cantor similia faciens, « vel cesset, vel communione privetur. Similiter etiam « laicus. » Refertur can. *Episcopus*, distinctione 35. Ita concilii Moguntini, Carolo Magno imperante celebrati, canon quadragesimus sextus : « Magnum malum « ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omni- « bus cavere præcipimus. Et qui hoc cavere noluerit, « excommunicandum eum esse decrevimus, usque ad « emendationem congruam. » Insertus est hic canon libro quinto Capitularium, cap. 162. Aliter tamen cum ebriosis agendum visum est S. Augustino propter eorum multitudinem in Africâ, et ab excommunicatione abstinendum. Ita quippe scribit ad Aurelium Carthaginensem episcopum, epist. 22, aliàs 64 : « Scias « non desperare nos, imò sperare vehementer, quòd « Dominus et Deus noster per auctoritatem personæ « quam geris, multas carnales fœditates et ægritudi- « nes, quas Africana Ecclesia in multis patitur, in « paucis gemit, consiliorum gravitate tuâ possit sa- « nare. Cùm enim Apostolus tria breviter genera « vitiorum detestanda et vitanda uno in loco posuerit, « de quibus innumerabilium vitiorum exsurgit seges, « unum horum quod secundo loco posuit, acerrimè

« in Ecclesiâ vindicatur, duo autem reliqua, id est, « primum et ultimum, tolerabilia videntur hominibus, « atque ita paulatim fieri potest, ut nec vitia jam pu- « tentur. Ait enim Vas electionis, Rom. 13 : *Non in « comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et « impudicitiis, non in contentione et dolo, sed induite « vos Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne « feceritis in concupiscentiis.* Horum ergo trium, cu- « bilia et impudicitiæ tam magnum crimen putantur, « ut nemo dignus non modò ecclesiastico ministerio, « sed ipsâ etiam sacramentorum communione videa- « tur, qui se isto peccato maculavit. Et rectè omninò. « Sed quare solùm ? Comessationes enim et ebrietates « ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem « etiam beatissimorum martyrum, non solùm per dies « solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, « qui hæc non carnis oculis inspicit ? ) sed etiam quo- « tidiè celebrentur. Quæ fœditas si tantùm flagitiosa « et non etiam sacrilega esset, quibuscumque toleran- « tiæ viribus sustentandam putaremus. Quanquàm « ubi est illud, quod cùm multa vitia enumerâsset « idem Apostolus 1 Cor. 5, inter quæ posuit ebriosos, « ita conclusit, ut diceret cum talibus nec panem « edere ? Sed feramus hæc in luxu et labe domesticâ, « et eorum conviviorum quæ privatis parietibus con- « tinentur, accipiamusque cum eis corpus Christi, « cum quibus panem edere prohibemur, saltem de « sanctorum corporum sepulcris, saltem de locis sa- « cramentorum, de domibus orationum tantum dede- « cus arceatur. Quis enim audet vetare privatim quod, « cùm frequentatur in sanctis locis, honor martyrum « nominatur ? » Et infra : « Non ergo asperè, quan- « tùm existimo, non duriter, non modo imperioso « ista tolluntur, magis docendo, quàm jubendo, ma- « gis monendo quàm minando. Sic enim agendum est « cum multitudine; severitas autem exercenda est in « peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore « fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, « ne nos ipsi in nostrâ potestate, sed Deus in nostro « sermone timeatur. » Et sermone 17, aliàs 28 ex ho- miliis quinquaginta : « Omne peccatum, inquit, con- « suetudine vilescit, et fit homini quasi nullum sit : « obduruit, jam dolorem perdidit. Quod valdè putre « est, nec dolet ; quod non dolet, non pro sano haben- « dum, sed pro mortuo computandum est. Attendite « quid dicat Scriptura, et ibi videte quemadmodùm « vivere debeatis. Quis non contemnat ebriositatis « peccatum ? Abundat tale peccatum, et contemni- « tur. Jam cor ebriosum perdidit sensum, non habet « dolorem, quia nec salutem. Quando aliquid pungi- « tur et dolet, aut sanum est, aut est in illo spes ali- « qua sanitatis ; quando autem tangitur, pungitur, « vellicatur, nec dolet, pro mortuo habendum est, ac « de corpore præcidendum. Sed aliquando nos parci- « mus, et non novimus nisi loqui ; excommunicare, « de Ecclesiâ projicere pigri sumus. Aliquando enim « timemus ne ipso flagello pejor fiat qui cæditur. Et « quamvis qui tales sunt, jam in animâ mortui sunt, « tamen quia medicus noster omnipotens est, non est « desperandum de his, sed totis viribus supplicandum « ut aures cordis, quas clausas habere probantur, Do « minus aperire dignetur.

Quòd autem S. Cæsarius, homiliâ 8, aliàs S. Au- gustino adscriptâ, et inter sermones illius de Sanctis 41, ebrietatem esse mortale peccatum dicat, si assidua sit, non probat hominem qui semel aut ite- rùm inebriatur, peccati lethalis reum non esse; sed cùm excusari possit aliquando à reatu peccati morta- lis, qui semel inebriatur, quia vim potûs, viriumque suarum capacitatem ignorat, nunquàm excusari po- test ille cujus frequens ebrietas est. « Assiduitas, in- « quit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 150, art. « 2, in resp. ad primum, facit ebrietatem esse pecca- « tum mortale, non propter solam iterationem actûs, « sed quia non potest esse quòd homo assiduè inebrie- « tur, quin sciens et volens ebrietatem incurrat, dùm « multoties experitur fortitudinem vini, et suam habi- « litatem ad ebrietatem. » Sanè S. Cæsarius, Sermo- nibus 90 et 91 contra ebrietatem, qui nunc editi sunt in Augustinianorum Appendice ducentesimus nona- gesimus quartus et ducentesimus nonagesimus-quin- tus, ebrietatem absolutè asserit peccatum esse æternâ pœnâ plectendum.

Regula IV.—Ebriosi non sunt absolvendi, nisi cum malâ ebrietatis consuetudine viriliter pugnent.—Aliàs enim de sinceritate pœnitentiæ illorum non constat. Illam pugnandi cum pravâ consuetudine obligationem hâc in materiâ S. Augustinus inculcat sermone 151, aliàs de Tempore 45. « Baptizatus est inquit et ebrio- « sus ; audivit, et cum timore audivit, inter cætera « mala quibus homnibus malè viventibus intercludi- « tur regnum Dei, commemoratam esse et ebrieta- « tem : quia ubi dictum est 1 Cor. 6 : *Neque forni- « catores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque « molles, neque masculorum concubitores, neque fures,* « ibi additum est, *neque ebriosi*, etc., *regnum Dei possi- « debunt.* Audivit, et timuit. Baptizatus est, dimissa « sunt illi omnia quibus inebriatus est : restat ad- « versaria consuetudo. Ergo habet cum quâ pugnet « renatus. Præterita ejus vitia omnia dimissa sunt « ei : observet, viliget, pugnet, ne aliquando ine- « brietur. Surgit ergo illa concupiscentia potandi, « titillat animum, ingerit faucibus siccitatem, in- « sidiatur sensibus ; vult etiam ipsum, si potest fieri, « penetrare murum, adire inclusum, trahere cap- « tivum. Pugnat, repugna. O si et ipsa non esset! « Si consuetudine malâ accessit, bonâ consuetudine « morietur : tu tantùm noli ei satisfacere, noli eam « cedendo satiare, sed resistendo necare. Tamen « quamdiù est, hostis est. Si ei non consentias, et « nunquàm inebrieris, minor et minor erit quotidiè. « Nam sunt vires illius subjectio tua. Si enim ei ces- « seris, et inebriatus fueris, das ei vires... Sed la- « boras, quia tibi validum adversarium malâ con- « suetudine ipse fecisti. Non laborâsti, ut nutrires « eum : labora, ut vincas eum. Et si minùs ido- « neus es ut vincas eum, roga Deum. Tamen si te « non vicerit, quamvis ipsa tua mala consuetudo

« luctata sit tecum, si te non vicerit, fecisti quod « ait Apostolus Paulus, Galat. 5 : *Concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Facta est concupiscentia titillando; « sed non est perfecta potando. »

Hanc regulam confirmant regum nostrorum Capitularia, lib. 5, cap. 162, cujus hæc sunt verba : *Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.* Hanc Gallicanæ et Germanicæ Ecclesiæ fuisse disciplinam constat ex concilio Moguntino anni 813, can. 46; Isaac Lingonensi episcopo, tit. 11, cap. 6; Burchardo Wormaciensi, lib. 14, cap. 2; Ivone Carnotensi, P. 13, cap. 70.

Regula V.— Clericorum ebrietas gravius peccatum est, quàm laicorum. — Majori enim sobrietate præfulgere debent, *qui mente devotâ debent spiritualibus officiis insistere*, ut docet S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 139, art. 4. Unde Isaias sacerdotum ebrietatem ut crimen horrendum arguit et luget, cap. 28 : *Hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt; sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Et Apostolus 1 ad Timoth. 3 scribit : *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, etc. Non vinolentum, non percussorem... Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos.* Et ad Titum 1 : *Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum.* Sacerdotes, et præcipuè qui animarum curam gerunt, ad sacra munia obeunda, ad sacramenta ut par est administranda, per ebrietatem impotentes et incapaces redduntur, et periculo non conficiendi sacramenti, vel propter essentialis alicujus ritûs omissionem, vel propter intentionis defectum se exponunt, si in eo statu illa administrent, et ut nihil omitterent essentiale sacramento, in sacrilegium tamen incurrunt. Præterea gravius scandalum parit sacerdotum, aliorumve clericorum et religiosorum hominum ebrietas, quàm laicorum, adeòque gravius peccatum est. Unde S. Petrus Chrysologus, sermone 36, ait : « Nadab et Abiud sacerdotes, filii Aaron « sacerdotis, dùm contaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio, ut sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum « illis suscitârat ebrietas : nam vini odor odorem fugârat incensi, et ebrietatis ignis flammam provocârat altaris; unde quia alienati vino alienum « portaverant ignem, mox divino igne referuntur « extincti. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat « vino, sacerdos Spiritum sanctitatis extinguit, dicente Apostolo, 2 Thessal. 5 : *Spiritum nolite « extinguere.* »

Et ante S. Petrum Chrysologum, idem confirmat S. Hieronymus, Commentario in Epist. ad Titum, cap. 1 : « Miramur, inquit, Apostolum in episcopis « sive presbyteris damnàsse vinolentiam, cùm in veteri quoque lege præceptum sit, Levit 10, Num. 6, « sacerdotes cùm ingrediuntur templum ministrare « Deo, vinum omninò non bibere; et Nazaræum, quamdiù sanctam comam nutriat, et nihil contaminatum, « nihil mortale conspiciat, et à vino abstinere, et ab « uvâ passâ, et à delicatiori, quæ solet ex vinaceis « fieri, potione, omnique sicerâ, quæ mentem ab integrâ sanitate pervertit. Dicat quisquis quod volet, « ego loquor conscientiam meam; scio mihi abstinentiam et nocuisse intermissam, et profuisse repeti« tam. »

Eamdem regulam confirmat concilium Agathense, can. 41 : « Ante omnia, inquit, clericis vitetur ebrie« tas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. « Quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut « triginta dierum spatio communione statuimus sub« movendum, aut corporali subdendum supplicio. » Quod iisdem verbis à concilio Venetico, can. 15, decretum est, et lib. 7 Capitularium insertum cap. 218 et 270, quo postremo loco sic refertur : « Ante omnia « clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes « ac nutrix est. Nec quis potest liberum corporis sui « ac mentis habere judicium qui captus vino, à sensu « probatur alienus, et procliviùs ad judicium mens « labefacta ducatur, aut plerùmque possit peccatum « aut crimen, dùm nescit, incurrere. Ignorantia verò « talis non potest effugere pœnam, quam ex voluntariâ amentiâ manàsse constiterit. Itaque quem« cumque ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, « aut quadraginta dierum spatio à communione sta« tuimus submovendum, aut corporali subdendum « supplicio. » Refertur etiam à Gratiano, can. *Ante omnia*, distinctione 35.

Concilium Turonense I, can. 2 : « Fomitem omnium « vitiorum oportet abscindi, Apostolo præcipiente : « *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Et quàm gravi « ebrietas supplicio expietur, idem apostolicâ manifestat doctrinâ, inter cætera dicens, 1 Cor. 6 : *Neque « fornicatores, neque idolis servientes, neque ebriosos « regnum Dei possessuros.* Si quis verò in omni officio « clericali Deo militans ab ebrietate se non abstinue« rit, secundùm statûs sui ordinem competens in eum « vindicta tribuatur. »

Concilium Treverense, anno 1548, can. 1 : « Ebrie« tas, inquit, insignium flagitiorum incitatrix ac scaturigo, quæ in comessationibus et conventiculis « dominatur, ecclesiasticum gradum summâ cum turpitudine passim infamavit..... Qui turpiter illi vitio « indulgent immorigeri, ab officiis et beneficiis synodus primùm suspendit; deinde si etiam impudenter « detestandæ consuetudini, et dictu pariter ac visu « fœdissimæ, ulteriùs inhæserint, omnibus honorum « gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, majoribus « suppliciis affectos, statuit abjiciendos. »

Considerent clerici quod Levitici ordinis viris præ

ceptum est à Domino, Levit. 10 : *Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis, tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum.* Et, Ezechielis 45 : *Vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingredietur atrium interius.* Attendant ad Nazaræos, qui, cùm Domino sanctificarentur, à vino et omni potu inebriante abstinere jubebantur, Numer. 6 : *Si voluerint se consecrare Domino, à vino et omni quod inebriare potest, abstinebunt.* Attendant ad Rechabitas, qui laudem non vulgarem meruerunt, quòd præcepti paterni tenaces, vini usum sibi ademerint, Jeremiæ 35 : *Et posui coram filiis domûs Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices, et dixi ad eos : Bibite vinum. Qui responderunt : Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, Pater noster, præcepit nobis dicens : Non bibetis vinum vos et filii vestri, usque in sempiternum. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos et mulieres nostræ, filii, et filiæ nostræ.* Si tantùm apud ipsos potuit jussio paterna, ut vinum omninò non biberent, quâ reverentiâ et religione Christiani omnes, et præsertim clerici Dei et Ecclesiæ præceptum auscultare debent et observare, prohibentium, non ut vinum omninò non bibant, sed ne bibant ultra modum, ne comessationibus et ebrietati indulgeant. Attendant ad illud S. Cæsarii Arelatensis episcopi, sermone 91, aliàs inter Augustinianos de Tempore 232, nunc in Appendice 295 : « Quod pejus est, « multi sunt etiam majoris ordinis clerici, qui cùm « aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, « non solùm hoc non faciunt, sed etiam et se et alios « inebriare non erubescunt nec metuunt. Sed agnoscant et doleant quicumque tales sunt, quia si noluerint emendare, et pro se et pro aliis necesse eis « erit æterna supplicia sustinere. »

Regula VII.—Ebrietas turpius graviusque peccatum est in principibus, magistratibus, senibus, juvenibus, et mulieribus, quàm in viris plebeiis.—Hanc morum regulam tradit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 149, art. 4 : « Virtus, inquit, habet habitudinem ad « duo : uno quidem modo ad contraria vitia quæ excludit, et concupiscentias quas refrænat; alio modo ad « finem in quem perducit. Sic ergo aliqua virtus magis « requiritur in aliquibus duplici ratione : uno modo quia « in eis est major pronitas ad concupiscentias quas « oportet per virtutem refrenari, et ad vitia quæ per « virtutem tolluntur; et secundùm hoc sobrietas maximè requiritur in juvenibus et mulieribus: quia in « juvenibus viget concupiscentia delectabilis, propter « fervorem ætatis; in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc quòd concupiscentiis resistant. » Unde Apostolus, 1 ad Timoth. 3, scribit : *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias.* Et ad Titum 2 : *Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias ..... Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.* Hinc de Juvenibus S. Hieronymus ait : « Non Ætnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus « æstuant, ac juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus « inflammatæ. » Et Epist. ad Eustochium de Virginitate servandâ : « Sponsa Christi vinum fugiat pro « veneno. Hæc adversùs adolescentiam prima arma « sunt dæmonum..... Vinum et adolescentia duplex « incendium est voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? » De mulieribus verò S. Ambrosius, lib. de Eliâ et Jejunio, cap. 18 : « Sed quid de viris loquamur, inquit, quando etiam feminæ, quas oportet « sollicitiorem castitati sobrietatis adhibere custodiam, « usque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas « etiam inter secreta domûs vel audiri ab alienis non « convenit, vel videri, prodire audent in publicum « non velato capite, vultu procaci. Apostolus mulieres tacere etiam in ecclesiâ jubet, domi viros suos « præcipit interrogare. Illæ in plateis inverecundos « etiam viris sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, « plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes « vocibus, irritantes in se juvenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, et fit miserabile theatrum. Inter saltantium ruinas et spectantium lapsus, « cœlum impuro contaminatur aspectu, terra turpi « saltatione polluitur, quæ obscœnis saltibus verberatur. Quomodò patienter loquar, piè præteream, « convenienter defleam? Vinum nobis tantarum animarum damna intulit. Etenim si vinum et mulieres discedere à Deo faciunt, quòd vel ebrietas, vel libido prævaricationis illecebræ sint, si singula ac separata hæc « faciunt, quid facient omnia? Unde non immeritò ait « sapiens ante nos quidam, Eccli. 26 : *Mulier ebriosa, « ira magna.* »

Pergit S. Thomas : « Alio verò modo sobrietas magis requiritur in aliquibus, utpote magis necessaria « ad propriam operationem ipsorum. Vinum autem « immoderatè sumptum præcipuè impedit usum rationis. Et ideò senibus in quibus ratio debet vigere ad « aliorum eruditionem, et episcopis, seu quibuslibet « Ecclesiæ ministris, qui mente devotâ debent spiritualibus officiis insistere, et regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur. » Unde Apostolus ad Titum scribit cap. 2, ut senes ad sobrietatem hortetur : *Senes, ut sobrii sint.* Et Salomon de regibus ait, Proverb. 31 : *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; et ne fortè bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.*

Regula VIII. — Lethalis peccati rei sunt, quicumque modum in cibo vel potu scientes et volentes plurimùm excedunt, etiamsi rationis usu non excidant; multò magis si usque ad vomitum cibo et potu se ingurgitent. — Hæc morum regula Scripturæ sacræ Patrumque testimoniis, et Ecclesiæ auctoritate nititur.

Prov. 23, Spiritus sanctus non solùm ebriosos, sed comessationibus et compotationibus vacantes, ultione divinâ consumendos docet : *Noli*, inquit, *esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur.* Atque ad illius peccati gravitatem significandam, subdit : *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* Et, Isaiæ 5 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum!* Et, Lucæ 6 : *Væ vobis, quia saturati estis*, inquit Christus, *quia esurietis.* Quoties autem *Væ* in Scripturâ sacrâ intentatur, grave crimen subesse rectè colligitur. Ut enim observat S. Hieronymus in cap. 5 Amos : *Væ pœnarum ultimum est;* et, ut ait Beda in locum Proverbiorum mox citatum : *Væ æternum interitum nominat*, de quo Dominus : *Væ*, inquit, *homini per quem scandalum venit.* Student porrò calicibus epotandis, et potentes sunt ad bibendum, et saturari amant, quicumque modum in cibo et potu scientes et volentes plurimùm excedunt. Hinc SS. Patres illos damnant ceu gravis peccati reos, qui certâ bibendi lege contendunt, quis sit ad bibendum valentior. Quâ de re S. Basilius, homiliâ 14, in Ebrietatem : « Deinde, inquit, potatione procedente eò veniunt, ut « de augendâ hâc insaniâ certent, et de ebrietate per « ambitionem contendant; cujus auctorem legis præ- « sidemque certaminis diabolum habent, victoriæ verò « præmium, peccatum.... Nam qui plus hauserit meri, « his præ cæteris laudatur, is victoriam refert. Atque « ita verè gloria in ignominiâ illorum est. Inter se « namque contendunt, et ut in judicio aliquo defensi- « tant. » Et S. Ambrosius, libro de Jejunio et Eliâ, cap. 13 : « Primò minoribus poculis velut ferentariis « pugna præluditur. Verùm hæc non sobrietatis spe- « cies, sed bibendi est disciplina. Etenim ut tragœ- « diarum actores primò sensim vocem excitant, donec « udæ vocis aperiant iter, ut postea magnis possint « clamoribus personare; ita isti quoque in principio « prælusoriis se exercent poculis, ut irritent sitim; ne « fortè restinguant eam, et satiati postea bibere non « possint. Ergo ubi res calere cœperit, poscunt majo- « ribus poculis; fervor inardescit martius, cibo sitis « exæstuat, et ubi imminui visa, potu meraciore repa- « ratur. Certant pocula cum ferculis, et inter morsus « sæpè remittuntur. Deinde procedente potu longiùs « contentiùsque, diversa et magna certamina, quis bi- « bendo præcellat? Nota gravis, si quis se excuset, si « quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec « ad mensas perveniatur secundas. At ubi consum- « matæ fuerint epulæ, putes jam esse surgendum; « tunc de integro potum instaurant suum; et cùm « consummaverint, tunc inchoare se dicunt, tunc defe- « runtur phialæ, tunc maximi crateres quasi instru- « menta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, « mensura proponitur; certatur sub judice, sub lege « decernitur. Agonothetes illis furor est, stipendium « debilitas, victoriæ præmium culpa. »

S. Hieronymus, in cap. primum Epistolæ S. Pauli ad Titum : « Videas, inquit, alios pocula in tela verten- « tes, scyphum in faciem jacere convivæ; alios scissis « vestibus in vulnera aliena proruere; alios clamare, « alios dormitare; qui plus biberit, fortior computa- « tur; accusationis occasio est adjuratum per regem « frequentiùs non bibisse. Vomunt ut bibant, bibunt « ut vomant. Digestio ventris et guttur, uno occu- « pantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quòd se- « cundùm Apostolum, *In vino luxuria est.* Et ubicum- « que saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido domi- « natur. Specta ventrem et genitalia; pro qualitate vi- « tiorum, ordo membrorum. Nunquàm ego ebrium « castum putabo; qui etsi vino consopitus dormierit « tamen potuit peccare per vinum. »

S. Cæsarius, sermone 90 inter Augustinianos de Tempore, aliàs 231, nunc in Appendice 294 : « Frequen- « ter etiam, inquit, usque ad vomitum ingurgitare se « non erubescunt, et ad mensuram sine mensurâ bi- « bere. Majora enim pocula providentur, certâ bibendi « lege contenditur; qui potuerit vincere, laudem me- « retur ex crimine. »

Et infrà : « Considerent ebriosi, si non pejores ani- « malibus judicandi sunt. Cùm enim animalia ampliùs « quàm eis opus est bibere nolint, illi et duplum et « triplum, quàm eis oportet, potum accipiunt. Et unde « tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem « potuerant habere, uno die cum grandi peccato suo « contendunt perdere potiùs, quàm expendere; atque « utinam vel potum tantummodò perderent, et non « etiam ipsi perirent. » Et sermone 91, aliàs inter Augustinianos de Tempore 232, nunc in Appendice 295 : « Illud verò quale est, quòd jam transacto con- « vivio, et expletâ siti, cùm ampliùs bibere nec pos- « sint, nec debeant, tunc quasi novelli, quasi qui et « ipsâ horâ supervenerint, diversis nominibus inci- « piunt bibere, non solùm vivorum hominum, sed « etiam angelorum, et reliquorum antiquorum sancto- « rum, æstimantes quòd maximum illis honorem im- « pendant, si se in illorum nominibus nimiâ ebrietate « sepeliant; ignorantes quòd nullus tam gravem inju- « riam sanctis angelis vel sanctis hominibus agnosci- « tur irrogare, quàm illi qui in eorum nominibus bi- « bendo per ebrietatem suas animas probantur occi- « dere. » Ibidem acerrimè in eos invehitur S. Cæsarius, qui sitis irritamenta sumunt, ut largiùs bibere valeant, idque paganos redolere asserit : « Sunt enim « aliqui, qui solâ ex causâ aliqua salsa cibaria sibi « ordinant fieri, ut per ipsam salsitudinem nimiâ se « possint ebrietate obruere. Hæc enim si pagani, qui « Deum ignorant, faciant, nec mirandum est, nec ni- « mis dolendum, quia et in Deo spem non habent, et « antiquam parentum suorum consuetudinem servant. « Christiani verò, quos Deus de tenebris reduxit ad « lucem, de morte vocavit ad vitam, quibus omnes « Scripturæ clamant sobrietatem diligere, ebrietatem « fugere, quare turpissimas illorum ebrietates imi- « tantur, de quorum perfidiâ liberari per Dei gratiam « meruerunt? »

Regulam nostram confirmat S. Thomas, 2-2, quæ-

stione 150, articulo 2 ad tertium. « Cibus et potus, « inquit, est moderandus secundùm quod competit « corporis valetudini, et ideò sicut quandoque contingit ut cibus vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest è converso contingere ut ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cùm aliquis multùm comedit vel bibit secundùm consilium medicinæ ad « vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus vel potus. Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur quòd sit potus inebrians; quia « etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat; et ideò « propter hanc causam non excusaretur aliquis ab « ebrietate. »

Meritò itaque ab academiis celeberrimis confixa est epicurea illa Casuitarum quorumdam recentiorum propositio : *Nonnisi veniale est, etiam absque utilitate cibo et potu usque ad vomitum se ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

Regula IX. — Lethalis peccati rei sunt, qui in compotationibus et conviviis bibunt, et alios bibere cogunt ad æquales potus, sive in ebrietatem incidant, sive illius duntaxat periculo se vel alios exponant; clerici verò hujus peccati rei, nisi à superiore commoniti satisfecerint, suspensione ab officio et beneficio plectendi sunt. — Hæc morum regula, quæ superioris major duntaxat explicatio est, testimoniis SS. Patrum, et sacrorum canonum auctoritate pariter nititur. Ita S. Basilius, homilià 14 in Ebrietatem : « Tu homo, « inquit, convivium in aciem bellicam convertisti. « Ejicis juvenes manu ductos tanquàm in prælio vulneratos, ætatis florem vino absumis, vocas ad cœnam ut amicum, postea ejicis ut cadaver, vità illius « per vinum extinctà. Cùm autem putantur jam esse « benè poti, tunc bibere incipiunt, potantque pecudum more, ut ex fonte perenni æquas scaturigines « accumbentibus administrante. Procedente namque « potatione prodit in medium adolescens nondùm « ebrius, phialam vini refrigerati humeris ferens. Is « submoto illorum pincernâ in medio adstans per « obliquas fistulas æquam convivis distribuit ebrietatem. Novum genus hoc mensuræ, ubi nullus est « mensuræ modus, ut per poculorum æqualitatem « inter eos nulla sit invidia, nec alius alium bibendo « excedat aut superet. Arripit quisque ante se positum canalem, ut ex quàdam cisternâ more boum « sine respiratione uno haustu tantùm bibere contendat, quantùm vas illud per argenteam fistulam ex « supernis suppeditat. Respice parùmper ad miserum ventrem; disce suscipientis vasis magnitudinem, quod unius heminæ sit capax..... Quamobrem jure clamat propheta : *Væ surgentibus manè, et siceram persequentibus, et in vino perdurantibus usque ad vesperam, et diem in ebrietate consumentibus, ac nullum tempus ad considerandam Dei sapientiam, et opera manuum ejus dignoscenda interponentibus. Vinum enim illos comburet.* Quod sanè dicit, « quoniam vini calor corpori infusus, igniculus fit « ignitorum inimici jaculorum. »

S. Ambrosius, lib. De Eliâ et Jejunio, cap. 17 : « Quid autem obtestationes potantium loquar? quid « memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt : Opto salutem imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute « non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus « pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro « filiorum sanitate, et hæc vota ad Deum pervenire « judicant, sicut illi qui calices ad sepulcra martyrum « deferunt, atque illic ad vesperam bibunt, et aliter « se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant; qui æstimant illis ebrietatem placere, qui jejunio passionem « sustinere didicerunt!..... Quid retexam auditum mihi non poculi sed profluvii genus, quo « in ora hominum tanquàm per fistulas aut canales « vina funduntur? Hos homines, an utres veriùs « æstimàrim? Et tamen ipsi utres, nisi moderata « transfusio sit, sæpè rumpuntur. Per cornu etiam « fluentia in fauces hominum vina decurrunt; et si « quis respiraverit, commissum flagitium, soluta « acies, loco motus habetur. Aqua decurrens à Libano cautes rupeas solvit, quomodò mollibus putant « nequaquàm nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum? »

S. Cæsarius Arelatensis episcopus, sermone 90, aliàs inter Augustinianos de Tempore, 231, nunc in Appendice 294 : « Qui alterum cogit ut se, plusquàm « opus est bibendo, inebriet; minus malum ei erat « si carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam « ejus per ebrietatem occideret. » Et infra : « Sed illi « miserabiliter se excusare conantur, dicentes : Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad « convivium vocavero, potum ei, quantùm voluerit, « ipse non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo « vult facere inimicum, qui et tuus et suus est inimicus; si te et alium inebriaveris, hominem amicum habebis, et Deum inimicum; et ideò sapienter « considera an justum sit ut te à Deo separes, dùm « te ebrioso conjungis. Ad extremum tu eum noli « adjurare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte ut quantùm ipsi placuerit, bibat; ut si se « inebriare voluerit, vel solus pereat, et non ambo « pereatis. » Et sermone 91, aliàs inter Augustinianos de Tempore 232, in Appendice 295 : « Qui « amico suo nimium propinando in animâ efficitur « inimicus, et corpus ejus debilitare, et animam « probatur occidere. Melius erat, ut ex illo quod unà « die plus eum accipere coegit quàm expedit, per « duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret; et unde eum unà die nimiùm bibendo debilitat, ipsum in aliis diebus sufficienti « potu reficeret; ut nec ille potum perderet, nec « amicum deciperet; aut certè quod est melius, quicquid nimio potu perditura erat gula, pauperibus « daretur in elecmosynam; ut et caro rationabiliter « bibendo reficeretur, et per misericordiam pauperum « animo redemptio præpararetur. »

Eadem regula, quatenùs clericos spectat, confirmatur ex can. *Nullus*, apud Gratianum, dist. 44, et dist. 5 de Consecratione, qui ex concilio Nannetensi laudatur, ut etiam à Burchardo, lib. 2, cap. 161, et Ivone Carnotensi, p. 3, cap. 252 citatus est, cùm tamen in nullo concilio Nannetensi habeatur, sed in capitulis Hincmari Remensis archiepiscopi presbyteris suæ diœceseos datis anno 852 : « Nullus presbyterorum, quando ad anniversarium diem trigesimum, septimum aut tertium alicujus defuncti, aut quàcumque ratione ad collectam presbyteri convenerit, se inebriare ullatenùs præsumat, nec precatus amore sanctorum, vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se alienâ precatione ingurgitare; nec plausus, nec risus inconditos et fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat, aut turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur; nec larvas dæmonum ante se fieri consentiat; quia hoc diabolicum est, et à sacris canonibus prohibitum. » Et can. *Quando*, eâdem dist. 44, certæ regulæ præscribuntur presbyteris ad collationes de rebus divinis extra parochiam suam convenientibus, ut comessationes et compotationes vitent, ipsisque tres duntaxat cyathos exhaurire permittitur in prandio, quod frugale et modestum esse jubet. « Quando, inquit, presbyteri per kalendas simul conveniunt, post peractum divinum mysterium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant; ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent; quia indecens est et onerosum; sæpè etiam tardè ad Ecclesiam redeuntes, majus damnum de reprehensione consequuntur, quod de gravedine mutuâ contrahunt, quàm lucrum ibi faciant. Nam de hujusmodi conventu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconvenienter Cœnam Dominicam manducare conveniebant; sic et qui ad Cœnam Dominicam, id est, ad collationem verbi sub occasione conveniunt, et ex veritate ventris causâ conjunguntur, reprehensibiles coram Deo et hominibus habentur. Et Ideò peractis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, et singulos biberes accipiant : et maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant, et sic ad Ecclesias redeant (1). »

Denique Innocentius III, cap. *A crapulâ*, extra. de Vitâ et Honestate clericorum, qui Lateranensis concilii quarti canon decimus quintus est, hanc regulam diserte tradit : « A crapulâ, inquit, et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, et se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitùs decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur. »

(1) *Singulos biberes*, id est, singulos vini scyphos; pro quo Gratianus posuit, *singuli singulos bibere faciant.*

Regula X. — Qui alterum non cogit quidem, sed amicè invitat ad bibendum, existimans quòd non sit inebriandus, nec ultra metas necessitatis bibiturus, excusatur à peccato lethali. — Hanc regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæstione 150, articulo 1, ad tertium. « Sicut, inquit, ille qui inebriatur, excusatur à peccato si ignoret fortitudinem vini, ita etiam ille qui invitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignoret talem esse conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur. Sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur. »

Regula XI. — Ebrietas non excusat à peccatis ex câ consecutis, nisi sit omninò involuntaria; imò, si voluntaria sit, peccati gravitatem auget. — Doctrina est S. Thomæ, 2-2, quæstione 150, articulo 4 : « In ebrietate, inquit, duo attenduntur, scilicet defectus consequens et actus præcedens. Ex parte autem defectûs consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam. Sed ex parte actûs præcedentis, videtur esse distinguendum; quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpâ, sicut fortè accidit de Lot. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actûs, in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut et diminuitur ratio voluntarii. Unde S. Augustinus dicit contra Faustum, lib. 22, cap. 44 : *Lot culpandus est, non quantùm ille incestus, sed quantùm ebrietas meruit.* »

Regula XII. — Lethalis peccati non solùm inobedientiæ, sed etiam gulæ reus est, qui jejunium ab Ecclesiâ præceptum violat, sive carnes aliosque cibos vetitos comedendo, sive corpus duplici refectione recreando, sive refectionis horam legitimam notabiliter anticipando, absque justâ causâ. — Quisquis enim aliquid horum trium, quæ ad ecclesiastici jejunii substantiam pertinent, scilicet abstinentiam à carnibus, allisve cibis vetitis, refectionis unitatem, horam sumendis alimentis, ecclesiæ præcepto, vel consuetudine, diebus esurialibus constitutam non servat, non solùm gulam moderari nescit, ac recusat, sed et remedium spernit ad eam coercendam à Deo institutum, ab Ecclesiâ determinatum ac præceptum auctoritate Christi, doctrinâ Spiritûs sancti. Id autem est vitium gulæ, *inordinata* scilicet *ciborum concupiscentia*, quæ *spiritualiter hominem coinquinat*, ut loquitur S. Thomas, 2-2, quæst. 148, articulo primo, ad primum. Cùmque hujusmodi abstinentiæ, aut jejunii ecclesiastici transgressor, Dei et Ecclesiæ præceptum violare non dubitet, modò ventri suo satisfaciat, ad illorum gregem pertinet, *quorum Deus venter est*, adeòque lethale peccatum gulæ committit, secundùm regulam illam S. Thomæ, arti-

culo secundo ejusdem quæstionis : « Si ergo, inquit, « inordinatio concupiscentiæ accipitur in gulâ secun- « dùm aversionem à fine ultimo, sic gula erit peccatum « mortale. Quod quidem contingit quando delectationi « gulæ inhæret homo tanquàm fini propter quem Deum « contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, « ut delectationes hujusmodi assequatur. »

Regula XIII. —Lethalis gulæ reus est, qui cibis illis utitur, quorum manducatione grave scandalum proximo præbetur, sive cibi aliàs liciti sint, sive prohibiti. —Sic Apostolus, 1 ad Corinthios 8, graviter illos peccare docet, qui carnes idolis immolatas edendo, fratres offendebant, eisque peccandi occasionem præbebant. Curæ enim nobis esse debet, *ne pereat infirmus frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis*, inquit Apostolus; *quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et ad Romanos 14 : *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est... Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.*

Regula XIV.— Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, peccatum est. —Hanc regulam tradit S. Augustinus, libro 10 Confessionum, cap. 31, Deum his verbis allocutus : « Reficimus quo- « tidianas ruinas corporis edendo et bibendo, prius- « quàm escas et ventrem destruas, cùm occideris « indigentiam meam satietate mirificâ, et corruptibile « hoc indueris incorruptione sempiternâ. Nunc autem « suavis est mihi necessitas, et adversùs istam sua- « vitatem pugno, ne capiar, et quotidianum bellum « gero in jejuniis, sæpiùs in servitutem redigens corpus « meum; et dolores mei voluptate pelluntur. Nam « fames et sitis quidam dolores sunt; urunt, et sicut « febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. « Quæ quoniam præsto est, ex consolatione munerum « tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra et aqua, « et cœlum serviunt, calamitas deliciæ vocantur. Hoc « me docuisti, ut quemadmodùm medicamenta, sic « alimenta sumpturus accedam. Sed dùm ad quietem « satietatis ex indigentiæ molestiâ transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ... « Ipse enim transitus voluptas est, et non est alius « qua transeatur quò transire cogit necessitas; et « cùm salus sit causa edendi et bibendi, adjungit « se tanquàm pedissequa periculosa jucunditas, et « plerùmque præire conatur, ut ejus causâ fiat, « quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo, « nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti « satis est, delectationi parùm est. Et sæpè incertum « fit utrùm adhuc necessaria corporis cura subsidium « petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium « suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, « et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens « non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, « ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. « His tentationibus quotidiè conor resistere, et invoco « dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero « æstus meos, quia consilium mihi de hâc re nondùm « stat. Audio vocem jubentis Dei mei : *Ne graventur « corda vestra in crapulâ et ebrietate.* Ebrietas longè est « à me; misereberis ne appropinquet mihi; crapula « autem nonnunquàm surrepit servo tuo; misereberis « ut longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, « nisi tu des..... In his ergo tentationibus positus, « certo quotidiè adversùs concupiscentiam manducandi « et bibendi... Itaque freni gutturis temperatâ relaxa- « tione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, Do- « mine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas « necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet « nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator « homo sum. »

Eamdem christianæ temperantiæ regulam tradit et confirmat S. Augustinus, libro quarto adversùs Julianum, cap. 14. « Cùm natura, inquit, quodammodo « poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, « sed fames aut sitis; cùm verò suppletâ necessitate, « amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam « malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. « Hæc duo, id est, famem et edendi amorem etiam « poeta discrevit, qui post maris jactationem, sociis « Æneæ naufragis satis esse judicans tantùm sumere « alimentorum, quantùm refectionis indigentia postu- « laret, ait :

*Postquàm exempta fames epulis, mensæque remotæ.*

« Cùm verò Æneas ipse ab Evandro rege susceptus est « hospes, decentiùs arbitratus ampliores exhiberi epu- « las regias quàm necessitas posceret, non satis fuit « ut diceret :

*Postquam exempta fames ;*

« Sed addidit :

*Et amor compressus edendi.*

« Quantò magis nos discernere ac nôsse debemus, « quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis « exposcat, quorum negotium est contra concupi- « scentem carnem spiritu concupiscere, et condele- « ctari legi Dei secundùm interiorem hominem, ejus- « que delectationis serenitatem nullis libidinosis dele- « ctationibus nubilare? Nam iste amor edendi, non « edendo, sed continendo est comprimendus. » Ibidem : « Jam verò, inquit, cùm ad usum ventum fuerit « necessariæ voluptatis per quam reficimus corpus, « quis verbis explicet quemadmodùm nos modum ne- « cessitatis sentire non sinat, et ipsum limitem procu- « randæ salutis, si qua adsunt delectabilia, rapiendo ab- « scondat et transeat, putantibus nobis satis non esse « quod satis est, dùm libenter ejus provocationibus du- « cimur, existimantes nos adhuc agere negotium vale- « tudinis, cùm agamus potiùs cruditatis? Quid enim mali « fecerimus, crapula pœnitendo testatur; quod me- « tuentes, plerùmque minùs quàm eximendæ fami suf- « ficiat vescimur. Ita nescit cupiditas ubi finiatur neces-

« sitas. » Et libro de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 21, eamdem christianæ temperantiæ regulam verbis generalibus adstruit : « Habet igitur vir temperans in « hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ re- « gulam utroque testamento firmatam; ut eorum nihil « diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ « hujus atque officiorum necessitatem quantùm sat « est, usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu. » Intemperantiæ igitur reus est quisquis usque ad satietatem, ob solam voluptatem, comedit et bibit.

S. Augustino concinit S. Gregorius Magnus, libro 30 Moralium, capp. 13 et 14 : « Ea, inquit, quærenda « sunt, quæ naturæ necessitas quærit, et non quæ « edendi libido suggerit. Sed magnus discretionis la- « bor est, huic exactori et aliquid impendere, et ali- « quid denegare; et non dando gulam restringere, et « dando naturam nutrire. Quæ fortassè discretio sub- « infertur, cùm dicitur, Job. 39 : *Clamorem exactoris « non audit.* Sermo namque hujus exactoris, est ne- « cessaria postulatio naturæ. Clamor verò ejus, est « mensuram necessitatis transiens appetitus gulæ. Hic « itaque onager exactoris hujus sermonem audit, cla- « morem non audit; quia discretus vir ac continens « et usque ad temperandam necessitatem ventrem re- « ficit, et à voluptate restringit. Sciendum verò est, « quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix « eam perfectus quisque discernat. Nam dùm solvi de- « bitum necessitas petit, voluptas explere desiderium « suppetit : et tantò gula securiùs in præceps rapit, « quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se « contegit. Sæpè autem in ipsâ edendi viâ furtivè ad- « juncta voluptas subsequitur; nonnunquàm verò im- « prudenter libera etiam præire conatur. Facile autem « est deprehendere, cùm voluptas ejus necessitatem « prævenit; sed valdè est difficile discernere, cùm in « ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia « præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi à tergo « veniens tardiùs videtur. Eo enim tempore quo ne- « cessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas « necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid « voluptas suppetat, ignoratur. Sæpè verò et discer- « nimus : et quia utramque sibi conjunctam novimus, « in hoc quod extra metas rapimur, liberè reficiendo « fallimur : et dùm sibi mens ex necessitate blanditur, « ex voluntate decipitur. Scriptum quippe est, Rom. « 13 : *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quæ igitur « fieri in desideriis prohibetur, in necessitate conce- « ditur. Sed sæpè dùm incautè necessitati condescen- « dimus, desideriis deservimus. »

Eamdem regulam suffragio suo confirmat S. Thomas, 2-2, quæstione 141, articulo 6 : « Omnia, « inquit, delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, « ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem sicut « ad finem; et ideò temperantia accipit necessitatem hujus vitæ sicut regulam delectabilium quibus utitur, « ut scilicet tantùm eis utatur, quantùm necessitas « hujus vitæ requirit. » Et quæstione 148, articulo primo, ad secundum : « Vitium gulæ, inquit, non « consistit in substantiâ cibi, sed in concupiscentiâ « non regulatâ ratione. Et ideò si aliquis excedat in « quantitate cibi, non propter concupiscentiam cibi, « sed æstimans id sibi necessarium esse, non pertinet « hoc ad gulam, sed ad aliquam imperitiam. Sed hoc « solùm pertinet ad gulam, quòd aliquis propter con- « cupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat « mensuram in edendo. »

Meritò itaque ab Innocentio XI pontifice maximo damnata est hæc propositio inter alias octava : *Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Regula XV. — Intemperantiæ et gulæ rei sunt, qui delicatioribus cibis corpus nutriunt ob voluptatem; quamvis non peccent qui, ob delicatiorem corporis constitutionem, ob stomachi debilitatem et fastidia, ob infirmitatem, cibis delicatis utuntur, vilioribus, crassioribus, et malè paratis obsoniis rejectis. — Hanc morum regulam quoad primam partem Salomon Spiritu S. afflatus tradit Proverbiorum 29 : *Qui delicatè à pueritiâ nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Servum animæ corpus esse nemo nescit; delicatè igitur non est nutriendum, ne sit contumax. Et S. Paulus ad Romanos 13 : *Induimini*, inquit, *Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Eamdem regulam confirmat S. Gregorius Nyssenus, Oratione quintâ : « Panem pete, inquit, propter vitæ « necessarium usum; hujus te corpori natura debito- « rem fecit. Cætera, quæ præter hæc, solertiâ homi- « num deliciis ac luxui deditorum excogitata et in- « venta sunt, ea de zizaniorum juxta bonum semen « disseminatorum semine existunt. Semen patris fa- « miliâs frumentum est, ex frumento panis confici- « tur, at luxûs atque deliciæ zizanium est, quod ab « inimico juxta frumentum satum est. Sed homines « omisso ministerio naturæ necessario, reverà suffo- « cantur rerum inanium studiis, et manent infrugife- « ri, dùm in his anima perpetuò exercetur et occu- « patur. » Et infra : « Ne des aditum serpenti ad inte- « riora irrepenti, et à primo initio omne suum ve- « nenum inferenti; mane atque consiste in usu neces- « sario, terminus esto tibi vitæ sollicitudinis per res « obvias et parabiles necessarii usûs atque defectûs « expletio. »

Idem confirmat S. Augustinus, libro 4 contra Julianum, cap. 14, quatuor in quolibet sensu distinguenda esse docens; scilicet « sentiendi vivacitatem, utilita- « tem, necessitatem, et sentiendi libidinem. Vivacitas « sentiendi est, quâ magis alius, alius minùs in ipsis « corporalibus rebus pro earum modo atque naturâ « quod verum est percipit, atque id à falso magis mi- « nùsve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam « corpori vitæque quam gerimus, ad aliquid appro- « bandum vel improbandum, sumendum vel rejicien- « dum, appetendum vitandumve consulimus. Necessi- « tas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam « quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi « est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes men- « te, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis

« impellit. Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc « virtutibus inimica. »

Alteram partem regulæ S. Augustinus approbat, libro 10 Confessionum, cap. 31 : « Non ego, inquit, « immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cu- « piditatis. Scio Noe omne carnis genus, quod cibo « esset usui, manducare permissum, Eliam cibo car- « nis refectum; Joannem mirabili abstinentiâ prædi- « tum, animalibus, hoc est, locustis, in escam ceden- « tibus non fuisse pollutum. Et scio Esaü lenticulæ « concupiscentiâ deceptum; et David propter aquæ « desiderium à seipso reprehensum; et regem no- « strum non de carne, sed de pane esse tentatum. « Ideòque et populus in eremo, non quia carnes desi- « deravit, sed quia escæ desiderio adversùs Dominum « murmuravit, meruit improbari. »

Idem confirmat S. Gregorius, libro 30 Moralium, cap. 13 : *Neque enim cibus,* inquit, *sed appetitus in vitio est. Unde et lautiores cibos plerùmque sine culpâ sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.*

Idem confirmatur exemplo S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi et martyris, de quo Heribertus de Bosoham in ejus Vitâ scribit, ejus temperantiam commendans : « Inter tot et tantas delicias, quæ ei appo- « nebantur, in nullo penitùs Sardanapalum, sed solum « episcopum sapiebat; nullius, ut notari posset, avi- « dus, nec super ullam omninò escam se effundens. « Tria sobrietas exigit : quid, quando, et quantùm « sumamus, ne quid prohibitum, ne quid citra ho- « ram, ne quid ultra mensuram. Unde et Adam, qui « primus comedit vetitum, confestim proscribitur; « Jonathas, qui citra horam, maledicitur; Israel verò « qui ultra mensuram, mox punitur. Verùm Thomas « in virtute sobrietatis cunctis præstans, de horâ et « mensurâ quotidiè propositâ, quibus uti consueverit; « audiamus; ne in hoc quod facilè nimis justis et in- « discretè religiosis videri posset, videatur in aliquo, « vel in modico, tantam, quam de eo prædicamus, « sobrietatis decolorâsse virtutem. Multa quidem of- « ferebantur, apponebantur multa et varia, sed inter « plurima ad esum proprium pauca retinebat. Et ea, « quibus ipse utebatur, et delicatiora quidem et pre- « tiosiora erant, quæ etsi non sint prohibita, à so- « brietatis tamen perfectione, et à perfectè sobrio, « his præsertim, quos diximus nimis justos, videri « possent aliena. Unde cùm unus justorum talium su- « per hoc inter discumbendum semel quasi subridendo « notaret pontificem, aliquantisper zelo motus ponti- « fex sic ei respondit : Certè, frater, nisi fallor, cum « aviditate majori tu tuam sumis fabam, quàm ego « appositam mihi phasidem. Et erat tunc avis hæc « ante præsulem in paropside. Et frater ille aliquan- « diù inter nos conversatus, deliciosa non quærens, « utpotè qui ad hæc consuetudinem non habuerat edu- « lio grossiorum. Et bonum quidem et prudens hoc « et pro fratris consuetudine, et pro veritate pontifi- « cis responsum. Nec enim refert, ut tradunt anima- « rum medici Patres orthodoxi, quid quantùmve quis « sumat, si solùm necessitati et valetudini suæ, non « voluptati indulgeat. Pontifex igitur, qui grossiora « non poterat, utpotè minimè enutritus in his, deli- « ciosa quidem, sed parcè admodùm sumebat et so- « briè, ita quòd, sicut ex ejus secretâ confessione qui- « dam religiosi ipsius familiares noverunt secretiùs, « non magis cibatus, quàm jejunus, nec post vina « plus quàm ante, ullam vix sentiret carnis rebellio- « nem. »

---

## CAPUT IX.

## De Irâ.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit, et quàm grave sit peccatum?*

Ira est *ultionis libido, sive immoderatus animi motus, quo quis injustam et indebitam ultionem sumit vel expetit ab eo, à quo vel reipsà læsus est, vel se læsum arbitratur.*

Quæ definitio ut intelligatur, notandum est cum S. Thomâ, 2-2, quæstione 158, articulis primo et secundo, iram, quæ motus est appetitûs sentientis, non esse secundùm se malam, sed solùm quatenùs rationis moderatricis ordinem excludit, modumque prætergreditur. Ordo autem rationis quantùm ad duo potest attendi. Primò quantùm ad rem in quam tendit, quæ est vindicta. Unde si aliquis appetat vindictam secundùm ordinem rationis, laudabilis est iræ motus, et vocatur *ira per zelum.* Si autem aliquis vindictam expetat contra ordinem rationis, verbi gratiâ, *si puniri appetat eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem,* id est, non servato juris ordine, *vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, et correctio culpæ;* tunc motus iræ vitiosus est et vocatur *ira per vitium.* Quam distinctionem hausit S. Thomas ex S. Gregorio, libro 5 Moralium, cap. 30 : « Sciendum est, inquit, quòd alia est « ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus jus- « titiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. « Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animad- « versionis impetum Phinees per gladium non pla- « cásset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum « contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. « Nam quò contra subditorum vitia tepuit, eò contra « illum districtio æterni rectoris exarsit. De hâc irâ « per psalmistam dicitur, Psalm. 4 : *Irascimini, et no- « lite peccare.* Quod nimirùm non rectè intelligunt, qui « irasci nos nobis tantummodò, non etiam proximis « delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos « amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus, « sicut nostris vitiis irascamur. De hâc per Salomo- « nem dicitur, Eccles. 7 : *Melior est ira risu, quia « per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.* « De hâc iterùm Psalmista ait, Psal. 6 : *Turbatus est « præ irâ oculus meus.* Ira quippe per vitium oculum « mentis excæcat, ira autem per zelum turbat : quia « cùm saltem recti æmulatione concutitur, ea quæ nisi

« tranquillo corde percipi non potest, contemplatio « dissipatur. »

Alio modo, inquit S. Thomas, attenditur ordo rationis circa iram quantùm ad modum irascendi, *Ut scilicet motus iræ non immoaeratè fervescat, nec interiùs, nec exteriùs. Quod quidem si præmittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam.*

Ira non per se et semper, sed aliquando tamen lethale peccatum est, quod statuendis inferiùs regulis morum explicabitur. Unde Job 5 dicitur : *Virum stultum interficit iracundia.* Jura Dei usurpat iracundus homo, et ultionis appetens : siquidem jus ultionis Deus sibi servavit : Deuteron. 32 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore ;* et ad Romanos 12 : *Nulli malum pro malo reddentes... Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Ira ipsi homini iracundo plurimùm nocet ; spiritales oculos excæcat. Unde Job, 17, ait : *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Et Psalm. 6, dicitur : *Turbatus est à furore oculus meus.* Ira misericordiam extinguit ; Proverb. 27 : *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor ; et impetum concitati ferre quis poterit?* Ira nocet valetudini, vitamque contrahit. Ecclesiastici 30 : *Zelus et iracundia minuunt dies.* Quantùm ira proximo noceat testantur rixæ, contumeliæ, convitia, duella, bella, homicidia, lites, dissidia implacabilia. Nemo intolerabilior homine iracundo. Proverb. 18 : *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Proverb. 21 : *Melius est habitare in terrâ desertâ, quàm cum muliere rixosâ et iracundâ.* Et cap. 22 : *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso ; ne fortè discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.* Proverb. 27 : *Grave est saxum, et onerosa arena ; sed ira stulti utroque gravior.* Iram inter *opera carnis*, quæ *qui agunt regnum Dei non consequentur*, Apostolus recenset ad Galatas 5 ; quàm grave peccatum sit ira, Christus ostendit Matth. 5 : *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus est judicio.* Quo ex oraculo compertum est, iram esse aliquando lethale peccatum. Ab irâ maximè alienos esse discipulos suos voluit Christus, quos exemplo suo ad mansuetudinem et patientiam instituit. *Discite,* inquit, *à me, quia mitis sum et humilis corde ;* et Lucæ 21 : *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Apostolus Magistri præcepta Christianis inculcans, ab irâ illos avertit, ad mansuetudinem, pacem et patientiam hortatur, Ephes. 4 : *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis... Irascimini, et nolite peccare ; sol non occidat super iracundiam vestram..... Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur à vobis cum omni malitiâ. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis ;* et ad Colossenses, 3 : *Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* 1 ad Timotheum 2 : *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine irâ et disceptatione.* Sanctus etiam Jacobus epistolæ suæ catholicæ, cap. 1 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum ; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Quàm turpe sit et immane iræ vitium, ostendit S. Basilius, homiliâ 10 de Irâ : « Quandò, inquit, semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium « animæ sumpserit, hominem penitùs in feram conver- « tit, nec rationis compotem esse sinit. Quod enim « venenum virus emittentibus erit, hoc idem et furor « animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, in- « siliunt, rabie ut canes afficiuntur, pungunt ut scor- « pii, mordent ut serpentes. Novit et Scriptura eos « qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, « quibus sese ob perversitatem similes ac familiares « reddiderunt. Nam et canes mutos, et serpentes, et « genimina viperarum, et his similia nominat. Qui « enim ad mutua inter se ejusdem generis parati sunt « inferenda incommoda, jure feris ac venenatis ad- « scribi possunt, quibus ex naturâ continuum adver- « sùs homines odium inest. Effrænes linguæ, ora « incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, pro- « bra, accusationes, verbera, et alia ejusmodi quæ- « cumque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris « fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex « homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes « ac liberi naturæ obliviscuntur. Sed nec ante omnia « se ipsos agnoscunt irati, deinde neque quotquot ha- « bent necessarios. Quemadmodùm enim torrentes « ad curva loca decurrentes secum obvia quæque tra- « hunt ; sic et iratorum impetus violenti et instabiles « omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis « senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis « propinquitas, non acceptæ jam gratiæ, non denique « quicquid aliud quamvis æstimandum, in honore est. « Momentanea quædam insania est ira. Quin et maxi- « mum se in malum conjiciunt, et studio vindicandi « se ipsos negligunt. Eorum namque memoria quibus « læsi sunt, velut œstro quodam incitati, et animo « exacerbato atque æstuanti non priùs desinunt, « quàm incommodum aliquod infestanti infligant, « vel ipsi si id contingat, accipiant ; quemadmodùm « sæpè venit, ut quæ violenter alliduntur, plus acci- « piant incommodi, quàm inferant, dùm à rebus re- « nitentibus conquassantur. »

De illius gravitate peccati, deque illius fugâ præclarâ etiam apud S. Ambrosium legere est, libro de Joseph Patriarchâ, cap. 13, explicantem hunc locum Geneseos 45 : *Dimisit autem fratres suos, et abierunt. Et dixit illis Joseph : Nolite irasci in viâ.* Sic autem habet : « Quàm benè docet ab iracundiâ præcaven- « dum, quòd ea possit etiam amantes sui separare « germanos ; et maximè in viâ fugiendam esse discor-

« diam, ubi ipse viandi comitatus debet inviolabilis « gratiæ habere consortium. Quid autem aliud ait « Dominus noster Jesus ex hoc corpore recessurus, « cùm discipulos dimitteret suos, nisi ne irascerentur « in viâ, dicens : *Pacem relinquo vobis, pacem meam « do vobis?* Ubi enim pax est, iracundia locum non « habet, ablegatur discordia, fugatur dissensio. Hoc « est ergo quod ait : *Pacem meam do vobis*, id est, « *Nolite irasci in viâ.* Et vide ne in hàc viâ dicat, hoc « est, in hoc cursu totius vitæ indignationem caven- « dam, quòd ira sæpè etiam innocentes in crimen ad- « ducat; quia dùm justo ampliùs irascimur, et volu- « mus alienum coercere peccatum, graviora peccata « committimus. Ideò Apostolus, Rom. 12 : *Non vos « ipsos*, inquit, *vindicantes, charissimi; sed date locum « iræ;* hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat. « Unde Dominus Jesus dimittens ad evangelizandum « discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine « pecuniâ, sine perâ, sine virgâ; id est, ut et instru- « menta eriperet ultionis. »

Et Enarratione in psalmum 36, exponens hunc ver- sum : *Desine ab irâ, et relinque indignationem;* sive ut legimus, *derelinque furorem*, ait : « Sunt multa vitia « quæ obrepunt insipientibus. Ira gravis passio est, « plerumque accendit invitum; et volentem mitiùs « vindicare, in furorem rapit, ut perimat quem puta- « verit coercendum. Commotus, gladio sæpè trans- « verberat innocentem. Amicos et fratres per indi- « gnationem plurimi peremerunt. Ideò Sapiens dicit, « Proverb. 15 : *Ira perdit etiam Sapientes.* Salomonis « dictum est, quia non solùm quoscumque de medio « homines, sed etiam ipsos perdat ira sapientes. Et « David sapientem monet dicens : *Desine ab irâ;* ne « cùm accenderis eam, illa non desinat priusquàm te « ejus flamma consumat. *Relinque*, inquit, *indignatio- « nem*, hoc est, natura te rapit, movet affectus, culpa « te alicujus excitat vel offensa, ut indigneris; sed « non usquequàque ut modum nescias : relinque eam, « finem impone, ne te in peccatum trahat. Hoc est « quod supra dixit, Psalm. 4 : *Irascimini, et nolite « peccare;* non enim hortatur ut irascaris, sed ad « tempus cedit affectui; dat tamen medicamentum ne « diutiùs vis ulceris serpat. *Irascimini*, quod ait, tuæ « est passionis. Medicus enim non statim adhibet me- « dicamenta languori; si dolor fervet, fomenta adhi- « bet, ut mitescat dolor; si febris exæstuat, remedii « tempus exspectat, ipsum potum sitientibus negare « consuevit. Non dicit : Noli febrire, cùm vapor fer- « vet ægroti; sed dicit : Exspecta, desinat febris, dige- « ratur commotio. Sic et Propheta non potuit dicere « homini, cujus caro ut variis morborum, ita com- « motionum passionibus excitatur; non irascere; sed « dicit : *Desine ab irâ, et indignationem relinque*, ne « pecces. Ira enim gravis est magistra peccati. « Alius quoque medicus dicit : *Sol non occidat super « iracundiam vestram;* ne dùm diù differs, veniat ille « qui calefactum corporis somno excitare consuevit, « et stimulet te, inserat tibi cogitationes, et in se- « creta se tui pectoris immergat dicens : Vindica in- « juriam tuam, virum te esse cognosce; femineæ in- « firmitatis est non capere vindictam. Ergo contem- « nere te debuit servus, frater decipere, amicus illu- « dere; et tu adhuc tuam non ulcisceris contumeliam? « Proscribas necesse est, gladio oportet insurgas, et « dolorem tuum adversarii morte solvas. Vir fuit ille « qui suum occidit inimicum, meritò prædicatur; « quia ita se vindicavit, ut alius ignorans audiret, « eique irrogare non auderet injuriam. His stimulis « plus accenditur, plus movetur, ut compleatur quod « scriptum est : Ira *perdit etiam sapientes.* »

S. Augustinus, sermone 208, aliàs de Diversis 72, ostendit quàm exitialis sit ira in corde servata : « Quid « jam dicam de illo opere misericordiæ, ubi nihil de « apothecis, nihil de sacculo impenditur, sed ex corde « dimittitur quod magis si maneat, quàm si recedat, « incipit esse damnosum? Iram dico adversùs aliquem « in corde servatam. Quid autem stultius quàm inimi- « cum forinsecùs devitare, et multò pejorem in præ- « cordiis intimis retinere? Unde Apostolus dicit « Ephes. 4 : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* « Moxque subjungit : *Neque detis locum diabolo;* tan- « quàm hoc agat, qui non citò iram pellit ex animo, « ut per illam velut per januam aditum præstet dia- « bolo. Primitùs itaque agendum est, ut super iram « non occidat iste sol; ne deserat ipsam mentem ju- « stitiæ Sol. »

S. Gregorius Magnus, lib. 5 Moralium, cap. 36, ex- plicans locum illum Job. 5 : *Virum stultum interficit iracundia*, istius gravitatem peccati, et mala quæ in- fert, luculenter ostendit. « Cùm scriptum sit, Sap. 12 : « *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas;* scien- « dum nobis magnopere est, quia quoties turbulentos « motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, « ad similitudinem redire Conditoris conamur. Nam « cùm tranquillitatem mentis ira diverberat, dilania- « tam quodammodo scissamque perturbat, ut sibimet « ipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amit- « tat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per « quam dùm mansuetudo amittitur, supremæ imagi- « nis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur; « ut quid, quove ordine agendum sit, omninò nescia- « tur, sicut scriptum est, Eccl. 7 : *Ira in sinu stulti « requiescit*, quia nimirùm intelligentiæ lucem sub- « trahit, cùm mentem permovendo confundit. Per « iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, « sicut scriptum est : *Ira perdit etiam sapientes;* quia « scilicet confusus animus nequaquàm expletur, etiam- « si quid intelligere prudenter valet. Per iram justitia « relinquitur, sicut scriptum est, Jacobi 1 : *Ira viri ju- « stitiam Dei non operatur;* quia dùm perturbata mens « judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor « suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socia- « lis amittitur, sicut scriptum est, Proverb. 22 : *Noli « esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas « ejus, et sumas scandalum animæ tuæ.* Et ibidem : « *Quis poterit habitare cum homine cujus spiritus faci- « lis est ad irascendum?* Quia qui se ex humanâ ratione « non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat.

« Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est, « Proverb. 15 : *Vir animosus parat rixas, et vir iracundus effodit peccata.* Iracundus quippe peccata effodit, quia etiam malos, quos incautè ad discordiam « provocat, pejores facit. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est, Ephes. 4 : *Sol non occidat super iracundiam vestram;* quia cùm menti iracundia « confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ « cognitionis abscondit. Per iram sancti Spiritûs « splendor excluditur, sicut scriptum est, Isai. 66 : « *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* Cùm « enim humilem diceret, quietum protinùs adjunxit. « Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto « Spiritui habitationem claudit, cujus recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, et « usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum « cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquàm recognoscuntur noti. »

### Articulus II.

*Regulæ morum circa iram.*

Regula prima. — Ira cum injustæ vindictæ appetitu deliberato conjuncta, lethale ex genere suo peccatum est. — Hanc regulam tradit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 158, art. 3 : « Cùm aliquis, inquit, appetit injustam vindictam, sic ex genere suo ira est « peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiæ. » Et in responsione ad tertium, ait « Dominum, cùm dixit, Matth. 5 : *Omnis qui irascitur fratri « suo, reus erit judicio,* loqui de motu iræ, quo quis « appetit proximi occasionem, aut quamcumque gravem læsionem : cui appetitui si consensus rationis « superveniat, absque dubio erit peccatum mortale. »

Regula II. — Repentinus iræ motus, vel deliberatus quidem, sed cum levioris vindictæ appetitu conjunctus, veniale duntaxat peccatum est. — Ita docet S. Thomas loco mox citato : « Potest tamen, inquit, « contingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale « propter imperfectionem actûs. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, puta, cùm « motus iræ prævenit judicium rationis, vel etiam ex « parte appetibilis, puta, cùm aliquis appetit in aliquo « modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita quod etiamsi actu inferatur, non esset « peccatum mortale : puta, si aliquis parùm trahat « puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. » Et art. 2 ejusdem quæstionis : « Motus, inquit, qui præ« veniunt judicium rationis, non sunt in potestate ho« minis in generali, ut scilicet nullus eorum insurgat, « quamvis ratio possit quemlibet singulariter impedire, si insurgat. Et secundùm hoc dicitur, quòd mo« tus iræ non est in potestate hominis; ita scilicet « quòd nullus insurgat. Quia tamen aliqualiter est in « hominis potestate, non totaliter perdit rationem « peccati, si sit inordinatus. »

Quo sensu Cassiodorus in Psal. 4 ait : « Venialis est « ira, quæ ad effectum indignationis suæ non perve« nit, sicut scriptum est, Proverb. 16 : *Melior est qui « vincit iram, quàm qui capit civitatem* : ideò præceptum « curationis adhibetur, ut si jam irascimur, non in« consultâ temeritate peccemus. Motum siquidem ani« mi fervidum, propter humanam fragilitatem habere « in potestate non possumus, suffragante tamen Dei « gratiâ ratione disciplinabili continemus. Et ideò « beatus Propheta, quod est quidem consuetudinis « permisit, quod verò culpæ prohibuit. Nam si ira« scamur, nec Domini consideratione refrænemur, « sed à voto nostro impediamur aliquo necessitatis ob« jectu, tunc utique constat nos facti crimen portare, « etiamsi non possimus, quæ volebamus, efficere. »

Regula III. — Tres iræ gradus à Christo Domino explicati (Matthæi 5) lethalia peccata sunt. — Id enim Christi verba disertè significant : *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Primus gradus est ira cum deliberato gravis ultionis appetitu animo concepta, et in odium degenerans. Secundus gradus est iræ hujusmodi per aliqua signa exteriora manifestatio, etiam antequàm prorumpat in effectum. Tertius gradus est peccati interiùs concepti executio, seu actualis vindicta. Primus gradus significatur his verbis : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* secundus his verbis : *Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio.* Est autem *Raca*, interjectio indignantis, gravemque ultionem expetentis animi motum significans, seu gravis damni comminatio. Tertius gradus exprimitur his verbis : *Qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Est enim effectus iræ nocumentum alterius sub ratione vindictæ. Minimum autem nocumentorum est, quod fit solo verbo. Unde si primus gradus est peccatum mortale, multò magis alii, inquit S. Thomas. Et ideò singulos condemnandos Christus docet; sed primum tamen damnatione minùs gravi, alterum graviori, tertium gravissimâ; quod tribunalium diversitate designat, in quibus causæ vulgares, graviores, et gravissimæ disceptabantur et judicabantur. Id omne S. Augustini verbis luculentiùs exprimam, lib. 2 de Sermone Domini in Monte, cap. 9 : « Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primò quis« que irascatur, et eum motum retineat corde con« ceptum : jam si extorserit vocem indignantis ipsa « commotio, non significantem aliquid, sed illum « animi motum ipsâ eruptione testantem, quâ feria« tur ille cui irascitur, plus est utique quàm si sur« gens ira silentio premeretur; si verò non solùm « vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quod « jam certam ejus vituperationem in quem profertur « designet et notet, quis dubitet ampliùs hoc esse « quàm si solus indignationis sonus ederetur? Itaque « in primo unum est, id est, ira sola; in secundo duo, « et ira, et vox quæ iram significat; in tertio tria, « et ira, et vox quæ iram significat, et in voce ipsa

« certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres « reatus, judicii, concilii, gehennæ ignis. Nam in ju- « dicio adhuc defensioni datur locus ; in concilio au- « tem quanquàm et judicium esse soleat, tamen quia « interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, « videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio, « quando non jam cum ipso reo agitur, utrùm dam- « nandus sit, sed inter se qui judicant conferunt quo « supplicio damnari oporteat, quem constat esse dam- « nandum ; gehenna verò ignis, nec damnationem ha- « bet dubiam, sicut judicium, nec damnati pœnam, « sicut concilium ; in gehennâ quippe ignis certa est « et damnatio et pœna damnati. »

Eodem sensu hunc locum explicat S. Gregorius, lib. 21 Moralium, cap. 4 : « Priùs, inquit, ira repre- « henditur sine voce ; postmodùm verò ira cum voce, « sed necdùm pleno verbo formata ; ad extremum « quoque cùm dicitur, Fatue, ira redarguitur, quæ « cum excessu vocis expletur etiam perfectione ser- « monis. Et notandum, quòd in irâ perhibet reum « esse judicio ; in voce iræ, quod est Raca, reum « concilio ; in verbo vocis, quod est Fatue, reum ge- « hennæ ignis. Per gradus etenim culpæ crevit ordo « sententiæ : quia in judicio adhuc causa discutitur, « in concilio autem jam causæ sententia definitur, in « gehennâ verò ignis ea quæ de concilio egreditur, « sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum « Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine « voce judicio, ira in voce concilio, ira verò in voce « atque sermone, gehennæ ignibus mancipatur. »

Regula IV. — Ira inveterata lethale peccatum est. — Hanc regulam ex sacris litteris depromptam explicat S. Augustinus, sermone 58, aliàs 42, inter Homilias quinquaginta, cap. 7 : « Ne putetis quia nihil « sit iracundia. Turbatus est, inquit Propheta, præ « irâ oculus meus. Utique cui turbatur, solem videre « non potest ; et si conatus fuerit videre, pœna illi « est, non voluptas. Quid est ira ? Libido vindictæ. « Libet hominem vindicari ; et nondùm est Christus « vindicatus, nondùm sunt sancti martyres vindicati. « Adhuc exspectat patientia Dei, ut convertantur ini- « mici Christi, convertantur martyrum inimici : Nos « qui sumus, ut vindictam quæramus ? Si quæreret « illam Deus de nobis, ubi remaneremus ? Ille qui « nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis ; et « nos quærimus vindicari, qui penè quotidiè Deum « offendimus ! Ergo dimittite, dimittite ex corde. Iratus « es, noli peccare : *Irascimini, et nolite peccare.* Psal. « 4. Irascimini quasi homines, si vincimini ; et nolite « peccare, ut iram in corde teneatis (quia si tenetis, « contra vos tenetis) : ne in illud intretis. Ergo dimittite. « Quid est ira ? Libido vindictæ. Quid est odium ? Ira « inveterata. Ira inveterata si facta est, jam odium di- « citur. Quod videtur confiteri ille, qui cùm dixisset, « Psalm. 4 : *Turbatus est præ irâ oculus meus*, addidit : « *Inveteravi in omnibus inimicis meis.* Quod erat ira, « cùm esset nova, odium factum est, quia in vetu- « statem conversum est. Ira festuca est, odium trabes « est. Aliquando reprehendimus irascentem, et odium « tenemus in corde, et dicit nobis Christus, Matth. 7 : « *Festucam in oculo fratris tui vides, et trabem in ocule* « *tuo non vides.* Unde crevit festuca, ut trabem face- « ret ? Quia non statim evulsa est. Quia passus es exi- « re et intrare solem toties super iracundiam tuam, « fecisti illam veterem, adtraxisti malas suspiciones. « et rigâsti festucam, rigando nutrîsti, nutriendo tra- « bem fecisti. Expavesce vel quando dicitur, 1 Joan. 3 : « *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Gladium non « eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus « plagâ aliquâ trucidâsti : cogitatio sola odii in corde « tuo est, et teneris homicida : Reus es ante oculos « Dei. Ille vivit, et tu occidisti. Quantùm ad te per- « tinet, occidisti quem odisti. Emenda te, corrige te. « Si in domibus vestris scorpiones essent aut aspi- « des, quantùm laboraretis, ut domus vestras purga- « retis, et securi habitare possetis ? Irascimini, et in- « veterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, « tot trabes, tot scorpii, tot serpentes ; et domum « Dei, cor vestrum, purgare non vultis ? »

Et ante S. Augustinum, S. Joannes Chrysostomus, lib. 1 de Compunctione cordis, ait : « Persistimus pro « nihili rebus contristare fratres, et quasi nihil mali « fecerimus, satisfactionem negligimus, et oblivioni « tradimus culpam, atque inimicitias in tempus lon- « gum protrahi patimur, ignorantes quòd tantò « longior nobis erit pœna, quantò et discordia pro- « lixor. »

Regula V. — Ira vehemens, tametsi nullum vindictæ appetitum contineat, lethale quandoque peccatum est, cùm nimirùm in Dei prorumpit injuriam, cùm charitatem erga proximum in animo extinguit, vel grave scandalum affert. — Hanc regulam tradit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 158, art. 3 : « Alio modo, inquit, potest esse motus iræ inordina- « tus, quantùm ad modum irascendi, utpotè si nimis « ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs « manifestet signa iræ. Et sic ira secundùm se non « habet rationem peccati mortalis ; potest tamen con- « tingere quòd sit peccatum mortale, puta, si ex vehe- « mentiâ iræ aliquis excidat à dilectione Dei et pro- « ximi. » Et in resp. ad primum : « Stulti, inquit, « per iracundiam spiritualiter occiduntur, in quantum « non refrænando per rationem motum iræ, dila- « buntur in aliqua peccata mortalia, puta, in blasphe- « miam Dei, vel in injuriam proximi. »

Regula VI. — Iniquiores sunt qui citiùs irascuntur, et iram tardiùs deponunt. — Hanc regulam tradit S. Augustinus, epistolâ 211, aliàs 109 : « Melior est au- « tem quæ quamvis ira sæpè tentatur, tamen impe- « trare festinat, ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit « injuriam, quàm quæ tardiùs irascitur, et ad veniam « petendam tardiùs inclinatur. »

Eamdem regulam tradit S. Gregorius, lib. 5 Moralium, cap. 30 : « Sciendum est, inquit, quòd nonnul- « los ira citiùs accendit, faciliùs descrit. Nonnullos « verò tardè quidem commovet, sed diutiùs tenet. Alii « namque accensis calamis similes, dùm vocibus per- « strepunt, quasi quosdam accensionis suæ somitus

« reddunt, citiùs quidem flammam faciunt, sed pro-
« tinùs in favillâ frigescunt. Alii autem lignis gravio-
« ribus durioribusque non dispares, accensionem tar-
« dè suscipiunt, sed tamen accensi semel difficiliùs
« extinguuntur ; et quia se tardiùs in asperitatem
« concitant, furoris sui diutiùs ignem servant. Alii au-
« tem, quod est nequius, et citiùs iracundiæ flammas
« accipiunt, et tardiùs deponunt. Nonnulli verò has et
« tardè suscipiunt, et citiùs amittunt. In quibus nimi-
« rùm quatuor modis liquidò lector agnoscit, quia et
« ad tranquillitatis bonum ultimus plus quàm primus
« appropinquat, et in malo secundum tertius supe-
« rat. »

Regula VII. — Vindicta, aut vindictæ libido, semper malæ sunt ; proindèque inimicos ulcisci nunquàm licet ; injurias illatas condonare semper et ubique necesse est. — Hanc morum regulam tradit Christus, Matth. 5 : *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram ; et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium ; et quicumque te angariaverit mille passus, vade eum illo alia duo.* Explicat S. Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 19 : « Pharisæorum « justitia minor est, inquit, non excedere in vindictâ « modum, ne plus rependat quisque quàm accepit. Et « magnus hic gradus est. Nemo enim facilè invenitur « qui pugno accepto pugnum reddere velit ; et uno à « convitiante verbo audito, unum et quod tantumdem « valeat, referre contentus sit : sed sive irâ perturbatus « immoderatiùs vindicat, sive quia justum putat, eum « qui læsit prior, graviùs lædi quàm læsus est qui non « læserat. Talem animum magnâ ex parte refrænavit « lex, in quâ scriptum est : *Oculum pro oculo, et den-* « *tem pro dente.* Quibus nominibus significatur modus, « ut injuriam vindicta non transeat. Et hæc est pacis « inchoatio, perfecta autem pax est, talem penitùs « nolle vindictam. Inter illud ergo primum quod præ-
« ter legem est, ut majus malum pro minore malo
« reddatur, et hoc quod Dominus perficiendis discipu-
« lis dixit, ne pro malo ullum malum reddatur, me-
« dium quemdam locum tenet, ut tantùm reddatur
« quantùm acceptum est, per quod à summâ discordiâ
« ad summam concordiam pro temporum distributio-
« ne transitus factus est. Quisquis ergo malum infert
« prior studio lædendi et nocendi, vide quantùm
« distet ab eo qui nec læsus rependit. Quisquis autem
« nulli prior malè fecit, sed tamen læsus rependit
« gravius, vel voluntate, vel facto, recessit aliquan-
« tùm à summâ iniquitate, et processit ad summam
« justitiam, et tamen nondùm tenet quod lex quæ per
« Moysen data est, imperavit. Qui ergo tantùm reddit
« quantùm accepit, jam donat aliquid ; non enim tan-
« tam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo
« læsus innocens passus est. Hanc ergo inchoatam,
« non severam, sed misericordem justitiam ille perfi-
« cit, qui legem venit implere, non solvere. Duos ergo
« adhuc gradus qui intersunt inteiligendos reliquit, et
« de ipso summo misericordiæ culmine dicere maluit.
« Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam
« magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum
« cœlorum ; ut non reddat tantum, sed minus, velut
« pro duobus pugnis unum, aut pro evulso oculo au-
« rem præcidat. Hinc adscendens qui omninò nihil re-
« penderit, propinquat præcepto Domini, nec tamen
« adhuc ibi est. Parùm enim adhuc videtur Domino,
« si pro malo quod acceperis nihil rependas mali, nisi
« etiam ampliùs sis paratus accipere. Quapropter non
« ait : *Ego autem dico vobis,* non reddere malum pro
« malo, quanquàm hoc etiam magnum præceptum sit ;
« sed ait : *Non resistere adversùs malum :* ut non so-
« lùm non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed
« etiam non resistas quò minus aliud irrogetur. Hoc
« est enim quod etiam consequenter exponit : *Sed si*
« *quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præ-*
« *be illi et alteram :* non enim ait : Si quis te percus-
« serit, noli tu percutere ; sed, para te adhuc percu-
« tienti. Quod ad misericordiam pertinere, hi maximè
« sentiunt, qui eis quos multùm diligunt, tanquàm filiis
« vel quibuslibet dilectissimis suis ægrotantibus ser-
« viunt, vel parvulis vel phreneticis : à quibus multa
« sæpè patiuntur, et si eorum salus id exigat, præbent
« se etiam ut plura patiantur, donec vel ætatis vel
« morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus, me-
« dicus animarum, curandis proximis instruebat, quid
« eos aliud docere posset, nisi ut eorum quorum salu-
« ti consulere vellent, imbecillitates æquo animo to-
« lerarent ? Omnis namque improbitas ex imbecillitate
« animi venit, quia nihil innocentius est eo qui in vir-
« tute perfectus est. »

Subdit S. Augustinus Christum Dominum hoc oraculo omne injuriarum genus complexum esse, ut nullam injuriam esse significaret, quam Christianus condonare, imò nullam omninò ad quam perferendam paratus corde esse non debeat, potiùs quàm violet charitatem : « In his sanè generibus trium exemplo-
« rum nullum genus injuriæ prætermissum esse video.
« Namque omnia in quibus improbitatem aliquam pa-
« timur, in duo genera dividuntur : quorum alterum
« est quod restitui non potest, alterum quod potest.
« Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ sola-
« tium quæri solet. Quid enim prodest quòd percus-
« sus repercutis ? Numquid propterea illud quod in
« corpore læsum est, restituitur in integrum ? Sed
« tumidus animus talia fomenta desiderat ; sanum au-
« tem firmumque ista non juvant ; quin potiùs miseri-
« corditer perferendam alterius infirmitatem judicat,
« quàm alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla
« est... Tenebitur ergo in hoc injuriarum genere, quod
« per vindictam luitur, iste à Christianis modus, ut
« accepta injuria non surgat in odium, sed infirmitatis
« misericordiâ paratus sit animus plura perpeti, nec
« correctionem negligat, quâ vel consilio, vel au-
« ctoritate, vel potestate uti potest. Aliud injuria-
« rum genus est, quod in integrum restitui potest ;
« cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad ope-
« ram pertinet. Quapropter illius de tunicâ et ve-

« stimento, hujus de angariâ mille passuum, et duûm « millium, exempla subjecta sunt, quia et reddi ves- « timentum potest, et quem adjuveris operâ, potest te « etiam ipse, si opus fuerit, adjuvare. Nisi fortè ita « potiùs distinguendum est, ut priùs quod positum est « de percussâ maxillâ, omnia significet quæ sic inge- « runtur ab improbis, ut restitui non possint nisi « vindictâ; secundum quod positum est de vestimen- « to, omnia significet quæ possunt restitui sine vin- « dictâ; et ideò forte additum est : *Qui voluerit tecum « judicio contendere*, quia quod per judicium aufertur, « non ea vi putantur auferri, cui vindicta debeatur : « tertium verò ex utroque confectum sit, ut et sine « vindictâ et cum vindictâ possit restitui. Nam qui « operam indebitam violenter exigit sine ullo judicio, « sicut facit qui angariat hominem improbè, et cogit « se illicitè adjuvari ab invito, et pœnam improbitatis « potest luere, et operam reddere, si hanc ille repe- « tat qui improbum pertulit. In his ergo omnibus ge- « neribus injuriarum Dominus docet patientissimum « et misericordissimum, et ad plura perferenda para- « tissimum animum Christiani esse oportere. »

Præterea Christus inimicorum dilectionem et condonationem injuriarum nobis imperat, ut remissionem peccatorum à Patre cœlesti obtineamus : vult ergo ut quemadmodùm integram, plenam, et perfectam misericordiam ab ipso precamur et speramus; ita et plenam atque perfectam misericordiam exerceamus in inimicos nostros, nullamque de ipsis ultionem sumamus unquàm, aut expetamus. Matth. 6 : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Sic ad divinæ bonitatis et perfectionis imitationem à Christo imperatam contendimus. Matth. 5 : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros. Benefacite his qui oderunt, vos et orate pro his qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est..... Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* Nam, ut ait S. Augustinus, lib. 1 de Sermone in Monte, cap. 21 : « Perfectio misericordiæ, quâ pluri- « mùm animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem « inimici porrigi non potest, et ideò sic clauditur : « *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester, qui in « cœlis est, perfectus est.* »

Hanc regulam confirmat Apostolus, ad Romanos 12 : *Nulli*, inquit, *malum pro malo reddentes; providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

Certè non minus est, imò quandoque gravius illius qui injuriam ulciscitur, quàm ejus qui injuriam infert, peccatum. Quâ de re præclarè Tertullianus, libro de Patientiâ, cap. 10 : « Est et alius summus impatien- « tiæ stimulus, inquit, ultionis libido, negotium cu- « rans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed et gloria utique « vana, et malitia nunquàm non Domino odiosa, hoc « quidem loco maximè, cùm alterius malitiâ provo- « cata, superiorem se in exequendâ ultione constituit, « et renumerans nequam duplicat quod semel fa- « ctum est. Ultio penès errorem, solatium videtur « doloris; penès veritatem, certè redarguitur maligni- « tatis. Quid enim refert inter provocantem et pro- « vocatum, nisi quòd ille prior in maleficio depre- « henditur, at ille posterior? Tamen uterque læsi « hominis Domino reus est, qui omne nequam et « prohibet et damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio « est; nec locus secernit quod similitudo conjungit. « Absolutè itaque præcipitur malum malo non repen- « dendum. Par factum par habet meritum. Quomodò « id observabimus, si fastiditi ante in fastidio ultionis « non erimus? Quem autem honorem litabimus Do- « mino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogave- « rimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris as- « sumentibus sibi de conservis ultionem, graviter « offendimur; eos qui nobis patientiam obtulerint « suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus Domi- « nici honoris diligentes, non probamus modò, sed « ampliorem quàm ipsi sibi præsumpsissent satisfa- « ctionem facimus : id nobis in Domino tam justo ad « æstimandum, tam potenti ad perficiendum pericli- « tatur? Quid ergo credimus judicem illum, si non et « ultorem? Hoc se nobis repromittit, dicens : Vin- « dictam mihi, et ego vindicabo; id est, patientiam « mihi, et ego patientiam remunerabo. »

Regula VIII. — Vindicta quæ fit ad correctionem peccantis, ad gloriam Dei, ad aliorum utilitatem, auctoritate legitimâ, non est illicita, nec hujusmodi vindictam apud superiores, sive judices, urgere prohibetur Christiano qui læsus fuerit; modò id faciat ob finem charitatis, non animo ultionis. — Hanc regulam tradunt S. Augustinus et S. Thomas. Ille lib. 1 de Sermone Domini in Monte, cap. 19 : « Neque hìc, « inquit, ea vindicta prohibetur, quæ ad correctio- « nem valet : etiam ipsa enim pertinet ad misericor- « diam; nec impedit illud propositum quo quisque « paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura « perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est ido- « neus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se « vindicare desiderant, dilectionis magnitudine supe- « raverit. Non enim metuendum est ne odisse parvu- « lum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat « peccans, ne peccet ulteriùs. Et certè perfectio di- « lectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponi- « tur, cùm in sequentibus dicitur : *Diligite inimicos « vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro « eis qui vos persequuntur;* et tamen de ipso dicitur « per Prophetam, Proverb. 3 : *Quem enim diligit Do- « minus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem « recipit.* Dicit et Dominus, Luc. 12 : *Servus qui ne- « scit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis, va- « pulabit pauca; servus autem qui scit voluntatem Do- « mini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa.* Nos

« ergo quæritur, nisi ut et ille vindicet, cui rerum « ordine potestas data est; et eâ voluntate vindicet, « quâ pater in parvulum filium, quem per ætatem « odisse nondùm potest. Hinc enim aptissimum exem- « plum ducitur, quo satis appareat, posse peccatum « amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui, « ut illum in quem vindicat non pœnâ miserum, sed « correctione, beatum velit; paratus tamen, si opus « sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem « vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem « coercendi sive non habeat. Magni autem et sancti « viri, qui jam optimè scirent mortem istam quæ « animam dissolvit à corpore, non esse formidandam, « secundùm eorum tamen animum qui illam timerent, « nonnulla peccata morte punierunt, quòd et viventi- « bus utilis metus inculeretur, et illis qui morte pu- « niebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, « quod augeri posset, si viverent. Non temerè illi ju- « dicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde « est quòd Elias multos morte affecit, et propriâ manu, « et igne divinitùs impetrato : quod et alii multi ma- « gni et divini viri eodem spiritu consulendi rebus « humanis non temerè fecerunt. De quo Eliâ cùm « exemplum dedissent discipuli, Domino commemo- « rante quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret « potestatem petendi de cœlo ignem ad consumendum « eos qui sibi hospitium non præberent, reprehendit « in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed « ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus; « animadvertens eos non amore correctionem, sed « odio desiderare vindictam. Itaque postea quàm eos « docuit quid esset diligere proximum tanquàm seip- « sum, infuso etiam Spiritu sancto, non defuerunt « tales vindictæ, quamvis multò rariùs quàm in veteri « Testamento. Ibi enim ex majore parte servientes « timore premebantur; hìc autem maximè dilectione « liberi nutriebantur. Nam et verbis Apostoli Petri « Ananias et uxor ejus exanimes ceciderunt, nec re- « suscitati sunt, sed sepulti. »

Et Epistolâ 138, aliàs 5 ad Marcellinum, cap. 2 : « Quanta, inquit, præcepta concordiæ, non humanis « disputationibus exquisita, sed divinâ auctoritate « conscripta, in Christi Ecclesiis lectitentur, quis vel « ab illâ religione alienus ita surdus est ut ignoret? « Ad hoc enim et illa pertinent, quæ malunt exagi- « tare quàm discere alteram percutienti præbendam « esse maxillam, volenti auferre tunicam dandum « etiam pallium, cum angariante duplicandam viam. « Hoc quippe fit ut vincatur bono malus, imò in ho- « mine malo vincatur bono malum, et homo liberetur « à malo, non exteriore et alieno, sed intimo ac suo, « quo graviùs ac perniciosiùs quàm cujusvis hostis « extrinsecùs immanitate vastatur. Qui ergo vincit « bono malum, patienter amittit temporalia com- « moda, ut doceat quàm pro fide atque justitiâ con- « temnenda sint, quæ ille nimis amando fit malus, ac « sic injuriosus ab eo ipso cui fecit injuriam, discat « qualia sint propter quæ fecit injuriam, atque in « concordiam quâ nihil est utilius civitati, pœnitens « acquiratur, victus non sævientis viribus, sed bene- « volentiâ patientis. Tunc enim rectè fit, cùm videtur « ei profuturum esse propter quem fit, ad operandam « in eo correctionem aque concordiam. Hoc certè « animo faciendum est, etiamsi alius exitus conse- « quatur, nec corrigi velit atque pacari, propter quem « corrigendum atque pacandum, velut curandum et « sanandum adhibita est ista medicina... Paratus ita- « que debet esse homo justus et pius, patienter eorum « malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut nu- « merus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitiâ « se quoque numero addat malorum. Denique ista « præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intùs « est, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, « ut teneatur in secreto animi patientia cum benevo- « lentiâ; in manifesto autem id fiat, quod eis videtur « prodesse posse, quibus benè velle debemus, hinc « liquidò ostenditur, quòd ipse Dominus Jesus, exem- « plum singulare patientiæ, cùm percuteretur in fa- « ciem, respondit, Joan. 18 : *Si malè dixi, exprobra « de malo; si autem benè, quid me cædis?* Nequaquàm « igitur præceptum suum, si verba intuemur, im- « plevit. Neque enim præbuit percutienti alteram « partem, sed potiùs prohibuit, ne qui fecerat injuriam « augeret; et tamen paratus venerat non solùm in « faciem percuti, verùm etiam pro his quoque, à qui- « bus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus « ait in cruce pendens : *Pater, ignosce illis, quia ne- « sciunt quid faciunt.* Nec Paulus Apostolus præceptum « Domini et magistri sui videtur implêsse, ubi etiam « ipse percussus in faciem dixit principi sacerdotum, « Act. 23 : *Percutiet te Deus, paries dealbate : sedens « judicas me secundùm legem, et contra legem jubes « me percuti?* Sunt ergo ista præcepta patientiæ sem- « per in cordis præparatione retinendâ, ipsaque be- « nevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper « in voluntate complenda est. Agenda sunt autem « multa etiam cum invitis benignâ quâdam asperitate « plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, « quàm voluntati... Nam in corripiendo filio quamlibet « asperè, nunquàm profectò amor paternus amittitur. « Fit tamen quod nolit et doleat, qui etiam invitus « videtur dolore sanandus. Ac per hoc, si terrena ista « respublica præcepta christiana custodiat, et ipsa « bella sine benevolentiâ non gerentur, ut ad pietatis « justitiæque pacatam societatem victis faciliùs con- « sulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter « vincitur : quorum nihil est infelicius felicitate pec- « cantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, et mala « voluntas velut hostis interior roboratur. »

Eamdem regulam confirmat S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 72, art. 3 : « Tenemur, inquit, ha- « bere animum paratum ad contumelias tolerandas, si « expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut con- « tumeliam illatam repellamus; maximè propter duo. « Primò quidem propter bonum ejus qui contumeliam « infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de « cætero talia non attentet, secundùm illud Proverb. « 26 : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sa-*

« *piens videatur*. Alio modo propter bonum multorum, « quorum profectus impeditur propter contumelias no- « bis illatas. »

Regula IX. — Ira per zelum, si sit immoderata, peccatum est. — Hanc regulam tradit S. Gregorius Magnus lib. 5, Moralium, cap. 30 : « Cùm, inquit, per « zelum animus movetur, curandum summoperè est, « ne hæc eadem quæ instrumento virtutis assumitur, « menti ira dominetur, nec quasi domina pereat, sed « velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo « nunquàm recedat. Tunc enim robustiùs contra vitia « erigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quan- « tùmlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immo- « derata mentem vicerit, rationi protinùs servire con- « temnit; et tantò se imprudentiùs dilatat, quantò « impatientiæ vitium virtutem putat. Unde necesse est « ut hoc ante omnia, qui zelo multitudinis movetur, « attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, « sed in ultione peccati tempus modumque conside- « rans, surgentem animi perturbationem subtiliùs « retractando restringat, animositatem reprimat, et « motus fervidos sub æquitate disponat, ut eò fiat jus- « tior ultor alienus, quò priùs exstitit victor suus; qua- « tenùs sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse « qui corrigit, per patientiam crescat, et fervorem « suum transcendendo judicet, ne intemperanter ex- « citatus zelo rectitudinis, longè à rectitudine aber- « ret. »

Et S. Bernardus, Epist. 69 : « Peccabis non « minùs nimis irascendo, quàm omninò non ira- « scendo; siquidem non irasci, ubi irascendum sit, « nolle emendare peccatum est; plus verò irasci « quàm irascendum sit, peccatum peccato addere « est. »

Regula X. — Multò melius est nec justè cuiquam irasci, quàm in alicujus odium iræ occultâ facilitate delabi. — Nam, ut ait S. Augustinus Epist. 38, aliàs 149 : « Inveterascens ira fit odium, dùm quasi justi « doloris admixta dulcedo, diutiùs eam in vase deti- « net, donec totum acescat, vasque corrumpat. Qua- « propter multò meliùs, nec justè cuiquam irascimur, « quàm velut justè irascendo in alicujus odium iræ « occultâ facilitate delabimur. In recipiendis enim « hospitibus ignotis solemus dicere, multò esse melius « malum hominem perpeti, quàm forsitan per igno- « rantiam excludi bonum, dùm cavemus ne recipiatur « malus; sed in affectibus animi contra est. Nam in- « comparabiliter salubrius est etiam iræ justè pul- « santi non aperire penetrale cordis, quàm admittere « non facilè recessuram, et perventuram de sarculo « ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crescere « citiùs quàm putatur. Non enim erubescit in tenebris, « cùm super eam sol occiderit. »

Regula XI. — Quamvis ira in quolibet Christiano peccatum sit, gravius tamen in sacerdotibus peccatum est. — Quod enim Christus Christianis omnibus in personâ discipulorum suorum dixit, Matth. 2 : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde*, sacerdotibus maximè dictum esse intelligendum est, qui legis novæ, quæ lex est amoris et charitatis, prædicatores sunt et ministri, et sacerdotii Christi characteres ab Isaiâ et S. Matthæo descriptos in se exprimere debent. *Ecce*, inquit, *puer meus, quem elegi... Ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : arundinem quassatam non confringet, et lychnum fumigans non extinguet;* id est, peccatores non exacerbabit, non à se repellet, non agresti quâdam et ferâ severitate in desperationem compellet, sed divinâ benignitate et compatiente charitate ad Evangelicæ legis observantiam suaviter trahet.

Debent præterea sacerdotes, non minùs quàm Apostoli, in mundo, id est, in medio hominum secularium, et peccatorum versari, *sicut agni inter lupos*, debent columbarum simplicitatem imitari. Sic fiet ut lupos in naturam ovium transmutent. « Majus autem atque « admirabilius est mentem atque animum adversario- « rum commutare, quàm gladio ipsos superare, inquit « S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 34 in Matthæum. « Erubescant igitur, qui contra facientes, quasi lupi « adversarios suos persequuntur, cùm videant innu- « meros lupos ab ovibus vinci paucissimis (duodecim « nimirùm Apostolis). Et certè quousque sumus oves, « facilè hostes vincimus; cùm verò in naturam lupo- « rum transimus, tunc superamur : tunc enim nullum « nobis à Pastore patrocinium adest, qui non lupos, « sed oves pascit; atque ideò cùm in lupum te con- « verteris, abit confestim et relinquit te, qui non per- « mittis virtutem ipsius in te clarescere. Quando enim « injuriâ vexatus, æquo mitique animo cuncta pateris, « ipsi soli trophæum attribuis. Si verò exieris adver- « sùs hostes atque pugnaveris, victoriam illius obscu- « ras. » Hinc Apostolos *sine baculo* Dominus misit, id est, absque armis offendentibus. *Arma* quippe *Clericorum sunt lacrymæ et orationes*, inquit concilium Aquileinse can. 11. Hinc Apostolus 1 ad Tim. 3, et ad Titum 1, episcopi dotes describens, *non percussorem, non iracundum, sed benignum* esse oportere docet. Et 2 ad Timoth. 4, episcopum informans : *Argue*, inquit, *obsecra, increpa, in omni patientiâ et doctrinâ*. Christus scilicet regendarum animarum provinciam Apostolis suis, et episcopis illorum successoribus tradens, jussit ut tanquàm pastores, non ut dominos se gererent; eamdemque formam sequi voluit secundi ordinis sacerdotes, et quotquot ad ecclesiasticas præfecturas, et regimen animarum vocantur. *Scitis*, inquit Matth. 20, *quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. Quamvis enim auctoritatem spiritualem, quam ipsis commisit, illos exercere velit Christus, vult tamen ut absque fastu et acerbitate subditos regant, ut sacrum principatum in animas duntaxat, non in corpora extendi meminerint, ut religione et charitate suaderi et imperari, non umore, non minis, non durioribus verbis, pœnisque temerè et iracundè inflictis extorqueri et cogi debere

subditorum obedientiam certi sint. Hinc S. Petrus, Epist. 1, cap. 5, ait : *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Hanc regulam confirmat canon, inter eos qui Apostolici dicuntur, 28, relatus can. *Episcopum*, dist. 45 : « Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniquè agentes, et per hujusmodi volentem timeri, dejici ab officio suo præcipimus, quia nusquàm nos hoc Dominus docuit. E contrario verò ipse cùm percuteretur, non repercutiebat; cùm malediceretur, non remaledicebat; cùm pateretur, non comminabatur. »

Idem confirmat S. Gregorius, epist. 52, lib. 2, indictione 11 : « Quid autem, inquit, de episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator dicit, 2 Timoth. 4 : *Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ et doctrinâ.* Nova verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. »

Et concilium Toletanum XI, can. 5 : « Nullis vita præsulum perturbari debet excessibus motionum, quia valdè indignum est ut qui throni Dei vocantur, levi motione turbentur, et qui debent esse arca justitiæ, ipsi efficiantur seminarium litis atque rapinæ. »

Regula XII. — Prælati disciplinam lenitate et clementiâ temperare semper debent, ne in punitione culparum ira surrepat vel dominetur. — Hanc regulam tradit S. Gregorius, part. 2 Pastoralis, cap. 6 : « Inter hypocritas, inquit, jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis; et tamen nonnunquàm graviùs delinquitur, si inter perversos plus æqualitas quàm disciplina custoditur. Quia enim falsâ pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc enim divinâ ei voce dicitur, 1 Reg. 2 et 4 : *Honorâsti filios tuos magis quàm me.* Hinc pastores increpat per Prophetam, dicens, Ezech. 34 : *Quod fractum est non alligâstis, et quod abjectum est non reduxistis.* Abjectus enim reducitur, cùm quisque in culpâ lapsus, ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen adstringit, cùm culpam disciplina deprimit, ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctât. Sed sæpè deteriùs frangitur, cùm fractura incautè colligatur, ut graviùs scissuram sentiat, si hanc immoderatiùs ligamenta constringant. Unde necesse est ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnâ se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur, quatenùs sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicitâ circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam disciplina vel misericordia multùm destituitur, si una sine alterâ teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet et justè consulens misericordia, et piè sæviens disciplina. Hinc namque est quòd docente Veritate, per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur, ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenùs per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam ex utrâque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem benè illa tabernaculi arca significat, in quâ cum tabulis virga simul et manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientiâ in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait, Psalm. 22 : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virgâ enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens; ut dùm se in arce regiminis justitia clementiaque permiscet, is qui præest, corda subditorum et terrendo demulceat, et tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat. »

Idem argumentum tractans, libro 20 Moralium, cap 8, misericordiam cum severitate conjungi oportere, Moysis exemplo demonstrat. « Videamus, inquit, amantem piè, et districtè sævientem. Certè cùm Israeliticus populus ante Dei oculos penè inveniabilem contraxisset offensam, ità ut ejus rector audiret : *Descende, peccavit populus tuus*; ac si ei divina vox diceret : Qui in tali peccato lapsus est, jam meus non est; atque subjungeret : *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque tè in gentem magnam* (Exod. 32). Ille semel et iterùm pro populo cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait : *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amavit, pro cujus vitâ de libro vitæ deleri se petiit. Sed tamen iste qui tanto ejus populi amore constringitur, contra ejus culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim ut petitione primâ, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit, ad eumdem populum veniens, ait : *Ponat vir gladium suum super femur suum, ite et redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum, ceciderunt que in die illo quasi viginti tria millia hominum.* Ecce qui vitam omnium etiam cum suâ morte, petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intùs arsit igne amoris; foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta severitas, ut eos quos

« divinitùs feriri timuerat, ipse judicii gladio feriret. « Sic amavit eos quibus præfuit, ut pro eis nec sibi « parceret ; et tamen delinquentes sic persecutus est, « quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis : causam populi apud Deum precibus, « causam Dei apud populum gladiis allegavit. Intùs « amans, divinæ iræ supplicando obstitit ; foris sæviens, culpam feriendo consumpsit. Succurrit citiùs « omnibus, ostensâ morte paucorum. »

Eâmdem regulam confirmat concilium Toletanum II, canone 7 : « Cùm, inquit, juxta antiquæ institutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat benevolentia quàm severitas, plus cohortatio quàm commotio, plùs charitas quàm potestas, relatum est nobis, quòd quidam ex fratribus plus livore odii, quàm correctionis studio subditos insequentes, dùm se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subitò afferunt mortem, cùm inauditos à se projiciunt, et occultis eos judiciis sub pœnitentiâ puniunt. »

### Articulus III.

*De iræ filiabus.*

Ira capitale peccatum est, ex quo sex filiæ oriuntur, scilicet *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.*

*Tumor mentis est æstus quidam excandescentis animi, et varia media excogitantis, quibus ultionis libidinem explere valeat.* Quem animi motum sapiente indignum docet illud Job. 25 : *Numquid sapiens implebit ardore stomachum suum ?*

*Indignatio est commotio animi, quâ quis eum à quo læsus est, vel se læsum putat, indignum æstimat à quo talia patiatur, ideòque nec suâ familiaritate, nec alloquio eum dignatur.*

*Clamor est inordinata et confusa locutio, quâ quis in alterum debacchatur.*

*Contumelia est honoris alieni violatio per verba injuriosa quæ ipso præsente et audiente proferuntur.*

*Blasphemia est honoris divini violatio per verba contumeliosa, quibus homo irâ abreptus Dei majestatem lacessit vel dedecorat, aut ejus sanctos inhonorat.* De illâ agemus tertiâ parte hujus operis.

*Rixa privatum bellum est inordinatâ voluntate ab hominibus irâ accensis temerè susceptum,* seu *contradictio usque ad facta perveniens, dùm unus alterum lædere molitur ;* ut ait S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 41, art. 1 et 2. De ipsâ dicitur, Proverb. 15 : *Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas.* Et rursùs cap. 29 : *Vir iracundus provocat rixas ; et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.*

### Articulus IV.

*Regulæ morum circa filias iræ.*

Regula I. — Tumor mentis lethale peccatum est, cùm homo iratus gravem injustamque vindictam proximo, à quo læsus est, inferre meditatur. — Cùm enim hic accipiatur tumor mentis, non pro superbiâ, sed pro quodam conatu sive audaciâ hominis intentantis vindictam, ut loquitur S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 148, art. 7, ad tertium, tumoris istius malitia et gravitas petitur ex qualitate ultionis cujus desiderio mens accenditur.

Regula II. — Indignatio lethale peccatum est, si gravem proximi contemptum contineat, vel grave pusillis scandalum afferat ; vel si quis à suâ familialitate et colloquio eum velut indignum arceat, in iis casibus, in quibus sub peccato mortali cum eo familiariter versari et colloqui tenetur ; vel tandem si ita sit affectus, ut eum in gravi necessitate corporis aut animi constitutum juvare nollet. — Hos namque motus omnes et affectus opponi charitati et mansuetudini christianæ compertum est. Quod verò silentium attinet ab irâ imperatum, grave plerùmque peccatum esse, docet S. Gregorius, libro 5 Moralium, cap 30 : « Aliquando, inquit, ira perturbato animo, quasi ex « judicio silentium indicit, et quò se foras per linguam non exprimit, intùs deteriùs ignescit, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, « et nil dicendo, quàm sit aversus dicat. Et nonnunquàm hæc silentii severitas per disciplinæ dispensationem geritur, si tamen sollicitè in intimis discretionis forma teneatur. Nonnunquàm verò dùm « accensus animus à consuetâ locutione restringitur, « per accessum temporis penitùs à proximi dilectione « separatur, et acriores stimuli ad mentem veniunt, « causæ quoque quæ graviùs exasperant, oriuntur ; « atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dùm « ira in odium permutatur. Plerùmque ira per silentium clausa intra mentem vehementiùs æstuat, « et clamosas tacita voces format ; verba sibi, quibus « exasperetur, objicit, et quasi in causæ examine posita duriùs exasperata respondet ; quod Salomon « breviter insinuat, dicens, Proverb. 11 : *Præstolatio « impiorum furor.* Sicque fit ut perturbatus animus « majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque graviùs clausa iræ flamma consumat. Unde benè ante « nos quidam Sapiens dixit : *Cogitationes iracundi vi- « pereæ sunt generationes, mentem comedunt matrem « suam.* »

Regula III. — Clamor ex irâ procedens lethale peccatum est, si appetitum deliberatum mortis, aut gravis alicujus damni proximo inferendi exprimat ; aliàs veniale duntaxat peccatum est. — Hæc regula colligitur ex S. Gregorio, libro 5 Moralium, cap. 30 : « Iræ « suæ stimulis, inquit, accensum cor palpitat, corpus « tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquàm recognoscuntur noti. « Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longè « est, qui actionis suæ conscius non est ? Unde fit plerùmque, ut usque ad manus ira prosiliat, et quò ratio longiùs recedit, audacior exsurgat ; seque ipsum « animus retinere non valet, quia factus est potestatis alienæ : et eò furor membra foris in ictibus exercet, quò intùs ipsam membrorum dominam mentem « captivam tenet. Aliquando autem manus non exe

« rit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit. « Fratris namque interitum precibus exposcit, et hoc « Deum perpetrare expetit, quod ipse perversus homo « facere vel metuit, vel erubescit. Fitque ut voto et « voce homicidium peragat, etiam cùm à læsione pro- « ximi manibus cessat. »

Regula IV. — Contumelia vel convicium lethale peccatum est, si animo dedecorandi proximum, et honorem illius violandi proferatur, aut tam grave sit quod temerè profertur convicium, ut personarum conditione, circumstantiisque spectatis, ejus honorem reipsà lædat plurimùm, quamvis eo fine verbum injuriosum non proferatur. — Nihil enim meretur damnationem æternam nisi mortale peccatum; convicium porrò vel contumelia meretur damnationem æternam, secundùm oraculum Christi, Matth. 5. : *Qui dixerit fratri suo : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Mortale igitur peccatum est. Unde Apostolus ad Romanos 1, inter crimina quibus ethnici, et à Deo deserti abundant, et ob quæ *digni sunt morte*, contumeliam notat, *contumeliosos, superbos*, etc.

Id confirmat S. Thomas, 2-2, quæstione 72, articulo 2 : « Verba, inquit, in quantum sunt soni quidam, « non sunt in nocumentum aliorum, sed in quantum « significant aliquid; quæ significatio ex interiori af- « fectu procedit. Et ideò in peccatis verborum maximè « considerandum videtur ex quo affectu aliqui verba « proferant. Cùm ergo convicium vel contumelia de « suî ratione importet quamdam dehonorationem; si « intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba, « quæ profert, honorem alterius auferat, hoc propriè « et per se est dicere convicium vel contumeliam : et « hoc est peccatum mortale, non minùs quàm furtum « vel rapina. Non enim homo minùs amat suum ho- « norem, quàm rem possessam. »

Et paulò post addit, hujusmodi verbis, etiam correptionis aut delectationis gratiâ prolatis, moderatè et prudenter utendum, « quia posset esse ita grave « convicium, quòd per incautelam prolatum, auferret « honorem ejus contra quem profertur; et tunc pos- « set homo peccare mortaliter, etiamsi non intenderet « dehonorationem alterius. Sicut etiamsi aliquis in- « cautè alium ex ludo percutiens, graviter lædat, « culpâ non caret. »

Hanc doctrinam ex S. Joanne Chrysostomo, lib. 1 de Compunctione cordis, hauserat S. Thomas, scribente : « Quòd si quis fatuum dixerit fratrem suum, « extremo dignus est supplicio; qui maleficum, invi- « dum, levem, inanis gloriæ cupidum appellârit, aut « alia innumera in eum maledicta congesserit, quan- « tis se gehennæ flammis obnoxium reddit? Fatue « enim et Raca quod ait, hoc est quod ostendit, quia « ne leve quidem et minimum in fratrem convicium « relaxabitur; atque ob id de levioribus sententiam « dedit Christus, ut de gravioribus dubitare non de- « beas. »

Regula V. — Si absque animo lædendi, ex levitate, aut joci gratiâ, vel causâ corruptionis, verba convicii aut contumeliæ dicantur, et secundùm se, aut spectatâ qualitate personarum, et circumstantiis, levia sint, vel censeantur, vel ex plenâ deliberatione prolata non sint, sed ex surreptione, venialia duntaxat, et quandoque nulla peccata sunt. — Hujus regulæ partes omnes nituntur auctoritate S. Thomæ, 2-2, quæstione 72, articulo 2 : « Si verò, inquit, aliquis ver- « bum convicii vel contumeliæ alteri dixerit, non ta- « men animo dehonorandi, sed fortè propter correc- « tionem, vel propter aliquid hujusmodi..., hoc potest « esse quandoque peccatum veniale, quandoque au- « tem absque omni peccato. In quo tamen necessaria « est discretio, ut moderatè homo talibus verbis uta- « tur, etc. »

Et in responsione ad primum : « Ad eutrapeliam « pertinet discere aliquod leve convicium, non ad de- « honorationem, vel ad contristationem ejus in quem « dicitur, sed magis causâ delectationis et joci. Et « hoc potest esse sine peccato, si debitæ circumstan- « tiæ observentur. Si verò aliquis non reformidet « contristare eum in quem profertur hujusmodi con- « vicium, dummodò aliis risum excitet; hoc est vi- « tiosum. »

In responsione verò ad secundum : « Sicut, inquit, « licitum est aliquem verberare, vel in rebus damni- « ficare, causâ disciplinæ; ita etiam causâ disciplinæ « potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum « aliquod conviciosum dicere. Et hoc modo Dominus « discipulos vocavit stultos. *O stulti*, inquit, Luc. ult., « *et tardi corde ad credendum!* et Apostolus, epist. 3, « Galatas insensatos : *O insensati Galatæ, quis vos fas- « cinavit non obedire veritati?* Tamen, sicut dicit S. « Augustinus in libro de sermone Domini in monte : « *Rarò et in magnâ necessitate objurgationes adhibendæ « sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed « Deo ut serviatur instemus.* » Et, libro 21 de Civitate Dei, cap. 27, ait : « Non dicit fratri suo : *Fatue*, qui « cùm hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus « infensus est; alioquin reus erit gehennæ ignis. »

Denique S. Thomas, in responsione ad tertium « Cùm, inquit, peccatum convicii vel contumeliæ ex « animo dicentis dependeat, potest contingere quòd « sit peccatum veniale, si sit leve convicium, non « multùm hominem dehonestans, et proferatur ex « aliquâ animi levitate, vel ex levi irâ, absque firmo « proposito aliquem dehonestandi, putà, cùm aliquis « intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter con « tristare. »

Dixi, levia convicia, levesque contumelias, aut quæ leves censentur spectatâ conditione personarum, aliisque circumstantiis, venialia esse peccata; quia etiamsi leves sint absolutè et simpliciter, si tamen graves sint respectu personarum quibus objiciuntur, aut noverit qui verba illa profert, proximum levis peccati, aut alterius defectûs objectione graviter contristandum, vel grave damnum passurum; aut si conviciator ipsi grave dedecus hujusmodi verbis inurere intendat, lethalis peccati reus est. Contra verò, si id quod objicitur, absolutè quidem et per se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut morem patrium

loquendi, grave non censeatur, veniale duntaxat peccatum est. Sic viros et mulierculas infimæ sortis, cùm iràfervente, certis conviciis et contumeliis apud plebeios usitatis se lacessunt, mortalis peccati non damnant theologi; quia nec iis, quæ sibi mutuò objicere solent inter rixandum, fides adhibetur; nec vilium hujusmodi personarum honor graviter his verborum injuriis læditur, quibus nobilium aut honoratorum civium, illustriumque, aut ingenuarum ex ordine civili mulierum, violaretur existimatio. Hinc etiam verba quædam in regionibus et provinciis nonnullis graves contumeliæ sunt, immaniaque convicia; in aliis verò levia, aut nulla. Nam *verba, in quantum sunt soni quidam, non sunt in nocumentum aliorum; sed in quantum significant aliquid; quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit*; inquit, S. Thomas : addiderim, et ex arbitrio, moribusque gentium.

Regula VI. — Quamvis inter convicium, contumeliam et improperium discrimen theologi statuant, promiscue tamen apud vulgus usurpantur. — Ita S. Thomas, 2-2, quæstione 72, articulo primo in responsione ad tertium : « Convicium, inquit, et improperium consistunt in verbis, sicut et contumelia; quia per hæc omnia repræsentatur aliquis defectus alicujus in detrimentum honoris ipsius. Hujusmodi autem defectus est triplex, scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa. Et defectus generaliter culpæ et pœnæ, qui repræsentatur per convicium; quia vitium consuevit dici non solùm animæ, sed etiam corporis. Unde si quis alicui injuriosè eum esse cæcum, convicium quidem dicit, sed non contumeliam. Si quis autem dicat alteri quòd sit fur, non solùm convicium, sed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, sive indigentiæ; qui etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam : et hoc fit per verbum improperii; quod propriè est quando aliquis injuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium quod contulit ei necessitatem patienti. Unde dicitur, Ecclesiastici 20 : *Exigua dabit, et multa improperabit.* Quandoque tamen unum istorum pro alio ponitur. »

Regula VII.—Contumeliosi ad restitutionem honoris, quo meliori et convenientiori modo fieri potest, tenentur.—Cùm enim contumelia justitiam violet, restitutionis obligationem imponit, ut honore restituto reparetur æqualitas, secundùm illud Apostoli ad Romanos 13 : *Reddite omnibus debita; cui honorem, honorem.* Quæ quidem restitutio fit ignorantiæ confessione, cùm quis alterum ex ignorantiâ inhonoravit, sicut Apostolus, cùm principem sacerdotum parietem dealbatum vocâsset, astantesque dixissent : *Summum sacerdotem Dei maledicis?* Respondit : *Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices.* Si verò convicia vel contumeliæ ex irâ, odio, aut aliâ malâ voluntate impacta sint iis qui non sunt subditi conviciatoris hominis aut contumeliosi, congruus satisfactionis restitutionisque modus est veniæ petitio, aut exhibitiones honoris convenientes secundùm virorum prudentûm arbitrium. Sed et damna omnia ex contumeliis vel conviciis consecuta resarciri debent. At si contumeliis et conviciis aliquis subditum lacessiverit, veniam ut ab ipso petat minimè necesse est, sed aliæ rationes honoris restituendi sunt eligendæ, secundùm illud S. Augustini, epistolâ 211, aliàs 109 : « Proinde « vobis à verbis durioribus parcite; quæ si emissa « fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera. « Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in « ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos, « quos oportet esse subjectos, dùm nimia servatur « humilitas, regendi frangatur auctoritas; sed tamen « petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos, « quos plus justo fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis. » Et, libro 21 de Civitate Dei, cap. 27 : « Si quis, inquit, præoccupatus fuerit hoc delicto, « ut fratri suo dicat : *Fatue*, id est, non ejus peccatum volens auferre, convicietur injustè, parùm est « illi ad hoc redimendum eleemosynas facere, nisi « etiam quod sequitur remedium reconciliationis adjungat. Ibi enim sequitur : *Si offers munus tuum ad « altare, et ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet « aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade priùs reconciliare fratri tuo, et tunc « veniens offeres munus tuum.* »

Regula VIII. — Illatas contumelias quandoque repellere homo potest et debet veris justisque verbis, aut scriptis, vel etiam actione injuriarum, si necesse sit, tum ad reprimendam conviciatoris et contumeliosi hominis audaciam, tum ad suam dignitatem et auctoritatem tuendam; sed tamen animo paratus quisque debet esse ad contumelias patienter ferendas, si propriæ et aliorum saluti expedire conspexerit. — Hanc morum regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæstione 72, articulo 3 : « Sicut, inquit, patientia necessaria est in « his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his « quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi « habenda, sicut Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini in monte, exponit illud præceptum Domini : « *Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et « aliam;* ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus « fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu, quia « nec ipse Dominus hoc fecit, sed cùm suscepisset alapam, dixit : *Quid me cædis?* Et ideò etiam circa verba « contumeliosa quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenetur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. « Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam « repellamus, maxime propter duo. Primò quidem « propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de cætero talia « non attentet, secundùm illud Proverbiorum 26 : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens « videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quo-

« rum profectus impeditur propter contumelias nobis « illatas. » Unde S. Gregorius, homilià 9 in Ezechielem, ait : « Hi quorum vita in exemplum imitationis « est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi « verba compescere; ne eorum prædicationem non « audiant, qui audire poterant, et ita in pravis morientibus remanentes, benè vivere contemnant. »

Regula IX. — Audaciam conviciantis contumeliosè, debet, qui læsus est, moderatè reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris. — Hæc morum regula ipsis S. Thomæ verbis concepta est loco mox citato, in responsione ad primum. »

Regula X. — Contumelias contumeliis, convicia conviciis repellere nunquàm licet; unde non excusatur à peccato mortali, qui verbis contumeliosis lacessit alterum, etsi ab ipso fuerit provocatus. — Prohibet enim Deus, Proverbiorum 6 : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Et Christus discipulos suos ad patientiam informans, Matth. 5 : *Beati estis*, inquit, *cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et, Lucæ 6 : *Benedicite maledicentibus vobis.* Præbuit exemplum Christus, qui contumelias patienter tulit. « Taceo quòd figitur, « inquit Tertullianus, lib. de Patientiâ, cap. 3, in hoc « enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti « etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate « patientiæ discessurus volebat. »

Hanc regulam egregiè confirmat S. Basilius, homiliâ 10 de Irâ. « Ne, inquit, fratres dilectissimi, malum « malo curate, nec contendite invicem calamitate mutuâ vincere. In malis enim pugnis miserior est qui « vicit, quia peccatis longè gravior discedit. Noli ergo « malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor « esse. Contumeliam intulit iratus; vince, amoveque « silentio malum. Tu autem contra facis, qui velut « undam fluentem illius iram in cordis penetralia susci- « piens, ventos imitaris, qui contrariis flatibus, quod « illatum est, repellunt. Noli tuo adversario pro magistro uti, nec quem odio persequaris, hunc æmulari, nec fieri veluti speculum irati velis, illius formam in teipso ostendens. Rubicundus ille est ob « iram : tu minimè ruborem præfer. Illi sanguinei « oculi; tui quietè ac cum gravitate aspiciant. Vox « illi aspera; tibi mitis. Neque enim sic in locis deser- « tis echo in ipsos clamantes intempestivè infringi- « tur, sicut in hominem injustum et contumeliosum « contumelia revertitur. Imò sonus quidam illi idem « redditur, contumelia verò augmentata recurrit. »

Et infrà : « Ille maledixit, tu benedicas. Verberabit, « tu patere. Exspuit, nihilique te existimavit, tu cogita quemadmodùm ex terrâ es, et in terram reverteris. His namque modis atque rationibus te confirmans, longè leviora quàm reverà sint invenies tibi « adversarii facta jurgiaque. Sic etiam talionem illi « securiùs reddes, ostendesque quàm sis contumeliis « invulnerabilis, ac præclaram tibi patientiæ coronam « comparabis, dùm alterius insaniam occasionem philosophiæ ac tuorum feceris meritorum. Quamobrem, « si mihi credis, probra contumeliasque magno etiam « animo contemnes, et te adhuc viliorem esse concedes. Obscurum te et inglorium vocavit, nulliusque « æstimationis : terram te ac cinerem esse dicas. Nec « tu illustrior es patre nostro Abraham, qui seipsum « his nominibus appellavit. Ignarum, pauperem, et nullius pretii te dixit; tu vermem te dicas, et è stercore « genus ducere, verba David memorans. His etiam « Mosis decus adde. Ille ab Aarone et Mariâ verbis « petitus probrosis, non ad Deum adversùs illos interpellavit, sed pro eis oravit. Quorum tu, dic mihi, « cupis esse discipulus? Beatorumne hominum et Deo « gratorum, an eorum qui spiritu repleti sunt maligno? « Quando enim verborum contumeliâ tentaris, illud « existima, periculum de te fieri, an Deo per patien- « tiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes in- « clines. Da tempus cogitationibus ad optimam eligendi partem opportunum. Nam è duobus alterum « procul dubio consequeris; aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes, vel certè si « despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim adversario durius esse potest, quàm te animum gerere « contumeliis omnibus altiorem? Noli tuam pessumdare mentem; nec ab eo qui te conviciis et omni « injuriâ petit, comprehendi patiare. Sine illum frustra « te allatrare, in seipso disrumpi. Sicut enim ille qui « minimè sentientem aut curantem verberat, seipsum « lædit et incommodo afficit, quòd nec inimicum plectere, nec animam iramque exsatiare se videat, sic « et is qui contumeliâ in eum, qui nequaquàm doleat, « utitur, perturbati animi consolationem invenire « nullo modo poterit. Quin potiùs ardebit magis et « animo æstuabit. Ex hàc igitur conditione quale uterque vestrûm nomen assequatur, videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundus et durus, tu longanimis et mitis. Hunc quando- « que pœnitebit horum quæ loquitur, te nunquàm benefacti aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Huic con- « tumelia regnum cœlorum clausit, quòd contume- « liosi regnum Dei non consequantur : tibi taciturnitas idem aperuit. Nam qui sustinebit usque in « finem, hic salvus erit. Qui autem se vindicare, et « par pari reddere, ac maledicenti resistere voluerit, « quam, quæso, habebit excusationem? Quòd primus « ille fuerit ac provocaverit? Sed quâ veniâ dignum « hoc? Non enim scortator in meretricem, quamvis « provocantem et allicientem, culpam transferens, « minùs in judicio condemnabitur. Neque enim victoriæ corona sine adversariis contra pugnantibus, « nec cædes sine hostibus. Audis David dicentem : « Dùm consisteret peccator adversùm me, non irritatus « sum aut ultus, sed obmutui, et humiliatus sum, et « silui à bonis. Tu autem exacerbaris ob convicium « velut malum; imitaris autem rursùs velut bonum « Ecce enim facis quod reprehendis, aut in alienum malum diligenter inspicis, tuam verò ipsius turpitudinem negligis. Si malum est contumelia, ejus imita-

« tionem fuge. Non enim incœpisse alium, ad excusa « tionem sufficiet. »

Regula XI. — Eo animo tacere ut conviciator vel contumeliosus magis frendeat, intùsque discerpatur, peccatum est. — Hanc morum regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæstione 72, articulo 3 ad tertium. « Si « aliquis, inquit, hoc animo taceret, ut tacendo con- « tumeliantem ad iracundiam provocaret, pertineret « hoc ad vindictam; sed si aliquis taceat nolens dare « locum iræ, hoc est laudabile. Unde, Ecclesiastici 8, « dicitur : *Non litiges cum homine linguato, et non « strues in ignem illius ligna.* » Hoc sensu S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 22 in epistolam ad Romanos : « Quando, inquit, convicia regeris, vinceris non ab « homine, sed, quod turpius est, à passione atque im « petu iræ. Si verò tacueris, et vincis, et trophæum fi « gis, et innumeros acquiris qui te coronent, quique « convicium ipsum mendacii condemnent. » Et infrà : « Ipsum tuum inimicum interroga, quando magis « doleat, an cùm prorsùs accensus, vicissim convicia- « ris, an cùm conviciantem derides? Atque hoc po- « stremum magis audies. Neque enim tantùm juvat « conviciis non impeti, quantùm mordet quòd te ad « iram permovere et accendere nequit. »

Regula XII. — Rixa in eo qui alterum invadit injustè, lethale peccatum est. — Apostolus enim ad Galatas 5, *rixas* recenset inter *opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur.*

Id confirmat S. Thomas, 2-2, quæstione 41, articulo 1 : « Sicut, inquit, contentio importat quamdam « contradictionem verborum, ita etiam rixa importat « quamdam contradictionem in factis. Et ideò rixa vi- « detur esse quoddam privatum bellum, quod inter « privatas personas agitur, non ex aliquâ publicâ « auctoritate, sed magis ex inordinatâ voluntate, et ideò « rixa semper importat peccatum, et in eo quidem « qui alterum invadit injustè, est peccatum mortale. « Inferre enim nocumentum proximo etiam opere ma « nuali, non est absque mortali peccato. »

Regula XIII. — Qui se moderatè defendit, in rixam propriè non incurrit, nec peccat.

Regula XIV. — Qui moderatam defensionem tantisper excedit, vel cum levi motu odii, vel vindictæ repellit aggressorem, venialis peccati reus est.

Regula XV. — Qui obfirmato animo in impugnantem insurgit, ipsumque occidere vel graviter lædere nititur, peccatum lethale committit. — Tres istas regulas tradit S. Thomas, quæstione et articulo supra citatis « Rixa, inquit, in eo qui se defendit, potest « esse sine peccato, et quandoque cum peccato veniali, « et quandoque cum peccato mortali, secundùm di- « versum motum animi ejus, et diversum modum se « defendendi. Nam si solo animo repellendi injuriam « illatam, et cum debitâ moderatione se defendat, « non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex « parte ejus. Si verò cum animo vindictæ vel odii, vel « cum excessu debitæ moderationis se defendat, sem- « per est peccatum; sed veniale quidem quando ali- « quis levis motus odii vel vindictæ se immiscet; vel « cùm non multùm excedit moderatam defensionem; « mortale autem quando obfirmato animo in impu- « gnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum « graviter lædendum. »

Regula XVI. — Ministri principis aut judicis, qui aliquos invadunt publicâ potestate, non rixantur, neque peccant : sed lethalis peccati rei sunt, qui illis obsistunt, et ab illis vi illatâ se defendunt. — Ita S. Thomas, ibidem in responsione ad tertium : *Ad hoc*, inquit, *quòd justum sit bellum, requiritur quòd fiat auctoritate publicæ potestatis. Rixa autem fit ex privato affectu iræ vel odii. Si enim ministri principis aut judicis publicâ potestate aliquos invadant, qui se defendant, non dicuntur ipsi rixari, sed illi qui publicæ potestati resistunt. Et sic illi qui invadunt, non rixantur, neque peccant; sed illi qui se inordinatè defendunt.*

## Articulus V.

### *De remediis adversùs iram.*

Remedium adversùs iram præcipuum est patientia, cujus exemplum et præceptum Christus Dominus nobis dedit. « Nobis, inquit, Tertullianus, libro de Pa- « tientiâ, exercendæ patientiæ auctoritatem, non « affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore for- « mata, sed vivæ ac cœlestis disciplinæ divina dispo- « sitio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ « exemplum; jamprimùm qui rorem lucis hujus super « justos et injustos æqualiter spargit; qui temporum « officia, elementorum servitia, totius genituræ tri- « buta dignis simul et indignis patitur occurrere, su- « stinens ingratissimas nationes, ludibria artium et « opera manuum suarum adorantes, nomen cum fa- « miliâ ipsius persequentes, luxuriam, avaritiam, ini- « quitatem, malignitatem quotidiè inolescentem, ut « sua sibi patientia detrahat; plures enim Dominum « idcircò non credunt, quia seculo iratum tamdiù « nesciunt. Et hæc quidem divinæ patientiæ species, « quasi de longinquo, fors ut de supernis æstimetur. « Quid illa autem quæ inter homines palàm in ter- « ris quodammodò manu apprehensa est? Nasci se « Deus in utero patitur Matris, et exspectat, et natus « adolescere sustinet, et adultus non gestit agnosci, « sed et contumeliosus insuper sibi est, et à servo « suo tinguitur, et tentatoris congressus solis verbis « repellit. Cùm de Domino fit magister, et docens « hominem evadere ad salutem, scilicet veniam of- « fensæ patientiæ eruditus, non contendit, non re- « clamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus au- « divit, arundinem quassatam non fregit, lycnum fu- « migans non restinxit. Nec enim mentitus fuerat « Propheta, imò ipsius Dei contestatio, Spiritum suum « in Filio cum totâ patientiâ collocantis. Nullum vo- « lentem sibi adhærere, non suscepit; nullius men- « sam tectumve despexit; aquam ipse lavandis Disci- « pulorum pedibus ministravit. Non peccatores, non « publicanos aspernatus est. Non illi civitati, quæ eum « recipere noluerat, iratus est, cùm etiam discipuli « tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsen- « tari voluissent; ingratos curavit, insidiatoribus ces-

« sit. Parùm hoc, si non etiam proditorem suum se-
« cum habuit, nec constanter denotavit. Cùm verò
« traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam, sic
« enim non magis aperit os, quàm agnus sub tonden
« tis potestate. Ille cui legiones angelorum, si voluis-
« set, uno dicto de cœlis adfuissent, ne unius quidem
« discentis gladium ultorem probavit. Patientia
« Domini in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii
« opera maledixit in posterum, et sanitatis restitu-
« tione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit per
« patientiam misericordiæ matrem. Taceo quòd figi-
« tur, in hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ
« morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari
« voluptate patientiæ discessurus volebat. Despui-
« tur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdiori-
« bus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in
« hominis figurâ proposuerat latere, nihil de impa-
« tientiâ hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pha-
« risæi Dominum agnoscere debuistis. Patientiam
« hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tanta-
« que documenta, quorum magnitudo penès natio-
« nes quidem detrectatio fidei est, penès nos verò
« ratio et structio, satis apertè non sermonibus modò
« in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinen-
« do, probant his quibus credere datum est, patien-
« tiam esse Dei naturam, effectum et præstantiam
« ingenitæ cujusdam proprietatis. Igitur si probos
« quosque servos et bonæ mentis pro ingenio domi-
« nico conservari videmus, quantò magis nos secun-
« dùm Dominum moratos inveniri oportet? Servos
« scilicet Dei vivi, cujus judicium in suos, non in
« compede aut pileo vertitur, sed in æternitate aut
« pœnæ, aut salutis... Obsequium de patientiâ trahi-
« tur. Nunquàm impatiens obsequitur, aut patiens
« quis obluctatur. »

Et cap. sexto ejusdem libri : « Fides, inquit, pa-
« tientiâ illuminata, cùm in nationes seminaretur
« per semen Abrahæ quod est Christus, et gratiam
« legi superduceret, ampliandæ adimplendæque legi
« adjutricem suam patientiam præfecit, quòd ea sola
« ad justitiæ doctrinam retrò defuissent. Nam olim
« et oculum pro oculo, et dentem pro dente repetebant,
« et malum malo fœnerabant. Nondùm enim patien-
« tia in terris, quia nec fides. Scilicet interim impa-
« tientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat,
« absente Domino patientiæ et magistro. Qui post-
« quàm supervenit, et gratiam fidei patientiâ compo-
« suit, jam nec verbo quidem lacessere, nec fatue
« quidem dicere sine judicii periculo licet. Prohibita
« ira restricti animi, compressa petulantia manûs,
« exemptum linguæ venenum. Plus lex quàm amisit,
« invenit, dicente Christo : *Diligite inimicos vestros,*
« *et maledicentibus benedicite : et orate pro persecutori-*
« *bus vestris, ut filii sitis Patris vestri cœlestis.* Vides quem
« nobis Patrem patientia acquirat? Hoc principali præ-
« cepto universa patientiæ disciplina succincta est,
« quando ne dignè quidem malefacere concessum est. »
« Et cap. 8 : « Absit à servo Christi tale inquinamen-
« tum ut patientia majoribus tentationibus præparata
« in frivolis excidat, si manu quis tentaverit provo-
« care, præstò est dominica monela. Verberanti te,
« inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte.
« Fatigetur improbitas patientiâ tuâ... Plus impro-
« bum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit,
« cujus gratiâ sustines. Si linguæ amaritudo male-
« dicto sive convicio eruperit, respice dictum : *Cùm*
« *vos maledixerint, gaudete.* Dominus ipse maledictus
« in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur
« Dominum servi consequamur, et maledicamur pa-
« tienter, ut benedicti esse possimus. Si parùm æqua-
« nimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut
« nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse
« est, aut cruciabor impatientiâ mutâ. Cùm ergo per-
« cussero maledicto, quomodò secutus inveniar do-
« ctrinam Domini quâ traditum est, non vasculorum
« inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur,
« hominem communicari? (id est, immundum fie-
« ri.....) Hìc jam de patientiæ voluptate. Nam om-
« nis injuria, seu linguâ, seu manu incussa cùm pa-
« tientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo
« telum aliquod in petrâ constantissimæ duritiæ libra-
« tum et obtusum. Concidet enim ibidem irritâ ope-
« râ et infructuosâ, et nonnunquàm repercussum in
« eum qui emisit, reciproco impetu sæviet. Nemo
« idcircò quis te lædit, ut doleas; quia fructus lædeu-
« tis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum ejus ever-
« tis in dolendo, ipse doleat necesse est amissione fru-
« ctûs sui. Tunc tu non modò illæsus abis, quod etiam
« solum tibi sufficit, sed insuper adversarii tui et fru-
« stratione oblectatus, et dolore defensus. Hæc est
« patientiæ utilitas et voluptas. »

Denique, cap. 15 : « Adeo, inquit, satis idoneus
« patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris
« penès eum, ultor est; si damnum, restitutor est;
« si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est.
« Quantùm patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?
« Nec immeritò, omnia enim ejus placita tuetur;
« omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit,
« pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem
« instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesim ad-
« signat, carnem regit, spiritum servat, linguam
« frenat, manum continet, tentationes inculcat, scan-
« dala pellit, martyria consummat, pauperem conso-
« latur, divitem temperat... Fidelem delectat, gen-
« tilem invitat, servum domino, dominum Deo com-
« mendat, feminam exornat, virum approbat; ama-
« tur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in
« sene : in omni sexu, in omni ætate formosa est. »

Idem argumentum tractat S. Cyprianus, libro de Bono patientiæ, atque ubi præmisit, falsam esse apud philosophos patientiam, quia et falsa apud illos sapientia est, subdit : « Nos autem qui phi-
« losophi non verbis, sed factis sumus; nec vestitu
« sapientiam, sed veritate præferimus; qui virtutum
« conscientiam magis quàm jactantiam novimus; qui
« non loquimur magna, sed vivimus; quasi servi et
« cultores Dei, patientiam quam magisteriis cœlesti-
« bus discimus, obsequiis spiritalibus præbeamus. Est

« enim nobis cum Deo virtus ista communis. » Tum multis ostendit patientiam Dei rem esse, qui cùm crebris, imò continuis exacerbetur offensis, indignationem suam temperat, et præstitutum semel diem retributionis patienter exspectat. Et cùm habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens et differens, donec ejus patientia peccatores ad pœnitentiam adducat. Patientiam Christus Deus et Dominus noster non tantùm verbis docuit, sed implevit et factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, « inter cætera admirabilia « virtutum suarum, quibus indicia divinæ Majestatis « expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ « tenore servavit; omnes denique actus ejus ab isto « statim adventu patientiâ comite signantur, etc. Ut « patientia bonum Christi est, sic contra impatientia « diaboli malum : et sicut in quo habitat et manet « Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper « existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. « Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem « ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde et « periit primus, et perdidit. Adam contra cœleste « præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitùs gratiam patientiâ custode servavit : et ut fratrem Cain perimeret, sacrificii « ejus et muneris impatiens fuit : et quòd Esaü de « majoribus ad minora descendit, primatus suos per « impatientiam lentis amisit. Quid ? Judaicus populus « circa beneficia divina perfidus et ingratus, nonne « quòd à Deo primùm recessit, impatientiæ crimen « fuit? Dùm Moysi cum Deo colloquentis moras non « potest ferre, profanos Deos ausus postulare; ut itineris sui duces nuncuparet, caput bubulum et terrestre figmentum ; nec unquàm ab eâdem impatientiâ destitit, quominùs semper docilitatis et divinæ « admonitionis impatiens, prophetas suos et justos « quosque perimendo, ad crucem quoque et sanguinem « Domini prosiliret. Impatientia etiam et in Ecclesiâ « hæreticos facit, et ad Judæorum similitudinem contra Christi pacem et charitatem rebelles, ad hostilia et furiosa odia compellit. Et ne longum sit singula recensere, omnia omninò quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit « ad ruinam. Quare, fratres dilectissimi, patientiam, « per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus, plenâ observatione teneamus; quæ copiosa et multiplex non angusto fine « concluditur, nec brevibus terminis coercetur. Latè « patet patientiæ virtus, et ubertas ejus et largitas de « unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest « ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem. Patientia est, quæ nos Deo « commendat et servat; ipsa est quæ iram temperat, « quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem « custodit disciplinam regit, libidinis impetum, frangit, « tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit coercet potentiam divitum, inopiam « pauperum refovet; tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites; docet delinquentibus citò « ignoscere; si ipse delinquas, diù et multùm rogare; « tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones « et martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit; ipsa est quæ incrementa spei « sublimiter provehit; ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dùm per ejus tolerantiam gradimur; « ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dùm patientiam « Patris imitamini. Sed quoniam plurimos scio, vel pondere injuriarum angentium, vel dolore, de iis qui adversùm se grassantur et sæviunt, vindicari velociter « cupere, nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, nobiscum hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in istis fluctuantis mundi turbinibus, et Judæorum sive gentilium et hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter « expectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris « nostri querulâ et invidiosâ festinatione propere- « mus. »

S. Basilius, homiliâ 10 de Irâ, duo præsertim contra hoc vitium remedia proponit, ne scilicet rebus magnis pares dignosve nos judicemus, deinde ne reliquos homines nobis inferiores existimemus. « Quid « miser, inquit, angeris pauperis appellatione? Re « miniscere quòd quemadmodùm nudus in mundum « venisti, nudus etiam egressurus es. Quid enim nudo « pauperius? Nihil profectò grave audisti, nisi tibi ipse « quæ objecta sunt agnoscas. Quis unquàm ob pauperta « tem in carcerem ductus est? Nam egere non turpe « quidem, aut aliquod probrum fuerit; sed pauperta « tem generosè non ferre. Memor sis Domini nostri « Jesu Christi, qui cùm dives esset, nostri gratiâ « egere voluit. Si verò et stultus et indolens appella « beris, reminiscere eorum quæ à Judæis jactata sunt « in veram Sapientiam, Matth. 12 : *Samaritanus es*, « *et dæmonium habes*. Alapâ seu pugillo cæsus es? At « enim etiam Dominus. Exspuit aliquis in faciem? « Eadem et Dominus est passus. Nec enim ab exspuen- « tibus aut cædentibus faciem avertit. Calumniam pa « teris? Et Dominus. Tua laceratur vestis? Et à Do « mino quoque vestis per vim extracta, et super eam « missæ sortes. Nondùm condemnatus es, nondùm « cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imitationem pervenias. Talia igitur et horum similia tibi « concurrant; mentisque tuæ impetum ac iram compescant. Similes namque præparationes et animi « dispositiones morsus cordis et impulsus facilè delebunt, et animæ cogitationes in tranquillum statum « deducent. Hoc enim est quod David ait : *Paratus* « *sum, et non sum turbatus*. Oportet itaque motus animi « insanos ac præcipites exemplo sanctorum ac beatorum præceptorum memoriâ cohibere; quomodò « magnus David, et quâ mansuetudine iniquitatem « Semei tulerit; non enim iræ locum dedit, in Deum « causam transferens, quoniam Dominus, inquit,

« Semei mandavit ut maledicat David. Quamobrem « cùm audivisset se virum sanguinem et iniquum vo- « cari, minimè succensuit, sed tolerando sese humilem « reddidit, ac meritam sibi infligi contumeliam putavit. « Ex quo duo tibi ad custodiendam animi constantiam « toleranda. Primò, ne te rebus magnis parem « dignumve judices; deinde, neminem valde infra « tuam dignitatem ac æstimationem esse putabis. Sic « enim animus nunquàm ex iis quæ nobis ex adverso « inferuntur, indignabitur, aut magnoperè dolebit.... « Revereantur perturbationes rationis præsentiam, « quemadmodùm pueri immodestum aliquid agentes « viri venerabilis conspectum vereri solent. »

S. Ambrosius, libro 1 de Officiis ministrorum, cap. 21, hæc adversùs iram tradit remedia : « Caveatur, « inquit, iracundia, aut si precaveri non potest, cohi- « beatur; mala enim illex peccati indignatio est; « quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat « locum. Primum est igitur, si fieri potest, ut morum « tranquillitas usu quodam, affectione, proposito in « naturam vertatur. Deinde quoniam ità plerùmque « motus infixus est naturæ ac moribus, ut evelli atque « evitari non queat; si prævideri potuerit, ratione « reprimatur. Aut si priùs occupatus fuerit animus « ab indignatione, quàm consilio prospici ac provideri « potuerit, ne occuparetur; meditare quomodò motum « animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste iræ, « si potes; cede, si non potes; quia scriptum est : « *Date locum iræ....* Ergo si prævenerit et præoccu- « paverit mentem tuam iracundia, et ascenderit in « te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia « est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, « locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contu- « macia respondentis moverit, et perversitas impulerit « ad indignationem; si non potueris mitigare mentem, « reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est, Psalm. 33 : *Cohibe linguam tuam à malo, et labia tua ne loquan- « tur dolum.* Deinde *Inquire pacem et persequere eam.* « Pacem illam S. Jacob vide, quâ tu primùm sedato « animum; si non prævalueris, frenos linguæ impone « tuæ; deinde reconciliationis studium non præter- « mittas. » Dictum celebre Architæ Tarentini philo- sophi commemorat, qui villicum suum aliquando iratus his verbis compellavit : *O te infelicem, quem af- flictarem, nisi iratus essem!* Ac Davidem hâc in re majori certè laude dignum ostendit, qui bellatores adversùs Nabal ad ultionem paratos prudentis Abigail deprecatione revocavit; quod mansuetissimi regis exemplum documentum est, tempestivis quoque in- tercessionibus non solùm cedere nos, sed etiam de- lectari oportere. Eò usque autem delectatus est, ut benediceret intervenientem, quòd ab studio vindictæ revocatus foret. Sed et divinum illud de iræ modera- tione præceptum afflante Spiritu sancto in Psalmis tradidit : *Irascimini, et nolite peccare.* Id est, « Irasci- « mini ubi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest « enim fieri ut non rerum indignitate moveamur; « alioquin non virtus, sed lentitudo et remissio judi- « catur. Irascimini ergo ita ut à culpâ abstineatis. Vel « sic : Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ira- « cundiam. Vel certè sic : Si irascimini, vobis irasci- « mini, quia commoti estis, et non peccabitis. Qui « enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit « irasci alteri; qui autem vult iram suam justam pro- « bare, plus inflammatur, et citò in culpam cadit. « Melior est autem, secundùm Salomonem, qui ira- « cundiam continet, quàm qui urbem capit; quia « ira etiam fortes decipit. »

S. Gregorius, libro 5 Moralium, cap. 30, saluberri- ma contra iram tradit remedia. « Duobus modis, in- « quit, fracta possidere animum ira desuescit. Primus « quippe est, ut mens sollicita, antequàm agere quod- « libet incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contu- « melias proponat; quatenùs Redemptoris sui probra « cogitans, ad adversa se præparet. Quæ nimirùm ve- « nientia tantò fortiùs excipit, quantò se cautiùs ex « præscientiâ armavit. Qui enim improvidus ab ad- « versitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens « invenitur, eumque citiùs inimicus necat, quia non « repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia « per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi « in insidiis vigilans exspectat : et inde ad victoriam « valenter accingitur, unde nesciens deprehendi puta- « batur. Solerter ergo animus ante actionis suæ pri- « mordia, cuncta debet adversa meditari; ut semper « hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ « munitus, et quicquid acciderit providus superet, et « quicquid non accesserit, lucrum putet. — Secundus « autem servandæ mansuetudinis modus est, ut cùm « alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis « excedimus, delicta cogitemus. Considerata quippe « infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Pa- « tienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè me- « minit quòd fortassè adhuc habeat, in quo debeat ipse « tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cùm sur- « gente furore animi, sua cuique ad mentem culpa re- « vocatur; quia erùbescit peccata non parcere, qui « vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda pec- « câsse. »

Sanctus idem pontifex et doctor Homiliâ 35 in Evangelia, christianæ patientiæ in ferendis et condo- nandis injuriis necessariam praxim egregie ac lucu lenter exponit. « *In patientiâ vestrâ possidebitis animas « vestras*, ait Christus Dominus; idcircò possessio ani- « mæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium « custosque virtutum patientia est. Per patientiam « verò possidemus animas nostras; quia dùm nobis « ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possi- « dere quod sumus. Patientia verò est aliena mala « æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala « irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proxim « mala portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus di- « gnæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, « sed ostendit. Scriptum quippe est : *Charitas pa- « tiens est, benigna est.* Patiens namque est, ut aliena « mala toleret; benigna verò est, ut etiam ipsos quos « portat, amet. Hinc namque per semetipsam Veritas « dicit, Matth. 5 : *Diligite inimicos vestros*, etc. Virtus

« itaque est coram hominibus, adversarios tolerare ; « sed virtus coram Deo, diligere : Quia hoc solum « Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in « altari boni operis flamma charitatis incendit. Scien- « dum verò quòd plerumque ideò patientes esse vide- « mur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui « idcircò malum non retribuit, quia nequaquàm valet, « proculdubio patiens non est, quia patientia non in « ostensione inquiritur, sed in corde. Per impatientiæ « autem vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissi- « patur ; scriptum namque est Proverb. 19 : *Doctrina « viri per patientiam noscitur.* Tantò ergo quisque mi- « nùs ostenditur doctus, quantò convincitur minùs pa « tiens. Neque enim potest veraciter bona docendo « impendere, si vivendo nesciat æquanimiter aliena « mala tolerare. Quanto enim culmine virtus patientiæ « polleat, rursùs Salomon indicat, dicens, Proverb. « 16 : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur « animo suo, expugnatore urbium.* Minor est ergo vi- « ctoria, urbes expugnare ; quia extra sunt quæ vin- « cuntur. Majus autem est quod per patientiam vinci- « tur, quia ipse à se animus superatur, et semetipsum « sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humi- « litate tolerantiæ sternit. Sciendum verò est quòd « plerumque evenire patientibus solet, ut eo quidem « tempore quo adversa patiuntur, vel contumelias au « diunt, nullo dolore pulsentur : et sic patientiam ex « hibeant, ut custodire etiam cordis innocentiam cu- « rent. Sed cùm post paululùm hæc ipsa quæ pertule- « rint, ad memoriam revocant, igne vehementissimi « doloris instigantur, argumenta ultionis inquirunt, et « mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, in re « tractatione suâ semetipsos dijudicantes perdunt. « Callidus namque adversarius bellum contra duos « movet, unum videlicet inflammans, ut contumelias « prior inferat ; alterum verò provocans ut contume- « lias læsus reddat. Sed quia ejus jam victor exstitit, « quem ad proferendas contumelias commovit, con- « tra illum acriùs dolet, quem ad reddendas injurias « commovere non potuit ; unde fit ut totâ se virtute « contra eum erigat, quem contumelias fortiter pertu- « lisse considerat. Quem quia commovere in ipsâ in- « juriarum jaculatione non potuit, ab aperto certamine « interim recedens, in secretâ cogitatione deceptionis « tempus inquirit : et qui publico bello perdidit, ad « exhibendas occultè insidias exardescit. Quietis nam- « que jam tempore ad victoris animum redit : et vel « damna rerum, vel injuriarum jacula ad memoriam « reducit ; cunctaque quæ sibi illata sunt vehementer « exaggerans, fuisse intolerabilia ostendit : et quies- « centis animum tanto furore conturbat, ut plerumque « vir patiens illa se æquanimiter tolerâsse, etiam post « victoriam captivus erubescat ; seque non reddidisse « contumelias doleat, et deteriora rependere, si occa « sio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, « nisi his qui per fortitudinem in campo victores sunt, « sed per negligentiam postmodùm intra urbis claustra « capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his quos ir- « ruens gravis languor à vitâ non subtrahit, sed levi- « ter veniens recidiva febris occidit? Ille ergo veraciter « patientiam servat, qui et ad tempus aliena mala sine « dolore tolerat, et hæc eadem retractans, pertulisse « se talia exultat ; ne bonum patientiæ quietis tempore « pereat, quod in perturbationibus custoditur..... Si « adjuvante nos Domino virtutem patientiæ servare « contendimus, et in pace Ecclesiæ vivimus, et tamen « martyrii palmam tenemus. Duo quippe sunt marty- « rii genera, unum in mente, aliud in mente simul et « actione. Itaque esse martyres possumus, etiamsi « nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe « à persequente, martyrium in aperto opere est ; ferre « contumelias, odientem diligere, martyrium est in « occultâ cogitatione. »

Tribus denique modis virtutem patientiæ docet exer- ceri. « Alia namque sunt quæ à Deo, alia quæ ab an- « tiquo adversario, alia quæ à proximo sustinemus. A « proximo namque persecutiones, damna, et contu- « melias ; ab antiquo verò adversario tentamenta ; à « Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus « tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens « circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur « ad retributionem mali ; ne contra tentamenta ad- « versarii seducatur ad delectationem vel consensum « delicti ; ne contra flagella Opificis, ad excessum pro- « ruat murmurationis. Perfectè enim adversarius vin- « citur, quando mens nostra et inter tentamenta ejus « à delectatione atque consensu non trahitur : et inter « contumelias proximi custoditur ab odio : et inter « flagella Dei compescitur à murmuratione. »

---

## CAPUT X.

## De Acediâ.

### ARTICULUS PRIMUS.

### *Quid sit, et quàm grave peccatum?*

1. Acedia *fastidium est interni boni*, ut definit Hugo à S. Victore, in tractatu de Septem Vitiis, inter S. Augustini opera edito ; sive, est *Tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum*, ut definit S. Thomas 2-2, quæstione 35, articulo 1. Dicitur tristitia de bono divino, non in se et absolutè spectato, sed quatenùs in nobis est, vel esse potest. Sic enim differt ab odio et invidiâ. Odio enim Dei aversamur bonum divinum quatenùs in Deo est ; invidiâ de eodem dolemus, quatenùs est in proximo ; acediâ, quatenùs in nobis est vel esse potest. Tristitia autem de bono divino quocumque non est propriè peccatum acediæ, sed quæ refugit vel ægrè fert bonum divinum imperatum, et ad salutem æternam consequendam necessarium, ut do- cet S. Thomas, articulo 3 ejusdem quæstionis, ad tertium : « Acedia, inquit, non est recessus mentalis à « quocumque spirituali bono, sed à bono divino, cui « oportet mentem inhærere ex necessitate. Unde si quis « contristetur de hoc, quòd aliquis cogit eum implere « opera virtutis, quæ facere non tenetur, non est pec- « catum acediæ ; sed quando contristatur in his quæ « ei imminent facienda propter Deum. »

II. Acediam peccatum esse, Scriptura sacra docet, Ecclesiastici 6, illam prohibens, ubi de sapientiâ ait : *Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris in vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam.* Idem probat S. Thomas ex acediæ notione à S. Joanne Damasceno traditâ, libro 2 de Fide Orthodoxâ, cap. 14. « Acedia, inquit, est quædam tristitia aggravans, quæ « scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei « agere libeat. Hujusmodi autem tristitia semper est « mala, quandoque secundùm se ipsam, quandoque « secundùm effectum. Tristitia enim secundùm se « mala est, quæ est de eo quod est apparens malum, « et verè bonum ; sicut è contrario mala delectatio « est, quæ est de eo quòd est apparens bonum, et « verè malum. Cùm ergo spirituale bonum sit verè « bonum, tristitia quæ est de spirituali bono est se- « cundùm se mala. Quia ergo acedia, secundùm quod « hìc sumitur nominat tristitiam spiritualis boni, est « dupliciter mala, et secundùm se, et secundùm effe- « ctum, et ideò acedia est peccatum. »

III. Acedia lethale ex genere suo peccatum est. Acedia enim est tristitia seculi, cùm non sit tristitia secundùm Deum : Sed *tristitia seculi mortem operatur*, 2 Cor. 7 ; lethale igitur peccatum est. Id confirmat S. Thomas hâc ratione : « Peccatum mortale dicitur, « quòd spiritualem vitam tollit, quæ est per charita- « tem, secundùm quam Deus in nobis inhabitat. Unde « illud peccatum ex suo genere est mortale, quòd de « se secundùm propriam rationem contrariatur chari- « tati. Hujusmodi autem est acedia. Nam proprius « effectus charitatis est gaudium de Deo. Acedia au- « tem est tristitia de bono spirituali in quantum est « bonum divinum. Unde secundùm suum genus acedia « est peccatum mortale. »

Adversatur primo et maximo divinæ dilectionis mandato. Deum enim ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ virtute non diligit, qui in omnibus ad assequendam salutem necessariis vel frigescit penitùs, vel tepescit. Quem quidem teporem ita Deus exhorret, ut acediosos se vomiturum, id est, se deserturum, et gratiæ suæ auxiliis privaturum comminetur. Apocal 3 : *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus ! Sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Hinc servum pigrum talento, quod defoderat, privari, et in tenebras exteriores mitti Dominus jubet : *Tollite*, inquit, Matth. 25, *ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit ; ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* In hujus rei figuram Christus ficulneam, in quâ fructum non invenerat, arefecit maledicto, æternâque sterilitate damnavit, quamvis ficorum tempus non esset ; ut significaret hominem quovis tempore fructus pietatis et bonorum operum ferre debere, quos si ex acediâ et fastidio spiritualis boni non ferat, divinâ maledictione ferietur.

Præcepto de diligendo Deo connexum est illud, quo in Deo delectari jubemur. Psalm. 36 : *Delectare in Domino*, inquit David, *et dabit tibi petitiones cordis tui ;* et Psalm. 63 : *Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et gloriabuntur omnes recti corde ;* Psalmo 33 : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus ;* ad Philippenses 4 : *Gaudete in Domino semper ; iterum dico, gaudete.* Hinc S. Thomas, quæst. 11 de Peccatis, articulo 3 ad sextum, ait : « Quòd homo delectetur, non « cadit sub præcepto, sed quòd delectetur de Deo, hoc « cadit sub præcepto, sicut et quòd homo Deum ama- « gat, quia delectatio amorem consequitur. »

Et in responsione ad septimum : « Delectatio quæ « provenit ex charitate, cui contrariatur acedia, est de « necessitate spiritualis vitæ, sicut et ipsa charitas : « et ideò acedia est peccatum mortale. »

Delectationis hujus necessitatem confirmat S. Augustinus, sermone 21, aliàs 5 ex editis à P. Sirmondo. « Jocundare, inquit, in iis quæ jussit Dominus ut jo- « cunderis in Domino. Jocundare in fide, jocundare « in spe, jocundare in charitate, jocundare in miseri- « cordiâ, jocundare in hospitalitate, jocundare in ca- « stitate. Hæc omnia bona sunt, thesauri interioris « hominis ; gemmæ non arcæ tuæ, sed conscientiæ « tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufra- « gio possis amittere ; unde si nudus exieris, plenus « eris... Delectare in Domino, non in seculo. In Do- « mino enim jocundabatur ille, qui cùm perdidisset « totam jocunditatem seculi, remansit ei Dominus in « quo jocundaretur ; remansit in irâ simplex, perfecta « et immutabilis jocunditas cordis ejus. Quæ habebat, « possidebat, non possidebatur, à Domino autem pos- « sidebatur ; illa calcabat, ex illo pendebat. Ecce « enim quid sit in Domino jocundari. Dominus dedit, « Dominus abstulit ; numquid se abstulit ? Quod dedit, « abstulit ; qui dedit se obtulit... Quare displiceat servo « id quod placuit Domino ? Aurum, inquit, perdidi, « familiam perdidi, pecora perdidi, quicquid habui « perdidi ; à quo habeo, non perdidi. Perdidi quod « dederat ; eum non perdidi cujus ipse sum. Delecta- « tio mea ipse, divitiæ meæ ipse. Sed quare ? quia « non perversus, non capite deorsùm, non neglexit « eum qui supra se est, et dilexit ea quæ infrà se. « Ipsa est enim perversitas malè utendi creaturâ. » Boni certè divini fastidium oritur ex perverso creaturarum amore, in quibus cor terreni hominis ita delectatur, ut gustare non possit quàm suavis est Dominus.

Amoris quoque divini fructus est ardens desiderium justitiæ, quæ una ex beatitudinibus evangelicis est. Matth. 5. *Beati*, inquit Christus, *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* An verò justitiam esuriunt et sitiunt, qui divinum bonum fastidiunt, quibus opera pietatis ad salutem necessaria tædium ac tristitiam pariunt ; qui in omnibus vitæ christianæ, statûsque sui officiis implendis segnes sunt, negligentes, tepidi ? Quid igitur exspectare debent hujusmodi homines, nisi famis et sitis æternæ cruciatus ? « Non « enim ad saturitatem justitiæ, cùm hinc exierit, quis- « quam perveniet, nisi ad eam, cùm hic est, esuriendo « et sitiendo cucurrerit ; inquit S. Augustinus, libro

« de Perfectione Justitiæ, cap. 8. Quamdiù ergo pere-
« grinantes in Domino per fidem ambulamus, non per
« speciem, hæc est nostra in ipsâ peregrinatione justi-
« tia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justi-
« tiæ, ubi in spe decoris ejus jam plena et perfecta
« charitas erit, nunc ipsius cursûs rectitudine et per-
« fectione tendamus, castigando corpus nostrum, et
« servituti subjiciendo, et eleemosynas in dandis be-
« neficiis, et dimittendis quæ in nos sunt commissa,
« peccatis, hilariter et ex corde faciendo, et orationi-
« bus indesinenter insistendo; et hoc faciendo in do-
« ctrinâ sanâ, quâ ædificatur fides recta, spes firma,
« charitas pura. » Huic autem præcepto acediam ad versari, manifestum est.

Adversatur et præcepto de sanctificatione sabbati, quo, secundùm quòd est præceptum morale, *Præciditur quies mentis in Deo, cui etiam contrariatur tristitia mentis de bono divino;* inquit S. Thomas, 2-2, quæstione 35, articulo 2, in responsione ad primum.

### Articulus II.

### *De filiabus acediæ.*

Acedia, capitale vitium est, cui sex filiæ à S. Gregorio, libro 31 Moralium, cap. 17, tribuuntur, scilicet: *Malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita.*

Malitia est *impugnatio bonorum spiritualium, quorum in detestationem adducit acedia.* Hujus malitiæ fermento corrupti homines, non solùm viros pios, sed et pietatem ipsam, sive quæ ad eam pertinent, irridere gestiunt, operumque et exercitiorum pietatis contemptum aliis ingenerare. Hæc malitia reproborum hominum character est, qui per miseram æternitatem dicturi sunt intra se, pœnitentiam agentes inutilem, et præ angustiâ spiritûs gementes: « Hi sunt quos ha-
« buimus aliquando in derisum, et in similitudinem
« improperii; nos insensati vitam illorum æstimabamus
« insaniam, et finem illorum sine honore; ecce quo-
« modo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos
« sors illorum est. »

Rancor non hìc usurpatur pro odio, sed est *indignatio quædam adversùs homines qui ad spiritualia bona suis adhortationibus, monitis, increpationibus, et salubri correptione nos impellere, et ad salutem æternam, vel perfectionem spiritualis vitæ promovere nituntur.*

Pusillanimitas est *vitiosa virium suarum diffidentia, quâ quis opera difficilia et ardua, suam facultatem Dei gratiâ adjutam, non excedentia, quæ consilii subsunt, refugit et adversatur ex animi parvitate et abjectione.*

Desperatio *fuga est ultimi finis, seu vitium quo de ultimi finis assecutione quis desperat, ideòque omnem salutis suæ curam abjicit, vel peccatorum suorum gravitate, vel divinæ prædestinationis arcano, judiciorumque Dei severitate perterritus.*

Torpor *est remissio quædam et dejectio animi circa præceptorum observantiam; ita ut ab homine, vel penitùs omittantur, vel negligenter, perfunctoriè et oscitanter impleantur.* Hoc vitium exprimit David, Psalmo 118, his verbis: *Dormitavit anima mea præ tædio.* Verè enim « Ab omni contemplatione virtutum, et intuitu
« spiritalium sensuum, dormitat anima, quæ pertur-
« bationis hujus telo fuerit sauciata; » inquit Cassianus, lib. 10 de Cœnobiorum Institutis, cap. 4.

Evagatio mentis *est inquieti animi motus quo propter tristitiam et tædium à spiritualibus divinisque bonis ad exteriora se transfert, ut illicitas ex eis delectationes percipiat.* Ex hàc mentis evagatione sequitur instabilitas corporis, quâ acediosi uno in lŏco consistere nequeunt, et varias regiones amant peragrare. De quo animi morbo monachos acediosos infestante legi possunt Cassianus, libro mox indicato, cap. 2; S. Nilus abbas, oratione sextâ de Acedià, et S. Antiochus monachus, homilià 26 de eodem vitio.

### Articulus III.

### *Regulæ morum circa acediam et filias ejus.*

Regula prima.—Lethalis acediæ reus est, quisquis spiritualia divinaque bona plenâ deliberatione fastidit et aversatur. — Hanc regulam tradit S. Thomas, 2-2, quæstione 35, articulo 3: « Est, inquit, consummatio
« peccati consensu rationis. Unde si sit inchoatio pec-
« cati in solâ sensualitate, et non pertingat usque ad
« consensum rationis, propter imperfectionem actûs,
« est peccatum veniale. Ita etiam et motus acediæ in
« solâ sensualitate quandoque est, propter repugnan-
« tiam carnis ad spiritum: et tum est peccatum ve-
« niale. Quandoque verò pertingit usque ad rationem,
« quæ consentit in fugam et horrorem, et detestatio-
« nem boni divini, carne contra spiritum omninò
« prævalente; et tunc manifestum est quòd acedia
« est peccatum mortale. »

Regula II.—Tristitia de spirituali bono, quod in actibus virtutum singularum occurrit, non est acedia propriè dicta, sed pertinet ad vitia illis virtutibus opposita. — Ita docet S. Thomas, articulo 2 ejusdem quæstionis. « Ad quamlibet virtutem, inquit, pertinet gau-
« dere de proprio spirituali bono, quod consistit in
« proprio actu; sed ad charitatem pertinet specialiter
« illud gaudium spirituale, quo quis gaudet de bono
« divino. Et similiter illa tristitia quâ quis tristatur
« de bono spirituali, quod est in actibus singularum
« virtutum, non pertinet ad aliquod vitium speciale,
« sed ad omnia vitia; sed tristari de bono divino, de
« quo charitas gaudet, pertinet ad speciale vitium,
« quod acedia vocatur. »

Regula III. — Fastidium spiritualis boni, quatenùs laboriosum est aut molestum corpori, non est acedia propriè dicta, sed carnalium vitiorum comes est, christianæque temperantiæ et mortificationi adversatur. — Ita rursùs docet S. Thomas ibidem: « Simliter,
« inquit, non potest dici quòd sit speciale vitium ace-
« dia, in quantum refugit spirituale bonum prout est
« laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis
« ejus impeditivum, quia hoc non separaret acediam
« à vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem et delecta-
« tionem corporis quærit. »

Regula IV. — Negligentia propriæ salutis, mediorumque ad eam à Deo et Domino nostro Jesu Christo institutorum, vel divinorum mandatorum, aut officiorum cujusque propriorum et necessariorum, secundùm statum ad quem à Deo vocatus est, lethale acediæ peccatum est. — Hæc enim negligentia legi naturali et divinæ in materiâ gravissimâ adversatur. Quam legem expressit Apostolus ad Philippenses, cap. 2 : *Cum metu*, inquit, *et tremore vestram salutem operamini.* Et S. Petrus, Epistolâ 2, cap. 1 : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi.*

Regula V.—Acediæ rei sunt qui jugiter non vigilant ne vitiorum sentes et mala gramina in corde suo pullulent, et qui orta evellere studiis ferventibus non conantur. — Cùm enim animus noster ager sit, in quo baptismi salutaribus aquis purgato et rigato Pater cœlestis christianas virtutes inseruit, juxta illud Apostoli : *Dei agricultura estis*, et occultis gratiæ suæ subministrationibus daturus sit incrementum, si ad illas excolendas cooperemur; gravis certè delicti rei sumus, si negligentiâ nostrâ et socordiâ spinæ et tribuli oriantur, id est, prava desideria. Hanc acediosorum hominum socordiam expressit Salomon Proverbiorum 24 : *Per agrum*, inquit, *hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Quod cùm vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam.* Pigri hominis agrum et vineam, id est, animam, urticæ et spinæ replent, id est, prurientia terrena desideria et punctiones pullulant vitiorum. Unde scriptum est Proverbiorum 21 : *Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Totâ die concupiscit et desiderat.* Maceria lapidum est disciplina Patrum, quæ in ejus corde dissoluta est et dissipata, ut explicat S. Gregorius, libro 20 Moralium, cap. 20. Quo fit ut bona opera parvipendat, despectisque supernis promissionibus terrena desideret; et *Si quando in ejus mente aliquid de appetitu æternitatis oritur, subortâ cititùs transitoriâ delectatione dissipatur.*

Hinc S. Bernardus, sermone 58 in Cantica, tractans hunc versum capitis secundi : *Tempus putationis advenit*, vineæ spiritualis putationi semper incumbendum esse docet : « Quis enim, inquit, ita ad unguem « omnia à se superflua resecavit, ut nil se habere pu- « tet putatione dignum? Credite mihi, et putata re- « pullulant, reaccenduntur exstincta, et sopita denuò « excitantur. Parùm est ergo semel putâsse, sæpè « putandum est. Imò, si fieri possit, semper, quia sem- « per quod putari oporteat, si non dissimulas inve- « nis. Quantùmlibet in hoc corpore manens pro- « feceris, erras, si vitia putas esse mortua, et non « magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos ha- « bitat Jebusæus; subjugari potest, sed non exter- « minari. »

Regula VI. — Acediæ rei sunt, quicumque in christianâ et sui statûs perfectione proficere pro viril non conantur. — Studiis enim omnibus eniti Christianus tenetur, ut talentum à cœlesti Patrefamiliâs sibi creditum augeat, ac venienti cum fœnore repræsentet. Crescere tenetur in justitiâ et charitate, secundùm illud Apostoli ad Ephesios 4 : *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et illud principis Apostolorum, Epist. 2, cap. 3 : *Crescite verò in gratiâ, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.* Quod et Salomon Proverb. 4 significavit his verbis : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Et Apocalypsis 21 dicitur : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Eodem collineat illud Christi Domini oraculum, Luc. 9 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Et rursùs Luc. 18 : *Mementote uxoris Lot.* Id iterùm confirmat Apostolus ad Philippenses 3 : *Ego me*, inquit, *non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Quem locum S. Augustinus tractans, sermone 169, aliàs 15 de Verbis Apostoli, ait : « Ut revelet nobis Deus et quod aliter sapimus, « in quo pervenimus, non in eo remaneamus, sed in « eo ambulemus. Videtis quia viatores sumus. Dicitis : « Quid est ambulare? Breviter dico : Proficere; ne « fortè non intelligatis, et pigriùs ambuletis.... Proba « te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceat quod es, si « vis pervenire ad id quod nondùm es. Nam ubi tibi « placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris : Sufficit, « et peristi. Semper adde, semper ambula, semper « profice : noli in viâ remanere, noli retrò redire, noli « deviare. »

Hanc regulam confirmat S. Bernardus, epist. 254 ad Garinum abbatem Alpensem : « Nunquàm, inquit, « justus arbitratur se comprehendisse, nunquàm di- « cit : Satis est; sed semper esurit sititque justitiam, « ita ut si semper viveret, semper quantùm in se est « justior esse contenderet, semper de bono in melius « proficere totis viribus conaretur. Non enim ad an- « num vel ad tempus instar mercenarii, sed in æter- « num divino se mancipat famulatui.... Itaque inde- « fessum proficiendi studium, et jugis conatus ad per- « fectionem, perfectio reputatur. Quòd si studere « perfectioni, esse perfectum est; profectò nolle pro- « ficere, deficere est. Ubi ergo sunt qui dicere solent : « Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm patres « nostri? Non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? « Nequaquàm. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo, et « manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec « melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. « Quid enim stat in hoc seculo? Et certè de homine « specialiter dictum est : Fugit velut umbra, et nun- « quàm in eodem statu permanet. Ipse denique hominis « seculique auctor, quamdiu in terris visus est, et cum « hominibus conversatus est, nunquàm stetit. Et qui « dem teste Scripturâ : *Pertransiit benefaciendo et sa-*

« *nando omnes.* Pertransiit autem sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento « gressu ; sed quemadmodùm item de ipso scriptum « est : *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Porrò « currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non « currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideò Paulus aiebat : *Sic currite ut « comprehendatis.* Ibi tu, Christiane, fige tui cursûs « profectûsque metam, ubi Christus posuit suam. « *Factus est,* inquit, *obediens usque ad mortem.* Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non « perveneris, bravium non apprehendis. Bravium « Christus est. Quòd si illo currente tu gradum sistis, « non Christo appropias, sed te magis elongas, timendumque tibi est quod ait David : *Ecce qui elongant « se à te, Domine, peribunt.* Itaque si proficere currere est, ubi proficere, ibi et currere desinis. Ubi « verò non currere, ibi et deficere incipis. Hinc planè « colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. « Vidit Jacob scalam, et in scalâ angelos, ubi nul « lus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel « ascendere, vel descendere videbantur universi ; quatenùs palam daretur intelligi, inter profectum et « defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium in « veniri ; sed quomodò ipsum corpus nostrum continuè « aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse « est et spiritum aut proficere semper, aut deficere. »

Regula VII. — Lethalis acediæ rei sunt, quicumque conversionem suam et pœnitentiam differunt ac procrastinant. — Hoc enim negotium, quod unum necessarium est, accelerandum Spiritus sanctus docet, Eccli. 5 : *Non tardes, inquit, converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Qui conversionem suam differunt, Spiritui sancto interiùs vocanti resistunt, Christo per gratiæ suæ pias motiones ad ostium cordis pulsanti non aperiunt. Quamobrem æternus eos manet interitus, quemadmodùm Deus, Proverb. 1 comminatur : *Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio et angustia.* Qui conversionem differunt, Dei patientiâ et bonitate abutuntur, et iræ ejus thesauros in diem judicii sibi congregant, ut docet Apostolus ad Romanos 2 : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus.* Quærendus Deus, dùm inveniri potest, ne si differamus, eum frustra in horâ mortis quæramus. *Quærite Dominum, dùm inveniri potest ; invocate eum dùm prope est.* Quocirca Christus, Joan. 8, Judæis et in eorum personâ omnibus conversionem suam differentibus, ait : *Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Hinc S. Bernardus, Sermone 754 in Cantica, aï tres esse causas quæ interim occurrunt, et quæ rentes frustrari solent, « cùm aut videlicet non in « tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non « ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad « quærendum, cur dicit, Isai. 45 : *Quærite Dominum « dùm inveniri potest?* Erit absque dubio cùm inveniri « non poterit ; et ideò addit : *Ut invocetur, dùm propè « est ;* quia futurum est jam non propè futurum. A quo « enim tunc non requiretur? *Mihi,* inquit, *curvabitur « omne genu, etc.* Nec tamen invenietur ab impiis, « quos ultores Angeli arcebunt profectò et tollent, ne « videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt et fatuæ « virgines, minimè prorsùs jam ad eas exit, clausâ « januâ. Sibi proinde dictum putent illæ : *Quæretis « me, et non invenietis.* Cæterùm nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, tempus planè et quærendi et invocandi, quando plerumque et antequàm « invocetur, adesse sentitur. Audi denique quid polliceatur : *Antequàm me invocetis,* inquit Isai. 5, *dicam : Ecce adsum.* Quòd si per bona opera quæritur « Deus, ergo dùm tempus habemus operemur bonum « ad omnes, præsertim quia Dominus apertè prænuntiat venire noctem quando nemo potest operari. « Tunc aliud ad quærendum Deum, ad operandum « quod bonum est, reperturus es tibi tempus in seculis venturis, præter hoc quod constituit tibi Deus, « in quo recordetur tui? Et ideò *dies salutis,* quia in « his ipse Deus rex noster *operatus est salutem in medio terræ.* I ergo, et in medio gehennæ exspectato « salutem, quæ jam facta est in medio terræ. Quam « tibi somnias proventuram inter ardores sempiternos « facultatem veniam promerendi, cùm jam transiit « tempus miserendi? Non relinquitur tibi hostia pro « peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterùm « Filius Dei, mortuus est semel, jam non moritur : « non descendit ad inferos sanguis qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ ; non « est quòd sibi ex eo vindicent dæmones ad restinguendum focos suos ; sed neque homines socii dæmoniorum..... Ergo nunc tempus acceptabile, et « aptum ad quærendum, in quo planè qui quærit invenit ; si tamen ubi et uti oportet, quærit. Et hæc una causa quæ impedire potest ne inveniatur sponsus à quærentibus se, cùm non quærunt in tempore « opportuno. At non ea impedit sponsam, nempe invocantem et quærentem in tempore opportuno. Sed « ne ista quidem eum tepidè aut negligenter seu perfunctoriè quærit : nam corde ardenti, et omninò « infatigabiliter quærit, planè ut decet. » Quamobrem Christus nos paratos esse jubet ad rationem ipsi reddendam, quia incertus est dies, incerta et hora mortis nostræ. Matthæi 24 : *Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis... Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliàs quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideò et vos estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.* Et paulò post : *Ve-*

*met dominus servi illius, in die quâ non sperat, et horâ quâ ignorat.* Hinc Eccle. 9 scriptum est : *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.*

Regula VIII. — Acediæ rei sunt qui ex torpore et socordiâ ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum rarò admodùm accedunt, maximè verò qui semel tantùm in anno, solo pœnarum ecclesiasticarum et infamiæ timore compulsi. — Hi namque delectari nolunt in Domino, non sapiunt ea quæ Dei sunt, nolunt gustare quàm suavis sit Dominus, qui ut dulcedinem suam in filios demonstraret, pane suavissimo de cœlo præstito, corpore scilicet suo, esurientes replet bonis ; divinum illud Manna fastidiunt, habens omnem dulcedinem, et omnem saporis suavitatem. Vinum terrenarum voluptatum uberibus sponsæ, et mensæ ad parvulos nutriendos lactescenti anteponunt, à piarum animarum sensu prorsùs alieni, Cant. 3 dicentium : *Meliora sunt ubera tua vino* ; id est, interprete S. Bernardo, sermone 9, in Cantica : « Carnis voluptatem, « quâ paulò ante tanquàm vino ebriæ tenebamur, vincunt hæ quas tua nobis ubera stillant deliciæ spirituales. Et pulchrè vino comparant carnalem affectum : ut enim uva semel expressa non habet jam « quod denuò fundat, sed perpetuâ ariditate damnatur ; sic caro in pressurâ mortis ab omni prorsùs suâ « delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines. Unde Isai 40 : *Omnis caro fœnum, et omnis « gloria ejus tanquàm flos fœni. Exsiccatum est fœnum, « et cecidit flos.* Vide autem ne non carni tantùm, sed « et mundo fortè competat ista proportio; siquidem « et ipse transit, et concupiscentia ejus. Et cùm omnia quæ in mundo sunt finem habeant, finis eorum « non erit finis. Verùm ubera non sic : hæc enim cùm « exhausta fuerint, rursùm de fonte materni pectoris « sumunt quod propinent sugentibus. Meritò proinde « meliora carnis seculive amore asseruntur ubera « sponsæ, quæ nullo unquàm lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis « ut iterùm fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre ejus, fitque in eâ *fons aquæ salientis in vitam æternam.* »

Regula IX. Acediæ rei sunt, qui ad orationem officium divinum, et spiritualia exercitia, ad quæ tenentur ex officio, segnes sunt et tepidi. — Divinum enim præceptum violare non metuunt, quo *semper orare, et nunquàm deficere* jubemur ; quod in ipsâ fide, spe, et charitate continuato desiderio impletur, ut docet S. Augustinus. Hi verò nullo, aut certè admodùm languenti Dei desiderio afficiuntur. Non attendunt ad verba Christi, continuam vigilantiam et orationem præcipientis, ne repentina et improvisa judicii dies nobis superveniat. Luc. 21 : *Vigilate itaque omni tempore, orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.* Magis rei sunt hoc in genere clerici et religiosi viri, atque sanctimoniales, cum tristitiâ quâdam et languore divinas laudes persolventes, et ad officia divina quæ ab asceticæ vitæ magistris *opus Dei* meritò vocantur, negligenter se conferentes, quæ cum fervore, alacritate et gaudio frequentanda sunt et persolvenda, siquidem hilarem datorem diligit Deus ; et Dei maledictionem propterea in se arcessunt. *Maledictus enim qui facit opus Domini fraudulenter* (Isai. 48). His proinde inculcanda sunt S. Bernardi verba, sermone 47 in Cantica : « Moneo, « dilectissimi, purè semper ac strenuè divinis interesse « laudibus. Strenuè quidem, ut sicut, reverenter, ita « et alacriter Domino adsistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non « præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, « non fractis et remissis vocibus mulièbre quiddam « balba de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) et « sonitu et affectu voces sancti Spiritûs depromentes. »

Regula X. — Acediæ rei sunt quicumque tempus ad salutis suæ negotium peragendum à Deo sibi concessum in otio, ludis, inanibus colloquiis, ambulationibus et visitationibus minimè necessariis, ac seculi voluptatibus conterunt. — Cùm enim vitæ nostræ tempus Deo debeamus, idque ad peccata expianda, ad regnum cœlorum promerendum Deus nobis concesserit, qui duo solùm momenta concessit angelis, illo non debemus abuti, nec illud prodigere. Hinc, Eccli. 4, dicitur : *Fili, conserva tempus et declina à malo.* Et ad Ephesios 5 : *Videte, fratres, quomodò cautè ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Id nisi præstemus, tempus adversùs nos in die Judicii Deus vocabit, secundùm illud quod in personâ Jerusalem dictum est, Thren. 1 : *Vocavit adversùm me tempus, ut contereret electos meos.* Ad bonum usum temporis incitare nos debet consideratio quadruplicis debiti quo obligamur. Vitam namque nostram debemus Christo pro acceptis ab eo beneficiis. Secundò, debemus illam peccatis expiandis, tertiò, cœlo comparando. Quartò, Deo, ut auctori, illam totam debemus. Quod egregiè S. Bernardus explicat, sermone 22 de Diversis. « Vis scire, inquit, « quæ et quibus debeas? Primò Christo Jesu debes « omnem vitam tuam, quia et ipse vitam suam posuit « pro vitâ tuâ, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu « perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse « poterit, cùm recordatus fueris quia ille in formâ Dei, « in die æternitatis suæ in splendoribus sanctorum « ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, « infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi ; quid non suave tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum ; « deinde, laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, « vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, « insidiarum in colloquendo; postremò, periculorum « in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ « in salutem nostri generis triginta et tribus annis

« operatus et passus est in medio terræ? O quàm in-
« debita miseratio, quàm gratuita et sic probata di-
« lectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dul-
« cedo, quàm invicta mansuetudo, Regem gloriæ pro
« despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi.....
« Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit
« mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filio-
« rum Adam, et omnes dies seculi, et labores omnium
« hominum qui fuerunt, qui sunt, et qui erunt, nihil
« esset ad comparationem corporis illius, quod spe-
« ctabile et stupendum est virtutibus etiam supernis in
« conceptu de Spiritu Sancto, in ortu de Virgine, in
« vitæ innocentiâ, in doctrinæ affluentiâ, in corusca-
« tionibus miraculorum, in revelationibus sacramen-
« torum? Vides quia sicut exaltantur cœli à terrâ, sic
« exaltata est vita illa à vitâ nostrâ; quæ tamen posita
« est pro vitâ nostrâ. Cùm ergo ei donavero quicquid
« sum, quidquid possum, nonne istud sic est sicut
« stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad turrim,
« granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo,
« imò minutissima, corpus et animam, vel potiùs
« unum minutum, voluntatem meam; et non dabo il-
« lam ad voluntatem illius, qui tantus tantillùm tantis
« beneficiis prævenit, qui toto se totum me compara-
« vit? Sed numquid huic soli debitor sum, cui vix
« parùm aliquid retribuere possum? Exigunt à me præ-
« terita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam
« fructus dignos pœnitentiæ, et recogitem omnes annos
« meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis
« idoneus?..... Cùm ergo quicquid vivis, quidquid
« sapis, quicquid habes, quidquid potes, huic uni rei
« dedicaveris, numquid est vel inter aliqua computan-
« dum? Paulò ante vitam tuam pro vitâ suâ Christo
« reddideras, et nunc iterùm eam totam præcedentium
exigit recordatio peccatorum. Quid si tertium tibi
« debitorem ostendam, qui non minùs acriter quàm
« veraciter vendicat eam sibi? Puto quòd et tu possi-
« dere desideras civitatem de quâ dicitur: *Gloriosa*
« *dicta sunt de te, civitas Dei.* Gloriam illam quam nec
« oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis
« ascendit, regnum omnium seculorum..... Nonne ad
« hoc emendum, totum te, et quæcumque, et unde-
« cumque contrahere poteris, dare oportebit? Et cùm
« universa compleveris, non tamen putes esse condi-
« gnas passiones hujus temporis ad futuram gloriam
« quæ revelabitur in nobis. An sic impudens es, vel
« imprudens, ut minutum tuum, quod tibi tam Christi
« vita, quàm peccati pœnitentia certatim rapiunt, etiam
« ad hoc conquirendum vel audeas numerare? Quid
« dices, si et quartum debitorem in medium adduxero,
« qui sibi etiam jure primatûs sui superiores tres ce-
« dere velit? Ecce in januis est qui fecit cœlum et ter-
« ram, et Creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille
« Dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo
« quod es, illi debes, à quo totum habes, » etc.

Rectus usus temporis constat optimâ dispositione præsentium, expiatione præteritorum, prævisione futurorum, ut docet idem Pater, sermone 2 in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli: « Hæc nempe, inquit, spiritualis est exercitii summa, hæc forma studii spiritualis, ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura « quoque sollicitè provideamus. *Sobriè et justè*, « *et piè vivamus in hoc seculo*, » ait Apostolus, ut videlicet in præsenti sobrietas observetur; ut justâ satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salu-
« tis præteriêre tempora, redimantur; ut pietatis cly-
« peum imminentibus de futuro periculis opponamus.
« Sola enim est quæ ad omnia valet pietas, cultus
« scilicet Dei humilis et devotus; nec aliter nobis est
« providere novissima, nisi ut universa quæ nobis im-
« minere videntur pericula, sedulâ nobiscum cogitatio-
« ne versantes, discamus de nostrâ omninò industriâ,
« magis autem de nostris diffidere meritis, et soli di-
« vinæ nos protectioni committere pio quodam men-
« tis affectu, et effectu piæ intentionis in ipsum, cujus
« datum optimum et donum perfectum est, consum-
« matio felix, et mors pretiosa. Habes in Evan-
« gelio tria hæc ipsa tibi sermone Domini com-
« mendata: *Beati*, inquit, *pauperes, beati mites, beati*
« *qui lugent.* Beati qui futura sapiunt, præ desiderio
« cœlestium interno quodam sapore mentis præsentia
« respuentes. Beati qui novissima provident, in man-
« suetudine suscipientes insitum verbum, quod eorum
« salvare animas potest, et pietate cordis ad futuram
« tendunt hæreditatem. Beati qui pristinum intelli-
« gentes errorem, crebris lacrymis lavant lectum
« suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere
« cupit eis pro quibus orat? *Utinam*, inquit, *sape-*
« *rent, et intelligerent, et novissima providerent!* Ac si
« manifestiùs dicat: Utinam esset in eis spiritus sa-
« pientiæ et intelligentiæ, atque consilii! Utinam hæc
« in nobis inveniantur, fratres, ut suaviter omnia no-
« stra per sapientiam disponamus, ut intellectu præ-
« terita peccata damnemus, ut provideamus futura
« consilio! Utinam sapiamus ad præsentis vitæ mo-
« derationem! Utinam intelligamus ad præteritæ cor-
« rectionem! Utinam devotâ in Deum fide provideа-
« mus, ut felicem habeamus ipso miserante consum-
« mationem. »

Acediam hominum tempus inaniter terentium deplorat Gaufridus abbas Clarævallensis, Declamatione in Evangelium, *Ecce nos reliquimus omnia*, seu lib. de Colloquio Simonis ad Jesum, ex S. Bernardi dictis contexto, § 44. « Nihil, inquit, pretiosius tempore,
« sed heu nihil hodiè viliùs æstimatur! Transeunt
« dies salutis, et nemo recogitat; nemo sibi non redi-
« tura momenta periisse causatur. »

Regula XI. — Malitia ex acediâ profecta, quatenùs pietatis, et ad eam pertinentium, atque hominum qui ipsam profitentur, impugnatio est, lethale peccatum est. — Charitati enim è regione opponitur, diabolo militat, Christi regnum evertere conatur, quod intra nos est. Malitiæ hujus fermento infecti homines, sin minùs voce, certè operibus dicunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei, et quid nobis prodest, si oraverimus illum?* Job. 21. Hujus flagitii rei sunt qui pa-

storès suos, concionatores, aut viros pios, à quibus admonentur ut à lascivis aut maledicis cantilenis, spectaculis, alearum ludis, aliisve corruptelis abstineant, dicteriis et scommatibus appetunt, et cantilenis ad ludibrium compositis illis insultant. *Parùm est quia cantant, insuper et in ipsum incipiunt cantare, à quo prohibentur cantare*, inquit S. Augustinus, Enarratione in Psal. 68, ad illa verba : *Adversùs me insultabant qui psallebant in portâ, et in me psallebant qui bibebant vinum;* quod non solùm Christo Domino contigisse, sed illi quotidiè in membris ejus contingere observat.

Regula XII.—Rancor ex acedià profectus, quo scilicet homines superioribus ipsos corripientibus indignantur, ipsosque propterea odio persequuntur, quòd illos ad meliora compellant, lethale peccatum est.—Nititur hæc regula Scripturæ sacræ verbis, Proverb. 29 : *Viro qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus ; et eum sanitas non sequetur ;* et Luc. 10, ubi Christus ait : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Hujus peccati rei sunt laici, qui parochis suis; clerici, qui episcopis suis, aut eorum vicariis generalibus, archidiaconis, officialibus; monachi, qui superioribus suis et visitatoribus, ipsorum vitia corrigere volentibus, et canonum, statutorum synodalium, regularum, constitutionum, ecclesiasticæ aut monasticæ disciplinæ observantiam instaurantibus succensent, illosque hoc nomine exosos habent.

Regula XIII.—Pusillanimitas lethale peccatum est, cùm aliquis magnis et arduis operibus ad salutem necessariis se subducit, aut officia et munia sibi superioris præcepto imposita pertinaciter respuit ex animi parvitate.—Pusillanimitatem peccatum esse probat S. Thomas, secundà secundæ, quæst. 133, art. 1, ex illâ Apostoli sententiâ ad Colossenses 3 : *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Porrò nisi pusillanimitas peccatum esset, hanc velut grave malum cavendam Apostolus non doceret. Rationem addit S. Doctor : « Omne, inquit, quod « est contrarium naturali inclinationi est peccatum, « quia contrariatur legi naturæ. Inest autem unicuique « rei naturalis inclinatio ad exequendam actionem com- « mensuratam suæ potentiæ. Sicut autem per præsumptionem aliquis excedit proportionem suæ potentiæ, « dùm nititur ad majora quàm possit : ita etiam pusillanimus deficit à proportione suæ potentiæ, dùm « recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum. Et ideò sicut præsumptio est peccatum, ita et pusillanimitas. Et inde est quòd servus, « qui acceptam pecuniam Domini sui fodit in terram, « nec operatus est ex eâ propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, ut habetur « Matth. 25 et Luc. 19. » Quin autem sit peccatum mortale, quando quis ex degeneris animi parvitate ardua et difficilia opera per se ad salutem necessaria, vel præcepto superiorum sibi injuncta refugit aggredi, minimè dubium est. Quamobrem qui fidem palam profiteri renueret, ne à persecutore perimeretur, aut proscriberetur, bonisque privaretur, lethalis peccati reus esset. Qui ex timore peccandi post baptismum, aut post confessionem et sacram communionem nollet baptismum suscipere, peccata confiteri, sacram Eucharistiam sumere, lethaliter peccaret. Qui ad sacramenta nollet accedere, ne proximas occasiones et vincula peccati, quibus irretitus est et alligatus, deserere et abrumpere cogeretur, lethaliter peccaret. Hæc enim ad salutis necessitatem pertinent. Sic etiam lethalis peccati rei sunt, qui ad exercendas virtutum christianarum necessarias actiones in publicum progredi timent, ne fortè graviori tentatione impugnentur, vel ab impiis hominibus derideantur, aut injuriis afficiantur, ut explicat Beda in Proverb. 26, ad illa verba : *Dicit piger : Leo est in viâ, et leæna in itineribus : sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.*

Quòd verò lethalis etiam peccati reus sit qui vel pastoralem curam, aliudve ecclesiasticum munus regendi, prædicandi, docendi, cui pares sunt ejus vires, superioris mandato sibi injunctum pertinaciter recusat, colligitur ex S. Gregorio, Pastoralis Curæ p. 1, cap. 5 : « Sunt nonnulli, inquit, qui magnis muneribus « ditati, dùm solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione « refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum contemplationis poscunt; de quo si districtè judicentur, « ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad « publicum prodesse potuerunt. » Hinc S. Thomas loco supra citato, in responsione ad secundum, ait : « Potest contingere quòd aliquis, ex virtute quam habet, « sit dignus ad aliqua magna facienda, quæ sunt digna « magno honore; et tamen per hoc quòd ipse non attentat suâ virtute uti, peccat, quandoque quidem venialiter, quandoque autem mortaliter. »

Nec à peccato lethali excusatur, qui hæc pertinaciter recusat, quia se indignum existimat hujusmodi muneribus vel honoribus. Hæc enim falsa humilitas est. Unde S. Thomas ibidem in responsione ad tertium docet, « quòd etiam pusillanimitas aliquo modo ex superbiâ potest oriri, dùm scilicet aliquis nimis proprio sensu innititur, quo reputat se insufficientem ad « ea respectu quorum sufficientiam habet. Unde dicitur Proverb. 26 : *Sapientior sibi piger videtur septem « viris loquentibus sententias.* Nihil enim prohibet quòd « se quantùm ad aliqua dejiciat, et quantùm ad alia se « in sublime extollat. Unde S. Gregorius in Pastorali « de Moyse : *Superbus fortassè esset, si ducatum plebis « innumeræ sine trepidatione susciperet; et rursùm superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret.* » Hinc Moyses et Jeremias munus ad quod divinitùs eligebantur, et quo digni erant ex divinâ gratiâ, recusabant, considerantes propriæ infirmitatis insufficientiam : *Non tamen pertinaciter, ne in superbiam laberentur,* inquit S. Thomas ibidem, in responsione ad quartam objectionem.

Lethale pusillanimitatis peccatum commisit Esaü, cùm primogeniti jura parvipendens, illa cessit Jacob fratri suo. Quâ de re S. Ambrosius, lib. 1 de Cain et

Abel, cap. 4, ait: « Nonne tibi videtur Esaü tanquàm « in agone victus, et propriæ mentis infirmitate impa- « rem se existimans, cessisse victori coronam, quem « videbat nullis passionum illecebris inflecti, quarum « ipse pulverem sustinere non poterat? *Ut quid mihi,* « inquit, *primatus?* apud ignavos enim nulla sunt in- « signia virtutis, apud sapientes prima habentur; stu- « dia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaque « sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine « exercitatione virtus. Unde et Dominus in Evangelio « ait, Matth. 11: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœ- « lorum cogitur, et cogentes diripiunt illud.* Et alibi, « Matth. 6: *Quærite regnum Dei, et omnia præstò sunt « vobis.* Non dormientibus neque otiantibus, sed vigi- « lantibus et laborantibus pollicetur præmia; et labori « merces parata est, qui licet non sit suavis ad gra- « tiam, tamen fructuosus ad præmium est. »

Degeneris scilicet ac pusilli animi est, bona sibi à Deo concessa parvifacere, ut docet S. Thomas, 2-2, quæst. 35, art. 1, ad tertium. « Ad humilitatem per- « tinet, inquit, ut homo defectus proprios conside- « rans, seipsum non extollat. Sed hoc non pertinet ad « humilitatem, sed potiùs ad ingratitudinem, quòd « bona, quæ quis à Deo possidet, contemnat. Et ex « tali contemptu sequitur acedia. De his enim trista- « mur, quæ quasi mala vel vilia reputamus. Sic ergo « necesse est ut aliquis aliorum bona extollat, quòd « tamen bona sibi divinitùs provisa non contemnat, « quia sic ei tristia redderentur. »

Regula XIV. — Desperatio lethale peccatum est.— Ad Ephesios enim quarto gravissimi peccati reos esse significat Apostolus, qui *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Et ad Romanos 8, ait: *Spe salvi facti sumus.* Unde colligitur nos desperatione perire. Deinde spei necessitatem ad salutem æternam Scriptura sacra passim docet, Psal. 129: *A custodiâ matutinâ usque ad noctem speret Israel in Domino, quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Psal. 9: *Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Psal. 36: *Spera in Domino, et fac bonitatem.* Psal. 32: *Ecce oculi Domini super metuentes eum; et in eis qui sperant super misericordiâ ejus.* Psal. 31: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Proverb. 16: *Qui sperat in Domino, beatus est;* et cap. 29: *Qui sperat in Domino, sublevabitur.* 1 ad Thessalonicenses 5, inter arma Christiani præcipua spes numeratur: *Induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis.* Et ad Hebræos 6: *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis: ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Cùm itaque spes divinæ misericordiæ, et beatitudinis æternæ, necessaria sit ad salutem, et à Deo præcepta sit, desperatio sit opposita lethale peccatum est, hominemque in damnationem æternam præcipitem agit. Quamobrem fidelis anima dicit Domino, Psal. 90: *Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus; sperabo in eum.* « Possunt omnia dicere: Creator meus « es tu. Possunt et animalia dicere: Pastor meus es « tu. Possunt omnes homines dicere: Redemptor « meus es tu. At verò, Susceptor meus es tu, is tan- « tùm dicere potest qui habitat in adjutorio Altissimi. « Unde et addidit: *Et Deus meus.* Cur non Deus noster? « Quia in creatione, redemptione, cæterisque commu- « nibus beneficiis est Deus omnium; sed in tentationi- « bus suis tanquàm proprium eum habent singuli ele- « ctorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, « et eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus « aliis ei soli operam dare. Propterea expedit omni « animæ Deum semper attendere tanquàm proprium « non modò adjutorem, sed etiam inspectorem. Quando « enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum « nunquàm desinit intueri ?..... Hic igitur non im- « meritò dicere potest: *Deus meus, sperabo in eum...* « Non desperabo, nec frustra sperabo, quia maledi- « ctus qui peccat in spe, et nihilominùs qui peccat in « desperatione. » Verba sunt S. Bernardi, sermone secundo in Psalmum *Qui habitat.*

Regula XV. — Torpor circa præcepta lethale peccatum est, quatenùs deliberatam illorum transgressionem importat; ad lethale peccatum disponit, quatenùs facit ut perfunctoriè duntaxat impleantur. — Fervorem namque in suis obsequiis Deus præcipit. Rom. 12: *Sollicitudine non pigri, Spiritu fervente, Domino servientes.* Hinc S. Paulinus, Epist. 36 ad Macarium, ait: « Vicina morti labes est torpor animorum; et tunc di- « cet inimicus: Prævalui adversùs eum, si et mentis « oculos somnus oppresserit. » Et S. Isidorus, lib. 2 de Summo Bono, cap. 10: « Multos, inquit, re- « missa conversio in pristinos errores reducit, ac vi- « vendi tepore resolvit. Horum ergo exempla quisque « conversus evita, ne dùm timorem Dei à tepore inci- « pis, rursùs mundanis erroribus immergaris. » Et S. Bernardus, sermone 5 in Ascensione Domini, torpentium et tepidorum hominum vitam inferno appropinquare asserit. « Invenire est, inquit, homines pusilla- « nimes et remissos, deficientes sub onere, virgâ et « calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pu- « sillanimis tristitia est, quorum brevis et rara com- « punctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, « quorum obedientia sine devotione, sermo sine cir- « cumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio « sine ædificatione; quos denique (ut videmus) vix « gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix fræ- « nat ratio, vix disciplina coercet. Nonne tibi horum « vita inferno penitùs appropinquare videtur, dum in- « tellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, « necesse habent mittere manum ad opera fortium, « qui cibo fortium minimè sustentantur, socii planè « tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus, « obsecro, quicumque hujusmodi sumus, resarciamus « animas, spiritum recolligamus, abjicientes perni- « ciosam tepiditatem; etsi non quia periculosa est, et « Deo solet etiam vomitum provocare, certè quia mo-

« lestissima, plena miseriæ et doloris, inferno planè « proxima, et umbra mortis jure censetur. »

Regula XVI. — Ad torporem pertinet immoderatio somni, quæ lethale peccatum est, si causa sit cur præceptum omittatur; aliàs veniale duntaxat. — Immoderatio somni unus est ex hominis acediosi characteribus. Hinc Proverb. 6 dicitur : *Vade ad formicam, ô piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. Usquequò piger dormies? Quando consurges è somno tuo? Paululùm dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus ut dormias; et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longè fugiet à te;* et cap. 4 : *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Tunc autem lethale peccatum est, cùm somnus directè vel indirectè volitus executionem præcepti impedit, ut si quis dominicâ vel festâ die somno indulgere malit, quàm missam audire, vel noctem integram in ludis aut choræis consumpserit, et manè in lecto se collocans, à somno ante meridiem non excitetur. Idemque judicium esto de aliis præceptis vel Dei vel Ecclesiæ, quorum executionem somni immoderatio impediret. Veniale autem peccatum est, quoties indulgetur somno præter leges necessitatis. Nam et somnum moderari debet temperantia. Gravius autem peccatum est immoderatio somni in viris ecclesiasticis et religiosis, quos impedit ne sacris officiis adsint, et orationi vel studio vacent; in magistratibus et iis qui rempublicam gerunt, cùm ipsos frequenter impediat ne ad causas gravis momenti referendas vel judicandas sint parati, quia instrumenta omnia ad causam pertinentia legere et conferre neglexerunt, nimiùmque crediderunt excerptis notariorum seu secretariorum suorum. Nec tamen soli clerici et monachi ac sanctimoniales summo manè surgere debent ad Deum laudandum, sed christiani homines universi, ut verbis Sapientis colligitur ita Deum alloquentis, Sap. 16 : *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare.* Et Job. 8 : *Si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus; si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.*

Regula XVII. — Evagatio mentis circa illicita, lethale peccatum est, cùm mens et affectus in ea quæ lethalia peccata sunt, aut proximæ lethalis peccati occasiones, tendit, vel in iis delectatur; aliàs peccatum est veniale. — Hujus peccati rei sunt inquieti illi et curiosi homines, quibus nihil negotii est, nihil pensi, nisi ut audiant vel referant aliquid novi, nisi ut in res et actiones alienas inquirant, ut nullis negotiis occupati, aliis negotia facessant, turbentque familias, aut rempublicam, vel Ecclesiam inquieti animi desultoriâ levitate. Quos S. Paulus 2 ad Thessalonicenses, cap. 3, acerrimè reprehendit his verbis : *Si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Hujus peccati rei sunt clerici et monachi otiosi, inquieti, gyrovagi, qui hùc illùc discurrere amant, et diœceses, provincias, ecclesias, monasteria mutare, superioribus inobedientes, æqualibus incommodi, inferioribus intolerabiles, sibimetipsis graves. Quibus nec oratio sapit, nec lectio; quibus non studium, sed iners otium placet; non opus ministerii, aut convenientis laboris exercitatio, sed fugis cessatio. Quod hominum genus S. Augustinus acriter reprehendit, libro de Opere Monachorum, sugillans hypocritas *sub habitu monachorum circumeuntes provincias, nusquàm missos, nusquàm fixos, nusquàm stantes, nusquàm sedentes,* etc., et eos *qui corpore valent, et ab ecclesiasticis occupationibus vacant,* operari debere docet; iis autem qui ex vitâ excelsiore convertuntur, *invenienda esse opera in monasterio, etiamsi à corporali functione liberiora, sed vigilanti administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam communis jam factus est, gratis manducent.* Alios verò qui ex vitâ humiliore venerunt ad monasterium, cogendos esse ad laborem, *quia nullo modo decet ut in illâ vitâ ubi fiunt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi.* Hujus denique peccati præcipuè reæ sunt seculares mulieres, quæ *otiosæ discunt circuire domos; non solùm autem otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet,* ut scribit Apostolus 1 ad Timoth. 5. Unde mulierem meretricem his characteribus Salomon describit : *Garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.*

Ex mentis evagatione multiloquium nascitur, quod in gravia peccata præcipitat. « Quibusdam enim ruinæ « suæ gradibus desidiosa mens, in foveæ lapsus im- « pellitur, inquit S. Gregorius, lib. 7 Moralium, cap. « 17. Nam dùm otiosa verba cavere negligimus, ad « noxia pervenimus, ut priùs loqui aliena libeat, et « postmodùm detractionibus eorum vitam, de quibus « loquitur, lingua mordeat; quandoque autem usque « ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum semi- « nantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces « odiorum, pax tota extinguitur cordium. Unde benè « per Salomonem dicitur, Proverb. 17 : *Qui dimittit « aquam, caput est jurgiorum.* Aquam quippe dimit- « tere, est linguam in fluxum eloquii relaxare. Qui « ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui « linguam non refrænat, concordiam dissipat. Quòd « autem multiloquio quisque serviens rectitudinem « justitiæ tenere non possit, testatur Propheta qui ait, « Psal. 139 : *Vir linguosus non dirigetur super ter- « ram.* Hinc Salomon iterùm ait, Proverb. 10 : *In « multiloquio peccatum non deerit.* Hinc Isaias ait, 32 : « *Cultus justitiæ silentium;* videlicet indicans quia « mentis justitia desolatur, quando ab immoderatâ « locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit 1 : *Si « quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam « suam, hujus vana est religio.* Hinc per semetipsam « nos Veritas admonet, dicens, Matth. 12 : *Omne ver-*

« *bum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de* « *eo rationem in die judicii.* Otiosum quippe verbum « est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut inten- « tione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso ser- « mone exigitur, pensandum valdè est, quæ pœna il- « lud multiloquium sequatur, in quo etiam per super- « bia verba peccatur. Sciendum quoque est, quòd ab « omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia « verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ « more, et circumclusa ad superiora colligitur, quia « illud repetit unde descendit; et relaxata deperit, « quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim super- « vacuis verbis à silentii sui censurâ dissipatur, quasi « tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interiùs ad « sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium « exteriùs sparsa, vim intimæ considerationis amittit. « Totam igitur sese insidiantis hostis vulneribus de- « tegit, quia nullâ se munitione custodiæ circumcludit. « Unde scriptum est, Proverb. 25 : *Sicut urbs patens,* « *et absque murorum ambitu ; ita vir qui non potest in* « *loquendo cohibere spiritum suum.* Quia enim murum « silentii non habet, patet inimici jaculis civitas men- « tis; et cùm se per verba extra semetipsam ejicit, « apertam se adversario ostendit : quam tantò ille sine « labore superat, quantò et hæc eadem quæ vin- « citur, contra semetipsam per multiloquium pu- « gnat. »

Regula XVIII. — Otium iners ac desidiosum proxima est peccati lethalis occasio. — Nititur hæc morum regula Scripturæ sacræ auctoritate, Ecclesiastici cap. 33 : *Multam malitiam docuit otiositas.* Hinc de Sodomâ dicitur, Ezechielis 16 : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus.* Nec mirum : *animæ* enim *natura est,* inquit S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 35 in Acta Apostolorum, *ut semper moveatur, et quiescere nequeat.* Vanis itaque, inutilibus, et noxiis cogitationibus mens distrahatur necesse est, nisi bonis et utilibus fuerit occupata. Otiosæ menti dæmon illudit innumeris phantasmatibus imaginationi oblatis. Hinc vitiosæ cupiditates excitantur, et *unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus.* Otiositas mentis ad Creatoris sui majestatem, officiumque suum considerandum non attentæ, primos parentes in peccatum præcipites egit, teste S. Bernardo, tractatu de Gradibus Humilitatis, cap. 10 : « Tu quoque ô Eva, « inquit, in paradiso posita es, ut cum viro tuo opere- « ris, et custodias illum; si injunctum perfeceris, « quandoque transitura ad melius : ubi nec opus sit « te in aliquo opere occupari, nec de custodiâ solliciti- « tari..... Nisi mens minùs se curiosè servaret, tua « curiositas tempus vacuum non haberet. Etsi culpa « non est, culpæ tamen occasio est, et indicium com- « missæ, et causa est committendæ. Te enim intentâ « ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabi- « tur, blandè alloquitur; blanditiis rationem, menda- « ciis timorem compescit; *nequaquàm*, inquiens, *mo-* « *rieris.* Auget curam, dùm incitat gulam. Acuit curio- « sitatem, dùm suggerit cupiditatem. Offert tandem « prohibitum, et aufert concessum. Porrigit pomum, « et surripit paradisum. »

Hinc auctor Sermonum ad Fratres in Eremo, inter S. Augustini opera editorum, ejusque venerando nomini aliàs suppositorum, sermone 17, ait : *Quid otiosè agere potes, nisi opera carnis? Nunquàm quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit.*

Hanc regulam confirmat S. Carolus Borromæus, in Instructione confessariorum, nimiam otiositatem numerans inter occasiones proximas lethalis peccati, in quibus positus homo absolutione sacramentali donari non debet, donec illas omninò deseruerit.

### Articulus IV.

*De remediis adversùs acediam.*

Primum adversùs acediam remedium est frequens cogitatio de bonis spiritualibus, et librorum sacrorum piorumque lectio : *Quia quantò magis cogitamus de bonis spiritualibus, tantò magis nobis placentia reduntur, ex quo cessat acedia,* inquit S. Thomas, secundâ secundæ, quæst. 35, art. 1, ad quartum. Præcipuæ autem efficaciæ ac virtutis est ad hoc vitium sanandum meditatio mysteriorum vitæ et mortis Christi.

Remedium alterum est oratio jugis et fervens, quæ Deum semper desiderando peragitur, secundùm illud S. Augustini, Enarratione in Psal. 37 : « Ipsum desi- « derium tuum, oratio tua est, et si continuum desi- « derium, continua oratio. Quidquid aliud agas, si de- « sideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si « non vis intermittere orare, noli intermittere deside- « rare. Continuum desiderium tuum continua vox tua « est. Tacebis, si amare destiteris. » Christo ergo auscultandum est, Marc. 13, præcipienti : *Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit... Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.*

Tertium remedium est continuus Dei præsentis per fidem intuitus, qui nostrorum operum et socordiæ pariter torporisque nostri inspector est et judex. Hinc Tob. 4 dicit Tobias senior juniori : *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et Proverb. 3 : *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Hinc S. Bernardus, sermone 2 in Psalmum *Qui habitat,* ait : *Quomodò poterit negligens fieri, qui intuentem se Deum nunquàm desinit intueri?*

Quartum remedium est mortis aliorumque novissimorum, judicii scilicet, inferni æternæque beatitudinis memoria, juxta illud Ecclesiastici 7 : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Cogitandum quòd *venit nox, quando nemo potest operari,* inquit Christus Joan. 9; et Joan. 12 : *Ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Hinc Salomon Ecclesiastis 9 ait : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et Ecclesiastici cap. 14 dicitur : *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Hinc Apostolus ad Galatas 6 scribit : *Nolite errare, Deus non irridetur. Qua*

*enim seminaverit homo, hæc et metet : quoniam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Cogitandum quòd post diem judicii *tempus non erit amplius;* quòd damnati frustra tempus requirent, quibus ob temporis abusum sola superexit exilii à Dei regno, et suppliciorum æternitas. Considerandum tandem quòd *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis,* ut ait Apostolus ad Romanos 8. Id enim quòd in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.

Hanc tractationem absolvet præclarus S. Isidori locus, lib. 2 Sententiarum, sive de Summo Bono, cap. 10 : « Omnis, inquit, ars seculi hujus strenuos « amatores habet, et ad exequendum promptissimos; « et hoc proinde fit, quia præsentem habet operis sui « remunerationem. Ars verò divini amoris plerosque « habet sectatores languidos, tepidos, pigritiæ inertiâ « congelatos; sed hoc proinde fit, quòd labor eorum « non pro præsenti, sed pro futurâ remuneratione « differtur. Ideòque dùm eorum laborem mercedis « retributio non statim consequitur, spe penè dissolutâ languescunt. Unde et magna illorum gloria præ« dicatur, qui bonæ conversionis principia augmento « solidiore consummant; atque eò ad promerendam « retributionem clariores præparantur, quò firmiùs « duri itineris labores et inchoant et consummant. » Dicam ergo Christianis omnibus cum S. Augustino, sermone 234, aliàs de Diversis, 87 : « Ardete, ne ar« deatis igne quo arsuri sunt dæmones; ardete igne « charitatis, ut à dæmonibus vos discernatis. Ardor « iste sursùm vos rapit, sursùm tollit, in cœlum le« vat... Summa petit ardor dilectionis... Spiritu fer« ventes, accendimini igne charitatis; fervere facite « vos laudibus Dei, et moribus optimis. Alter calidus, « alter frigidus. Calidus frigidum accendat; et qui pa« rùm ardet, optet augmentum, oret adjumentum. « Dominus paratus est dare : nos pansis cordibus op« temus accipere. »

# TRACTATUS DE PASSIONIBUS.

## AUCTORE BILLUART

Divus Thomas, a Q. 22 ad 49, et a Q. 55 ad 71.

Postquàm S. Th. a q. 6 usque ad præsentem 22, disseruit de actibus homini propriis quibus ultimum finem consequi potest, ab hâc q. 22 ad q. 49 disserit de actibus homini et aliis animalibus communibus, qui dicuntur passiones. Quatenùs enim subsunt politicæ imperio rationis, participant aliquid de ejus regulatione et de moralitate, possuntque conducere ad ultimum finem, vel ab eo avertere : unde circa eas regendas occupatur magna pars virtutum, ex earumque deordinatione pullulant plurima vitia. Quia tamen circa hanc materiam non sunt graves controversiæ et vix tractatur in scholis, summatim eam percurremus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De passionibus in communi.*

D. Th. a Q. 22 ad Q. 28.

Quæritur 1° quid sit passio? — Resp. Communis omnium sensus est, passionem esse actum appetitûs sensitivi quo quis ad aliquid afficitur vel ab eo refugit. Cur autem, cum sit actus, dicatur passio? Ideò quia iste actus natus est causare transmutationem in dispositione naturali corporis, quæ transmutatio infert passionem quatenùs subjectum patitur amittendo aliquid. Pro cujus intelligentiâ observandum est quod pati dicatur tripliciter : uno modo communiter et latè, secundùm quod omne recipere est pati, etiamsi nihil abjiciatur à re; ut si dicatur aerem pati dum illuminatur : et hoc sensu intellectus et sensus cognoscitivus recipiendo species possunt dici pati. Alio modo dicitur propriè pati, quando aliquid recipitur cum alterius abjectione; et hoc contingit dupliciter : quandoque enim abjicitur quod non est conveniens rei et recipitur quod est conveniens; sicut cùm corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem abjecta ægritudine : quandoque è converso contingit, dum abjicitur quod est conveniens rei et recipitur quod est disconveniens; sic ægrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas sanitate abjectâ : et hic est proprius modus passionis (hìc q. 22, a. 1, o).

Itaque passio rectè definitur cum Auctore, ex Damasceno : *Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporali.* (Ibid. a. 2, in arg. s. c. et o.) Dicitur *motus*, id est actus seu operatio, et tenet locum generis. Dicitur *appetitus sensitivi*, ut denotetur ejus subjectum. Dicitur *ex imaginatione boni vel mali*, per quod significatur ejus principium. Dicitur *cum transmutatione corporali*, ut distinguatur à moti-

bus voluntatis, quæ, cum non sit affixa organo corporeo, non se movet cum transmutatione corporali; et à motione partis sensitivæ cognoscitivæ, quæ, licet sit affixa organo corporeo, per se tamen non transmutat corpus physicè, sed intentionaliter tantùm. Passio autem physicè transmutat corpus (hic q. 24, a. 2, ad 2), saltem cor; in omni enim passione additur aliquid vel diminuitur à naturali motu cordis, in quantum cor intensius aut remissius movetur secundum systolem aùt diastolem.

Duo itaque importat passio, scilicet actum animæ, qui se habet quasi formale, et transmutationem corpoream, quæ se habet quasi materiale, à quâ tamen dicitur passio. Si primum desit, erit passio pure corporalis; si secundum desit, non erit passio, sed simpliciter motus seu operatio animæ (q. 26 de Verit. a. 2, ad 5).

Quæritur 2° quot sunt passiones? — R. Sunt undecim passiones : sex in appetitu concupiscibili, scilicet amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia; et quinque in appetitu irascibili, scilicet spes et desperatio, audacia et timor, et ira, cujus non est contrarium. Ratio est, quia, cum passio sit actus appetitus sensitivi, dividitur secundum appetitus divisionem (hìc q. 23, a. 1, o, et 1 p., q. 81, a. 2, o); appetitus autem sensitivus est duplex, concupiscibilis et irascibilis; in animalibus enim sicut in naturalibus non solùm est inclinatio ad prosequendum quod est conveniens, et fugiendum quod est disconveniens, sed etiam ad resistendum contrariis et impedientibus. Prima inclinatio in animali dicitur appetitus concupiscibilis; secunda appetitus irascibilis. Objectum concupiscibilis est bonum aut malum sensibile præcise; objectum irascibilis est bonum aut malum arduum. Si ergo appetitus concupiscibilis feratur in bonum aut malum simpliciter, abstrahendo an sit præsens aut absens, respectu boni est amor, respectu mali est odium; si feratur in bonum aut malum absens, respectu boni est desiderium, respectu mali est fuga; si versetur circa bonum aut malum præsens, respectu boni est gaudium, respectu mali est tristitia. Si autem appetitus irascibilis feratur in bonum arduum et difficile, vel illud bonum est obtentu possibile, et est spes; vel est obtentu impossibile, et est desperatio : si refugiat malum arduum, vel illud est repulsu facile, et est audacia; vel est repulsu difficile, et est timor; vel tandem versatur circa malum præsens vindicandum, et est ira, cui nulla passio opponitur. Hinc habes passiones concupiscibilis differre à passionibus irascibilis per hoc quod passiones concupiscibilis ferantur circa opposita objecta, tendunt enim in bonum vel recedunt à malo; sic amor tendit in bonum, odium recedit à malo : passiones vero irascibilis ferantur in idem objectum contrariis motibus; sic spes tendit in bonum arduum, desperatio ab eodem recedit; audacia insurgit in malum, timor ei succumbit. (Hic cit. a. 2, o.)

Quæritur 3° utrum passiones possint esse bonæ vel malæ? (ibid. q. 24, a. 1, o.) R. Passiones animæ possunt considerari dupliciter : uno modo, secundum se; alio modo, secundùm quod subjacent imperio rationis et voluntatis. Si igitur secundum se considerentur, prout scilicet sunt quidam motus irrationalis appetitus, sic non est in iis bonum vel malum morale quod dependet à ratione; si autem considerentur secundùm quod subjacent imperio rationis et voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale. Propinquior est enim appetitus sensitivus ipsi rationi et voluntati, quam membra exteriora, quorum tamen motus et actus sunt boni vel mali moraliter, secundùm quod sunt voluntarii. Unde multò magis et ipsæ passiones, secundum quod sunt voluntariæ, possunt dici bonæ vel malæ moraliter; sunt autem voluntariæ vel ex eo quòd à voluntate imperantur, vel ex eo quòd à voluntate non prohibentur. Tunc autem sunt bonæ, quando sunt à ratione moderatæ; malæ, quando sunt præter ordinem rationis. Hinc Christus, nullum habens peccatum, adhibuit passiones ubi judicavit secundùm rationem esse adhibendas. Marc. 3 : *Circumspexit cum irâ.* Ibid. 14 : *Tristis* fuit ejus *anima usque ad mortem.* Luc. 19 : *Flevit super* Jerusalem. Joan. 11 : *Turbavit semetipsum et lacrymatus est.* Et Apost. Rom. 12 jubet *gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus.* Isque est sensus communis hominum posse rectè timeri supplicium, amari bonum, fugere malum; et meritò, cùm enim appetitus sensitivus sit à Deo ut naturæ auctore, non possunt non esse aliqui ejus actus boni, si à ratione regulentur et imperentur (ibid. a. 2, o).

Attenditur regula et moderatio rationis non præcisè secundùm intensionem aut remissionem passionis, sed secundùm quòd, consideratis objecto et circumstantiis, recta ratio exigit eam intendi aut remitti. Non ergo semper peccat qui vehementer vel irascitur, vel dolet, vel timet, sed qui ultra quod exigit recta ratio in his vel illis circumstantiis irascitur, dolet, aut timet. Unde Moyses, Exod. 3, legitur fuisse valdè iratus propter adorationem vituli; Num. 25, laudatur zelus et indignatio Phinees; et 1 Reg. 2 et 3, reprehenditur Heli quod non satis fuerit filiis suis indignatus; tandem ipse Christus tristatus est usque ad mortem. Porro Stoici vocabant omnes passiones morbos animæ, quia illas solas passiones dicebant quæ erant præter ordinem rationis, quæ verò erant rationi consentaneæ nomine voluntatis complectebantur; sicque voce tenus discrepabant à Peripateticis, qui approbabant mediocritatem passionum.

Quæritur 4° utrum passio, dùm rationi et voluntati cooperatur, diminuat vel augeat bonitatem actus moralis? — Ante responsionem, *nota* passiones animæ posse se habere dupliciter ad voluntatem et rationem, antecedenter scilicet et consequenter, et hoc ultimum dupliciter : 1° per modum redundantiæ, quando enim superior pars animæ intensè movetur in aliquid, pars inferior sequitur ejus motum; 2° per modum electionis, quando scilicet homo ex judicio rationis eligit affici aliquâ passione, ut promptius et fervidius operetur cooperante appetitu sensitivo. (Ibid. a. 3, ad 1.) Hoc notato.

R. 1° Passio antecedens rationem et voluntatem,

diminuit bonitatem actus, quia obnubilat judicium rationis ex quo dependet bonitas moralis actus; laudabilius est enim quod ex judicio rationis aliquis faciat opus charitatis, quam ex solâ passione misericordiæ. 2° Passio consequens voluntatem per modum redundantiæ, est signum intensioris voluntatis, sicque indicat majorem bonitatem moralem, non tamen auget. 3° Passio consequens per modum electionis, auget bonitatem actionis, quia cum bonum hominis consistat in ratione sicut in radice, tanto istud bonum est perfectius quanto ad plura quæ homini conveniunt extenditur; unde nullus dubitat quin ad perfectionem moralis boni pertineat quod actus membrorum exteriorum per rationis regulam dirigantur : atqui appetitus sensitivus potest obedire rationi, *ut dictum est :* ergo ad perfectionem moralis boni pertinet quòd etiam ipsæ passiones animæ sint regulatæ per rationem. Sicut igitur melius est quòd homo et velit bonum et faciat illud exteriori actu, ita etiam melius est quòd homo ad bonum moveatur secundùm voluntatem et secundùm appetitum sensitivum, juxta illud Psal. 83 : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ut cor accipiamus pro appetitu intellectivo carnem autem pro appetitu sensitivo.

## ARTICULUS II.

*De passionibus in particulari.*

D. Th. a Q. 26 ad 48.

### § I. — *De passionibus appetitûs concupiscibilis.*

D. Th. a Q. 26 ad 39.

AMOR.

I. Amor, ut sic, *est complacentia boni.* Intellige complacentiam firmam et robustam dominantem appetitui; si enim sit adhuc recens et infirma, erit potiùs rudimentum et inchoatio amoris quàm amor. Seu aliter, amor *est propensio seu inclinatio in bonum secundum se, abstrahendo an sit præsens vel absens.* (Hic q. 26, a. 1, o.) Triplex est amor sicut triplex est appetitus, scilicet rationalis seu intellectivus, sensitivus seu animalis, et naturalis. (Ibid.) Amor rationalis est inclinatio in bonum per intellectum apprehensum; sensitivus est inclinatio in bonum per sensum apprehensum, et hic solus est passio; naturalis est inclinatio cuique naturæ, sive cognoscitivæ sive non, ab Auctore naturæ indita in bonum sibi conveniens, ut lapidis in centrum. Amor, sive rationalis sive sensitivus, dividitur in amorem amicitiæ et amorem concupiscentiæ; quia amare est velle alicui bonum. Sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, sive sibi, sive alteri; et in eum cui vult bonum. Primus est amor concupiscentiæ, secundus amor amicitiæ. Amor amicitiæ est simpliciter amor; quia quod amatur amore amicitiæ simpliciter et secundum se amatur. Amor concupiscentiæ est amor secundum quid; quia quod amatur amore concupiscentiæ non simpliciter et secundùm se amatur, sed amatur alteri : unde dum amas aliquem quia tibi est utilis, te amas amore amicitiæ, illum autem amore concupiscentiæ; si autem illi velis bonum propter ipsum, illum amas amore amicitiæ. (Ibid. a. 4, o.)

II. Causa præcipua amoris est bonum, quia bonum est objectum amoris, objectum autem amoris est causa motiva illius. Altera causa amoris est cognitio, quia objectum non movet nisi cognitum. Tertia causa amoris est similitudo, juxta illud Eccl. 13 : *Omne animal diligit simile sibi :* unde commune adagium : *Simile simili gaudet.* (Ibid. q. 27, a. 1, 2 et 3, o.) Est autem duplex similitudo : una actualis, dum duo habent idem actu, v. g., duo homines humanitatem, duo parietes albedinem; altera potentialis, dum unus habet potentiam ad formam quam alter actu habet. Prima similitudo causat amorem amicitiæ; quando enim sunt duo actus similes in eâdem formâ, sunt quodammodo unum in illâ formâ, sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, et ideò affectus unius tendit in alterum sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut sibi. Secunda similitudo causat amorem concupiscentiæ; quia facit quod qui habet solùm in potentiâ formam quam alter actu habet, eam appetat, et in ejus consecutione delectetur, si sit sentiens et cognoscens. (Ibid. a. 3, o.)

Per accidens tamen ex similitudine nascitur odium, quandò nempè simile in uno est impeditivum boni aut excellentiæ in altero; unde fit alteri odiosus, non qua similis, sed qua impeditivus illius boni : et hinc aliud commune proverbium ex Philosopho, 8 Ethic. c. 1 : *Figulus figulum odit;* et illud Proverb. 13 : *Inter superbos semper sunt jurgia.* His amoris causis adjungi possunt sympathia, societas, familiaritas, communicatio in bonis aut secretis.

III. Primus effectus amoris est unio : unde Dionys. c. 4, de divin. Nom. dicit amorem esse vim unitivam. Duplex est autem unio : una realis, quâ amatum est præsentialiter amanti; altera affectiva, quâ ex apprehensione præcedente aliquis afficitur ad alterum. Primam causat amor effectivè, quia movet amantem ad quærendam præsentiam amati, non sic tamen ut amatum sit substantialiter in amante, hoc enim est impossibile, sed omni modo qui est possibilis et conveniens, ut scilicet sibi adsint invicem, simul conversentur, aliisque modis amorem decentibus conjungantur. (Ibid. q. 28, per 6 art.)

Secundus effectus amoris est adhæsio; tertius, extasis; quartus, zelus; quintus, læsio amantis; sextus et universalissimus, loquendo de amore ut sic prout comprehendit rationalem, sensitivum et naturalem, est generalis influxus in omnia quæ agit amans. 1° Quia omne agens agit propter aliquem finem, ut alibi dictum est; finis autem est bonum amatum : ergo omne agens quodcumque agat, agit ex aliquo amore. 2° Quia amor est dominus appetitus, cujus est applicare ad agendum. 3° Quia amor est radix omnium aliorum affectuum et passionum quæ movent animal. Si autem loquamur de appetitu sensitivo et prout est passio, non est causa omnium quæ amans agit, quia quædam agit aut agere potest ex electione voluntatis sine passione. His effectibus amoris adjungit S. Doctor alios quatuor,

scilicet liquefactionem, fruitionem, languorem et fervorem. (Ibid.)

ODIUM.

Sicut amor est propensio et pondus in bonum seu conveniens, ita odium est aversio à malo seu disconvenienti. Intelligi de odio abominationis, quo aliquem vel aliquid, puta mortem, supplicium, etc., tanquam malum abominamur et fugimus; non de odio inimicitiæ, quo alicui malum volumus : istud enim non est aversio, sed prosecutio alicujus, quod apprehendimus ut bonum respectu nostri et ut malum respectu illius quem odio abominationis habemus. (Ibid. q. 29, a. 1.)

Odium nascitur ex amore, quia ex eo quod aliquid ametur ut conveniens, ejus contrarium ut disconveniens odio habetur. (Ibid. a. 2.)

DESIDERIUM ET FUGA.

Desiderium est affectus appetitus tendens in bonum absens, per quod differt à delectatione, quæ est de bono præsenti, et ab amore, qui est de bono secundum se ut abstrahit à præsenti vel absenti. Fuga, quæ opponitur desiderio, est aversio et recessus à malo futuro. (Ibid. q. 30, a. 2, o.)

DELECTATIO.

Delectatio est quies appetitus in bono possesso; si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis, quæ sola est passio, quia sola est cum transmutatione corporali. Non enim hic quies appetitus, sive rationalis sive sensitivi, sumi debet privative pro cessatione ab omni acto, sicut in rebus insensibilibus, quæ dum suam perfectionem consequuntur, id non sentiunt, et ideo censentur quiescere per solam cessationem motus : at vero entia cognoscitiva, dum perfectionem suam consequuntur, id percipiunt seu cognoscunt, et ex ista cognitione seu sensu causatur quidam motus animæ in bono præsenti complacentis et quiescentis, et iste motus est delectatio. (Ibid. q. 31, a. 1, o.) Quamvis delectationes intellectuales secundum se sint majores sensualibus, quia sunt de nobiliori objecto et bono magis secundum se delectabili, suntque firmiores; attamen quoad nos delectationes sensuales sunt majores spiritualibus, partim quia sensibilia sunt nobis magis nota quam intelligibilia, partim quia sensuales sunt cum transmutatione corporali et appetuntur ut necessariæ quædam medicinæ; unde fit quod plures sequantur delectationes sensuales quam spirituales. (Ibid. a. 5, o.)

Causæ delectationis sunt : prima, ipsa operatio; nam ad delectationem duo requiruntur, scilicet consecutio boni convenientis, et cognitio seu perceptio hujus consecutionis; utraque autem est operatio : secunda, motus seu mutatio et alternatio; tertia, spes futuri; quarta, memoria præteriti; quinta, similitudo. (Ibid. q. 32, a. 1, 2, 3 et 7.)

Effectus delectationis sunt, 1° dilatatio cordis quod sese explicat ac diffundere videtur; 2° causare sitim et desiderium sui, quando scilicet imperfecte habetur; 3° impedire, imò quandoque absorbere usum rationis; 4° perficere ipsam operationem qua percipitur. (Ibid. q. 33, a. 1, 2, 3 et 4.)

TRISTITIA.

Tristitia est affectus appetitus causatus ex apprehensione mali præsentis. Patet ex dictis de delectatione, cui opponitur. Similiter ejus causæ et effectus ex causis et effectibus contrariis delectationis cognoscuntur. (Ibid. q. 35, 36 et 37.)

Remedia tristitiæ sunt : primum, quælibet delectatio; secundum, fletus, suspiria, gemitus, aliaque exteriora signa tristitiæ : partim quia omne nocivum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intensio animæ circa illud; quando autem ad exteriora diffunditur, tunc animæ intentio ad exteriora quodam modo disgregatur, et sic interior dolor minuitur : partim quia fletus et gemitus sunt operationes convenientes tristato et dolenti; omnis autem operatio conveniens affert delectationem. Tertium, est amicorum compassio; quia per hoc quod amici contristantur ei qui dolet, is percipit se ab eis amari, quod est delectabile. Quartum, pro sapientibus est contemplatio veritatis, quia in contemplatione veritatis maxima est delectatio. Quintum, somnus et balneum, quibus dum debitus corporis status dolore turbatus restituitur, animus simul cum corpore reficitur. (Ibid. q. 38, per 5 art.)

### § II. *De passionibus appetitus irascibilis.*

SPES ET DESPERATIO.

Spes est motus appetitus tendens in bonum futurum difficile et arduum, adeptu tamen possibile; desperatio è contra, motus recedens à bono arduo adeptu impossibili saltem moraliter. In juvenibus et ebriis aliisque qui non utuntur deliberatione abundat spes, quia propter difficultatum inconsiderationem facile æstimant se id posse consequi quod volunt. (Ibid. q. 40.)

AUDACIA.

Audacia est motus quo appetitus insurgit adversus malum terribile imminens, ad ipsum fugandum et superandum. *Dicitur* terribile, quia mala levia contemnuntur. Neque obstat quod omnis actus prosecutionis, qualis est audacia, sit de bono; nam etiam audacia est de bono sive de malo sub ratione boni, fertur enim in malum vincendum et fugandum, quæ victoria et fugatio est bona et utilis ad consequendum bonum quod sperat appetitus. (Ibid. q. 45.)

TIMOR.

Timor est motus appetitus circa malum futurum arduum imminens cui nonnisi difficile potest resisti; seu est dejectio animi victi gravitate periculi. (Ibid. q. 41.)

Effectus timoris est contractio non solum metaphorica, qua appetitus a malo victus recedit et in seipso colligitur, sed propria et corporalis, quatenus ex timore calor et spiritus ad interiora, præcipue ad cor-

contrahuntur, non ut impetum faciant, sicut in ira, desiderio et audacia, sed ut salventur; sicut videmus in civitatibus quod, quando cives timent, retrahunt se ab exterioribus, et recurrunt quantum possunt ad interiora et munitiora, ut salventur. (Ibid. q. 42.)

Ex hoc effectu plures alii nascuntur, scilicet tremor, pallor, vocis interclusio, erectio capillorum, quandoque subita canities, deliquium animi, stupor, turbatio mentis, sitis, faucium ariditas, etc.

IRA.

Ira est appetitus vindictæ cum fervore sanguinis circa cor. Differt ab odio inimicitiæ, quod odium velit malum proximo ut illi malum; iratus autem vult illi malum sub ratione justi vindicativi. Præcipua causa iræ est parvipensio et contemptus, qui eo major est quo major est excellentia irati. (Ibid. qq. 46, 47.)

Effectus iræ sunt 1° delectatio ob spem vindictæ, quæ est remedium injuriæ acceptæ; 2° fervor sanguinis circa cor; 3° turbatio mentis et corporis; 4° taciturnitas, vel quia turbata ratio passione digna non reperit, vel quia tanta est turbatio ut lingua a suo usu impediatur. (Ibid. q. 48.)

# DE VIRTUTIBUS MORALIBUS,

## VITIISQUE OPPOSITIS.

(AUCTORE PATUZZI.)

Virtutes ac vitia principia sunt et fontes, unde effluunt actus humani sive boni, sive mali. Quare, cùm de humanis actibus in genere et in specie proximè (in præsenti volumine dictum sit), sequitur ut fontes modò perscrutemur, ac de virtutibus vitiisque quæ illis opponuntur, disseramus. At verò non hìc de virtutibus omnibus, quemadmodùm nec de vitiis, sermo erit, cùm plures ad alios tractatus pertineant, ubi congruentiùs discutientur; sed de virtutibus moralibus, ac præsertim cardinalibus, iisque annexis, de quibus alibi tractandum non est. Primò itaque de virtutibus generatim loquemur, de iisdem in specie postea locuturi.

### CAPUT PRIMUM.

*De virtutibus in genere quædam prælibantur.*

DOCTRINA.

I. *Definitio virtutis ex SS. Thomâ et Augustino.* — II. *Plures virtutis divisiones assignantur et exponuntur.* — III. *Quid sit virtus heroica, et in quo consistat.* — IV. *De origine moralium virtutum. Harum inchoatio quædam in homine est attentâ naturâ tum* speciei, *tum* individui. — V. *At in ratione* virtutis *non comparantur nisi operum assuetudine, labore, studio et industriâ.* — VI. *De subjecto virtutum. Tres in animo nostro partes distinguuntur : suprema, media et infima.* — VII. *Quæ tribus hisce partibus virtutes conveniant, explicatur.* — VIII. *Hisce omnibus partibus suæ tribuuntur virtutes, quibus insident.* — IX. *Apposita S. Thomæ observatio.* — X. *De medio in quo virtus consistit. Multiplex medium distinguitur.* — XI. *Medium per se non habent theologicæ virtutes.* — XII. *Ex parte tamen nostra regula et mensura etiam his virtutibus præfigitur, et* per accidens *medium habent.* — XIII. *De mutuâ virtutum connexione et harmoniâ. Hâc procul omni dubio prærogativâ gaudent virtutes supernaturales.* — XIV. *Obvia quædam objectio ex verbis S. Thomæ soluta.* — XV. *Virtutes quoque morales acquisitæ in statu perfecto consideratæ connexæ invicem sunt.* — XVI. *De virtutum perfectione, quæ haberi in hâc vitâ potest. Elegans S. Thomæ doctrina præmissa.* — XVII. *Pelagianorum error de hâc perfectione à S. Hieronymo confutatus.* XVIII. *Confutavit eumdem etiam S. Augustinus.* — XIX. *Tria decreta ab Ecclesiâ in concilio Africano edita adversùs hujusmodi errores.* — XX. *Præcipuum catholici dogmatis fundamentum ab Augustino propositum, et à S. Thomâ illustratum.* — XXI. *Alia de eodem argumento S. Thomæ doctrina.* — XXII. *Cujus generis et conditionis dicenda sit impossibilitas peccandi homini conveniens in hâc vitâ mortali.* — XXIII. *Pauca quædam attinguntur de donis Spiritûs sancti.*

#### § 1. *Virtutis definitio.*

1. Quùm multæ circumferantur definitiones virtutis, tum illam cæteris omnibus præferendam puto, quæ traditur ab Angelico doctore, p. 2, q. 55, a. 4, probaturque frequentiùs à theologis; nimirùm, *virtus est bona qualitas mentis quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, et quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quàm apta sit hujusmodi definitio virtutis, et quàm perfectè omnem virtutis rationem complectatur, pulchrè declârat ipse S. Thomas in corp. articuli, cujus verbis nihil neque addere neque detrahere debemus. Sic enim scribit : « Perfecta ratio uniuscujusque rei col-« ligitur ex omnibus causis ejus. Comprehendit autem « prædicta definitio omnes causas virtutis. Causa « namque formalis virtutis, sicut et cujuslibet rei, ac-« cipitur ex ejus *genere* et *differentiâ*, cùm dicitur « *bona qualitas;* genus enim virtutis *qualitas* est; dif-« ferentia autem *bonum*. Esset tamen convenientior « definitio, si loco qualitatis *habitus* poneretur; qui « est genus propinquum. Virtus autem non habet ma-« teriam *ex quâ*, sicut neque alia accidentia; sed ha-

« bet materiam *circa quam*, et materiam *in qua*, scu-
« cet subjectum. Materia autem *circa quam* est obje-
« ctum virtutis quod non potuit in prædictâ defini-
« tione poni, eò quòd per objectum determinatur
« virtus ad speciem; hic autem assignatur definitio
« virtutis in communi; unde ponitur subjectum loco
« causæ materialis, cùm dicitur quòd est *bona quali-*
« *tas mentis*. Finis autem virtutis, cùm sit habitus
« operativus, est ipsa operatio. Sed notandum quòd
« habituum operativorum *aliqui* sunt semper ad ma-
« lum, sicut habitus vitiosi; aliqui verò quandoque
« ad bonum et quandoque ad malum, sicut opinio se
« habens ad verum et falsum. Virtus autem est habi-
« tus semper se habens ad bonum. Et ideò, ut discer-
« natur virtus ab his, quæ semper se habent ad ma-
« lum dicitur *quâ rectè vivitur;* ut autem discernatur
« ab his quæ se habent quandoque ad bonum, quan-
« doque ad malum, dicitur *quâ nullus malè utitur.*
« Causa autem efficiens virtutis infusæ de quâ defini-
« nitio datur, Deus est; propter quod dicitur : *Quam*
« *Deus in nobis sine nobis operatur;* quæ quidem par-
« ticula si auferatur, reliquum definitionis erit com-
« mune omnibus virtutibus et acquisitis, et infusis. »
Hæc definitio sic exposita ex variis S. Augustini lo-
lis collecta est, ac præsertim ex lib. 2 de lib. Arbitr.,
cap. 19, ubi ait quòd *virtutes, quibus rectè vivitur, ma-*
*gna bona sunt;* ac postea *virtutibus nemo malè utitur.*
Quod ex doctrinâ ejusdem S. doctoris cap. eodem
explicat S. Thomas in resp. ad 5, dicens quòd quidem
*virtute potest aliquis malè uti, tanquàm objecto,*
*puta cùm malè sentit de virtute, cùm odit eam, vel su-*
*perbit de eâ; non autem tanquàm principio usus; ita*
*scilicet, quòd malus sit actus virtutis.* Nec planè hæc
definitio ab Angelico doctore tradita ab eâ, quoad
rem ipsam, dissentit, quam tradidit ipse S. Augusti-
nus lib. 15 de Civ. Dei, cap. 22, ubi ait : *Mihi videtur*
*quòd definitio brevis et vera virtutis sit ordo amoris;*
quia rectè vivere est ordinatè amare : *non* enim, ut
alibi docet, *faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel*
*mali amores.* Unde et eam approbat S. Thomas, art. 1,
ad 4, inquiens : *Virtus dicitur ordo, vel ordinatio amo-*
*ris, sicut id ad quod est virtus; per virtutem enim or-*
*dinatur amor in nobis.*

### § 2. *Virtutum divisio.*

II. Prima eaque universalis divisio virtutum satis
constat ex datâ virtutis definitione; eaque se tenet ex
parte principii efficientis earumdem : nimirùm aliæ sunt
*infusæ* à Deo, quas scilicet *Deus in nobis sine nobis ope-*
*ratur;* aliæ *acquisitæ*, quas videlicet nostris actibus,
sive exercitatione bonorum actuum acquirimus. Alia
divisio ex parte ipsius virtutis considerata est in *in-*
*tellectualem, moralem* ac *theologicam*, adeò ut quæcum-
que virtus assignetur, sub aliquâ harum contineri
oporteat. Illam porrò tradit S. Thomas in hujus quæ-
stionis proœmio, traduntque etiam cæteri doctores.
Virtus intellectualis triplex tantummodò est : scilicet
*sapientia, scientia* et *intellectus.* Siquidem, ut animad-
vertit S. Thomas, q. 57, art. 2, virtus intellectualis
speculativa est, per quam intellectus speculativus per
ficitur ad veritatis considerationem. Aut igitur ordi-
natur ad consideranda prima principia quæ sunt per se
nota, et virtus hæc *intellectus* dicitur; aut ad conside-
randas conclusiones quæ ex primis principiis inferun-
tur, et vocatur *scientia;* aut ad considerandas altissi-
mas causas, et *sapientia* appellatur. Non enim *sapien-*
*tia* hic sumitur, prout peculiare donum Spiritûs san-
cti est, sed generatim pro habitu quodam quo quis
promptè assentitur veritatibus necessariis quæ ultimò
ad humanam notitiam pervenire queunt, hoc est,
*causis altissimis.*

Virtutes theologicæ tres pariter sunt; nempe *fides,*
*spes* et *charitas*, de quibus peculiari tractatu à nobis
erit agendum. Virtutes morales eæ solùm dicuntur
quæ sunt in facultate appetente sive appetitivâ, aut ab
eâ dependent. Denominatur quippe virtus moralis *à*
*more*, prout mos significat quamdam inclinationem ad
actum. Inclinatio autem ad actum propriè solùm con-
venit appetitivæ facultati, ad quam solam pertinet
movere cæteras potentias sive facultates. Virtutes mo-
rales quatuor præcipuè distinguuntur, quæ etiam di-
cuntur *principales :* nempe *prudentia, justitia, tempe-*
*rantia, fortitudo*, ad quas cæteræ quæque virtutes mo-
rales revocantur. Has Ecclesiæ Patres vocant quatuor
angulos ædificii spiritualis, quatuor fluvios Paradisi
terrestris, quatuor rotas mystici currûs Ezechielis,
quatuor elementa pravi mundi. *Cardinales* etiam pas-
sim appellari solent, quia, ut S. Thomas observat in
Disput., quæst. de Virtutibus cardin. art. 1, « cardina-
« lis à cardine dicitur, in quo ostium vertitur, secun-
« dùm illud Proverb. 26 : *Sicut ostium vertitur in car-*
« *dine suo, ita piger in lectulo suo.* Unde virtutes
« cardinales dicuntur, in quibus fundatur vita hu-
« mana. »

Hujus autem divisionis idem S. doctor duplicem ra-
tionem assignat, p. 2, q. 61, art. 2, quarum prima su-
mitur ex parte *principii formalis ipsius virtutis, quod*
*est bonum rationis :* quod quadrifariàm considerari po-
test : primò scilicet, prout in consideratione rationis
consistit, et circa illud sic spectatum versatur *pruden-*
*tia;* secundò, quatenùs est circa operationes, et ad il-
lud pertinet *justitia;* tertiò, quatenùs est circa passio-
nes, easque vel impellentes in bonum rationi contra-
rium, et ad hoc pertinet *temperantia;* vel quartò, re-
trahentes à bono, quod ratio præscribit, et ad illud
pertinet *fortitudo.*

Rationem aliam repetit ex ipso subjecto humanæ
virtutis. *Quadruplex enim*, inquit, *invenitur subjectum*
*hujus virtutis* (moralis) *de quâ nunc loquimur, scilicet*
rationale per essentiam, *quod prudentia perficit;* et
rationale per participationem, *quod dividitur in tria,*
*ia est, in voluntatem*, quæ est subjectum *justitiæ*, et in
*concupiscibilem*, quæ est subjectum *temperantiæ*, et in
*irascibilem*, quæ est subjectum *fortitudinis.*

Aliam demùm virtutis divisionem repetere possu-
mus ex diverso statu, sive perfectione ejusdem; et
juxta hanc distinguuntur virtutes in *exemplares, poli-*
*ticas, purgatorias* et *purgati animi. Exemplares* eæ ap-

pellantur, quæ in Deo sunt tanquàm in perfectissimo, absolutoque exemplari virtutum omnium, quem inspicere semper debemus, ne à virtutis tramite unquàm deflectamus. *Oportet* enim, inquit S. Augustinus, lib. de Mor. Ecclesiæ, cap. 6, *quòd anima aliquid sequatur ad hoc quod possit virtus innasci, et hoc Deus est, quem si sequamur, benè vivimus. Politicæ* virtutes non eâ hìc ratione dicuntur, quòd in bonum communitatis ordinentur, sed quòd conveniant statui hominis in communi aliorum hominum societate viventis, ipsumque perficiant ad res humanas juxta communem convictum benè gerendas. *Purgatoriæ* vocantur quæ in iis sunt qui se à reipublicæ actibus sejungentes, resque terrenas contemnentes, toti ad hoc tendunt, ut divinis vacent : *Ita scilicet*, inquit S. Thomas quæst. 61, art. 5, *quòd prudentia omnia mundana divinorum contemplatione despiciat, omnemque animæ cogitationem in divina sola dirigat; temperantia verò relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit; fortitudo autem, ut anima non terreatur propter recessum à corpore et accessum ad superna; justitiæ verò est, ut tota anima consentiat ad hujusmodi propositi viam.* Tandem virtutes *purgati animi* in iis reperiuntur, qui ita virtutum studio *divinam assequuntur similitudinem* (verba sunt ejusdem S. doctoris), *ut prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divinâ mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hâc vitâ perfectissimorum;* qui profectò paucissimi sunt.

III. Hisce virtutibus *purgati animi* accensentur illæ quæ *heroicæ* nuncupantur, quanquàm, et eæ quæ *purgatoriæ* sunt, hoc vocabulo aliquando donentur, si ad gradum perfectionis eximium pertingant. Hinc Angelico præceptore docente arbitramur habitum heroicum vel divinum, ut ait ille 3 p., q. 7, art. 2, non differre à virtute communiter dictâ, nisi secundùm perfectiorem modum, quatenùs scilicet quis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quàm communiter omnibus competat. Nominis *heroicæ* virtutis sive actûs etymologiam usumque in Ecclesiam invectum ad egregias martyrum et sanctorum virorum virtutes celebrandas declarat S. Augustinus lib. 12 de Civit. c. 21. Ait namque : « Martyres multò elegantiùs, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros *heroas* « vocaremus. Hoc enim nomen à Junone dicitur tractum, quod græcè Juno *Hera* appellatur, et ideò « nescio quis filius ejus secundùm Græcorum fabulas « *heros* fuerit nuncupatus; hoc videlicet veluti mysticum significante fabulâ, quòd aer Junoni deputetur, « ubi volunt cum dæmonibus heroas habitare, quo « nomine appellant alicujus meriti animas defuncto- « rum. Sed à contrario martyres nostri *heroes* nuncu- « pantur... non quòd eis esset cum dæmonibus in « aere societas, sed quòd eosdem dæmones, id est, « aereas vincerent potestates... et easdem virtutibus « divinis superant. »

Virtutis itaque heroicæ idea posita est in sublimiore quodam modo disponendi et afficiendi animum erga bonum, quàm communiter hominibus competat; quem modum clarissimè exponit S. Thomas lect. 1, in lib. 7 Ethicorum, his verbis : « Considerandum est quòd « anima humana media est inter superiores substan- « tias et divinas, quibus communicat per intellectum, « et animalia bruta, quibus communicat in sensitivis « potentiis. Sicut ergo affectiones sensitivæ partis ali- « quando in homine corrumpuntur usque ad similitu- « dinem bestiarum, et hæc vocatur *bestialitas* supra « humanam malitiam et incontinentiam; ita etiam ra- « tionalis pars quandoque in homine perficitur et for- « matur ultra communem modum humanæ perfectio- « nis quasi ad similitudinem substantiarum separata- « rum, et hæc vocatur virtus *divina* supra humanam « virtutem et communem; » sicut etiam *heroica.*

Sapienter etiam admonet idem S. doctor, 2-2, quæst. 139, art. 2, ad 1, *virtutes illas heroicas fieri, quæ maximè diriguntur et elevantur Spiritûs sancti donis.* Hinc ait : « Sævitia, vel feritas directè non opponitur cle- « mentiæ, sed superexcellentiori virtuti, quam philo- « sophus vocat *heroicam* vel divinam, quæ secundùm « nos videtur pertinere ad dona Spiritûs sancti. » Et hìc q. 68, art. 1, ad 1 : « Hujusmodi dona nominan- « tur quandoque virtutes secundùm communem ratio- « nem virtutis. Habent tamen aliquid superveniens « communi rationi virtutis, in quantum sunt quædam « divinæ virtutes perficientes hominem, in quantum « est à Deo motus. Unde et Philosophus, in l. 7 Ethic., « docet virtutem communem poni quamdam virtutem « heroicam vel divinam, secundùm quam dicuntur « aliqui *divini viri.* »

### § 3. *De origine moralium virtutum.*

IV. Virtutum infusarum sive supernaturalium originem à Deo esse, eas nobis infundente atque causante, explorata res est; sed non adeò comperta est virtutum naturalium origo et causa, eamque obscuriorem effecêre philosophorum inter se dissidentium opiniones. At missis hujusmodi dissidiis ad institutum nostrum neutiquam pertinentibus, quam amplexus est S. Thomas, docueruntque Ecclesiæ Patres, paucis expono. Ut rem omnem dilucidè solidèque conficiat, monet primùm hìc, quæst. 63, art. 1, dupliciter quidpiam dici posse homini *naturale*, altero modo *ex naturâ speciei*, altero *ex naturâ individui.* Illud autem quod convenit homini secundùm animam rationalem, ei esse naturale secundùm rationem *speciei;* illud autem quod ipsi convenit secundùm determinatam corporis complexionem, naturale esse secundùm naturam *individui.* Monet etiam virtutes bifariàm posse considerari : primò secundùm quamdam *inchoationem*, deinde quoad earum *consummationem* et *perfectionem.* Hinc verò docet virtutum *inchoationem* naturalem homini esse secundùm utramque naturam tum *speciei*, tum *individui :* videlicet homini utrovis modo considerato congenita esse quædam veluti semina virtutum, sive quædam principia et dispositiones quibus per industriam atque exercitationem comparare sibi virtutes queat. Partem priorem illustrat his verbis : Secun-

*dum quidem naturam speciei, in quantum in ratione hominis insunt naturaliter quædam principia naturaliter cognita tam scibilium, quàm agendorum, quæ sunt quædam seminaria intellectualium virtutum et moralium, in quantum in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundum rationem.* Nimirùm insunt rationi bona quædam judicia practica de bono amando, et de malo fugiendo. Insunt etiam voluntati amor boni honesti, et fuga mali rationi dissentanei. Hæc omnia scilicet à Deo conditore citra ullum animi nostri studium atque industriam indita nobis et impressa sunt, quæ sanè non sunt virtutes, nec virtus actûs, et opera. Sunt tamen virtutum semina et principia quibus voluntas, rectæ rationis prælucente judicio, prodit in particulares honestatis amores iisdem frequenter exercitis, benè ipsa constanterque afficitur erga particulares honestates, virtutesque acquirit, quæ in bonâ constantique animi affectione consistunt.

Ad partem alteram subinde pergit S. doctor, eamque his verbis exponit : « Secundùm verò naturam « *individui*, in quantum ex corporis dispositione aliqui « sunt dispositi vel melius vel pejus ad quasdam vir- « tutes, prout scilicet vires quædam sensitivæ sunt « actus quarumdam partium corporis, ex quarum dis- « positione adjuvantur vel impediuntur hujusmodi « vires in suis actibus, et per consequens vires ratio- « nales, quibus hujusmodi sensitivæ vires deserviunt. « Et secundùm hoc unus homo habet naturalem apti- « tudinem ad scientiam, alius ad fortitudinem, alius « ad temperantiam. » Constat videlicet partium corporis dispositiones maximè pendere è fibrarum cerebrique texturâ ac naturâ spirituum, quos *animales* vocamus; atque è spirituum naturâ texturâque fibrarum, et variâ cerebri conditione, tenuitate, subtilitate, acrimoniâ, duritie, copiâ diversos oriri affectus, spei, timiditatis, audaciæ, iræ, aliasque animi propensiones.

V. His ergo modis, concludit ibidem S. Thomas, *tam virtutes intellectuales quàm morales secundùm quamdam aptitudinis inchoationem sunt in nobis à naturâ.* At si virtutum consummatio aut perfectio, quâ animus noster constanter afficitur disponiturque ad bonos amores faciliter ac suaviter producendos, consideretur, hanc non esse docet ille appendicem naturæ congenitam. Hinc art. 2 ejusdem quæst., et q. 1 de Virtut., tradit operum assuetudine, studio, labore et industriâ comparari virtutes; idque quoad partem priorem evincit, *quia natura determinatur ad unum; consummatio autem ejusmodi virtutum non est secundùm unum modum actionis, sed diversimodè secundùm diversas materias in quibus virtutes operantur, et secundùm diversas circumstantias.* Alteram verò ita ostendit. *Cùm ratio multoties inclinat virtutem appetitivam in aliquid unum, fit quædam dispositio firmata in vi appetitivâ, per quam inclinatur in unum, et ista dispositio sic firmata est habitus virtutis; unde si rectè consideretur virtus appetitivæ partis, nihil est aliud quàm quædam dispositio sive forma sigillata et impressa in vi appetitivâ à ratione.* Atque hæc S. Thomæ doctrina consona omninò est iis quæ de hoc argumento tradunt Ecclesiæ Patres, Clemens Alexandrinus lib. 6 Strom., Athanasius in vitâ S. Antonii, Basilius hom. 9 in Hexam., Chrysost. hom. 2 in Epist. ad Ephes., aliique, quorum testimonia prætereo.

### § 4. *De subjecto virtutum.*

VI. De subjecto sive sede virtutum disserit doctor Angelicus hìc, quæst. 66, per plures articulos, et in Disput. q. de Virtut. Quæ scitu digniora sunt, cursim expono, nonnullis in antecessum præmissis : nimirùm tres in animo nostro, tum quâ cognoscit, tum quâ appetit, partes distinguere oportet; supremam, mediam, et infimam. *Supremam* vocat eam S. Thomas, q. 15 de Verit. art. 2, quæ rebus attendit increatis et æternis supra animam existentibus, sive ut earum veritatem et naturam absolutè contemplemur, sive ut ab eis rationes et quasi exemplaria operandi capiamus. *Media* est, quæ convertitur ad ea quæ animam non excedunt, aut infra eam posita sunt, vel conspicienda per contemplationem, vel per actionem disponenda. Utriusque partis objecta, officia, operationes declarat ille art. seq., docens primæ partis munus esse, ut deliberet de agendis ex hoc quod Deo acceptum est, vel divinâ lege præceptum, vel aliquo hujusmodi modo, uti sunt ultimi finis ratio, Dei voluntas, Dei offensa, lex divina, motiva quæque supernaturalia, et si qua sunt alia quæ humanam mentem excedant. Alterius partis sive *mediæ* deliberare proprium est de agendis per causas inferiores, utpotè considerando turpitudinem actûs, rationis dignitatem, hominum offensam, quamlibet honestatem creatam naturalem, virtutum officia, bona delectabilia, commoda hujus vitæ, utilitates, et hujusmodi. Denique pars *infima* est imaginatio rerum sensilium et appetitus earumdem, qui *sentiens* nuncupatur; quæ duæ animæ facultates utuntur organo corporeo et spirituum animalium ministerio.

VII. Tum supremæ, tum mediæ parti perfectam convenire libertatem consentiunt theologi : imperfectam aliquam competere quoque infimæ parti, sive appetitui sentienti, quæ in homine est, concedit S. Thomas, quanquàm discipuli ipsius in eâ explicandâ dissideant; de quo dissidio nihil ad nos. Bona et mala, quæ sibi vindicant tres hujusmodi partes innuamus. *Suprema* itaque pars agere dicitur, quoties Deum rationesque æternas et increatas diligimus; et ab eodem avertimur odio Dei desperatione, infidelitate, aliisque hujusce generis flagitiis. Ad eam quoque pertinent actus et amores tum mediæ, tum infimæ partis, quoties in eos prodimus ob motiva illa quæ suppeditant supremæ et increatæ rationes. Benè agit pars *media* cùm honestatem creatam et officia quæque virtutum amat ob honestatis motivum, odit operum turpitudinem, vitat hominum offensam decoremque rationis custodit : peccat autem, cùm, hisce regulis prætermissis, in oppositos amores erumpit. Sed et actus sentientis appetitûs bonos omnes omnesque lethaliter malos hæc eadem pars sibi vindicat, cùm nulla passio bona sit, quam recta ratio, honestatis fine sibi proprio

præstituto, non ordinet ad mediocritatem; nec ullum peccatum lethale sit, si ejus deliberatio desit. Quoad appetitum sentientem attinet tria docet S. Thomas : primò, quæ bona facit ille, sine directione mediæ aut supremæ partis non fieri; secundò, neque labi posse in peccatum lethale, quin etiam voluntas consentiat; tertiò, veniale tamen peccatum admittere posse sibi proprium. Quod fusè exponit in Disp. q. 25 *de sensualitate* : quem locum videsis, si lubet.

VIII. Ex quibus omnibus colligi facile potest quodnam sit virtutum subjectum, sive quænam sedes virtutibus aptandæ sint : nimirùm *suprema pars* animi supremis illis quæ *supernaturales* dicuntur, virtutibus afficitur; cujusmodi sunt fides, spes, charitas, religio, pœnitentia, et si quæ sunt aliæ se habentes erga Deum gratiæ auctorem et gloriæ. Insunt quoque eidem parti virtutes, quibus benè permanenter disponatur erga bonum divinum Deo proprium, licet solo naturæ lumine notum, ut præter religionem et pœnitentiam, humilitas, quà propriam excellentiam subjicimus Deo, aliisque propter Deum, ut docet S. Thomas hìc art. 6.

*Mediæ* parti inhærent virtutes, quæ versantur erga officia aliis præstanda : cùm enim seipsa absque virtute in proprium bonum honestum tendat, valeatque virtutum officia quæ sunt ejusdem proprii boni partes, amare ac velle exercere opus non habet, nisi ut per virtutem benè constanterque afficiatur erga bona officia aliis præstanda; unde insunt illi justitia, ejusque partes omnes, ut pietas erga parentes, observantia erga hominum excellentiam, amicitia, affabilitas et ea liberalitas ac magnificentia, quæ ad aliorum utilitatem ordinantur.

Tandem virtutes reliquas, fortitudinem, temperantiam, earumque partes et virtutes subjectas in appetitu sentiente collocat S. Thomas. Docet nempe sententem appetitum dividi in *concupiscentem* et *irascentem*, ac passiones, sive animi perturbationes, quæ spirituum animalium motu excitantur, actus esse utriusque partis : prioris quidem amorem et odium, desiderium et fugam, delectationem et dolorem, sive tristitiam; posterioris autem spem et desperationem, timorem, audaciam et iram. Ratione rectà diriguntur passiones istiusmodi, diverso tamen modo, ac corpus ipsum regit, prout explicat hìc quæst. 56, art. 4, ad 3, inquiens : « Aliâ ratione regitur corpus ab animâ, et irascibi- « lis, et concupiscibilis. Corpus enim ad nutum obedit « animæ absque contradictione in his in quibus natum « est ab animâ moveri. Unde philosophus dicit in 1 « Polit., quòd *anima regit corpus despotico dominio*, id « est, sicut dominus servum; et ideò totus motus cor- « poris refertur ad animam, et propter hoc in cor- « pore non est virtus, sed solùm in animâ. Sed ira- « scibilis et concupiscibilis non obediunt ad nutum « rationi, sed habens proprios motus suos, quibus in- « terdùm rationi repugnant. Unde in eodem loco phi- « losophus dicit quòd *ratio regit irascibilem et concupi- « scibilem principatu politico*, quo scilicet reguntur li- « beri qui habent in aliquibus propriam voluntatem. « Et propter hoc etiam oportet in irascibili et concu- « piscibili esse aliquas virtutes, quibus benè disponan- « tur ad actus. »

Quanquàm igitur voluntas virtute non egeat, ut benè disposita sit erga virtutum officia quæ sunt partes boni honesti ipsius voluntatis proprii, frenum tamen ratio atque voluntas imponere debent appetitui, ut rationi serviat, ac moderatas passiones eliciat fini rationis convenientes. Hinc bonæ constantesque affectiones appetitûs erga passiones moderatas sunt virtutes in eo sedem habentes; nempe *temperantia* in appetitu concupiscente seu concupiscibili, et in irascente seu irascibili *fortitudo*, earumque partes, verecundia, abstinentia, castitas, modestiâ, jucunditas, eutrapelia; fiducia quoque, seu magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia.

IX. Hic tamen adnotare lubet nos virtutes ac virtutum actus eo solùm modo sentienti appetitui adjudicare, quo docet S. Thomas in Disp. q. de Virtut. art. 4, ubi ait : *Actus virtutis non potest esse irascibilis vel concupiscibilis tantùm sine ratione; id tamen quod est in actu virtutis, principalius est rationis, seu electio. Ratio enim imperat irascibili et concupiscibili. Non ergo dicitur esse virtus in irascibili vel concupiscibili, quasi per eas totus actus virtutis vel principalior pars expleatur, sed in quantùm per virtutis habitum ultimum complementum bonitatis actui virtutis confertur, in hoc scilicet quòd irascibilis et concupiscibilis absque difficultate sequantur ordinem rationis.*

### § 5. *De medio in quo virtutes consistunt.*

X. Virtutes morales in medio consistere commune theologorum decretum est; unde etiam virtus definiri solet : *Habitus electivus in mediocritate consistens, prout determinaverit prudens.* Medium porro hujusmodi multiplex est, prout exponit disertissimè S. Thomas. Primum illud est quod *medium rationis* vocatur et à prudentiâ præscribitur, cujus munus est humanos actus ad legem rectamque rationem exigere, eisque certum modum, finem ac terminum præstituere. Medium hujusmodi submovere perinde est, ac virtutem omnem extinguere, ut probat S. doctor hìc quæst. 64, art. 1, inquiens : « Mensura et regula appetitivi motûs circa « appetibilia est ipsa ratio. Bonum autem cujuslibet « mensurati et regulati consistit in hoc quòd confor- « metur suæ regulæ, sicut bonum in artefactis est ut « sequatur regulam artis; malum autem per conse- « quens quòd aliquid discordet à suâ regulâ vel men- « surâ. Quod quidem contingit vel per hoc quòd super- « excedit mensuram, vel per hoc quòd deficit ab eâ, « sicut manifestè apparet in omnibus regulatis et men- « suratis. Et ideò patet quòd bonum virtutis moralis « consistit in adæquatione ad mensuram rationis. Ma « nifestum est autem quòd inter excessum et defectum « medium est æqualitas sive conformitas. Undè mani « festè apparet quòd virtus moralis *in medio* consi- « stit. » Hinc tametsi quædam virtutes videantur ad extremum declinare, ut *magnificentia*, quæ magnos sumptus exercet; *virginitas*, quæ ab omni venere et carnalis delectationis sensu abstinet; *humilitas*, quæ

ingenium omne exerit, ut animum dejiciat; et *pœnitentia*, quæ continuis lacrymis peccata castigat : re tamen ipsâ penitiùs expensâ, in medio sistunt excessum inter et defectum, regulamque rationis præscribentem mediocritatem in sumptibus, in carnis maceratione, in humiliatione, in corporis castigatione adamussim sequuntur.

Medium alterum est, quod habetur inter duo officia, duosque actus et habitus, utrumque malum; ac medium istud quamplures virtutes tenere, non autem omnes docet S. Thomas in Disp. q. 1 de Virt. art. 13, ad 12, dicens : *Aliæ virtutes morales sunt inter duo vitia; non autem justitia, quæ tamen medium in propriâ materiâ tenet, quod per se pertinet ad virtutem.* Sic ergo *liberalitas* mediam sedem tenet inter avaritiam et prodigalitatem; *fortitudo*, inter audaciam et timorem inordinatum; *magnanimitas*, inter præsumptionem et pusillanimitatem; *temperantia*, inter insensibilitatem ac intemperantiam; et aliæ plures virtutes mediæ dantur, quæ animi scilicet passionibus, et perturbationibus modum imponunt. At verò vitium omne quod *justitiæ* adversatur in propriâ materiâ, in defectu positum est; neque enim contra justitiam peccamus, dùm plus reddimus quàm debemus, sed duntaxat dùm minùs solvimus.

At enim verè justitia medio non caret, illudque est ipsum *medium rei*, quod est æqualitas rerum à rebus ipsis determinata, vel secundùm quantitatem, ut cùm mutilanti decem nummos, decem pariter reddendi sunt; vel secundùm proportionem, ut cùm reponditur cuique quod sibi debetur, sive sibi debitum facit juxta proprium meritum ac dignitatem. Hoc autem *medium rei* quod confunditur cum *medio rationis*, non ita fixum atque determinatum est, sicut illud quod attingunt cæteræ virtutes. Illud imò variari potest pro loco, tempore, personâ aliisque circumstantiis ad arbitrium boni viri ac prudentis. En de re hâc S. Thomæ doctrina, quam tradit hic quæst. 64, art. 2, his verbis : *Justitia est circa operationes quæ consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum institui debet simpliciter et secundùm se. Et ideò medium rationis in justitiâ est idem cum medio rei, in quantum scilicet justitia dat unicuique quod debet, et non plus, nec minùs. Sed aliæ virtutes morales consistunt circa passiones interiores, in quibus non potest rectum constitui eodem modo propter hoc quòd homines diversimodè se habent ad passiones. Et ideò oportet quòd rectitudo rationis in passionibus instituatur per respectum ad nos, qui afficimur secundùm passiones.*

XI. Alterius conditionis sunt virtutes theologicæ, quæ per se acceptæ, ad eaque objecta in quæ tendunt, comparatæ, medium non habent, nec finem, nec terminum cavere debent, nec excessum timent; et quo magis magisque in objectum suum conantur, eò perfectiores fiunt. Unde tritum illud S. Bernardi ad Haim. scribentis, et charitatis causam, modumque expendendis : *Causa diligendi Deum, Deus est; modus sine modo diligere.* Argumentum quod ad id probandum sumit doctor Angelicus art. 4, istiusmodi est : « Regula virtutis theo- « logicæ est ipse Deus. Fides enim nostra regulatur « secundùm veritatem divinam; charitas autem secun- « dùm bonitatem ejus; spes demùm secundùm ma- « gnitudinem omnipotentiæ et pietatis ejus. Et ista est « mensura excedens omnem humanam facultatem. « Unde nunquàm potest homo tantùm diligere Deum, « quantùm diligi debet; nec tantùm credere aut spe- « rare in ipsum, quantùm debet. Unde multò minùs « potest ibi esse excessus; et sic bonum talis virtutis « non consistit in medio. Sed tantò est melius, quantò « magis acceditur ad summum. »

XII. Verùm sapienter monet ibidem S. Thomas, regulam vel mensuram virtuti theologicæ ex parte nostrâ præfigi, quia, etsi non possumus ferri in Deum quantùm debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando et amando secundùm mensuram nostræ conditionis. *Unde per accidens potest in virtute theologicâ considerari medium et extrema ex parte nostrâ.* Quare vituperandus esset excessus illius qui divini amoris exercitio aut tempus impenderet quod aliis necessariis functionibus insumendum foret, aut vires suas ac sanitatem frangeret; imò neque divinum amorem tunc eliceret, qui cum labe vitiosi excessûs, et debitorum actuum omissione conciliari nequit. Spei etiam ac fidei medium ex parte nostrâ desumptum exponit S. Thomas, ibid. in resp. ad 3, inquiens : *Spes media est inter præsumptionem et desperationem ex parte nostrâ, in quantum scilicet aliquis præsumere dicitur ex eo quòd sperat à Deo bonum quod excedit suam conditionem, vel non sperat quod secundùm suam conditionem sperare potest. Non autem potest esse superabundantia ex parte Dei, cujus bonitas est infinita. Fides etiam media dici potest inter contrarias hæreses, non per comparationem ad objectum, quod est Deus, cui non potest aliquis nimis credere, sed in quantum ipsa opinio humana est media inter contrarias opiniones, sive in quantum,* ut ait 2-2, q. 17, art. 4, ad 2, *unum verum est medium inter duo falsa.*

### § 6. *De virtutum connexione et harmoniâ.*

XIII. Nobilissima omninò est cujusque virtutis, quæ ipsi tribuitur, prærogativa, ut, ubi illa exstiterit, cæteras quoque comites habeat. De mutuâ quidem earum quæ ad ordinem supernaturalem aut gratiæ pertinent, inter se et cum virtutum reginâ charitate, connexione perspicua sunt, quæ docet Angelicus doctor, hìc quæst. 65, art. 2 et 3, nimirùm *cum charitate simul infundi omnes virtutes;* cujus rei elegantem rationem depromit ex iis quæ in naturæ operibus conspiciuntur : « Deus, « inquit, non minùs perfectè operatur in operibus « gratiæ, quàm in operibus naturæ. Sic autem vide- « mus in operibus naturæ quod non invenitur princi- « pium aliquorum operum in aliquâ re, quin inve- « niantur in ea quæ sunt necessaria ad hujusmod. « opera perficienda; sicut in animalibus inveniuntur « organa, quibus perfici possunt opera ad quæ pera- « genda habet animal potestatem. » Atqui verò sancta Dei charitas est primum principium vitæ supernaturalis, primamque tribuens potestatem ad opera hujusce vitæ exercenda. Igitur oportet quòd cum charitate si

mul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum.

XIV. Neque quispiam dicat impossibilem esse supernaturalium omnium virtutum infusionem cum charitate; siquidem plerumque contigit, sæpè homines in eo statu versari, cui virtutes omnes nequaquàm conveniunt, ut magnificentia pauperi, virginitas uxorato, pœnitentia innocenti. Respondet enim S. Thomas 2-2, q. 15, art. 3, ad 2, his verbis : *Connexio virtutum accipitur secundùm illud quod est formale in virtutibus, id est, secundùm charitatem vel prudentiam, non autem secundùm id quod est materiale in illis. Nihil enim prohibet alicui virtuoso suppetere materiam alicujus virtutis, non autem materiam alterius, sicut pauper habet materiam temperantiæ, non autem materiam magnificentiæ.* Et hoc modo alicui habenti alias virtutes deest materia virginitatis, id est, integritas carnis; attamen potest id quod est formale in virginitate habere, ut scilicet habeat in præparatione animi prædictæ virginitatis conservandæ propositum, si hoc sibi competeret. *Sic etiam pauper potest in præparatione animi habere propositum magnificos sumptus faciendi..... Et similiter ille qui est in prosperitate, habet in præparatione animi propositum adversa æquanimiter tolerandi. Et sine hâc præparatione animi non potest esse aliquis virtuosus.*

XV. Quoad virtutes acquisitas attinet, eas considerat præceptor Angelicus hìc art. 1, in duplici statu, perfecto scilicet et imperfecto. Imperfecta autem moralis virtus, ut ille docet, nihil aliud est, *nisi aliqua inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, sive talis inclinatio sit in nobis à naturâ, sive ex assuetudine.* Et si quidem hoc pacto virtutes accipiantur, affirmat *non esse connexas. Videmus enim*, inquit, *aliquem ex naturali complexione, vel ex aliquâ consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis.* Cæterùm si loquamur *de virtute morali perfectâ*, quæ nempe est habitus inclinans in bonum opus benè agendum, tradit virtutes morales sic acceptas invicem esse connexas; et hunc earum mutuum complexum ferè ab omnibus admitti testatur. Ac profectò præter antiquos philosophos in hâc sententiâ fuerunt Ecclesiæ Patres. Ambrosius lib. de Parad. c. 3, scribit : *In quo aliqua harum, quas diximus, principalis est virtus, ideò in eo etiam cæteræ præstò sunt, quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæque virtutes.* Augustinus lib. 6 de Trinit. cap. 9 : *Virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo tamen modo possunt separari ab invicem.* S. Gregorius Magn. lib. 1 Moral. cap. 39 : *Non enim unaquæque vera virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.* Bernardus serm. de Annuntiat.: *Non possunt esse virtutes, si ab invicem separentur.* Idem docent Hieronymus, aliique.

Duplici ratione eamdem connexionem confirmet S. Thomas, quarum unam tantùm gratiâ brevitatis exhibeo, atque ita propono : Virtus moralis virtus perfecta esse non potest sine prudentiâ; siquidem proprium perfectæ moralis virtutis est rectè eligere ; ad rectam autem electionem non sufficit inclinatio in debitum finem, quæ est directè per habitum virtutis moralis, sed requiritur etiam ut aliquis rectè eligat ea quæ sunt ad finem ; quod efficitur per prudentiam, quæ est consiliativa et judicativa et præceptiva eorum quæ sunt ad finem. Similiter nec prudentia potest esse sine virtutibus moralibus, cùm prudentia sit *recta ratio agibilium* hæc autem ratio procedit tanquàm ex principiis ex finibus agibilium, ad quos rectè se habet aliquis per virtutes morales. Igitur, etc.

§ 7. *De perfectione virtutum quæ haberi in hâc vitâ potest.*

XVI. Exstiterunt hæretici plures qui de virtutibus et virtutum perfectione, quam consequi in hâc mortali vitâ possumus, disserentes, putârunt posse hominem ad talem virtutum gradum pertingere, ut acquireret immunitatem ab omni peccato ; atque hocce in statu virtutum studium et exercitationem veluti in homine perfecto supervacaneam proscripsêre. Ili præter Pelagianos præcipui fuerunt Beguardi et Beguinæ, qui decimo tertio Ecclesiæ seculo eruperunt, et non paucos subinde sectatores habuerunt elapso proximè Ecclesiæ seculo, sicut etiam in præsenti. Hos omnes reprobavit Ecclesia, reprobâruntque summi pontifices, ac plurimi auctores qui de hoc argumento scripserunt. Ut autem et nos de his aliqua dicamus, et veritatem catholicam in clarâ luce ponamus atque confirmemus ; adnoto inprimis ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 184, art. 1, ad 2, *perfectionem christianæ vitæ attendi simpliciter secundùm charitatem per quam anima Deo conjungitur, et secundùm alias virtutes secundùm quid.* Charitas enim unit animam Deo, quâ ex unione tota perfectio pendet ; ac virtutes frangunt, regunt ac moderantur animi perturbationes quæ prædictam unionem impediunt. Quapropter dùm negamus animabus in hâc vitâ degentibus consummatam illam virtutum perfectionem, quam saltem aliquibus memorati hæretici tribuerunt, eisque adjunctam impeccantiam ; perinde est ac negare animæ talem per charitatem in hâc valle miseriæ unionem cum Deo, quâ major dari non possit ; talem carentiam perturbationum animi, sive passionum, ut illæ veluti jam evulsæ atque extinctæ virtutum opera non ampliùs indigeant ; eamque impeccantiam, quâ justi homines omni prorsùs peccato etiam veniali vitam immunem ducere valeant, ac non pauci reipsà ducant.

XVII. Pluribus hanc veritatem illustravit atque probavit S. Hieronymus adversùs Pelagianos, maximèque lib. 1, ut prætensam virtutum consummatam perfectionem refellat ; primùmque expendit humilem, sed veram Apostoli Pauli confessionem his verbis editam in Epist. ad Philip. cap. 3 : *Non quod jam accepi* (sic ille legit), *aut jam perfectus sim ; persequor autem, si comprehendam, in quo et apprehensus sum à Christo, fratres, ego me nedùm arbitror comprehendisse..... quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* « Quid est, inquit Hieronymus, id Apostolum virosque « hujus vitæ perfectæ *comprehendisse* quod non com- « prehendunt, *accepisse* quod non accipiunt, et per- « fectos esse qui nondùm perfecti sunt? quid ergo sa-

« pimus, imò quid sapere debemus, quia perfecti non « sumus? Imperfectos videlicet nos esse confiteri, et « necdùm comprehendisse, necdùm accepisse, » Hinc duas in Scripturis sanctis colligit ille distingui perfectiones, duas justitias, et duos timores : primam perfectionem, et incomparabilem veritatem, perfectamque justitiam Dei virtutibus coaptandam; alteram autem, quæ competit nostræ fragilitati. Hanc posteriorem absque nævo non esse, pergit ille probare tum illis Psal. 142 verbis : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens;* tum exemplis Zachariæ et Elisabeth, qui justi dicti sunt secundùm eam justitiam, quæ possit in injustitiam aliquando mutari; tum aliis fundamentis. Eumdem errorem persequitur etiam Hieronymus in Joviniano; et inter alia hæc profert ex Scripturis testimonia, Joan. Epist. 1, cap. 1 : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate;* et ibid. vers. 10 : *Si dixerimus, quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.* Illud etiam animadvertit quòd, cap. 5, Apostolus idem, postquàm dixerat, *non peccare, qui natus est ex Deo,* statim subjungit : *Filioli, custodite vos à simulacris;* quæ omnia clarè negant mortalis hominis consummatam virtutum perfectionem, peccandique impotentiam.

XVIII. Tum hæc, tum alia plura in ejusdem dogmatis confirmationem producit S. Augustinus adversùm Pelagianos, ex quibus satis sint quædam, quæ habet in lib. de perfect. Just. hom., nimirùm cap. 14, lib. Job. : *Quis mundus est à peccato? Nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Ex quo libro, cùm hæc, quæ sequuntur, decerperent Pelagiani in sui erroris patrocinium, aptè resolvit atque explicat S. doctor; nempe opponebant illi primum illud cap. 12 : *Justus enim vir, et sine querelâ factus sum in derisum; ac si,* reponit Augustinus, *non posset dici homo justus, qui perfectioni justitiæ plurimùm assuevit.* Deinde aliud cap. 13 : *Ecce ego proximus sum judicio meo, et scio quia justus inveniar. Sanè justi,* respondet, *illo judicio, quo in fine omnes judicandi sunt, invenientur omnes, qui non falsaciter dicunt : Dimitte nobis debita nostra.* Tertiò quoque illud, c. 9 : *Vias ejus custodivi, et non declinavi à mandatis ejus, neque discedam;* sensus nempe est, *custodire vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat; sed in eis currendo proficit, et si aliquando, ut infirmus offendit, proficit tamen minuendo peccata, donec perveniat, ubi sine peccato sit.* Sed et aliud splendidissimum testimonium subministrat Epist. 1 Joan. cap. 1 : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est;* quod certè adeò clarum est, ut obnubilari nullatenùs queat alio, quod ex eâdem Epist. opponebant Pelagiani; videlicet : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare; quia ex Deo natus est.* Obvia quippe ejusdem S. Augustini responsio est; *ita* nimirùm *esse, secundùm quòd ex Deo nati sumus; secundùm autem quòd de homine nati sumus, per quem peccatum intravit in mundum, sine peccato non sumus : quia sine illius infirmitate nondùm sumus, donec illa renovetur, quæ fit de die in diem.... infirmitas nostra,* etc. Quæ verba insinuant præcipuum totius disputationis momentum; quia in hâc vitâ nondùm facta est reparatio appetitûs sentientis, sive nondùm reparata sanitas, prout ex D. Thomâ subinde notabimus.

XIX. Hæc concertatio inter SS. Augustinum, et Hieronymum ex unâ parte, et Pelagianos ex aliâ, sublata tandem fuit in plenario Africæ concilio, tribus editis decretis adversùs Pelagianorum errores, ex quibus etiam validissimum argumentum sumitur ad conterendos eosdem, quos ex orco excitârunt tum Beguardi, tum Michael de Molinos, aliique.

Primus canon qui sexto loco ponitur in concilio Milevitano II, sic effert : « Item placuit, quod S. Joan- « nes Apostolus : *Si dixerimus quia peccatum non ha- « bemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non « est;* quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat « propter humilitatem oportere dici, nos habere pec- « catum, non quia ita est, anathema sit. Sequitur « enim Apostolus, et adjungit : *Si confessi fuerimus « peccata nostra, fidelis est Deus, et justus, qui remittat « nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate;* ubi « satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam « veraciter dici, etc. » Alter, qui septimus est in eodem Milevitano concilio, hæc habet : « Item placuit, ut « quicumque dixerit in oratione Dominicâ, ideò dicere « sanctos : *Dimitte nobis debita nostra;* ut non pro ipsis « hoc dicant, quia non est eis jam vera ista petitio, « sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores; et « ideò non dicere ullum sanctorum : *Dimitte mihi de- « bita mea;* sed : *Dimitte nobis debita nostra;* ut hoc « pro aliis potiùs quàm pro se justus petere intelliga- « tur : anathema sit. Sanctus enim, et justus erat Apo- « stolus Jacobus, cùm dicebat : *In multis enim offen- « dimus omnes.* Nam quare additum est : *omnes?* nisi « ut ista sententia conveniret et Psalmo, ubi legitur : « *Non intres in judicio cum servo tuo, quia non justifi- « cabitur in conspectu tuo omnis vivens;* et in ore sapien- « tissimi Salomonis : *Non est homo, qui non peccet;* et « in lib. Job. : *In manu omnis hominis signat, ut sciat « omnis homo infirmitatem suam.* Unde etiam Daniel « sanctus, et justus, cùm in oratione pluraliter dice- « ret : *Peccavimus, iniquitatem fecimus,* et cætera, quæ « ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, « quemadmodùm quidam sentiunt, hæc non de suis, « sed de populi potiùs dixisse peccatis, postea dicit : « *Cùm orarem, et confiterer peccata mea, et peccata po- « puli mei Domino Deo nostro;* noluit dicere peccata « nostra, sed et populi sui dixit, et sua, etc. » Tertius tandem canon, qui in ordine octavus est, ita decernit : « Item placuit, ut quicumque verba ista Dominicæ « orationis, ubi dicimus : *Dimitte debita nostra,* ita vo- « luit à sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc « dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et « non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui la- « biis sibi dicit dimitti velle et corde dicit, quæ sibi « dimittantur, peccata non habere? « Verùm ipsum

quoque Tridentinum concilium errorem eumdem profligavit lib. 6 de Justif. can. 25, ubi statuit : « Si « quis dixerit hominem semel justificatum posse in « totâ vitâ omnia peccata vitare, etiam venialia, nisi « ex speciali privilegio, quemadmodùm de beatâ Vir- « gine tenet Ecclesia, anathema sit. »

XX. Præcipuum catholici dogmatis fundamentum proponitur à S. Augustino, declaraturque ampliùs à S. Thomâ. Prior lib. de Perf. Just., Cœlestio interroganti, « an quodcumque peccatum vitari possit, aut « vitari non possit, » respondet, « vitari posse pecca- « tum, si natura vitiata sanetur, gratiâ scilicet per « Jesum Christum Dominum nostrum ; in tantum enim « sana non est, in quantum id quod faciendum est, « aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, « dùm caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus « adversùs carnem, ut non ea quæ vult homo fa- « ciat. » Hoc est, felicitas hæc erat sani et innocentis hominis, cui Deus condens naturam, tantam largitus est gratiam, quæ mentem Deo, et appetitum menti perfectè subjiciebat, omni compressâ ejusdem appetitus contra mentem perturbatione ac seditione. Excidit homo, cùm lapsus est, ab hâc felicitate, et adeò felicem potestatem amisit. Gratiâ Dei per Jesum Christum sanatur quidem mens hominis, dùm sanctæ charitatis diffusione in Deum convertitur. Sed integra homini non restituitur sanitas, adhuc carne concupiscente adversùs spiritum. Atque adeò, quemadmodùm gratia tum actualis, tum habitualis, quam Deus hominibus elargitur in hoc reparatæ naturæ statu, secundùm communem suæ providentiæ legem, nec fomitem concupiscentiæ exstinguit, nec ligat ; ita vires non tribuit, quibus homines sanctificati sine omni peccato vivere valeant. Rationem hanc præclarè illustrat S. Thomas in Disp. q. 9, de Charit. art. 10, ubi etiam perfectionem omnem præsentis vitæ declarat. Tria enumerat perfectionis, consummatæque virtutis impedimenta. Primum « est contraria inclinatio mentis, « quando mens per peccatum conversa ad commuta- « bile bonum, sicut ad finem, avertitur ab incommu- « tabili bono. » Deinde « occupatio secularium bono- « rum quia, ut dicit Apostolus, *qui cum uxore est, sol-* « *licitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori,* « *et divisus est;* et cor ejus non movetur tantùm in « Deum. » Denique « infirmitas præsentis vitæ, cujus « necessitatibus oportet hominem aliquatenùs occu- « pari, et retrahi, ne actualiter mens feratur in Deum ; « et corporis gravitas, quâ deprimitur anima. » Docet nihilominùs S. præceptor « hominem in hâc vitâ posse « sine peccato mortali esse, quod avertit ipsum à Deo, « et iterùm sine occupatione temporalium rerum, » sicut Apostolus dicit : « Qui sine uxore est, sollicitus « est de his quæ sunt Domini, quomodò placeat Deo, « sed ab onere corruptibilis carnis in hâc vitâ liberum « esse non posse. » Ex quo infert, charitatem, cæterasque, quæ cum eâ junguntur, virtutes *perfici posse in hâc vitâ, quantùm ad remotionem primorum duorum impedimentorum ; secùs ad remotionem tertii impedimenti.*

XXI. Atque hoc tertio impedimento manifestè ostenditur, hominem in hâc vitâ minimè sanari perfectè posse, nec tam perfectum acquirere virtutum statum, qui ipsum provehat ad omnimodam impeccantiam, per gratiam illam quam Deus juxta communem suæ providentiæ legem dispensat, nec vires communes et ordinarias gratiæ tantam homini tribuere potestatem, ut absque omni peccato vitam ducere queat, aut integram peccatorum venialium collectionem per totam vitam, aut aliquod diuturnum, et notabile tempus vitare valeat. Aurea est ejusdem præceptoris doctrina, quam tradit 1-2, q. 109, art. 8. Docet nempe, in statu naturæ corruptæ indigere hominem gratiâ habituali, sanante naturam ad hoc, quòd omninò à peccato abstineat. Sed hæc sanans gratia juxta communes providentiæ leges conceditur à Deo, ut menti quidem sanitas restituatur, non appetitui. Hinc ait ille : « Sana- « tio primò fit in præsenti vitâ secundùm mentem, ap- « petitu carnali nondùm totaliter reparato. Unde Apost. « ad Rom. 7, in personâ hominis reparati dicit : *Ego* « *ipse mente servio legi Dei ; carne autem legi peccati.* » Ex his patet falsitas alterius commenti traditi à Beguardis et Beguinis ; nimirùm non oportere vel jejunare, vel orare hominem, postquàm ad gradum ultimum perfectionis in hâc vitâ pervenerit : quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui et rationi subjecta, ut possit homo liberè corpori concedere quidquid placuerit. Quàm longè enim hoc à veritate abhorreat, quæ dicta sunt, manifestant, quemadmodùm et illud quod subjiciebant, *sese exercere in actibus virtutum hominis esse imperfecti, animamque perfectam licentiare à se virtutem.* Quem errorem præter alia reprobat etiam, et confundit tota vita Christi, et sanctorum perfectorum, qui se in actibus virtutum continenter exercuerunt.

XXII. At verò, cùm dixerimus possibile non esse, ut aliquis in hoc statu corruptæ naturæ ad eam virtutum perfectionem perveniat, ut immunis omninò fit à peccato saltem veniali per totam vitam, imò per diuturnum tempus ; inquiret aliquis, cujus generis, aut conditionis sit hæc impossibilitas? Egregius vir P. Thomas de Lemo, t. 4, Panop. tract. 2, cap. 5, respondet primò, hanc impossibilitatem non esse physicam et absolutam, sive ex ipsâ rei naturâ profectam, ac si potestas nunquàm peccandi voluntati repugnaret. Ait subinde, moralem duntaxat dici non posse eo sensu, quòd moraliter impossibile id appellare solemus, quod nisi magnâ cum difficultate præstamus, vel quod ut plurimùm non fit, licet aliquando fieri possit. Hinc tertiò addit, moralem esse eo sensu, quòd peccato primi parentis infirmus factus homo, nondùm appetitui inferiori sanitate restitutâ, vires non habet, quibus omni peccato intra diuturnum, aut notabile tempus abstineat. PP. Salmanticenses t. 5, tract. 14, disp. 2, nedùm moralem, sed etiam physicam hanc impotentiam vocant : quia nempe gratia, quam juxta communem providentiam largitur Deus homini reparato, sicut non extinguit, nec ligat concupiscentiæ fomitem, ita neque vires tribuit, quibus homo quantâlibet perfectione donatus, vitam ducere valeat sine peccato.

§ VIII. *De donis Spiritûs sancti.*

XXIII. Doctrinæ de virtutibus generatim inspectis obiter adnecto, quæ subinde tradit S. Thomas, quæst. 68 de Donis, quæ, art. 1, à virtutibus ipse distinguit; et consistunt *in quibusdam qualitatibus, secundùm quas homo disponitur, ut efficiatur promptè mobilis ab inspiratione divinâ extraordinariâ, ut facilè eam recipiat, promptèque exequatur.* Hujusmodi dona homini esse necessaria probat, art. 2, quia aliqua contingunt in humanâ vitâ, *in quibus non sufficit instinctus rationis, sed est necessarius instinctus Spiritûs Sancti.* Quamvis enim per virtutes homo multa cognoscat, atque agere possit, quia tamen rationi humanæ non sunt omnia cognita, nec possibilia : inde est, quòd præter virtutes requirantur motiones, sive spiritûs Sancti instinctus, seu dona, quibus disponatur, ut ea quæ sunt extraordinaria cognoscat, simulque perficiat. Dona hæc esse habitus quosdam, qui simul infunduntur cum gratiâ sanctificante, ostendit, art. 3, tum quia Christus de Spiritu Sancto discipulis loquens ait, Joan. 14 : *Apud vos manebit, et in vobis erit;* tum quia dona sunt *perfectiones* quædam permanentes, quibus homo disponitur, *ut benè sequatur instinctum Spiritûs Sancti.* Art. deinde 4, septem Spiritûs Sancti dona congruè in Scripturis enumerari docet; nimirùm *sapientiæ, intellectûs, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris Domini.* Cujus numeri convenientia ita potest declarari. Spiritus Sanctus aut intellectum movet, aut appetitum. Si intellectum : vel perficit eum quantùm ad apprehensionem, ut divina rectè percipiat ac penetret; et ad hoc est donum *intellectûs :* vel perficit quantùm ad judicium, quo homo decernat, quâ ratione erga res omnes divinas et humanas, easque sive in generali, sive in particulari se habere debeat; et si quidem perficiat in generali circa res divinas, ad hoc est donum *sapientiæ* : si generatim circa res humanas, est donum *scientiæ;* si circa particularia agibilia, est donum *consilii.* Quòd si Spiritus Sanctus moveat appetitum, vel eum perficit in iis, quæ sunt ad alterum, et ad hoc est donum *pietatis;* vel in iis, quæ sunt ad seipsum : idque, vel ut nullâ difficultate retrahatur à prosecutione boni ardui; et est donum *fortitudinis :* vel ut illicitas delectationes respuat; et est donum *timoris.*

Ex his facilè patet, quomodò unum quodque horum donorum describi possit; nimirùm donum *sapientiæ* est qualitas, vel habitus, quo homo disponitur, ut sit promptè mobilis à Spiritu sancto, ut rectè judicet de rebus divinis, etiam excellentiori et extraordinario modo cognitis, quod eis inhærendum sit, et ab oppositis recedendum. Donum *intellectûs* est, quod animum disponit, ut peculiari instinctu moveri promptè valeat ad divina rectè percipienda, et juxta conditionem suam penetranda. Donum *scientiæ* est, quo disponitur homo, ut ex speciali illustratione cognoscere queat, et judicare de rebus humanis, quatenùs ad Deum perducunt. Non enim hic agitur de scientiâ naturali, sed christianâ, quæ ad animæ salutem pertinet. *Consilii* donum est, quo prompti reddimur ad benè deliberandum, resolvendumque, quid in rebus difficilioribus, ac præsertim inopinatis ad animæ salutem pertinentibus, vel Dei gloriam promovendis, optimum sit eligendum et faciendum. Donum *fortitudinis* est, quo disponitur animus ad fortiter tolerandum adversa, maximèque quæ præter expectationem occurrunt, vel aggrediendum gravia, et insolita pericula. Dono *pietatis* disponitur, ut benè nos habeamus erga Deum, ejusque cultum, potissimùm in casibus extraordinariis. Denique donum *timoris* disponit hominem, ut recedat à malis præsertim delectationibus, et concupiscentiis etiam vehementioribus et extraordinariis. Atque hæc pauca de Donis satis.

## CAPUT II.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ.

I. *Quo sensu accipiendæ sint sententiæ S. Augustini virtutem per amorem definientis.* — II. *Proprium virtutis subjectum mens est, sive ratio.* — III. *Diversa planè sunt virtutum semina, quæ ab Ecclesiæ Patribus admittuntur in homine, ab iis quæ admissa fuerunt à Cassiano et Semipelagianis.* — IV. *Egregia S. Thomæ doctrina, quâ difficultates diluuntur ad virtutum moralium connexionem pertinentes.* — V. *Virtutes acquisitæ non sunt simpliciter et absolutè virtutes, si cum charitate non jungantur, eas ad Deum ultimum finem ordinante.* — VI. *Verosimilior, et omninò tenenda sententia est, quæ præter fidem, spem, et charitatem, alias virtutes infusas agnoscit.* — VII. *Virtutum connexio non exigit, ut sancti viri in omnibus virtutibus æquè præfulgeant.* — VIII. *Quàm meritò ab Ecclesiâ damnatæ sint plures propositiones Michaelis de Molinos, quoad virtutum perfectionem ab ipso invectam.* — IX. *Jure quoque, ac meritò aliæ proscriptæ sunt de eodem argumento Francisci de Fenelon propositiones.* — X. *Homini in hâc vitâ degenti tribuenda nunquàm est* apathia, *et impeccantia.* — XI. *Quantâlibet perfectione donetur homo, semper tamen indiget oratione, jejunio, carnisque ac passionum mortificatione.* — XII. *Licet nec in totâ vitâ, nec aliquo diuturno tempore peccatum omne leve ac veniale præcaveri queat; pro aliquo saltem brevi tempore ab illo abstinere possumus.* — XIII. *Hæc immunitas ab omni etiam levi peccato per totam vitam privilegium specialissimum est Deiparæ Virgini à Deo concessum.* — *Reflexio.*

CONSECTARIUM PRIMUM. — Cùm S. Augustinus virtutis notionem explicat per amorem, ut nedùm loco jam supra citato, sed etiam lib. de Morib. Eccles. Cathol. cap. 15, ubi ait : « Quatuor virtutes sic definire non « dubitem, ut temperantia sit amor integrum se præ« bens ei quod amatur : fortitudo amor facilè tolerans « omnia propter quod amatur : justitia amor soli amato « serviens, et propterea rectè dominans : prudentia « ea, quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens, etc. » Cùm, inquam, hæc et similia habet S. doctor de virtutibus generatim, ejus verba haud pressè accipienda sunt, sed eo pacto, quo ea intelligit S. Thomas, quæst. 66, art. 3, ubi docet, etiam intellectum, cujus proprius actus non est amor, sub-

jectum esse virtutis. Cùm enim hujusmodi locutionem S. Patris sibi objecisset, respondet, « quòd verbum « Augustini intelligendum est de virtute simpliciter « dictâ, non quòd omnis talis virtus sit simpliciter « amor, sed quia dependet aliqualiter ab amore, in « quantum dependet à voluntate, cujus prima affectio « est amor. » Atque hoc sensu etiam prudentia, quæ in intellectu residet, *amor* dici potest ac debet.

Consectarium II.—Nulla virtus potest esse in irrationali parte animæ, nisi in quantum participat rationem. Et ideò ratio, sive mens est proprium subjectum virtutis humanæ. Ita D. Thomas 1-2, quæst. 55, art. 4, ad 3. Quare facultates irascibilis et concupiscibilis, ut habet quæst. 66, art. 4, si considerentur secundùm se, quatenùs *sunt partes, appetitus sentientis non competit eis, quòd sint subjectum virtutis :* sed quatenùs duntaxat participant rationem. Unde etiam docet, quòd *virtus, quæ est in irascibili et concupiscibili, nihil est quàm quædam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem.*

Consectarium III. — Quoties invenitur in S. Augustino, aliisve Ecclesiæ Patribus, quemadmodùm et in S. Thomâ, inesse nobis *semina*, aut *seminaria virtutum;* diverso planè in sensu locuti sunt, ac illas voces intellexerunt *Semipelagiani.* Hi siquidem sicut admittebant initium salutis in nobis esse absque divinâ gratiâ, sic etiam talia in homine virtutum semina posuerunt, quæ *salutaria* forent ; hoc est, quæ ad spiritualem animæ salutem pertinerent, essentque veluti principium operum *salutarium*, de quibus loquens S. Prosper cap. 27, ait : *Virtutum semina, quæ beneficio Creatoris inserta sunt, prævaricatione primi Parentis eversa fuisse.* Unde ita concludit cap. 29 : *Ergo omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus ; sed per gratiam, quâ naturæ reparatur, accipimus.* Alterius rationis sunt ea virtutum *semina*, quæ nos cum sanctis Ecclesiæ doctoribus adstruimus, ut liquidò constat ex iis quæ ex D. Thomâ in hanc rem protulimus.

Consectarium IV. — Digna peculiari animadversione est egregia S. Thomæ doctrina circa virtutum moralium connexionem, quam habet hic quæst. 65, art. 1, ad 1, nimirùm « virtutum moralium quædam « perficiunt hominem secundùm communem statum, « scilicet quantùm ad ea quæ communiter in omni « vitâ hominum occurrunt agenda. Unde oportet « quòd homo simul exercitetur circa materias omnium « virtutum moralium. Et si quidem circa omnes exer- « cicetur benè operando, acquiret habitus omnium vir- « tutum moralium. Si autem exercitetur benè ope- « rando circa unàm materiam, non autem circa aliam « (puta, benè se habeat circa iras, non autem circa « concupiscentias), acquiret quidem habitum aliquem « ad refrenandum iras : qui tamen non habebit ratio- « nem virtutis propter defectum prudentiæ, quæ circa « concupiscentias corrumpitur ; sic etiam naturales « inclinationes non habent perfectam rationem virtutis, « si prudentia desit. Quædam verò virtutes morales « sunt quæ perficiunt hominem secundùm aliquem « convenientem statum ; sicut *magnificentia et magna-* « *nimitas.* Et quia exercitium circa materias harum « virtutum non occurrit unicuique communiter, potest « aliquis habere virtutes morales sine hoc, quòd ha- « bitum harum virtutum habeat actu, loquendo de vir- « tutibus acquisitis. Sed tamen, acquisitis aliis virtu- « tibus, habet istas virtutes in potentiâ propinquâ. « Cùm enim aliquis per exercitium adeptus est libera- « litatem circa mediocres donationes, et sumptus, si « superveniat ei abundantia pecuniarum, modico exer- « citio acquiret magnificentiæ habitum, sicut geometer « modico studio acquirit scientiam alicujus conclusio- « nis, quam nondùm consideravit. Illud autem habere « dicimur, quod in promptu est, ut habeamus. » Nil luculentius dici potuit.

Consectarium. V. — Equidem ut virtutes morales acquisitæ aliquo modo verè virtutes sint, à charitate non pendent; simpliciter tamen, et absolutè virtutes non sunt, nisi cum charitate jungantur, et ab ipsâ ad finem ultimum, qui Deus est, ordinentur. Ita D. Thomas hìc quæst. 65, art. 2, ubi cùm necessitatem charitatis ad virtutum perfectionem statuisset, concludit his verbis : « Patet igitur, quòd *solæ virtutes infusæ* « *sunt perfectæ, et simpliciter dicendæ virtutes :* quia « benè ordinant hominem ad finem ultimum simplici- « ter : aliæ verò virtutes, scilicet acquisitæ, sunt *se-* « *cundùm quid* virtutes, non autem simpliciter ; ordi- « nant enim hominem benè respectu finis ultimi in « aliquo genere ; non autem respectu finis ultimi sim- « pliciter, » nempe Dei ; quod sola charitas præstat, quæ Deum respicit velut ultimum finem, ad quem referri debent bonæ ipsæ actiones atque virtutes.

Consectarium VI.— Quanquàm fide certum non sit admittendas esse præter fidem, spem et charitatem alias virtutes infusas, tenenda tamen omninò ea sententia est, quæ ipsas adstruit, cùm plurima præstò sint Scripturarum testimonia, quæ eidem maximè favent, eidemque suffragium ferant plures Ecclesiæ Patres, Ambr. l. 6, Exam. c. 7 ; August. tract. 8, in epist. 1 Joan. ; Prosper, cap. 27, cont. Collat. ; Gregor. Magn. hom. 5 in Ezech. ; eamque S. Thomas, hìc q. 65, art. 3, confirmat optimâ ratione quam indicavimus.

Consectarium VII. — Non ex eo quòd virtutes sint invicem connexæ, existimare debemus sanctos viros æquè in omnibus excellere virtutibus ; quin potiùs easdem ita largiri solet bonorum omnium auctor Deus, ut unusquisque sanctorum in aliquâ cæteris præemineat. Hinc Ambrosius loco supra citato scripsit : « Sanctis una competit virtus ; sed ei, quæ fue- « rit uberiùs, uberius est præmium. Quanta hospita- « litas in Abraham, quanta humilitas, quanta sancti- « tas, ut fratris filium ab hoste servaret, et quanta « abstinentia, ut nihil de prædâ quæreret? Sed quia « fide præstitit, fidei præ cæteris meruit principa- « tum. Hinc etiam sacra Scriptura propriam aliquibus in virtutibus sanctitatis excellentiam tribuit ut inter alios observat S. Joan. Chrysost. serm. de Mart. dùm Abel vocatur *innocens,* Henoch, *Deo placens,* Noe, *jus-*

*tus*, Abraham, *fidelis*, Moyses, *mansuetus*, Joseph, *castus*, David, *humilis*, Elias, *acceptus*, Daniel, *sanctus*, etc.

Consectarium VIII. — Jure meritòque damnatæ ab Ecclesiâ fuerunt in Decreto Innocentii XI, edito anno 1687, sequentes Michaelis de Molinos propositiones ex fœcibus Beguardorum et Beguinarum haustæ; nempe prima in ordine 55 : *Per hanc viam internam pervenitur, et si multâ cum sufferentiâ, ad purgandas et extinguendas omnes passiones; ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum; nec anima se amplius commoveri sinit.* Secunda in ordine 56 : *Duæ leges, et duæ cupiditates animæ; una charitatis, et amoris proprii alteri, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius. Unde, quando hic purgatus est, et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, et duæ cupiditates : nec ulteriùs lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius nequidem veniale peccatum.* Tertia in ordine 57 : *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius, ne quidem veniale peccatum, peccata mortalia, nec venialia.* Quarta in ordine 61 : *Anima, cùm ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle quàm quod Deus vult : quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.* Quinta in ordine 62 : *Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.* Errorem primum Beguardorum, quem rejecimus, ut nemo non videt, produnt hujusmodi propositiones. Aliæ, quæ sequuntur, alterum eorumdem insinuant. Itaque sexta propositio Michaelis de Molinos damnata in decreto Innocentiano, ordine 14, hæc est : *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat : quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis, et electionis, et est velle, quòd divina voluntas nostræ conformetur, et non quòd nostra divinæ.* Septima in ordine 17 : *Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relictâ curâ, et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativè, nullâ adhibitâ industriâ : et, si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur; quia est natura.* Octava in ordine 38 : *Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum : ideòque dimittenda.* Nona in ordine 39 : *Sanctiora opera et pœnitentiæ, quas peregerunt sancti, non sufficiunt ad removendum ab animâ vel unicam adhæsionem.* Decima in ordine 40 : *Beata Virgo nullum unquàm opus exterius peregit, et tamen fuit sanctis omnibus sanctior. Agitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.* Sed et alium Beguardorum errorem exhibent sequentes ejusdem auctoris propositiones; atque adeò meritissimè in decreto Innocentii anathemate perculsæ. Undecima in ordine 29 : *Dùm anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsâ sentiens fervorem, bonum signum est.* Duodecima in ordine 31 : *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.* Decima tertia in ordine 32 : *Nec ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quàm permanentia in solitâ resignatione passivâ; quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, et fiunt in viâ ordinariâ. Et si hâc occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscuntur eos esse ex impulsu speciali Dei : aliàs sunt impulsus naturæ nondùm mortuæ.* Decima quarta in ordine 35 : *Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quòd faciant operationes etiam virtuosas ex propriâ electione et activitate; aliàs non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, sanctos et humanitatem Christi; quia, cùm ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.*

Hæ, aliæque hujusmodi furfure infectæ propositiones damnatæ fuerunt in laudato decreto *tanquàm hæreticæ, suspectæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, Christianæ disciplinæ relaxativæ et eversivæ, seditiosæ respectivè.*

Consectarium IX. — Non minùs jure, ac meritò proscriptæ sunt ab Ecclesiâ propositiones aliæ quas invexit Franciscus de Fenelon archiepiscopus Cameracensis, qui tamen non iisdem auctoribus Beguardis et Beguinis, sicut etiam Michaeli de Molinos accensendus est, à quorum spurcissimis erroribus longè recessit; suasque doctrinas, statim ut audivit, ab Innocentio XII et Ecclesiæ Romanæ oraculo reprobari, lubenti animo ejuravit. Hic in libro, quem edidit hoc titulo : *Placita Sanctorum circa viam interiorem*, inscriptum, duas hasce in argumento, de quo agimus, evulgavit malesanas falsasque propositiones; nimirùm 18 in ordine : *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quòd sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur quàm facere id quod Deus vult; et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquàm sit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti amplius affixus non est.* Altera in ordine n. 21 : *Sancti mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationem virtutum.*

Consectarium X. — Nullatenùs homini vitam hanc mortalem agenti absolutè concedenda est *apathia*, seu passionum omnium vacuitas, et impeccantia, quâ vitam omni prorsùs etiam veniali peccato immunem ducere valeat, et reapse saltem aliqui ducant. Neque id solum negandum est fieri posse sine gratiâ, ut Pelagiani asseruisse videntur, in quorum systemate vera omnis Christi gratia expungebatur. Sed neque ad id satis esse dicendum est vires gratiæ tum habitualis, tum actualis, quas justis hominibus confert Deus in præsenti vitâ secundùm legem communem cursumque ordinarium. Hoc consectarium ex thesi constitutâ, et doctrinis SS. Patrum fluit apertissimè.

Consectarium XI. — Quantâcumque perfectione per Christi gratiam donatus homo sit in hâc vitâ, opus semper habet oratione, jejunio, carnis mortificatione, cultuque, et exercitio virtutis. Hoc exploratissimum est ex damnatis tum in Pelagianis, tum in Beguardis et Beguinis, tum etiam in Michaele de Molinos propositionibus. Et profectò fieri minimè potest, ut homo,

qui juxta vires communes et ordinarias gratiæ sanatur quidem quantùm ad mentem, carne tamen servit legi peccati, non egeat oratione, quâ Dei adjutorium continenter exposcat, nec jejunio, quo corpus castiget, et in servitutem redigat, nec virtutum studio, quibus tanquàm frenis animæ perturbationes magis magisque cohibeat.

Consectarium XII. — Licet possibile neutiquàm sit, hominem in hâc valle miseriæ totâ vitâ, aut etiam diuturno tempore consistere sine peccato saltem veniali, nihil tamen est, cur negemus pro modo, et tempore, et imbecillitatis corporeæ conditione ab omni posse etiam levi peccato ad breve tempus abstinere. Verum hoc *breve tempus* quis definiverit, nisi Deus, cui humanæ imbecillitatis noti sunt modi omnes et conditiones? Unde Hieronymus loco supra laudato, nullâ positâ brevis hujusce temporis mensurâ, id duntaxat asserit *humanam* scilicet *conditionem, si paulùm se remiserit, discere fragilitatem suam.* Monet etiam S. Augustinus in lib. de Perfect. just. hom. cap. 14 : « Quantâlibet justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne « aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse « culpandum, cùm Rex justus sederit in throno, cujus cognitionem delicta fugere non possunt, nec ulla de quibus dictum est : *Delicta quis intelligit ?* »

Consectarium XIII. — His tamen nihil obstantibus, asserendum omninò est, hanc immunitatem ab omni etiam levi peccato, singulari planè privilegio, concessam fuisse Beatissimæ Virgini Dei genitrici Mariæ. Hanc ipsi specialem prærogativam Ecclesia tribuit, testimonium perhibentibus sacræ Synodi Tridentinæ Patribus, qui, sess. 6 de Justif. can. 23, ita testati sunt : *Si quis dixerit hominem semel justificatum posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi speciali Dei privilegio, quemadmodùm de Beatâ Virgine Mariâ tenet Ecclesia, anathema sit.* Quæ verba expendens V. C. Franciscus Sylvius, 3 p., q. 27, art. 4, adnotat expressè definitum non esse B. Virginem Mariam sine omni peccato fuisse, aut Ecclesiam hanc tenere impeccantiam tanquàm fidei dogma, nihilominùs eamdem sine temeritatis notâ negari minimè posse. Huic sanctæ Virginis privilegio suffragatur S. Augustinus, lib. de Nat. et Grat. cap. 36, ubi sanctorum sine peccato elenchum, quem texuerat Pelagius, excipiens ait : « Exceptâ sanctâ Mariâ, de quâ propter honorem Do- « mini nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, volo « habere quæstionem. Inde enim scimus quòd ei plus « gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte « peccatum, quæ concipere et parere meruit, quem « constat nullum habuisse peccatum. Hâc ergo Vir- « gine exceptâ, si omnes sanctos et sanctas, cùm « hìc viverent, congregare possemus, et interrogare « utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros « putamus? Utrùm hoc, quod iste Pelagius dixit an « quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantâlibet fue- « rint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis ; si hoc in- « terrogari potuissent, nonne unâ voce clamâssent : « Si dixerimus, quod peccatum non habemus, etc. ? » S. Ambrosius idem adstruit Mariæ privilegium, serm. 22; in Psal 118, dicens *incorruptam fuisse Virginem, et ab omni integram labe peccati.* Idem docet S. Bernardus, epist. 174 ad Canonicos Lugdunenses de Concept. B. Mariæ, ubi ait : « Ego puto quòd et copiosior « sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ « ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed et vitam « ab omni prorsùs peccato custodiret immunem ; quod « nemini alteri in natis quidem mulierum creditur « esse donatum. Decuit nimirùm, Reginam Virginum « singulari privilegio sanctitatis absque omni peccato « ducere vitam, etc. » Paria habet tota etiam Ecclesia Græca in Epistolâ Sophronii Hierosolymorum Patriarchæ, quæ Patribus concilii sexti œcumenici Constantinopolitani tertii, act. 2, lecta fuit his verbis : « Uterum intactum ingressus Dei Filius virginitatis « castitate fulgentem Mariæ sanctæ præclaræque, et « quæ Dei sunt sapientiæ ab omni contagione liberæ « et corporis, et animæ, et intellectûs. » Denique S. Thomas eamdem veritatem confirmat, 3 p., q. 27, hujusce privilegii convenientiam trahens ex eâ quam par erat virginem habere, idoneitate, ut esset Mater Dei. Hinc privilegii notionem exponens, in eo situm fuisse docet, quòd « in eâ abundantia gratiæ, maximèque divina pro- « videntia ligaverit fomitem, ne in aliquem inordina- « tum motum proderet » ac demùm totaliter auferret.

REFLEXIO.

*Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est,* aiebat olim, et nunc quoque omnibus ait sanctus apostolus et evangelista, Christoque specialiter dilectus Joannes. Perpendamus, quæso, magnâ cum diligentiâ hujusmodi verba, ex quibus elicere possumus atque debemus documentum apprimè nobis salutare ac planè necessarium. Exstiterunt, ut vidimus, tum primis Ecclesiæ seculis, tum elapsis proximè temporibus, atque etiam fortassis exstant hoc ipso ævo nostro nonnulli superbi homines, quibus præfidentis, et erroneæ, stultæque opinionis devenêre, ut assererent, tum se, tum alios ad sublimem adeò perfectæ consummatæque virtutis excellentiam in hâc miserâ vitâ tot periculis obvolutâ, tot scopulis circumseptâ, tot tentationum turbinibus ac hostium insidiis obnoxiâ, posse pertingere, ut immunitatem ab omni penitùs etiam levi peccato adipiscantur.

Horum omnium sibi ita blandientium insanam arrogantiam arguit, damnat, confunditque vel sola allata sancti Apostoli sententia, etiamsi aliæ, quæ eamdem validissimè confirmant, deessent in Sacris Libris. *Si dixerimus,* inquit, *quia peccatum non habemus* neque grave, neque leve ; ita ut in aliquo Deum non offendamus, aut ab ejus voluntate deflectamus, *ipsi nos seducimus,* mentimur, decipimus, ac decepti sumus in summam animæ nostræ perniciem atque ruinam. Quicumque enim se putat ab omni peccato immunem, primum cæcitatem suam maximam prodit, dùm minimè cernit, in quæ peccata sæpissimè labitur, dùm non attendit infirmitatem suam, peccati fomitem, qui in ipso bellum perpetuò gerit, inimicorum suorum potentiam, artes, machinationes, queis continenter impetitur Ex

hâc deinde cæcitate illud veluti sponte suâ consequitur, ut in seipso confisus ea à Dei misericordiâ quærere remedia negligat, quibus sua peccata purget ac delcat. Qui enim fieri potest ut hujusmodi remedia perquirat, qui se nullo remedio indigere arbitratur? Tum verò superbè se reputans peccatc omni carere, ipsâ superbiâ, ac præsumptione suâ gravissimè peccat caretque nedùm humilitate omnibus perquàm necessariâ, verùm etiam cæteris omnibus virtutibus, quarum excellentem perfectumque gradum se attigisse persuadet. Hæ siquidem neque in gradu infimo absque humilitatis fundamento consistere queunt; seque, quod malorum omnium supremum est, indignum efficit gratia divina, omnibusque præstantissimis donis eam comitantibus, quæ nonnisi humilibus, suamque fragilitatem atque miseriam agnoscentibus et confitentibus, impertitur bonorum omnium largitor Deus. Hinc S. August. in Sent., sent. 363, ita scribit: « Divinitùs dictum est, Ecclesiast. 7, v. 7 : *Noli esse justus multùm*, quoniam non est justitia sapientis, sed « superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, « ipso nimio fit injustus. Quis est autem, qui se facit « justum nimis, nisi qui dicit se non habere peccatum? »

At verò satis non est ad legitimum apostoli Joannis in verbis laudatis sensum intelligendum, ut quis ore solùm non exprimat, *se peccatum non habere*, nisi etiam id veraciter sentiat in corde. Multi namque sunt (ut animadvertit idem S. Pater in Psal. 118, expendens eamdem S. Joannis sententiam), qui se peccatores, se Deum sæpiùs offendere ultrò passimque profitentur; sed in corde, si penitiùs introspiciatur, aliter de seipsis sentiunt, foventque frequenter ac nutriunt quamdam de perfectâ innocentiâ suâ occultam existimationem, quæ neutiquàm cum verbis cohæret, ac interdùm etiam foris erumpit. Falsam hanc persuasionem et cognoscamus et diligenter à nobis abigamus, oportet; quoniam gratiæ Dei recipiendæ magno impedimento est, utpote ex tumore superbiæ profecta, quam Deus summoperè aversatur et odit. « Conticescat igitur, « ait S. idem doctor, et arescat elatio fœnea superborum seipsam seducens, quæ in auribus hominum, « simulatâ humilitate, dicit se habere peccatum; in « corde autem suo dicit se non habere peccatum. Qui « enim hoc dicunt, seipsos seducunt, et veritas in eis « non est. Sed quando in auribus hominum hoc dicunt, « non tantùm seipsos, sed et alios quosque doctrinæ « insanæ perversitate seducunt. Cùm verò id in corde « suo dicunt, illic seipsos seducunt, et in suo corde « veritatis lucem amittunt. »

« Quid ergo (subjicit idem S. Doctor, eamdem sententiam: *Si dixerimus*, etc., considerans, serm. 10 « de Verbis Apostoli) nihil habemus de justitiâ? » (De sanctitate, de virtute, etiamsi ad eam habendam toto studio, animique contentione laboremus.) « Habemus, « reponit ille, sed non totum habemus. Hoc ergo quæramus. Si ergo aliquid habemus, et aliquid non habemus; crescat quod habemus, et implebitur, quod « non habemus. Ecce enim baptizati sunt homines; « omnia illis peccata dimissa sunt; justificati sunt a « peccatis. Restat tamen lucta cum carne, mundo et « diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur; aliquando vincit, aliquando perimitur, » aut vincitur. Atque utinàm plures essent, qui luctando non perimerentur aut vincerentur ad mortem sempiternam! Verùm si non pauci sunt, qui ita fortiter luctantur, et pugnant, ut lethalia vulnera devitent, neque de ipsis dicère queat aliquando inimicus: *prævalui adversùs eum;* nullus tamen est, qui saltem levem aliquem ictum non recipiat, et fragilitatis suæ detrimenta patiatur, ita ut remedio et curatione non indigeat; nec opus habeat ut semper Deum oret, et quotidiè dicat: *Dimitte nobis debita nostra.* Quapropter caveamus attentè à seductione superbiæ nostræ, ne dicamus unquàm non solùm coràm aliis, sed neque in nobismetipsis, *quia peccatum non habemus.* Agnoscamus seriò, quàm leves, quàm imbecilles, quàm instabiles sumus; quemadmodùm ex opposito quàm multi, quàm fortes, quàm in bello obstinati, qui nos impugnant, atque inde profundæ humilitatis ac timoris salutaris argumentum capiamus, ut nihil de nobis præsumentes, sed in solo Deo spem nostram et fiduciam collocantes, perveniamus ad beatissimæ illius vitæ statum, in quo nullum erit nedùm peccatum, sed neque peccandi periculum.

## CAPUT III.

### *De prudentiâ.*

DOCTRINA.

I. *Quid sit prudentia?* — II. *Officia, sive actus prudentiæ.* — III. *Fines, ad quos prudentia dirigit, alii generales, alii particulares.* — IV. *De partibus prudentiæ integralibus. Prima est præteritorum memoria.* — V. *Secunda intelligentia, sive intellectus. Tertia providentia.* — VI. *Quarta docilitas. Quinta solertia.* — VII. *Sexta ratio. Septima circumspectio.* — VIII. *Octava demùm cautio, sive consideratio malorum et impedimentorum, quæ occurrere possunt.* — IX. *De partibus prudentiæ subjectivis, ac primùm de prudentiâ regnativâ.* — X. *De prudentiâ politicâ.* — XI. *De prudentiâ œconomicâ et militari.* — XII. *De vitiis quæ prudentiæ opponuntur.* — XIII. *De astutiâ.* — XIV. *De dolo et fraude.* — XV. *De nimiâ rerum temporalium sollicitudine.* — XVI. *De immoderatâ sollicitudine futurorum.*

Præter Religionem, quæ theologicis virtutibus propinquior est, ac peculiarem tractationem exposcit, quatuor sunt, ut notavimus, primariæ virtutes *morales*, quæ etiam *cardinales* appellantur, à quibus plures aliæ proficiscuntur, vel quibus adnexæ sunt, videlicet *prudentia, justitia, temperantia*, et *fortitudo*, de quibus agendum modò est, non omnia quidem persequendo, quæ sub his continentur, siquidem non pauca commodiùs alibi tractabuntur, sed quæ ad ideam et notitiam harum virtutum comparandam pertinent, magisque necessaria existimo.

§ I. *Quædam de Prudentiâ generatim attinguntur.*

I. De prudentiâ multa diximus, tract. 2 de secundâ

Regulâ moralium actionum proximâ, et immediatâ, scilicet humanâ ratione disserentes. Unde hìc pauca addenda, sive potiùs recolenda supersunt. Eam definit S. Thomas, quòd sit *recta ratio agibilium*, sive, ut alii, *prudentia est virtus ostendens, judicans atque præcipiens, quid in quâlibet actione particulari agendum sit, tanquàm honestum, vel fugiendum tanquàm turpe, sive morum regulis dissentaneum.*

II. Ejus officia, sive actus sunt 1° rectum de rebus agendis *consilium* quærere, accipere, vel præbere; 2° de iisdem *rectè judicare*, sive juxta regulas communes, sive juxta altiora principia; 3° rectè de rebus ipsis agendis *præcipere*; qui postremus actus prudentiæ maximè proprius est; alii verò ad virtutes prudentiæ adnexas et affines potiùs spectant.

III. Hisce actibus et officiis prudentia dirigit actiones hominum ad fines suos, quorum alii sunt *generales* et ampli, alii *particulares*. Primi generis sunt hujusmodi : *Bonum est faciendum*; *malum fugiendum*; *ordo in rebus servandus; divina lex custodienda*; similesque. Alterius autem sunt ipsa peculiaria virtutum officia, quæ propria nempe sunt particularium virtutum, prudentiæ, justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, earumque partium; quæ cùm considerari valeant tùm *in acquisitione*, tum *in perfectione* sibi conveniente, prudentiæ opus est primum, ut virtutes acquirantur, deinde ut eædem acquisitæ in suas, quando et quoties oportet, operationes prodeant, simulque ea media eligantur, quæ cuilibet virtutis officio exercendo opportuna sunt.

§ 2. *De partibus prudentiæ integralibus.*

IV. Partes plures, quæ *integrantes* vocantur, et ad perfectum ipsius usum requiruntur, recenset atque egregiè explicat S. Thomas, 2-2, q. 49. Harum prima est *præteritorum memoria*, quæ vel sensu, vel etiam intellectu percepimus; quæ enim experti quandoque sumus, magno sunt adjumento prudentiæ, ut de aliis quæ contingere possunt rectè deliberet. Unde in senibus maximè dicitur esse prudentia.

V. 2. « *Intelligentia*, sive intellectus, qui non sumitur hìc, inquit S. Thomas, art. 2, pro potentiâ intellectivâ, sed prout importat quamdam rectam æstimationem alicujus extremi principii, quod accipitur ut per se notum, sicut et prima demonstrationum principia intelligere dicimur. Omnis autem deductio rationis ab aliquibus procedit, quæ accipiuntur ut prima. Unde oportet quòd omnis processus rationis ab aliquo intellectu procedat. Quia ergo prudentia est *recta ratio agibilium*; ideò necesse est quòd totus processus prudentiæ ab intellectu deriveturꝰ. In Scripturis appellatur *intellectus prudentiæ*, ut Eccli. 1, et alibi *spiritus intelligentiæ*; de quo Deuter. 4 scriptum est : *Hæc est vera sapientia, et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant : Populus sapiens et intelligens.*

3. « *Providentia*, quæ, ut ait art. 6 S. Thomas, importat respectum quemdam alicujus distantis ad ea quæ in præsenti occurrunt, et ordinanda sunt, » sive, ut alii, ea est, quâ futurum aliquod ante videtur, quàm factum sit, et idonea media ad finem consequendum assumuntur. De hâc loquitur Christus in Parabolâ illius, *qui volens turrim ædificare, priùs sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquàm posuerit fundamentum et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* Quod et sequenti parabolâ persequitur, cùm de rege ait : *Qui iturus committere bellum adversùs alium regem, sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se; alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.*

VI. 4. *Docilitas* ea est quâ quis paratum promptumque se exhibet ad aliorum consilia, et monita de rebus agendis capessenda. Huc spectat illud Proverb. 2 : *Ne innitaris prudentiæ tuæ;* et Eccles. 6 : *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant à te.* Atque hæc quidem *docilitas*, ut observat S. Thomas, art. 3. ad 2, « sicut et alia, quæ ad prudentiam pertinent, « secundùm aptitudinem est à naturâ, quatenùs à bonâ quâdam, et felici indole non parùm pendet; sed « ad ejus consummationem plurimùm valet humanum « studium; dùm scilicet homo sollicitè, frequenter, et « reverenter applicat animum suum documentis majorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam. »

5. « *Solertia* ad hoc pertinet (verba sunt S. Thomæ art. 4), ut homo benè se habeat in acquirendo rectam æstimationem per se ipsum, ita tamen, ut solertia accipiatur pro *eustochiâ*, cujus est pars; nam « *eustochia* est benè conjecturativa de quibuscumque; « solertia autem est facilis et prompta conjecturatio « circa inventionem medii, » ut eo invento rectum de actione judicium formari valeat.

VII. 6. *Ratio*, sive, uti S. Thomas intelligit, *promptitudo ratiocinandi*, inter partes integrales prudentiæ collocatur; quia ad prudentiam necessarium est ut *homo sit benè ratiocinativus;* nempe quòd ex principiis practicis intellectûs rectè deducat conclusiones practicas, quæ in ipsis continentur.

7. *Circumspectio*, id est, attenta consideratio circumstantiarum, quæ in humanis actionibus occurrunt, et faciunt ad honestatem vel turpitudinem actûs. « Prudentia enim, ait S. Thomas art. 7, est circa singularia operabilia, in quibus multa concurrunt; et « ideò contingit aliquid secundùm se consideratum « esse bonum, et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non « opportunum ad finem. Sicut ostendere signa amoris « alicui secundùm se consideratum, videtur esse conveniens ad alliciendum ejus animum ad amorem, « sed si contingat in animo illius superbia, vel suspicio adulationis, non erit hoc conveniens ad finem. « Et ideò necessaria est *circumspectio* ad prudentiam, « ut scilicet homo id, quod ordinatur ad finem con-

« paret etiam cum his quæ circumstant. » Hùc specta illud Apostoli Pauli ad Philip. 1, 9 : *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientiâ, et in omni sensu, ut probetis potiora.*

VIII. 8. *Cautio* est malorum, et impedimentorum extrinsecorum, quæ finis consecutioni objiciuntur et adversantur, accurata consideratio, ut ea vitentur, vel removeantur : « Prudentia namque, inquit idem S. « doctor, art. 8, est circa contingentia operabilia, in « quibus sicut verum potest admisceri falso, ita et « malum bono propter multiformitatem hujusmodi « operabilium, in quibus bona plerùmque impediun- « tur à malis, et mala habent speciem boni. Et ideò « necessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipian- « tur bona, quòd vitentur mala. « Hùc pertinet illud Apostoli ad Ephes. 4 : *Videte itaque, fratres, quomodò cautè ambuletis, non quasi insipientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.*

§ 3. *De partibus prudentiæ subjectivis.*

IX. Partes subjectivæ, sive subjectæ prudentiæ idem sunt, ac ejusdem species. Hæ considerantur vel in ordine ad seipsum, vel in ordine ad alios. « Et quia, « inquit S. Thomas, hìc quæst. 50, per quam aliquis « regit seipsum, jam dictum est, » nosque pariter diximus, tract. 2 cit., dissert. 1, cap. 1 et 2, restat nunc dicendum de speciebus prudentiæ, quibus multitudo gubernatur, quæ quatuor sunt, nempe *regnativa, politica, œconomica et militaris*, de quibus pauca quæ ad institutum nostrum pertinere possunt attingemus.

*De prudentiâ regnativâ.*

Admittendam esse specialem prudentiam pro regibus, ac principibus, agnovit et docuit Aristoteles in 3 Polit. 1 : imò ipsis maximè convenire asseruit, dùm scripsit, *prudentiam esse propriam virtutem principis.* Idem luculentissimè ostendit et probat S. Thomas, art. 1, hoc egregio discursu : « Ad prudentiam perti- « net regere et præcipere; et ideò ibi invenitur spe- « cialis ratio reginiinis, et præcepti in humanis acti- « bus, ubi etiam invenitur specialis ratio prudentiæ. « Manifestum est autem quòd in eo, qui non solùm « seipsum habet regere, sed etiam communitatem « perfectam civitatis vel regni, invenitur specialis et « perfecta ratio regiminis. Tantò enim regimen per- « fectum est, quantò universalis est, ad plura se ex- « tendens, et ulteriorem finem attingens. Et ideò re- « gi, ad quem pertinet regere civitatem vel regnum, « prudentia competit secundùm specialem et perfe- « tissimam sui rationem. Et propter hoc *regnativa* po- « nitur species prudentiæ. » Qui plura de hâc re desiderat, consulat S. Thomam in libris *de Regimine principum*, clarissimum Bossuetium, aliosque auctores, qui hoc argumentum discussère.

*De prudentiâ politicâ.*

X. Q oad hanc prudentiam affert inprimis S. Thomas textum Aristotelis ex 6 Ethic., nempè : *Ejus autem, quæ circa civitatem, hæc quidem, ut architectonica prudentia legis positiva; hæc autem commune nomen habet politica circa singularia existens.* Deindè ita disserit : « Dicendum quòd servus per imperium move- « tur à Domino, et subditus à principante; aliter ta- « men, quàm irrationabilia et inanimata moveantur à « suis motoribus. Nam inanimata et irrationabilia « aguntur solùm ab alio, non autem ipsa agunt se ipsa; « quia non habent dominium sui actûs per liberum « arbitrium. Et ideò rectitudo regiminis ipsorum non « est in ipsis, sed solùm in motoribus. Sed homines « servi, vel quicumque subditi ita aguntur ab aliis per « præceptum, quod tamen agunt seipsos per liberum « arbitrium. Et ideò requiritur in eis quædam rectitu- « do regiminis, per quam seipsos dirigant in obedien- « do principantibus. Et ad hoc pertinet species pru- « dentiæ, quæ politica vocatur. » Unde per prudentiam politicam regit se homo in ordine ad bonum commune, non autem ad proprium.

*De prudentiâ œconomicâ et militari.*

XI. Hæ quoque duæ sunt prudentiæ species, quarum prima, scilicet *œconomica*, respicit pro objecto rectum reginen propriæ domûs, seque habet medio modo inter unam singularem personam et civitatem, vel regnum. Nam sicut una singularis persona est pars domûs, ita una domus est pars civitatis, vel regni. Et ideò sicut prudentia communiter dicta, quæ unam tantùm personam regit, distinguitur à prudentiâ *politicâ*, ita oportet quòd *œconomica* ab utrâque distinguatur.

Altera verò, nimirùm *militaris* ita explicatur elegantissimè ab eodem sancto præceptore docente : « Ea, « quæ secundùm artem et rationem aguntur, confor- « mia esse oportet his quæ secundùm naturam, quæ « à ratione divinâ sunt instituta. Natura autem ad duo « tendit : primò quidem ad regendam quamcumque « rem in seipsâ; secundò verò ad resistendum extrin- « secis impugnantibus et corruptivis. Et propter hoc « non dedit solùm animalibus vim concupiscibilem, « per quam moveantur ad ea quæ sunt saluti eorum « accommoda, sed etiam vim irascibilem, per quam « animal resistit impugnantibus. Unde et in his, quæ « sunt secundùm rationem, non solùm oportet esse « prudentiam *politicam*, per quam disponantur con- « venienter ea quæ pertinent ad bonum commune; « sed etiam *militarem*, per quam hostium insultus re- « pellantur. »

§ 4. *De vitiis prudentiæ oppositis.*

XII. Antequàm D. Thomas ad vitia, quæ prudentiæ opponuntur, explicanda progrediatur, pulchràm præmittit S. doctoris Augustini sententiam ex lib. 4 contra Julian. his verbis conceptam, videlicet : « Omnibus « virtutibus non solùm sunt vitia manifestà discretio- « ne contraria, sicut prudentiæ temeritas : verùm « etiam vicina quodammodò, nec veritate, sed quàdam « specie fallente similia, sicut ipsi prudentiæ astutia. » Primò ergo, subdit, considerandum est de vitiis quæ manifestam contrarietatem habent ad prudentiam; secundò de vitiis quæ habent quamdam similitudi-

nem falsam cum prudentiâ. De prioribus alibi satis diximus; superest igitur. ut de posterioribus aliqua dicamus.

*De prudentiâ carnis.*

Primum vitium quod quamdam habet veræ prudentiæ similitudinem est *prudentia carnis*, quæ propriè dicitur de eo, qui carnis bona ut ultimum vitæ suæ finem præstituit; atque adeò peccatum esse, et quidem lethale ex suâ naturâ, non est ambigendum, cùm omnis inordinatio circa finem semper grave peccatum sit. Non enim in bonis corporis, sicuti nec in aliquâ re creatâ finis ultimus constituendus est, sed in solo Deo rerum omnium ac præsertim rationalis creaturæ ultimo fine. Scitè autem observat S. Thomas, hìc quæst. 55, art. 1, quòd licet hæc *prudentia carnis* appelletur in divinis Scripturis, quemadmodùm etiam *prudentia mundi*, quia tamen prudentia quodammodò dicitur etiam *sapientia*, ideò secundùm tres tentationes potest intelligi triplex, et quidem unaquæque perversa, prudentia. Unde Jacob. 3 dicitur sapientia esse *terrena*, *animalis* et *diabolica* : *terrena*, quatenùs sibi præstituit fidem in rebus terrenis exterioribus; *animalis*, prout finem collocat in bonis corporalibus; *diabolica* demùm, dùm illum ponit in aliquâ propriâ excellentiâ ad imitationem diaboli, qui ipsum in suâ excellentiâ præfixit. Reliqua de hâc prudentiâ vide loco citato, cap. 2.

*De Astutiâ.*

XIII. *Astutia* aliquando in Scripturis accipitur in bonam partem, ut cùm, Proverb. 13, legitur : *Astutus omnia agit cum consilio;* et 2 Corinth. 12 : *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Non autem hæc propriè dicuntur, sed potiùs abusivè, ut ait S. Augustinus, lib. 4 cont. Julian. Sicut enim prudentia abusivè quandoque in malum sumitur, ita astutia quandoque in bonum. Germanam ejus notionem assignat, hìc art. 3, doctor Angelicus : « Peccatum aliquod potest esse contra prudentiam, habens similitudinem ejus dupliciter: « uno modo, quia studium rationis ordinatur ad finem, « qui non est verè bonus, sed apparens; et hoc pertinet ad prudentiam carnis. Alio modo in quantum « aliquis ad finem aliquem consequendum vel bonum, « vel malum, utitur non veris viis, sed simulatis et « apparentibus. Et hoc pertinet ad peccatum astutiæ. « Unde est quoddam peccatum prudentiæ oppositum, « et à prudentiâ carnis distinctum. » Ad hanc referuntur ea quæ habet S. Gregorius Magnus, lib. 10 Moral. cap. 16, in illud Job, cap. 12 : *Deridetur justi simplicitas,* omnia, quæ ad falsam mundi prudentiam pertinent, complectens, inquiens : « Sapientia hujus mundi « est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera « sunt, falsa demonstrare. Hæc prudentia à juvenibus « scitur, à pueris pretio discitur. » Hanc Apostolus reprobat, 2 Corinth. cap. 4, illis verbis : *Non ambulantes in astutiâ, neque adulterantes verbum Dei.*

Itaque astutia, dùm pressè accipitur, est « excogitatio ingeniosa mediorum, quæ obvia non sunt, apparenter quidem bonorum, sed revera malorum, ac fallacium ad obtinendum finem intentum sive bonum, sive malum cum voluntate ea applicandi. » Adeòque non solùm astutia peccatum est, dùm mala media ordinat ad finem malum, verùm etiam dum eadem ordinat ad bonum. *Non* enim *sunt facienda mala, ut veniant bona.* Peccatum verò mortale, vel veniale est pro ratione medii, quo astutus utitur, vel mali finis, qui intenditur.

*De dolo et fraude.*

XIV. *Dolus* ad astutiam pertinet, sicut etiam *fraus*, et sunt executio illius; quæ si per verba, vel facta contingat, propriè dolus vocatur; fraus verò, si per sola facta. « Sicut dolus, inquit S. Thomas, hìc art. 5, consistit in executione astutiæ, ita etiam et fraus. Sed « in hoc differre videntur, quòd dolus pertinet universaliter ad executionem astutiæ, sive fiat per « verba, sive per facta; fraus autem magis propriè « pertinet ad executionem astutiæ, secundùm quod fit « per facta. » Observat autem in resp. ad 2, quòd executio astutiæ sive per dolum, sive per fraudem fieri potest mediante aliquo alio vitio, sicut et executio prudentiæ sit aliquando mediante aliâ virtute; et hoc modo nihil prohibet, quòd ea executio pertineat ad avaritiam, illiberalitatem, etc. Tunc autem astutia peccatum lethale semper est, si vitium illud, aut executio eo vitio peracta sit lethale peccatum.

*De sollicitudine rerum temporalium.*

XV. Inter vitia quæ veræ prudentiæ opponuntur, licet ejus quamdam similitudinem præferant, reponit S. præceptor, art. 6, nimiam sollicitudinem rerum temporalium, sicut et, art. 7, sollicitudinem futurorum. Priorem explicat, quid sollicitudo sit, inprimis definiens, nempe *studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum.* Tum verò docet quot modis ea illicita fiat; nimirùm primò *ex parte rei*, circa quam sollicitudo versatur, *si* nempe *temporalia tanquàm finem quæramus.* Unde et S. Augustinus in lib. de Oper. Monach. cap. 26, ait : « Cùm Dominus dicit : *Nolite « solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid « bibemus, aut in quo operiemur;* hoc dicit, ut non ista « intueantur, et propter ista faciant, quidquid in Evan« gelii prædicatione facere jubentur. » Alio modo illicita potest esse sollicitudo rerum temporalium propter superfluum studium, quod in temporalibus procurandis impenditur : propter quod homo avocatur à spiritualibus, quibus principaliùs inservire debet. Et ideò dicitur, Matth. 13, quòd *sollicitudo seculi suffocat verbum Dei.* Tertiò tandem illicita fit *ex parte superflui timoris,* quoties videlicet aliquis timet, ne agendo quod agere tenetur, sibi necessaria deficiant. Quod Dominus in Evangelio tripliciter removet, primò propter majora beneficia homini præstita divinitùs præter suam sollicitudinem, scilicet corpus et animam; secundò propter curam, quâ Deus animalibus et plantis etiam subvenit absque humano subsidio, juxta naturæ suæ proportionem; tertiò ex divinâ providentiâ, ob cujus ignorantiam Gentiles circa temporalia bona quærenda sollicitudinem gerunt. Ex quo Christus Dominus con-

cladit, quòd principaliter sollicitudo nostra versari debeat circa bona spiritualia, sperantes à Deo, quòd etiam temporalia bona haud nobis defutura sint, si ea, quæ præstare debemus, non prætermiserimus. Sollicitudo ergo de rebus temporalibus moderata non prohibetur; sed nimiam et immoderatam de rebus hisce gerere, vitium est omninò vitandum. Unde S. Augustinus, lib. 11 de serm. Dom. in monte, cap. 18, expendens de re hâc aliqua Scripturarum loca, quæ sibi invicem adversari videntur, docet, « Dominum nos- « trum non hoc improbare, si quis humano more ista « (temporalia), procuret, sed si propter ista Deo mili- « tet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum « acquisitionem intueatur. » Quod et S. Hieronymus animadvertit, dicens : *Labor exercendus est; sollicitudo*, nimia scilicet et immoderata, *tollenda.*

*De sollicitudine futurorum.*

XVI. Hæc sollicitudo, de quâ agit S. Thomas, art. 7, definiri potest, quòd nempe sit *nimis anxia mentis occupatio circa futura, ne scilicet temporalia desint.* Hujus vitii labem ostendit S. doctor his verbis : « Nul- « lum opus potest esse virtuosum, nisi debitis cir- « cumstantiis vestiatur, inter quas una est debitum « tempus secundùm illud Eccles. 8 : *Omni negotio « tempus est et opportunitas.* Quod non solùm in exte- « rioribus operibus, sed etiam in interiori sollicitudine « locum habet. Unicuique enim tempori competit « propria sollicitudo, sicut tempori æstatis competit « sollicitudo metendi; ipsi autumno autem competit « sollicitudo vindemiæ. Si quis ergo tempore æstatis « de vindemiâ jam esset sollicitus, superfluè præoc- « cuparet futuri temporis sollicitudinem. Unde hujus- « modi sollicitudinem tanquàm superfluam Dominus « prohibet dicens : *Nolite solliciti esse in crastinum.* « Unde subdit : *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi « ipsi;* id est, suam propriam sollicitudinem habebit, « quæ sufficiet ad animum affligendum. Et hoc est « quod subdit : *Sufficit diei malitia sua*, id est, afflictio « sollicitudinis. » Facit ad clariorem intelligentiam hujus sollicitudinis futurorum, quæ vel superflua et damnabilis est, vel honesta et laudabilis, auctoritas S. Augustini loco citato cap. 17, ubi ait : *Cum viderimus aliquem servum Dei providere, ne ista necessaria sibi desint, non judicemus eum de crastino sollicitum esse : nam et ipse Dominus propter exemplum locutos habere dignatus est, et in Actibus Apostolorum scriptum est ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Non ergo Dominus improbat, si quis humano more, ista procuret,* etc. Intempestiva itaque nimiaque de futuris eventibus, et cum defectu fiduciæ in divinam providentiam, sollicitudo duntaxat damnanda est.

## CAPUT IV.

### CONSECTARIA.

I. *Prudentia rectè comparatur ad synderesim, sive habitum primorum principiorum practicorum, sicut scientia ad intellectum principiorum speculabilium.* — II. *Providentia inter omnes prudentiæ partes integrales principatum obtinet.* — III. *Quùm impossibile sit homini in hâc vitâ mortali constituto peccavêre omnia mala quæ contingunt, ad hoc homo non tenetur ex virtute ac præcepto.* IV. *Prudentiæ proprium est cavere nedùm à vitiis et à peccati occasionibus, sed etiam ab hominibus quorum probitas non est perspecta.* — V. *Ad prudentiam maximè pertinet cavere à falsis magistris, et conscientiæ directoribus laxas doctrinas tradentibus.* — VI. *Virtus* regnativa *convenientiùs ponitur prudentia quàm justitia.* — VII. *Quanquàm multi peccatores et impii providi sint in gubernatione propriæ familiæ, non est tamen in eis admittenda illa prudentia, quæ dicitur* œconomica. — VIII. *Prudentia carnis, fraus, dolus,* etc., *ex avaritiâ potissimùm originem trahunt.* — REFLEXIO.

CONSECTARIUM PRIMUM. — Prudentia congruè à S. Thomâ comparatur ad synderesim, sicut scientia comparatur ad intellectum principiorum. Quemadmodùm enim scientia versatur circa conclusiones rationis speculativæ, ita prudentia circa conclusiones rationis practicæ. Et sicut nobis naturaliter indita sunt principia speculabilium, à quibus intellectus procedit ad conclusiones speculativas; sic etiam naturaliter nobis sunt operabilium principia, à quibus intellectus procedit ad conclusiones practicas. Synderesis, ex. gr., versatur circa hæc principia : *Bonum est faciendum, malum fugiendum, ordo in rebus servandus, Deus colendus, æterna transitoriis præferenda;* quæ et id genus alia à S. Augustino vocantur *regulæ incommutabiles et semina virtutum.* Prudentia autem versatur circa conclusiones practicas quæ ex illis inferuntur, et circa actiones quæ sunt in singularibus, et iis consentaneæ sunt.

CONSECTARIUM II. — Quanquàm multæ sint *pruaentiæ* partes ad ejus integritatem pertinentes, omnibus tamen præeminet ea quæ dicitur *providentia*, à quâ prudentia ipsa veluti nomen accepit. Quoniam, ut sapienter animadvertit S. Thomas hìc quæst 49, art. 6, ad 1, « quandocumque multa requiruntur ad « unum, necesse est unum eorum esse principale, ad « quod omnia alia ordinantur. Unde in quolibet toto « necesse est esse unam formalem partem et prædo- « minantem, à quo totum unitatem habet. Et secun- « dùm hoc *providentia* est principaliter inter omnes « partes prudentiæ, quia omnia alia quæ requiruntur « ad prudentiam, ad hoc necessaria sunt, ut aliquid « rectè ordinetur in finem. Et ideò nomen ipsius pru- « dentiæ sumitur à *providentiâ*, sicut à principaliori « suâ parte. » Quapropter de illâ permaximè curam habere debemus, ut prudenter agamus.

CONSECTARIUM III. — Impossibile quidem est homini mortali præcavere mala omnia quæ in hâc vitâ contingere possunt; neque ad hoc homo tenetur ex virtute prudentiæ. Sed tamen distinguere necesse est cum D. Thomâ, hìc art. 8, ad 3, mala quæ vitanda occurrunt. Quædam enim sunt quæ plerumque accidere solent, et talia comprehendi ratione valent. Et contra hæc ordinatur *cautio* quæ prudentiæ pars est, ut omninò vitentur, vel ut minùs noceant. Quædam

verò sunt quæ rarò et potiùs casualiter contingunt. Illæc autem, cùm infinita sint, ratione comprehendi nequeunt, nec homo potest ea præcavere, *quamvis*, subdit S. doctor, *per officium prudentiæ homo contra omnes fortunæ insultus se disponere possit ut minùs lædatur.*

Consectarium IV. — Prudentiæ proprium est non solùm cavere à vitiis et à peccati occasionibus, verùm etiam ab hominibus quorum probitas perspecta non est et explorata, nec temere cuivis credere, etiamsi bonis verbis blandiatur. Quocirca Jeremiæ cap. 9 dicitur : *Unusquisque se à proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet;* et cap. 12 : *Ne credas eis, cùm locuti fuerint tibi bona.* Quod et Michææ 7 dicitur : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce;* et Matth. cap. 7 : *Cavete autem ab hominibus : tradent enim vos in conciliis suis, et in synagogis suis flagellabunt vos.*

Consectarium V. — At præ cæteris maxima adhibenda cautio est in diligendis magistris, confessariis, aut animæ nostræ directoribus, ne scilicet ex eorum numero sint qui doctrinis falsis et blandis conscientias hominum seducunt, et animas per viam latam et spatiosam ducentes, eas in perditionem æternam præcipites agunt. Hinc Christus Dominus, cùm Matth. c. 7 dixisset : *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam : quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* cùm hæc, inquam, dixisset, statim immediatè subjecit : *Attendite à falsis prophetis.* Quod et ipse Apostolus Petrus maximè commendat fidelibus, inquiens Epist. 2, cap. 3 : *Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces.* Quinam sunt hi *pseudoprophetæ*, à quibus attendere; quinam *Magistri mendaces*, quos cavere jubemur, nisi qui homines *non per angustam quæ ducit ad vitam*, sed *per latam et spatiosam, quæ ducit ad perditionem, viam* deducunt, quos multi sequuntur, atque adeò *multi intrant per eam?* Sapiens est P. Elizaldæ p. 2, lib. 6, q. 4, animadversio, in falsis prophetis veteris legis non hæreticos solùm, sed et Catholicos notari, atque eos argui qui falsam morum doctrinam tradunt. *Sciatur*, inquit, *hoc in Ecclesiâ esse magistros falsos et mendaces, quòd in populo Judaico fuêre pseudoprophetæ..... Rursùs, ut Hieronymus observat, prophetarum nomen bonis et malis, veris et falsis commune est.* Præter Hieronymum laudat Augustinum atque Chrysostomum, qui expressè affirmat : *Prophetæ de quibus Christus loquitur, doctores intelliguntur.* His porrò doctoribus ac Prophetis haud fidere populum debere monet Deus per Jeremiam dicentem : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones.* Vide alia quæ de hâc re diximus in consectariis adversùs Probabilismum. Ex quibus omnibus colligere oportet quàm cautè nos gerere debeamus in delectu magistrorum nostrorum ac conscientiæ directorum, ut prudens sit electio nostra, nec hujus defectu æternæ damnationis periculum incurramus.

Consectarium VI. — Præclarè observat S. doctor hìc quæst. 50, art. 1, ad 1, cur virtus *regnativa* ponatur potiùs species *prudentiæ* quàm *justitiæ*, tametsi peculiaris prærogativa regis sit esse *custodem justitiæ*, quia nempe « omnia quæ sunt virtutum moralium pertinent ad prudentiam, sicut ad dirigentem; unde et *recta ratio prudentiæ* ponitur in definitione virtutis moralis. Et ideò etiam executio justitiæ, prout ordinatur ad bonum commune quod pertinet ad officium regis, indiget directione prudentiæ. Unde istæ duæ virtutes sunt maximæ propriæ regi, scilicet *prudentia* et *justitia* secundùm illud Jerem. 23 : *Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terrâ.* Quia tamen dirigere magis pertinet ad regem, exequi autem ad subditos; ideò *regnativa* magis ponitur species prudentiæ quæ est directiva, quàm justitiæ, quæ est executiva. »

Consectarium VII.— Etsi multi sint, ut animadvertit S. Thomas, art. 2, ad 2, peccatores et impii, *qui providi sunt in gubernatione familiæ*, dicendum tamen non est in ipsis esse prudentiam, etiam illam quæ *œconomica* dicitur; quoniam *ad aliqua* quidem *particularia quæ sunt disponenda, possunt providè se habere, sed non ad ipsum totum benè vivere domesticæ conversationis, ad quod præcipuè requiritur vitia virtuosa.*

Consectarium VIII. — Prudentia carnis, astutia, dolus et fraus vitia sunt quæ ex avaritiâ præsertim oriuntur, ut colligitur ex S. Gregorio 11 Moral. cap. 17, cujus rei hanc assignat rationem S. Thomas quæst. 55, art. 8, quia hujusmodi vita quamdam habent cum prudentiâ similitudinem in aliquo rationis actu. Inter alias autem virtutes morales rectæ rationis usus elucet in justitiâ, quæ in appetitu rationali sedem habet, adeòque etiam usus rationis indebitus maximè apparet in vitiis justitiæ oppositis, cui præsertim avaritia adversatur. Et ideò prædicta vitia maximè ex avaritiâ procedunt. Alia ad prudentiam pertinentia consectaria vide tract. citat. cap. 2.

REFLEXIO.

Multi prudentiæ imaginem et umbram gerunt; pauci veritatem. Multi veluti prudentes, imò et prudentissimi laudantur in hoc seculo, qui stulti, imò et stultissimi habentur apud Deum. Quoniam eorum prudentia tota versatur in rebus temporalibus et caducis, non autem in spiritualibus ac æternis; adeòque vel prudentia carnis est, vel prudentia hujus mundi, *quæ*, teste Apostolo, *inimica est Deo*, et *prudentiæ* nomen nequaquàm meretur, sed imprudentiæ potiùs atque stultitiæ. Perpende, quæso, pie lector, veræ, quam dedimus, prudentiæ notionem et characteres; et nullam his inesse prudentiæ veritatem clarè perspicies. Hæc, ut docet doctor Angelicus, circa ea potissimùm versatur, quæ ad finem totius vitæ nostræ ordinantur, Deum scilicet ultimum omnium finem

Hæc de hoc beatissimo fine, sive de actionibus, quibus ad eum perducimur, conciliatur, judicat, præcipit, ne ab illo deflectamus. Hæc, ut ait S. Augustinus, sive potiùs Julianus Pomerius lib. 12 de Vitâ contempl. : *Res spirituales à carnalibus defecatas illustrat, ut homines prudentes ac sapientes imminentia mala prospiciant, simul et caveant, nec putent ulla esse mala, nisi quæ malos efficiunt, et inter fallacia et solida bona, quæ nonnisi sempiterna sunt, discernant.* Hæc demùm, ne omnes hujus excellentissimæ virtutis prærogativas persequar, hominem edocet, ut ex præteritis argumentum sumat ad disponenda futura, ut ex principiis primis atque certissimis congruas conclusiones deducat, ut ea quæ fortassis ignorat, à majorum documentis addiscat, ut benè se habeat in acquirendâ rectâ rerum æstimatione per semetipsum, ut ex iis quæ novit, per ratiocinationem ad alia quæ nescit, procedat; ut ea quæ ordinantur in finem, cum iis comparet quæ circumstant, ne in judicando fallatur. Hæc et alia similia vera prudentia præstat, ut finem quem respicit, et in quem suas dirigere debet actiones, attingat.

At verò, dùm hæc pius lector attentè considerat, ut quænam sint verè prudentiæ officia, percipiat, nonne necesse est ut inde colligat paucos esse qui verè prudentes sint et appellari mereantur: permultos autem qui falsò *prudentes* ac *sapientes* ab hominibus reputantur? Quænam etenim pleraque horum consilia, quænam frequentiora judicia, et quæ exinde consequuntur deliberationes? Nonne de rebus hujus mundi, in quibus finem vitæ suæ constituunt, omnes curas suas atque labores impendunt, quo nempe modo ea quæ carnis sunt assequantur, quibus mediis transitorias, sibi divitias comparent, quibus viis ad dignitates et honores ascendant; et ad hæc et similia bona acquirenda totum animum adjungunt, ingenium, cogitationes, et quandoque etiam fraudes, dolos ac perversas machinationes? Hi planè omnes verâ prudentiâ carent, tametsi prudentes ac sapientes vulgò prædicentur. Neque enim in his prudentia vera consistit; adeòque insipientes potiùs et imprudentissimi dicendi sunt, quia sibi ipsis non consulunt in iis quæ salutem et felicitatem æternam spectant. Sola prudentia vera in justis invenitur, qui solum Deum tanquàm vitæ suæ ultimum finem præstituentes, omnia consilia sua omnesque actiones hùc dirigunt, ut ipsi placeant, et ad vitam illam sempiternam, quam promisit diligentibus se, continenter aspirant. Quanquàm enim industriam illam interdùm non habeant, quâ sibi et aliis providere valeant de omnibus quæ ad vitæ humanæ rationem pertinent, eâ tamen industriâ præditi sunt, quæ sola sufficit ad res salutis æternæ procurandas, eaque sola vera prudentia, non fucata, non apparens, aut imaginaria dici debet, quam Christus Dominus nobis commendat ac præcipit, dùm ait : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.*

Concludamus igitur cum sancti Augustini verbis in Epist 52 ad Macedon. : *In hâc vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Profectò id eligere prudentia est... Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo melius nihil invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid præponimus vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus. Imus autem non ambulando, sed amando; quem tantò habemus præsentiorem, quò eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Tantò proinde homo prudentior erit, quantò amor Dei in corde ipsius purior erit atque perfectior, quoniam charitas, quæ lumen secum splendidissimum defert, clariùs ostendit quid fugere, quid eligere debeamus ad finem ultimum consequendum; quæ media adhibere, quas actiones exequi, et quemnam modum observare, ut viâ rectâ ambulemus in Deum, et ad ipsum omnium virtutum actus ordinemus (1).

## CAPUT V.

### *De fortitudine, et adjunctis virtutibus vitiisque oppositis.*

DOCTRINA.

I. *Fortitudinis definitio ac materia.* — II. *Actus fortitudinis duo : aggredi et sustinere.* — III. *Pericula quæ fortitudo maximè respicit sunt pericula mortis.* — IV. *Quænam sint fortitudinis partes?* — V. *Inter omnes Christianæ fortitudinis actus præstantissimus est martyrium.* — VI. *Aliæ quoque in martyrio virtutes emicant.* — VII. *Quænam ad martyrium conditiones requirantur.* — VIII. *Plures martyrii gradus distinguere oportet, magis minùsve perfectos.* — IX. *Non aggressione, sed passionis tolerantiâ martyrium perficitur.* — X. *Vitia fortitudini opposita paucis exponuntur.* — XI. *De quatuor virtutibus fortitudini adjunctis; ac primùm de magnanimitate et vitiis oppositis.* — XII. *De magnificentiâ, ac vitiis contrariis.* — XIII. *De patientiâ. In quo propriè consistat.* — XIV. *Pulcherrima S. Augustini* de patientiâ *doctrina.* — XV. *Vitia patientiæ opposita.* — XVI. *De perseverantiâ, prout virtus est, et prout speciale quoddam donum Dei.* — XVII. *De vitiis quæ perseverantiæ opponuntur.*

### § I. *Quid sit fortitudo; quænam ejus materia et actus?*

I. Tertia inter virtutes quæ *cardinales* appellantur, *fortitudo* est, de quâ fusè agit per plures quæstiones doctor Angelicus S. Thomas, ex quo pauca tantùm decerpam, quæ ad institutum nostrum pertinere possunt. Hæc dupliciter sumi potest, scilicet prout absolutè importat quamdam animi firmitatem; atque ita inspecta generalis quædam est conditio virtutum omnium; ad omnes quippe requiritur firmiter et immobiliter operari. Secundò verò accipitur, prout exprimit duntaxat firmitatem in sustinendis et repellendis iis in quibus maximè difficile est firmitatem habere, scilicet in gravibus periculis. Unde hæc est ex Tullio

(1) Perbrevis hic in clarissimo Patuzzi occurrit tractatus de *Justitiâ*, quem spontè prætermittimus, quoniam alium de eâdem virtute tractatum multò locupletiorem infra suo loco subjiciemus.

(Edit.)

tradita, et à S. Thomâ probata, 2-2, q. 123, art. 2.

Definitio fortitudinis : *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio.*

Hæc definitio clara satis est ; et ex eâ constat ipsam nedùm esse virtutem, sed etiam virtutem specialem, utpote quæ materiam habet, sive objectum determinatum. Hanc fortitudinis determinatam materiam dividit S. doctor, art. 3, in *mediatam et immediatam.* Posteriorem constituit *in timoribus et audaciis;* priorem autem *in periculis et laboribus,* quia *res periculosæ et actus laboriosi non retrahunt voluntatem à viâ rationis,* nisi vel nimium incutiendo timorem, quo plus æquo formidamus, vel audaciam excitando, quâ immoderatè et imprudenter in eosdem labores ac pericula insurgimus. *Et ideò,* inquit ad 2, *oportet quòd fortitudo sit immediatè circa timores et audacias; mediatè autem circa pericula et labores, sicut objecta prædictarum passionum;* ne videlicet vel nimiùm timendo, vel nimiùm audendo à rationis regulâ deflectamus.

II. Duo numerantur fortitudinis actus, nempe *aggredi et sustinere;* quorum prior honorabilior quidem ac splendidior apparet ; sed alter, utpote difficilior, reipsà præstantior est. Rem demonstrat S. Thomas quæst. laudatâ, art. 6, inquiens : « Fortitudo est ma- « gis circa timores reprimendos, quàm circa audacias « moderandas. Difficilius enim est timorem repri- « mere, quàm audaciam moderari, eò quòd ipsum « periculum, quod est objectum audaciæ et timoris, de « se confert aliquid ad repressionem audaciæ; sed « operatur ad augmentum timoris. *Aggredi* autem per- « tinet ad fortitudinem, secundùm quod moderatur « audaciam; sed *sustinere* sequitur repressionem ti- « moris. Et ideò principalior actus fortitudinis est « sustinere, idest, immobiliter sistere in periculis, « quàm aggredi. »

III. Pericula quæ fortitudo vel aggreditur vel sustinet, sunt præ cæteris pericula mortis, ut hâc eleganti ratione ostendit idem S. Thomas, art. 4 : « Ad virtu- « tem fortitudinis pertinet, ut voluntatem hominis « tueatur, ne retrahatur à bono rationis propter timo- « rem mali corporalis. Oportet autem bonum ratio- « nis firmiter tenere contra quodcumque malum : quia « nullum bonum corporale æquivalet bono rationis. « Et ideò oportet quòd fortitudo animi dicatur quæ « firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis « contra maxima mala, quia qui stat firmus contra « majora, consequens est quòd stet firmus contra mi- « nora; sed non convertitur. Et hoc etiam ad ratio- « nem virtutis pertinet ut respiciat ultimum. Maximè « autem terribile inter omnia corporalia mala est « mors, quæ tollit omnia corporalia bona..... Et ideò « virtus fortitudinis est maximè circa timores pericu- « lorum mortis. » Itaque, ut magis ille thesim suam declarat in resp. ad 1, benè se habet fortitudo in omnibus adversis tolerandis, non tamen ex tolerantiâ quorumlibet adversorum *reputatur homo simpliciter fortis, sed solùm ex hoc quòd benè tolerat etiam maxima mala; ex aliis autem dicitur homo fortis secundùm quid.* Eadem nempe est fortitudo quæ mala omnia difficilia vel aggreditur vel sustinet. Quæ vires exerit contra minora mala, parvâ est ; major perfectiorque efficitur, cùm majoribus sese malis opponit. Tunc verò perfectissimum gradum attingit, quæ parata est malis ipsius mortis sustinendis, quæ malorum omnium terribilius est.

Causa sive *finis* cui servire debet fortitudo periculorum aggressione et perpessione malorum, maximèque mortis omnium terribilium, in bono rationis, seu in honestate et virtute posita est. Id namque exposcit generalis conditio virtutis, quæ rationalem animum benè disponit ad honestatem. Id sibi vendicant proprii fortitudinis, sicut etiam temperantiæ characteres, quorum munus est, ut sentientis appetitûs impetus cohibeant, ne superior animæ pars à bono rationi conveniente declinet. Fortitudinis enim materia seipsa indifferens est. Unde vel perpeti mortem, ut advertit S. Thomas hìc quæst. 124, art. 3, *non est laudabile secundùm se,* solâque honestate, veluti fine, præstitutâ virtutis opus efficitur. Ac demùm cùm bonum duntaxat rationis sit vitâ pretiosius, nemini licet nisi illius causa aggredi aut sustinere pericula mortis, quæ vitam eripit. Hinc fortitudo dicenda non est quæ servit iniquitati, aut bonis delectabilibus ancillatur; solamque ut summum speciem aut similitudinem fortitudinis habet, sed re caret, ac splendore virtutis.

### § 2. *Partes fortitudinis.*

IV. Quænam sint *fortitudinis partes,* assignat idem S. doctor hìc quæst. 128, hâc præclarâ doctrinâ; primùmque statuit nullas esse hujus virtutis partes *subjectivas,* prout est specialis virtus, *eò quòd non dividitur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valdè specialem.* Non aliæ ergo partes assignari valent, nisi *quasi integrales et potentiales* : « *integrales* « quidem, inquit, secundùm ea quæ oportet concur- « rere ad actum fortitudinis ; *potentiales* autem, secun- « dùm quòd ea quæ fortitudo observat circa difficil- « lima, scilicet circa pericula mortis, aliquæ aliæ vir- « tutes observant circa quasdam alias materias minùs « difficiles; quæ quidem virtutes adjunguntur fortitu- « dini, sicut secundariæ principali. Est autem, sicut « supra dictum est, duplex fortitudinis actus, scilicet « *aggredi et sustinere.* Ad actum autem aggrediendi duo « requiruntur, quorum primum pertinet ad animi præ- « parationem, ut scilicet aliquis promptum animum « habeat ad aggrediendum. Et quantùm ad hoc ponit « Tullius *fiduciam;* unde dicit quòd *fiducia est per quam « magnis et honestis in rebus multùm ipse animus in se « fiduciæ* certæ cum spe collocavit. — Secundum au- « tem pertinet *ad operis executionem,* ne scilicet aliquis « deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter in- « choavit. Et quantùm ad hoc ponit Tullius *magnifi- « centiam;* unde dicit quòd *magnificentia est rerum ma- « gnarum et excelsarum cum animi amplâ quâdam et « splendidâ propositione agitatio atque administratio,* « id est, executio, ut scilicet amplo proposito admi- « nistratio non desit. Hæc ergo duo si coarctentur ad « propriam materiam fortitudinis, scilicet ad pericula

« mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine « quibus fortitudo esse non potest. Si autem referan « tur ad aliquas alias materias, in quibus est minùs « difficultatis, erunt virtutes distinctæ à fortitudine se- « cundùm speciem suam, tamen adjungentur ei, sicut « secundarium principali; sicut *magnificentia* à philo- « sopho *in 4 Ethic.* ponitur circa magnos sumptus, « *magnanimitas* autem, quæ videtur idem esse fiduciæ, « circa magnos honores. »

Pergit subinde ad alium actum fortitudinis, qui est *sustinere*, ad quem duo requiruntur : « quorum pri- « mum est, ne difficultate imminentium malorum ani- « mus frangatur per tristitiam, et decidat à suâ ma- « gnitudine. Et quantùm ad hoc ponit *patientiam;* « unde dicit quòd *patientiæ est honestatis aut utilitatis* « *causa, rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac* « *diuturna perpessio.* Aliud autem est, ut ex diuturnâ « difficilium passione homo non fatigetur usque ad « hoc quòd desistat, secundùm illud Hebr. 12 : *Non* « *fatigemini animis vestris deficientes.* Et quantùm ad « hoc ponit *perseverantiam;* unde dicit quòd *perseveran-* « *tia est in ratione benè considerata stabilis et perpetua* « *permansio.* Hæc etiam duo si coarctentur ad propriam « materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales « ipsius. Si autem ad quascumque materias difficiles « referantur, erunt virtutes à fortitudine distinctæ, et « tamen ei adjungentur, sicut secundariæ principali. » Nihil distinctius ac luculentius exprimi poterat.

Ex hâc præclarissimâ doctrinâ habes partes *fortitudinis*, tum prout eam integrant, tum prout eidem adjunguntur. Habes etiam virtutum harum adjunctarum germanam notionem expressam in ipsarum traditis definitionibus. Illud solum addendum puto, *fiduciam, magnanimitatem*, sive magnificentiam, et *perseverantiam* afficere appetitum, qui dicitur *irascibilis*, ejusque passiones cohibere, ne propter operum arduitatem aut nimium effrenes, aut plus æquo deficientes ab arce rationis et officio virtutis animum deturbent. *Patientia* verò benè disponit appetitum qui *concupiscibilis* appellatur; mœrores namque ac tristitias ad hanc animi partem attinentes comprimit ac moderatur, ut hisce passionibus compressis, malisque patienter toleratis, suî compos mens sit, propriaque officia liberiùs operentur cæteræ virtutes.

### § 3. *De martyrio, præcipuo fortitudinis actu.*

V. Inter omnes christianæ fortîtudinis actus præstantissimum esse martyrium tenendum omninò est. Equidem non desunt ex theologis illud esse fortitudinis opus, ac virtutis illius actum constituunt, cujus gratia mors ipsa sustinetur. Sed adversa S. Thomæ meliorumque theologorum sententia est, quibus suffragatur sanctorum Patrum auctoritas, nempe Cypriani Epist. 10 ad Mart. et Confess., Ambrosii lib. 1 de Offic., Chrysostomi hom. 5 in Matth., Augustini lib. 1 de Morib. Eccles. cap. 22 et 23, aliorumque; eamque satis insinuant sacræ litteræ pluribus in locis, maximèque Apostolus ad Hæbreos 11, de martyribus inquiens, fortes factos esse in bello contra fidei persecutores. S. Thomas eam declarat subdetque quæst. 124, art. 2, in resp. ad 1, ubi hæc habet: « In actu fortitudinis duo sunt consideranda, quorum « unum est bonum, in quo fortis firmatur, et hoc est « fortitudinis finis. Aliud est firmitas, quia quis non « cedit contrariis prohibentibus ab illo bono; et in « hoc consistit essentia fortitudinis. Sicut autem for- « titudo civilis firmat animum hominis in justitiâ hu- « manâ, propter cujus conservationem mortis pericula « sustinet; ita etiam fortitudo gratuita (sive christiana) « firmat animum hominis in bono justitiæ Dei, quæ « est per fidem Jesu Christi, ut dicitur ad Rom. 3. « Unde martyrium comparatur ad fidem, ad charita- « tem cæterasque virtutes, sicut ad finem; ad fortitu- « dinem autem, sicut ad habitum elicientem. » Hanc assertionem ita declaratam probat subinde inquiens : « Ad fortitudinem pertinet, ut confirmet hominem in « bono virtutis, et maximè contra pericula, et præci- « puè contra pericula mortis, et maximè ejus quæ « est in bello (quod supra jam demonstraverat). Ma- « nifestum est autem quòd in martyrio firmiter homo « confirmatur in bono virtutis, dùm fidem et justitiam « non deserit propter imminentia pericula mortis quæ « etiam in quodam certamine particulari à persecutori- « bus imminent. » Nemo hæc omnia negaverit; adeòque manifestum est quòd martyrium sit fortitudinis actus, et quidem præcipuus.

VI. Fateor tamen quàm lubenter alias in martyribus etiam emicare virtutes, charitatem, fidem, patientiam, easque omnes quæ ab improbis hominibus impugnari possunt; sed illas omnes vel comites fortitudinis esse, vel se habere tanquàm fines, quibus fortitudo servit, docet S. Thomas. De fide sic disserit ille art. 2, ad 1 : *Fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono justitiæ Dei, quæ est per fidem Jesu Christi, ut dicitur ad Rom. 3; et sic martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem, in quo aliquis confirmatur.* Charitatem locum habere statuit *in resp. ad* 2, his verbis : *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, sicut primum et principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motivum per modum principii elicientis et inde est, quod martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis. Quòd autem sit meritorius, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus.* Denique in *resp. ad* 3, comitem fortitudinis *patientiam* facit in martyrio; nam principalior actus fortitudinis est *sustinere*, ad quem pertinet martyrium. Et quia *patientia* deservit fortitudini ex parte actûs principalis, qui est *sustinere*, inde est quòd patientia maximè in martyrio commendatur.

### § 4. *Conditiones ad martyrium requisitæ.*

VII. Prima quæ ad martyrium conditio requiritur est status gratiæ, vel idonea et sufficiens ad gratiam dispositio, scilicet *charitas;* ut enim disertissimè docet Apostolus : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hinc qui affectu inhæret ad peccatum mortale, indispositus est ut ei martyrium prosit ad salutem; sola namque

charitas est, quæ sicut cæteros actus nostros, ita et martyrium ipsum reddit æternæ vitæ meritorium.

Conditio altera est perpessio mortis ob professionem fidei, vel alterius virtutis christianæ. *Martyres* enim, inquit S. Thomas hic quæst. 124, *dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Unde et martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Hujusmodi autem est veritas fidei. Et ideò cujuslibet martyrii causa est fidei veritas.* At verò *omnium virtutum opera, secundùm quòd referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam bis innotescit quòd Deus hujusmodi opera à nobis quirit, et nos pro eis remunerat. Et secundùm hoc possunt esse martyrii causa. Unde et B. Joannis Baptistæ martyrium in Ecclesiâ celebratur, qui non pro negandâ fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.*

Hoc ampliùs declarat in resp. ad 1. Cùm enim sibi objecisset *Christianum* aliquem ex eo vocari, quòd fidem Christi profitetur, adeò solùm Christi fidem conferre martyrii gloriam, respondet quòd, « Christianus « dicitur qui Christi est. Dicitur autem aliquis esse « Christi non solùm ex eo quòd habet fidem Christi, « sed etiam ex eo quòd spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundùm illud ad Rom. 8 : *Si quis « spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et etiam « ex hoc quòd ad imitationem Christi peccatis moritur, « secundùm illud ad Galat. 5 : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* « Et ideò ut Christianus patitur non solùm qui patitur « pro fidei confessione quæ fit per verba, sed etiam « quicumque patitur pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Christum, quia hoc totum pertinet ad fidei professionem. »

Tertia conditio ad martyrium requisita est pœna mortis à persecutore illata. Equidem multiplici pœnâ carceris, exilii, proscriptionis bonorum, tormentis inchoari martyrium concedendum omninò est; sed illud solâ morte consummari asserimus cum D. Thomâ dicente hic, art. 4 : « Martyr dicitur quasi *testis fidei* « christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus « contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebr. 11. « Ad martyrium ergo pertinet ut homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, ut ad futura et invisibilia bona perveniat. « Quamdiù autem homini remanet vita corporalis, « nondùm se ostendit corporalia cuncta despicere. « Consueverunt enim homines et consanguineos, et « omnia bona possessa, contemnere, et etiam dolores « corporis pati, ut vitam conservent... Et ideò ad « perfectam rationem martyrii requiritur quòd aliquis « mortem sustineat propter Christum. »

### § V. *Plures martyrii gradus distinguuntur.*

VIII. Itaque morte martyrium consummatur. Sed quoniam pœnæ quæ propter Christi fidem inferuntur, multiplici modo ad mortem perducunt, plures martyrii gradus distinguere oportet magis minùsque perfectos. Primus ac supremus est, cùm pœna ob Christi confessionem illata mortem infert, eamque sustinet martyr. Gradus alter partes duas complectitur, quæ declarat S. Thomas, lib. 4 sent., dist. 49, quæst. 50, art. 3, his verbis : « Si aliquis propter fidem vulnus « mortale accipiat et supervivat, non est dubium quòd « aureolam meretur, sicut de beatâ Cecilià patet, quæ « triduo supervixit, ac de multis martyribus qui in « carcere sunt defuncti. Et alter, si ex vulnere lethali « suscepto moriatur. Lethale namque vulnus quod « necessariò mortem infert, pro morte ipsâ computatur; quique sustinet lethale vulnus, nedùm desiderio, sed opere externo, mortem pati dicitur, quanquàm eadem suspenditur ad aliquot dies, aut divino « miraculo impeditur. » Tertium gradum tenet martyrium eorum quibus applicata sunt instrumenta quæ vi suâ inferunt lethalem morbum ac lethale vulnus, demùmque mortem, quamvis non solùm mors, sed etiam lethales dispositiones divinitùs impediuntur. Hoc martyrii genus in pueris Hebræis, qui in ardentem fornacem conjecti fuerunt; in Joanne Evangelistâ in olei ferventis dolium immisso, et in aliis à Deo specialiter protectis, commendant sancti Patres. Denique quartus gradus eorum est qui propter Christi confessionem coram tyrannis editam, plagis, cruciatibus, carceribus, bonorum spoliatione affecti, in iisdem vitâ demùm functi sunt; de quibus ait S. doctor : *Qualitercumque afflictio propter Christum illata usque ad mortem continuetur, sive mors inde sequatur, sive non, aliquis martyr efficitur, et aureolam meretur.* Sunt et alii qui licet in nullo ex his gradibus martyrii inveniantur, à Patribus tamen martyrum nomine, sed minùs pressè accepto, celebrantur. Unde nec aureola martyrii à Deo insigniuntur.

IX. Ex his omnibus spontè fluit, non aggressione, sed passione martyrium perfici. Quotquot enim martyrii pressè dicti gradus recensuimus, passionum tolerantiam exhibent, non pugnam, non resistentiam contra tyrannos. Hinc canon 60 concilii Eliberitani prohibet eos in numero martyrum recenseri qui ultrò et non lacessiti idola destruentes occidebantur. Et ratio est, tum quia temeritatem quamdam et præsumptionem redolet, se ultrò ingerere tentationi gravissimæ, cùm potiùs memores nos esse oporteat fragilitatis humanæ, ideòque à Christo jubeamur : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* et non pauci, qui ultrò se ingesserunt, in tormentis defecerint; tum quia, ut ait S. Petrus Alexandrinus canone 9, « scriptum est « in Evangelio Marc. 13 : *Tradent vos in conciliis, et « in synagogis vapulabitis. Tradent*, dixit : non vos ipsos « tradetis; *et ad reges et principes ducemini propter no- « men meum :* non vos ipsos ducetis. » Quod etiam confirmant S. Cyprianus atque ex ipso S. Augustinus lib. 1 cont. Gaudentium cap. 31. Hoc tamen intelligere oportet *citra specialem Spiritûs sancti inspirationem.* Legimus namque de multis sanctis viris ac feminis, quorum exempla nefas est in suspicionem adducere, quòd ultrò se ad martyrium obtulerint, ex

impulsu videlicet Spiritûs sancti, qui aliquandò animum movet supra ordinariam operandi regulam. Occurrere pariter possunt aliquandò circumstantiæ quædam, in quibus se ultrò offerre martyrio laudabile sit: primò nempe ad erigendum animum martyrum in passione deficientium; secundò ut ingentem ruinam fidelibus alioquin imminentem avertamus; tertiò dùm infideles ex hoc convertendos prævidemus, vel fideles alioqui à fide defecturos confirmandos; quartò ut tyranni audaciam, feritatem, ac persecutionis impetum compescamus; quintò demùm quoties id exigat Dei gloria, et causa publica magni momenti.

§ 6. *De vitiis fortitudini oppositis.*

X. De his agit S. Thomas, hìc, quæst. 125, et duabus sequentibus: nos autem cursim attingemus. Primum vitium quod immediatè fortitudini opponitur, *timor* est, sive *timiditas*, quæ posita est in motu quodam animi inordinato, quo quispiam ea mala refugit quæ recta ratio præscribit esse sustinenda; adeò ut illicitum aliquid committere malit, quàm ea sustinere. De hoc timore locutus est Christus, cùm dixit Matth. 10: *Nolite timere eos qui occidunt corpus;* et Apostolus Petrus 1, cap. 3: *Si quid patimini propter justitiam, beati: timorem autem eorum ne timueritis.*

Peccatum esse duntaxat veniale timorem, si consistat in solo appetitu sensitivo, definit S. Thomas art. 3. Si autem ad appetitum rationalem pertingat, tunc veniale esse vel mortale docet juxta qualitatem delicti quod ex eo timore homo committit, vel paratus est committere. Hinc qui ex tormentorum timore fidem, cùm debet, non profitetur coram tyranno, graviter peccare dubium non est.

Vitium alterum fortitudini oppositum vocatur à S. Thomâ *intimiditas*, et vocari etiam solet *vacuitas timoris:* quâ nempe quispiam mortis aliorumve malorum pericula non timet, ubi, quando vel quomodò timere oportet; quod procul dubio est contra rectam rationem. Sicut enim vitam temporalem, eaque quæ illi conservandæ necessaria sunt, amare debemus; ita, quæ his adversantur, fugere ac timere, quoties et quomodò fugienda sunt. Hujus vitii sive motûs inordinati causa triplex esse solet, scilicet 1° *superbia*, quâ quis talem ac tantam de seipso æstimationem habet, ut neminem putet ipsi posse nocere, juxta illud prophetæ Abdiæ: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: quis detrahet me in terram?* 2° *Defectus rationis*, sive stoliditas mentis, ob quam quispiam non percipit quibus periculis aut damnis sit obnoxius; ideòque securus manet omnium malorum, atque eorum etiam in quæ facillimè incidere valet. Nam, ut ait Salomon, Proverb. 24: *Sapiens timet et declinat à malo; stultus transilit, et confidit.* Tertia causa est quòd quis vitam aliaque vitæ bona negligat, aut minoris quàm par est æstimet. Qui enim aliquid parvi æstimat, illud amittere non pertimescit. Est autem hoc vitium peccatum mortale, si aut ex causâ mortaliter peccaminosâ proveniat, aut propter illud magno se periculo mali incurrendi exponat sine justâ causâ; peccatum tamen non est distinctum ab eo unde provenit, vel cui se temerè exponit.

Tertium vitium huic cognatum, quod fortitudini opponitur, est *audacia;* quæ non hìc sumitur, prout simpliciter quædam passio est, sed quatenùs importat excessum passionis illius, quâ aliquis nimiùm sibi præfidit in periculis invadendis aut aggrediendis. Unde cùm rectè rationis regulam excedat, procul dubio vitiosa est, atque adeò peccatum; cùmque importet immoderantiam circa materiam fortitudinis, ad [illegible]m pertinet moderari audacias, consequens est [illegible]d eidem opponatur.

§ 7. *De virtutibus fortitudini adjunctis.*

XI. Quatuor esse virtutes fortitudini adjunctas, jam ex D. Thomâ notavimus, quas ipse pluribus quæstionibus declarat atque illustrat; nempe *fiduciam*, sive *magnanimitatem*, hanc enim *fiduciæ* nomine intelligit; *magnificentiam*, *patientiam* et *perseverantiam*; ex quibus pauca, quæ ad legitimam eorum notionem hauriendam conferre queunt, delibabimus. Ac primùm

*De magnanimitate.*

« *Magnanimitas*, inquit S. præceptor hìc quæst. « 129, art. 1, ex suo nomine importat quamdam ex- « tensionem animi ad magna. Consideratur autem « habitus virtutis ad duo: primò ad materiam, circa « quam operatur; alio modo ad actum proprium, qui « consistit in debito usu talis materiæ. Et quia habitus « virtutis principaliter ex actu determinatur, ex hoc « principaliter dicitur aliquis *magnanimus*, quia habet « animum ad aliquem magnum actum. Aliquis autem « actus potest dici dupliciter *magnus:* uno modo, se- « cundùm proportionem; alio modo, absolutè. *Magnus* « quidem potest dici actus secundùm proportionem, « etiam qui consistit in usu alicujus rei parvæ vel « mediocris; puta, si aliquis illâ re optimè utatur. « Sed simpliciter et absolutè *magnus* actus est qui « consistit in optimo usu rei maximæ. Res autem quæ « in usum hominis veniunt, sunt res exteriores, inter « quas simpliciter maximum est honor, tùm quia pro- « pinquissimum est virtuti, utpote testificatio quæ- « dam existens de virtute alicujus; tum etiam quia « Deo et optimis exhibetur; tum etiam quia homines « propter honorem consequendum et vituperium vi- « tandum, alia omnia postponunt. Sic autem dicitur « aliquis *magnanimus* ex his quæ sunt magna abso- « lute et simpliciter, sicut dicitur aliquis *fortis* ex his « quæ sunt difficilia simpliciter. Et ideò consequens « est quòd magnanimitas consistat circa honores. » Hæc ille, magnanimitatis notionem disertissime exponens. Magnanimitatem esse virtutem et quidem specialem ostendit deinde art. 3 et 4. Et quidem virtutem esse ex ideâ virtutis elucet, quoniam *ad rationem virtutis humanæ pertinet, ut in rebus humanis bonum rationis servetur, quod est proprium hominis bonum. Inter cæteras autem res humanas exteriores honores præcipuum locum tenent; et ideò magnanimitas, quæ*

*modum rationis ponit circa magnos honores, est virtus.* Quòd autem non communis virtus sit, sed specialis, liquet ex eo quòd ad specialem virtutem requiratur, ut modum rationis constituat in aliquâ determinatâ materiâ. Hoc autem magnanimitati convenire compertum est; modum siquidem rationis constituit circa materiam determinatam, scilicet circa honorem, qui secundùm se consideratus, bonum quoddam peculiare est. Quia tamen honor est cujuslibet virtutis præmium, ideò ex consequenti ratione suæ materiæ respicit etiam omnes virtutes. Vitia quæ huic virtuti opponuntur per excessum sunt *præsumptio*, quæ est nimia confidentia quâ quis ea aggreditur quæ vires suas excedunt; *ambitio*, quæ consistit in appetitu inordinato honoris, cùm scilicet aliquis honores nec oblatos nec debitos appetit, vel ad eos mediis illegitimis pervenire nititur, aut etiam illegitimè oblatos aut minimè debitos affectat ac suscipit; *inanis gloria*, scilicet immoderata gloriæ cupiditas, contra rationis legisque divinæ ordinem, de quâ alibi. Per defectum autem opponitur *pusillanimitas*, quæ vitium est quo quis res magnas, quibus gerendis est aptus, aut magnos honores, quibus dignus est, legitimè oblatos, ex animi parvitate et nimiâ dejectione refugit, vel auctoritatem suam, dignitatem, honorem, privilegia tueri negligit, quatenùs ad Dei gloriam et commune bonum id necessarium et utile est.

*De magnificentiâ.*

XII. Proxima magnanimitati virtus *magnificentiæ* est, quæ ad magna opera in exteriori materiâ magnis sumptibus perficienda juxta rationis ac divinæ legis regulam animum inclinat. Hæc duplex est, publica scilicet et privata. Publica, cùm ad publicos usus magni sumptus conferuntur; idque vel ad usus pios, veluti ad sacrificia et publicas preces, cujusmodi sunt extructio et dotatio templorum, fundatio monasteriorum, collegiorum, xenodochiorum, etc.; vel ad usus politicos, reipublicæ nimirùm augendæ, conservandæ aut decorandæ causâ, ut ædificatio horreorum publicorum, armamentarii, fori, portarum murorum civitatis, instructio classis, vel navium bellicarum, ad rempublicam defendendam ejusque gloriam promovendam. Privata magnificentia est, cùm magnifica munera alicui privato tribuuntur, vel magnificè fiunt quæ ad proprium usum vel dignitatem pertinent, quatenùs id exigit gradus proprius aut conditio. Quanquàm enim vir magnificus in his quæ propriam personam spectant, sumptus moderetur, quia bonum privatum magnum non est, si quid tamen in his quæ ad proprium gradum aut dignitatem pertinent, magnum videatur; id etiam exequitur *magnificè* in his præsertim operibus quæ debent esse diuturna. Et quia, ut ait S. Thomas, art. 2, ad 3, « nullus finis humanorum operum « est adeò magnus, sicut honor Dei, ideò magnificentia præcipuè magnum opus facit in ordine ad Deum. « Undè Philosophus 4 Ethic. dicit: *Honorabiles sumptus sunt maximè qui pertinent ad divina sacrificia.* Et « circa hoc maximè studet magnificus; et ideò magnificentia conjungitur sanctitati, quia præcipuè « ejus effectus ad religionem sive sanctitatem ordinatur. »

Huic virtuti per defectum vitium opponit S. Thomas quæst. 135, quod parvificentiam vocat: quâ pecuniæ nimius amator deficit à rectâ proportione quam ratio decori exigit inter sumptus et opus quod peragendum est; aut minùs elargitur, quàm personæ vel ejus dignitati conveniat. *Magnificus* videlicet primariò intendit magnitudinem operis; secundariò autem magnitudinem sumptûs, quam non refugit, ut magnum opus perficiat. *Parvificus* è contra præcipuè sumptûs parvitatem intendit, ex consequenti verò parvitatem operis, quam non recusat. Hoc vitium, ut animadvertit S. Thomas, veniale plerùmque peccatum est. Fieri tamen ex aliquâ circumstantiâ potest mortale, putà si aliquis ratione voti, aut juramenti, etc., ad magnum sumptum faciendum obstrictus fuerit. Vitium autem quod magnificentiæ opponitur per excessum, appellatur ab eodem S. Thomâ *consumptio*, quæ aliud non est, nisi indecora et inepta, sive nimia sumptuum profusio; et in eo consistit quòd quispiam excedat proportionem, quæ debet esse, sumptuum ad opus decore perficiendum, veluti si ad opus magnum sumptus augeat, supra quàm vel res poscat vel decorum patiatur; aut si ad res parvas magnos sumptus impendat. Quod vitium ex genere suo veniale peccatum est, sed non rarò mortale evadit, ut quando quis ineptè sua bona consumit ob inanem gloriam mortalem, aut quando deberet vel creditoribus pro solutione debitorum, vel pauperibus in necessitate existentibus sua bona tribuere; sicut etiam quando ob hoc grave aliis detrimentum infert.

*De patientiâ.*

XIII. Inter virtutes fortitudini adjunctas cæteris eminet *patientia*. Cùm enim duplex sit fortitudinis actus, *aggredi* scilicet et *sustinere*, hic utpotè altero difficilior, ita quoque nobilior est atque præstantior. Ea definitur à Tullio *honestatis aut utilitatis causâ, rerum arduarum et difficilium voluntaria ac diuturna perpessio;* à S. Augustino autem lib. de Patient. cap. 2, virtus quâ *mala æquo animo toleramus, ne animi bona deseramus per quæ ad meliora perveniamus.*

Hanc virtutem inter excellentiores magisque necessarias computari quis dubitet, dum legit Scripturas eam maximoperè commendantes, ejusque necessitatem in hâc mortali ac miserâ vitâ sæpè adstruentes? Sic Christus Dominus, Luc. 21, Apostolis aliisque fidelibus dixit: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras*, quia nempe *possessio*, ut declarat S. Thomas quæst. 136, art. 2, ad 2, importat *quietum dominium; et ideò per patientiam dicitur homo suam animam possidere, in quantum radicitùs evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur.* Hinc etiam Jacob. 1 dicitur: *Patientia opus perfectum habet;* quem textum sic egregiè commentatur idem S. Doctor ad 1, dicendo quòd *patientia dicitur habere opus perfectum in adversis tolerandis, ex quibus primò procedit tristitia, quam modera-*

*tur patientia; secundò ira, quam moderatur mansuetudo; tertiò odium, quod tollit charitas; quartò injustum nocumentum, quod prohibet justitia. Tollere enim principium uniuscujusque est perfectius.* Hinc etiam à S. Gregorio Magno hom. 15 in Evang. patientia vocatur *radix et custos omnium virtutum*, quatenùs removet tristiam, quæ impedit ne virtutes in nobis causentur et conserventur.

XIV. S. Augustinus, qui *de patientiâ* integrum librum edidit, aliqua observat scitu admodùm necessaria; ac inter alia veram et christianam patientiam, quæ sola virtus est, docet, cap. 6, esse distinguendam à falsâ ex causâ patiendi : *Quando causa*, inquit, *bona est, tunc ista* (patientia scilicet) *vera est; quando illa non polluitur cupiditate, tunc à falsitate ista distinguitur. Cùm verò illa tenetur in crimine, tunc hujus multùm erratur in nomine. Non enim, sicut omnes qui sciunt sunt participes scientiæ, ita omnes qui patiuntur sunt participes patientiæ; sed qui passione rectè utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur.* Unde Christus non omnes *qui persecutionem patiuntur* beatos prædicat, sed qui *patiuntur propter justitiam.*

At præstat audire quæ etiam habet sanctus Pater cap. 9 et 10 : « Quamvis patientia virtus sit animi, « partim tamen eâ utitur animus in seipso, partim verò in corpore suo. In seipso utitur patientiâ, quando « illæso et intacto corpore aliquid quod non expediat « vel non deceat facere aut dicere, quibuslibet adversitatibus aut fœditatibus rerum seu verborum stimulis incitatur; et patienter mala omnia tolerat, ne « ipse mali aliquid opere vel ore committat. Per hanc « patientiam sustinemus, etiam dùm corpore sani sumus, quòd inter hujus seculi scandala beatitudo nostra differtur. Unde dictum est : *Si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Hâc patientiâ S. David opprobria conviciantis toleravit; et, « cùm facilè posset ulcisci, non solùm non fecit, verùm « et alium pro se dolentem commotumque compescuit, « et potestatem regiam magis adhibuit prohibendo « quàm exercendo vindictam. Hanc patientiam Domi« nus docuit, quando commotis zizaniorum permixtione servis, et volentibus ea colligere, dixit respon« disse patremfamiliâs : *Sinite utraque crescere usque « ad messem.* Oportet enim patienter ferri quod festinanter non oportet auferri. Hujus et ipse patientiæ « præbuit et demonstravit exemplum, quando ante « passionem corporis sui discipulum suum Judam, « priusquàm ostenderet traditorem, pertulit furem. »

« Alius est patientiæ modus, quando ipse animus « quæcumque molesta et gravia in sui corporis pas« sionibus perfert, non sicut stulti, vel maligni ho« mines propter adipiscenda vana, vel scelera per« petranda, sed, sicut à Domino definitum est, *propter « justitiam.* Utroque modo sancti martyres certave« runt. Nam et impiorum opprobriis saturati sunt, « ubi animus corpore intacto quasdam veluti plagas « suas integer sustinet; et in corporibus vincti sunt, « inclusi sunt, fame ac siti affecti sunt, torti sunt, secti « sunt, dilaniati sunt, incensi sunt, trucidati sunt; et « pietate immobili subdiderunt Deo mentem, cùm « paterentur in carne quidquid exquirenti credulitati « venit in mentem. » Et alia plura ibi persequitur de hoc argumento S. Doctor. Patientiam hanc, quæ verè christiana patientia est, haberi non posse sine auxilio gratiæ, eleganti ratione probat ex eodem Augustino S. Thomas, hìc art. 3, quoniam, ut ille ait, *vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum; et nemo, nisi pro eo quod delectat, spontè suscipit ferre quod cruciat.* Nam tristitiam et dolorem, subjicit Angelicus, secundùm se abhorret animus. Unde nunquàm ea perpeti eligeret propter se, sed solùm propter finem. Unde oportet quòd illud bonum, propter quod aliquis vult mala perpeti, sit magis volitum et amatum, quàm bonum illud cujus privatio ingerit dolorem, quem patienter toleramus. Quòd autem aliquis bonum gratiæ præferat omnibus naturalibus bonis, ex quorum amissione dolor causari potest, ad charitatem pertinet, quæ Deum super omnia diligit; atque adeò patientia, prout virtus est, à charitate causatur, quæ nonnisi per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Unde sine gratiæ auxilio sicut non habetur charitas, ita neque christiana patientia.

XV. Patientiæ duo vitia opponuntur, sicut et cæteris virtutibus, per excessum, et per defectum; nimirùm insensibilitas, et impatientia. Vitiosa quippe insensibilitas est; humanæque rationi dissentaneum, nec propriis malis tangi, nec alienis, cùm id duritiei indicium sit, veræque amicitiæ et vitæ politicæ indecorum. Vitiosa quoque impatientia, quâ quis nimirùm dolet, aut queritur de malis, quæ ipsum circumveniunt aut ex hominum pravitate, aut ex hujus calamitosæ vitæ conditione; vel etiam propter ea sive à fide Christi, sive à recto virtutis tramite deflectit; quod sæpè contingit in iis præsertim, qui hujus vitæ bonis nimio amore affecti sunt.

*De perseverantiâ.*

XVI. Quarta tandem fortitudini adjuncta virtus perseverantia est, quæ dupliciter accipitur à theologis, et ab eorum principe S. Thomâ; scilicet prout virtus, et prout peculiare donum Spiritûs Sancti. Prout virtus consideratur à S. Thomâ, hìc quæst. 137, licet etiam eam prout donum consideret, præsertim art. 4. Virtutis perseverantiæ definitio hæc esse potest, nimirùm *habitus per quem homo firmum propositum gerit persistendi in opere bono ad usque illius consummationem; ac reipsâ persistit, non obstantibus molestiis, ac difficultatibus ex actûs diuturnitate provenientibus.* Hanc esse specialem virtutem constat ex speciali objecto, quod inspicit ipsa; nempè boni operis peragendi diuturnitatem, et timorem defatigationis, quem moderatur et cohibet, tametsi pro materiâ respicere possit quarumlibet virtutum actus, in quibus eligit constanter permanere. De hâc decernit S. Thomas, art. 2, ipsam fortitudini adnecti veluti secundariam principali; art. verò 3, constantiam ad perseverantiam pertinere; ac demùm art. 4, ubi quærit, « an « perseverantia indigeat auxilio gratiæ? » ita respon-

det : « Perseverantia dupliciter dicitur; uno modo, « pro ipso habitu perseverantiæ, secundùm quòd est « virtus; et hoc modo indiget dono habituali gratiæ, « sicut et cæteræ virtutes infusæ. Alio modo, potest « accipi pro actu perseverantiæ durante usque ad mor- « tem. Et secundùm hoc indiget non solùm gratiâ « habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, conser- « vantis hominem in bono usque ad finem vitæ. « Quia cùm liberum arbitrium de se sit vertibile, et « hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsen- « tis vitæ, non subest potestati liberii arbitrii etiam « per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono « statuat, licet sit in potestate ejus, quòd hoc eli- « gat. Plerùmque enim cadit in nostram potestatem « electio, sed non executio. » De hoc sæpè agit S. Augustinus, ac præcipuè in lib. de Dono perseverantiæ; et concilium Arausicanum tanquàm Ecclesiæ dogma definivit, cap. 10 : *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Concilium etiam Tridentinum, sess. 6, can. 22, anathema tulit in omnes qui oppositum asseruerint, inquiens : *Si quis dixerit justum vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Sed de his theologi de Scholâ in Tract. de Gratiâ.

XVII. Duo vitia perseverantiæ sunt opposita : alterum per defectum, scilicet animi mollities; alterum per excessum, videlicet pertinacia, seu pervicacia. Mollities vitium est, quo quis ex amore voluptatis, seu vitæ mollis et delicatæ consuetudine, labores ac difficultates bonorum operum sustinere refugit; quod vitium frequentissimum est inter homines, adeòque pauci sunt, qui in bono opere perseverent. Pertinacia est vitium, quo quis contra regulam rationis in sententiâ propriâ, rebusque susceptis firmiter persistit, nullâ habitâ ratione difficultatum, aut etiam consilii, vel judicii prudentûm virorum, quæ ab earum prosecutione prohibere meritò deberent. Quod profectò fatuæ superbiæ argumentum est; nam, ut scribit Seneca, lib. 4 de Benef., *non est levitas à cognito, et damnato errore discedere; et ingenuè fatendum est : Aliud putavi, deceptus sum. Hæc verò superba stultitia perseverantia est : Quod semel dixi, qualecumque est, firmum ratumque sit. Non est turpe cum re mutare consilium.*

## CAPUT VI.

### CONSECTARIA.

I. *Omnia virtutum opera, prout quædam sunt protestationes fidei, possunt esse martyrii causa.* — II. *Martyres vocandi non sunt, qui moriuntur in bello contra infideles.* — III. *Non omnis tamen resistentia, sive contra pugnatio palmam martyrii eripit.* — IV. *Martyria charitatis, castitatis, mortificationis, compassionis, etc., minùs propriè hoc nomine decorantur.* — V. *Hinc falsitatis convincitur sententia Raynaudi, aliorumque aureolam martyrii tribuentium iis qui immoriuntur inserviendo pestilentiâ afflatis.* — VI. *Licet laudabile absolutè non sit honorem appetere, quibusdam tamen in casibus laudabile esse potest.* — VII. *Audiendi non sunt aliqui Casuistæ, qui sicut propter voluptatem, ita et propter honorem, in eo sistendo, nos agere posse existimant.* — VIII. *Magnanimitas nullatenùs adversatur humilitati.* — IX. *Perperàm ab aliquibus magnanimitas cum præsumptione confunditur.* — X. *Doctrina S. Thomæ ad veram ambitionis notionem habendam, prout magnanimitati opponitur.* — XI. *Non quivis honoris contemptus laude dignus est; sed ille qui rectâ ratione regulatur.* — XII. *Non omnes qui dura et adversa perferunt, Christianæ patientiæ virtute potiuntur.* — *Reflexio.*

CONSECTARIUM PRIMUM. — Omnia virtutum opera possunt esse martyrii causa, prout sunt protestationes quædam fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus hujusmodi opera à nobis requirit. At observatione dignum est, non omnem virtutum relationem ad Deum, ut ad finem duntaxat, satis esse, ut opera virtutum sint fidei protestationes et causa martyrii; sed requiri relationem earumdem in Deum revelantem, quem videlicet fide credimus, opera virtutum à nobis exposcere, nosque pro eis remunerari. Hinc martyres dicendi non sunt, qui pro amicitiâ, pro bono communi, pro castitate, etc., mortem aliquando subeunt, tametsi sibi suæque morti gloriam Dei finem præfigant.

CONSECTARIUM. II. — Cùm non aggressione, sed passione martyrium perficiatur, martyres vocandi minimè sunt milites, qui etiam pro fidei defensione cum purâ intentione dimicant, si in ejusmodi bello à Muhamedanis, Hebræis, aliisque vel hæreticis, vel infidelibus occidantur. Licet enim plurimùm ob piam hanc intentionem mereantur, non tamen ut martyres ab Ecclesiâ reputantur; quia magis quærunt infideles occidere, quàm ab ipsis necem pati. Hinc cùm Phocas et Nicephorus imperatores magno studio contenderent ut milites, quos in bello adversùs fidei hostes interfici contigisset, in martyrum albo ponerentur, restiterunt Orientis episcopi, asserentes minimè his hujusmodi nomen convenire; pluresque causas produxerunt, quibus à suo proposito principes illos revocârunt, ut narrat Baronius.

CONSECTARIUM III. — Nihilominùs non omnem resistentiam, sive contra pugnationem martyrii palmam eripere, docet D. Thomas in 4, dist. 49, q. 5, art. 3, ad 11, his verbis : « Cùm quis propter bonum commune « non relatum ad Christum mortem sustinet, aureolam « non meretur. Sed si hoc referatur ad Christum, aureo- « lam merebitur, et martyr erit, utpote si rempublicam « defendat ab hostium impugnatione, qui fidem Christi « corrumpere moliuntur, et in tali defensione mortem « sustineat; » ubi planè tolerantia mortis conjuncta est justæ defensioni, quæ sine aliquâ aggressione non habetur. Sed declarat ille præterea aggressionem non ideò fieri debere ut vita propria defendatur, sed ut fides Jesu Christi ab hostibus impugnata vindicetur, licet eâdem aggressione defensio quoque fiat propriæ vitæ tanquàm necessariæ ad pugnandum pro fide et Ecclesiâ. Quo in casu etiam cæteræ quas pro martyrio recensuimus, conditiones deesse non debent.

Consectarium IV. — Martyria charitatis, mortificationis, castitatis, compassionis, et si qua sunt alia, martyria minùs propriè dici debent, et per solam similitudinem. Disertam de re hâc habemus S. Thomæ sententiam, 2-2, quæst. 124, art. 4, ad 1, ubi verba quædam Hieronymi, vel potiùs Sophronii, aut certè alterius antiqui scriptoris Mariam Virginem martyrem appellantis, et Gregorii Magni martyrium in pace quâ fruimur, extra persecutionis occasionem agnoscentis, expendens, ait : « Illæ auctoritates, et si quæ similes « inveniuntur, loquuntur de martyrio per quamdam « similitudinem. » Verùm rem hanc declarat ampliùs, lib. 4, dist. 49, q. 5, art. 3, docens martyrium Mariæ Virginis propriè dici non posse; siquidem corporis passio, veritas fidei, vel morum impugnata, confessio ejusdem, persecutio in odium Christi mota martyrem faciunt; quæ omnia desunt passioni Mariæ, quæ spiritu, non corpore passa est, nullum fidei vel morum veritatis, quam negare cogeretur, testimonium edidit, nec Judæorum contra semetipsam persecutiones sustinuit. Præterea, quos ipsa perferebat, dolores non inferebat persecutor exterior, sed amor interior, qui unione affectivâ eam in Christum dilectum transformando, Christi ærumnas et plagas ejus corpori impositas in Mariæ spiritum transferebat, faciebatque compatientem martyri Christo, non verè ac propriè martyrem.

Consectarium V. — Si quæ modò observata sunt, diligenter perpendantur, perspicuè apparet falsitas sententiæ, quam acriter defendit Theophilus Raynaudus in suo libro de Martyrio per pestem; eamque etiam tradidère Cornelius à Lapide, aliique, quibus placet eos qui purè ex christianâ charitate immoriuntur ministerio lue affectorum, esse absque improprietate ullâ verè martyres, dignosque martyrii aureolâ. Hanc, inquam, sententiam constat essè falsam, et noviter in Ecclesiam invectam; et similitudinem quidem martyrii hujusmodi sanctis viris, qui heroïcum charitatis actum exercent, libenter concedimus, sed veritatem ac proprietatem negamus. Nec quidquam aliud addendum existimo ad sententiam hanc refellendam. Satis namque superque sunt, quæ hactenùs fuère disputata.

Consectarium VI. — Non est absolutè laudabile quovis modo appetere honores ac dignitates; sed laudabile fieri interdùm potest, dùm nempe illa appetuntur eo modo, quo recta ratio appetenda esse præscribit; si nempe homo temporales honores appetat ad reipublicæ utilitatem, eosque in se non valdè æstimet, solùmque magni ducat, qui à Deo expectantur. Hinc S. Thomas q. 129, art. 1, ad 3, ait : « Hoc modo « magnanimitas est circa honores, ut videlicet studeat « facere ea quæ sunt magno honore digna, non tamen « sic, ut pro magno æstimet humanum honorem, » et propter hunc operetur.

Consectarium VII. — Quapropter audiendi non sunt aliqui Casuistæ, quos inter Burgabetius, qui sicut docent agere posse hominem propter voluptatem in eâ sistendo, ita etiam propter honorem cum debitâ moderatione quæsitum. Sicut enim appetitus voluptatis et divitiarum propter se illicitus est, prout jam demonstravimus, ita quoque appetitus honoris et gloriæ; docetque S. Augustinus, lib. 5 de Civit. Dei, cap. 13, « saniùs videre, qui et amorem laudis vitium esse « cognoscit. » Nec dubium est, appetitum honoris propter se ad ambitionem pertinere, magnanimitatemque eo ipso desinere esse virtutem, quò magna operatur propter honorem tanquàm finem. « Neque enim « est vera virtus, ut ait idem S. Pater, cap. 12, nisi « quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, « quo melius non est. »

Consectarium VIII. — Non est ullo modo putandum magnanimitatem et humilitatem sibi invicem adversari; quin potiùs amico fœdere consociantur. Quod facilè constat, si utriusque virtutis notiones et characteres apprimè considerentur. Nam, ut egregiè observat S. Thomas, quæst. 129, art. 3, ad 4, « in ho- « mine invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei « possidet, et aliquis defectus qui competit ei ex in- « firmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit, quòd « homo se magnis dignificet secundùm consideratio- « nem donorum, quæ possidet ex Deo. Humilitas au- « tem facit, quòd homo seipsum parvipendat secun- « dùm considerationem proprii defectûs. Similiter « etiam magnanimitas contemnit alios, secundùm quòd « deficiunt à donis Dei; non enim tantùm alios appre- « tiatur, quòd pro eis aliquid indecens faciat. Sed hu- « militas alios honorat, et superiores æstimat, in « quantum in eis aliquid suscipit de dono Dei. Unde « dicitur in Psal. 14, de viro justo : *Ad nihilum dedu- « ctus est in conspectu ejus malignus*, quod pertinet ad « contemptum magnanimi; *timentes autem Dominum « glorificat*, quod pertinet ad honorationem humilis. « Et sic patet quòd magnanimitas et humilitas non « sunt contraria, quamvis in contraria tendere vi- « deantur, quia procedunt secundùm diversas consi- « derationes. » Locupletissimum hujusce rei habemus exemplum in beatissimâ Virgine Mariâ, quæ, salvâ summâ humilitate suâ, agnoscebat ac profitebatur, quòd *fecerit sibi magna, qui potens est;* propter quæ *beatam* ipsam prædicaturæ essent *omnes generationes;* eodemque tempore dicebat, *respexisse Deum humilitatem ancillæ suæ;* in ejusque misericordiam referebat omnia quæ à Deo munificentissimè acceperat.

Consectarium IX. — Ne magnanimitatem, quæ virtus est, cum præsumptione, quæ est vitium ipsi oppositum, ut sæpè fieri solet, confundamus, præ oculis habeamus oportet S. Thomæ doctrinam, quam tradit, hic quæst. 130, art. 2, his verbis : « Magnanimitas « consistit in medio; non quidem secundùm quantita- « tem ejus, in quo tendit, quia tendit in maximum; « sed constituitur in medio secundùm proportionem « ad propriam facultatem; non enim in majora tendit, « quàm sibi conveniant. Præsumptuosus autem quan- « tùm ad id, in quod tendit, non excedit magnani- « mum, sed multùm quandoque ab eo deficit. Excedit « autem secundùm proportionem suæ facultatis, quam « magnanimus non transcendit. Et hoc modo opponi- « tur præsumptuo magnanimitati per excessum. »

Consectarium X. — Inter vitia quæ magnanimitati opponuntur, ac peculiari digna consideratione sunt, ambitio est, quæ latè vagatur, ac sub specioso virtutis velamine plurimos fallit. Ut itaque ejus deformitas, atque inordinatio clarè detegatur, perpendenda sunt quæ luculenter tradit S. præceptor, quæst. 131, art. 1, cujus verba oculis subjicio, ut germana hujusce vitii notio omnibus pateſiat : « Honor, inquit, importat « quamdam reverentiam alicui exhibitam in testimo- « nium excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem ho- « minis duo sunt attendenda. Primò quidem, quòd « illud, secundùm quod homo excellit, non habet homo « à seipso, sed est quasi quiddam divinum in eo; et « ideò ex hoc non debetur ei principaliter honor, sed « Deo. Secundò considerandum est, quòd illud, in quo « homo excellit, datur homini à Deo, ut ex eo aliis « prosit. Unde in tantum debet homini placere testi- « monium suæ excellentiæ, quod ab aliis exhibetur, « in quantum ex hoc paratur sibi via ad hoc, quod aliis « prosit.

« Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse « inordinatum : uno modo, per hoc quòd aliquis ap- « petit testimonium de excellentiâ, quam non habet; « quod est appetere honorem supra suam proportio- « nem. Alio modo, per hoc quòd honorem sibi cupit, « non referendo in Deum. Tertiò, per hoc quòd appe- « titus ejus in ipso honore quiescit, non referens ho- « norem ad utilitatem aliorum. Ambitio autem impor- « tat inordinatum appetitum honoris. Unde manifestum « est quòd ambitio semper est peccatum. » Ex quibus patet facilè in peccata prolabi, qui honores quærunt ob aliquam ex his inordinationibus, quæ in eorum appetitu inveniuntur. Verùm de hoc argumento infra latiùs dicemus.

Consectarium XI. — Non quivis honoris contemptus ex doctrinâ ejusdem S. Thomæ laudabilis est, sed ille duntaxat qui rectâ ratione regulatur. Meritò enim vituperantur ii qui ita honorem contemnunt, ut nihil ipsum omninò curent, etiam quoties honorem servandum esse ratio præscribit. Quapropter honorem suum cordi habere unusquisque debet, ubi, quando, et quomodò id exigit proximi salus, vel alia ipsius utilitas; item quoties proprii officii conditio hoc requirit, et maximè honor et gloria Dei. Cavendum tamen est, ne quis ita honorem quærat, ut vel bona faciat, vel mala omittat solùm, aut præcipuè propter honorem, qui expectatur ab hominibus.

Consectarium XII. — Ad patientiam, quæ virtus est, minimè pertinet tolerantia malorum, quæ perferunt plures, ut cupiditates suas expleant, vel etiam ut temporalia bona adipiscantur. Ut enim scribit S. August. lib. de Patient. cap. 2, « patientes propriè dicuntur, qui « malunt mala non committendo ferre, quàm non fe- « rendo committere. In illis autem, qui mala susti- « nent, ut mala faciant, nec miranda, nec laudanda « est patientia, quæ nulla est; sed miranda duritia, « neganda patientia. »

REFLEXIO.

Multos ex gentilibus celebravit antiquitas; multos nunc etiam celebrat hominum opinio veluti heroicâ fortitudine spectatissimos viros, quos tamen si penitùs contemplemur, speciem quidem et umbram fortitudinis habuisse aut habere, non rem ipsam ac veritatem, fateri omninò necesse est. Neque enim eorum, quos homines admirantur, fortitudo iis characteribus prædita est, sine quibus, sicut nulla virtus est, ita neque ulla veri nominis fortitudo. Sola christiana Religio veros peperit ac parit hujusce virtutis heroas; sola charitas Christi fecit ac facit; charitas, inquam, illa, quæ sola fortis est, et fortis quidem, testante Scripturâ, *ut mors ipsa*, quæ vincit omnia, quinimò et morte ipsâ fortior. Nam qui corde perfecto Deum amat, nec mortem, nec supplicia etiam terribiliora metuit, sed impavidus corpus suum tyrannis ac tortoribus objicit, ut in eo genus omne crudelitatis exerceant; nec horret flammas ac vulnera, nec in tormentis etiam acerbioribus deficit. *Quis nos separabit*, clamabat ferventissimus ille Dei amator Paulus, *à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.*

Præclaræ hujus, verèque christianæ fortitudinis, quam charitas roboravit firmavitque in atrocioribus suppliciis, eximium exemplum enituit in tot martyribus, qui Ecclesiæ fastos illustrant. Etenim ea nunquàm pertulissent tormenta, quæ non sine ingenti horrore vel legere, vel meminisse fas est, nisi illos Dei charitas ac Spiritûs sancti virtus, ac fortitudo in pœnis solidàssent. Quoniam, ut scribit S. Augustinus, lib. de Patient., cap. 4, « vis desideriorum, quibus ferebantur « in Deum, fecit tolerantiam laborum. Nam nemo, nisi « pro eo quod delectat, spontè suscipit ferre quod « cruciat; » tuncque Dei dilectio (lib. de Nat. et Grat. c. 70) « maxima est in hâc vitâ, quando pro illâ ipsâ con- « temnitur vita. » Hæc est vera fortitudo, quæ in martyribus maximè eluxit, et quam in ipsis tot præconiis concelebrat S. Cyprianus, epist. 8, sic ipsos alloquens : « Quibus vos laudibus prædicem, fortissimi « martyres? Robur pectoris vestri, et perseverantiam « fidei quo præconio vocis exornem? Tolerâstis usque « ad consummationem gloriæ durissimam quæstio- « nem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs suppli- « cia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non « dabant, coronæ dederunt.... Inexpugnabilem fidem « superare non potuit sæviens diù plaga repetita, « quamvis ruptâ compage viscerum, torquerentur in « servis Dei jam non membra, sed vulnera. Quale il- « lud fuit spectaculum Domino! quàm sublime! quàm « magnum !.... Pretiosa mors hæc est, quæ emit im- « mortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coro- « nam de consummatione virtutis. » Easdem quoque martyrum laudes fusè persequitur S. Ephrem Syrus, quas brevitatis gratiâ prætereo.

Sed illud formidandum nobis magnopere est, quo

sanctus iste Pater suam orationem concludit : « Quam « ergo nos, quæso, fratres, in die extremi judicii ex- « cusationem apud Deum habebimus, qui absque ullâ « persecutionis atrocitate, tormentorumque vi chari- « tatem Dei, vitamque nostram usque adeò negligi- « mus, atque tam profundo corporis atque desidiæ « somno demersi sumus ? » Cui concinens S. Grego- rius Magnus, dùm considerat ea quæ pro Christi fide infracto animo, et invictâ fortitudine pertulerunt vel ipsæ tenerrimæ virgines, hom. 11 in Evang., hæc ap- positè subdit : « Rectè per Salomonem dicitur : *Fortis « est ut mors dilectio ;* quia sicut mors corpus interi- « mit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ « charitas occidit. Nam, quem perfectè absorbuerit, « ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. « Nec enim sancta hæc N. mori pro Domino potuisset « in corpore, si priùs à terrenis desideriis mortua non « fuisset in mente. Erectus namque in virtutis culmine « animus tormenta despexit, præmia calcavit. Quid « inter hæc nos barbati et debiles dicimus, qui ire « ad regna cœlestia puellas per ferrum videmus ? quos « ira superat, superbia inflat, ambitio perturbat, lu- xuria inquinat ; qui si adipisci regna cœlorum per « bella persecutionum non possumus, hoc ipsum no- « bis turpe sit, quòd Deum nolumus saltem per pacem « sequi. » Hæc sedulò cogitare debemus, et altâ mente defigere, ne deficiamus in laboribus et adversitatibus, quas in hâc vitâ tolerare necesse est, pro æternâ vitâ adipiscendâ.

## CAPUT VII.

*De temperantiâ ac virtutibus adjunctis.*

DOCTRINA.

I. *Definitio et indoles temperantiæ.* — II. *Temperantiæ objectum, officium, et regula quam in delectationibus tactus præscribit.* — III. *De partibus temperantiam integrantibus.* — IV. *De virtutibus temperantiæ sub- jectis ; ac primùm de abstinentiâ.* — V. *De jejunio, et variis ejus speciebus.* — VI. *De sobrietate, sive abstinentiâ à potu immoderato.* — VII. *Quid sit castitas ? Ejus excellentia, maximèque castitatis virginalis.* — VIII. *Nedùm virginitas illicita non est, sed etiam ad- modùm laudabilem esse omninò tenendum.* — IX. *Quid sit pudicitia, et in quo ea consistat.* — X. *De partibus temperantiæ, quas potentiales S. Thomas appellat ; sive de virtutibus quæ ipsi adjunctæ sunt : ac primùm de continentiâ.* — XI. *De clementiâ.* — XII. *De man- suetudine.* — XIII. *De modestiâ.* — XIV. *De tacitur- nitate.*

### § 1. *De temperantiæ definitione, indole, et regulâ quam præscribit.*

I. Quarta ac postrema virtutum moralium, quæ car- dinales dicuntur, temperantia est, quæ, latiore quâ- dam significatione usurpata, definiri solet *virtus quæ juxta legem divinam et rectam rationem passiones huma- nas moderatur ac regit.* Atque hoc sensu non semel illam accipit S. Augustinus, veluti cùm, lib. 83, QQ. quæst. 31, eam ita definit : *Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio ;* juxta quam definitionem lib. de Morib. Eccles. cap. 21, scribit : « Habet vir tempe- « rans in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus « vitæ regulam, utroque Testamento firmatam ; ut eo- « rum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed « ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quan- « tùm sat est, usurpet utentis modestiâ, non amantis « affectu. » Verùm sic accepta specialis virtus non est. Hoc enim præstant etiam cæteræ morales virtutes in propriâ materiâ ; nam et fortitudo affectum timoris cohibet, ne declinet in vitium ; et justitia animum avocat à furtis et injuriis, etc. Pressiùs autem consi- derata temperantia, ac prout est quædam peculiaris virtus, hæc ex D. Thomâ, 2-2, quæst. 141, art 3, tradi potest.

DEFINITIO TEMPERANTIÆ : *Temperantia est virtus præci- puè consistens circa passiones tendentes in bona sen- sibilia, scilicet circa concupiscentiam et delectatio- nem : ex consequenti autem circa tristitias quæ con- tingunt ex absentiâ talium delectationum.*

Explicatur definitio ac probatur ex doctrinâ quam ibidem tradit S. doctor, inquiens : « Ad virtutem mo- « ralem pertinet consecutio boni rationis contra pas- « siones rationi repugnantes. Affectus hujusmodi, qui « rationem perturbant, alii prosequuntur sensibilia « et temporalia bona ; alii refugiunt sensibilia et tem- « poralia mala. » Illi rationi repugnant maximè per immoderantiam, secundùm quòd appetitus sensitivus in ea bona tendit non secundùm modum rationis ; isti contrariantur eidem « maximè secundùm discessum, « prout aliquis refugiendo mala, quæ interdùm con- « comitantur bonum rationis, per consequens disce- « dit ab ipso bono rationis. » Affectus posteriores re- git fortitudo virtus, « quæ primò firmitatem præstat « contra nimios timores ; ac secundò temperat auda- « ciam, quæ aggreditur terribilia sub spe alicujus « boni. » Igitur par quoque admittenda virtus est, scilicet temperantia, cujus præcipuum munus sit con- cupiscentias comprimere, ac præterea contra nimias tristitias animum muniat. Qui enim « non immoderatè « concupiscit, consequens est, ut moderatè speret, ac « moderatè de absentiâ concupiscibilium tristetur. » Experimento proprio compertum habemus, sensus omnes concupiscentiâ ac delectatione aliquâ affici, animumque ex omni sensu haurire voluptatem. Sic aures delectantur cantu, oculi rerum pulchritudine et elegantiâ, nares odoribus, lingua sapore, et tactus cibi potûsque deliciis, et blandâ tactilium sensatione. Num ergo circa has omnes delectationes virtus temperantiæ versatur ? S. Thomas de hâc quæstione agit art. 4, docetque temperantiam propriè versari *circa delecta- tiones ciborum, et circa delectationes venereorum*, qui- bus tactus et gustus afficiuntur ; adeòque ejus princi- pale munus esse eas regerè ac moderari ; idque pro- bat ratione ex ipsâ indole ac naturâ temperantiæ de- ductâ : « Ita, inquit, est temperantia circa concupi- « scentias et delectationes, sicut fortitudo est circa « timores et audacias. Fortitudo autem est circa tim-

« res et audacias respectu maximorum malorum, « quibus ipsa natura extinguitur, quæ sunt pericula « mortis. Unde similiter temperantia oportet, quòd sit « circa concupiscentias maximarum delectationum. « Et quia delectatio consequitur operationem, tantò « aliquæ delectationes sunt vehementiores, quantò « consequuntur operationes magis naturales. Maximè « autem naturales animalibus sunt operationes quibus « conservatur natura individui per cibum et potum, « et natura speciei per conjunctionem maris et femi- « næ. Et ideò circa delectationes ciborum et potuum, « et circa delectationes venereorum est propriè tem- « perantia. Hujusmodi autem delectationes conse- « quuntur sensum tactûs (quo nomine etiam gustum « intelligit). Unde relinquitur quòd temperantia sit « circa delectationes tactûs, » dùm nempe pressè sumitur. Circa autem concupiscentias et delectationes aliorum sensuum, ut visus, auditus et odoratus, haud propriè temperantia versatur, si sensibilia eorum spectentur, quatenùs delectabilia sunt propter suî convenientiam, quia scilicet sunt vel pulchra, vel sonora, vel odorifera, non verò quoad oblectationem, sive delectationem tactûs. Sed si ad hujusmodi tactûs delectationem referantur, ad amorem nimirùm, vel desiderium alimenti aut venereorum, circa illorum sensibilium delectationes et concupiscentias temperantia quoque versatur, sed secundariò, et ex consequenti, non autem principaliter.

II. Ex quibus intelligi facilè potest quodnam sit temperantiæ objectum, et quodnam ejus officium. Temperantiæ scilicet objectum aliud materiale est ac remotum, quod consistit in usu earum rerum, quæ ad naturæ conservationem et propagationem necessariæ sunt, ac etiam in ejusmodi rebus. Formale autem et proximum est talium rerum amor, et voluptas sive delectatio ex perceptione ipsarum proveniens; atque inde officium temperantiæ est hujusmodi cupiditates ac delectationes moderari, sive comprimere, ne à mediocritate ac regulâ per legem Dei ac rationis præscriptâ recedant.

Regulam hanc, quam temperantia in delectationibus tactûs præscribit, desumendam esse secundùm necessitatem vitæ præsentis docet S. Thomas, art. 5, siquidem juxta solemne ac generale illud principium : Eorum quæ ordinantur ad finem, regula est ipse finis. Omnia autem quæ tactui aut gustui delectabilia sunt, et in usum hominis veniunt, ordinantur ad sublevandam aliquam hujus vitæ necessitatem seu indigentiam, adeòque cùm illorum finis sit vitæ præsentis necessitas sublevanda, temperantia non aliam regulam sequi debet nisi vitæ necessitatem, ut scilicet iis delectabilibus utatur, quando et juxta modum quem necessitas vitæ requirit. Necessitatem verò non eam solam intelligere oportet, sine quâ res aliqua nullatenùs esse potest; sed eam etiam sine quâ convenienter non est, spectatis nimirùm omnibus circumstantiis statûs, honestatis, officii, opulentiæ, dignitatis, sanitatis, etc.

Porrò sicut alius finis est in usu alimentorum, qui alius non est nisi conservatio individui; et alius in usu venereorum, qui est conservatio speciei per propagationem : idcircò alia pariter est regula temperantiæ in usu utrorumque. Quatenùs enim versatur in esculentis et potulentis, ejus regula ordinaria est bona corporis valetudo, et mentis ad operationes suas dispositio; ad hunc enim finem sumi debent alimenta, adeòque nec ampliùs nec minùs, nec alio modo quàm secundùm rectam rationem ad hunc finem expediat. Quatenùs verò versatur in venereis, temperantiæ regula est extra quidem matrimonium penitùs ab eis abstinere, eò quòd solum matrimonium ad propagationem prolis institutum sit; in matrimonio autem eatenùs illo uti, quatenùs procreatio prolis consequatur.

§ 2. *Temperantiæ partes integrales.*

III. Tria veluti genera partium cujusque cardinalis virtutis distinguit S. Thomas, quarum alias vocat *integrales*, alias *subjectivas*, alias *potentiales*. Partes ingrales dicuntur quædam conditiones ad virtutem aliquam requisitæ. Partes subjectivæ sunt diversæ ejusdem species. Partes demùm potentiales sunt virtutes accessoriæ, sive adjunctæ, quæ non versantur circa materiam virtutis principalis, sed quodam simili modo alias materias respiciunt; sive, ut ait D. Thomas, *quæ modum quem principalis virtus observat circa aliquam principalem materiam, eumdem observat in quibusdam aliis materiis in quibus non est ita difficile.* Itaque duæ sunt partes veluti integrales temperantiæ, *verecundia* et *honestas*, quoniam hæ duæ conditiones sunt illam complentes. Verecundia est *timor et horror turpitudinis, et vituperii intemperantiam comitantis :* quæ quidem propriè loquendo virtus non est, sed perfectio virtutis, licet quandoque à sanctis Patribus *virtus* appelletur. De hâc pulchrè S. Ambrosius disserit lib. 1 Offic. cap. 18 et 43, inquiens : *Ordo vitæ nobis tenendus est, et à verecundiâ primâ quædam fundamenta ducantur, quæ socia et familiaris est mentis placiditati, proterviam fugitans ab omni alieno luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet... Pulchra virtus est verecundia, et suavis gratia, quæ non solùm in factis, sed in ipsis spectatur sermonibus, ne modum transgrediaris loquendi, ne quid indecorum sermò resonet tuus; speculum enim mentis plerùmque in verbis refulget... Est et in oculis verecundia, ut nec videre viros femina nec videri velit. Est etiam ab ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia*, etc. Verecundiæ opponitur inverecundia, de quâ ibid. S. Ambros. ait : *Inverecundum est sensim ambulando imitari histrionicos gestus, et quasi quædam fercula pomparum, ut quotiescumque gradus transferunt, modulos quosdam servare videantur. Inverecundum quoque cursim ambulare, nisi cùm causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Est gestus probabilis, in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus.... Multò magis inverecundum est, si quid turpe ore exeat; non enim cibus coinquinat hominem, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc enim vulgò pudori sunt.... Partes corporis, quas natura tegere jubet, detegere, aut spectare. Si casu aperiantur, confunditur verecundia; si*

*studio*, *impudentia æstimatur*, etc. Quoad honestatem attinet, quæ est pars altera integralis temperantiæ, docet S. Thomas quæst. 145, art. 1 et 2, eam idem esse cum virtute et decoro; illamque attribui potiùs temperantiæ quàm cæteris virtutibus probat, *quia honestas est quædam spiritualis pulchritudo : pulchro autem opponitur turpe; opposita autem maximè se invicem manifestant. Et ideò ad temperantiam specialiter honestas pertinere videtur, quia id quod est homini turpissimum et indecentissimum repellit, scilicet brutales voluptates. Unde et in ipso nomine temperantiæ maximè intelligitur bonum rationis, cujus est moderari et temperare concupiscentias pravas. Sic ergo honestas, prout speciali quàdam ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars ejus non quidem subjectiva, sed sicut virtus adjuncta, sive pars integralis ipsius, sicut quædam ejus conditio.* Huc spectant, quæ habet Apostolus 1 Corinth. 14 : *Omnia vestra honestè et secundùm ordinem fiant.* Et Ambrosius loco laudato cap. 43, etc. : *Quærendum in omni actu quid personis, quid temporibus conveniat atque ætatibus. Sæpè enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud juveni aptum, aliud seni, aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Non mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud quod decorum dicitur; quod ita cum honesto conjungitur, ut separari non queat; siquidem et quod honestum, decet, et quod decet, honestum est.*

§ III. *Virtutes temperantiæ subjectivæ, sive species ipsius.*

IV. Quatuor sunt species temperantiæ, scilicet *abstinentia*, *sobrietas*, *castitas*, *et pudicitia*. Cùm enim virtutes ab objecto speciem recipiant, temperantiæ species distinguendæ sunt juxta materiæ, sive objecti varietatem. Quia verò temperantia versatur circa delectationes gustûs et tactûs, sive cibi, et potûs, ac venereorum abstinentia moderatur delectationes quæ percipiuntur in cibo; sobrietas, delectationem potûs; castitas, delectationem conjunctionis carnalis; pudicitia, delectationem amplexuum aliorumque tactuum ad carnalem conjunctionem disponentium. De his pauca adnotare lubet.

*De Abstinentiâ.*

Abstinentia, juxta nominis sui significationem, nihil aliud exprimit, nisi *subtractionem ciborum*. Duplici ergo in sensu sumi potest nomen abstinentiæ; nimirùm primò quatenùs absolutè ciborum subtractionem designat; et hoc modo abstinentia non importat neque virtutem, neque actum virtutis, sed aliquid indifferens. Secundò sumitur abstinentia pro subtractione cibi juxta rectam rationem regulatâ; tunc verò significat vel habitum virtutis, vel actum : ad virtutem quippe pertinet, ut homo à cibis abstineat, *prout oportet*, inquit S. Thomas hìc quæst. 146, art. 1, *pro congruentiâ hominum, cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudine, sive necessitate.* Hinc hæc abstinentiæ potest esse definitio, quòd nempe sit *subtractio cibi facta secundùm dictamen rectæ rationis ad spiritualem animi utilitatem.*

Varios abstinentiæ gradus divina Scriptura commemorat. Primus est, quando ab omni cibo abstinetur ad tempus, ut fecit Moyses, ac deinde Christus Dominus ad usque dies quadraginta; et alii qui vel tribus, vel quatuor, vel pluribus diebus in sacris litteris jejunâsse leguntur. Ab omni namque cibo per aliquod tempus abstinebant. Alter gradus est, quo à quibusdam cibis perpetuò abstinetur, quo pacto ab aliquibus cibis jussi sunt Hebræi abstinere, et abstinent nunc etiam plures viri religiosi. Tertius est, quo à quibusdam cibis abstinetur ad certum tempus, quemadmodùm Apostoli jusserunt Gentiles abstinere *à sanguine et suffocato*, ut habetur Act. 15. Quartus gradus est, quo vel semper vel ad tempus abstinetur à certo genere potûs, ut Samson, Judith, etc., et sacerdotes ministrantes ad altare.

V. De jejunio, quod peculiaris quædam abstinentia est, subinde quæst. 147 agit S. Thomas; circa quod illud inprimis observandum est, quòd jejuniorum genera distinguit : *metaphoricum* scilicet, *naturale*, *morale et ecclesiasticum*. Metaphoricum sive spirituale idem est ac abstinentia à quibuslibet vitiis et peccatis, ad quod nos hortatur Petrus Apostolus in priore suâ Epistolâ, cap. 2, dùm scribit : *Obsecro vos tanquàm advenas et peregrinos abstinere à carnalibus desideriis quæ militant adversùs animam.* De hoc jejunio loquitur S. Augustinus tract. 17 in Joannem dicens : *Jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus seculi.* Jejunium naturale importat omnimodam abstinentiam post mediam noctem, ab iis quæ gustari possunt; adeò ut qui ita jejunat, nihil omninò à mediâ nocte sumpserit cibi, potûs, medicinæ, aut cujuslibet alterius rei, quæ per modum cibi vel potûs sumatur. Sumi autem quidpiam intelligitur, quoties deglutitur, sive in stomachum transmittitur. Si verò tantùm linguâ vel palato ita gustetur, ut non deglutiatur, sumptum esse minimè censetur; adeòque naturale jejunium non solvitur; ac proinde nec celebrationem Missæ, aut communionem impedit. Jejunium morale est illa cibi ac potûs temperantia, quæ servatur juxta dictamen rectæ rationis. Hoc jejunium etiam ethnici saltem meliores servaverunt, quorum plures Hieronymus recenset lib. 2 contra Jovinian. cap. 9, ac servant etiam non rarò infideles. Tandem jejunium ecclesiasticum ab Innocentio IV, cap. *Cùm ex eo*, de observat. Jejun., describitur *abstinentia victûs seu victualium secundùm ordinationem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine approbata.* De hoc, cùm *de præceptis Ecclesiæ.*

Generatim loquendo jejunium esse actum virtutis, sic ostendit, art. 1, S. doctor : « Quia ex hoc aliquis « actus virtuosus est, quòd per rationem ordinatur ad « aliquod bonum honestum. Hoc autem convenit jeju- « nio. Assumitur enim jejunium principaliter ad tria : « primò quidem ad concupiscentias carnis reprimen- « das, unde Apostolus dicit, 2 ad Corinthios 6 : *In « jejunio, in castitate, quia per jejunia castitas conserva- « tur;* ut enim Hieronymus dicit lib. 2 cont. Jovin. : « *Sine Cerere et Baccho friget Venus*, id est, per absti-

« nentiam cibi et potûs repescit luxuria. Secundò as-
« sumitur ad hoc quòd *mens liberiùs elevatur ad subli-*
« *mia contemplanda*; unde dicitur, Daniel 19, quòd
« post jejunium trium hebdomadarum revelationem
« accepit à Deo. Tertiò ad satisfaciendum pro pecca-
« tis; unde dicitur Joel. 2 : *Convertimini ad me in toto*
« *corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.* » Id con-
firmat auctoritate S. Augustini in serm. de Orat. et
Jejun., dicentis : *Jejunium purgat animam, mentem su-
blevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit con-
tritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit,
libidinum ardores extinguit, castitatis verùm lumen ac-
cendit.* Ex quo evidenter consequitur jejunium esse
virtutis actum.

Ob salutares hosce fines, planèque nècessarios ho-
mini in hâc vitâ degenti jejunium cadere nedùm sub
præcepto ecclesiastico, verùm etiam sub præcepto ju-
ris naturalis, certa est nedùm S. Thomæ, sed etiam
omnium Patrum ac meliorum theologorum sententia.
Et de præcepto quidem ecclesiastico res est omnibus
exploratissima; illudque in loco explicandum erit. Sed
et sub præcepto naturali contineri, disertè affirmat
S. Thomas hìc, art. 3, dicens : *Jejunium in communi
cadit sub præcepto legis naturæ;* cujus fundamentum
ex eo sumitur, quòd naturalis ratio præscribit, ut
unusquisque, qui remedio indiget, illo uti debeat; je-
junium autem remedium est admodùm opportunum
ad plures fines spirituales, maximèque ad comprì-
mendam rebellionem carnis nostræ adversùs spiritum.
Hinc Augustinus de utilit. jejun. loquens, cap. 3, ait :
*Si jumento fortè insideres, si equo utereris, qui te ge
stando posset præcipitare, nonne, ut securus iter age-
res, cibaria ferenti subtraheres, et fame domares, quem
freno non posses? Caro mea jumentum meum est, iter
ago in Jerusalem; plerùmque me rapit, et de viâ cona-
tur excutere; via autem mea Christus est : ita exultan-
tem non cohibebo jejunio?*

*De sobrietate.*

VI. Sobrietas, prout generatim sumitur, significat
animi moderationem, sive statum mentis sibi præ-
sentis, nullâque passione aut perturbatione à mensurâ
deflectentis. Quia verò temperantia à potu nimio
præcipuè inservit ad statum mentis integrè conservan-
dum, idcircò temperantia à potu nomen *sobrietatis*
sibi peculiariter vindicavit. De hâc disserit præceptor
Angelicus totâ quæst. 149, ex quâ pauca seligo. Pri-
mum quod docet, hoc est, *materiam sobrietatis* esse
*potum*, quia virtutes, quæ ab aliquâ generali virtutis
conditione denominantur, eam specialiter materiam
respiciunt, in quâ et difficillimum et optimum est eam
conditionem integram conservare. Cùm autem sobrie
tatis nomen à mensurâ ac moderatione sumatur,
eamque servare in potu optimum ac difficillimum sit,
sobrietas sibi specialiter vindicat nimium potum qui
inducere ebrietatem valet, veluti materiam quam
moderatur, ut in eo mensuram servet quam recta
ratio præscribit. Unde Eccles. 31 legitur : *Sanitas est
animæ et corporis sobrius potus. Vinum multum pota-
tum irritationem, et iram, et ruinas multas facit. Et
ideò* (concludit) *specialiter sobrietas attenditur circa
potum, non quemcumque, sed eum qui suâ fumositate
natus est caput conturbare, sicut vinum, et omne quod
inebriare potest.* Ex hoc autem consequitur, ipsam
specialem esse virtutem, quia speciale objectum re-
spicit, nempe moderationem in potu qui ebrietatem
causare potest.

*De castitate.*

VII. Partem illam temperantiæ, quæ castitas appel-
latur, definit S. Thomas, 2-2, quæst. 151, art. 1
et 3, *quæ concupiscentiam castigat, utiturque moderatè
licitis delectationibus, quæ venereæ dicuntur.* Ea divi-
ditur in castitatem *conjugalem*, quæ abstinet ab illici-
tis voluptatibus, licitasque admittit in conjugio ob
finem procreandæ prolis; in castitatem *vidualem*,
quæ cohibet animum, ne delectationes quarum expe-
rimentum in conjugio habitum est, imposterùm quæ-
rat; in castitatem *communiter dictam*, cujus est affe-
ctum continere à venereis delectationibus extra conju-
gium; ac demùm in castitatem *virginalem*, in quâ,
ut inquit S. Thomas, quæst. 152, art. 3, *id, quod
est formale et completivum, est propositum perpetuò
abstinendi à delectatione venereâ, materiale autem est
integritas carnis absque omni experimento venereæ dele-
ctationis.* Virtutis castitatis excellentia ac perfectio
constat tum ex fortitudine quam comitem habet; ne-
que enim castus unquàm esse homo potest, nisi for-
titer impetus concupiscentiæ sustineat ac subigat,
tum quia legem carnis, sive rebellionem ipsius legi
mentis et spiritûs subjiciat, tum ex fine ejusdem, qui
est sanctitas corporis et spiritûs. Denique tantò excel-
lentior castitas est, quantò graviora sunt luxuriæ mala
à quibus liberat, et quantò majora bona quæ secum
affert. Mens etenim casta multò meliùs percipit ea
quæ sunt Dei, quàm animalis homo qui ea non intel-
ligit. Atque hinc est quòd S. Joannes Evangelista præ
cæteris in contemplandis sublimibus christianæ Reli-
gionis mysteriis excelluerit, altiùsque tribus aliis ere-
xerit prædicationem suam.

At quamvis tres priores castitatis partes suo decore
et eximio quidem fulgeant, maximam tamen pulchri-
tudinem prodit virginitas inter omnes sicut difficilior,
ita quoque præstantior. Hanc sub oculos ponit S.
Thomas quæst. 152, art. 1, factâ comparatione ad ea
quæ sunt in venereâ completâ delectatione, quâ prorsùs abstinet virginitas. Tria in eâ contingunt. Primum
est quod accidit in corpore, scilicet carnis integritatis
violatio, seu reseratio sigilli virginalis in feminis,
quodcumque demùm illud sit quod virgines à maritatis
et corruptis distinguit; non enim de virginitatis sigillo
conveniunt inter se artis medicæ sive anatomicæ pro-
fessores. Aliud autem est, *in quo conjungitur id quod
est animæ, cum eo quod est corporis, scilicet resolutio
seminis delectationem sensibilem causans.* Tertium deni-
que se habet duntaxat ex parte animæ, scilicet *propo-
situm perveniendi ad talem delectationem.* Horum pri-
mum *per accidens se habet ad moralem actum*, inquit

S. Thomas, *qui non considcratur per se, nisi secundùm ea quæ sunt animæ.* Unde neque in maribus apparet, et potest in feminis contingere sine voluntariâ corruptelâ. Alterum *materialiter se habet ad actum moratem*; hoc est, materia est ac objectum illius actionis quæ dicitur *moralis*, quia *sensibiles passiones animæ sunt materia moralium actuum*, qui vel eisdem utuntur vel abutuntur. Tertium tandem *se habet formaliter et completivè, quia ratio moralium in eo quod est rationis, completur.* « Quia ergo, subdit, virginitas dicitur per « remotionem prædictæ corruptionis, consequens est « quòd integritas membri corporalis per accidens se « habeat ad virginitatem; ipsa autem immunitas à de- « lectatione, quæ consistit in seminis resolutione, se « habet materialiter; ipsum autem propositum perpe- « tuò abstinendi à tali delectatione, se habet formali- « ter et completivè in virginitate. » Hinc respondens ad tertium, quod sibi objecerat, argumentum, docet: *Si contingat quòd per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præjudicat virginitati, quàm si corrumpatur manus aut pes.*

VIII. Virginitatem non esse illicitam, ut quidam impuri hæretici docuerunt, sed licitam atque laudabilem, dogma fidei est; idque tum ex exemplo Christi ac beatissimæ ejus Matris multorumque sanctorum comprobatur, tum ex eo quòd nihil illicitum cadit sub consilio. Virginitatem autem sub consilio cadere, constat ex verbis Apostoli aientis 1 ad Corinth. cap. 7: *De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis*; et postea: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Ratio autem id confirmat, quia nimirùm ex illâ habetur, ut utamur iis quæ sunt ad finem juxta eam mensuram quæ congruit fini. Quemadmodùm autem bona exteriora ordinantur ad bonum corporis tanquàm ad aliquem finem, ita bona corporis ordinantur ad bonum animæ et ad bona vitæ contemplativæ. Sicut ergo ad rectitudinem rationis pertinet, ut bonis exterioribus quis utatur secundùm illam mensuram quæ competit corpori; ita quoque ut utamur bonis corporis secundùm mensuram quæ convenit bono animæ. Sed abstinere ab exterioribus rebus ut consulamus saluti corporis, bonum est ac laudabile. Igitur similiter bonum est et laudabile abstinere à delectationibus corporalibus, ut bonum animæ procuremus, et liberiùs vacemus veritatis contemplationi. Nec solùm licitam et laudabilem esse virginitatem, sed etiam matrimonio præferendam, veluti fide certum tenere debemus adversùs Jovinianum, ac nuperos Lutheranos. Nam, ut ait S. Augustinus in lib. de Virgin. cap. 19, *et certâ ratione et SS. Scripturarum auctoritate nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono aut virginalis continentiæ, aut etiam vidualis æquamus.*

Siricius quoque papa Jovinianum cum suis discipulis condemnavit in Epist. 80 apud S. Ambrosium, dicens: *Nos sanè nuptias non aspernantes accipimus, quibus velamine intersumus; sed virginum nuptias Deo devotas majore honorificentiâ veneramur.* Demùm, ut alia omittam, concilium Tridentinum, sess. 24, can. 10, anathema tulit in eum qui dixerit statum conjugalem præferendum esse statui virginitatis vel cœlibatûs, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio.

*De pudicitiâ.*

IX. Pudicitiam, quæ postrema est inter virtutes temperantiæ subjectas, ad castitatem specialiter pertinere, non quasi virtus sit à castitate omninò distincta, sed quia quamdam exprimit castitatis circumstantiam, docet S. Thomas hìc, quæst. 151, art. 4, cujus ea ratio est, « quòd nomen pudicitiæ à pudore « sumitur, in quo verecundia significatur. Et ideò « oportet quòd pudicitia propriè sit circa illa de qui- « bus homines maximè verecundantur. Maximè autem « verecundantur homines de actibus venereis, ut Au- « gustinus dicit libro 14 de Civit. Dei, cap. 18, in « tantum quòd etiam concubitus conjugalis, qui ho- « nestate nuptiarum decoratur, verecundiâ non ca- « reat; et hoc ideò quia motus genitalium membro- « rum non subjicitur imperio rationis, sicut motus « aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur « autem homo non solùm de illâ commixtione vene- « reâ, sed etiam de quibuscumque signis ejus, etc. « Et ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, « et præcipuè circa signa venereorum, sicut sunt as- « pectus impudici, oscula et tactus. Et quia hæc ma- « gis solent deprehendi, ideò pudicitia magis respicit « hujusmodi exteriora signa, castitas autem magis « ipsam veneream delectationem. Et ideò pudicitia « ad castitatem ordinatur, non quasi virtus ab ipsâ « distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstan- « tiam quamdam. Interdùm tamen unum pro alio po- « nitur; » castitas scilicet pro pudicitiâ, et pudicitia pro castitate, ut etiam posuêre plures Ecclesiæ Patres, ac præsertim S. Augustinus.

§ 4. *De partibus temperantiæ, quas* potentiales *S. Thomas appellat, sive de virtutibus adjunctis temperantiæ.*

X. De partibus temperantiæ *potentialibus*, sive virtutibus ipsi adjunctis, fusè pertractat Angelicus doctor per plures quæstiones, à q. 155. De quibusdam ex ipsis pauca nos agemus, potiùsque earumdem solas notiones assignabimus.

*Continentia.*

Continentia hoc loco non sumitur pro virtute quâ quis ab omni abstinet venereâ delectatione, et cum ipsâ confunditur castitate virginali aut viduali; sed pro virtute quâdam quâ homo strenuè obsistit pravis delectationibus quæ vehementer ipsum ad malum sollicitant. Ita tamen continentia, inquit S. Thomas, virtus est, ut quantò strictiùs accipitur, tantò sit major ac perfectior virtus. Dùm simpliciter et absolutè sumitur, circa concupiscentias delectationum tactûs versatur tanquàm proprium objectum, quia illæ maximè impellunt ad aliquid prosequendum adversùs rationem. Circa concupiscentias autem pravas aliarum rerum non absolutè dicitur continentia, sed cum adjectâ

expressione certæ materiæ, veluti *continentia iræ, continentia avaritiæ, continentia honoris*, quemadmodùm docuit Aristoteles.

*Clementia.*

XI. Hæc virtus est quâ animus ad lenitatem in exigendâ pœnâ propendet, sive est lenitas superioris adversùs inferiorem, aliquid ex debitâ pœnâ remittentis, prout id patitur ratio justitiæ, spectatis scilicet circumstantiis facti, causæ, personæ, aliisque. Nec solùm pœnas reis debitas moderatur, sed quandoque etiam justis de causis præstat, ut omninò remittantur; sicut fecit Christus Dominus cum adulterâ muliere, cui pœnam juxta legem debitam remisit, dicens : *Nemo te condemnavit, mulier; nec ego te condemnabo : vade, et jam noli ampliùs peccare.*

*Mansuetudo.*

XII. Affinis clementiæ mansuetudo est, eaque definiri potest virtus quæ moderatur iram juxta dictamen rectæ rationis, ut scilicet homo non irascatur, nisi quando, quoties, quam ob causam, et quomodò oportet. Hanc virtutem præ cæteris docuit Christus Dominus, dùm se ejusdem exemplum proposuit, dicens : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde;* quam et maximè commendavit inquiens : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* De hâc S. Basilius in Psal. 33 scribit : *Maxima omnium virtutum mansuetudo est, eò quòd in beatitudinum numerum relata est.* Et in Constit. Monast. cap. 14 : *Mansuetudo patientiæ mater est, quæ conjuncta benignitati præstantissimam omnium virtutum charitatem efficit.* Et S. Joan. Chrysost. hom. 19 in Epist. ad Rom.: *Quomodò poterit quis fieri filius Dei? Si mansuetudinem erga conviciatores ostenderit? Nihil enim ita conformem Deo facit, ac ista virtus. Ideò Paulus cùm dixit :* Imitatores Dei estote, *ad hoc dicit ut isti studeamus virtuti.*

*Modestia.*

XIII. Modestia virtus est quæ interiores et exteriores hominis actiones, in quibus modum servare non adeò difficile est, moderatur. Externos corporis motus componit, ut nihil in eis sit, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod interioris hominis deceat sanctitatem. *Amictus* namque *corporis*, ut dicitur Eccli. cap. 19, *et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Efficit hæc virtus, ut *nihil torvum, nihil elatum sit in oculis*, ut cum Ambrosio loquar lib. de Virginibus, *nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac tanquàm lucernæ lux intùs posita foris luceat.* Circa alia quatuor modestia quoque versatur : nempe circa appetitum celsitudinis quam refrenat humilitas, circa amorem sciendi, quem moderatur studiositas, ne nimiùm excedat; circa apparatum exteriorem, qui fit in vestibus, supellectili et aliis hujusmodi; et circa ludos et jocos. Quanquàm enim joci et ludi ad quamdam animi ex contemplatione et vehementi attentione defessi quietem utiles sint, in eorum tamen usu tria præcipuè sunt cavenda : primùm, ne hujusmodi delectatio quæratur in actionibus, aut verbis turpibus vel noxiis; secundò, ne gravitas animi omninò resolvatur; ac tertiò, ut ludi congruant personæ, tempori, loco. Hæc autem virtus *Eutrapelia* frequentiùs appellari solet; de quâ postea, sicut et de modestiâ in exteriore apparatu.

*Taciturnitas.*

XIV. Hæc virtus sermones regulat ac moderatur juxta illud Psal. 38 : *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ : posui ori meo custodiam.* Quæ verba expendens S. Ambrosius, lib. 2 de Officiis, ait : *Sapiens ergo qui novit tacere; ideò sancti amabant tacere... Quis est enim qui non delinquat in linguâ suâ? Et ideò Psalmista, quia neminem videbat sanctum, os servare posse ab immunditiâ sermonis, ipse sibi silentio legem posuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Quid igitur? mutos esse nos oportet? Minimè; est enim tempus tacendi et tempus loquendi. Deinde, si pro otioso verbo reddimus rationem, videamus ne reddamus et pro otioso silentio,* etc. *Igitur alliga sermonem tuum,* etc.; *sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Citò lutum colligit amnis exundans. Sit ori tuo ostium, ut claudatur ubi et quando oportet, et obseretur diligentiùs.*

## CAPUT VIII.

*De vitiis oppositis temperantiæ, ac virtutibus adnexis.*

DOCTRINA.

I. *Doctrina S. Thomæ præmissa de vitiis temperantiæ oppositis.* — II. *Duo sunt temperantiæ opposita vitia, insensibilitas et intemperantia.* — III. *De vitio incontinentiæ, quod proprièconsistit in illicitis delectationibus tactûs.* —IV. *De vitio curiositatis, quod studiositati opponitur. In quo situm illud sit.* — V. *Quadrupliciter hoc vitium incurritur ex parte cognitionis* intellectivæ. — VI. *Duobus autem modis ex parte cognitionis* sensitivæ. — VII. *Vitium istud nonnunquàm peccatum mortale est.* —VIII. *De vitio modestiæ opposito, prout illa consistit in actibus externis; ac primùm de ludo. Quo pacto* ludus *accipiatur.* — IX. *Ludus moderatus licitus est, ac virtutis actus. S. Thomæ doctrina.* — X. *Vitium damnabile est, dùm requisitas conditiones non servat. Quænam hæ sint, exponitur.* — XI. *Doctoris Angelici doctrina quoad excessum in ludo observanda.* — XII. *Mens sancti doctoris quoad histriones et artem histrionatûs clarâ in luce collocatur.* — XIII. *Immunes à culpâ non sunt, qui principaliter ludunt propter lucrum.*—XIV. *De vitio modestiæ opposito, prout hæc spectat exteriorem apparatum. Decens et moderatus laudabilis est, ac actus virtutis.* — XV. *Immoderatus semper est vitiosus. Ex duplici capite immoderatio procedit.* — XVI. *Etiam* per defectum *peccatur aliquando contra hanc modestiæ partem.* — XVII. *De vano ac superfluo mulierum ornatu. S. Thomæ doctrina de hoc argumento proposita et explicata.* — XVIII. *Quænam ex hâc sancti præceptoris doctrinâ certò colligantur.* — XIX. *Si Scripturæ ac Patres consulantur, gravè sæpè peccatum esse vanum et immoderatum mulierum ornatum, asserere necessum est.* — XX. *Exte-*

*ma in hâc materiâ rigoris et laxitatis devitanda. S. Antonini judicium.*

§ 1. *De vitiis temperantiæ oppositis generalis doctrina.*

I. Non de omnibus quidem vitiis quæ temperantiæ ac virtutibus eidem adnexis opponuntur, hìc agendum sumimus, quoniam de quibusdam et quidem præcipuis juxta methodum quam nobis præstituimus, opportuniùs alibi disserendum erit; sed de aliquibus duntaxat de quibus in aliis tractatibus disputatio habenda non est. Ac primùm, quæ temperantiæ generatim inspectæ opposita sunt, exponimus D. Thomam secuti, qui de hoc argumento disserens 2-2, quæst. 142, art. 1, solidam hanc atque elegantem doctrinam præmittit; unde huic materiæ lux maxima affulget. Sic ergo ait : « Omne « illud quod contrariatur ordini naturali, est vitiosum. « (En generale principium.) Natura autem delectationem apposuit operationibus necessariis ad vitam « hominis. Et ideò naturalis ordo requirit ut homo in « tantum hujusmodi delectationibus utatur, quantùm « necessarium est saluti humanæ, vel quantùm ad « conservationem individui, vel quantùm ad conservationem speciei. Si quis ergo in tantum delectationem « refugeret, quòd prætermitteret ea quæ sunt necessaria ad conservationem naturæ, peccaret quasi « ordini naturali repugnans. Et hoc pertinet ad vitium « insensibilitatis. »

Subdit tamen appositè S. doctor, ne quis suâ doctrinâ abutatur : Sciendum tamen quòd ab hujusmodi delectationibus consequentibus hujusmodi operationes « quandoque laudabile, vel etiam necessarium est abstinere propter aliquem finem; sicut propter sanitatem corporalem aliqui abstinent à quibusdam delectationibus ciborum, potuum et venereorum; et etiam « propter alicujus officii executionem, sicut athletas « et milites necesse est à multis delectationibus abstinere, ut officium proprium exequantur. Et similiter « pœnitentes ad recuperandam animæ sanitatem abstinentiâ delectabilium, quasi quâdam diætâ utuntur; et homines volentes contemplationi et rebus « divinis vacare, oportet quòd se magis à carnalibus « desideriis abstrahant. Nec aliquid prædictorum ad « insensibilitatis vitium pertinet, quia sunt secundùm « rationem rectam. »

II. Hâc præmissâ doctrinâ, duo sunt vitia quæ temperantiæ generatim consideratæ opponuntur : intemperantia scilicet et insensibilitas. Illa opponitur per excessum, ista per defectum. Insensibilitas tunc dicitur, quando aliquis ita delectationes gustûs et tactûs refugit et aversatur, ut nolit eis uti, quando, ubi, quomodo, vel quantùm iis utendum esse recta ratio præscribit. Adversùs quippe naturalem ordinem delinquit, qui renuit eas operationes exequi, quæ ad vitam necessariæ sunt, adeò ut si quis ad vitandam delectationem, quam in sumendo cibo experitur, hunc sumere penitùs nollet, peccaret mortaliter, suæque ipsius mortis, quæ inde consequeretur, reus esset; quemadmodùm etiam si quis ob eamdem causam haud vellet uxori petenti reddere debitum. Sed hoc vitium valdè rarum est inter homines.

Frequentius longè est vitium intemperantiæ, quo videlicet delectationes sensiles, ac præcipuè gustûs et tactûs, appetuntur aut quæruntur *plus quàm oportet, ubi, quando, vel quomodo non oportet*, juxta rectæ rationis regulam. Puerile hoc vitium tum ab Aristotele, tum à S. Thomâ appellatur hìc art. 2, non eâ de causâ quòd puerorum proprium fit, sed quia homines efficit pueris effrenatis simillimos. Sicut enim puer ordinem rationis non attendit, sed naturam animalem unicè sequitur; adeòque non id appetit quod secundùm rationem honestum est, sed quod turpe aut intemperans; ita quoque homo qui intemperantiæ vitio se abstrahi et abduci sinit.

Præ cæteris quibusque vitiis intemperantiam esse maximè exprobrabilem ostendit subinde art. 4, tum quia maximè derogat dignitati et excellentiæ humanæ, cùm voluptates sensibiles communes sint brutis animalibus, et propter eas homo *comparetur jumentis insipientibus, et similis illis* efficiatur; tum quia in actibus intemperantiæ nihil, sicut in aliis quibusdam vitiis, elucet ingenii, nihil virtutis, nihil quod hominem deceat, quin potiùs ex hoc vitio abjiciatur ad inferiora, servusque reddatur rerum vilissimarum juxta illud 2 Apostoli Petri c. 2 : *A quo quis superatus est, hujus et servus est.*

§ 2. *De vitio incontinentiæ.*

III. Cùm de vitiis quæ opponuntur abstinentiæ et castitati, gulâ scilicet et luxuriâ, sermonem alibi simus habituri, idcircò ad illa progredimur quæ sunt opposita temperantiæ adjunctis, ac primùm ad vitium continentiæ oppositum, nimirùm incontinentiam. Vitium hoc ad animam propriè pertinet, quæ propriè et per se incontinentiæ causa est. Siquidem quantumlibet vehementes sint passiones in appetitu concupiscibili, sufficiens tamen incontinentiæ causa non sunt; potest enim homo, dùm viget usus rationis, iis passionibus semper resistere, ne voluntas consentiat. Equidem ex corporis temperamento insurgunt in appetitu sentiente, qui residet in organo corporeo, passiones valdè vehementes; quia tamen qualiscumque complexio corporis occasionem tantùm incontinentiæ præbet, non causam, propterea non ad corpus referenda incontinentia est, sed ad animum, qui est propriè dicta causa ipsius.

Hæc autem incontinentia propriè et simpliciter sumpta, quæ nempe versatur circa illicitas delectationes tactûs, peccatum est ex duplici capite; scilicet tum quia per eam deserit homo rectæ rationis judicium; tum quia incontinens sensualitati obsequens seipsum turpibus atque homine indignis voluptatibus immergit. Minùs tamen grave peccatum esse docet S. Thomas hìc, art. 3, peccatum ex incontinentiâ quàm ex intemperantiâ commissum, quoniam ubi major est inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi majus peccatum est. In eo autem qui intemperatus est, est major inclinatio voluntatis ad peccandum quàm in incontinente : incontinens enim non peccat, nisi ab aliquâ passione tentatus et abreptus; intemperans verò etiam

passionem prævenit eligitque peccare ; unde ejus voluntas longè corruptior est. Hujus discriminis signum in eo se prodit, quòd qui per incontinentiam peccat, statim peccati sui pœnitere solet; non autem is qui peccat per intemperantiam, cùm hic potiùs ex eorum numero sit, qui, ut Scriptura loquitur, *lætantur cùm malè fecerint, et exultant in rebus pessimis.*

§ 3. *De vitio curiositatis.*

IV. Studiositati, quæ virtus est temperantiæ adjuncta, et appetitum sciendi vel cognoscendi moderatur, opponitur per excessum vitium curiositatis, quæ si generaliter consideretur, pro objecto respicit quæcumque fieri possunt, vel cognosci vel acquiri, imò et ea quæ haud licet agere, cognoscere, vel acquirere; atque adeò sic accepta denotat superfluam curam circa res aliquas cognoscendas. Si verò pressiùs accipiatur, definiri potest *nimius aut superfluus appetitus sciendi;* habetque pro objecto cognitionem, seu cognitionis desiderium, et curam, quæ rectæ rationis mensuram prætergreditur. Sed quia duplex cognitio est, altera *intellectiva*, altera *sensitiva*, ideò de utrâque quæstionem movet S. Thomas hìc, quæst. 67.

Primùm itaque, statuit, art. 1, aliter judicandum esse de ipsâ cognitione veritatis, et aliter de appetitu et studio veritatis cognoscendæ. Et quidem ipsa cognitio veritatis ex se bona semper ac laudabilis est. *Sed ipse appetitus vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel perversitatem.* Hoc autem contingit ex duplici capite : altero, « prout aliquis « tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per « accidens jungitur ei malum ; sicut illi qui student ad « scientiam veritatis ut exinde superbiant..... Simi- « liter etiam illi qui student addiscere aliquid ad pec- « candum, vitiosum studium habent, secundùm illud « Jerem. 9 : *Docuerunt linguam suam loqui menda- « cium; ut iniquè agerent, laboraverunt.* »

V. Altero ex capite vitium esse potest in appetitu sciendi *ex ipsâ inordinatione appetitûs et studii ad discendam veritatem.* Et hoc quadrupliciter. Primò nempe, si quis animum intendat cognitioni minùs proficuæ minùsque necessariæ, ut ea addiscere negligat quæ vel necessaria sunt, vel magis utilia, veluti si supervacaneis aut philosophorum aut theologorum quorumdam disputationibus sese applicet, in iisque tempus insumat, nihil curans, si theologus sit, Scripturarum libros et sanctorum Patrum lectionem; aut, si sit jurisconsultus, leges et canones juris sive civilis sive ecclesiastici. Adversùs hos est illud Apostoli 2 ad Timoth. scribentis, cap. 1 : *Stultas et sine disciplinâ quæstiones devita, sciens quia generant lites;* et illud ad Tit. 3 : *Stultas autem quæstiones, et genealogias et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles, et vanæ.* Secundò quatenùs studet aliquis addiscere ab eo à quo non licet; quemadmodùm contingit in iis qui aliqua futura à dæmonibus vel à magis perquirunt. Unde S. Augustinus in lib. de verâ Relig. cap. 49, ait : *Nescio an philosophi impedirentur à fide vitio curiositatis in percontandis dæmonibus.* Tertiò quoties homo appetit veritatem cognoscere circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei, quales erant illi philosophi, de quibus Apostolus loquitur : *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Unde loco laudato scribit Augustinus, quòd *in consideratione creaturarum non est vana et peritura curiositas coercenda; sed gradus ad immortalia et semper manentia faciendus.* Quartò tandem, quatenùs aliquis animum applicat ad veritatem cognoscendam supra proprii ingenii facultatem, quoniam ex hoc facilè homines in errores labuntur. Quapropter Eccle. 3 monet Sapiens : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Et postea sequitur : *Multos enim supplantavit suspicio eorum, et in vanitate detinuit sensus eorum.* Hinc etiam Proverb. 25 dicitur : *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à glorià.*

VI. Quod spectat vitium curiositatis circa cognitionem sensitivam, observat primùm S. Doctor cognitionem hanc ad duo ordinari : *Uno modo*, inquit, *tam in hominibus quàm in aliis animalibus ordinatur ad corporis sustentationem, quia per hujusmodi cognitionem homines et alia animalia vitant nociva, et conquirunt ea quæ sunt necessaria ad corporis sustentationem. Alio modo specialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectivam, vel speculativam, vel practicam.* Quo posito duplex in eâ vitium contingere decernit. Primò quatenùs sensitiva cognitio non ordinatur ad aliquid utile, sed potiùs ab aliquâ utili consideratione hominem avertit. Unde Augustinus lib. 10 Confess. c. 35, ait : *Canem currentem post leporem jam non specto, cùm in circo fit; an verò in agro, si casu transeam, avertit me fortassè ab aliquâ magnâ cogitatione, atque ad se convertit illa venatio ; et nisi, jam mihi demonstratâ infirmitate meâ, citò admoneas, virtus hebescit.* Altero modo vitiosa est hujusmodi cognitio, si directè vel interpretativè ordinetur ad aliquod peccatum, vel peccandi periculum : cujusmodi sunt curiosæ inspectiones personarum diversi sexûs, ludorum et spectaculorum in quibus obscœna repræsentantur, inquisitiones de aliorum factis ex animo, ut proximi famæ detrahatur, vel alicui molestia creetur.

VII. Quanquàm autem curiositas, dùm ex objecto suo tantummodò consideratur, peccatum veniale sit, non rarò tamen mortale peccatum esse potest. Et primò quidem, ratione materiæ ; ut si res, vel cognitio ipsius, de se graviter illicita sit, vel admodùm noxia aut periculosa, vel si facultatem ingenii longè excedat, neque Deus eam revelaverit, et tamen eam quis ingenio suo comprehendere nitatur. Ità lethaliter peccant qui, pacto inito cum dæmone vel expresso ve tacito, quærunt aliqua cognoscere; item qui libros de amoribus tractantes legunt cum periculo consentiendi turpibus delectationibus; qui fidei mysteria naturæ viribus assequi conantur, etc. Secundò, ratione formæ seu modi, ut quando interdictum ab aliquâ lege est legere, videre vel audire aliqua, et nihilominùs iis legendis, videndis aut audiendis intenditur. Quâ de

causâ lethaliter peccant, qui legunt libros prohibitos, qui scire volunt quæ ad sigillum sacramentalis confessionis pertinent; religiosi è monasteriis exeuntes ad audiendas leges vel medicinæ præcepta; et excommunicationem etiam incurrunt, si intra duos menses ad monasterium non revertantur. Tertiò, ratione medii illiciti, quod ad sciendum quidpiam adhibetur, veluti si quis alium ad peccatum mortale aut ad detegendum naturale secretum inducere velit, ut eam quam quærit, cognitionem assequatur. Demùm, ratione gravis detrimenti, aut pravi effectûs consequentis, ut si pro studio rerum quæ necessariæ non sunt, negligat aliquis quæ sub mortali scire tenetur, ut quæ fidem spectant, vel proprium statum et officium; aut si ex appetitu immoderato sciendi, quodcumque mortale peccatum committat.

§ 4. *De vitio modestiæ opposito, prout in exterioribus motibus consistit; ac præsertim de ludo.*

VIII. Quemadmodùm modestia moderatur ac regit exteriores corporis motus, ita quidquid inordinatum et incompositum est in hisce motibus, modestiæ opponitur. Quia verò de hoc genere modestiæ agens S. Thomas, quæst. 168, sermonem præsertim habet de ludo et vitiis ejusdem; ideò nos quoque de hoc argumento agemus valdè necessario, propter ejusdem frequentes gravesque abusus qui in ipso contingunt. Hîc autem advertere opus est quòd tametsi ludus, jocus et lusus sæpiùs invicem confundantur, differunt tamen inter se. Nam ludus propriè dicitur in factis, jocus in verbis, et lusus ad voluptatem referri solet, quia solius voluptatis causa fit, non aliquâ lucri spe, aut periculo damni; quod tunc frequentiùs appellatur ludus.

IX. Quidquid sit de nominis acceptione, ludum, prout ad honestam voluptatem ordinatur, ad modestiam quæ in externis motibus servanda est, revocat doctor Angelicus; sicut ad vitium eidem oppositum, si modum aut mensuram excedat, aut alio fine assumatur. Et quidem ludum posse esse virtutis actum, ita primum ostendit art. 2, inquiens : « Sicut homo « indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, « quia non potest continuè laborare propter hoc quòd « habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus « proportionatur; ita etiam est ex parte animæ, « cujus etiam est virtus similis ad determinatas ope- « rationes proportionata. Et ideò quando ultra mo- « dum suum in aliquas operationes se extendit, labo- « rat, et ex hoc fatigatur præsertim quia in opera- « tionibus animæ simul etiam laborat corpus, in « quantum scilicet anima intellectiva utitur viribus « per organa corporea operantibus. Sunt autem bona « sensibilia connaturalia homini. Et ideò, quando « anima supra sensibilia elevatur, operibus rationis « intenta, nascitur exinde quædam fatigatio animalis, « sive homo intendat operibus rationis practicæ sive « speculativæ; magis tamen si operibus contempla- « tionis intendat, quia per hoc magis à sensibilibus « elevatur, quamvis fortè in aliquibus operibus exte- « rioribus rationis practicæ major labor corporis « consistat.... Sicut autem fatigatio corporalis solvi- « tur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fa- « tigatio animalis solvatur per animæ quietem. » Hâc solidâ generali doctrinâ præmissâ, pergit S. doctor ad ejusdem applicationem, et ait : « Quies autem « animæ est delectatio, ut supra habitum est, cùm « de passionibus ageretur. Et ideò oportet remedium « contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam « delectationem, intermissâ intensione ad insisten- « dum studio rationis.... Hujusmodi autem dicta vel « facta, in quibus non quæritur nisi delectatio ani- « malis, vocantur *ludicra* vel *jocosa*. Et ideò necesse « est talibus interdùm uti, quasi ad quamdam animæ « quietem. » Hoc confirmat S. Thomas auctoritate Aristotelis, 4 Ethic. dicentis, quòd *in hujus vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur;* adeòque interdùm laudabile est, et moraliter etiam naturæ nostræ necessarium, ut hisce jocis aut ludis utamur. Et tunc hujusmodi moderati joci vel ludi ad eam modestiæ partem revocantur, quæ Græcè vocatur *eutrapelia, quam nos*, inquit Angelicus, *possumus dicere jucunditatem, vel urbanitatem, aut comitatem.*

X. Ex notione virtutis fas est facilè intelligere quid sit vitium ipsi oppositum, quod propter affinitatem sæpè à multis cum virtute confunditur. In quod vitium incurrunt ii qui conditiones non servant ad honestum jocum vel ludum necessarias. Primò nempe, dùm animi relaxationem aut delectationem quærunt verbis aut operationibus turpibus, aut alteri injuriosis, vel quomodolibet nocivis; dùm scilicet vel obscœna, vel alteri damnosa in materiam lusûs aut joci vertuntur. Unde Tullius lib. 1 Offic., *duplex*, ait, *est jocandi genus : unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum.* Primum solet esse grave peccatum, nisi materiæ levitas à gravi quandoque excuset, alterum ad virtutem pertinet. Secundò : si per jocos aut ludos animæ gravitas omninò resolvatur; neque enim ludicris aut jocosis vacare licet ampliùs quàm oporteat. Quare peccant qui ita ludis vel jocis intendunt, ut in eâ delectatione finem ultimum sibi constituere videantur; quorum sanè non paucos invenire est, qui totum nempe aut ferè totum in ludis vitæ tempus consumunt. Hos redarguit vel ipse Tullius lib. laudato : *Neque enim ita generati à naturâ sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potiùs, et ad quædam studia graviora atque majora.* Peccant etiam ob hujus conditionis defectum, qui tametsi in ludicris actionibus finem ultimum non constituant, nimiùm se dedunt ludi voluptati, adeò ut rectè rationis limites transiliant. Nam, ut idem Tullius ait, *ludo et joco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus cæteris, tum cùm gravibus seriisque rebus satisfecerimus; ipsumque genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet.* Tertiò, peccant qui ludis et jocis, quamvis secundùm se moderatis, honestis, et personæ, loco ac tempori congruentibus, ita utuntur, ut non omninò observent alias circumstantias quæ ad actum virtuosum generatim consi-

ratæ desiderantur, quas vix aut nunquàm observant qui huic voluptati studere solent.

XI. Verùm in hâc re præstat afferre doctrinam doctoris Angelici, qui defectus in ludo, prout ad voluptatem assumitur, egregiè de more patefacit art. 2, ubi quærit, *an in superfluitate ludi possit esse peccatum?* Sic autem respondet : « In omni eo quod est dirigibile secundùm rationem, superfluum dicitur quod « regulam rationis excedit. Diminutum autem dicitur « aliquid, secundùm quod deficit à regulâ rationis. « Dictum est autem quòd ludicra, sive jocosa verba « vel facta sunt dirigibilia secundùm rationem. Et « ideò superfluum in ludo accipitur, quod excedit re« gulam rationis. Quod quidem potest esse dupliciter : « uno modo ex ipsâ specie actionum, quæ assumun« tur in ludum... quando scilicet utitur aliquis causâ « ludi turpibus verbis vel factis, vel etiam his quæ « vergunt in proximi nocumentum; quæ de se sunt « peccata mortalia. Et sic patet quòd excessus in ludo « est peccatum mortale. Alio autem modo potest esse « excessus in ludo secundùm defectum debitarum cir« cumstantiarum; puta cùm aliqui utuntur ludo vel « temporibus, vel in locis indebitis, aut etiam præter « convenientiam negotii seu personæ. Et hoc quidem « quandoque potest esse peccatum mortale propter « vehementiam affectûs ad ludum, cujus delectatio« nem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quòd con« tra præceptum Dei vel Ecclesiæ talibus ludis uti non « refugit. Quandoque autem est peccatum veniale; « puta si aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd « propter hoc velit aliquid contra Deum commit« tere. »

XII. Difficultatem in hâc materiâ facessere possunt, quæ habet S. Thomas in responsione ad tertium argumentum. Ibi objecerat ille : *Maximè histriones in ludo videntur superabundare, qui totam suam vitam ordinant ad ludendum. Si ergo superabundantia ludi esset peccatum, tunc omnes histriones essent in statu peccati. Peccarent etiam omnes qui eorum ministerio uterentur, vel qui eis aliqua largirentur, tanquàm peccati fautores : quod videtur esse falsum*, etc. Quid verò ad hoc argumentum reponit ille? « Dicendum, inquit, quòd, sicut « dictum est, ludus est necessarius ad conversationem « humanæ vitæ. Ad omnia autem quæ sunt utilia con« versationi humanæ deputari possunt aliqua officia « licita. Et ideò etiam officium histrionum, quod or« dinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est « secundùm se illicitum. Nec sunt in statu peccati, « dummodò moderatè ludo utantur, id est, non utendo « aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non « adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis. « Et quantumvis in rebus humanis non utantur alio « officio per comparationem ad alios homines, tamen « per comparationem ad seipsos et ad Deum, alias ha« bent seriosas et virtuosas operationes... Unde illi « qui moderatè eis subveniunt, non peccant; sed justè « faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. « Si qui autem (subjicit) superfluè sua in tales con« sumunt, vel etiam sustentant illos homines qui illi« citis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato « foventes. Unde Augustinus dicit super Joan., *quòd « donare res suas histrionibus vitium est immane, non « virtus.* » Hoc S. doctoris testimonio abutuntur nonnulli, ad patrocinium comœdiarum ac spectaculorum theatralium illud pertrahentes, quæ hodiedùm in usu sunt : sed perperàm omninò. Nam tametsi nomen histrionum commune sit cum illis qui et olim apud Gentiles ita appellabantur, et nunc quoque appellantur, re tamen longè differunt ab iis qui ævo D. Thomæ proximisque temporibus obtinebant, quemadmodùm jam plures antiquitatis scrutatores observârunt, et ex ipso S. Thomæ textu evidenter colligitur. A seculo nempe æræ christianæ XIII, sublatis publicis theatris, qui histriones vocabantur, in privatis domibus versus recitare consueverunt, instrumentis musicis adhibitis, ad populi levamen; prout etiam modò aliqui in vicis, aut domibus faciunt ad subsidium sibi aliquod conquirendum. De his itaque histrionibus cum aliis illius temporis theologis S. Thomas locutus est; *non esse* nempe *illicitum secundùm se histrionum officium, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, nec illos esse in statu peccati; dummodò moderatè ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis.* Et nunc quoque illicitum non foret, si hujusmodi conditiones servarentur. Cæterùm quia temporum progressu, abusus in hoc officio plurimi introduci cœperunt, et histriones, et quæ assumuntur ad delectationem, frequentiùs verba et facta turpia et obscœna sunt, vel flagitiosa, quæ peccare potiùs docent, quàm à peccato animum avertant; idcircò jure à melioribus theologis histrionis officium tanquàm pravum reprobatum est, ac reprobari meretur.

XIII. Cùm animi recreatio aut solamen sit finis ad quem ludus ordinatur, consequitur non sine culpâ esse qui ludit principaliter propter lucrum, vel lucrum in ipso ludo nimiùm avidè quærit. Est enim in hoc quædam ordinis perversio, dùm quod ad aliquem finem suâpte naturâ ordinatur, ad alium detorquetur. Damnandi tamen non sunt, qui ludentes præter honestum animi solamen exiguum aliquod lucrum adjiciunt, quod tanquàm finem non intendunt. Cæterùm cautè in hoc se gerere oportet, quoniam experientiâ satis frequenti constat, nihil minùs sæpiùs intendi, quàm animi levamen, quoties lucrum proponitur, maxime si lucrum pecuniarum sit. Videmus quippe tunc ludentes tanto mentis ardore in ludum incumbere ad victoriam assequendam, ut nihil aliud cogitent, quàm evadere victores. Hinc in his qui ita ludunt, admodùm rarò ludus actus virtutis est : quòd si virtutis actus non est, non potest non esse nisi actus aliquâ vitii labe corruptus. Sed de ludo lucratorio alibi dicemus.

### § 5. *De vitiis quæ modestiæ opponuntur, prout spectat exteriorem apparatum.*

XIV. Duobus articulis, quibus constat quæstio 169 hujus secundæ secundæ partis, totam S. Thomas materiam absolvit, quæ modestiam spectat in exteriori apparatu observandam, ac vitia quæ eidem ita consi-

deratæ opponuntur; quos explicare et aliquantulùm illustrare præstat, ut in re admodùm necessariâ vera doctrina innotescat.

Quod igitur primum quærit, hoc est, *utrùm in exteriori apparatu possit esse virtus et vitium;* primùmque profert S. Ambrosii auctoritatem ex lib. 1 de Offic. cap. 19, ubi ait : *Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quàm expolitus, non pretiosis et albentibus adjunctis vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitoris.* Ex quâ colligit, in exteriori cultu virtutem esse posse et vitium. Nimirùm corporis ornamenta instituta sunt nedùm ad naturam fovendam, ac à temporis injuriis protegendam, sed etiam ad statum, conditionem ac sexûs distinctionem indicandam. Unde sicut in corpore physico membrorum distinctio est et dispositio cuique parti corporis conveniens, ita quoque congruum fuit ut corpus politicum suîs membris constet, quæ signis et ornatibus distinguantur, ut ex partium varietate et idoneâ dispositione utriusque corporis physici atque politici pulchritudo consurgat. Hinc membra quæ in corpore utroque altiùs eminent, ac nobiliora sunt, ornatiora cæteris esse rerum naturæ conforme est; adeòque ut viri nobiles et magistratus cultioribus præ aliis vestibus induantur, ut sui statûs aut officii dignitas manifestetur. Quod S. Thomas approbat in resp. ad 2, hisce verbis : *Illi qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam ministri altaris pretiosioribus vestibus, quàm cæteri, induuntur, non propter suî gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii, vel cultûs divini; et ideò in eis non est vitiosum.* Addit tamen, eisdem qui dùm altari ministrant, convenienter utuntur pretiosis vestibus, *competere vilibus vestibus uti, dùm alios verbo et exemplo ad pœnitentiam hortantur, sicut fecerunt prophetæ.*

XV. At verò si exterior apparatus virtutis actus est, dùm eam quæ par est, spectatâ conditione ac dignitate cujuscumque, moderationem servat; ita vitiosus efficitur propter hujus defectum : quod ex duplici capite contingit. *Uno quidem modo,* inquit S. Thomas, *per comparationem ad consuetudinem hominum, cum quibus aliquis vivit, quoniam,* ut ait S. Augustinus, *quæ contra mores hominum sunt, flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt,* etc. *Turpis enim est pars universo suo non congruens.* Ut si quis erigeret magnifica ædificia, et ea ornaret pretiosiore supellectili, vel majore servorum comitatu uteretur, quàm sui statûs conditio, vel hominum consuetudo ferat. *Alio modo potest esse immoderantia in usu talium rerum ex inordinato affectu utentis : ex quo quandoque contingit, quòd homo nimis libidinosè talibus utatur, sive secundùm consuetudinem eorum cum quibus vivit, sive præter eorum consuetudinem.* In his etenim, inquit S. Augustinus lib. 3 de Doctr. Christ., *non rerum usûs libido tamen utentis in culpâ est.* Hinc S. Gregorius Magnus hom. 40 in Evang. scribit : *Sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quòd si culpa non esset, nequaquàm sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpurâ indutus fuisset; nemo quippe vestimenta pretiosa* (hoc est, supra suum statum et dignitatem) *nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honoratior cæteris esse videatur.* Porrò inordinatum hujusmodi affectum tripliciter contingere notat S. præceptor. Primùm ex hoc *quòd aliquis ex superfluo cultu vestium hominum gloriam quærit, prout scilicet vestes et alia hujusmodi pertinent ad quemdam ornatum.* Secundò, quatenùs *homo per superfluum cultum vestium quærit delicias, secundùm quòd vestis ordinatur ad corporis fomentum.* Tertiò, prout *nimiam sollicitudinem apponit ad nimium vestium cultum, etiamsi non sit aliqua inordinatio ex parte finis.*

XVI. Quemadmodùm autem vitiosa inordinatio per excessum esse potest in cultu vestium aliorumque quæ ad externum apparatum pertinent; ita pariter esse posse per defectum, hoc eodem articulo docet S. Thomas. *Uno quidem modo,* inquit, *ex negligentiâ hominis qui non adhibet studium vel laborem ad hoc quòd exteriori cultu utatur, secundùm quòd oportet..... Alio modo, quòd ipsum defectum exterioris cultûs ad gloriam ordinat.* Unde dicit August. in lib. 2 de Serm. Dom. in Monte, *non in solo rerum corporearum nitore atque pompâ, sed etiam in ipsis sordibus luluosis esse posse jactantiam, et eò periculosiorem, quòd sub nomine servitutis Dei decipit.* Ac statim : *Qui in professione christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cùm id voluntariè faciat, non necessitate patiatur, ex cæteris ejus operibus potest conjici, utrùm id contemptu superflui cultûs, an ambitione aliquâ faciat, quia et sub ovinâ pelle cavendos lupos Dominus præcipit.*

§ 6. *De vano mulierum ornatu.*

XVII. Quanquàm ea quæ modò dicta sunt de apparatu exteriore, non minùs ad mulieres quàm ad viros pertineant, peculiarem tamen sermonem de ornatu mulierum instituendum putavit S. Thomas hoc titulo : *utrùm ornatus mulierum sit sine peccato mortali?* Quandoquidem præter ea quæ utrique sexui communia sunt, speciale quidpiam occurrit circa mulierum ornamenta, quòd videlicet muliebris cultus viros ad libidinosos affectus plurimùm provocare soleat, eique sexui magis familiare sit tum pulchritudinem, tum ornatum affectare, ut experientiâ liquet.

Quid in hâc valdè implexâ quæstione doceat laudato articulo S. Thomas, primùm aperio; quædam subinde adjiciam ad doctrinæ suæ ac veritatis ampliorem declarationem. Inprimis itaque distinguit mulierem conjugatam à solutâ; ac de illâ docet licitè operam dare ornatui moderato, *ut viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur,* scilicet ne eam fortassè maritus fastidiat, ac dimisso affectu uxoris propriæ, pravum erga alienam mulierem amorem concipiat. Unde 1 ad Cor. dicitur quòd *mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat viro;* quod clariùs insinuat 1 ad Timoth. c. 2 : *Mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ.* « Per « quod, subdit S. Thomas ad 2, datur intelligi quòd

« subtilis et moderatus ornatus non prohibetur mu-
« lieribus, sed superfluus, et inverecundus, et impu-
« dicus. » Quòd si etiam in eo ornatu ad hunc finem assumpto placendi viro suo, mulier excedat, nonnisi venialiter peccabit; modò ille ex aliquo alio capite illicitus non sit, ex. gr., scandali aliorum, aut gravis damni familiæ, de quo postea. Quoniam dùm excessus est in re, seu appetitu rei, quæ non est ex se mala, nec ex alio capite mala evadit, excessus ejusmodi per se loquendo non est, nisi veniale peccatum. De aliis verò mulieribus ita subinde docet S. Thomas : *Illæ mulieres quæ virum non habent nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato* (lethali de quo loquitur) *appetere, placere virorum aspectibus ad concupiscendum, quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hâc intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quâdam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantùm ad hoc est de viris. Unde Augustinus dicit in Epist. ad Possidium :* « Nolo ut de ornamentis auri vel vestis præproperam
« habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui ne-
« que conjugati sunt, neque conjugari cupientes cogi-
« tare debent, quomodò placeant Deo. Illi autem co-
« gitant quæ sunt mundi, quomodò placeant viri
« uxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos
« nudare feminas, quas etiam velare Apostolus jubet,
« nec maritatas decet. » *In quo tamen casu*, subdit, *possent aliquæ à peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliquâ vanitate, sed propter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.*

XVIII. Ex hâc S. Thomæ doctrinâ plura habemus, quæ facem veritati in hâc obscurâ materiâ splendidissimam accendunt. Habemus primò, licere mulieribus conjugatis se studio aliquo ornare ob hunc finem, qui rationis ordini consentaneus est, ut placeant viris suis, eosque avertant ab alienarum mulierum amore. Habemus secundò, idem licitum esse puellis quæ matrimonio jungi volunt, ut sibi honestum amorem concilient, dummodò in ornatu non excedant, neque periculum sit ut alios ad peccandum alliciant, aut ille sit immoderatus et meretricius. Habemus tertiò, mulieribus quæ nec viros habent quibus placere debeant, nec habere volunt, vel in statu non sunt habendi, ut virgines quæ Deo se mancipârunt, maximèque moniales, nullo modo convenire nimium corporis ornatum; et, si illum adhibeant, *ut placeant virorum aspectibus*, ad concupiscentiam in illis excitandam, aut immoderato cultu corporis sui incentivum peccandi præbeant, semper mortaliter peccare. Habemus quartò, mulieres se superfluè ornantes, non intentione provocandi alios ad venerem, sed vel ex quâdam animi levitate, vel ex quâdam vanitate mulieribus familiari, ut nempe de pulchritudine et corporis sui elegantiâ laudentur, *quandoque solùm peccare venialiter*, ut ait S. Thomas, qui consultò usus est hâc limitatione *quandoque*, quoniam sæpè contingit, ex alio capite esse peccatum mortale, ut dicemus.



XIX. Profectò saltem frequenter grave peccatum esse vanum et immoderatum mulierum ornatum, sive Scripturas, sive Patres consulamus, affirmare necesse est. His quippe locutionibus adversùs illum utuntur, quæ mulieres æternæ salutis suæ sollicitas ab eo maximè deterrere deberent. Vehemens admodùm comminatio est, quam intentat Isaias, cap. 3, Judæorum feminis superfluo ornatu comptis, quem ipse describit his verbis : *Et dixit Dominus : Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, etc., et composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zonâ funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fasciâ pectorali cilicium.* Quæ verba, quantùm vana hæc ornamenta Deus abominetur, satis enuntiant.

Quàm facilè homines ad lasciviam attrahant ornatæ mulieres, insinuat Sapiens Ecclesiastes, cap. 9, dùm ait : *Averte faciem tuam à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit...Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt : colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Paria habet cap. 42 : *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.* S. quoque Petrus Epist. 1, cap. 3, his verbis muliebrem ornatum perstringit, de mulieribus dicens : *Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Alia prætereo; sicut etiam sanctorum Patrum sententias, quorum duntaxat indicabo loca : Tertulliani lib. de Cultu feminar., cap. 11; Cypriani lib. de Discipl. et Hab. Virginum; S. Aug. lib. 3 de Doctr. Christ. cap. 12; S. Joan. Chrysost. hom. 17 in Matth.; S. Greg. Mag. hom. 40 in Evang. Qui omnes ita vituperant ac damnant superfluum mulierum ornatum, ut satis manifestent, illum à gravi peccato immunem, generatim loquendo, non existimâsse.

XX. Verùm hâc in re extrema devitanda esse censeo, adeò ut nec mulieres ob excessum ornamentorum præcipiti judicio lethalis peccati sontes arguamus, nec etiam nimiâ facilitate à peccato absolvamus. Malitia namque sive gravis, sive levis hujusce criminis colligenda est ex pluribus circumstantiis, quæ subesse solent, nempe ex feminarum statu, conscientiâ, morum integritate aut pravitate, ex expensis, quæ propter ornatum fiunt, ex conditione familiæ, aliisque. Quare subscribo prudenti judicio S. Antonini archiepiscopi Florentini ita loquentis : « Quantùm ad ipsum orna-
« tum in se, duo possunt ibi vitia inveniri, scilicet
« superfluitas expensæ quæ pertinet ad prodigalitatem;
« et incentivum, et excitativum libidinis, ad quod il-
« lud inducit. Et quantùm ad superfluitatem, cùm non

« omnis prodigalitas sit mortale, sed aliquando et frequentiùs veniale; ideò isto respectu non poterit illud judicari mortale, nisi fuerit valdè evidens et enormis excessus. Quantùm autem sit ille excessus quoad superfluitatem ornatûs, qui faciat mortale, fateor me nescire dare regulam generalem, nec de facili posse dari, nec reperio aliquem dedisse. Unde prudentiæ et arbitrio boni viri relinquendum est. In quantum verò ipse ornatus mulieris est provocativus ad luxuriam, videtur ibi distinguendum de occasione datâ sufficienter, vel acceptâ. Poterit autem esse tantus excessus, quòd erit ibi occasio etiam data ex parte mulieris se ornantis. Quale autem sit iste excessus, ut mortale valeat judicari, ad arbitrium boni viri videtur dimittendum. Boni viri, dico, non solùm in conscientiâ, sed in sufficienti peritiâ circa hujusmodi. Sed ex his quæ notat Alexander de Ales, non de facili debent hujusmodi mulieres de mortali condemnari. »

## CAPUT IX.

CONSECTARIA *duorum præcedentium capitum.*

*I. Delectationes sensibiles homini non conveniunt, nisi sint juxta rationem.* — I. *Cùm homo sustentare corpus debeat, non potest ab omnibus corporis delectationibus abstinere.* — II. *Necessitas humanæ vitæ, quæ regula temperantiæ est, dupliciter attenditur,* simpliciter *nempe et* moraliter. — IV. *Graviter peccat adversùs temperantiam, qui delectatur vel comestione carnis humanæ, vel potu humani sanguinis; nec iis uti licet etiam in casu necessitatis.* — V. *Jejunium naturale non frangitur, nisi aliquid sumatur, quod vel nutriat, vel nutrire queat.* — VI. *Interdùm jejunium ob circumstantias vitiosum efficitur.* — VII. *Præceptum naturale jejunii nonnunquàm obligat præter tempus ab Ecclesiâ constitutum.* — VIII. *Peccant aliquando mortaliter, qui inordinato affectu feruntur in studium veritatum, etiam ad intellectualem cognitionem pertinentium.* — IX. *A peccato immunes sæpè non sunt joci et ludi.* — X. *Ludere propter lucrum etiam moderatum non est sine aliquâ culpâ.* — XI. *Licet exterior apparatus vilior quàm deceat, non sit approbandus, suppetere tamen causæ possunt, cur laudabilis sit.* — XII. *Muliebris ornatus, qui de se ad luxuriam provocat, semper est lethale peccatum.* — XIII. *Etiam ob sola gravia incommoda, quæ sæpè familiæ affert muliebris ornatus, grave peccatum est.* — XIV. *Mulieres sine peccato non utuntur fucis ac pigmentis ad pulchritudinem ementiendam.* — XV. *Quorumdam Casuistarum de hâc re rejicienda sententia est.* — XVI. *Peccato non caret, quòd vir muliebri, aut mulier virili veste utatur.* — XVII. *Cautè se gerere debet confessarius in directione mulierum, vanis ac superfluis ornamentis utentium.* — *Reflexio.*

CONSECTARIUM PRIMUM. — Cùm natura appetat quod sibi est conveniens, delectationes secundùm se hominis appetitui conveniunt. *Quia verò*, ut animadvertit S. Thomas q. 141, art. 1, *homo in quantum hujusmodi est rationalis, consequens est quòd delectationes sint homini convenientes, quæ sunt secundùm rationem. Et ab his non retrahit temperantia, sed potiùs ab his quæ sunt contra rationem.* Ex quo colligitur quòd uti delectationibus juxta temperantiæ regulam contrarium non est inclinationi humanæ naturæ, imò conveniens : contrarium tamen est *inclinationi naturæ bestialis, non subjectæ rationi;* quam inclinationem homo sequi non debet.

CONSECTARIUM II. — « Quia ratione homo uti non « potest (verba sunt S. Thomæ hìc q. 142, art. 1, ad 2) « sine sensitivis potentiis, quæ indigent organo corporali, necesse est quòd homo sustentet corpus ad hoc « quòd ratione utatur. Sustentatio autem corporis fit « per operationes delectabiles. Unde non potest esse « bonum rationis in homine, si abstineat ab omnibus « delectationibus : secundùm tamen quòd homo in « exequendo actum rationis plus vel minùs indiget corporali virtute, secundùm hoc plus vel minùs necesse « habet delectabilibus corporalibus uti. Et ideò homines « qui hoc officium assumpserunt, ut contemplationi « vacent, et bonum spirituale, quasi quâdam spirituali « propagatione, in alios transmittant, à multis delectabilibus laudabiliter abstinent, à quibus illi quibus « ex officio competit operibus corporalibus, et generationi carnali vacare, laudabiliter non abstinent. » Seriâ meditatione angelica hæc doctrina digna est.

CONSECTARIUM III. — Necessitas humanæ vitæ, quæ est temperantiæ regula, dupliciter attendi potest, scilicet simpliciter et moraliter, quatenùs est aliquid vitæ humanæ conveniens; temperantiæ autem regula nedùm primam, sed alteram etiam necessitatem respicit. Unde temperatus rectè appetit tum ea sine quibus, e. g., sanitas haberi non potest, tum illa quæ ad bonam corporis valetudinem conferunt. « Alia verò, inquit S. Thomas, art. 6, ad 2, quæst. cit., quæ « ad hoc non sunt necessaria, possunt dupliciter se « habere. Quædam enim sunt impedimenta sanitatis, « vel bonæ habitudinis. Et his temperantia nullo modo utitur; hoc enim esset peccatum contra temperantiam. Quædam verò sunt, quæ non sunt his impedimenta; et his moderatè utitur pro loco, tempore et congruentiâ eorum quibus convivit. Et ideò « philosophus dicit quòd *etiam temperatus appetit talia « delectabilia;* quæ scilicet non sunt necessaria ad sanitatem, vel ad bonam habitudinem, non impedimenta his existentia. »

CONSECTARIUM IV. — Cùm juxta D. Thomam hìc, art. 6, ad 3, temperantia respiciat necessitatem quantùm ad convenientiam vitæ, et etiam quantùm ad convenientiam honestatis, ad peccatum contra temperantiam referri debet, quòd quis delectetur vel comestione carnium humanarum, vel potu humani sanguinis, aut peccatis carnalibus, quæ propter turpitudinem et horrorem quem ingerunt, *innominabilia* dicuntur. Hinc illicitum semper est ac mortale peccatum vesci carne humanâ, saltem extra gravissimam necessitatem. An verò hâc necessitate urgente eisdem carnibus vesci liceat, disputant auctores. Nihilominùs probabilior mihi sententia est nunquàm licere, quia semper hoc cum hominis naturâ pugnare videtur, et

semper veluti ferinum quoddam atque immane habitum est, quòd aliqui ejusmodi alimento uterentur, etiam in arctissimâ obsidione civitatum. Unde in obsidione Samariæ, quæ refertur 4 Reg. cap. 6, in quâ *venumdabatur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*, neque Eliseus, neque alius quispiam legitur consuluisse populo famæ oppresso, ut humanis cadaveribus, quæ præstò esse poterant, vescerentur.

Consectarium V. — Jejunium naturale non frangitur, nisi aliquid sumatur ac saltem in viâ sit, ut trajiciatur ad stomachum, quod vel nutriat, vel ad nutriendum idoneum sit; uti sunt quilibet cibus, potus, medicinæ, et quidquid sumitur per modum cibi, vel potûs, quemadmodùm tradit S. Thomas, in 4, dist. 8, et Adrianus pariter in 4, dicens : *Jejunium naturale est carentia cibi et potûs suscepti in stomacho, vel in viâ ad stomachum.* Unde si quis vel casu, vel datâ operâ deglutiret glandem plumbeam, vel partem ferri, videtur non fregisse naturale jejunium.

Consectarium VI. — Quanquàm jejunium ex genere suo sit actus virtutis, vitiosum tamen sæpè efficitur ex circumstantiis adjunctis. Hinc meritò reprobavit Deus, Isai. 58, Hebræorum jejunium eâ de causâ quam expressit, dicens : *Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra;* et paulò post : *Ad lites contentiones jejunatis, et percutitis pugno impio.* Quod exponens S. Gregorius in Pastor. inquit : *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incassùm ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens vitiis dissipatur.* Et S. August. in serm. 230 de Orat. et Jejun. : *Jejunium verbositatem non amat, divitiarum superfluitatem judicat, superbiam spernit, eleemosynam commendat, præstat homini seipsum intelligere, quòd est infirmum et fragile.*

Consectarium VII. — Quoniam ex doctrinâ S. Thomæ *jejunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ*, siquidem ex naturali ratione tenetur quisque ad ea media adhibenda, quæ necessaria sunt triplici fini jejunii exposito, maximèque ad cohibendas concupiscentias carnis nostræ : ex hoc colligere oportet, quod jejunio, etiam præter tempora ab Ecclesiâ statuta, uti debeamus eo modo, tempore et quantitate, quâ ad illum præsertim finem obtinendum necesse est. Qui carnem magis effrenem experitur, majore, aut frequentiore jejunio opus habet, ut eam comprimat. In hujusmodi autem jejunio non requiritur ut eam formam et modum servet, qui in jejunio ecclesiastico præscribitur, sed formam illam modumque jejunandi observare debet, qui carni in officio continendæ magis idoneus est, ab iisque potissimùm cibis abstinere, qui ejusdem rebellionem fovere possunt. Hæc doctrina à confessariis et directoribus animarum diligenter advertenda est.

Consectarium VIII. — Peccant et nonnunquàm mortaliter, qui nimio et inordinato appetitu feruntur in studium veritatum etiam ad intellectualem cognitionem pertinentium; tum quia sæpè quæ sui statûs et officii propria sunt, omittunt, aud valdè negligunt, ob curiositatis affectum, quo aliis minùs utilibus veritatibus pernoscendis totum, aut ferè totum tempus impendunt; tum etiam quia tanto erga studium amore quandoque afficiuntur, ut illud tanquàm finem ultimum sibi præfigant, non minùs ac voluptuosi delectationem, aut avari divitias; tum demùm quia plerùmque cognitiones, quas acquirere peroptant, non referunt in Deum summam et perfectissimam veritatem. Hinc D. Thomas, hic quæst. 67, art. 1, ad 1, observat bonum quidem hominis consistere in cognitione veri; non tamen summum hominis bonum consistere in cognitione cujuslibet veri, sed in perfectâ cognitione summæ veritatis; et ideò esse posse vitium in cognitione aliquorum verorum, secundùm quòd talis appetitus non debito modo ordinatur ad cognitionem summæ veritatis, in quâ consistit summa felicitas.

Consectarium IX. — Tametsi joci et ludi moderati liciti sint ac honesti, frequentiùs tamen illiciti evadunt ob carentiam circumstantiarum quæ ad eos honestandos necessariæ sunt. Certè qui hæc animi oblectamenta nimiùm frequentant, sine culpâ non sunt. Nam, ut ait Tullius in lib. 1 de Offic., *non ita generati à naturâ sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potiùs, et ad quædam studia graviora atque majora.* Quarè à peccato non sunt immunes, qui plures horas diei in jocis ac ludis etiam citra aliorum damnum insumere solent; eò præsertim quòd hi vix indigeant hoc remedio ad levamen animi seriosis studiis defatigati, ac ludo non propter finem levandi animum, sed propter ludum ipsum ac delectationem quam in eo percipiunt, duntaxat utantur. Unde oportet ut illud ejusdem Tullii ob oculos semper habeamus, nimirùm : *ludo et joco uti quidem licet, sed sicut summo et quietibus cæteris, tum cùm gravibus seriisque rebus satisfecerimus.*

Consectarium X. — Ludere propter lucrum principaliter intentum non est sine aliquo peccato saltem veniali (non loquor modò de ludis violentis in quibus magna pecuniarum summa sorti exponitur, sed de ludis ordinariis). Finis namque ludi sola animi curis aliis defessi recreatio est aut solamen, non lucrum; adeòque pervertit ordinem, et ludum à suo nativo fine detorquet, qui lucrum principaliter intendit. Quælibet autem in actionibus nostris inordinatio peccatum aliquod secum affert. Quapropter tanquàm falso rejicienda est sententia cardinalis de Lugo, aliorumque Probabilistarum, qui in ludo principaliter ad lucrum ordinato nullam peccati labem agnoscunt.

Consectarium XI. — Peccati quidem potest, saltem venialiter, *per defectum* contra *modestiam* in exteriore apparatu servandam, ut si quis, ex. gr., externo vestitu per negligentiam viliore quàm debeat, uteretur. Vitiosum tamen non est ut quispiam adhibeat vel habitum vel externum alium apparatum viliorem, quàm consuetudo ferat eorum cum quibus vivit, ob aliquem finem virtuosum, dummodò et socialem vitam non perturbet, et absit ab illo jactantia omnis, aut inanis gloria, aut alia quævis intentio prava, sed purâ ac rationabili intentione moveatur, veluti ad sui humi-

liationem, ad corporis macerationem, ad agendam pœnitentiam, ad ædificationem proximi. Hinc reprehensione digni non sunt qui in cœnobiis religiosorum degentes vilem habitum gestant, modò talem non assumant, qui notabiliter ab habitu aliorum differat.

Consectarium XII. — Muliebris ornatus, si hujusmodi sit, ut de se ad luxuriam alliciat et provocet, semper est peccatum mortale. Talis esse solet ornatus qui *meretricius* dicitur, ex eo quòd illo utantur meretrices ad pertrahendum homines ad turpem sui amorem. Quare si ornatum similem adhibeant etiam aliæ mulieres honestæ, licet eamdem pravam intentionem non habeant, nihilominùs graviter peccant, quia scandali occasionem proximo præbent. Audiamus quid de hâc re senserit magnus S. Carolus in monitis ad confessarios Italico sermone conscriptis, quæ Latinè reddo : « Peccat etiam lethaliter mulier in modo « se ornandi, veluti si ornatus ad lasciviam inducat « aut de se, aut interpretativè, sive communi homi- « num interpretatione; sicut etiam, quamvis de se « aut inducat, si agnoscat ipsa, aut cum fundamento « dubitet, occasione talis se ornandi modi, haud con- « sueti inter alias suî statûs personas, aliquem ad in- « honestum suî amorem inductum iri. »

Consectarium XIII. — Immodicus mulierum ornatus non infrequenter lethale peccatum est ob gravia quæ ex illo proficiscuntur incommoda. Hoc consectarium expono, afferendo pauca quædam ex pluribus, quæ habet de hoc argumento S. Bernardinus Senensis serm. 46, art. 2, de vano et immoderato ornatu mulierum verba faciens : « Nocent, inquit, hujusmodi « mulieres pauperibus devoratis, quibus illa quæ ex- « penduntur in pompis et jocalibus, atque vanitatibus « suis, restitui deberent. Devoravit enim illos pater « suus, sive maritus per usuras, rapinas, furta, simo- « nias, aut per quascumque concussiones. Pereunt illi « fame, frigore et nuditate; nobilesque puellæ expo- « liatorum clausæ, et innuptæ retinentur in domo, la- « ceratis vestibus, vix carnes operientes, verecundæ, « et timidæ vix coram aliquo comparentes. Parvuli « panem petunt, etc. Et tu, vanitatis insatiabilis lupa, « sanguinem pauperum cum caudâ per terram trahis, « fastosas pompas jactanter ostentas. » Neque hìc consistunt mala quæ ex immoderatis mulierum ornamentis et pompis non rarò proveniunt. Eadem referre persequitur, art. 3, idem S. Bernardinus, dicens : « Ex « vanitatibus veniunt mala temporalia. Nam qui dili- « genter advertit, ex multitudine expensarum quæ in « vanitatibus fiunt, primò cessant justa lucra; secundò « crescunt temporalia damna; tertiò cogunt ad hæc « prædicta continuanda. Primò quidem cessant justa « lucra. Nam pecunia, quæ expenditur in superfluis « indumentis, in monilibus, in annulis, in coronis, in « lapidibus pretiosis, atque in superfluis aliis orna- « mentis, mortua perseverat quæ quidem potest esse « lucrosa in mercaturis, in possessionibus, etc., et in « aliis quibuscumque, etc.; » aliaque plura ibidem habet, quæ prætereo. Quæ ergo mulier, ob nimium ornamentorum appetitum ac studium, aut horum, aut aliquorum ex his causa malorum est, à mortali peccato immunis nullatenùs esse videtur.

Consectarium XIV. — Absque peccato fucis aut pigmentis mulieres, aut etiam viri vultum suum non adulterant, ut pulchritudinem ementiantur. Ita D. Thomas hìc q. 109, art. 2, ad 2, ubi ait : « Mulierum fucatio « est quædam species fictionis, *quæ non potest esse sine* « *peccato*. Unde Augustin. dicit in Epist. ad Possid.: *Fu* « *cari pigmentis, quo rubicundior vel candidior appareas,* « *adulterina fallacia est; quâ non dubito, etiam ipsos ma-* « *ritos se nolle decipi, quibus solis* (scilicet maritis) *per-* « *mittendæ sunt feminæ ornari secundùm veniam, non* « *secundùm imperium.* Non semper tamen, subdit, ta- « lis fucatio est cum peccato mortali, sed solùm quan- « do fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum; in « quibus casibus loquitur Cyprianus (cujus locum sibi « objecerat). Sciendum tamen, addit statim, quòd aliud « est fingere pulchritudinem non habitam, et aliud « occultare turpitudinem ex aliquâ causâ proveniен- « tem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi; » quod permittere videtur. Cæterùm ad solam majorem pulchritudinem conciliandam, etiamsi alius desit pravus affectus, pingere fucis aut coloribus vultum, semper aliquod peccatum esse juxta doctrinam S. Thomæ dicendum omninò est, utpote *quamdam fictionis speciem.*

Consectarium XV. — Hinc tanquàm falsa repudianda est aliquorum Casuistarum sententia, qui fucare pigmentis vultum ad pulchritudinem ementiendam, nullum esse peccatum pertendunt, sed actionem indifferentem, non S. Thomam secuti, sed potiùs P. Lessium, qui lib. 4, cap. 4, præter alia quæ de mulierum vanis ornamentis tradit à veritate alienâ, hæc habet : *Denique pingere faciem, eique varios colores inducere, non est per se malum, sed indifferens : similiter per hoc intendere, pulchritudinem artificio juvare ac exornare opus naturæ. Ergo nihil hìc mali, nisi ratione excessûs in affectu et usu rei indifferentis.*

Consectarium XVI. — Peccato quoque non caret, quòd mulier virili, vel vir muliebri veste utatur. Ut enim docet S. Thomas hìc art. 1, et art. 2, ad 3, « cultus « exterior debet competere conditioni personæ secun- « dùm communem consuetudinem. Et ideò vitiosum « est quòd mulier utatur veste virili, aut è converso; « et præcipuè, quia hoc potest esse causa lasciviæ, et « speciabter prohibetur in lege... Potest tamen quan- « doque hoc fieri sine peccato propter aliquam neces- « sitatem, vel causâ se occultandi ab hostibus, vel « propter defectum alterius vestimenti, vel propter ali- « quid aliud hujusmodi. » Quòd si absque simili causâ hæc habitûs mutatio fiat, sed solùm ex quâdam levitate animi, et absit tam scandalum quàm intentio periculumque libidinis, non excedit culpam venialem. Nec objici potest, prohibitionem factam in lege Deuteron. c. 22, iis verbis esse conceptam, ut gravè peccatum indicare videatur. Prohibetur enim *ne vulier induatur veste virili, nec vir veste femineâ;* additurque immediatè: *Abominabilis enim est apud Deum, qui facit hæc,* quæ planè locutio plus quàm veniale peccatum designat. Respondetur enim præceptum illud considerari

posse ac debere et ut positivum, sive cæremoniale; quatenùs ea mutatio vestium tunc temporis prohibebatur, ut Judæi averterentur à cultu idololatriæ, in quo Gentiles tali habitûs mutatione utebantur, quemadmodùm loco eodem advertit S. Thomas; et quatenùs est morale, sive naturale, prout ea vestis mutatio quamdam inordinationem importat. Sub priore consideratione lethale peccatum erat: sed quia præcepta cæremonialia legis jam obligare desiverunt, ideò nunc tota obligatio non mutandi habitum repetenda est ex solâ lege morali, seu naturali, quæ non est sub gravi culpâ, dùm mutatur habitus ex solâ levitate aut vanitate citra scandali periculum.

Consectarium XVII. — Caute se gerere debet confessarius in directione mulierum vanis ac superfluis ornamentis utentium, ne imprudenter aut in nimium rigorem aut laxitatem declinet. Si cultus aut ornatus ejusmodi sit, ut vel ex se vel ex circumstantiis ad libidinem provocet, licet hâc intentione careant, absolutionem denegare ipsis debent, dùm ab illo abstinere abnuunt. Similiter si expensæ quas in hisce ornamentis faciunt, aut superent domûs facultates, aut propter eas debita non solvant, aut ea non restituant quæ restituere tenentur, aut alia id genus incommoda obveniant quæ gravis peccati materia sint, deneganda ipsis absolutio est. Quòd si nullum ex his damnum intersit, sed sola vanitatis aut levitatis culpa locum habeat in hisce quæ adhibent ornamentis, etiam atque etiam hortetur, ut tales deserant vanitates quæ minimè decent christianas mulieres, quarum proprius decor debet esse modestia in omnibus suis actibus, maximèque in vestitu, juxta illud Apostoli præscribentis 1 ad Timoth. cap. 2, mulieribus, ut *ornent se cum verecundiâ et sobrietate, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Quòd si tamen eas deserere nolint, non propterea à sacramentis arceat, sed ad frequentem communionem non esse admittendas existimarem.

REFLEXIO.

Quanquàm temperantia non omnium etiam moralium virtutum nobilissima sit, cæteris tamen omnibus nemo, quantùm quidem arbitror, negaverit magis esse necessariam homini in hâc vitâ mortali constituto, ac tum rationali, tum corporeâ naturâ constanti; adeòque turbidis vehementibusque passionum motibus, quæ brutorum animalium propriæ sunt, indesinenter obnoxio. Hæc enim sola virtus est, quæ maximè cohibet appetitum sentientem ab iis rebus in quas turpissimè fertur; quæ continet sedatque effrenes concupiscentiæ cupiditates, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt à lege Dei et à fructu bonitatis illius. Hæc sola quæ moderatur et comprimit illecebrosas voluptates gustûs ac tactûs cæterorumque etiam sensuum, ne à rectæ rationis normâ desciscat. Hæc demùm est, quæ sensilibus omnibus delectationibus veluti certam regulam præstituit hujus vitæ necessitatem, ut scilicet eis duntaxat utamur, quantùm necessitas vitæ requirit. Unde S. Augustinus lib. de Morib. Eccles. c. 21, illud præclarè scripsit: *Habet vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantùm sat est, usurpet utentis modestiâ, non amantis affectu.*

At enim verò equis est inter homines etiam christianos, ac etiam virtutis et honestatis desiderio flagrantes, qui regulam hanc quam temperantia præscribit, exactè accuratèque custodiat? Quis est qui à lenociniis atque blanditiis voluptatis, quæ, ut Tullius ait, *in omni sensu implicata insidet*, sese satis tueatur? Qui ab ejus insidiis se omninò seduci non sinat, et laqueos effugiat quos illa sub speciosо necessitatis velamine perpetuò tendit? Hoc erat quod magnoperè angebat eumdem S. Augustinum, quemadmodùm in suis Confessionum libris Deum alloquens querebatur; ac proderit hic sensus ejus afferre, ut inde discamus quantâ nos curâ ac sollicitudine à voluptate capitali temperantiæ hoste, et callidissimis ejus insidiis atque fraudibus cavere debemus, ne nos à divinæ legis ac rectæ rationis inviolabili regulâ abducat. Sic itaque aiebat ille lib. 10 Confess. cap. 31, de voluptate in edendo et bibendo primùm loquens: « Hoc me do-
« cuisti, Domine, ut quemadmodùm medicamenta, sic
« alimenta sumpturus accedam. Sed dùm ad quietem
« satietatis ex indigentiæ molestiâ transeo, in ipso
« transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse
« enim transitus voluptas est; et non est alia, quâ
« transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et
« cùm salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se
« tanquàm pedissequa periculosa jucunditas; et ple-
« rùmque præire conatur ut ejus causâ fiat quod salutis
« causâ me facere vel dico, vel volo; nec idem modus
« utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi
« parùm est. Et sæpè incertum fit utrùm necessaria
« corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupi-
« ditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incer-
« tum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excu-
« sationis patrocinium, gaudens non apparere, quid
« satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis
« obumbret negotium voluptatis. His tentationibus
« quotidiè conor resistere, et invoco dexteram tuam
« ad salutem meam, et ad te refero æstus meos, quia
« consilium mihi de hâc re nondùm stat. Audio vocem
« jubentis Dei mei: *Non graventur corda vestra in cra-*
« *pulâ et ebrietate.* Ebrietas longè est à me; miserebe-
« ris, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnun-
« quàm surrepit servo tuo; misereberis, ut longè fiat
« à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des.
« Audivi et aliam vocem tuam: *Post concupiscentias*
« *tuas non eas, et à voluptate tuâ avertere.* Audivi et il-
« lam ex munere tuo, quam multùm amavi: *Neque si*
« *manducaverimus, abundabimus; neque si non manduca-*
« *caverimus, deerit nobis.* Hoc est dicere: Nec illa
« res me copiosum faciet, nec illa ærumnosum.
« Audivi et alteram: *Ego enim didici in quibus sum*
« *sufficiens esse, et abundare novi, et penuriam pati*
« *novi. Omnia possum in eo quî me confortat.* Ecce

« miles castrorum cœlestium, non pulvis, quod nos « sumus, etc. Nec ille in se potuit, quia idem pul- « vis fuit; quem talia dicentem afflatu tuæ inspira- « tionis adamavi. *Omnia possum*, inquit, *in eo qui me « confortat.* Conforta me, ut possim, etc. Audivi « alium rogantem, ut accipiat : *Aufer à me*, inquit, « *concupiscentias ventris.* Unde apparet, sancte Deus « meus, te dare, etc... Itaque freni gutturis temperatâ « relaxatione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, « Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas « necessitatis? Quisquis est, magnus est : magnificet « nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator « homo sum. »

Quàm multi ex iis etiam Christianis qui (non sicut plures qui ita ventri serviunt, ut Deus eorum venter sit) pietatem colunt, et mortificationi student, eâdem cum veritate fateri possunt, quæ S. Augustinus fortassis ex humilitate confessus est. Ego certè ingenuè fateor me sæpè sub prætextu necessitatis à voluptate in edendo ac bibendo abreptum fuisse, et eos limites prætergressum esse quos temperantiæ regula præscribit; idemque mecum plures alii candidè fatebuntur. At pergamus, et quædam etiam de voluptate, quæ se immiscet in auditu atque visu (ut de tactu nunc omittam), et nos ultra regulam pertrahit, cum eodem Augustino observemus. « Voluptates aurium (ita cap. « 33 subinde scribit) tenaciùs me implicaverant et « subjugaverant; sed resolvisti et liberâsti me. Nunc « in sonis quos animant eloquia tua, cùm suavi et ar- « tificiosâ voce cantantur, fateor, aliquantulùm ac- « quiesco, non quidem ut hæream, sed ut surgam, « cùm volo, etc. Sed delectatio canis meæ, cui men- « tem enervandam non oportet dari, sæpè me fallit, « dùm rationem sensus non ita comitatur, ut patienter « sit posterior, sed tantùm quia prouter illam meruit, « admittitur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea « sentio, etc... Restat (cap. 34) voluptas oculorum « istorum carnis meæ, etc., ut concludamus tenta- « tiones concupiscentiæ carnis, quæ me adhuc pulsant « ingemiscentem, et habitaculum meum, quod de cœlo « est, superindui cupientem. Pulchras formas et varias, « nitidos et amœnos colores amant oculi. Non teneant « hæc animam meam : teneat eam Deus, qui hæc fe- « cit, bona quidem valdè; sed ipse est bonum meum, « non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus; nec « requies ab eis datur mihi, sicut datur à vocibus ca- « noris aliquando... Resisto seductionibus oculorum, « ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam « tuam; et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas « de laqueo pedes meos. » Hactenùs Augustinus præter alia plura, quæ ibidem interserit.

Ex his sancti viri confessionibus colligamus oportet, pugnandum nobis continuò esse adversùs voluptatem, quæ sese inserit in actionibus sensuum nostrorum, nosque seducere nititur, ne regulam temperantiæ sequamur; adeò ut ipsorum objectis utamur pro relevandâ necessitate hujus vitæ, non iisdem fruamur; sive voluptatem quam in iisdem experimur, non quæramus propter ipsam voluptatem quam percipimus, sed propter honestatem, sive propter operationes honestas, atque homine maximèque Christiano dignas, cujus vita Magistro suo conformis esse debet; illudque animo identidem revolvamus, quod sicut de omni verbo otioso reddenda nobis ratio Deo est, ita et de omni voluptate, non secundùm rectæ rationis regulam quæsita aut percepta; et quò magis in hâc vitâ sensuum voluptatibus fruemur, eò graviora nobis subeunda supplicia manent in alterâ, juxta illud Apocalypseos : *Quantùm glorificavit se, et in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum et luctus.*

# PROBABILISMUS S. LIGUORI

## NON OMNINO FUNDAMENTO DESTITUITUR. (a)

Probabilismus, rectè intellectus, non adeò absolutè fundamento caret ac occinunt antiprobabilistæ. Ex quo enim in duas sententias scissæ sunt scholæ, duoque systemata creata à theologis, aliis in asperiora, aliis in mitiora inclinantibus, probabilismi semper doctores pro causâ militavêre multi, plures imò quàm pro partibus tutiorismi.

Ricardus Arckdekin, hibernus, ad annum 1666 scribens, centum et sexaginta ad minus sibi coætaneos theologos asserit favere probabilismo (1); Alphonsius de Sarazâ, flander, anno 1667 mortuus, ejusdem systematis asseclas ad centum octoginta novemque numerabat (1); Terillus, Alphonsio de Sarazâ admodùm contemporalis, ducentos theologos probabilistas designat (2); Gobatius, germanus, Moya, hispanus, præter

(1) *Theologia*, tom. 2, part. 2, tract. 1, cap. 1 et 2.

(1) *Ars semper gaudendi*, part. 2, tract. 4, § 6, in quo libro auctor catalogum inscribit hoc titulo : « Auctorum centum octoginta novem, qui in suis libris docuerunt licitum agere ex opinione probabili. » Eorum dein nomina, locosque librorum indicat in quibus stant pro probabilismo, animadvertitque inter eos 189 theologos dinumerari 159 qui etiam opinioni censeant esse obtemperandum minùs probabili, id est, paulò minùs quàm adversa sententia, probabilitatis argumento innixæ.

(2) Fundamentum totius Theologiæ moralis, seu tractatus de conscientiâ probabili, etc.

(a) Illud opusculum in latinum idioma transtulerunt, vel potiùs imitati sunt Editores ex opere gallico doctissimi Gousset, Assonæ Petrocoriorum episcopi, quod, Parisiis, apud bibliopolas Gaume, denuntietur.

citatos à Terillo plurimos nôrunt, ille viginti et quinque, hic complures alios (1); Rasler, si Monscheinio credatur (2), ducentos et quinquaginta solus annumerabat, inter quos viginti ad altissimas in Ecclesiâ dignitates evecti sunt.

Quòd si hanc auctorum catholicorum seriem omnibus his doctoribus adaugeas qui ex ultimis decimi septimi seculi annis usque ad dies nostros continuatâ doctrinâ probabilismi sententiam propagaverunt, quis ad id audaciæ procedet, ut illud systema quasi fundamento rationisque specie etiam orbatum redarguat? Quis per hoc periclitari moralem contendet? Si enim reverà periculosus est probabilismus sanctitatique Evangelii obnoxius, et tamen, ut utriusque partis scriptoribus placet (3), omnes theologi qui tum in extremis decimi sexti, tum durantibus decimi septimi temporibus seculi palam et in publico hanc sententiam professi fuerunt; si etiam in praxi vulgò recepta fuit nihil contra nitentibus seu episcopis, seu ipso Ecclesiæ capite, quam consonantiam et concordiam invenies inter hanc Ecclesiæ laxiorem indulgentiam, et illa Christi verba quibus pollicetur se semper et omnibus diebus futurum esse cum apostolis suis eorumque successoribus, usque ad consummationem seculi (4)? Vulgò admittitur non Ecclesiæ silentium cum approbatione ipsius confundendum esse quoties singularis quædam vel merè speculativa agitatur sententia; secùs autem concluderetur, obortâ opinione quæ universos fermè inficeret animos, moralique periculum incuteret. Ecclesia catholica semper sancta fuit, semper sancta erit, quia ex essentiâ suâ sancta est: « Credo in Spi- « ritum sanctum, sanctam catholicam Ecclesiam. — « Ecclesia Dei, ait S. Augustinus (5), quæ contra fi- « dem sunt aut bonam vitam, nec approbat, nec tacet, « nec facit. — Cùm autem probabilismus, inquit Ber- « gier (6), sententia communis steterit casuistarum « omnium scholarum, omnium ordinum religiosorum, « omnium denique gentium, non nisi qui ferreo capite « præditus est, contendet ex illo fluxisse moralis cor- « ruptelam, heterodoxarum solutionum fontem, ratio- « nemque excusandorum et assecurandorum omnium « qui peccato inquinantur. »

Ad id quòd multis ponderosisque doctoribus displiceat tutiorismus, accedit ut non ita firmis innitatur illud systema fulcris ac existimârunt illi qui recentiorum moralistarum scriptis imbuuntur. In argumentum proferimus sequentia, ad id tantùm inclinantes, ut tota pateat et discutiatur quæstio, utque omnibus innotescat non absque aliquot ratiociniorum apparatu tot theologos probabilismi fautores pugnam conseruisse, nunc que etiam sustinere.

Tutioristæ volunt ut semper tutioris eligendæ partis teneatur, ille qui dubitat an sit vel non lex specialiter hoc vel illud prohibens aut præcipiens, aut, quod idem sonat, qui dubitat an datum casum specialiter vel textu, vel spiritu lex regat. Quòd si ipsis objicias, non vulgò, sed per exceptionem hujus obligationis vigere vinculum, dubiamque et insufficienter notam legem nullam obligationem generare; quòd si adducas in argumentum nec ecclesiasticis (1) nec civilibus (2) judicibus alicujus momenti videri leges promulgatione certâ carentes; redarguunt lege de cujus existentiâ vel applicatione ambigitur reipsà nullam constare obligationem, sed obligationis, quâ tenemur in dubio tutiorem partem eligendi, fontem ex eâ lege naturali universàque profluere, quâ certissimè vetatur ne discrimen adeamus lædendæ legis fortassè existentis: *Qui amat periculum in illo peribit* (3). Inde sequitur, pergunt, non præcisè vi legis dubiæ, *directæve*, id est, quæ directè ad actum vel perpetrandum, vel omittendum pertineat, sed vi legis quam prudentia imponit, quæ lex à scholasticis nomen *reflexæ* accepit, ut in dubio teneamur inter duas partes exoptare, et tutiorem eligere partem, omissâ et abjectâ sententiâ adversante (4).

Illud autem responsum, quod tutioristæ oppidi sui instar exstruunt, ut imbellius oppugnabit probabilista. Multifariis argumentis debellabit, contendens in omni

(1) V. Lacroix, *Theologia moral.*, lib. 1, n. 269.

(2) *Theologia dogmatico-speculativa*, tract. de Actibus humanis, part. III, quæst. IV, n. 598, Augustæ Vindel., et Friburgi Brisgojæ, an. 1768.

(3) V. *Theologia moralis*, P. Lacroix, lib. 1, de Conscientiâ, n. 269. — Vid. etiam P. Tyrsius Gonzales, qui asserti veritatem agnoscit, quamvis partes adversas tueatur. *Fundamentum Theologiæ moralis*, *Introduct.* n. 5.

(4) « Euntes ergo docete omnes gentes... Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. » *Matth.* cap. ult., 19 et 20.

(5) S. Augustinus, *Epist.* 119.

(6) *Dictionarium theologicum*, ad verbum *Probabilisme.*

(1) Nisi de mandato *certus* extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur. *Lib.* 1 Decretal., c. *Cùm in jure, reg.* 31, de Offic. et Pot. Jud. de Leg.

In re dubiâ benignam interpretationem sequi non minùs justius est, quàm tutius. *Ibid. reg.* 192.

In his verò ubi jus non invenitur expressum, procedas æquitate servatâ, semper in humaniorem partem declinando. *In cap. fin. de Transact.*

(2) Quidquid astringendæ obligationis causâ dictum, id, nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est. Leg. *Quidquid;* Digest., *de verborum Obligationibus.*

Semper in obscuris quod minimum est sequimur. *Lib.* 1, tit. 17, *Digest., reg.* 9.

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. *Ibid., reg.* 56.

Lex, si aliud voluisset, expressisset. *Leg.* Viri, § *Sin autem.*

(3) Textus ille, quo nituntur tutioristæ, has voces habet: « Cor durum habebit malè in novissimo: et « qui amat periculum in illo peribit. » Eccli. c. 3, v. 27.

(4) Sic argumentantur Collet et Bailly. Hic, postquàm citavit obligationem illam: « Lex dubia non « potest parere obligationem certam; lex enim dubia, « lex nulla, » sic postea distinguit: « Lex dubia non « potest parere obligationem vi præcisè illius legis « dubiæ, *concedo;* vi legis naturalis reflexæ quæ pro- « hibet ne quis peccandi periculo sese committat, « *nego.* Itaque cùm dubitamus an talis actio tali lege « prohibita sit, non tenemur ab eâ abstinere *vi legis du-* « *biæ*, sed vi legis naturalis quæ est omninò certa et « ipsis gentilibus fuit cognita, quà vetamur peccandi « periculum incurrere. » *Tract. de Conscientiâ*, cap. 2.

dubio juridico indistinctè licere alterutri sententiæ in actu obtemperare salvâ et illæsâ lege; quòd si absolutâ ratione legis existentia impugnari nequeat, prudenter tamen dijudicari posse, hujus legis, etiamsi existentis, obligationem nullam esse; non plùs momenti inesse dubiæ legi in ethice, quàm dubiæ revelationi in religione; utque leges quibus voluntatis nostræ immolatio præcipitur, non strictiori vinculo subjectos cohibent quàm leges quibus intellectûs obsequium et abdicatio requiritur, non magis timendum esse ne infidos nos præstemus Deo, abjiciendo leges in ethice dubias, quàm abjiciendo leges in dogmate ambiguas (1); patrem bonum, imò Deum, patrum omnium certè optimum, implendarum legum suarum curam non acriter suscipere, nisi priùs manifestâ et indubitatâ ratione filiis ejus innotuerint. Addet : « Non magis licere moralem profitenti auctionem quàm detractionem obligationum quibus à Deo astringimur (2); » non minori cum periculo imponi legem in omnibus eligendæ tutioris partis, quàm, judice tutioristâ, juberetur ab illâ semper recedere; quòd si, probabilismo duce discrimen adire possimus lædendæ legis, fortassè existentis, ex eo quòd dubia sit, ab isto systemate, non nisi materialem (3) culpam admitti; dùm contra probabiliorismus, leges dubias pro certis apponendo, forsan etiam non existentes, aut, quod idem valet, legis dubiæ æquè ac si certa esset, observationem præcipiendo, legem Domini longè graviorem et molestiorem facit, cujus *formaliter* lædendæ in discrimen imbelles detrudit, sicque æternæ damnationis periculum adeundi. « Periculum enim, ait Suarez (4), incurreretur, « si tot vincula in casibus dubiis injicerentur; » cui consonat cardinalis Palavicinus his verbis : « Si in« duceretur opinio quòd semper teneremur facere ac« tionem quæ securior est, etiam à transgressione ma« teriali, hæc opinio non esset tutior, sed maximè ex« posita periculo frequenti transgressionis formalis »(1).

Denique, argumentabitur probabilista, in dubio tutiorem partem eligere non teneor ratione et vi legis *directæ;* ipsis fatentibus adversariis, cùm sit dubia, obligationem non parit; ex seipsâ virtutem nullam induit; atqui lex illa naturalis et universa, quam nomine legis *reflexæ* complectimini, non minùs dubitationis secum quàm lex *directa* trahit. Nec dubitare fas est quin theologi de hujus legis *reflexæ* existentiâ disceptationem continuent; quin plurimi doctores, collatis in Ecclesiam officiis clarissimi, directis verbis illam extare negaverint; quin ipsa sancta Sedes legis istius existentiam repudiare permiserit, cùm beati Liguori doctrinam et amplecti et profiteri per ipsam sanctam Sedem licuerit. Ergo, concludet probabilista, nullâ lege teneor seu directâ, seu reflexâ, tutiorem partem eligere cùm de dubio juridico agatur.

Quòd si et aliam legem *reflexam* in opem invocent, hæc nova lex, utpote non minùs quàm prior dubio subjacens, difficultatis nodum procul statuet, non autem solvet, sicque in infinitum multiplicabitur.

Hæc sunt probabilistæ, hæc esse possunt cujuscumque theologi legis *reflexæ* existentiam in dubium revocantis ratiocinia; dubium autem illud facillimè animos invadit, cùm introspicitur controversiæ subjectum. Tantisper eruditus probabiliorista nequit, quantumvis innitatur, inter leges certissimas legem referre quam agitamus; nisique interveniat Ecclesiæ sententia, huic legi nil nisi probabilem characterem attribuet, eo quòd ejus existentia ipsi in probabilioribus constat. Atqui, ut generatim loquamur, virone licet prudentiæ intelligentiæque suæ rectè diffiso, sententiam de quâ tot inter theologos ambigitur, ut probabiliorem inclamare, eo quòd ejus existentiam probabiliorem esse ducat? Quis posset, non certitudine, sed etiam probabilitate reali noscere an opinio tantùm reapsè valeat, vel probabilis extet, quantùm sibi judicanti videatur? memento ergo, cùm ex duplici opinione in scholâ animos ad diversa trahente, unam eligas ut probabiliorem, pro alterâ etiam stare quàmplurimos doctores ingenio, scientiâ, inviolatæ moralis studio non minùs præstantes, quàm teipsum autumas esse. Postremò, nil nisi dubium ex quæstionibus hujusce naturæ elicere se potuisse necessariò confitebitur quicumque infallibilitatis auctoritatem sibi non usurpat.

Pergit probabilista; argumentis *ad hominem* urget adversarium, quem ipsis probabiliorismi principiis impugnat. Confiteris, inquit, in praxi licere opinionem sequi, quam probabiliorem, aut saltem adversâ sententiâ probabiliorem existimamus; utque à tutiore recedamus, non esse necessariam ut ex certitudine noscamus sententiam cui adhæremus legi non adversari; alioquin ad severiora declinatum fuisset; atqui probabilismum amplexus sum eo quòd mihi probabi-

(1) In idem consenserunt famosus Gerson, et S. Antoniuus, Florentiæ archiepiscopus. « Secundùm can« cellarium, ait S. Antoninus, non plùs nocet homini er« rare in articulo fidei, qui non est declaratus adhuc « ab Ecclesiâ quòd sit articulus de necessitate cre« dendus, quàm nec esse potest actus moralis contra ali« quid agibile perpetratus, qui actus non dicitur cer« tus ex Scripturâ aut determinatione Ecclesiæ, quòd « sit illicitus. Sed constat quòd in materiâ fidei lici« tum est ante determinationem Ecclesiæ tenere unam « vel alteram partem sine periculo peccati; et ergo à « simili licet unam opinionem in moralibus tenere « juxta limitata superiùs, ubi saltem magis sapientes « non sentiunt contrarium. » *Part.* 1, *tit.* 3, *c.* 10, § 10.

(2) *Dictionarium theologicum*, verbo *Casuiste*.

(3) Ille qui, verè concepto dubio, probabilismi principia ut conscientiæ suæ normam accepit, legem lædere nequit, quamdiù existit, nisi per *materialem* prætermissionem; quâ verò admissâ, non magis ideò noxius evadit, quàm ille qui legem hanc lædit propter insuperabilem ignorantiam, vel quia sententiam huic legi adversantem velut probabiliorem amplectitur. Sic, verbi gratiâ, qui dubitans an speciali lege teneamur dominicis diebus parochialem audire missam, non aliter agit ac si lex reverà non esset, non magis Ecclesiæ præcepta spernit et repudiat, quàm tutiorista qui imprudens missâ parochiali abstinet, amplexus ut sibi tutiorem visam, theologorum sententiam quibus placuit audiendæ missæ parochialis obligationem explodere.

(4) In 2-2, quæst. 89, art. 7.

(1) In 1-2, disput. 9, cap. 4, art. 11, n. 13.

liorismo longè probabilius videtur (1) ; eo quòd diligenter excussis utrinque ratiociniis, ordinatius et sapientius esse visum est ut nemo cæteris alias imponat obligationes quàm reapsè vel moraliter certas, id est, quibus adhæret in Ecclesiâ longè eminentior pars catholicorum doctorum, salvâ libertate quæ cuique competit, inter scholasticas opiniones quidlibet eligendi : *In certis unitas, et in dubiis libertas.*

Aliunde, probabilistæ suum systema aptiùs concordare videtur quàm probabiliorismus cum ideâ quam ex SS. Scripturis haurimus de hominis infimissimâ miseriâ, de Dei infinitâ, quæ in operibus ejus manifestè elucet, misericordiâ, deque Evangelii simplicitate, cujus Dominus noster voluit *jugum suave* esse, *et onus leve*, Matth., cap. 11, v. 30 (2).

Adjicit tandem quòd, si fortè, justum medium requirendo, in ethice non fixum velut punctum in mathematicâ, laxiori conscientiæ quam tamen veretur, habenas immittere videatur, quamvis non minus ei quàm severitati adversetur, libentissimè meminiscitur Domino plùs placuisse misericordiam quàm sacrificium : *Misericordiam volo, non sacrificium ;* Matth. cap. 9, v. 13 (1) ; Spiritum Dei promptiorem esse in veniæ quàm pœnæ largitionem. *Ad misericordiam promptior est*, ait S. Ambrosius, de Pœnitentiâ lib. 1, cap. 2, n. 9, *quàm ad severitatem Spiritus Dei* (2) ; bonum esse alicui in judicium venienti, posse cum sanctis dicere levius esse peccatum quod nimiâ mansuetudine gignitur, quàm quod charitatis absentiæ tribuendum est ; melius esse Domino rationem reddere ob misericordiora et indulgentiora, quàm ob severiora. Hoc animo S. Joannes Chrysostomus et S. Antoninus imbuebantur (3). S. Odilo, abbas Cluniacensis, insimulanti se quòd in peccatores indulgentiorem sese præ-

(1) Eâdem ratione argumentatur P. Lacroix : « Secundùm adversarios, ille prudenter operatur, qui operatur secundùm opinionem probabiliorem ; sed opinio benigna dicens licitum esse operari secundùm probabilem, est reapsè probabilior ; ergo qui secundùm illam operatur, prudenter operatur. Hinc Moya, *de Op. prob. q.* 6, *n.* 11, sic breviter subdit : *Hanc ego amplector, quia probabiliorem judico ; quod proinde qui senserint, tutâ conscientiâ, juxta communem theologorum sententiam, amplecti poterunt, et à peccati periculo immunes erunt.* » *Theol. moral., lib.* 1 *de Conscientiâ, n.* 298.

Beatus Liguori punctum illud mirè tractat : « Ut sincerè, inquit, veritatem fatear, cùm theologiæ moralis scientiæ vacare cœpi, quia rigidioris sententiæ magistrum mihi audire contigit, pro hâc strenuè cum aliis tunc temporis contendebam ; sed postea meliùs rationes hujus controversiæ discutiens, opposita sententia quæ pro opinione æquè probabili stat, moraliter certa mihi visa fuit : et quidem inductus ab illo pluries repetito principio, quòd lex dubia non potest obligare. Hinc persuasus remansi nefas esse conscientias, cùm opiniones sunt æquè probabiles, ad tutiorem sequendam astringere, cum periculo in plurimas formales culpas incurrendi. Præterea tamen, cùm nostrâ hâc tempestate viderim ita acriter adversùs mitiorem sententiam reclamari, multoties hoc punctum ad trutinam diligenter revocavi, legens ac relegens auctores omnes quotquot ad manus habere potui modernos, qui pro rigidâ sententiâ certabant, promptus ab unâ sententiâ desciscere, statim ac non ampliùs certa mihi apparet... Sed quò diligentiùs rationes nostræ sententiæ perpendere sategi, eò magis certæ mihi visæ sunt,... Et donec aliter mihi quàm in præsentiarum sentio persuasum non erit, dico quòd sine gravi conscientiæ remorsu non possem alios adstringere ad sequendam tutiorem, cùm opiniones sunt probabiles, nisi oppositum declararet Ecclesia. » *Theol. moral. l.* 1, *tract. de Conscientiâ, moral. systema.*

(2) Ad hæc Jesu Christi verba, ita disserit S. Augustinus : « Primò itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi : Unde sacramentis numero paucissimis, *observatione facillimis*, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit. » *Epist.* 54, *ad Inquisitiones Januarii ; aliàs* 118, *cap.* 2.

Notetur hìc, à divo Augustino, quòd jugum Domini sit *suave* et *onus leve*, eo quòd novi fœderis sacramenta pauca sint numero, præstantia virtute, *observatione facillima ;* quod impugnat et asperitatem jansenistarum, et plerorumque gallicanorum probabilioristarum systema, cui inhærentes, sacramenta Eucha-

sentiæ Pœnitentiæque, absque dubio et in praxi fidelibus momentosissima, ferè inaccessa faciunt.

Sanctus idem doctor, postquàm principium proposuit quod favere videtur probabilismo, scilicet : « Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, » subdit has voces, quæ directo modo eos impetunt, qui suas opiniones, quantùmcumque probabiles sint, obstinatè pro regulâ et normâ præ se ferunt : « Sensi sæpè dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire (tantùm quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in suâ patriâ sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem suam, quò remotiorem à suis, eò doctiorem factam putat), tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment. » *Epist.* 54, *ad Inquisitiones Januarii ; aliàs* 118, *cap.* 2.

(1) « Judicium sine misericordiâ, ait Jacobus apostolus, illi qui non fecit misericordiam ; superexaltat autem misericordia judicium. » *Epist. c.* 2, *v.* 13. Ad quæ S. Joannes Damascena : « Nullo enim ego, qui misericors sum, cultu sic delector ac misericordiâ. Nihil sic cor meum rapit ac commiseratio ; misericordiam quippè volo, non sacrificium ; misericordiæ fores indigentibus non aperitis, nec vobis ipse in regiam meam ingressum aperiam. » *Homil. in Sabbatum sanctum*, n. 35.

(2) « Ut agnoscamus, ait idem doctor, Deum misericordiâ magis indulgentem esse quàm severitatis tenacem, ipse ait : *Misericordiam malo quàm sacrificium.* » *Ibid., cap.* 3, *n.* 2.

(3) « Si verò confessarius, ait S. Antoninus, non potest clarè percipere utrùm sit mortale, non videtur tunc præcipitanda sententia, ut deneget propter hoc absolutionem, et cùm promptiora sint jura ad solvendum quàm ad ligandum (cap. 1 ad hæres., dist. 1), et melius sit Domino reddere rationem de nimiâ misericordiâ, quàm de nimiâ severitate, ut dicit Chrysostomus, potiùs videtur absolvendus. » *Part.* 2, *tit.* 4, *cap.* 5.

Vox illa citata Chrysostomi, aut potiùs auctoris cui tribuitur liber titulo notus *Operis imperfecti in Matthæum*, in decreto Gratiani his verbis exprimitur : *Melius est errare in misericordiâ remittendi, quàm in severitate ulciscendi :* « Alligant autem onera gravia et importabilia. Tales sunt sacerdotes etiam nunc qui omnem justitiam populo mandant, et ipsi nec modicam servant, videlicet non ut faciendo sint, sed

staret, respondebat : « Si damnandus sim, malo tamen « de misericordiâ quàm ex duritiâ aut severitate dam- « nari » (1). D. Thomas, doctor angelicus, non minùs directè : « Meliùs excusamur, ait, apud Dominum « propter multam misericordiam, quàm per nimiam « severitatem » (2). Cui assentit S. Raymundus de Pennaforti : « Melius est, inquit, propter miseri- « cordiam rationem reddere, quàm propter aliquam « crudelitatem » (3). S. Gregorius Nazianzenus : « Quòd « si res dubia est, vincat humanitas ac facilitas » (4). Tali mente ornabatur et S. Bernardinus, volens in omni quæstione variis opinionibus discussâ, omnibus tamen paribus, mitiorem et humaniorem eligi : « Quando, inquit, diversæ sunt opiniones, cæteris pa- « ribus, humanior præferenda est » (5). « Terrentur « homines ex hoc in tantum ut salutem negligant, ait « Humbertus de Romans à pluribus auctoribus bea- « tificatus; idcircò relaxanda est, quantùm fieri po- « test, austeritas, et agendum benignè; quia sic meliùs « trahuntur ad salutem, *cùm sententiæ mitiores tenen- « tur* » (6).

Ut omittam sanctum Alphonsium de Liguori, cujus hìc doctrina defenditur, rectissimè in exempla adduc erentur Bernardus (7), Philippus de Neri (8), Franciscus Salesius (9), Leonardus de Sancto-Mauricio (10), aliique sancti qui tum scientiâ, tum virtutibus, tum quia in materiâ doctrinali à novitatibus abhorruerunt, justam famam adepti sunt.

Cæterùm, ut in aperto manifestemus quanta fluant è probabiliorismo in ethice incommoda, articulum hunc concludemus reflexiones afferendo excerptas è libris theologi cujusdam singulari laude Romæ excepti, usitatisque approbationibus instructi : « Quòd si jam « gravissima videtur praxis obligationum lucidè certo- « que modo à doctoribus declaratarum, quòd si fre- « quentissimè divinis præceptis valedicitur, quantò « difficiliùs adoptabuntur obligationes ex se ipsis asper- « rimæ, obscuræ, quibus adversantur alii doctores! « Quàm formidandum est ne pœnitentes quos earum « jugo subjicere vultis, recalcitrent! quo casu dato, « cui præcavere debuisti utpotè medicinæ expertus, « qui tandem per acerba obtinebis? Nihil, nil equi- « dem; fietque ut loco mali alicujus quod ab igno- « ranti et bonæ fidei viro admissum, ad pejus ut malum « *materiale* incertumque subsisteret, habeas, si valeat « adversa sententia, malum peccatumque *formale* et « certissimum, eò quòd conscientiæ contradictum « fuerit; indeque fluit ut, dùm in priori casu nec « Deus offensam, nec anima vulnus acceperit, cùm « tantùm error spiritùs extiterit, voluntate semper « Creatoris dominium agnoscente, in posteriori Deus « pravam voluntatem perspiciat, quæ suis luminibus « obnitens obedientiam ipsi renuit; et consequenter « Deus contemnetur, noxia et damnationis in discri- « mine veniens anima, non unum forsitan peccatum, « longam verò seriem gravissimorum, certorum, for- « maliumque peccatorum expiandam habebit » (1).

Dein, postquàm verba hæc S. Bonaventuræ citavit : « Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta; « nam prima generat præsumptionem, secunda despe- « rationem; prima sæpè salvat damnandum, secunda « damnat salvandum » (2), hæc sic evolvit : « Confes- « sarius mitior et confessarius rigidior viam opposi- « tam insequentes, pretiosis bonis spoliant animas, et « in damna inenarrabilia conjiciunt. Prior enim pœ- « nitentibus in mentem præsumptionem suscitat, de- « bilitando peccati odium sopitosque in obligationum « suarum oblivione omittendo, sicque timorem Domini « attenuando; posterior autem, nimio metu animos « percellendo, spem christianam fugando, pœnitentes « in desperationem obtrudit. Larga conscientia, laxus- « que confessarius non per malum quod gignit præ- « sumptio, sed per bonum quo non orbat, *sæpè sal- « vat damnandum*. At contra stricta conscientia, con- « fessarius immitis, non per malum quod aufert, sed « per boni quod rapit orbitatem, *damnat salvandum*. « Id autem manifestum est, et ex auctoritate citati « doctoris, et ex consideratione naturalium effectuum « tum præsumptionis, tum desperationis. Præsum- « ptio salvâ voluntate et agendi virtute subsistit; non « ab usu et amore quorumdam salutis modorum ab-

« ut dicendo appareant justi. Tales sunt qui grave pon- « dus venientibus ad pœnitentiam imponunt : quia di- « cunt et non faciunt. Et sic dùm pœna præsentis pœ- « nitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. « Sicut enim si fascem super humeros adolescentis « quem non potest bajulare posueris, necesse habet ut « aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur; « sic et homo cui grave pondus pœnitentiæ imponis, « aut pœnitentiam rejiciet, aut suscipiens dùm suf- « ferre non potest, scandalizatus ampliùs peccat. « Deinde et si erramus, modicam pœnitentiam impo- « nentes, nonne melius est propter misericordiam red- « dere, quàm propter crudelitatem? Ubi enim paterfa- « miliàs largus est, dispensator non debet esse tenax; « si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus? « Vis apparere sanctus? Circa vitam tuam esto auste- « rus, circa alienam autem benignus. » *Decret. pars* 2, *caus.* 26, *quæst.* 7. *Opus imperfectum in Matth., homil.* 43.

(1) V. *Acta sanctorum*, tom. 1, pag. 72.
(2) *Opuscul.* 65, § 4.
(3) *Serm. l.* 3, *tit.* 34.
(4) *Orat.* 39.
(5) Tom. 1, fer. 2 post dominicam Quinquages., *serm.* 3, *art.* 2.
(6) Magistri Umberti, generalis ordinis FF. Prædicatorum *Expositio super constitutiones ejusdem ordinis*, tit. 1.

(7) S. Bernardus de confessario dicit : « Habeat in « voluntate compati et liberare eum, et nitatur aliquid « detrahere severitati, imitans dulcedinem Domini « sui. » *Sermo de S. Andreâ.* Et alibi : « Mallem ali- « quando tacuisse et dissimulâsse quod agi perperam « deprehendi, quàm ad tantam reprehendisse perni- « ciem. » *Serm.* 42 *in Cantic.*

(8) V. *Vit. S. Philip. de Neri*, scripta à P. Bacci, aucta à P. Ricci.
(9) V. *Vit. S. Francisci Salesii*, auctore Marsollier.
(10) V. *Monita ad confessarios, seu Sermo dictus ad missionarios* à B. Leonardo è Sancto Mauritio, ex italico versus. Avenione, 1826.

(1) V. *Sacerdos sanctificatus* per justam, charitate discretioneque rectam administrationem sacramenti pœnitentiæ. Ex italico versus. Avenione, 1827, n. 48.
(2) *Compendium theol. verit.*, lib. 12, cap. 32.

« terret, uti confessione; ideò præsumptione vitiatus « minùs citò et minùs altè corrumpitur; spes ei superest affore tempus quo instrumenta salutis corripiet, medicinâque exhaustâ salvabitur. De adverso, « desperatio, tristitiâ comitante, animum voluntatemque rectè faciendi retundit; quodque pejus, omnibus quasi inutilia contemptis, amittitur amor ususque omnis devotionis et earum quæ ad salutem vergunt praxium religiosarum, inprimisque confessionis; inde evenit ut, qui spem abjecit, perditum se « judicans, omne jugum rejicit; in vitia peccataque « omnimoda corruit; nec remanet spes seu medendi, « seu etiam ad meliora revocandi » (1).

Has reflexiones jam cancellarius Universitatis Parisiensis, Gerson exposuerat : « Conscientia nimis « larga, inquit, communiter et de pluribus quæ frequentissimè occurrunt, *nullum remorsum habet*, et « sic plura sæpè facit quæ sic faciendo non peccat, in « quibus tamen, *si remorsum haberet, peccaret.* Exinde « *plura peccata evitat* quæ alius incurreret et committeret. Conscientia stricta nimis è contrario « communiùs, et quasi de omnibus et frequentissimè « sine causâ remorsum habet et dubitat; et cùm plurima necessariò facere habeat, plurima facit quæ sic « *cum remorsu faciendo peccat*, in quibus tamen, *si remorsum non haberet, non peccaret.* Exinde plura peccata incurrit et committit, quæ aliàs non incurreret, « nec committeret » (2).

Idem doctor asserit aliquandò periculosum esse in desperationem obtrudere peccatores, quasdam actiones aut omissiones ut peccata mortalia damnando, præsertim cùm de his adhuc punctis est theologorum disceptatio, nec est certitudo expressa. « Ne doctores, « inquit, sint faciles asserere actiones aliquas aut « omissiones esse peccata mortalia.... Fit quandoque « ut per tales assertiones publicas nimis duras, generales et strictas, præsertim in *non certissimis* nequaquam eruantur homines è luto peccatorum, sed « in illud profundiùs, quia *desperatiùs*, immergantur » (3).

Reflexiones illæ, collatæ cum auctoritatibus et rationibus quæ in gratiam probabilismi militant, plùs quàm sufficientes mihi videntur esse ut systema, nisi stabilitent et certissimum omninò faciant, at saltem ab omni censurâ vindicent, utque illis qui id et profitentur, et in praxi applicant, nullius imprudentiæ reatus impingatur.

Probabilismo omni noxâ absoluto, eo quòd non tantùm Ecclesiæ damnationem non expertus fuerit, sed etiam quòd non infirmioribus ac probabiliorismus nitatur fundamentis, adjici potest beati Liguori systema simplicius esse ac uniformius ac adversantium opinionem, nec minùs in praxi securitatis afferre. Quam sententiam si non portentosiorem omnes reputent, omninò prorsùs evanescent præjudicia quæ in imbutos animos adversùs sancti episcopi doctrinam irrepserant.

Et reverà : vel probabiliorista, cùm majorem probabilitatem exigit ut nos eximat à tutiore eligendo, significat realem, absolutam probabilitatem se requirere, vel non nisi majorem probabilitatem relativam, agentique sic visam expetit. Si prius, probabiliorismus et objecto, et praxi caret; namque, exceptis quibusdam opinionibus quæ certissimè sunt probabiliores, sed quæ facillimè tales apparent eo quòd quasi probabiliores à longè maximâ theologorum catholicorum parte adoptantur, quâ ratione confessarius dijudicare poterit opinionem de quâ dissentiunt theologi, reapsè esse probabiliorem quàm eam cui adversatur? Auctoritatemne inclamabit? silet auctoritas. Ratiociniumne opponet? sed, ut sæpiùs jam manifestavi, impossibile omninò est privatum hominem decernere sententiam quamdam in re esse tantâ probabilitate donatam, quantâ sibi ipsi videtur instructa. Nulli imò sacerdoti privato tanta sui ipsius existimatio, tantus tumor continget, ut judicem se statuat controversiarum quibus schola scinditur, ut veritatis se potiùs arbitrum jactitet quàm summos doctores inter quos adhuc lis est in suspenso de quæstionibus hujusce naturæ.

Si autem posterius, et probabiliorista non nisi majorem probabilitatem relativam apparentemque exigit; si opinionem amplecti licet quamcumque, dummodò in praxi videatur adoptanti probabilior, nonne timendum est ne confessarius in severiora vel laxiora detrudatur? in severiora, si illa cui adhæret sententia quasi probabiliori, rigidior est et asperior; in laxiora, si sententia quæ universaliter impugnatur utpotè remissioni nimis amica, ipsi videatur probabilior quàm communis et contraria sententia.

Quodcumque eligant probabilioristæ theologi, impossibile est ut in praxi concordent. In principium enim posito quòd teneamur in dubiis et discussis probabiliorem sequi sententiam, necessariò unus affirmabit et alter negabit, prout cuique probabilior vel minùs probabilis videbitur sententia. Hi, verbi gratiâ, contendent obligationem dari missam parochialem audiendi unâ ad saltem de tribus dominicâ die, nisique fiat, mortaliter peccari; illi, ex eodem principio, contendent asperius esse tale judicium, et Ecclesiam missæ parochialis audiendæ hortationem, non præceptum protulisse. Alii seductionem ut impedimentum dirimens matrimonii statuent; alii textum concilii Tridentini ad verbum tenentes (1), negabunt impedimentum ex seductione oriri. Inde necessariò in pluri-

(1) V. supradictus *Sacerdos sanctificatus*, n. 43.
(2) *Compend. theolog., de naturâ et qualitate Conscientiæ.*
(3) *De Vitâ spirituali*, lect. 4, coroll. 11.

(1) Concilii Tridentini textus de Raptu hæc habet verba : « Decernit sancta synodus inter *raptorem* et « *raptam*, quamdiù ipsa in potestate *raptoris* manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si « *rapta* à *raptore* separata et in loco tuto et libero « constituta, illum in virum habere consenserit eam « *raptor* in uxorem habeat. » Sess. 24, cap. 6, de *Reformatione*. Hæc est mens legislatoris ut ad verbum lex asservetur, quotiescumque pœnam vel impedimentum statuit. Atqui, certissimè *raptor* et *rapta* non idem sonant ac *seductor* et *seducta*; nec quisquam

bus punctis quæ momentosissima cuique videntur, discordia irruet. Inde conflictus et diversitas tum in dirigendis conscientiis, tum etiam in publicis instructionibus, quæ populorum venerationem eruit, sacerdotio sacramentisque debitam, cùm horum administrationem in cujusque arbitrii ditionem venisse reputant.

Rectè intellectus probabilismus omnia hæc incommoda explodit. Cùm enim in illo systemate duo tantùm sunt obligationum genera, aliarum certarum, aliarum eminenter probabilium vel moraliter certarum, scientiâ quâ indiget confessarius facile est ut ditescat. Sufficit ut in ethice ad unguem dignoscantur obligationes quas unanimi consensu orthodoxi theologi canonistæque ut certas vel certissimè notanterque probabiliores fovent.

Aliunde, uniformitatis, quæ in sacro ministerio exercendo capitale quid est, servandæ, tanta mihi videtur in systemate probabilistarum facilitas, quanta in systemate probabilioristarum difficultas. Quòd si enim excipias principiorum moralium quæ adjunctorum varietatem sequitur applicationem in praxi, concordes semper erunt probabilistæ in certis quæstionibus; id nullus negat; et pariter, dummodò parumper doctrinæ præ se ferant, unanimes erunt in quæstionibus quas universi eodem modo theologi solvunt, ideòque eminenter probabiles et moraliter certas effecerunt. Imò concordes etiam se præstabunt in quæstionibus quæ controversiam inter moralistas movent; admisso enim principio, in dubio, vel cùm oppositæ sententiæ aut æquali, aut paulò minori probabilitate gaudent, non obligatione quemquam teneri tutioris eligendæ sententiæ, hancque optionem non officii, sed consilii esse, necessariò omnes ultimam hanc partem complectentur, prudentiæ normis actus suos accommodantes, respectis eorum quos in viâ salutis et perfectionis dirigunt dispositionibus, nec ab eis observantiam legis cujus nec existentia, nec praxis certa est, exigendo.

Quâcumque ergo ratione agat in puncto quod controversiæ subjacet, pœnitenti nulla difficultas obviabit à confessariis probabilistis suscitata, qui solùm ipsi consilium dabunt, si decet, non autem præceptum eligendæ tutioris partis; dùm contra confessarios offendat varios probabilioristas, hic eum absolutione dignabitur, quam ei largietur, ille contra aliter sentiens, quasique duplici lance et duplici pondere in sanctuario sit ponderandum, ipsum à sacramento reconciliationis arcebit, nisi rationem agendi suam abjiciat, tutiori et magis legitimæ sententiæ inserviendo.

Denique, non minùs in praxi tutus est probabilismus quàm probabiliorismus : verus imò probabilista in extrema corruendi discrimine eximitur.

Primò enim non in rigidiora incidet, quæ faciliùs gallicani probabilioristæ admittunt.

Nec etiam in laxatiora, cùm admittens quidquid admittit generaliter Ecclesia, non, utpote probabilista, scholasticarum disputationum fines excedit, quibus excutiendis assentire libet vel obniti, incolumi semper morali evangelicâ. Si enim in dubio juris probabilista opinionem sèquitur minùs probabilem, sed libertatis magis amicam, nunquam ab Ecclesiæ doctrinâ recedet, quæ libertatem permittit electionis in quæstionibus vario modo à catholicis exagitatis. In praxi etiam concordabit cum probabilioristis quibus opiniones illæ tanquam probabiliores arridentQuid autem societatis moralisque interest an probabilista probabilioristaque diversâ ratione conscientiam informaverint, dummodò uterque eumdem scopum feriat, eumdem actum admittat? Quomodò insimulare possim probabilistam eò quòd sub hoc nomine facit quid ego facio ut probabilioristaQuis nugari non videbitur, cùm confessarium laxiora sequi arguet, qui pœnitentem absolvit probabilismi principiis innitendo, in eodem casu, quo, ut confitentur probabilioristæ, ipse ego possem eum absolvere, si opinio pœnitentis, quamvis minùs tuta, mihi probabilior, longè probabilior quàm adversa sententia videretur?

Sit in exemplum quæstio de onanismo. Uxor quæ experientiâ novit virum suum debitum matrimoniale non aliâ mente poscere, nisi ut Onan crimine polluatur, debitone reddendo obligatur? Inter moralistas pendet in incerto quæstio : alii enim feminam etiamsi mala multa, mortem imò incurrat, obniti debere contendunt; alii numero præstantiores obedientiam marito præstet hortantur, at saltem cùm non sine gravibus incommodis obsistere potest.

Atqui detur confessarius qui, perpensis utriusque partis rationibus, utramque sententiam æquè probabilem existimat, vel ferè eodem gradu probabilem, num laxatiorum morum reus erit, eò quòd, probabilismi principia applicans, mitiorem, faciliorem sententiam anteferat opinioni tutiori, id est, uxori minùs faventi? Sanctitatem matrimonii labefactandi insimulabitur, eò quòd utpotè probabilista eâdem absolutè viâ incedit, quam tereret probabilioristaqui indulgentiæ partes amplectitur, sibi probabilioris visæ quàm opinio contraria? Talis reatus, si impingeretur, in vos, probabilioristæ, recideret.

Rectè ergo intellectus probabilismus scholasticas tantummodò complectens controversias, quæstiones tantùm evolvens de quarum solutione plùs vel minùs inter theologos canonistasque ambigitur, non ab æquo medio discedere potest quod sapientia tenere imperat in moralibus; hinc enim exire nequiret, nisi ad lævam sinistramque, systemata quæ damnavit Ecclesia aut

contendet in verbo *seducere* eminenter vel virtualiter includi eamdem ideam ac in verbo *rapere*.

Quidquid sit de quæstione raptûs et seductionis, et de obligatione audiendæ missæ paroehialis, in probabilismi systemate nihil ardui controversia præbebit. Cùm enim in utroque casu punctum juris excutiur, qui probabiliorismum impugnant nec impedimentum seductionis, nec obligationem audiendæ missæ parochialis admittent, et in unum concordabunt.

ongè maxima pars catholicorum notâ turpi affecit, offenderet (1).

Cæterùm, rursùs sciant omnes me hìc non in mente habuisse ut probabilismi quæstionem in ipsis visceribus effodiam et tractem : hùcusque processi à scopo meo aberrans non ut systema cæteris anteponam, sed potiùs ut dignoscatur in quo præcisè consistat, et ut quisque vel minimè oculatus videat non absque temeritate damnari posse illos qui in praxi probabilismo utuntur, et beati Alphonsi de Liguori sententiis adhærent.

(1) Medium, in ethice, nec probabilistarum, nec probabilioristarum systemata excludit. Utrumque, quamvis non æquali distantiâ, duo inter extrema incedit, rigorem scilicet nimium nimiamque laxationem. Certissimè quis potest esse probabiliorista, quamvis non sit asperioris partis tenax, dummodò tamen probabilismum non damnet; et vice versâ optimè quis potest esse probabilista, nec laxiorem partem sequi, dummodò non in probabiliorismum sententiam inimicam ferat.

# MUZZARELLI VITA.

Muzzarelli (Alphonsius), romanus theologus celeberrimus, Ferrariæ natus, 22 augusti 1749, ex antiquâ stirpe comitum Muzzarelli oriundus, octo et decem annos natus in societatem Jesu cooptatus est. Paulò post, suppresso ordine, Ferrariæ beneficio dotatus, consociationem juvenum instituit, quibus se ipsum in colendâ virtute ducem præstitit. Laboribus gravibus levamen quærebat in carminibus sacris non illepidè componendis. Famâ scientiæ jam illustrem, dux Parmensis suæ urbis collegio *Nobilium* regendo præfecit. Litteris simul et theologiæ insudabat, orationi bonisque operibus deditus, sustentans inopes, mansuetudine charitateque religionis propagator acerrimus. Reipublicæ sectatoribus propter opera sua invisus, clàm exulavit anno 1810; munus suscepit directoris spiritualis collegii Parmensis à marchione Onuphro Bevilaquâ oblatum, in quo plurimos societatis Jesu asseclas infans Ferdinandus congregaverat. Per biennium ibi commoratus est. Romæ quoque à Pio VII vocatus, theologus *Pœnitenciariæ* nominatus est, quod æquè ac titulus theologi summi Pontificis sonabat. Inter primos *Academiæ Religionis catholicæ*, Romæ conditæ, doctores consessit. Ingenio præstantissimum virum summus Pontifex apud se retinuit, vetando ne ad suos sodales societatis Jesu, Neapoli anno 1804 instauratos se reciperet. Post quinquennium Romæ proscriptus est, dùm Pius

VII ejusque cardinales per vim auferebantur. Lutetiæ, apud dominas Sancti-Michaelis diverticulum accepit, ibique decessit, 25 maii 1813, quatuor et sexaginta annos natus. Muzzarelli Latino et Italico sermone opera edita fuerunt. Quæ sunt : *Instructio practica de devotione ad Cor Mariæ ; Mensis Mariæ ; Annus Mariæ*, multoties editum opus ; *Cardinalis sanctificatus ; De vanitate luxûs in recentiore cultu ; Thesaurus in corde Mariæ absconditus ; Dissertatio de regulis asservandis ut luculenter dicatur et scribatur de devotione sacro cordi Jesu ; Novendialia festis Cordis Jesu et Mariæ præparatoria ; Feriarum rectus usus, Juventuti studiosæ edoctus ; Inquisitiones divitiarum clericorum ; Confutatio duarum sententiarum Car. Bonnet de resurrectione et miraculis ; Emilius errori subductus ; Sequentia ejusdem operis*, adversùs J.-J. Rousseau ; *De recto usu logicæ in religionis argumento* ; constat hic liber triginta et septem opusculis, inter quæ invenitur tractatus *de Dominio papæ*. Cùm Bolgeni, celeberrimus theologus, scripsisset, nimiùm intemperanter eloqui, qui credunt Deum posse pro se ipso amari, abstracto personali bono amantis, Muzzarelli contra eum tria scripta edidit : *De motivo formali specificato et principali actûs charitatis perfectæ ; Epistola amici ad Bolgeni ; Quibusdam observationibus responsio*. Inter alia opera Muzzarelli sunt : *Epistola ad Sophiam de sectâ principali cavâ ; De obligationibus pastorum in temporibus persecutionis ; De causis præsentium, timoreque futurorum malorum, remediisque ; Examen criticum præcipuorum festorum Mariæ ; J.-J. Rousseau accusator novorum philosophorum ; Opuscula inedita, patrata cùm flagraret in Italiâ persecutio ; quæstiones propositæ his qui bona clerica detinent in Galliâ Cisalpinâ ; Res mirandæ et authentica documenta de vitâ Francisci Girolamo*. Qui Girolamo, missionarius è societate Jesu, mortuus anno 1716, sanctorum numero adscriptus fuit 1807, multùm scriptis et famâ suî adjuvante et impellente Muzzarelli. *Observationes de nuptiis promotoris fidei ; Selectæ dissertationes*, quæ tractant, 1° de regulis opinionum moralium ; 2° de origine et usu oblationum ; 3° de regno *mille annorum* Christi ; de auctoritate papæ ad episcopum sede discutiendum. Gallico sermone hæc quæstio conflata est alio simili titulo. *De auctoritate Romani pontificis in generalibus synodis ; Annotationes de electionibus capitularibus ; Vocatio sancti Ludovici de Gonzaguâ*, carmen. *Infans Jesus*, versum opus in Italica carmina de poemate Latino Cevâ. *Duodecim gesta historiæ sacræ detracta*. Extat et Muzzarelli *Dissertatio* lecta in *Academiâ Religionis catholicæ*, in quâ confutantur hæretici qui incendium explodere voluerunt quinque urbium in Genesi citatarum.

# Præfatiuncula.

Argumenta quæ in his Dissertationibus evolvenda suscepi, non omnia quidem nova, sed omnia ferè noviter pertractata. Cùm enim veritas propè universa à doctissimis theologis, qui nos præcesserunt, occupata fuerit, quærebant sollicitè, si quid adhuc superesset, quod tantorum virorum lucrubationes effugerit. Neque facilè mihi hoc fuit invenire, quoniam exploranti theologicam suppellectilem non appareret quid adjicere, nisi hæreditarium aurum in informem massam conflactum vellem quasi meum venditare. Vix autem argumentum unum veluti intactum perscrutanti mihi sese obtulit, scilicet *de jure summi pontificis in destitutione episcoporum*. Illud potiùs occurrit, aliqua esse argumenta, quæ historicè magis quàm theologicè discussa fuêre, ut est illud : *de Regno millenario Christi visibiliter conversantis in terrâ ;* alia, quæ propter dissentientes scholæ opiniones adhuc sub lite sunt ; ut illud *de Regulâ moralium opinionum* ; alia denique diffusè quidem à canonistis et theologis disputata, sed fortè nunquàm satis diligenter in fundamentalibus principiis explorata, ut illud *de oblationibus, primitiis et decimis*. Quare ad hujusmodi argumenta meum qualemcumque laborem contuli. Neque in animo fuit, ut de singulis volumina conficerem, quod non admodùm difficile foret in hâc amplissimâ eruditionis congerie, quam præstantissimi viri nobis undique comparârunt, si ad omnia, quæ hæc argumenta aliquo modo attingunt, excurrere voluissem. Sed mihi nunquàm hujusmodi consilium in animo sedit, quia in obviis, in satis cognitis, in indirectis, in subobscuris vel rationibus, vel auctoritatibus, satiùs semper judicavi lectorem ad se ipsum, aut ad alios auctores remittere, quàm illum à recto itinere avertere et currentem supervacaneæ eruditionis impositâ sarcinâ defatigare. Illud maximè præ oculis habui, ut in omni disputatione principia statuerem, unde cursum arripere, et terminum, ubi oculum intendere ; deinde semitam explorare, per quam rectissimè, et quantum fieri potest citissimè, ad propositum pervenire. Non enim ut in circulo disputationis initium arbitrio nostro sumi debet, et circumduci. Aliter per repetitos orbes circumagitur lector, et cùm denique gradum sistere ei conceditur, quâdam veluti vertigine ex rotatione conceptâ, vel unde digressus fuerit, vel quam semitam percurrerit, vel quæ viderit, distinctè meminisse non potest. Sectatus sum igitur brevitatem plerisque amicam, selectiora persequens, atque illa recto ordine disponens ; et si aliqua prætermisi, quæ fortè superflua non fuissent, doctores et eorum opera, in quibus ea quisque invenire possit, annotavi. Si quis autem annotata opera consulere voluerit, ibi aliorum doctorum sententias per se ipsum deprehendet. Hoc enim mihi proposui, ut eos classicos auctores pro testimonio afferrem, à quibus ad alios per citationes lector deduci possit ; atque ita quæ ego præ-

termiseram, oculis suis subjicere, et diligenter si libeat explorare. Ita ne eruditis, qui omnia nôrunt, molestus essem, cæteris, qui majorem in subjecta materia extensionem exoptarent, satis ut opinor provisum. Denique quid reipsa præstitum sit, erudite et candide lector, judicabis.

# DE REGULA MORALIUM OPINIONUM PRO CONFESSARIIS.

Cùm homo sub lege vivat, atque eam adimplere teneatur sive divinam, sive naturalem, sive humanam, opus habet aliquâ regulâ moralium actionum, quâ se dirigat, et à periculo culpabilis transgressionis seipsum avertat. Hæc autem regula dividi potest in regulam internam et externam. Regula interna communiter statuitur in conscientiâ, quæ est dictamen rationis, seu actus intellectûs, quo judicamus aliquid hìc et tunc agendum, vel omittendum esse, tanquam bonum vel malum. Verumtamen ut intellectus, sive ratio, judicium suum rectè proferat, opus habet aliquâ regulâ tutâ et proximâ, quam inspiciens rationabiliter et prudenter judicarè possit se à rectâ semitâ in suo dictamine non deflectere. Hæc autem regula est ea quam voco conscientiæ regulam externam et tutam in materiâ moralium opinionum. Neque enim opus est inquirere regulam pro recto dictamine conscientiæ in illis casibus, in quibus adest lex clara aut naturalis, aut divina, aut humana, neque in iis, in quibus præstò est definitio Ecclesiæ, communis doctorum auctoritas, aut ineluctabilis consuetudo, quæ omnia pariunt aut evidentem, aut moralem certitudinem. Ipsa enim moralis, aut evidens certitudo, sive legis, sive libertatis, est tutissima conscientiæ regula, de quâ à nemine disceptatur. Quare hujus nostræ dissertationis scopus est solummodo investigare regulam, quæ maximè confessarios dirigat in obscuris et difficilioribus casibus, qui ad eos à rudibus et idiotis pœnitentibus deferuntur, cùm hujusmodi pœnitentibus confessarii sententia et auctoritas id ferè omne exhibeat, quod ordinariè illos ad agendum determinat.

Igitur patet, quod ante omnia opus est, ut hujusmodi regula sit in praxi *tuta*. Cùm autem dico *tuta*, intelligo, quod talis sit quæ non exponat hominem periculo culpabilis sive formalis transgressionis in legem. Hoc enim omnes leges exigunt, ut nemo eas culpabiliter offendat; ideòque divinæ leges pœnas decernunt in eos transgressores, quorum culpa sapientissimis Dei oculis manifestatur; humanæ autem leges pœnas statuere in reos aut verè tales, aut saltem præsumptos, cùm non possit internos animi actus humanus legislator introspicere. Si quis autem talem regulam exquireret, quæ ab omni prorsùs periculo non solùm formalis, sed etiam materialis transgressionis semper averteret, is non simpliciter tutam, sed tutiorem regulam exigeret, quæ viam salutis redderet non solùm arctam, sed etiam humanis viribus imperviam; teneremur quippe ad jejunandum, et restituendum, quæcumque formido occurreret de obligatione jejunii, aut restitutionis, et similium; ideòque ab Alexandro VIII meritò proscripta fuit tertia illa propositio, quæ sic habet: *Non licet sequi inter opiniones probabiles probabilissimam.* Vide Viva in cit. propos., et in proposit. 1 damnat. ab Innoc. XI. Et reverà, cùm lex, juxta D. Thomam, debeat esse *ordinatio rationis ad bonum commune promulgata* (1-2, qu. 90, art. 4), lex Tutiorismi, quæ contra bonum communis salutis vim inferret, et plus præstaret incommodi quàm commodi circa præceptorum observantiam, non potest sine injuriâ supponi, quòd à sapientissimo et benignissimo Deo statuta fuerit. Quis enim non videat, per talem obligationem formalia multiplicari peccata, et innumeras anxietates, scrupulos, dubia, et difficultates orituras in officiis, contractibus, directione propriæ et alienæ conscientiæ? Sufficit igitur, ut conscientiæ regula sit in praxi tuta à periculo culpabilis prævaricationis.

Deinde opus est ut hæc regula sit *certa*, scilicet fundata in principiis certis tum ex ratione, tum ex auctoritate, unde quisquis rectè judicare possit se viâ tutâ incedere, prudenter agere, et ab omni culpâ vacare. Nemo enim prudenter et rationabiliter suarum actionum regulam amplecteretur fluctuantem et incertam, et quam dignosceret inniti super principiis disputabilibus, ambiguis et dubiis.

Præterea debet esse hujusmodi regula quantum fieri potest *universalis*, scilicet quæ apta sit tutò dirigere hominem ordinariè in suis actionibus; unde rejicienda est regula, quæ multis exceptionibus scatet, et à quâ in plurimis casibus recedere oportet. Tunc enim non una regula, sed plures humanarum actionum proximæ regulæ assignari deberent, quæ multiplicibus quæstionibus et erroribus hominem in suis actibus exponerent, et quæ non præsumuntur à Deo præscriptæ hominibus, quos tutò simul et suaviter in viâ mandatorum suorum dirigere voluit. Hæc autem diffi-

cultas magis innotescet, si humanarum legum infinitum penè numerum consideremus, quarum sensus nimis fluctuaret, si plures regulæ, aut una regula cum pluribus exceptionibus pro earum observantiâ statuatur. Neque verò confundi debent regulæ juris cum regulâ conscientiæ, quam inquirimus. Illæ quidem multiplices esse debent, quia ad diversas legum interpretationes inserviunt; hæc autem quantum fieri potest simplex, et ad clarum significatum coarctata. Imò sunt illæ quædam veluti principia, quæ in ultimam conscientiæ regulam influunt, et eam ad determinandam conscientiam proximè et expeditè instructam constituunt. Igitur externa regula morum, quæ ordinaria et ferè unica sit, ideoque quantum fieri potest universalis, omnibus aliis à rationali homine anteferenda est.

Deniquè dico quòd talis regula debet esse *ad praxim reducibilis*. Cùm enim sit regula practica morum, continere debet ejusmodi præcepta, quæ sint accommodata communi hominum intellectui, et simul humanis viribus. Nisi enim talis esset, imponeret onus moraliter intolerabile, innumeris scrupulis, perplexitatibus et erroribus obnoxium. Non potest autem præsumi, quòd benignissimus Deus onus nobis imponere voluerit, quod moraliter impossibile sit ad portandum. *Non solùm autem dicitur impossibile* (ut ait S. Antoninus, p. 1, tit. 1, c. 10, § 10, reg. 7), *quod absolutè non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem epicheiæ in lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, utpote nimiam habens difficultatem. Aliàs quomodo salvaretur illud : Onus meum leve?* Itaque omnis regula continens præcepta, quæ illigant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, sicut a Domino Jesu Christo reprobatur, ita quoque est a nobis reprobanda. (*Matth.* 23.)

Jam verò inquirendum superest, utrùm inveniatur adducta regula, quæ, ut diximus, sit *tuta, certa, universalis, et ad praxim reducibilis*. Atque hæc maximè investiganda est, ut jam proposuimus, pro confessariis. Ipsi enim eâ non solùm indigent pro recto dictamine propriæ conscientiæ, sed etiam pro recto moderamine conscientiæ aliorum, et præcipuè idiotàrum, quorum ipsi fiunt doctores, et quasi regula proxima et externa in moralibus eorum actionibus. Et quidem si imprudentem, incertam, versatilem, obscuram regulam confessarii adhibeant, necesse est ut suos pœnitentes in incertum ferant, aut in errorem impellant. Quare hæc mea disceptatio præcipuè ac ferè unicè ad confessarios dirigitur, unde de iis et pro iis me ordinariè loqui profiteor; quod præ oculis a lectore semper habendum præmoneo.

Fieri autem nequit, ut ea regula inveniatur in privatis auctoribus. Ipsi enim, cùm in assignanda hujusmodi regula inter se dissideant, eam saltem nec certam, nec universalem præscribere possunt. Superest igitur, ut ea expressis verbis designata indicetur in aliquo doctore, qui super cæteros eminenti polleat auctoritate. Hic autem mihi præstò est, scilicet summus Pontifex Benedictus XIV, qui privatæ insigni et raræ doctrinæ etiam Apostolicæ sedis auctoritatem copulavit. Et eò magis ejus auctoritas nobis in pretio esse debet, quia post plurima de hoc argumento inter theologos exorta dissidia scripsit; ideoque præsumendum est, quòd auctoritate suâ theologicis concertationibus pacem, et conscientiarum perplexitatibus medelam afferre voluerit. Ipse verò in constitutione, quæ incipit *Apostolica constitutio* data anno jubilæi, et invenitur Bullarii *tom.* 3, *n.* 19, ita loquitur in § 21: *Cùm igitur aut difficilior, aut nova quædam facti species ad confessarium defertur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum. Notum quippe est in tanto scriptorum numero aliquos prodiisse, quorum opinio, ac sententia Evangelicæ simplicitati, ac sanctorum patrum doctrinæ non bene consonant. Complures opiniones (verbis hìc utimur prædecessoris nostri Alexandri VII, in decreto edito die 7 septembris* 1665) *Christianæ disciplinæ relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque patrum doctrina, et quem si pro recta regula fidelcs in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Nolumus hac in re pressiorem sermonem instituere; nolumus vexatissimas quæstiones, quæ circa scriptorum fidem eorumque doctrinæ integritatem agitantur, attingere. Sat erit confessarios monuisse, ut in re dubia propriæ opinioni non innitantur, sed antequam causam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos cumprimis, quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. Nec aliud sanè docuimus in nostra encyclica super usuris, quæ occurrit ordine* 143. *Bullarii nostri tom.* 1, *ubi* § 8, *ita scripsimus : Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur : deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione tum auctoritate planè confirmatas intelligent. Idipsum modò repetimus. Nostra quippe sententia non solis rei usurariæ limitibus circumscribitur, sed ea omnia complectitur, quæ sive ad forum sacramentale, sive ad rectum conscientiarum regimen quoquo modo conferre possunt.* Huc usque Benedictus XIV, in edit. Roman. Bullar. typis propag. fidei 1753, tom. 3. Habes hìc paucis verbis, quæ sententia in rebus obscuris et difficilioribus amplectenda ordinariè sit ad moderandas conscientias, scilicet ea, *quam ratio suadet, ac firmat auctoritas*. Optimè autem dicitur primò, regulam moralium actionum in obscuris esse debere eam sententiam, quam *ratio suadet*, scilicet quam ratio veluti veram aut verisimilem ita proponit, ut inducat hominem prudentem ad præbendum sibi assensum. In hoc enim stat rationabilis suasionis vis; unde fit ut opinio, in qua ratio prudentis viri quiescere nequit, quamvis interdum aliquam apparentem veritatem aut verisimilitudinem præ se ferat.

omnino tamen sit refutanda. Sequitur : *ac firmat auctoritas.* Est enim doctorum hominum auctoritas maximus cardo, à quo regitur humani intellectûs imbecillitas, ita ut ignaris, et indoctis hujusmodi auctoritas stet fere semper pro ratione. Cùm enim idiota impos sit ad examinandas sententiarum intrinsecas rationes, et ad ferendum de eis judicium, stat illi pro suo judicio judicium doctorum hominum, et non absque ratione, imo prudentissimè suadet sibi, illorum sententiam, qui docti, et probi sint, validissimis rationibus inniti : ideoque posse ad eorum præcepta et consilia suam conscientiam conformare. Unde homo rudis sequendo consilium probi, prudentis et docti confessarii, sequitur sententiam quam auctoritas sibi suadet, et ratio reflexa firmat, ordine quidem quasi inverso, sed qui unicus illi suppetit in obscuris rebus ad formandum rectum suæ conscientiæ dictamen. Hâc autem auctoritate etiam docti indigent. Nihil enim facilius, quàm ut ab erudito et ingenioso viro quæcumque futilis ratio, et cavillationes ipsæ, et sophismata interdum pro gravibus rationibus assumantur, nisi selectiores doctores evolvat, et eorum contraria argumenta cum propria sententia diligenter conferat. Quare in opinionum regula non alternativè, sed copulativè, cum ratione auctoritas ordinariè convenire debet. Quod si in aliquo peculiari casu expressa et apposita auctoritas præstò non sit, non desunt certè in gravioribus doctoribus similes casus, à quibus resolutionum exemplares rationes desumi possint, aut docti, et probi viri, qui consulantur.

Jam verò hæc regula facilè demonstratur, quòd sit et *tuta*, et *certa*, et *fere universalis*, et *ad praxim reducibilis*. Et primo, quòd sit *tuta*, nemini in dubium venire potest, cùm fuerit à Summo Pontifice proposita, cui propter doctrinam et auctoritatem nihil deerat ad definiendam tutam praxim pro regula morum, maximè cùm Benedictus XIV hæc præscripserit post tot dissidia circa hanc materiam, atque rationes, et difficultates hinc inde expenderit; unde non solùm maturè, et deliberatè, sed etiam cum plenâ et perfectâ hujus argumenti cognitione ad hanc regulam determinandam descendit. Et revera hanc regulam Ecclesiæ doctores, Patres, concilia, et summi pontifices secuti sunt, cùm de rebus controversis et dubiis deliberandum fuit. Voluerunt enim ut auctoritas simul et ratio consulerentur, et quod rationi consonum, et ab auctoritate confirmatum inveniretur, id Christi fidelibus observandum intimarent. Hanc ipsam regulam profitebatur S. Augustinus scribens Hieronymo, sibi in praxi esse ; exceptis enim canonicis Scriptoribus, quos nunquam errâsse credebat, de aliis subjungit : *Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideo verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et refert. decr. p. 1. dis. 9. c. 5. et paucis variat. in ep. 82. n. 3, noviss. edit. Et nisi talis regula esset tuta, alia assignari deberet, quæ tuta esset, cùm non possint homines sinè tuta conscientiæ regula legem adimplere. Alia autem exhiberi nequit, nisi tutissima, scilicet quæ amoveat omne prorsùs periculum quanquam remotum transgrediendi legem non solùm formaliter, sed etiam materialiter, ex quâ nunquam liceret sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, quod vidimus fuisse ab Alexandro VIII reprobatum. Quare ait S. Antoninus in Summa p. 1, c. 10 : *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti ; aliter oporteret multos ingredi in religionem, in qua tutus vivitur, quàm in seculo.* Et sic in omni dubio de obligatione restitutionis præscribi deberet restitutio, quia hæc tutior regula est, imo tutissima, ad non lædendam justitiam in proximum. Quam regulam si amplecterentur confessarii, facillimè suos pœnitentes impellerent ad excutiendum jugum divinæ legis, quia desperarent se posse eam rite observare. Etenim, ut ait D. Thomas 2-2. qu. 20, art 3, *sublatâ spe, irrefrenatè homines labuntur ad vitia, et à bonis laboribus retrahuntur.* Et hæc ratio est, propter quam Probabilioristæ suam sententiam contra Tutioristas defendunt, uti videre est inter cæteros apud Patrem Flavianum Ricci *in additionib. ad theol. P. Reiffenstuel. tract. 1, dist. 4, q. 6, § 8.* Quia Deus à nobis non exigit, ut operemur semper cum metaphysicâ aut physicâ evidentiâ de honestate materiali actionis nostræ : hoc enim est supra naturæ humanæ vires pro hoc vitæ statu ; sed solùm à nobis exigit, ut nunquam operemur sinè firmâ et prudenti persuasione, quòd actio nostra hìc et nunc ponenda non sit peccaminosa, sed licita. Consonat P. Daniel Concina, qui in theolog. Christ. contr. lib. 2. Appar. diss. 2. cap. 10. sic ait : *Vox tutior significare potest majorem securitatem à periculo peccandi etiam materialiter, et hoc in sensu non semper tenemur ad tutiora. Licitum est exequi id, quod omnibus seriò expensis apparet prudenter verum et honestum.* Atqui is qui in obscuris et disputabilibus tandem exequitur id, quod omnibus seriò expensis *ratio sibi suadet, et auctoritas firmat*, sequitur illud, quod sibi apparet prudenter verum, et honestum. Ergo qui hujusmodi regulam amplectitur, habet conscientiæ regulam tutam et irreprehensibilem.

Quod autem hæc eadem regula sit *certa*, apparet manifestè ex suprà dictis. Etenim innititur principiis certis prudentiæ, honestatis, voluntatis divinæ, idoneitatis humanæ naturæ, auctoritatis Ecclesiæ, et praxis proborum et sapientiorum hominum. Item non improbabitur neque ab iis qui contrarias inter se partes sequuntur, sive sint probabilistæ, sive sint probabilioristæ. Denique est etiam certa in hoc sensu, quòd clara, et determinata est, non ambiguis, diversis interpretationibus obnoxia, ideoque omnium captui, et usui, quantum fieri potest, accommodata. Ex hoc autem sequitur, quòd sit etiam *universalis*, cùm ab omnibus liquidò intelligi, et executioni mandari facilè possit. Sed hujusmodi regulam ex eo potissimùm universalem appello, quòd ad omnes ferè casus se ex tendat. Quæcumque enim agenda occurrerint, tutò operabimur, si sequamur id *quod ratio suadet, et auctoritas firmat*, et si rejiciamus id quod ratio non suadet, et auctoritas non firmat. Imò non solùm pro dubiis, et

controversis casibus hæc regula nos dirigit, sed etiam pro iis qui apud Catholicos non controvertuntur, quia habent fundamentum certum et manifestum in lege divinâ, aut naturali, aut ecclesiasticâ. Ubi enim adest certa et clara lex divina, naturalis, et ecclesiastica, aut ipsius Ecclesiæ definitio, nulla potest esse auctoritas in contrarium, quæ vel minimi æstimetur, et quæcumque ratio in oppositum appareat, reputanda est fallax, quia ex ratione, reflexâ, sed certâ, persuadere nobis debemus, quòd illa sententia rectæ rationi adversetur, ideoque quòd insufficiens sit ad merendum assensum hominis prudentis. Pone enim exemplum de dubio occurrente in administratione Sacramenti, quod ejus valorem respiciat. Ratio mihi suadet, quod in hâc materiâ, quæ est materia facti, et non dependens ab opinione hominum, sed ab institutione Christi, teneor procurare media prorsus certa ad eorum valorem, et propter Sacramenti reverentiam, et propter proximi salutem. Accedit auctoritas Innocentii undecimi, à quo inter damnatas propositiones prima recensetur ea, quæ asserit : *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relictâ tutiore ;* ideoque et ratio et auctoritas mihi præscribit tutam regulam in administratione Sacramentorum. Idem dicendum de medico, qui tenetur adhibere pharmacum probabiliùs curativum, et de judice, qui debet in judicando sequi probabiliorem sententiam. Etenim præter communem auctoritatem, quæ ita docet, ratio ipsa non solùm mihi suadet, sed penitus me convincit, quòd qui tenetur ex justitiâ aut charitate proximo succurrere in re gravi, debet tutiora media adhibere ; aliter injustè aut injuriosè exponeret proximum gravi periculo aut vitæ, aut famæ, aut fortunarum, cùm effectus in his rebus non ab opinione pendeat, sed à facto vel utili, vel inutili, vel nocivo. Igitur adducta regula etiam ex hoc capite est præferenda, quia unica, aut ferè unica, ideoque universalis, et applicabilis ad omnes morales actiones.

Hæc autem universalitatis prærogativa non invenitur in aliis regulis, quæ solent assignari, sive Probabilismi, sive Probabiliorismi, quia istæ pluribus et implicatis exceptionibus obnoxiæ sunt, uti videre est apud auctores qui eas sequuntur, adeò ut etiam docti homines vix interdum mentem suam patefacere valeant in earum usu præscribendo. Ac præterea non possunt illæ esse universales quoad personas, quia qui unam earum amplectitur, aliam omnino respuit et reprobat.

Remanet, ut proposita regula ostendatur maximè pro confessariis, qui illâ indigent ad aliorum conscientias moderandas, *ad praxim reducibilis*. Et primò in hoc considero facilitatem, seu minorem praxis difficultatem, cùm nulla possit esse ita facilis, ut aliquam difficultatem non involvat. Hæc autem facilitas patet ex usu, quia statim ac in rebus controversis post diligens examen, et omnibus seriò expensis, inveniam opinionem quam recta ratio mihi suadet, et plures classici auctores confirmant, jam non est mihi opus ulterius inquirere, et doctores omnes perscrutari, singulas eorum rationes, et auctoritates conferre, et judicare de eorum inæqualitate, et præponderantia, quod esset onus moraliter intolerabile, utpote innumeris scrupulis, perplexitatibus, et periculis errandi obnoxium. Secundò considero hujus regulæ praxim, quatenus magis remota est ab extremis, ideòque minùs periculosa. Est enim æquè distans a laxitate, et a rigorismo, quia vir probus, et saltem mediocriter doctus non facilè suadetur a quacumque ratione, et auctoritate, ideoque declinat periculum laxitatis ; et ex alia parte non ita inhumanus erit, ut postquam dignoverit gravitatem rationis ex prudenti suasione, quam causat in suo intellectu, et invenerit in classicis doctoribus eamdem sententiam planè confirmatam, velit nihilominus eam suo pœnitenti inhibere, quia opposita est magis tuta.

Addo autem, quod in posterum semper meminisse oportebit, per adductam regulam non excludi, ut confessarius in rebus obscuris, et difficilioribus, consilium etiam sapientioris et prudentioris exquirat. Imo in pluribus circumstantiis hoc omnino, quamdiu fieri poterit, et licitum erit, præstandum est. Ita fiet, ut denique omnibus hinc inde expensis, collatis inter se auctoribus, rationibus et difficultatibus alteri expositis, et ejus sententiâ auditâ, securiùs ad deliberationem quisque deveniat. Et hujusmodi praxis communis est etiam Probabilismi, et Probabiliorismi methodo, quin ex ea harum opinionum usus evertatur. Cùm enim de hujusmodi rebus disputatur, non excluduntur conditiones, et modificationes, quæ subintellectæ vocantur, et ab omnibus admittuntur. Quod notavi, ut id lector extendat ad alia similia.

Sed dices : Quid agam, si ratio mihi suadet magis unam sententiam, quàm alteram? Respondeo, quòd aut excessus suasionis est modicus, aut est magni momenti. Si modicus, dico quòd parvi pendendus est, quia in parva præponderantia nemo potest ex hoc capite prudens judicium formare pro veritate, aut falsitate alicujus sententiæ, cùm talis modica præponderantia facillimè apparens tantùm sit, versatilis, et fallax. Si autem excessus sit magni, aut notabilis momenti, tum dico quod in praxi ordinariè non subsistit apud intellectum suasio rationum pro contraria sententia, ideoque iste casus semper mihi visus est admodum rarus in praxi. Magna enim aut notabilis præponderantia rationum pro una sententia aufert apud intellectum gravitatem pro altera, et eam efficit apud ipsum non solùm minùs gravem, sed etiam levem, et improbabilem. Si autem id aliquando accidat, ut adsit simul major et minor notabilis suasio pro contradictoria respectivè sententia, non auderem quidem aliquid addere Benedicti XIV regulæ, qui simpliciter id sequi consulit, quod ratio suadet, non id quod ratio magis suadet.

Quid verò, si plures auctores classici stent pro una sententia, quàm pro alia, ideoque una sententia magis auctoritate firmetur, quàm alia? Respondeo : Aut numerus auctorum, qui classici judicantur, est impar ad acquirendum prudentem assensum, aut est sufficiens.

Si impar, manifestum est quòd attendi non debet in proprio judicio. Si sufficiens sit, cur ipsis adhærere non possum, dummodo aliunde ratio me suadeat de gravitate rationum? Aliter in infinitum, et in incertum protrahendum erit examen. Non enim auctoritas doctorum, qui classici vocantur, commensuratur tantùm ab eorum numero, sed etiam a relativa eorum præponderantia, cùm inter classicos ipsos plures grádus distinguantur; similiter a rationibus quæ ab ipsis adducuntur, cùm etiam auctores classici aliquando dormitent; denique ab existimatione, quam sibi in aliquo peculiari casu resolvendo nonnulli acquisiverunt, cùm sæpe accidat, auctorem cæteroquin minùs insignem prævaluisse in aliqua resolutione apud communem opinionem contra eorum decisionem, qui auctores primæ classis appellantur. (Vide Silvestr. *v. opinio n.* 2.) Quis igitur dicet, adstringi deberi confessarium ad instituendum judicium de præponderantia auctoritatis doctorum in aliquo peculiari casu, cùm talis præponderantia a tot circumstantiis, et requisitis pendeat, ut fallere etiam possit, et reverà non rarò fallat judicium quoque doctissimi et prudentissimi hominis? Numquid præsumendum est, quòd voluerit Deus, cùm agitur de legis observantia ad salutem necessaria, nos conjicere in tot difficultates, et ambages, unde extricari non possimus, et à quibus fere ad desperationem impellamur? Certè vir cæteroquin probus, prudens, et mediocriter doctus, qui ingenii licentiæ non obsecundet, et alicui parti mordicùs non adhæreat, et conscientiam suam sinè prœventione, aut scrupulo audiat, irreprehensibilis reputandus erit, cùm in aliquo casu controverso eam sententiam amplectitur, quam gravis ratio sibi suadet, et sapientiorum doctorum auctoritas firmat. Ideò prudentissimus Pontifex Benedictus XIV ab his comparativis præeminentiis abstinuit, et ad sententiam nos descendere unicè præscripsit, *quam ratio suadet, et firmat auctoritas.*

Instabis ulteriùs : Quid autem, si inveniam apud plures classicos doctores opinionem quam mihi ratio non suadet, aut quam ipsa ratio mihi dissuadet? Respondeo, me semper abhorruisse ab his interrogationibus, quibus si quis respondere velit, tot distinctiones et subdistinctiones obscuras, et versatiles, et abusivis interpretationibus obnoxias proferre cogitur, ut satius sit aliquos particulares casus prudentiæ, doctrinæ, et probitati confessariorum in praxi solvendos relinquere. Genericè tamen dicam, quòd ubi non adest Ecclesiæ definitio, aut communis doctorum sententia, nunquam adducar ut eam opinionem amplectendam proponam, quam ratio neque mihi suadeat, nec suaserit peritis auctoribus a me diligenter consultis, quamvis inveniatur apud aliquos classicos doctores. Etenim suppono semper in casu proposito, quòd plures classicos doctores consuluerim, ut præscribit Benedictus XIV, et deinde omnibus seriò expensis, ratio me suadeat pro una eorum parte, et pro contradictoria non suadeat; unde fit, ut mea ratio fulciatur ab intrinsecis rationibus, et extrinseca aliquorum doctorum auctoritate contra aliorum rationes, et auctoritatem. In hoc autem casu tantum mihi valet adversæ sententiæ patrocinatorum auctoritas, quantum valent eorum rationes: et si eorum rationes post diligens examen non sint aptæ ad assequendum meum assensum, in eorum assertione simpliciter non acquiescam. Scio enim quòd, si quæ sunt rationes realiter graves, vim suam exerere debent etiam apud hominem mediocriter peritum. Quòd si id non assequantur, de earum gravitate summopere dubitandum, si non omnino desperandum judico. Et ex alia parte frequens et attenta doctorum lectio nos instruit quàm etiam doctissimi homines interdum hallucinantur, et cavillationes pro rationibus aliquando assumunt, maximè quia plurimi ex classicis doctoribus, quos terimus, ab Aristotelica palæstra educti ad moralem disciplinam se contulerunt, a qua palæstra cum accurata dialectica, quam magni facio, etiam nonnulla vitia, quæ omnino respuo, in sua opera invexerunt. Mihi arridet summopere sententia Silvestri, qui ait in Sum. (V. Opinio n. 2) : *Non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diversas opiniones a magistris approbatas, et Scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi.* Et inferiùs : *Sed neque ex multitudine auctorum quoa melius, et æquius est judicato, cùm possit unius, et fortè deterioris sententia multos in aliqua parte superare, quod menti commendandum est.* Juvat theologorum auctoritas, sed cùm mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere poterunt. (S. Aug. *l. c.*) Ad quid enim ratiocinandi facultas nobis data est, si rationi cuicumque extrinsecæ cedere omninò debeamus, etiam cùm ratio intrinseca nos non suadet, nec adest Ecclesiæ definitio? Cur tempus studendo, et legendo, et meditando terimus, si solùm ex aliquorum responso propositis casibus prudenter, et tutò respondere possimus? Ratione, auctoritate suffulti, quos doctores habemus, doctores facti sunt; et injuriosum, et injustum erit, consilium pœnitenti præbere, quod si quis mihi daret absque suasibili ratione, et unicè in verbo alicujus doctoris fundatum, statim respuerem tanquam arrogans, et temerarium. (*Vide Azor. l.* 2, *c.* 16 *qu. quint.*) Atque hoc dico quoad regulam, quam confessarius a pœnitente consultus præ oculis habere debet. Quòd si pœnitens alioquin probus, ac sufficienter instructus asserat, se persuasum esse rationibus, quæ quamvis mihi non arrideant, non tamen omninò falsæ dignoscuntur, et insuper ad ejus opinionem gravium doctorum auctoritas concurrat, non condemnabo quidem ejus electionem, quia sequitur sententiam quam asserit rationem sibi suadere, et auctoritatem confirmare; sed nihilominus abstinebo ab approbatione sententiæ, quam ratio mihi non suadeat. Multò minùs descendam ad sententiam quam mihi ratio omninò dissuadet, quamvis fulciatur auctoritate trium, aut quatuor auctorum non parvi nominis. Contra propriam rationem, et multorum auctoritatem se determinare in re controversa unicè propter aliquorum assertionem, non est hominis pru-

dentis, et mediocriter in hac disciplina versati.

Ex dictis aliam objectionem aliquis desumere poterit, et inferre quòd proposita regula sit incerta ad assequendam veritatem. Etenim quod mihi ratio suadet, alteri ratio non suadet, et alicui etiam dissuadebit. Respondeo primò, quòd hæc objectio est communis omnibus regulis, quæ in diversis scholis exhibentur. Quod enim tibi est probabile, mihi fortasse erit probabilius, et alteri omninò improbabile; pariter quod alteri est probabilius, mihi vix probabile erit, tibi autem omninò probabilitate destitutum. Nec certitudo ipsa moralis hunc scopulum semper evadit, et videmus eamdem sententiam apud aliquos certam esse quæ est apud alios incerta. Non est igitur exigenda in rebus controversis persuasio rationis absoluta, et universalis, quia si hujusmodi persuasio aderit de aliquâ sententiâ, tunc talis sententia extra controversiam fit, et moralem certitudinem assequitur, nempe quia possidet communem doctorum hominum persuasionem et approbationem. Unde sufficit persuasio relativa, et prudens, sicuti in Probabilismo et Probabiliorismo à sapientioribus admittitur. Cùm enim persuasio rationum est omnibus doctoribus communis, non jam in incerto versamur, sed habemus sententiam certam, qualis resultat ex communi theologorum doctrinâ, et quam sequi tenemur, nisi fortè evidens in contrarium ratio, et non ante à doctoribus ad examen adducta occurrerit. Et nisi talis relativa sententiæ gravitas recipiatur, ad Tutiorismum confugere necesse erit, quod tamen ab omnibus reprobatur. Respondeo secundò, quòd proposita regula, si non ducit ad assequendam cum certitudine veritatem, admovet tamen hominem veritati eo meliori modo, quo fieri potest in hâc materiâ, et in hâc hominum conditione. Imò potius tutiorismum est regula incertissima, et fallacissima ad assequendam in hâc materiâ veritatem, cùm veritas hìc consistat in prohibitione aut permissione alicujus actionis, et Tutiorismum semper prohibitum supponat quod potest esse, et est sæpè permissum; ideòque non solùm à veritate declinat, sed etiam ad falsum inevitabiliter aliquando inducit. Injustum autem est exigere certitudinem assequendæ semper veritatis in regulâ quæ præscribitur pro casibus controversis, in quibus supponitur, nec adesse, nec inveniri posse veritatis certitudinem. Ea tamen optima regula erit in incertis, quæ veritati appropinquat, et eam ut plurimùm assequitur, quamvis non semper assequatur, dùmmodo simul sit regula tuta, certa, universalis, et ad praxim reducibilis, qualem ostendimus esse regulam à Benedicto XIV propositam. Respondeo tertiò, quòd ad assequendam cum majori spe, et fundamento veritatem, consultò hæc regula complectitur tum rationem, tum auctoritatem. Esto enim, quòd interdùm tibi tua ratio suadeat quod mihi mea non suadet, aut etiam dissuadet, ideòque aut tuæ, aut meæ sententiæ in tali casu falsum subesse debeat; sed cùm ratio non sufficiat ad amplectendam sententiam, nisi etiam accedat auctoritas, minùs frequens erit casus, in quo sententia, quam tibi ratio suadet, et firmat auctoritas, à me tanquam futilis et vana rejiciatur. Ipsa enim auctoritas, et rationes ab auctoribus adductæ faciliùs ad assentiendum tuæ sententiæ animum meum inclinant, et pondus addunt tuis rationibus, quæ per se solæ assensum meum ad se trahere fortè non valerent. Quare non imperfectè, sed adæquatè hæc regula servanda erit, quoties commodum præbeatur eam servandi; et ex hâc ipsâ ratione ab adversario adductâ non mihi arridet opinio eorum, qui rationem ab auctoritate sejungunt, et alterutram pro regulâ conscientiæ in materiâ morum præscribunt etiam in casibus, in quibus utraque inveniri, et componi potest. Hoc enim frequentiam in sententiarum diversitate auget, ideòque etiam falsarum opinionum numerum. Neque dicas, quòd idiotæ et rudes super auctoritate prudentis confessarii unicè se determinant, ideòque necesse non est, ut in electione opinionum ratio cum auctoritate concurrat. Etenim hæc nostra elucubratio ad confessarios, ut præmisimus, singulariter dirigitur, atque illis hujusmodi regulam proponit Benedictus XIV. Planum autem est, quòd si confessarii hanc regulam servent, etiam pœnitentes idiotæ, et rudes sequentur sententiam, quam ratio suadet, atque auctoritas firmat. Tunc enim ipsorum sententia erit secundùm rectam rationem confessarii, quæ defectum supplet rationis in pœnitente. Contra verò nisi confessarius ita se dirigat, pœnitentis fiduciam facillimè fallit; et ad errandum sæpè sæpiùs inducit. Homo enim idiota, et rudis, qui alioquin de doctrinâ et prudentiâ confessarii non dubitat, firmè tenet, quòd confessarius secundùm rectam rationem omnibus seriò expensis sibi consulat, et suum intellectum ipsi subjicit; nec suspicari potest, quòd confessarius illi suadeat id, de quo ipse anteà rationabiliter, et prudenter suasus non fuerit. Dirigit se pœnitens secundùm persuasionem rationis reflexam, quæ fundatur in confessarii persuasione directâ, ideòque deficiente confessarii directâ persuasione fallitur invincibiliter pœnitentis persuasio reflexa. Quid autem inde? Hoc eò magis evincit, quàm necessarium sit, quòd confessarius propositam et adæquatam regulam, toties quoties suppetit commodum eam servandi, sequatur, ne pœnitentem decipiat, et in errorem impellat. Sit utique prudens quantùm satis, et inculpabilis pœnitens idiota et rudis, qui licitam putat sententiam, quam sibi consulit confessarii auctoritas, et ratio reflexa suadet; regulam sequitur, quæ unicè præstò illi est propter invincibilem suam ignorantiam. Sed numquid eamdem omninò regulam sequi impunè poterit confessarius, qui ex officio tenetur imbecillitati pœnitentis succurrere, ideòque defectum directæ rationis in pœnitente debet ipse prudenti suæ rationis usu supplere? Cæterùm si pœnitens ipse prudenter dubitet de scientiâ, aut probitate confessarii; item si dubitet prudenter de valore rationum quas confessarius sibi proponit; denique si ipsa ratio non scrupulosè, sed prudenter illum admoneat, futiles esse aut falsas rationes sententiæ à confessario propositæ, pœnitens ipse ad sapientiorem confessarium pro

solutione sui dubii tenebitur accedere. Nemo igitur, etiamsi idiota et rudis, debet amplecti sententiam quam prudens ratio dissuadet, aut quam ratio non suadet saltem reflexè, si aliter fieri nequeat.

Atque hìc ad confirmandam propositam regulam se præbet occasio facilè explicandi, quomodò qui eam amplectitur tutò se determinat ad agendum. Est enim apud omnes inconcussum, quòd ultimum dictamen practicum, ex quo conscientia determinatur ad hìc et nunc agendum, debet esse moraliter certum. Illud autem ejusmodi est. Moraliter certum est et ex ratione, et ex auctoritate, quòd in rebus contròversis, Deus ut non peccem, nihil aliud à me requirit, nisi ut sequar sententiam quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Sed ad agendum hìc et nunc invenio sententiam quam ratio mihi suadet, et auctoritas firmat. Ergo licitè possum hìc et nunc hanc actionem ponere, quia est rationi et auctoritati consona atque conformis. Ratio honestatis hujus dictaminis est quia ut conscientia formetur moraliter certa de honestate actionis, sufficit ut principia, seu antecedentes propositiones, ex quibus consequentia infertur, sint moraliter certæ. Tunc enim est moraliter certa etiam consequentia, quæ conscientiam ultimò determinat ad agendum, ideòque ex dictamine moraliter certo homo in tali casu licitè operatur. Hoc autem neque à Probabilistis, neque à Probabilioristis inficiari poterit, qui idem practicum resolutivum assignant ad licitam determinationem conscieptiæ circa actionem hìc et nunc ponendam. Opinio enim speculativè probabilis, aut probabilior, non est nisi opinio; et quælibet opinio involvit semper formidinem aliquam de opposito, et quousque est opinio non admittit moralem certitudinem. Et tamen Probabilistæ et Probabilioristæ asserunt, practicè et licitè amplecti posse in obscuris opinionem probabilem aut probabiliorem, quia moraliter apud eos certum est, licitum esse, aut istam, aut illam sequi, et super hoc principio apud eos moraliter certo statuunt ultimum dictamen practicum et moraliter certum benè moratæ et christianæ conscientiæ. (*Antoine, de Consc. c. 4, qu. 4.*)

Quocirca contra regulam Benedicti XIV locum non habet commune effatum : *In dubiis tutior pars est eligenda.* Ratio est, quia hìc non intervenit dubium neque speculativum, neque practicum. Etenim distinguendum est appositè ad hoc argumentum cum communi, *dubium*, *opinio*, et *certitudo moralis*. Dubium est suspensio assensûs circa utramque partem contradictionis. Opinio est assensus intellectûs ad unam partem contradictionis cum formidine partis oppositæ. Certitudo moralis est assensus firmus intellectûs ad unam partem absque ulla prudenti oppositæ partis formidine. *P. Concina, l. 2. appar. diss. 2. c. 2. S. Thom. 2-2. qu. 1. art. 4. et quodlib. 8. art. 13. et 1. part. qu. 79. art. 9. ad 4. Navar. Summa, cap. 27. num. 279. Silvester, verbo Dubium, n. 1. et Opinio, num. 1. Antoine, de conscient. cap. 2. et cap. 4. qu. 4. ad object. 2. Azorius, l. 2. c. 12. ad object., etc. Sanchez, de Matrimon. lib 2. disput. 41.* Ex quo pariter infertur, quod in terminis doctrinalibus rigorosè differt *dubium* ab *incertitudine;* quamvis extra materias doctrinales promiscuè usurpari soleant. Etenim id est incertum, quod non est certum: ideoque etiam opinio conjungitur cum incertitudine, quia ubi est opinio, non adest certitudo. Multò magis cum incertitudine conjungitur dubium. Sed tamen ex dictis *opinio* non conjungitur cum *dubio*. Aliter sequeretur absurdum, quod assensus intellectûs pro una parte contradictionis conjungeretur cum suspensione assensûs pro eadem. Hoc autem attendendum est, ut evadere possimus ex ambagibus, quas inconsultò nonnulli auctores nostræ inquisitioni offuderunt, quia hæc vocabula non ritè usurpârunt. Jam verò perspicuum est, quòd sequens prædictam regulam non hæret in dubio, sed format antecedenter judicium prudens pro una parte contradictionis, quamvis cum aliqua formidine oppositæ partis: cum quo judicio practicè, et proximè se deinde resolvit ad agendum, moraliter certus, quòd Deus illi non imputabit ad peccatum, si agit illud quod ratio suadet, et auctoritas firmat. Hinc ait Silvester, verbo *Opinio*, num. 2: *Nec obstat, quòd in dubiis tutior opinio est eligenda, de Spons. Juvenis, quia non est in dubio qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem.* (Vide Azor. l. 2, c. 16.) Et hoc, quod ait Silvester, procedit, ut suprà innuimus, in obscuris de jure, et non de facto; quia quando agitur in rebus de facto, cùm factum non pendeat ab hominum opinionibus, et opinio non possit facere infectum de facto, tunc non solùm cum dubio speculativo practicè agere nequimus, sed neque cum opinione speculativè probabili aut probabiliori, ideoque ad tutam partem deflectendum est, ut, v. g., in materia et forma sacramentorum, à quibus pendet eorum valor, cùm opinio speculativa non possit facere ut sint valida, si aliquid de facto desit, aut mutetur de essentialibus. Sed hoc ipsum et ratio suadet, et auctoritas firmat, et consequenter cadit sub regula à nobis adducta. (Vide Ferrari v. *Conscientia*, n. 83.) Hinc si quis clericus sit certus de excommunicatione aut irregularitate contenta in jure pro aliquo casu, et prudenter dubitet, an de facto ipsam incurrerit, dicerem quòd debeat se gerere tanquam excommunicatum, aut dispensationem petere, etiamsi aliquas rationes ad se excusandum inveniat, et opinetur se non incurrisse, quia opinio non potest facere ut non sit excommunicatus aut irregularis, si talis de facto est; et si de facto fuerit irregularis, aut excommunicatus, tunc se ipsum et proximum prodit in administratione sacramentorum. Et hæc sententia probatur etiam quamvis ex aliis rationibus a Thoma Sanchez *in decal. lib. 1, c. 10, n. 38 et sequ.* Quod pariter extendo ad jurisdictionem dubiam, etiamsi quis probabiliter opinetur jurisdictione gaudere; quia jurisdictio est res de facto, quam quis vel habet, vel non habet; ideoque ibi intervenire debet moralis certitudo, quia non obstante probabili tuâ opinione, si de facto eam non habes, invalidè absolvis. Neque assentior iis qui dicunt, quòd in tali casu supplet Ecclesia. Non enim sufficientem rationem invenio, cur dicatur supplere Ec-

clesia, cùm error non est invincibilis, et deponi potest, sed non vult. Ac reverà si diligenter perpendatur C. *Illud Dominus* de Cler. excom., C. *Juvenis* de Spons., et C. *Ad audientiam* de homicid., in quibus asserta regula de tutiori parte eligenda assignatur, facilè deprehendetur, quòd in iis casibus agebatur de controversia obscura de facto circa excommunicationem, sponsalia, et irregularitatem. Pariter circa jurisdictionem etiam, ut vocant, probabilem, sive innixam probabili opinioni, exstat decretum S. Cong. Concilii; Ferrari, v. *Jubilæum*, art. 2, num. 70, et Benedict. XIV, Inst. 84, num. 14 et seq., in quo declaratur, non solùm illicita, sed etiam invalida exceptio confessionum facta à quibusdam regularibus tempore jubilæi, qui in Patavina diœcesi absque approbatione et licentia Episcopi confessiones sacramentales publicè exceperant, inducti ad id, ut ipsi professi sunt, quòd aliàs, et ab aliis approbati fuissent, ideoque possent validè et licitè tempore jubilæi absque nova ordinarii approbatione confessiones audire in opinione probabili aliquorum auctorum regularium. Et reverà si in omni probabili jurisdictionis opinione præsumatur Ecclesiam supplere, ampla nimis via sterneretur ad usurpandam jurisdictionem, cùm relativa probabilitas, quæ in praxi attenditur, aut quæ ab auctoribus refertur, non difficulter ab aliquibus inveniatur. Quòd si interveniat error communis, et si quis titulus coloratus superaddatur, tunc in favorem pœnitentium invincibiliter ignorantium, Ecclesiam supplere judicari poterit, non tamen in favorem probabilis opinionis confessarii, qui a culpa non vacabit.

Addo etiam illud effatum : *In dubiis tutior pars est eligenda*, non solùm in rebus de facto locum habere, verumtamen jus ipsum respicere, quando dubium est speculativum. Etenim, ut inter cæteros ait Suarez, *de legib. l.* 6. *c.* 8, *n.* 10., ex dubio speculativo nascitur practica dubitatio, an lex violetur, necne; cum practica verò dubitatione, sive cum conscientia practicè dubia, certum est, operari non licere. Quare illud effatum : *In dubiis tutior pars est eligenda*, verificatur sæpissimè, quia verificatur non solùm in rebus de facto, sed etiam in rebus de jure, toties quoties dubium adest speculativum, quod resolvi non potest, et judicium remanet suspensum absque prudenti determinatione ad alterutram partem contradictionis. Sed cùm invenero id quod ratio suadet, et auctoritas firmat, et dubium deponendo judicium determinavero, illud effatum applicari non potest præter casus suprà adductos et alios similes. Aliter responderem : Nego suppositum; quia ego dubius non sum, quamvis non sim omnino certus.

Neque pariter locum habet contra hanc regulam illud aliud effatum, quòd *lex dubia non obligat*. Videtur enim, quòd lex etiam dubia servari debeat, si ratio mihi suadeat, et auctoritas firmet eam existere. Fallax est hæc difficultas. Etenim si in dubio legis, et post accuratum examen mihi ratio suadeat legem existere, et hoc etiam auctoritas firmet, tunc lex non est mihi ampliùs dubia, sed jam cedit dubium opinioni, evanescit suspensio assensûs, et subintrat assensus intellectûs pro existentia legis, non cum dubio, sed solùm cum formidine de non existentia legis, ideoque lex non est mihi ampliùs dubia, seu non sum dubius de lege, sed solùm restat aliqua suspicio, quòd possit non existere. Igitur semper præ oculis habenda est in hac controversia illa distinctio, *dubii, opinionis* et *moralis certitudinis*, quam ex communi doctorum auctoritate suprà adduxi, quoniam ex inadvertentia ad hanc distinctionem ortæ sunt plures apparentes difficultates, quæ diversas scholas exagitârunt. Admitto quidem, quòd lex dubia non obligat, imo non est lex propriè et rigorosè ea, de cujus existentia, post diligentem inquisitionem, prudenter dubitatur, maximè si dubium sit negativum. Est enim de essentiâ legis, ut sit sufficienter proposita, promulgata, aut intimata. S. *Thom.* 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. *Suarez, de legib, l.* 1. *c.* 11. *Benedict XIV. de Synod. diœces. l.* 6. *c.* 2. *num* 3. Non est autem hujusmodi illa lex, de cujus existentia post diligens examen adhuc prudenter dubitatur, quia si sufficienter proposita, et promulgata fuisset, prudens dubium non relinqueret. Dices : Erit igitur moraliter certa, si non est dubia. Respondeo : Nonne vides, quòd inter dubium et certitudinem nihil interjicis, cùm tamen inter dubium et certitudinem possit intervenire opinio, quæ si talis sit, ut prudenter suadeat meam rationem de legis existentia, et sit a gravibus doctoribus planè confirmata, imprudenter agerem, si ejus observantiam respuerem, unicè quia restat aliqua non imprudens formido, aut suspicio de ejus non existentia, quæ non facit, ut sim dubius, sed facit tantùm, ut non sim moraliter certus. Dubia quidem mihi erit lex, aut lex non erit, cùm post accuratum examen pro ejus existentia, aut non existentia, non invenero sufficientem rationem et auctoritatem, quæ suadet ejus existentiam, ita ut cogar suspendere assensum circa utramque partem contradictionis. Sed si efformavero judicium determinatum, et firmum de ejus existentia, jam datus est assensus uni parti, aut cum certitudine, aut cum aliqua formidine, et hujusmodi assensus, quantum recedit a dubio, tantum accedit ad certitudinem.

Et certè nemo fortè inter probatos viros invenietur, qui, si v. g. dubitetur an hodie indictum sit jejunium, et post adhibitam diligentiam suasus fuerit pro parte affirmativa, judicet tamen, posse impunè non jejunare, quia totaliter certus non est de existentia præcepti, et aliqua non imprudens formido adhuc restat in contrarium, quia v. g. contra decem testes fide dignos stantes pro affirmativa, duo aut tres pariter fide digni stant pro negativa. Si quis, inquam, in hoc tam dispari testium concursu è dubietatis finibus excedendum judicet, et assensum determinet pro affirmativa, non putabit, ut mihi videtur, prudenter posse negativam in praxi amplecti, quia aliqua auctoritas etiam respectiva adhuc pro negativa superest in illa duorum aut trium testium depositione, quæ facit

ut affirmativa omnimodam certitudinem præseferre nequeat. Neque dicas, ubi non est scientia certa, adesse ignorantiam, et ignorantiam excusare, si sit invincibilis, et in casu; quia falsum est etiam apud philosophos, quod sola scientia adversetur ignorantiæ. Etenim ignorantiæ propriè opponitur cognitio; et triplex est cognitionis species, scilicet *scientia*, *opinio*, et *fides*. (Storcknau. *Logic. part.* 3. § 185.) Ubi igitur habetur opinio, adest cognitio, et excluditur ignorantia. Et si ratio et auctoritas me suadeat de existentia legis, tunc præsumptio stat pro legis existentia, et ejus sufficienti promulgatione, quod sufficit ad obligationem inducendam, ubi certitudo non adest. Neque valet in hoc casu, et in talibus circumstantiis possessio libertatis contra legem. Ipsa enim possessio infirmatur, et gradatim cedit, statim ac possessor, quamvis adhuc dubius, propendet tamen suo judicio in partem sibi adversam, ita ut asserat Thomas Sanchez, de Matrimon. lib. 2. disp. 41. num. 19. *Possidens bonâ fide, si præmissâ debitâ diligentiâ dubius maneat, magis tamen propendat in eam partem, quòd res aliena sit, tenetur partem restituere, pro ratione majoris illius propensionis; quia tunc non est par causa.* Unde ulteriùs, si possessor non jam dubitet, nec certus omnino sit, sed tamen cum magna præponderantia opinetur contra suam possessionem, seu jus, et in favorem obligationis, seu legis, eum teneri obligationi decidit idem Thomas Sanchez, ibidem num. 34. *Infertur, si quis non dubitet, sed opinetur, se vovisse ita ut magna sit determinatio judicii ad hoc, teneri voto; si verò fuerit mediocris, dividendam esse rem promissam: sicut de possidente rem, quam opinatur, aut magis propendet esse alienam, diximus hâc disp. num.* 19. *teneri dividere pro dubii qualitate: quia major judicii determinatio etiam cum formidine sufficienter compensat excessum possessionis, quam alter habet.*

At pariter e contra si ad probandam inexistentiam legis exigeretur semper moralis certitudo contra libertatem, nec libertati pro suo tuendo jure sufficeret dubium saltem negativum, aut prudens opinio tum ratione, tum auctoritate planè confirmata de legis inexistentia, non solùm arcta, sed ferè impervia fieret semita ad salutem, quia docti auctores non desunt nimis rigidiùs et severiùs quàm oportet pro legis jure præsumentes. Media igitur via incedere tutiùs est, quæ nec ad laxitatem deflectat, nec sit ad rigorem proclivis, ut nempe, cùm non adest certitudo moralis aut pro lege, aut pro libertate, quisquis eam opinionem sequatur, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Si quod autem strictè et propriè occurrat dubium, et maximè si fuerit dubium negativum, de existentia legis, ita ut judicium aut certum, aut opinativum pro illa, aut contra illam efformari nequeat, jam moraliter certum est, eam non existere, aut ejus observantiam a nobis non exigi, ideoque in eo casu non habet locum opinio de cujus electionis regula nunc unicè disceptamus. Vide Ligorium dissert. *De usu moderato opinionis probabilis*, § 1.

Notandum autem judico, quòd illud effatum : *Lex dubia non obligat*, quod, ut vidimus, suam vim summopere exerit, cùm agitur et controvertitur de existentia legis humanæ, non est passim extendendum ad omnes legis controversias. Etenim circa legem distinguendum judico primò ejus existentiam; deinde ejus extensionem, exceptionem, aut restrictionem; tertiò ipsius mutationem, cessationem, aut abrogationem; denique legis ad singulos particulares casus applicationem. Et quidem circa primum, jam vidimus, quòd lex, quæ est dubia, seu de cujus existentia prudenter dubitatur, non obligat, quia lex dubia propriè et rigorosè non est lex; unde plures doctores illud effatum æquipollentibus vocabulis referunt, asserentes: *Lex dubia non est lex.* Et hoc effatum omnimodum valorem retinet, præsertim quando dubium de existentia legis est dubium negativum, quia nulla ratio suadet, cùm ex neutra parte positivæ rationes adsunt, ut libertas suo jure spolietur. (Vide Layman, lib. 1, tract. 4, cap. 20, num. 4.) At verò cùm dubium insurgit circa legem quoad secundam partem, scilicet circa extensionem, exceptionem aut restrictionem ipsius legis, tunc notandum est primò, non obvios, imo raros esse casus, in quibus adhibendo regulas a doctoribus traditas maximè circa legum interpretationem, et quæ optimè et succinctim numerantur inter cæteros à Layman (lib. 1, tract. 4, cap. 18, et sequ.) puto, inquam, raros esse casus, in quibus post diligens examen dubium speculativum deponere nequeam, et invenire non valeam resolutionem, quam mihi ratio suadeat, et quam auctoritas confirmet. Quòd si nihilominus dubius adhuc persistam, tunc ad regulas juris recurrere debemus, v. g. *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus;* ideoque non habet tunc locum illud effatum : *Lex dubia non obligat : lex dubia non est lex;* quia tunc lex supponitur certa, ideoque est verè lex, nec dubitatur propriè de lege, sed de legis extensione, vel restrictione. Unde ait S. Thomas, 1-2, qu. 96, art. 6, ad. 2 : *Si enim dubium sit, debet subditus vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.*

Similiter si agatur, quod tertio loco assignavi, de legis cessatione, aut abrogatione, dubium in eo casu nihil libertati suffragari dicendum est, sed standum pro lege, quæ in possessione est contra libertatem. In hoc conveniunt doctores omnes. Sit pro cæteris idem Layman ubi suprà, scilicet lib. 1, tract. 4, cap. 20, num. 5, ubi ait : *Si constet de lege lata, dubium autem sit, utrum abrogata, vel ob circumstantias ejus obligatio cesset, tunc tutior pars eligenda est, et secundum legem operandum. Ita S. Thom.* 1-2, *qu.* 96, *ad* 2, *et* 2-2, *qu.* 120, *art.* 1, *ad* 2, *Cajet. cit. art.* 6, *et Medina, ibid. prop.* 3. *Joan. Medin. Cod. De jejun. quæst. De his, qui jejunare tenentur; ubi docent, si aliquis dubitet, utrum obligatione jejunii ob aliquam causam liberatus sit, superioris judicio acquiescendum : si autem Superiorem adire nolit, vel non possit, legem servandam esse. Ratio est : Cùm enim semel constet legem positam fuisse, præsumptio ac veluti possessio stat pro lege : ut si quis contra eam excipere velit, probandæ exceptionis*

*necessitas ipsi incumbat. Similiter se res habet in obligationibus ex contractu, vel delicto. Si enim certus sum, debitorem me fuisse, dubitem verò de causâ excusante à solutione, nihilominus solvere cogor, teste Sanchez, c.* 10, *num.* 340. Et hanc conclusionem ex Layman retuli, qui Probabilismi assecla est, ut clarè pateat, etiam Probabilistas non universim uti illo effato : *Lex dubia non obligat,* illud applicando ad omnes legis circumstantias; imo etiam Probabilistas pro obligatione stare in iis casibus in quibus ratio et auctoritas id declaravit, quamvis agatur interdum non de simplici facto, sed de jure, et de jure quidem non solùm divino, sed etiam ecclesiastico.

Sed quid dicemus circa cessationem aut abrogationem legis, si de lege data certò constet, ratio autem, et auctoritas suadeat, absque tamen morali certitudine, quòd abrogata sit, aut quòd ejus obligatio cessaverit? Num hoc judicium sufficiet, ut liberi simus a lege? Respondeo, facile esse confundere cessationem et abrogationem legis cum ejusdem legis exceptione : quæ duo tamen valde distant. Etenim mutari, cessare, aut abrogari legem propriè dicitur, cùm pro communitate vel totaliter, vel partialiter cessat, aut abrogatur in perpetuum lex ita, ut lex ampliùs non existat. Lex enim, ut definivit S. Thomas 1-2, qu. 90, præsertim art. 4, *est recta agendorum ratio a publica potestate Communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi;* ideoque durat, quamdiù legitimâ auctoritate tollitur, aut principis posterior constitutio ei derogat, vel quando cessat universim totalis causa legis. *Layman, lib.* 1, *tract.* 4, *cap.* 21. *Suarez, de legibus, lib.* 6, *cap.* 9, *pag.* 346, *et seq., edit. Venet.* 1740, *et cap.* 27, *pag.* 397, *et sequ.* Quare non propriè accipiendum est, quod supra ex Layman retuli, de cessatione v. g. legis jejunii pro aliquo particulari, quæ potius dispensatio, aut exceptio appellari deberet. Circa autem hoc dicendum est, videri non sufficere, quòd mihi ratio suadet etiam cum præsidio gravis auctoritatis, legem cessavisse, aut abrogatam esse, si adhuc prudens formido existat in oppositum, et certò non constet de ejus cessatione et abrogatione, quia judicium meum privatum non valet in negotio, quod respicit communitatem universam, nec judicium meum debet attendi, cùm lex possidet contra communitatem; ideoque requiri aut abrogationis publicam promulgationem, aut judicium omnino commune et certum, quòd abrogata lex fuerit, v. g. per contrariam consuetudinem. (*Vide Suarez, de legib. l.* 6, *cap.* 27, *num.* 18, *l.* 7, *cap.* 18.) Et hoc maximè dico, quia vix casus fingi potest, in quo cum morali certitudine deprehendi nequeat totalis cessatio, aut abrogatio legis, si hæc abrogatio aut cessatio reverà adsit. Nihilominus, si constare omnino non possit, non negarem asseverantes, quòd idem dici possit de cessatione legis, ac de ejus existentia supra diximus. Hoc autem solummodo posset habere locum in lege civili vel ecclesiastica; neque enim cessat unquam, aut abrogatur propriè lex naturalis aut divina. Loquendo igitur de lege humana, videtur, quòd quando legislator, aut superior adiri, aut aliunde veritas cum certitudine resciri nequit, superior ipse et legislator invitus esse non debeat, si quis admodum gravi ratione, et auctoritate adductus et obfirmatus dictamen sibi efformet de legis abrogatione, aut cessatione. Quod tamen assero propter rationes in contrarium adductas, non decidendo, sed opinando, vel dubitando.

Verumtamen, ut aiebam, confundi non debet legis abrogatio, aut cessatio, cum ejus exceptione, aut restrictione. Sunt enim valde diversa. Quia per abrogationem aut cessationem lex totaliter, aut partialiter, et in perpetuum pro tota communitate tollitur, et si non tollatur generaliter, et in perpetuum, tunc dicitur obligationem legis suspendi, non autem cessare, aut extingui, ut optimè notavit Suarez, *de legib. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 18. Cùm autem agitur de exceptione aut restrictione legis pro aliquo particulari casu, lex equidem durat, sed quæritur tantùm, an legislator extenderit suam voluntatem etiam ad illum particularem casum et circumstantiam, an verò illum excipere voluerit. In quibus casibus superior ipse consulendus est, ut veritas cum certitudine deprehendatur. Quòd si hoc fieri nequeat, aut sicuti accidere solet, nolint superiores in singulis casibus suam mentem, aut interpretationem proferre, quia foret res pluribus difficultatibus obnoxia, tunc, ut suprà diximus, ad regulas in jure constitutas pro recta legum interpretatione confugiendum est. Quæretur v. g. an sexagenarii ad ecclesiasticum jejunium teneantur, quod idem est, ac quærere, an a lege jejunii dispensentur, et excipiantur. Et quoniam lex ecclesiastica jejunii sive dicatur scripta, sive tradita, hanc ætatem expressè non excipit, sed generaliter loquitur, ex variis locis quærenda est solutio hujus quæsiti, v. g. an in jure senes a quibusdam legibus propter illius ætatis imbecillitatem semper excepti intelligantur, et an sexagenarii sint verè senes; an consuetudo, quæ est legis interpres, ut ait S. Thomas, 1-2. *qu.* 97. *art.* 3., sexagenariis faveat, et accedat doctrinalis interpretatio plurium theologorum, qui sint omni exceptione majores, absque oppositione ecclesiasticæ auctoritatis, quia, ut ait ibidem S. Thomas, ad 3 : *Ipsa consuetudo in multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantùm per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere : ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Hoc autem eò majorem vim habet quando consuetudini accedit etiam probatorum theologorum sententia. Neque hoc dico decidendo hujusmodi quæsitum, sed tantùm indicando, ex quibus fontibus haurire possit resolutio, scilicet ex relatis, aut similibus, quia non videtur habere locum in tali casu illud effatum : *lex generaliter loquitur, lex possidet contra libertatem*; ergo debeo esse certus de exceptione legis quoad sexagenarios, quia in dubio melior est conditio possidentis. *Lex generaliter loquitur;* concedo : sed ideo quæritur per regulas interpretationis et juris, an generalibus verbis correspondeat in hoc casu generalis voluntas legislatoris, *quia æquum et bonum opponitur jure stricto verborum proprietate tenaciter adhæren-*

*ti; et scire leges non est earum verba tenere, sed vim ac potestatem;* præterea, *etsi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris interdum aliud vult.* Vide Layman, l. 1. tract. 4. c. 18. n. 4 et c. 19. *Lex possidet contra libertatem :* distinguo ; si consuetudo, optima legum interpretatrix, sexagenarios in lege includit, concedo ; secus, nego ; et ideo inquiritur, quomodo consuetudo, et doctrinalis auctoritas interpretetur legem, et cui possessionem adjudicaverit, vel an possessionis bonam fidem interruperit, et similia. *Debeo esse certus de exceptione legis quoad sexagenarios :* absolutè hoc nego ; sed sufficit, ubi lex clarè non possideat pro hac parte, quòd ratio auctoritati conjuncta mihi contrarium prudenter suadeat. *In dubio melior est conditio possidentis :* concedo ; sed hoc non habet locum, quando per suasionem rationis et auctoritatis e dubii finibus evasi. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. : « Si quis re diligenter consideratà non omnino ambigat, sed probabiliùs arbitretur, quamvis non sinè formidine oppositi, se ob aliquam causam a legis observatione excusatum, adeòque mentem Legislatoris non fuisse, talem casum particularem comprehendere ; tunc locum est epicheiæ, ut practicè judicare possit, se legis obligatione tali casu absolutum esse, sicut docet S. Anton. *p.* 1. *tom.* 3, *cap* 10. § 10. pro cujus enodat. *Gutier. lib.* 1 *canon.* 99. *cap* 31. *num.* 41. *Medina, l. c. prop.* 4. *Corduba in Quæstionar. lib.* 3. *qu.* 13. Propterea quod, in moralibus, ubi certitudo haberi non potest, sufficit sequi judicium probabile. » Huc usque Layman, ubi adverto me non intellexisse, cur in responsione loquens de probabiliori, postremò effatum illud extenderit etiam ad probabile. Et si in interpretatione legum semper tuta sententia amplectenda esset, quoties certitudo in contrarium inveniri nequit, non liceret sequi opinionem inter probabiles probabilissimam contra decisionem Alexandri VIII.

Optimè in hoc particulari Franciscus Suarez, *de Legib. lib.* 6. *cap* 8 *num.* 6. ubi ait : « Sententiam Cajetani et Soti censeo *esse practicè certam quoad hanc partem, ut quando non potest conveniri superior, liceat ex probabili sententia, aut judicio epikiia uti, sive casus excipi judicetur a potestate legislatoris, sive a sola voluntate; ratio est, quia judicium probabile in rebus moralibus sufficit ad prudenter operandum, præsertim ubi regula certa applicari non potest ut ex materia de conscientia suppono. Item quia alius modus operandi est ultra humanam conditionem, et prudentiam; præsertim in rebus agendis. Item quia imponeretur gravissimum onus hominibus, si nunquam liceret eis uti epikiiâ ex judicio probabili, quando non patet aditus ad superiorem. Quis enim auderet unquam excusari a lege positiva propter necessitatem occurrentem, cùm nemo sit tam certus de sufficientia causæ, quin dubitet, vel formidet ? Item in his casibus non possent simplices sequi consilium hominis docti, et pii, nec ipse posset tale consilium dare, quia nunquam ferè ducitur nisi judicio probabili. Constat autem contrarium esse in usu totius Ecclesiæ, et approbari ab omnibus doctoribus.* Huc usque Suarez. Quod ille de probabili judicio affirmat, ego transfero ad illud judicium, quod ratio suadet, et auctoritas firmat.

Quare non est applicandum id quod dicitur de dubio, ad id quod resolvitur cum judicio firmo et prudenti, et cum vera solutione dubii, ut sæpius notavimus. Unde ait Suarez *de legibus, lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 13 : Nullo modo potest subditus in casu dubio de obligatione agere contra legem, quia manifestè se exponeret periculo peccandi transgrediendo legem, de qua judicium probabile formare non potest, quòd cessaverit obligare. Nec est simile, quando dubitatur de tota lege, an sit lata, necne, quia tunc lex nondum possidet, sicut in simili dixi de Voto, lib. 4, cap. 5 et 6. Nulla autem alia potest esse ratio sufficiens ad non servandam legem, nisi etiam sufficiens sit ad probabiliter judicandum, legislatorem in tali necessitate, vel non potuisse, vel noluisse obligare. Hæc, quamvis diverso ordine, Franciscus Suarez. Vide etiam Sanchez, *de Matrimon. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 37.

Restat, ut aliqua dicamus de applicatione legis ad casus particulares ; in quo notavi nonnullos esse, qui legis applicationem cum interpretatione legis, exceptione, et restrictione confundunt. Et tamen disparitas est, quia interpretatio, exceptio, restrictio legis, respicit quodammodo unicè, et intrinsecus ipsam legem, et versatur principaliter circa verba, et significationem legis, et legislatoris voluntatem. Sed applicatio legis supponit non solùm legem latam, sed etiam legem claram et non ambiguam, et vim legis transfert ad aliquem casum particularem, cujus resolutio non evadit incerta propter dubium de sensu legis, sed propter dubium circumstantiarum illius facti particularis. Est v. g. lex manifestissima, quòd qui efficaciter cooperatur alicui in damnificatione injusta proximi, tenetur ad restitutionem. Sed quæritur an ista lex applicari possit in casu, in quo executor etiam sinè tuo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio, æquè bene et eodem modo damnum erat illaturus, et quamvis nulla alia similis causa esset superventura. ( Lessius, *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 2. *num* 4. ) Ubi vides, quòd omnis inquisitio versari debet in cognoscendo et definiendo, an in hujusmodi circumstantiis tua cooperatio per consilium, consensum, mandatum, vel laudem, fuerit causa efficax, vel inefficax damni injustè proximo illati. Hæc autem resolutio non ambigua est propter sensum legis, sed propter dubium circa efficaciam cooperationis in tali casu, ex quo oritur quæstio, an lex illa manifesta applicari possit ad hunc casum particularem. Sæpissime autem occurrit in moralibus hæc dubitatio de applicatione legis per se manifestæ explicata in sensu exposito; in quibus casibus plura effata quæ feruntur de legibus, et earum interpretatione, non habent propriè locum ad resolvendam quæstionem, nisi fortè reductivè et remotè, sed aliunde ex aliis locis et principiis haurienda est proximè et immediatè vera resolutio.

Ex his autem omnibus simul sumptis et consideratis, inferendum judico, unam aut alteram regulam ex prin-

cipiis juris desumptam non posse esse universalem aut ferè universalem in moralibus; imò si quis talem opinionem arriperet, sæpè fallaciter, aut ineptè ratiocinari contingeret, cùm ad regulam ad se propositam omnium aut ferè omnium casuum solutionem detorquere contenderet. Adde, quòd non ex uno, sed ex pluribus principiis sæpissimè desumenda est solutio moralium disputationum, et insuper ex aliis remotè, ex aliis proximè; undè nulla regula, ex paucis juris effatis coagmentata, potest fieri universalis magistra moralium resolutionum. Quare in rebus dubiis et ambiguis tandem deveniendum est ad illam regulam quæ omnia principia, et effata, et jura complectitur, et quæ sola etiam ex consensu omnis anteactæ ætatis consecrata est, ut post diligens examen id sequamur, quod ratio suadet, et auctoritas firmat.

Aliam difficultatem pariter præoccupandam existimo. Dicet enim aliquis, quòd opinio quam ratio suadet, et auctoritas firmat, est idem ac opinio quæ vocatur probabilissima et cui opponitur opinio tenuiter probabilis. Nemo autem negat quòd opinio probabilissima sequenda sit, ubi non adest certitudo, quia opinio tenuiter probabilis, quæ illi in adverso stat, in praxi ab omni prudenti homine est respuenda. Quarè concludet : Hæc regula quidem optima est; sed præterquam quòd etiam Probabilistæ, et Probabilioristæ eam jam in praxi sequuntur, non semper tamen adesse potest in rebus controversis, undè rursus ad Probabilismum vel Probabiliorismum necessariò rejicimur. Respondeo omnino gratis hoc asseri, et me consultò voluisse ab istis vocabulis recedere, quæ maximam in praxi difficultatem afferunt, quæ diversimodè à pluribus explicantur, et quæ propter multiplices gradus, quibus unam ab aliâ opinione separant, magnum negotium etiam viro probo, discreto, et docto facessunt. Igitur, cùm Bened. XIV pro confessariis illam regulam proposuit, simpliciter eam enuntiavit, et ab ulteriore explicatione abstinuit. Imò advertendum est, quòd cùm in Constitutione de Usuris dixisset, quòd confessarii *eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate planè confirmatas intelligent;* in posteriore de Jubilæo illud *planè* omisit, et dixit : In eam descendant sententiam, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Nec ideo certè omisit, quia quærenda non sit etiam omnimoda confirmatio rationis, et auctoritatis; sed præterquam quòd omnimoda semper inveniri nequit, sensit fortè, aut audivit sapientissimus Pontifex, ex illa particula *planè* jam controversias inter Probabilistas, et Probabilioristas excitari; quas cùm potius dirimere, quàm renovare in suis Constitutionibus intenderet, judico quòd consultò in Constitutione de Jubilæo non solùm illud *planè* omiserit, verùm etiam addiderit, non aliter docuisse in Constitutione de Usuris, ubi declaraverat suscipiendas eas esse partes *quas tum ratione, tum auctoritate planè confirmatas intelligent.* Et quoniam posterior priori in hâc parte pro sensu à Summo Pontifice intento anteferenda est, quia posterior est prioris declaratio, ideo hanc explicandam proposui.

Quibus præhabitis considero summam ipsius Pontificis cum sapientia prudentiam. Primò quia iis usus est vocabulis, quorum significationem ex communi usu, et ex intimo sensu quasi intuitivè quisque percipere valeat, quæ si quis ulteriùs explicare et declarare velit, potiùs obscuritatem quàm perspicuitatem inducat, ut accidit ferè semper in principiis per se et cuique cognitis. Enimverò quis non sentit, et experitur quid sit, suadere ratione et auctoritate? ubi subitò quisque animadvertit, se quamdam consequi tranquillitatem et quietem intellectûs et judicii, ut jam cessare possit ab ulteriori perquisitione, quamvis non veram certitudinem assecutus sit, quia videt eam assequi non potuisse. Restat igitur illi aliqua vel prudens, vel non imprudens, vel tenuis formido de veritate oppositæ sententiæ. Erit fortasse modò hæc, modò illa; sed quidquid supersit, certus sibi est in talibus circumstantiis, suo judicio se prudenter acquiescere, imò prudentissimè, quia suadetur pro unâ parte et non suadetur pro aliâ. Hoc autem est omne id quod deficiente certitudine prudens homo assequi teneatur. Secundò adverto, quòd ad hoc judicium Summus Pontifex adniti confessarium admonet, ut à dubio evadat. Ait enim : *Sat erit confessarios monuisse, ut in re dubiâ propriæ opinioni non innitantur*, etc. Non ponit igitur aliquid intermedium inter dubium, et suasionem, non jam ex eo, quòd gradus intermedii non existant, sed fortasse quia optimè novit Summus Pontifex, quod si in rebus moralibus omnes illi intermedii gradus distingui, mensurari, et attendi debeant, ut quisquis tutâ conscientiâ deliberet, jam finis non erit speculativis disputationibus, et practicæ incertitudini, et perplexitati, cùm ii gradus non consistant in indivisibili, et supremum infimî attingat infimum supremi, et in limitibus ferè unus ab altero discerni nequeat. Contrà verò si in moralibus distinguatur solummodò *dubium*, *opinio suasiva*, *et certitudo*, quisquis probus, mediocriter doctus, et discretus Confessarius eorum fines ferè absque ulla ambiguitate dignoscet, et facilè sentiet, quid consilii suo pœnitenti in ambiguis rebus præbere possit, nec fluctuabit inter vortices probabilis, probabiliorismi, et probabilissimi. Ratio est, quia in rebus controversis primo certitudinem assequi conabitur; deinde si illam non possit, prudentem suasionem ex ratione et auctoritate; quòd si neque hanc inveniat, judicium suspendet, et controversiam ut dubiam adhuc suscipiet, ideòque tunc juxta regulas à doctoribus communiter traditas de modo agendi in rebus dubiis, et in diversis circumstantiis, pro determinandâ obligatione sui pœnitentis judicabit.

Et reverà si dubii definitionem perpendamus, videbimus, quòd qui à dubio totaliter et deliberatè recedit, ad judicium ex suasione pro aliquâ parte se determinat. Audiamus Silvestrum (v. *Dubium* num. 1). *Dubium secundum Isidorum in libro Etymol. est motus indifferens in utraque parte contradictionis. Vel dic secundum Philosophum, et mentem S. Thom. in* 3, *dist.* 17, *quòd est contrariarum rationum æqualitas, unde pro-*

*vrè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquod, quandò habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes, ità quòd non inclinatur ad hoc magis quàm ad illud notabiliter.* Vides igitur, quòd aliquis excessus rationum pro unâ parte contrà aliam, nisi sit notabilis, non aufert dubium. Cùm autem fuerit notabilis, jam præponderat gravitas pro unâ parte, jam determinamur ad unum, et in eo sistimus. Si verò in eo requies non inveniatur, jam retrogredimur, jam rursùs ad dubium revocamur. Hoc est quod in nobis accidere cognoscimus, si nos ipsos attendamus. Quarè nihil rectius, securius, et simplicius in agendo moraliter quàm hos tres gradus tantummodò præ oculis habere, scilicet *dubii*, *opinionis suasivæ*, *et certitudinis*. Contrà verò si Probabilismum, Probabiliorismum, leviter probabile, probabilissimum definire velimus, omnia incerta, implexa, fluctuantia; sed nunquàm requies.

Eccè mihi videtur obviam fieri aliquis probabiliorista, qui dicat : Regula Benedicti XIV, est regula puri probabiliorismi. Sit utique, non abnuo, sed cur ? Equidem adest ratio omninò certa et perspicua. Etenim opinio probabilior est ea, quæ pro se habet motiva graviora rationis et auctoritatis, quàm opposita, quæ sit tantùm probabilis. Sed ea opinio, quæ in concursu alterius habet pro se graviora motiva rationis et auctoritatis, est ea quam unicè hìc et nunc ratio suadet et auctoritas firmat. Ergo, etc. Probo minorem. Opinio probabilis non potest saltem prudenter judicari vera in concursu probabilioris oppositæ, cùm adsit gravius fundamentum judicandi eam esse falsam; nam gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppositi, et cessat esse grave, cùm superatur et eliditur per majus motivum oppositum. *Antoine*, c. 4, q. 2, *ad object*, 2 et 3. Ergo si opinio probabilis concurrat in conflictu cum probabiliori, tunc ratio cessat illam suadere, et unicè probabiliorem suadet. Pariter auctoritas probabili opinioni nihil in eo casu suffragatur, quia contrà eam prævalet auctoritas, quæ rationi meo judicio consona est : ideòque opinio probabilior fit hujusmodi, ut eam unicè hìc et nunc ratio suadeat, et auctoritas firmet. Et reverà cùm opinio sit assensus intellectûs, quamvis cum aliqua formidine, ad unam partem contradictionis, vix intelligi potest, quomodò in uno intellectu consistant eodem tempore duæ contradictoriæ opiniones, ideòque intellectus præstet eodem tempore assensum ad utramque partem contradictionis, et judicet quamvis cum æquali formidine, utramque esse veram. cùm certo sciat quòd una necessariò debet esse falsa. Judico opinativè v. g. cum Filliuccio, et Azorio, et aliis multis, opus servile esse pingere diebus festis; et judico pariter opinativè, et eodem tempore cum Layman, et aliis, quòd pingere in diebus festis non sit opus servile. Quomodò hæc contradictio judicii consistere potest in uno intellectu, et eodem tempore ? Videtur absurdum et impossibile. *Fagnan.* t. 1, c. *Ne innitaris*, num. 122 et seq. *Castro Palao*, part. 1, dist. 2. § 2. num. 4. *de Luqo*, disp. 10, *de Fide*, sect. 1, num. 14. *Layman*, lib. 1, tract. 1, c. 5, § 2, num. 5. Dic potiùs, quòd intueberis rationes hinc indè graves, et vicissim aliàs aliis graviores, hærebis, fluctuabis, dubitabis anceps inter utramque, sed non opinaberis pro utraque, scilicet non facies judicium pro veritate utriusque cum formidine ex opposito. Dic, quòd ex ipso tuo dubio, et fluctuatione intelliges et cognosces, quomodò utraque contradictoria sententia potuit à contradicentibus inter se doctoribus respectivè judicari vera. Dic quòd utraque tibi videtur habere suam verisimilitudinem. Cùm hæc dixeris, nondùm de alterutra tuum opinativum judicium protulisti, nondùm alterutri assensum tuum præbuisti. Sed cùm denique ratione et auctoritate suasus pro unius sententiæ veritate, quamvis cum aliqua formidine, judicasti, quomodò pro contradictoriæ sententiæ veritate tu ipse eodem tempore, pariter opinativè judicabis? Necesse est igitur, ut collatis rationibus et auctoritatibus, unam admittam tanquàm veram, et alteram respuam tanquàm falsam, quamvis de respectiva veritate, aut falsitate non possim omnem formidinem deponere; aut si non hoc, dubius hærebo et anceps, utrum liceat necne. Esto, quòd possim abstractè judicare, etiam oppositam opinionem posse pro se habere graves, et graviores rationes, quæ mihi non innotescunt. Sed hìc et nunc non ex possibili judicandum, et deliberandum est, sed ex eo, quod, omnibus seriò expensis, hìc et nunc mihi ratio suadet; aliàs temere hìc et nunc judicarem, et deliberarem, si repulsâ præsenti suasione rationis, ad futuram possibilem, et incertam suasionem rationis confugerem, ut in præsenti judicio, et deliberatione resolverem. Esto etiam, quòd devictus intrinsecis rationibus alicujus opinionis, ità ut pro eâ, quamvis cum aliqua formidine, meum judicium inflectam; esto, inquam, quòd possim eodem tempore judicare doctores, qui oppositam sententiam amplexi sunt, habuisse et ipsos suas respectivè graves intrinsecas rationes à quibus ipsi de veritate pro oppositâ sententiâ suasi sunt; concedo, quòd hæc duo judicia in uno intellectu possint eodem tempore consistere. Sed cur? Quia unum est directum, et alterum reflexum : unum directum de intrinseca gravitate rationum, quæ me suadent pro unâ sententiâ, et pro ipsius intrinsecâ veritate; alterum reflexum, et extrinsecum de gravitate rationum, à quibus suppono, seu præsumo, suasos fuisse contrarios doctores pro adjudicandâ veritate in favorem suæ sententiæ : unum est judicium de gravitate rationum intrinseca, et inquantùm opinor absoluta, et de veritate mihi cognitâ; alterum de gravitate rationum extrinseca, et relativa, et de veritate cognita alteri. Equidem hæc duo judicia simul stare possunt, cùm habeant pro objecto duas diversas, sed non contradictorias propositiones. Sed uno et eodem tempore suaderi ex intrinsecis rationibus, quòd pingere diebus festis est licitum, et illicitum, ac uno et eodem tempore judicare pro veritate utriusque partis hujus contradictionis, quamvis id fiat cum majori, et minori relativa formidine, hoc, inquam, videtur, absolutè contradictorium, absurdum, et impossibile; esset enim

judicando assentiri uno et eodem tempore duabus non diversis, sed contradictoriis veritatibus.

Ita probabiliorista; cui tamen probabilista : Impossibile quidem est, si uni parti quæstionis assentiaris, et opinativè eam habeas pro vera, ut nihilominus alteram contradicentem judices ut veram. Imò si de veritate optinativè judicare velis, et alicui parti assentiri, necesse est, ut probabiliori assentiaris, aliter stultè judicares probabilem esse veram, et probabiliorem esse falsam. *Layman. loc. cit. l.* 1. *tr.* 1 *cap.* 5. Sed potes tamen judicare, utramque esse probabilem, aut unam alterâ probabiliorem, seu unam esse verisimilem, et alteram magis verisimilem, suspendendo judicium, et assensum pro alterutrius veritate. At huic evasioni respondebunt Probabilioristæ, quòd negligenter se gereret confessarius, si judicium et assensum de veritate cohiberet, quam saltem opinativè assequi potest, et limitaret se ad judicandum abstractè et speculativè de verisimilitudine, quam utraque pars apud alios, aut apud se habere potest; ideòque hæc evasio pro praxi prudenti non suffragatur. Cùm enim in omnibus quærere debeas veritatem, cur in verisimilitudine gressum sistis? Et si veritatem cum morali certitudine assequi non potes, eam debes saltem opinativè inquirere et arripere et parti, quæ illi magis accedit, adhærere. Cui probabilista respondebit, quòd judicium opinativum de veritate est idem, ac judicium absolutum de verisimilitudine. Etenim opinativum judicium de veritate, quoniam conjungitur formidini de falsitate, resolvitur in judicium de re quæ potest esse falsa, sed videtur similis esse vero, ideoque rigorosè judicium de veritate debet esse conjunctum certitudini. Unde fit ut confessarius, qui non potest cum certitudine assequi veritatem, agit illud omne quod potest si verisimilitudinem curet invenire. Major autem aut minor verisimilitudo nihil interest, cùm utrique possit subesse falsum, et præponderantia in verisimilitudine sit res relativa, incerta, et fallax. Hæc retuli, ut videas, quanti nogotii sit, inter has opiniones Probabilismi et Probabilioriami velle se judicem sistere.

Occasione autem datâ illius reflexi judicii, cui nonnulli tribuere videntur nimis universalem vim, et extensionem pro omnibus fere casibus et personis, videamus, an illud reflexum judicium a confessario prudenter adhiberi possit in casu practico hujus quæstionis, quam præ manibus habemus. Meminisse enim oportet, quòd hìc agimus unicè, aut fermè unicè de regula, quam confessarius adhibere debet in resolvendis casibus difficilioribus, obscuris, et controversis, pro quibus in utramque partem adest vel directa vel indirecta auctoritas doctorum. Ratio intrinseca me suadet pro una parte, et ad eam accedit auctoritas graviorum doctorum. Ratio intrinseca non me suadet pro altera; sed tamen habeo in pretio auctoritatem doctorum, qui illam approbant. Igitur pro una parte habeo judicium directum de gravitate intrinseca rationum, et simul judicium reflexum de eadem gravitate propter extrinsecam auctoritatem doctorum, qui eam amplectuntur. Pro opposita verò non habeo nisi judicium reflexum de ejusdem gravitate, propter extrinsecam auctoritatem sapientissimorum hominum, qui illam tuentur. Nunc autem, postulo, estne hominis prudentis, repellere judicium directum simul et reflexum de gravitate, et veritate unius sententiæ, et potiùs adhærere judicio tantùm reflexo de gravitate, et veritate oppositæ sententiæ, et hoc judicium assumere pro regula moralium actionum? Quis sapiens, et prudens hoc dixerit? Ergo tuta et prudens regula ea potissimum videtur, quæ docet in factis obscuris et difficilioribus illam sententiam sequi, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Quòd si, ut dicebamus, probabiliorista contendat, hujusmodi de facto esse saltem in praxi suam opinionem, quia sententia quam in concursu contradictoriæ ratio suadet, et auctoritas firmat, est semper et necessariò probabilior oppositâ, et statim ac ratio cum gravibus momentis me suadet de veritate unius sententiæ, fieri nequit, ut uno et eodem tempore me ratio suadeat de veritate oppositæ sententiæ cum momentis minùs gravibus; si, inquam, probabiliorista ita contendat, cum eo quidem non disceptabo. Sed quid inde? Ecce probabiliorista, qui extemplo factus est probabilista. Etenim si in concursu sententiæ probabilioris deficit, et evanescit gravitas rationum pro opposita sententia, jam simul deficit, et evanescit probabilitas ipsa illius oppositæ sententiæ, quia non est probabilis illa sententia, quæ non habet pro se graves rationes in conflictu contrariæ sententiæ juxta Probabilismi definitionem. Sublata autem probabilitate contrariæ sententiæ, ea quæ dicitur probabilior, evadit unicè probabilis, quia comparativum supponit positivum ejusdem speciei, cui opponitur; et majus et minus non invenitur, nisi ubi sunt duo termini, qui invicem comparari possint. Et consequenter sententia, quæ possit demonstrari probabilior, fit hìc et nunc sententia quæ unicè et verè probabilis est, et ea, quam saltem relativè hìc et nunc ratio unicè suadet, et auctoritas firmat.

Ergo, dicet aliquis, probabiliorismum est in praxi sententia communis et probabilistis, et probabilioristis. Peto, quo fundamento hoc asseris? Quia opinio probabilis est ea quæ nititur gravi ac solido fundamento intrinseco rationis, et extrinseco auctoritatis, quod trahere ad se valeat assensum viri prudentis, quamvis cum formidine oppositi; est ergo ea quam ratio suadet et auctoritas firmat. Habeat, aut non habeat contra se probabiliorem opinionem, est hæc metaphysica disputatio difficillimæ solutionis, quæ ad praxim nihil attinet, statim ac verum sit, quòd possim sequi sententiam, quam post accuratum examen, etiam in conflictu oppositæ opinionis, prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat. Si prudenter, et graviter suasus sum extrinsecis rationibus unius sententiæ, si pro illa intrinsecas rationes invenerim ita graves, et solidas, ut valeant ad se trahere assensum viri prudentis, fateor, quòd in praxi difficillimum erit, et fortè impossibile, ut uno et eodem tempore graviores rationes pro contradictoria sententia conspiciam, et agnoscam. Et hinc fortasse fit, quòd in praxi sententia, quæ alteri

es probabilior, interdum mihi sit tantùm probabilis et etiam improbabilis, aut è contra; quia qui graviter, et prudenter suadetur in favorem unius sententiæ, aspicit ordinariè veluti parum prudentem assensum alterius in favorem sententiæ oppositæ. Sed hoc probat quòd quæstio de Probabilismo et Probabiliorismo est practicè apud doctos et timoratos viros, quæstio fere de nomine, et de subjecto actu et practicè non existente, seu non supponente. Si aliquis ita disputaret, non inficior hanc etiam argumentationem gravissimis momentis inniti. Verùm quid indè? Quæstio igitur ad vocabula in praxi reducitur, et dissidium facillimè dirimeretur, si uterque suum vocabulum dimitteret, et amplecteretur regulam quam in praxi uterque sequi sub diversis vocabulis fatetur. Quæ est autem hæc regula? Pro doctis et probis utriusque sententiæ asseclis est reverà, et in praxi ea quam docet Benedictus XIV. Utrique enim in praxi sequuntur sententiam, quam sibi, omnibus seriò expensis, prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat; et quam probabiliorista dicit esse illam quæ ostenditur probabilior in conflictu oppositæ tantùm probabilis, quia hæc non potest in tali conflictu a gravi ratione suaderi, et ab auctoritate firmari, quæ prudentem mereatur assensum; et quam probabilista ait esse illam quæ probabilis invenitur absque præferentia probabilioris, quæ in conflictu non demonstratur esse possibilis, et si possibilis esset, non foret, juxta diversitatem, et vires humani intellectûs et naturæ certa, universalis, et ad praxim reducibilis. Reliquum igitur est, ut abjectis diversis vocabulis, quæ dissidia inutiliter, et nocivè pariunt, vocabulorum univocam definitionem, quam in praxi omnes probi, et docti homines sequuntur, etiam in scriptis amplectantur, ut eam quisque opinionem doceat et sequatur, quam prudens ratio suadet, et gravis auctoritas firmat; seu quam inveniet tum ratione, tum auctoritate planè confirmatam. Quis reprehensibilis aut apud homines, aut apud Deum evadet, si eam regulam profiteatur, quam summus pontifex proposuit et insinuavit?

Exponam etiam magis distinctè rationem jam superiùs allatam, quæ valde me movet ad consulendum confessariis, ut dimissis vocabulis Probabilismi, et Probabiliorismi, ad regulam à Benedicto XIV propositam accedant. Hæc autem est, quòd confessarius, qui regulam practicam ad suos pœnitentes dirigendos inquirit, difficillimè eam invenire poterit in his sententiis, in quibus plura latent obscura, implexa, et in praxi pro multis confessariis fallacia, et decipientia. Vis amplecti opinionem probabiliorem? Sed considerastine, quod sit objectum tuæ electionis? De quâ probabiliori opinione loqueris? de alienâ, an de tuâ? Si de alienâ, quæ tamen tua non sit, ergo te unicè determinas super auctoritate doctorum, qui aliquam sententiam ut probabiliorem proponunt. Sed quis moraliter certus esse poterit, hujusmodi sententiam esse verè probabiliorem oppositâ, scilicet gravioribus fundamentis et rationis, et auctoritatis inniti, et fulciri? Sæpè invenies quòd doctores eam respuunt tanquam debili rationi innixam, aut solidis rationibus omnino destitutam. Introspice, et vide, an apud illos auctores hujusmodi sententia nuncupetur probabilior, quia verè melioribus probationibus adstipulatur, aut quia est magis rigida et magis tuta. Fere nunquàm certus eris de majori probabilitate alicujus sententiæ, nisi ad eam testificandam concurrant utriusque scholæ patrocinatores, quod verè aliquando fit, sed tamen rarò. Si autem contendis, ut ad definiendam cujuscumque sententiæ majorem probabilitatem accedat præter auctoritatem etiam tuum judicium, videbis, quòd in praxi, ubi invenisti post serium examen majorem probabilitatem, ita illi sententiæ adhæres, ut oppositam non probabilem, non gravibus fundamentis innixam, sed futilem et improbabilem ordinariè judices; ideòque quam amplecteris, erit reverà unica, quam ratio tibi suadet, et auctoritas firmat. Sed aliàs invenies, quòd expensis hinc inde rationibus, ea sententia quam alii ut probabiliorem tuentur, non est tamen hujusmodi respectivæ præponderantiæ, ut tuum intellectum determinet ad ferendum judicium, et adhærendum illi ut probabiliori, absque difficultate, et contentione, sed te linquit potius fluctuantem et suspensum, et dubius adhuc hæres, quamvis cum aliqua inclinatione ad unam partem; quæ propensio non est tamen sufficiens ad pronuntiandam de majori ejus respectiva probabilitate sententiam.

Quòd si ad Probabilismum deflectas, rursùs inter eosdem fluctus versaberis. Aut enim de gravitate rationum alicujus sententiæ, quæ gravitas probabilismo est essentialis, cognitionem et certitudinem recipies ex doctorum auctoritate, et relatione tantùm, aut simul ex tuo proprio judicio. Si primum, incertus multoties fluctuabis, quia alii eam vocant probabilem, alii etiam probabiliorem, alii tutam in praxi, alii moraliter certam, adversarii verò eam fortè notant veluti improbabilem. Rarò invenies, quòd etiam adversarii eam probabilem esse fatentur, quam conditionem tamen pater Paulus Segneri exigit, ut quis probabilem sententiam in praxi sequatur. Si secundum, scilicet si præter doctorum auctoritatem vis etiam de alicujus sententiæ intrinseca gravitate et probabilitate à tuo ipso judicio convici, quando hoc assecutus eris, et alteram quam probabiliorem appellant, intueberis, hæc tibi ut plurimum tunc apparebit non jam probabilior, sed minùs probabilis, et fortasse improbabilis. Cùm enim intellectus de vera et intrinseca gravitate rationum post diligentem discussionem persuasus est, jam sponte, et fortè necessariò et consequenter, contradictionem aut despicere incipit, aut certè eam ut notabiliter præponderantem non agnoscit. Reverà doctores, qui non moralium decisionum simpliciter collectores et relatores sunt, sed etiam auctores, cùm aliquam suam sententiam proferunt, eam ita firmè tuentur, ut ordinariò pro ipsa suum judicium unicè stare manifestè ostendant, quamvis contradictoriam interdum probabilitatis nomine donant, fortè ob aliquam deferentiam ad auctoritatem theologorum, qui illam defenderunt

**Profero exemplum.** Quæritur v. g. cui facienda sit restitutio rerum inventarum habentium dominum, sed incertum, et an inventor possit eas sibi retinere. Inquiro hujus dubii solutionem apud summistam, et invenio ita scriptum (Busemba. l. 3, tract. 5, cap. 2, dub. 5) : *Si spes non sit sciendi dominum, probabile est quòd non tenearis ea dare pauperibus (licèt plerique cum D. Thoma ita sentiant, et sit magis pium, ac practicè suadendum), sed possis tibi retinere, ut docet Petrus Navarrus, quem sequitur Layman hìc, et Lessius.* (l. 2, cap. 14, dub. 7, num. 48, idque Diana, p. 2, tom. 3, Misc. R. 5, *dicit esse tutum.*) Ex hoc summista colligo, quòd inventor possit bona incerta retinere tutà conscientiâ, et hanc decisionem esse probabilem, scilicet innixam gravibus fundamentis rationis et auctoritatis. Rationes autem hujusmodi summista mihi non suppeditat; ideoque saltem unum ex doctoribus ab eo citatis consulo. Sit itaque Leonardus Lessius gravissimus equidem doctor, et apud omnes in summo pretio habitus. Quid ait Lessius loco citato? Refert Dominicum Sotum (lib. 5 de Justitiâ, q. 3, art. 3, ad. 2) putasse inventorem, si post diligentem inquisitionem dominus inventus non fuerit, posse res inventas sibi retinere, neque obstare ullum jus positivum ecclesiasticum, aut divinum, quo hæc necessariò sint pauperibus eroganda. Et ratio à Soto adducta est, quia talia bona hoc ipso quòd per sedulam inquisitionem, tempusque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota; ac proinde jure naturæ fiunt occupantis, sicut thesauri, et alia quæ nullius sunt, nisi quòd tacita quædam obligatio illis annexa sit, ut si dominus compareat, restituantur. Deinde quia super hujusmodi bonis nunquam solet fieri compositio cum pontifice, ut testatur Navarra, lib. 4, c. 2, num. 71, quod signum est, ea non esse necessariò in pios usus eroganda. Eamdem sententiam sequitur Petrus Navarra, lib. 4, c. 2, n. 75, qui pro eadem citat Ledesman, Mercatum, et Barthol. Medinam. Concludit Lessius : *Hæc sententia est probabilis.*

Videamus modo, quid idem Lessius de opposita sentiat. *Contraria tamen*, ait, *est fere communis doctorum;* nempe hæc pauperibus, vel aliis piis operibus esse impendenda; eamque tenet D. Thomas, q. 62, art. 5, ad. 3, et passim theologi in 4, d. 15. Silv. v. Inventum, n. 2, ubi dicit : *Omnes canonistas ita sentire;* Navarrus, c. 17, num. 170. Covar. ad reg. peccatum, 3 part., § 1, n. 1 et seq., qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi hæc magnatibus. *Hanc sententiam ordinariè in praxi judico sequendam.* Primò : quia est fere communis. Secundò : Quia magis favet pietati. Tertiò : Quia passim apud pios est consuetudo, ut piis operibus hæc impendantur : quæ consuetudo videri potest habere vim legis; orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ usque ad Sotum viguit, unde magnum scrupulum plerique, si hæc sibi retinuerint, concipiunt. Quartò : Quia est magis consentanea juri communi. Nam authent. Omnes peregrini. C. communia de success. statuitur : *Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perveniet; sed bona ipsius per manus episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur*, etc. Quintò : Quia hæc videtur esse domini voluntas, ut sic ei res sua aliquo modo prosit, et quisque de rebus suis perditis ita fieri cuperet. Sic ratiocinatur Lessius.

Quo posito, video me ab illo summista deceptum fuisse, cùm Lessii auctoritatem citavit ad asserendum esse probabile, quòd bona inventa, quorum dominus cognosci nequit, possint ab inventore retineri. Si enim simplici illius relationi ego stetissem, judicare debebam, esse quidem magis pium, et practicè suadendum, ut bona inventa in pia opera erogentur, sed tamen esse probabile hanc obligationem non existere, ideòque ad eam neminem rigorosè in conscientia teneri. At verò quamvis Lessius hujusmodi sententiam vocet probabilem, ex subsequentibus intelligo, quod eam probabilem vocavit potius ob deferentiam erga doctores, qui eam defenderunt, quàm quia ipse ita sentiret; appellavit probabilem, sed speculativè, non in praxi; quia non dixit practicè tantùm suadendam, sed ordinariè in praxi sequendam oppositam opinionem. Neque certè contra doctorum fere communem sententiam, praxim piorum fidelium, congruitatem cum jure communi et alias adductas rationes videtur stare posse sententia opposita cum probabilitate, seu cum gravitate rationis et auctoritatis. Quis dicat probabilem, seu verisimilem opinionem, quæ olim per communem doctorum sententiam ante Sotum, nunc autem etiam post Soti auctoritatem, et ab eo prolatas rationes, per fere communem sententiam repudiatur? Si aliqua probabilitas huic opinioni tribui velit, ea non potest esse nisi tenuis, non verò gravis in eo gradu, quem ipsi Probabilistæ contendunt necessarium esse, ut vir probus ad eam sequendam prudenter determinari possit.

Jam verò curiositas me exagitat ad inquirendam auctoritatem etiam Pauli Layman à summista citati. Invenio autem, quòd hìc doctor gravissimus (lib. 5, tract. 1, cap. 5, n. 23 et 24), ubi de hâc quæstione agit, post oppositarum sententiarum aliquam discussionem concludit : *Inter has duas sententias prior* (scilicet de obligatione erogandi bona inventa in pauperes) *magis pia ac tutior est; attamen posterior* (scilicet de jure ea sibi retinendi), *quoque valde probabilis.* Vides, quòd aliquid addit supra assertionem summistæ, qui eam appellat simpliciter *probabilem*; Layman verò vocat *valde probabilem.* Rationes autem à Layman adductæ ad hanc fere reducuntur, quòd *si dominus longo tempore non comparet, perinde esse censetur, ac si res inventa domino careat, et pro derelicta habita sit.* Verùm in hoc casu non videtur ritè applicari posse doctrinam de bonis derelictis. Derelicta enim ea bona dicuntur, quæ dominus câ mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit, aut quæ dominus sciens ubi sint quærenda, non curat ea recuperare. Ac revera si res inventæ hujusmodi sint, aut inventor prudenter hoc præsumere possit, tunc locum habet sen-

tentia Layman, quæ etiam fundatur in eo quod asserit D. Thomas (2-2, qu. 66, art. 5, ad. 2) : *Si res pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licèt sibi eas retineat, non committit furtum.* Sed quæstio fit non de derelictis, sed de amissis fortuitò, quæ dominus voluntariè non dimisit, et de quibus non est fundata præsumptio, quòd voluerit unquam dominus suum jus dimittere, sed potiùs ad hæredes transferre, si mortuus fuerit. Et quamvis aliqui dixerint, rem etiam haberi pro *derelicta*, quando dominus ita eam projicit, vel relinquit, ut nulla ei spes supersit industriâ aliquâ, vel aliquo casu eam recuperandi, et aliquis eam extraordinariâ industriâ eripiat, et salvet, tamen ait Lessius (l. 2, cap. 5, dub. 18, et §§ *penult. et ult.* Institutionum de rerum divisione, et l. 1 et seq., ff. pro derelicto) : *Non existimo id esse verum, nisi dominus significaverit, se eam concedere occupanti, vel industriæ æstimatio sit fere par illi rei.* Aliam rationem ex cardinali de Lugo adducit Ligorius in eo tamen casu solummodo, in quo nulla supersit via, quà naturaliter et humano modo possit res inventa ad potestatem domini, vel ejus hæredum redire, et ipsi eam agnoscere tanquam suam, et est sequens : quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quàm ut illis utantur; hinc quando impossibile est, rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta evadit nullius, et redit ad primævum jus naturæ, ac ideo fit primi occupantis sinè ulla obligatione. (Ligorius lib. 3, tract. 5, num. 603. et de Lugo de just. et jure tom. 1, disp. 6, sect. 12, num. 140, et seq.) Sed hæc ratio ex ipsius de Lugo sententia in paucis casibus suffragari potest, quia *ut plurimum ea, quæ inveniuntur, non censentur esse nullius in bonis. Sunt quippe possibiles varii casus, ut constat experientiâ, per quos, quæ non videbantur posse unquam inveniri aut recuperari, aliquando recuperata et recognita sunt.* Quare si legatur de Lugo loco citato, facile erit intelligere, quòd ipse de aliquo raro casu loquitur, non de casibus ordinariis, et regularibus, in quibus asserit, *communem sententiam esse ea bona danda esse pauperibus, vel ad pios usus*, num. 139. Quid verò dices, si Lucium Ferrari percurras verbo *Dominium* num. 18 usque ad 22, et invenias sententiam de jure retinendi res incertas fortuitò inventas ab aliquo doctore vocari non improbabilem, ab aliis probabiliorem, ab aliis probabilem, à quibusdam valde probabilem, denique ab alio in praxi tutam, et securam? Contrariam verò rigidiorem etiam à quibusdam doctoribus, qui probabilistæ vocitantur, ut Filliuccius, Vasquez, Reiffenstuel, tueri tanquàm in praxi sequendam? Nonne vides, in quas syrtes conjicitur confessarius inter hos Probabilismi, et Probabiliorismi vortices, è quibus sese eripere incolumem fere desperabit? Et tamen mihi nulla quæstio de hâc re, postquàm Catechismus romanus (part. 3, cap. 8, num. 17, sic statuit) : *Si rerum inventarum dominus nullâ ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.* Adde, quòd in aliquibus diœcesibus ab ordinariis præscriptum est, ut hujusmodi bona, cum certam quantitatem excedunt, juxta eorum dispositionem resignentur. Hæ auctoritates apud me tanti ponderis sunt, ut quæcumque rationes in contrarium ferantur, omnem respectivam gravitatem amittant. Auctoritas enim Romani Catechismi jussu summorum pontificum confecti, et editi, moralem certitudinem mihi parit, neque opinari possum, plures episcopos dispositionem bonorum incertorum sibi avocasse, ut in pia opera erogarentur, si eorum jus ad inventores pertineret. Vides igitur, quàm verum sit, hos probabilis, et probabilioris vortices ita confessarium torquere, ut nisi ab eis sese extricare possit, veram sententiam nunquam arripiat. Jam mihi nec probabilis, nec probabilior sententia illa erit, contra quam romani Catechismi doctrinam, et ordinariorum praxim invenero. Adde quòd paritas thesauri, qui inventori cedit saltem aliqua ex parte, non difficulter rejici potest. Thesaurus enim dicitur non habere dominum, quia qui sciens et prudens pecuniam in aliquo loco abscondit, et deinde non comparet, nec repetit, censetur non esse inter vivos, neque hujus notitiam hæredibus reliquisse, ideoque verè naturaliter impossibile esse, ut abscondita pecunia ad suum dominum regredi possit. In quo casu leges civiles disposuerunt de thesauris. Itaque ille, qui abscondit, sciens et prudens sese illud amittendi periculo exposuit, quod periculum præcavere poterat, et si non fecit, irrationabiliter invitus erit, si alter inventis gaudeat, qui ipse sciebat per legum dispositionem in tali casu jus acquiri, ideòque rationabiliter censetur, indirectè saltem, pro tali eventu suo dominio renuntiasse. Hoc autem locum non habet in rebus fortuitò, et absque prævidentia domini amissis, nec leges contra eum disposuerunt, nec ejus assensus vel indirectus in amissionem dominii rationabiliter præsumitur.

Alia ratio mihi suppetit, ex qua facilè dignosci potest, quomodo Probabilismi et Probabiliorismi usus difficillimæ et incertæ praxi subjectus evadat. Pertinet enim hujusmodi usus ad plures intellectûs operationes, et quidem per plures gradus distinctas, quæ in praxi attendi et separari, prout necesse est, non ita facilè possunt, ut ab omnibus clarè cognoscantur. Vidimus supra, quomodo communiter a theologis ritè distinguantur *dubium*, *opinio* et *certitudo*. Inter dubium autem et opinionem, inter opinionem et certitudinem, plures gradus intercedunt, per quos ab uno termino pedetentim recedimus, et ad superiorem terminum magis appropinquamus. Manifestum etiam est, quòd qui ab opinione procedendo ad certitudinem ita accedit, ut eam propemodum attingat, non videretur vir prudens, si eam sententiam præferret, quæ vix opinabilis est. Pariter inter opinabiles sententias sunt aliquæ, quæ vix recedunt à dubio, et aliæ de quibus certum judicium proferri nequit, an dubii fines excesserint. Ecce igitur, quomodo confessarius facilè fluctuare potest in usu Probabilismi et Probabiliorismi. Ad hanc autem difficultatem illustrandam juvat etiam alicujus moderni, et probati philosophi circa hujusmodi intellectuales actus, divisiones, distinctiones, et definitiones afferre. E philosophiæ enim sinu hæc

deprompta theologi ipsi in theologiam invexerunt.

Joannes Baptista Horvath, in regiâ scientiarum universitate Budensi professor, institutiones logicas typis edidit, quæ magno in pretio nunc in scholis habentur, Augustæ Vindelic. 1788. Igitur in dissert. secund. de judicio cap. 3 de divisionibus propositionum, dividit propositionem in *certam*, *probabilem*, *improbabilem*, et *dubiam*; ex quo loco cum aliis ejusmodi auctoris collato discrimen adducam inter has propositiones. *Certa* propositio ea est, cujus veritati sic adhæret intellectus, ut de eâ saltem prudenter dubitare nequeat. Triplex autem, ut omnes norunt, est propositionis certitudo, scilicet metaphysica, physica et moralis. At rectè animadvertit hujusmodi auctor, quòd si propriè loqui velimus, non propositio *certa*, sed mens potiùs de veritate propositionis certa dicenda est. Quoties enim fit, ut eadem propositio uni certa sit, non item alteri! prout nempe ejus veritas uni clariùs, quàm alteri proponitur. Addam ad majorem distinctionem : Quoties una propositio mihi certa est, et non alteri, certitudo propositionis est relativa. Quoties verò propositio certa est omnibus, aut fere omnibus, certitudo propositionis est intrinseca et absoluta.

*Probabilis* propositio illa dicitur, quæ ob unam vel plures rationes graviores, sive graves, *videtur vera*, non tamen omni erroris periculo, ac metu libera. Porrò illæ rationes censentur esse graves, quæ virum sapientem, ac prudentem ad assentiendum movere, et inducere possunt. Igitur propositio probabilis non nisi opinionis enuntiatio est. Opinio autem est assensus incertus, qui nititur motivo gravi quidem et verosimili, sed tamen fallibili ac proinde incerto : hoc est, qui habet quidem aliqua veritatis indicia, sufficientia ad hoc, ut judicium quodpiam prudenter feratur, sed non sufficientia ad determinandum intellectum assensu firmo, et certo, et absque ullâ sollicitudine et formidine pro ipsa. Differt opinio à dubio quod est status mentis, in quo ipsa neutri parti contradictionis assentitur, sed suspensum tenet judicium, vel ob defectum indiciorum veritatis, unde dubium negativum oritur, vel ob æqualitatem eorumdem in utramque partem, unde dubium positivum dicitur. Differt pariter opinio à suspicione, quæ est status mentis, in quo intellectus propendet quidem ad judicium ferendum, neque tamen fert illud propterea quod rationes, quibus ad id incitatur, non videantur ad ferendum prudenter judicium sufficere. Opinio igitur non habet certam veritatem, sed debet habere certam et probatam verisimilitudinem. Fit autem sæpe, ut pro unâ duarum propositionum oppositarum adsint graviores rationes, quàm pro alterâ, ita ut prima verisimilior appareat quàm opposita, et tamen prima fortè erit falsa, et altera vera ; non itaque concludendum est, eam ex duabus oppositis propositionibus esse veram, quæ probabilior apparet, sed esse duntaxat verisimiliorem. Idem est autem esse verisimile, quàm probabiliter verum, ideòque propositio probabilis est idem, ac propositio probabiliter vera propter rationes graves, quæ suadeant, sic rem se habere, ut illa enuntiat.

Addo autem ut de certitudine dictum est : quoties una propositio mihi probabiliter vera est, et non alteri, tunc probabilitas, seu verisimilitudo propositionis est relativa. Quoties autem probabilis est omnibus, vel fere omnibus, verisimilitudo propositionis est intrinseca et absoluta.

*Improbabilis* propositio est, quæ nullo motivo gravi, et ad prudentem assensum sufficiente nititur. Quòd si quis absque hujusmodi gravi motivo contra communem meliorum sensum quodpiam affirmet, vel neget, ejus propositio non improbabilis modò, verùm temeraria etiam dici solet. Quare etiam improbabilis propositio alia est, quæ opponitur communi meliorum sententiæ, et tunc ejus improbabilitas est absoluta, nisi diversimode demonstretur ; aut est improbabilis solùm aliquibus, et tunc ejus improbabilitas est relativa.

Propositio *dubia* est, cui mens nec assentire, nec dissentire audet; propterea quòd utrinque vel paria, vel nulla adsint motiva, seu veritatis indicia. Ac primo quidem casu, ut dixi, est positivè dubia, altero autem negativè dubia solet nuncupari. Addo quòd aliquoties agnoscimus pro unâ propositione rationes quæ nobis videntur aliquo modo graviores quàm pro alia, sed tamen adeò graviores non sunt, ut mens illis assentire aut cum certitudine, aut opinativè audeat, unde ex finibus dubietatis prosilire prudenter nolimus. Consule *cit. auctor. pag.* 37, 43 *et seq.*

His autem expositis, quis non videat, quot difficultatibus pateat Probabilismi, et Probabiliorismi usus. Ut sententia sit verè in praxi probabilis, plures cum patre Paulo Segneri requirunt, ut ejus probabilitas non sit tantùm relativa, sed relativa absoluta, scilicet per communem doctorum decisionem ut probabilis declaretur. Hanc autem eritne facile invenire? Et cùm reperta fuerit, opus erit, illam cum adversâ conferre quæ probabilior asseritur. Sed hìc etiam interrogo an illa major probabilitas; cum quâ sententia probabilis decertat, debeat esse absoluta, aut sufficiat ut sit relativa? Si absoluta, vix inveniri poterit, quòd doctores communiter affirment unam partem contradictionis esse probabilem, et alteram probabiliorem. Quòd si hoc aliquando evenerit, asserta ex communi sententiâ major probabilitas pro unâ parte tandem probabilitatem pro alterâ elidet. Vix enim intelligi potest, quomodo notabilis rationum præponderantia ab omnibus agnita, et confessa non elevet denique, et destruat oppositam gravitatem. Si verò dicatur, sufficere, ut major probabilitas sit relativa, ejus præponderantia nimis fallibilis est, ideòque non videtur à prudenti viro magni facienda. Neque hìc finis difficultatum. Cùm enim dubium subsequatur suspicio, et suspicionem probabilitas, et probabilitas suos habeat gradus successivè superiores, nihil facilius per hos gradus interdùm ascendere, et interdùm delabi, et rursùs in sublime ferri absque requie, quæ ordinariè non invenitur, nisi aut certitudinem assequaris, aut ad eam

propius accedens dicere possis : Hoc mihi ratio suadet, et auctoritas firmat. Si hoc asserere nequeas, et super tui intellectûs operationibus intuitum defigas, invenies quòd ordinariè aut dubii fines non excessisti, aut illos excessisse tibi ipsi certò non constat, ideòque tibi tunc resolvendum est juxta id, quod communiter in dubio juris, vel facti agi posse, aut omninò agendum, doctores affirmant.

Neque enim probabilioristarum spernenda ratio est, quòd scilicet notabilis excessus probabilitatis pro una parte alterius partis probabilitatem elidit. Addam ego : Si verò non elidit, jam signum est excessum aut non esse notabilem, sed modicum; aut non absolutum, sed relativum ; aut non stabilem, sed fluctuantem, ideoque non determinare, agentem ad exiliendum tutò a finibus dubietatis et a suspensione judicii, et ad præbendum opinativum assensum alicui parti. Dixi, non esse spernendam illam rationem, quia non desunt moderni philosophi, qui eam ita mordicus amplectantur, ut eam methodo algebraicâ demonstrare contendant. Sit mihi testis sensatissimus et probatissimus vir Sigismundus Storcknau in academia Vindobonensi logicæ et metaphysicæ professor. Ipse igitur, *Logicæ part.* 3, *cap.* 3, agens de probabilitate et opinione, *num.* 214, statuit, et propugnat hanc thesim : *Propositiones contradictoriæ absolutè, et secundum se spectatæ possunt simul esse probabiles; at si eæ inter se conferantur, comparatione institutâ major unius partis probabilitas minuitur; minor verò alterius partis probabilitas deficit degenerando ad improbabilitatem.* Probat verò, quòd probabilitas minor prorsus evanescit, atque ad improbabilitatem degènerat, quia probabilitas major eâ sui parte, quâ minori æquatur, eam jam prorsus elidit, et detrudit ad locum dubii, quia si esset æqualis alteri, foret dubium. Igitur eâ parte, quâ minorem excedit, ipsam infra dubium deprimit; sed infra dubium habetur improbabilitas : ergo in hac collisione minor probabilitas ad improbabilitatem degenerat. Hinc pro corollario deducit sequentem propositionem : *Cùm probabilitas minor in concursu cum majore pereat, palàm est, actiones nostras secundum eam, quæ majori probabilitate gaudet partem, moderandas esse : qui enim sequeretur minùs probabilem, sequeretur sibi improbabilem, atque adeò imprudenter ageret.* Addit autem in fine : *Id tamen in hac comparatione notandum, eam fieri haud posse, nisi indicia utriusque partis sint ejusdem rationis, nimirum vel omnia ex ratione, vel omnia ex auctoritate petita.* Cui etiam addi debet, quòd etiamsi indicia utriusque partis fuerint quidem a ratione petitia, sed sint ut ita dicam heterogenea, quia a diversis principiis, et fundamentis eruta, ut sæpè accidit, ea comparatio locum non habet, nec similiter ea deductio. At hæc observatio, quæ æquissima est, multum implicat in praxi probabilismi, et probabiliorismi usum, quia non rarò evenit, ut quæ sententia est mihi probabilior ratione, sit tantùm probabilis auctoritate et è contra.

Profero auctorem alterum in metaphysicis rebus versatissimum Emin. Card. Hyacinthum Sigismundum Gerdil. In collectione ejus operum tvpis Bononiensibus, edita anno 1790, tom. 6, habetur ejus oratio de causis academicarum disputationum in theologiâ morali, cui adjectæ sunt notationes, quarum duodecimæ præfigitur titulus : *Cogitata quædam de probabili.* Ibi itaque demonstrare intendit, quòd *cùm aliquid præ alio probandum judicatur, illud unum est, quòd probabile meritò appellari queat, in quo nimirum probabili judicio ac prudenti animus acquiescit.* Hanc autem propositionem et rationibus, et auctoritatibus, et exemplis confirmat, unde deducit, *quòd probabile ad judicium idem sit, quod vulgò probabilius appellari consuevit; quod videlicet, cùm animus sese colligit, et cum se ipso deliberavit, perspicit esse vi suâ et naturâ contrario præferendum.* Tota vis ejus cogitationis in hanc propositionem tendit, ut existimo, quòd id, in quo intellectus præponderantiam rationis et auctoritatis agnoscit, illud verè suo judicio approbat, et cùm unam partem contradictionis approbavit, alteram necessariò respuit : absurdum est enim approbare simul et eodem tempore duas contradictorias propositiones. Quare altera, quæ ante meam electionem et judicium erat mihi probabilis, non est ampliùs probabilis mihi, qui contradictoriam actu approbo.

Quidquid verò sit de veritate harum ratiocinationum ; non est enim meum has controversias dirimere, aut aliquid definire; tamen ad propositum meum deducam, quòd probabilismi, et probabiliorismi, opinio inter multiplices difficultates, et ambages versatur. Si quid autem adductæ clarissimorum hominum rationes, valerent, ridiculum sanè foret apud philosophum, qui animadverteret præstantissimos doctores fere per sæcula super falsa suppositione digladiatos fuisse. Concludi enim deberet, unam actu in moralibus controversiis esse homini exploranti, et judicanti probabilem sententiam ; ideoque omnes probos et prudentes viros practicè in probabile convenire, abjecto comparativo, quod post judicium in intellectu non subsistit.

Hæc erit igitur regula magis ad praxim reducibilis, et simplex, si in obscuris sequamur id quod post diligens examen ratio suadet et auctoritas firmat, et cùm hoc assequi non possumus, si propositum casum inter dubios rejiciamus. Hæc autem suasio rationis non solùm debet esse prudens, et gravis, sed etiam discreta, qualis adhiberi solet ab hominibus sensatis in negotiis suis, absque speculativis et metaphysicis ambagibus, in quibus probabilismum et probabiliorismum suos asseclas torquet. Cùm in obscuris post accuratam discussionem sententiam invenero tum ratione, quæ me suadeat, tum auctoritate, quæ gravis sit, planè confirmatam, juxta præscriptam regulam tutò procedere possum ad electionem, nec ultra quærendum est inter latebras speculativi et reflexi dictaminis, quia regula certa est, quòd in iis, in quibus certitudinem assequi non possum, prudenter me gero, si illud amplectar, quod mihi tum ratione, tum auctoritate planè confirmatur, etiamsi in contrarium videam adhuc aliquam rationem, et auctoritatem, quæ non om

nino spernenda sit. Ita in casu suprà exposito de inventis bonis incertis facilè me resolvo, postquam Romani Catechismi doctrinam, et aliquarum Ecclesiarum praxim notaverim, quæ me præ omnibus rationibus suadet; nec tamen adversæ auctoritatis et rationis pondus omnino contemnendum judico, si separatim considerctur; in conflictu autem cum Catechismi doctrina, et Ecclesiarum praxi fieri nequit, ut mihi probetur. Atque in hoc diversitatem repono, quòd in eo quod mihi probatur, et quod mihi ratio suadet, et auctoritas firmat, veluti in loco veritati propinquo mens conquiescit, contrà vero non conquiescit in eo quod ratio mihi non suadet aut prævalens auctoritas non insinuat.

Denique præcipua ratio, quæ me impellit ad consulendum, ut vocabula probabiliorismi et probabilismi dimittantur, hæc est, quia hujusmodi vocabula apud patrocinatores utriusque sententiæ non uniformiter definiuntur, aut explicantur ; unde fit, ut adversariis ad gravissimas et nunquam finem habituras difficultates occasio præbeatur, et responsiones in incerto fluctuent, et in plures sententias una sententia dividatur. Hoc autem, quoniam veritati obsequium præstare probi et sensati viri officium est, non videtur ex omni parte probabilioristis ac probabilistis commune. Etenim probabilioristæ, aut omnes, aut fere omnes, in probabiliorismi definitione conveniunt, cùm dicunt : Opinionem probabiliorem esse eam, quæ nititur fundamento graviori rationis, et auctoritatis in concursu oppositæ sententiæ, quæ habet pro se fundamentum respectivè minùs grave auctoritatis et rationis, ita ut minor formido errandi stet pro illa, quàm pro ista. Sed si probabilismi definitionem inquiras, aut in ejus asseclis, aut in ipsius adversariis, non multos invenies, qui in ea assignanda ex omni parte conveniant. Aliqui enim pro essentialibus constitutivis exigunt rationem intrinsecam, et extrinsecam rationem, seu auctoritatem. Alii non copulativè, sed disjunctivè, aut rationem, aut auctoritatem pro constitutivo assignant. Rursus in auctoritatis conditionibus describendis si non dissidere, certè non convenire videntur. Denique exceptionibus, modificationibus, varietati, pro diversis casibus, ita omnia patefacta sunt, ut qui effusiores in hoc argumento pertractando fuerint, iidem ut plurimum obscuriores et implicatiores evaserint. Hoc autem ex eo etiam ortum est, quòd pauci ab initio, et in limine suæ disputationis enuntiant, et designant classem hominum, pro quibus regulam probabilismi constituunt. Quæ enim statuitur regula pro peritis confessariis, moderanda est pro rudibus idiotis pœnitentibus, et nisi separatim pro his duabus diversis omnino classibus argumentum discutiatur, necesse fit, ut sæpè quæ applicanda sunt rudibus et idiotis, periti, et docti pro se dicta accipiant, et vice versâ. Hinc ait Azorius in suis institutionibus moralibus, lib. 2, cap. 17. *Quinto quæritur : An sit eadem ratio in his omnibus de homine rudi et imperito, quæ est de perito, et docto viro? Respondent Henricus, et Conradus, non esse eamdem rationem. Nam si vir sit veritus, et doctus, debet opinionum rationes, et pondera examinare, et excutere, ut prudenter agat. Si verò rudis sit et imperitus, ejus non est opinionum fundamenta discutere. Quare ut prudenter factitet, satis est si boni, et docti viri consilium et opinionem sequatur.* Sic etiam Silvester v. *dubium* num. 4. *Idem est, si dubitatur, an dubium sit scrupulosum, nec ne. Et ratio hujus est, quia qui in hujusmodi consuluit virum bonum, id est peritum et conscientiatum, etiamsi deinde consilio ejus erret, excusatur, quia laborat ignorantiâ invincibili.* Hæc autem invincibilis ignorantia non potest eodem modo suffragari confessario qui ex officio tenetur in dubiis rationes expendere, et determinare suum judicium, quando potest, non solùm super auctoritate, sed etiam super ratione. Hanc igitur distinctionem ego præ oculis habens ab initio professus sum regulam exhibere cum Benedicto XIV, pro confessariis, qui saltem mediocriter docti, et periti præsumuntur. Etenim de rudibus et imperitis nullum ferè negotium haberi potest, cùm pro iis auctoritas sit ordinaria, et simplex regula in unaquaque obscura sententia, ut constat etiam apud eos, qui de hoc argumento disputantes, sibi invicem in reliquis adversantur. Ut autem, quod dico, factis evidenter demonstrem, aliquod specimen hìc exhibebo de diversa probabilismi definitione etiam apud classicos auctores, ut inde pateat, quàm verum sit, ex hac definitionis diversitate pluribus difficultatibus aditum adversùs hujusmodi opinionem patefactum fuisse, quæ deinde multis implexis responsionibus, modificationibus, et evasionibus locum dederunt.

Agmen agat clarissimus P. Paulus Segneri, qui probabilismum ex doctoribus, qui illum præcesserunt, inter prudentiæ limites ita conscripsit, ut nescias, quæ differentia assignari queat inter probabilem opinionem, quam ipse exhibet, et eam, quam prudens ratio suadet, et gravis auctoritas confirmat. Opus esset omnes, et integras epistolas legere, quas ipse de hoc argumento præscripsit, ad quas lectorem remitto, et solùm duo principalia probabilismi constitutiva ex ipso recensebo. Sic igitur habet ep. 1, num. 27. « Ce qui « constitue, en premier lieu, l'opinion véritablement « probable, c'est qu'elle soit toujours fondée, non sur « des raisons frivoles, mais sur des raisons solides, « telles que certainement ne le sont pas les raisons « évidemment insoutenables. Sans doute que ces rai- « sons qui paraissent si bonnes ne doivent pas trop « vite être jugées telles, si l'on n'est pas assuré qu'ayant « été vivement débattues entre les Docteurs, et ayant « été mises en quelque sorte sur l'enclume, elles y ont « déjà longtemps résisté et y résistent toujours, ce « qui fait, que non seulement les personnes qui pas- « sent pour avoir un bon jugement, mais les Docteurs « classiques mêmes, dans leurs ouvrages, les trouvent « dignes d'être suivies. Et s'il s'en trouve un qui ne « soit pas de cet avis, on voit bien que c'est par sin- « gularité, par bizarrerie, et plutôt par la bonne opi- « nion qu'il a de son esprit que par la force des ob- « jections.... Ce qui constitue, en second lieu, les « doctrines probables, c'est d'être adoptées et approu-

« vées par les auteurs classiques. » Sed qui sunt classici auctores? Perlege eamdem epistolam, et inspicies quot rigidæ conditiones ad eum gradum promerendum a Patre Segneri exigantur; ita ut opinio in ejus sensu probabilis vix in conspectu suo probabiliorem sustinere possit.

Habeo etiam præ oculis breve, et discretum specimen opinionis probabilis à Patre Dominico Turano S. Pœnitentiariæ theologo exaratum, quod hìc exhibeo ab ipsius originali transcriptum. « Les Docteurs qui « soutiennent qu'on peut suivre une opinion moins « probable, exigent pour cela comme absolument nécessaires les conditions suivantes. Premièrement, « cette opinion que l'on regarde comme moins proba« ble ne doit avoir contre elle aucun principe certain, « aucun dogme, aucune décision, aucune censure de « l'Église. Secondement, elle doit avoir en sa fa« veur des raisons graves, solides, sensées, qui puis« sent, toute affection désordonnée mise à part, obte« nir l'assentiment d'un homme prudent. Troisième« ment, elle doit avoir été sérieusement examinée par « des Docteurs désintéressés et d'une grande perspi« cacité, et après un semblable examen avoir été jugée « sûre, fondée sur de bonnes raisons, et digne d'avoir « l'adhésion des esprits prudents. Il est entendu qu'un « tel jugement doit encore avoir été rendu par des « Docteurs à qui peut-être l'opinion contraire paraîtra « plus probable, de sorte qu'en embrassant même cette « opinion contraire, ils avouent en même temps que « l'autre opinion n'est pas improbable ni dépourvue de « bonnes raisons. Quatrièmement enfin, et ce qui dé« coule naturellement des trois conditions précédentes, « l'opinion moins probable ne doit s'entendre que rela« tivement à une partie des auteurs et non à leur to« talité; parce qu'il y en aura toujours qui l'estime« ront plutôt plus probable, savoir ceux qui la sou« tiennent directement et l'enseignent, et par consé« quent lui donnent la préférence sur l'opinion « contraire. Quand de telles conditions se rencontrent « dans une opinion particulière moins probable, il est « évident qu'on ne peut croire que la doctrine réflé« chie, par laquelle on enseigne que sans lesdites con« ditions on peut suivre une opinion particulière moins « probable, soit une source de dépravation des mœurs « dans le christianisme. Qu'ensuite ces conditions « doivent se rencontrer dans cette même opinion moins « probable qui peut, dit-on, être suivie, c'est ce qu'il « suffit de voir dans la première des lettres du Père « Segneri sur cette matière du probable. »

Quis talia considerans non dicat opinionem probabilem sic intellectam et declaratam, ab omni prorsus laxitatis accusatione apud doctos, et sensatos homines se ipsam tueri? Sed duo animadvertenda occurrunt. Primò, quod tertia conditio à Patre Turano assignata difficilis in praxi et ardua evadit. Etenim doctores non omnes casus ad examen revocare potuerunt, et non multi casus aut sententiæ invenientur, in quibus de gravitate, et soliditate rationum pro utraque parte contradictionis omnes conveniant. Sæpissimè enim adversam veluti improbabilem oppugnant præsertim auctores, qui post exorta de hoc argumento dissidia scripserunt, et ex hoc ipso plures doctores exceptionem patientur, quoniam videbuntur nimis contentiosè alterutram partem defendendam suscepisse. Secundò, non omnes saltem verbo tenus in allata definitione probabilis opinionis, et ejus conditionibus conformes sunt; unde fit, ut aiebam, quòd vocabulum probabilismi non apud omnes eodem omnino significatu accipiatur. Cujus veritatis quisquis per seipsum certiorari poterit, et tamen nonnulla exempla hìc subjungam, ut specimen, quod promisi, lectoribus exhibeam. Franciscus Suarez. tom. 4, tract. 3, disp. 12, sect. 6, num. 1. *Nobis nunc satis est, illam existimari opinionem probabilem, quæ etiam nititur auctoritate aliquà dignâ fide, quæ in re morali multum habet ponderis, et non repugnat aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi : neque etiam temerè contradicit communi, et receptæ doctrinæ doctorum : unde quò plus opinio participaverit utramque harum rationum, eò erit probabilior.* Thomas Sanchez in Decalog. lib. 1, cap. 9, num. 6. *Opinio probabilis est, quæ rationibus alicujus momenti innititur, ita tamen, ut pro oppositâ parte nil convincens sit.*

Paulus Layman |lib. 1, tract. 1, cap. 5, § 2, num. 6: *Probabilis sententia, uti communiter accipitur, ita definiri potest : quæ certitudinem non habens, tamen vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur.* Gabriel Antoine, de Conscient. cap. 4: *Opinio probabilis speculativè, ac secundum se, est opinio verisimilis, sed non evidenter vera; sive est opinio, quæ nititur motivo gravi, sed absolutè fallibili. Opinio verò probabilis practicè, et respectivè ad operantem, est ea, quæ apparet ita verisimilis, seu niti motivo tam gravi quamvis absolutè fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit meritò ac prudenter approbari ut vera.* Caramuel apolog. de Probabili num. 19 : *Opinio probabilis ut sic, à rationali et authentica abstracta, debet sic definiri : Ubi non datur certitudo.... Opinio, quæ ratione gravi fulcitur, est probabilis.* Et in theolog. fundament., num. 437, fund. 11 : *Quid requiritur, ut opinio dicatur à ratione probabilis? Requiritur, ut non sit evidenter falsa, et nihilominus sit gravi |fundamento suffulta, quam possit vir doctus defendere, cui oppositam possit idem acriter impugnare.*

Joannes de Cardenas tract. 1 de probabilit., cap. 2 num. 16 : *Juxta sententiam communi doctorum suffragio approbatam ( quod in definitionibus necessarium est ) hæc est definitio opinionis probabilis moralis : Est conclusio incerta prudenti fundamento nixa.*

Christianus Lupus in dissertat. de opinione probab. cap. 2 : *Hanc quidam ita definiunt : Probabilis opinio est, quæ certitudinem non habens vel gravi auctoritate, vel non modicâ ratione nititur. Auctoritas gravis censeri debet, quæ est saltem unius viri docti et probi.*

Antonius Diana tom. 8, tract. 1 de opinione probab. definitione omissâ, ait resol. 1, num. 2 : *Operans secundum opinionem probabilem non potest judicari temerarius, neque imprudens. Habet enim pro se rationes alicujus momenti.*

Anacletus Reiffenstuel Theolog. moral. tom. 1, edit. Mutin. 1747, tract. 1, dist. 3, qu. 4, § 1, num. 41: *Opinio probabilis generatim illa censetur, quæ gravi nititur fundamento, licèt non penitùs certo, simulque nullam contra se habet rationem convincentem. Ita communior modus loquendi doctorum.*

Lucius Ferrari v. *Conscientia* num. 68 : *Conscientia probabilis seu opinativa est judicium practicum intellectûs ex gravi ratione, vel auctoritate adhærentis uni parti contradictionis determinatè, sed cum formidine de oppositò ; est in re communis.* Et num. 74 : *Opinio autem verè probabilis censetur illa, quæ gravi suffulta fundamento est consona sacræ Scripturæ, sensui Ecclesiæ, et Conciliorum, traditioni sanctorum Patrum, et doctrinæ theologorum in Ecclesia communiter auctoritatem sortitæ. Unde S. Thomas in opusc. 39, de fallac. cap. 2, sic præcisè habet : Probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus sapientibus, aut omnibus, vel præcipuis, et maximè notis.*

Habes in hac parva serie non pauca, quæ incertum tenere possint lectorem de constitutivis essentialibus opinionis probabilis. Et quod præcipuum est, pauci admodum sunt, qui ad statuendam probabilitatem opinionis pro homine mediocriter perito rationem cum auctoritate consociari expressè requirant. Adde difficultates suprà expositas, quas hìc refricare fortè non inutile erit. Etenim difficulter multis persuaderi potest, quomodo qui opinando judicat aliquam sententiam esse veram, aut verisimiliorem oppositâ, possit nihilominus etiam oppositam ìta verisimilem, et probabilem judicare, ut æstimet virum prudentem illi assentiri posse. Et tamen inter cæteros ita expressè disserit doctissimus Layman theologus moralis aut nulli, aut fere nulli secundus. Ipse enim lib. 1, tract. 1, cap. 5, §. 2, ita loquitur : *Cùm opinio sit animi sententia incerta, et non carens formidine oppositi, fieri potest, ut licèt uni parti quæstionis opinativè assentiaris, nihilominus alteram contradicentem probabilem judices : Non dico veram ; hoc enim impossibile est, ut intellectus duabus propositionibus contradicentibus directè assentiatur, sive utramque veram judicet. Sed hoc ipso, quòd uni quæstionis parti, quamvis opinativè, et debiliter assentiatur, veramque judicet, ejus contradicenti dissentit, falsamque judicat. Cum quo tamen, ut dixi, consistere potest, ut eamdem probabilem censeat. Imo nihil frequentius videre est apud doctores, quàm ut sententiam aliquam adductis rationibus, falsitatis arguant, cùm interim eamdem esse probabilem fateantur.* Idem deinde asserit loquendo de probabiliori : *Si enim tibi pars opposita quæstionis probabilior videatur, seu majora rationum momenta in illam partem perspicias, licèt assensum omnem exhibere tunc possis, tamen ex hypothesi quòd alteri parti assentiri velis, necesse est, ut probabiliori assentiaris ; alteri autem, quæ minùs probabilis tibi apparet, assentiri tunc non potes. Si enim minus probabili assentiaris, seu veram judices, hoc ipso oppositam falsam æstimas, quod fieri non potest, dum ea tibi probabilior, seu verisimilior apparet, propterea quòd intellectus judicativus secundum specificationem non omnino liber sit, sed à rationibus, et motivis vropositi objecti determinetur.... Sed stante hypothesi, sive in sensu composito, dum, inquam, una pars contradictionis verisimilior apparet, quam pars opposita, non potest intellectus illi dissentire, et huic assentiri : quia id fieret sinè ratione, imo contra rationem.*

In hac igitur opinativi judicii natura et actibus, videtur doctissimus auctor cum probabilioristis convenire. Dissentit autem, cùm nihilominus putat, posse judicium opinativum determinatum pro una parte judicare eodem tempore, quòd adsint etiam pro opposita rationes probabiles seu verisimiles, et quidem hujusmodi, ut ad se trahere possint assensum hominis prudentis, et saltem mediocriter docti.

Hoc autem ita intelligendum puto, ut dum ego opinativo judicio uni parti adhæreo, eodem tempore existimem, quòd pensatis alterius partis rationibus et auctoritatibus illæ tanti ponderis sint, ut alicujus etiam prudentis, et docti hominis assensum ad se pertrahere possent; quæ duo quidem judicia non sunt contradictoria, ideoque ab intellectu eodem tempore, et simultaneè pronuntiari non repugnat, ut suprà diximus ; quia pro una parte fertur judicium opinativum de veritate, quod, cùm alicui formidini admixtum sit, non impedit, quin eodem tempore judicium ferat de verisimilitudine partis contradictoriæ. Potius repugnare hoc videbitur, si judicium pro veritate unius partis foret absolutum, ac omnino firmum ac certum. Et pariter in altero discordat, quoniam stante etiam necessario assensu intellectûs pro ea sententia, quam opinativè et speculativè judicat veram, aut verisimiliorem, nihilominus affirmat, quemlibet posse et licitè, et practicè sequi, et amplecti oppositam opinionem sibi cognitam, etsi ut minùs verisimilem et minùs tutam determinando se non ex proprio judicio, sed ex judicio aliorum cæteroquin prudentium et doctorum hominum. Assertio I. *Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus, quæ versantur circa actionem humanam, an ea licita sit nec ne, quisque in praxi, sive operatione sequi potest, quam maluerit, etsi ipsi operanti speculative minus probabilis videatur.* Assertio II. *Ex duabus ejusmodi probabilibus partibus quæstionis licitum est, etiam eam sequi, quæ minus tuta est, id est, minùs quàm ejus opposita remota videtur ab omni peccati specie.*

Negabunt autem semper adversarii accidere posse, ut postquam judicium determinaverim etiam solummodo pro notabiliter majori verisimilitudine unius partis, nihilominus possim judicare eodem tempore, alteram partem rationabiliter, et rigorosè probabilem, et verisimilem existere. Hoc quidem, dicunt, accidere potest, cùm major verisimilitudo est modici momenti ; sed de ea apud discretos probabilioristas non disceptatur, quia parvus excessus in moralibus non consideratur. At cùm verisimilitudo pro una sententia notabiliter major apparet, et cùm excessus ad notabilem gradum ascendit, gravitas pro contradictoria ita minuitur ut in levitatem evanescat. Et quamvis eam probabilem, scilicet verisimilem judicent etiam aliqui

classici doctores, nihil mirum et insuetum, etiam classicos doctores aliquando in suis opinionibus deceptos fuisse, ideoque eorum auctoritas in conflictu graviorum rationum, et æqualis auctoritatis aliorum doctorum, quos in nostro opinativo duces et consiliarios sumpsimus, parum ponderis habere debet. Quod si etiam hoc simultaneum judicium conciliari possit, cùm tamen vir prudens veritatem in omnibus rebus non solùm quærere, sed etiam practicè sequi teneatur, contendunt non esse prudentis hominis officium, deserere in praxi opinionem, quam judicat veram, aut magis verisimilem, et amplecti potius eam quam judicat falsam, aut minùs veritati consonam, quia semper supponitur, quòd pro veritate, aut majori verisimilitudine unius partis non solus ipse judicet, sed idipsum judicent simul cum ipso aliqui aut plures ex classicis doctoribus. Non enim esse videtur prudentis viri, repudiare sententiam judicio propriæ rationis, et gravi aliorum auctoritate suffultam, et contra judicium directum rationis propriæ contradictoriam sequi, quamvis etiam pro ista gravis auctoritas adesse ostendatur. Neque subsistit, quòd probabiliorismum non sit ad praxim reducibile, aut onus nimis grave et importabile. Non enim insinuatur nisi in casu, in quo non suspensus, et anceps, sed suasus à ratione, et auctoritate judicaverim, quamvis cum aliqua formidine oppositi, unam partem esse veram, aut notabiliter verisimiliorem quàm altera. Nam parva probabilitatis præponderantia in moralibus non attenditur, et pro nihilo reputatur; ut ait Antoine, de Consc. c. 4. qu. 4. resp. 2. ideoque requiritur, ut hæc præponderantia clarè, et absque dubitatione post sufficiens examen cognoscatur. Hoc autem non importat neque intellectui, neque voluntati onus nimis grave, et supra vires humanæ naturæ.

Sed reponent probabilistæ, posse me subjicere meum judicium judicio aliorum, qui apud omnes magno in pretio habentur, et ex reflexo judicio judicare, quòd illa major verisimilitudo, quæ me ad unam partem inflectit, vana, et apparens sit. Sublatâ itaque præponderantiâ opinionis ex parte mei judicii, remanet auctoritas doctorum consulenda, qui cùm æqualibus aut fermè æqualibus viribus pro utrâque parte disputent, in meâ libertate est, ad quam libuerit descendere. Præterquàm quòd nemo probare poterit, quòd, cùm veritatem pro neutrâ parte cum certitudine assequi possim, et incertum sit pro quâ parte sit falsitas, reprehendendus sim, si alterutram amplectar, dummodò sit verisimilis. Ubi enim sufficienter declarata est lex de obligatione sequendi in omnibus id quod est probabilius?

Hæc ergo ex utrâque parte rursùs referre, et conferre volui, ut quisquis videat, quàm difficile sit tantas componere lites. Quod etiam difficilius apparebit, si quis non parvam de hoc argumento bibliothecam, quæ ex scriptis utriusque partis doctorum conflari posset, explorare auderet. Hinc concludit Pater Dominicus Turano in brevi suo judicio suprà citato : *La question controversée du probable est une des plus difficiles, des plus subtiles et des plus compliquées qui soient traitées par la théologie, soit scholastique soit morale. On doit distinguer soigneusement la question directe de la question indirecte; on doit discuter et comparer plusieurs principes directs ou indirects. Cette question se trouve compliquée avec les questions les plus importantes de diverses matières théologiques, comme celles de la prudence, des lois, des actes humains, de l'honnête, de l'ignorance, etc. On voit par là combien il est difficile et fatigant de l'examiner à fond pour savoir si l'on peut ou non la condamner.*

Ut demùm confirmem, quod suprà attigi, de incertitudine opinionis probabilis aut probabilioris apud auctores, et de verâ eorum mente, quâ sub istis vocabulis latet, dignoscenda, ut exinde in singularibus casibus resolutio depromatur, factum proferam omni admiratione dignum. Pater Carolus Morales Madritensis clericus regularis vindicavit à damnatis propositionibus Patrem Antonium Diana, opere in-folio, quod continet pag. 146, impresso Neapoli anno 1697, typis Felicis Mosca, quod appositum est in calce tomi dogmatici operum ipsius Diana, pariter eodem anno, et in eâdem typographiâ impressi. Inter propositiones proscriptas ab Innoc. XI, secunda ita se habet : *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Hanc ante pontificiam condemnationem ut probabilem docuerat Diana, sicuti ipse Morales fatetur. Sed ipsum defendere aggreditur, non solùm ex eo quòd propositio illa damnata non fuerat, quando ita scripserat Diana, verùm etiam quia ipse Diana contrariam negativam probabiliorem vocaverat. *Ergo*, inquit, *hâc ipsius Dianæ confessione stante, damnatione ipsâ, et his à me adnotatis etiam ex ipso Diana suprà pro defensione propositionis trigesimæ primæ, dicendum potiùs videtur stare pro sententiâ pontificiâ, quàm pro affirmativâ hodiè improbabili.* Attende nunc alteram hujus vindicationis à Carolo Morales adductam rationem : *Tum quia*, ait, *et melius, inter celebres, ac classicos casuistas in moralibus, quando doctor asserit opinionem aliquam esse probabiliorem, seu veriorem, eo ipso censetur contrariam refellere, approbareque illam, quam probabiliorem vocat.* Refert deinde articulum in Clement. unic. de Sum. Trin. lib. 1, tit. 1, in fin., in quo eligitur opinio de infusione virtutum infantibus in baptismo uti probabilior, nec ideò approbatur contraria probabilis; post quæ concludit : *Ergo etsi noster Diana celeberrimus inter casuistas, ut omnes fatentur, vocet opinionem contrariam probabilem, dummodo hanc negativam fatetur probabiliorem esse, dicendum est, hanc tenere hodiè, et pro hâc stare, non pro contrariâ, licèt tot et tantos haberet patronos pro se, ob quorum auctoritatem potiùs, quàm propter intrinsecam rationem forsitan vocavit eam Diana tantùm probabilem*, pag. 64, num. 4. Sed quorsum hæc? Ergo Diana, et cæteri classici doctores, cùm aliquam opinionem vocant probabilem, et contrariam probabiliorem, hanc approbant, illam refellunt. Non igitur sufficit, quòd aliquis doctor opinionem aliquam probabilem vocet, ut dicatur ipsum eam verè probabilem existimare. Vides, quàm sit dif-

ficile ex doctorum auctoritate alicujus opinionis probabilitatem dignoscere, et quomodo sub vocabulis probabilis, et probabilioris penè omnia in moralibus tradita sint incerta, et fluctuantia.

Quibus positis dico : Nonne satiùs esset, ut ad tantas dirimendas lites omnes eamdem regulam amplecterentur, quæ utpote à Summo Pontifice insinuata tutissima est et ab utriusque partis sententiâ, si non speculativè, certè in praxi, ut judicandum est, non aliena? Quid vult probabilioristæ: nisi ut sequamur probabiliorem opinionem, quam ipse putat à ratione homini prudenti veluti unicam suaderi, et ab auctoritate confirmari, ita ut opposita in conflictu, et eodem tempore judicari nequeat vera, aut verisimilis, et secundùm rectam, et prudentem rationem probabilis? Et quid contendit probabilista, nisi ut pariter in conflictu sequi possimus alterutram opinionem probabilem, nempè eam, quam, ut ait Layman de Consc. cap. 5, § 2, num. 6, *non modici momenti ratio alicui confirmat, veritatisque consonam persuadet?* Non possumus autem judicare, quòd aliqua sententia alicui, cæteroquin docto, et prudenti, ut veritati consona rationabiliter persuasa fuerit, nisi etiam nos suasi simus, quod reipsa veritati consona sit? aliter confessarius veluti quisque rudis idiota à simplici cujusque privati doctoris auctoritate se abduci impunè sineret.

Quare optandum esset, ut omissis speculativis, et nocivis controversiis, omnes confessarii eamdem regulam amplecterentur à Benedicto XIV propositam; et in praxi, cùm casus difficiliores, novi, et disputationi obnoxii ad eos deferuntur, classicis doctoribus priùs consultis, et rationibus hinc inde expensis, tandem in eam sententiam descenderent, quam ratio suadet, et auctoritas firmat. Quis enim, ut ab initio dixi, reprehensibilis erit aut apud Deum, aut apud homines, si eas partes suscipiat, quas tum ratione, tum auctoritate planè confirmatas intelliget? Ad quid aliud in rebus obscuris, et arduis teneri prudentem hominem demonstrabitur? Neque opus est, ut in declarando, quid sit rationis suasio, et confirmatio auctoritatis plus quàm fecimus immoremur. Intelligunt omnes suasionem rectæ rationis in rebus controversis tunc haberi, cùm rejectis omnibus animi, et intellectûs falsis, ineptis, et injustis præoccupationibus, ratio juxta regulas ratiocinandi ritè adhibitas inducit hominem prudentem, et saltem mediocriter doctum ad præbendum alicui parti judicii sui assensum, etsi non absit omnis formido de opposito; et pariter hoc judicium auctoritate confirmari, cùm in eamdem opinionem descendisse videmus aliquos doctores, qui apud viros sensatos, et doctos pro peritioribus, et classicis habentur, et quos deceptos fuisse in rationibus pro suâ opinione adductis non evincitur à classicis doctoribus oppositæ sententiæ. Hâc methodo servatâ, et in praxim deductâ sive in consiliis, sive in scriptis, tandem ad eam regulam regressus fiet, quam usque ad posteriora secula prudens antiquitas semper servavit. Etenim, ut optimè ait Melchior Canus de Loc. theol. lib. 1, cap. 2, omne argumentum vel à ratione, vel ab auctoritate ducitur, et his duobus modis cujusque rei, quæ in controversiam venit, assensionem facimus. Cùm verò auctoritas cum ratione concurrit, tunc omne argumentum cuicumque prudenti viro satis probatur. Itaque simul eliminabitur illa methodus, quæ non infrequenter apud aliquos morales theologos observatur, ut prætermissis rationibus, simpliciter dicatur : *Hanc sententiam Less. Navar. Dian. vocant probabilem. Layman. Escob. Suarez probabiliorem.* Sed pro unâ quâque controversâ opinione in medium adducetur ea sententia, quam ratio suadet, et auctoritas firmat, rationibus et auctoritatibus adversis solidè repudiatis. Ac reverà hoc solum est, quod et scribentis doctrinam præ se fert, et legenti commodum præbet, ut aut veritatem invenire, aut saltem ad veritatem propiùs accedere possit. Neque tamen contendo, quòd hujus regulæ ope omnia inter doctores dissidia auferantur. Scio sæpiùs evenire, quod uni ratio suadet, alteri non suadere, et etiam dissuadere interdùm. Sed si quisque suadentes rationes in medium proferre, et auctoritate planè confirmare debeat, cautus erit, ne ineptus et singularis appareat; et si hoc non præstet, facilè à legentibus in suis fallaciis et cavillationibus deprehensus tenebitur. Denique cùm non omnes scopulos et syrtes evitare possimus, eâ tamen viâ gubernaculum dirigendum est, quæ à syrtibus et scopulis magis immunis existimatur.

# MANHART VITA.

Manhart (Franciscus Xavierus), natus Æniponti, anno 1696, societati Jesu inscriptus 1712, obiit anno 1773 Halli, in oppidulo Tyrolensi. Omnes litterarum partes spectatissimo nomine emensus, scientias etiam plerasque maximâ cum laude in gymnasiis et academiis professus est. *Probabilismi* fautor emicuit in tractatu famoso, qui duodecies in anno uno typis mandatus est, quod mirum est; nec minori famâ quàm Gonzalez, plurimis jam anteà annis defunctus, cujus doctrinis adversabatur, in orbe inclaruit, utpotè temperamentis severiorem normam mitigans. Quod opus notissimum fuit sub titulo : *Dissertationes theologicæ de indole, ortu ac progressu et fontibus sacræ doctrinæ.* Exstant alia ejusdem scripta : *Bibliotheca domestica bonarum artium, ac usui eruditionis studiosorum instructa et aperta; Idæa magni Dei, contra Atheismum hujus ævi; Antiquitates Christianorum.*

# DE INGENUA INDOLE
## PROBABILISMI.

### CAPUT PRIMUM.

IDEA PROBABILISMI.

§ 1. *Cardo rei de quâ agitur.*

I. Ut genuinam indolem doctrinæ illius quam Probabilismum vocant, intimè perspectam habeamus, reflectendus est animus ad geminas propositiones à summis pontificibus damnatas, è quibus intelligere licebit, quis hoc in negotio tot tantisque partium studiis per duo ferè secula agitato Ecclesiæ catholicæ sensus sit. Alexander VIII, anno 1690, 8 decembr., damnavit hanc propositionem numero tertiam : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Innocentius verò XI, 1679, 2 martii, istam itidem numero tertiam : *Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ, quamtumvis tenui, modò probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* En duo velut extrema duosque cardines in opinionum probabilium usu ! Quidam, quos *Rigoristas* aut *Tutioristas* appellant, ab omni specie probabilitatis quamtumvis magnæ, aut etiam maximæ, abhorrentes, ubique id quod tutius est, sequi oportere, quantumcumque probabilis foret contraria opinio, magno strepitu contenderunt. Alii, quos *Benignistas*, aut *Laxos* seu *Laxones* dicunt, nimiùm quàm par est, frena laxantes conscientiæ, ad actionis licentiam plus non requiri docuerunt, quam opinionis probabilitatem aliquam, licet tenuem et exiguam, unde demùm illa accerseretur, sive ab auctoritate, sive à ratione. Priores peccârunt rigore, posteriores benignitate : utrique à viâ mediâ seu regiâ, quam omnis virtus præsertim moralis tenet, seu aberrârunt ad dextram, seu ad sinistram declinârunt; utrorumque doctrina meritò à summis pontificibus tanquàm noxia, et disciplinæ morum inter Christianos inimica damnata fuit. Præter hos aliæ genuinæ opinantium classes in lucem prodierunt : una est *Probabilioristarum*, seu illorum qui non quidem tutiora ubivis eligenda esse censent, benè tamen ea quæ sunt probabiliora ; altera est *Probabilistarum*, qui omni probabilitati, modò verè ac theologicè talis sit, et intra debitos constricta limites, locum concedunt tunc quando solùm de actionis licentiâ agitur. Prima classis aliquantùm deflectere videtur ad unum rigoris extremum, de quo dixi ; secunda verò ad alterum benignitatis extremum : neutra tamen istorum sententia à summis pontificibus censura est unquàm notata, aut Vaticano fulmine percussa, quamvis, teste P. Gabriele Daniel in Epist. 3 ad Alex. Natalem, Innocentius XI ferè toto quo Ecclesiæ clavum tenuit tempore, opportunè importunè urgeretur, ut doctrinam et propositionem istam : *Licitum est sequi opinionem minùs probabilem, quæ verè sit probabilis*, condemnaret; nunquàm tamen auditâ litigantium utràque parte, omnibusque probè discussis exorari se passus est, ut id ageret, et adversantium zelo patrocinaretur. Neque ullus hucusque pontificum fuit, qui posterioribus etiam et nostris temporibus, quibus ad summum fastigium pervenisse visa est hâc in re cujusdam criminandi libido, eo induci se permisit, quamvis plurimas alias propositiones singulares, ac opiniones seu justo rigidiores seu laxiores jure merito è regno conscientiæ ac morum proscripserint et condemnârint. Atque ex his, ut opinor, satis clarè patet, inprimis : æquè in Ecclesiâ catholicâ tolerari doctrinam illam, quæ ut licitè agatur, opiniones probabiliores, quamvis minùs tutas amplecti nos posse docet, quàm eam quæ opiniones etiam minùs probabiles, modò verè tales sint, sequi nobis licere profitetur, quùm utraque in præcipuis scholarum exedris, et à theologis præstantissimis impunè nec reclamante Ecclesiâ tradatur, quam utique non conficiunt ii soli qui tam apertâ licentiâ, nec ad aliud quàm fidelium scandalum serviente, in partem sibi adversam debacchantur. Patet ulterius, non minùs Probabilismum quam Probabiliorismum inter duo extrema, quæ doceri et in usum deduci prohibentur, medium locum occupare, et æquali jure, si placeat, crimini posse dari tam Probabilioristis (si eorum argumenta curatius inspicere velimus) quòd ipsorum doctrina propiùs nonnihil accedere videatur ad rigorem damnatum, quàm Probabilistis, quòd eorum doctrina inclinet ad benignitatem proscriptam. Denique intelligimus fieri posse, ac non rarò contingere, ut in morum doctrinâ nimiùm audaces quidam seu rigidi seu benigni auctores transgrediantur limites præscriptos, et absurdas aliquas, minùsque pias sententias in medium proferant, è quibus postmodùm aliqui vel imprudentes vel malevoli critici ansam arripiunt, innocentem utriusque partis doctrinam conviciis et calumniis lacerandi ac proscindendi.

II. Ut verò rei controversæ status et conditio adhuc magis clarescat, dubium esse non potest, unâ quidem ex parte sequi nos posse, vel etiam debere conscientiam certò et absque hæsitatione, bonâque fide dictantem ac decernentem, quòd hujus vel illius actionis obligatio seu à natura, seu à divinis humanisve legibus sit vel non sit imposita, etiamsi judicium istud errori esset obnoxium, modò sit error inculpatus et vincì nescius ; ex alterâ verò, nemini fas esse agere cum conscientiâ dubiâ, quamdiu anceps hæret ac suspensa, dubiumque speculativum per dictamen practicumque ac moraliter certum superare ac vincere nequit. Ista inquam, omnibus rerum intelligentibus ac probè mo-

ratis extra dubitationem posita sunt. Illud igitur hoc in loco in quæstionem vocatur, quid liceat agere, quid non liceat cum conscientiâ probabili, seu si rationes adsint satis graves et urgentes, quibus inducitur aliquis, ut credat rem ita esse, ac jus stare à lege, ita tamen ut alia quoque argumenta, eaque non tenuia aut exigui ponderis occurrant, quæ suadent aut forte persuadent, non urgere hìc et nunc legem, suamque voluntati stare agendi aut non agendi libertatem. Quid enim his in angustiis velut sacrum inter et saxum deprehensa faciat conscientia ? Poteritne aliquod de actionem præstandi vel omittendi obligatione certum ferre judicium, sine quo nihil à voluntate rectè fieri diximus? Utor claritatis gratiâ gemino exemplo : Est qui die Jovis circa noctis umbilicum cum convivis lautæ mensæ assidet, ubi carnibus vescitur : hìc in unâ turri civitatis horologium campanæ pulsu horam duodecimam denuntiat, aliud verò aliâ in turri tertium quadrantem ad duodecimam promulgat : utrumque autem horologium satis bellè officio aliàs suo fungitur, et æqualem ferè auctoritatem habet, fidemque apud urbis illius incolas obtinet. Quid agat eo casu conviva? non enim potest liquidè ac certò secum statuere, horam esse duodecimam, seque lege obstringi, ut à carnium esu abstineat. Exemplum hoc adhiberi potest, quando pro duabus sententiis oppositis in genere morum stat probabilitas ut vocant extrinseca, et gravis utrinque auctoritas. Alterum esto exemplum, quod servire poterit tunc, si adsit probabilitas intrinseca, seu graves in utramque partem rationes quæ se invicem non evertunt. Est igitur aliquis qui furtum summæ notabilis non quidem rei sacræ, sed profanæ, perpetrat eo ipso tempore ac loco quo homines devotissimè orant coram exposito Eucharistiæ sacramento : dubius hæret an circumstantias illas delictum notabiliter aggravantes, intra eamdem tamen speciem, in sacro tribunali exponere teneatur, vel sine noxâ tacere queat, probè gnarus, graves pro obligatione confitendi rationes stare ; neque leves, sed verè probabiles etiam pro licentiâ omittendi pugnare ; v. g., scit à Tridentino concilio in sess. 14, ubi profitetur exactam et plenam de sacramento pœnitentiæ doctrinam se propositurum, nullam facere mentionem de circumstantiis aggravantibus, sed solùm de mutantibus speciem, quòd debeant Ecclesiæ clavibus subjici ; neque tamen ignorat eamdem ferè rationem quam affert ibidem Tridentinum, cur necesse sit exponere circumstantias speciem mutantes ( scilicet ut sacer judex ritè possit ferre judicium et pœnitentiam delicto commensurare ), pro illis quoque circumstantiis pugnare, quæ notabiliter aggravant. Quid consilii in hoc rationum conflictu, quæ vel utrinque paris sunt probabilitatis, vel tales, ut pro unâ parte probabiliores, pro alterâ verò minùs, verè tamen et sobriè probabiles adsint? Respondebis fortè; sequantur isti quod tutius et probabilius est; abstineat prior ab esu carnium, alter furtum suis vestitum circumstantiis ritè exponat. Rectè id quidem ; sic nullum erit errandi peccandique periculum. Verùm de hoc non quæritur modò ; sed an homini obligatio gravis incumbat agendi semper id quod est tutius, quod probabilius? utrum peccandi discrimen incurrat, si taceat memoratas circumstantias : verbo, num conscientia non sic agat, si carnes aliquandiù comedere pergat, si in hoc rerum articulo certum nec fallax de actionis licentiâ judicium practicum et ultimum formare queat? Potest enim contingere, ut ita dubiis ac hæsitantibus grave admodùm incommodum aut jactura immineat, si quod tutius aut probabilius est, exequantur. Supersedeo aliis plurimis hanc in rem exemplis et casibus, v. g., circa contractus, an ab usurâ sint immunes, necne ; circa beneficia ecclesiastica, an simoniæ vitio laborent, necne ; circa hæreditates, an bonâ fide adiri possint, necne.

III. Unum adhuc superesse videtur ad penitùs introspiciendam genuinam indolem Probabilismi, ac percipiendum quæstionis statum, scilicet ut paucis explicem, quæ sit opinio probabilis, quæve illius natura, quænam probabilior, quæ tuta, quæ tutior dicatur. Sunt enim qui hæc vel imperitiâ vel studio malis artibus confundunt, aut in sinistrum sensum detorquent, quùm tamen absque rei hujus certâ notitiâ gradientem in hâc viâ sæpiùs offendere necessum sit. Probabilis itaque opinio est judicium prudens, quo statuitur rem ita esse, conjunctum tamen cum aliquâ formidine, ne fortassis res ita non sit, uti apparet. Voco *prudens* judicium, ad quod non sufficit ut levibus duntaxat fundamentis et rationibus innitatur, quæ facilè subrui ac dissolvi possunt ; sed opus est ut rationum momenta sint firma et solida, quæ omnibus ritè perpensis ab homine docto et cordato assensum merentur, quamvis non omnis formido, ut dixi, absit, et quidem idcircò, quoniam ex adverso rationes quoque occurrunt graves, vel etiam graviores, quæ contrarium suadeant, neque permittunt judicantem sententiæ huic suæ tanquàm omninò certæ acquiescere. Formido autem hæc non oritur eo ex capite, ac si opinioni probabili falsitas vel error subesset. Nam quod benè notandum, opinio probabilis non est absolutum judicium, quod rem veram esse ac licitam pronuntiat, vel contra falsam et illicitam ; sed solùm, quòd tales sint rationes, ex quibus meritò possit colligi rem ita esse permissam, nimirùm à lege, vel prohibitam. Igitur si rationes reipsà ejusmodi sint, judicium hoc erit verissimum, quantumvis falsum sit id circa quod opinio versatur ; hæc enim non tam censet rem ita esse, quàm rationes esse solidas, quibus ita esse comprobatur. Quapropter, ut dicebam paulò ante, vel imperitè vel malevolè nonnulli conscientiam probabilem cum falsâ et errori obnoxiâ confundunt. Illud præterea consideratione nostrâ dignum est, quòd illi qui opinionem probabilem habet pro veritate rei, etiam falsitas ejusdem rei possit esse probabilis ob rationes graves pro utrâque parte pugnantes, à quâ re invictum illud pro totius probabilismi defensione argumentum ducitur, scilicet quod ex ignorantiâ invincibili vel de legis existentiâ vel de illius obligatione petitur, ut postea demonstrabo. Quin quod ampliùs est, possunt in uno eodemque intellectu eodem tempore duæ opiniones probabiles invicem contrariæ

velut una in sede morari. Nihil enim prohibet, quominùs simul adsint rationes quæ suadent rem ita esse, et quæ probant rem ita non esse, et quæ probant rem ita non esse, licet res ipsa non possit simul esse ita, et non esse : ista quidem contradictionem involvunt, *probabile est legem obligare*, et *non est probabile legem obligare*, et *probabile est legem non obligare*. Atque hæc opinionis probabilis genuina indoles et natura probè perspecta plurimùm momenti afferet brevi ad ipsam rei præsentis controversiam. Nunc quoque facile erit intelligere quid rei sit opinio probabilior, nempe quæ unà ex parte firmioribus nixa est fundamentis : quid tuta, seu quæ peccandi periculum in operando excludit; quid tutior, nimirùm quæ ab illo periculo agentem longiùs removet; quid denique minùs tuta, scilicet quæ propinquiùs admovet. Omnia hæc plana sunt et expedita illi, qui exemplis paulò ante productis animum benè adverterit.

§ 2. *Origo controversiæ.*

IV. Post Dominicum Soto, et Bartholomæum Medinam, gravissimos theologos ex ordin. Prædic., qui præ cæteris doctrinam probabilitatis excolere cœperunt, cuncta integro penè seculo satis pacatè ac quietè agebantur, dùm eam alii multi gravissimique theologi pluribus annis, uti postmodùm patefaciam, impunè cum sanctâ quâdam simplicitate professi sunt. Verùm ubi Jansenistica secta in Galliis potissimùm et Belgio caput extulit, magnum in discrimen adducta fuit. Quem enim Jansenistæ, ut appellamus, probè cernerent, quin et sentirent, societatis doctores aliquos impiis eorum et fraudulentissimis conatibus se velut murum pro Ecclesiâ Dei opponere, atque è latibulis pestifera eorum dogmata magis magisque in lucem protrahere, odium ac furorem diù animo conceptum tandem omnem in universæ societatis nomen, famam et doctrinam pleno alveo effuderunt. Quare quùm ipsi magni cujusdam externi rigoris ac sacræ disciplinæ ecclesiasticæ pallio gravissimos errores suos obtegerent, ut his apud vulgus reverentiam conciliarent, nostri verò præter alios viros et scientiâ et dignitatibus ecclesiasticis summè conspicuos latens virus et hypocrisin detegerent, id consilii Jansenistæ inierunt, ut multorum è societate benigniorem doctrinam noxiæ libertatis et morum corruptelæ palam accusarent, atque convitiis, cavillationibus, contumeliis, omnique confictarum criminationum genere in orbis christiani conspectu quâ libris, quâ schediasmatis malè cohærentibus sine fronte ac sine pudore proscinderent. Inter hos facilè eminebat Blasius Paschalis, qui nomen Ludovici Montaltii sibi adsciscens Litteras Provinciales malè fausto partu in lucem edidit, quas amici ejus, ut Jesuitarum nomen et doctrinam latiùs adducerent in invidiam, Jansenioque simul et Arnaldo gratiam facerent, in varias linguas, nempe præter Gallicam in Latinam, Hispanicam et Italam transfundendas curârunt. Sunt illæ ad histrionicæ artis apices omnes elaboratæ, facetiis et salibus non minùs quàm innumeris mendaciis refertæ, quibus in morum doctrinâ gravissimis piissimisque auctoribus absurdissimas et abominandas sententias ac opiniones velut ab iisdem prolatas attribuunt, de quibus ne cogitationem ullam in mentem suam admiserunt. Caro tamen stetit Montaltio et sociis labor iste. Nam liber Epistolarum tum ob cavillandi impudentiam, tum ob contentos in eo Jansenianos errores damnatos auctoritate Ludovici XIV, Galliarum regis, ac regii senatusconsulti, anno 1660, 14 octobr., publicè carnificis manu Parisiis vulcano traditus est; quod senatusconsultum integrum refert Alphonsus de Sarasa tom. 2, tract. 4, § 3. Romæ verò ab Alexandro VII, 6 sept. 1657, condemnatus est, et legi ac retineri prohibitus, eodem teste auctore synchrono. Hunc ipsum librum, seu Litteras Provinciales notis illustravit, si fas est ita loqui, Guilielmus Wendrochius, sub ficto et ille nomine latens, Montaltio familiaris, sed ferè audacior. Hic in memoratis notis ad Epist. 5, sect. 1, § 1, et sect. 2, § 3, probabilitatis doctrinam inanes cavillationes esse asserit; flagitiosè ac audacissimè eam defendi; hoc probabilitatis dogma tantum virus esse, ut omnem penè theologiam infecerit. Sect. 3, § 5. Tam latè fundantur, ait, scelerati dogmatis rami, ut in totius religionis apertè grassentur exitium, et in omnium denique religionum horrendam permixtionem tendant. Clavem esse, quâ reseratur infernus miseris animabus. Sect. 6, § 3. Decem, inquit, ac quinque seculis Ecclesia floruit, antequàm hæc Casuistarum seges exoriretur. Verùm hæ Wendrochii notæ parem cum Litteris Montaltii sortem ac pœnam Parisiis subiêre, nempe quem merebantur rogum. Egregiam his operam navavit theologus quidam Hibernus et doctor Lovaniensis Joannes Baptista Sinichius in Saule exrege, l. 1, c. 94 et 98, ubi Probabilismi doctrinam libertinis summoperè arridentem, ecclesiasticæ disciplinæ non tam insidiantem quàm insultantem proclamat; auctores verò eam docentes laxitatum præcones et buccinatores, cæcos et duces cæcorum, denique seductores Christianorum esse criminatur. Ita in benignam sententiam ejusque patronos debachati sunt Jansenii discipuli, hisce affines. Quid mirum?

V. Sed quod mirere, non defuerunt, nec desunt etiam doctores quidam catholici exleges, qui omnia undique corradunt ad deturpandam Probabilismi doctrinam, et famam ejus fautorum denigrandam, quorum quidem conatus et dicacitatem sacerrimæ doctissimæque familiæ, cujus alumnos se profitentur, et quam ego maximoperè venerari me profiteor, minimè probari scio Vincentium Contensonium ord Præd., lib. 6, dissert. 3, de doctrinâ probabilitatis ita loquentem : Manifestum esse, ait in Proœmio, advenisse tempus illud ab Apostolo prænuntiatum, quo hominibus sanam doctrinam non sustinentibus, et ad sua desideria magistros prurientes auribus sui coacervantibus fons Probabilismi apertus est : unde to aberrationes, tot doctrinæ moralis flagitia scaturierunt, et innumera in dies scaturiunt. Vocat ibidem corruptelam, pestiferum venenum, licentiam paucis lus-

tris infectam, sed in dies ad christianæ pietatis excidium, et catholici nominis dedecus grassantem. Cap. 1. At contra veri S. Thomæ discipuli, et tanti doctoris vestigiis à sanctis Patribus designatis inhærentes huic novitati capitaliter adversantur, quin credunt, hoc novo probabilitatis commento lascivientibus ingeniis ad depravandam Evangelii castimoniam laxissimas habenas remitti, ruinam ecclesiasticæ disciplinæ imminere, tantamque in theologiâ stragem edi, ut quomodò cum eo Romanæ Ecclesiæ fides, pietas, disciplina consistere possint, omninò non videant. Alloquens subin Probabilistas cum gemitu exclamat : Cur novellæ probabilitatis contagio non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conati estis? ad delendam prælatorum potestatem tollitis peccata mundi; ad invehendam et firmandam vestram auctoritatem nova in dies peccata in mundum invehitis, confessarium vestris probabilitatibus adversantem sine misericordiâ damnatis... Et alibi : Probabilismus est omnium fons peccatorum, Ecclesiæ et Evangelii dogmata evertit, et est horrori : hæresi favet, etc. Et ne credamus fortè Contensonium ita detonare in Probabilismum, vagum et exlegem, qualem et nos detestamur, cap. 2, conceptis verbis de doctrinâ Jesuitarum loquitur, quin et lib. 2, cap. 2, laxissimam, inquit, illam modernorum casuistarum sub specie probabilitatis licentiam è fontibus scientiæ mediæ (cur non etiam prædeterminationis physicæ, quùm tot sint Thomistæ qui Probabilismum sunt professi, ut brevi videbimus?) promanare, nec esse mirum quorumdam ethicam et theologiam moralem dissipare legem Christi, quorum theologia speculativa gratiam Salvatoris evacuat. Contensonio non multum inferior est Joannes Bapt. Gonetus, ord. Præd., dùm dissert. theol. art. 2, § 4, Probabilismum novorum Casuistarum dogma appellat, cujus tantum est virus (recoquit verba Wendrochii), ut omnem penè theologiam moralem infecerit; appellat intolerabiles novorum casuistarum laxitates; vocat probabilitatum monstra, meram divinorum præceptorum elusionem; vocat artem cum Deo cavillandi, probabilitatum præstigias, etc. Et ut intelligamus contra quos agat Gonetus, citat ferè solos Jesuitas præter Caramuelem. Natalis Alexander, ord. Præd., ut videre est apud Gabr. Danielem Epist. 2, passim traducit probabilitatis doctrinam, et aliorum theologorum nomine (et quinam isti) quasi rogatus effundit amarissimas contra illam querelas, quòd sit falsa, perniciosa, certissimus fons, unde crimina omnia scaturiunt; plenam doloris rem esse, videre Suarezios, Vasquezios, Azorios, Laymannos Societatis Jesu antesignanos doctores, hanc doctrinæ labem pestemque defendere. Natalis Alexander, inquam, cui hoc testimonium præbet Petrus Ludovicus Danes in Generali temporum notione, ubi de Scriptoribus ecclesiasticis agit ad seculum 18, *mihi* pag. 71 edit. Venetà : « Natalis Alexander O. P. vir multijugæ lectionis, magnæque eruditionis; sed qui in senectute suâ eò se « adduci passus est, ut à constitutione *Unigenitus* ad « futurum concilium appellaret. »

VI. His recentior est, nescio autem an modestior, Daniel Concina, ord. Præd., qui paucos ante annos in Probabilismi negotia tantum excitavit strepitum per Italiam. Nolim hìc excutere omnes illius tomos quos scripsit, ubique refertos cruentis indignè lacerati Probabilismi vestigiis. Duo duntaxat specimina in medium afferam. Tom. 2, dissert. 5, cap. 5 *della Storia del Probab. e del Rigor.*, ait : Demonstratum est quòd novum ac vagum istud systema repugnet rationi ac sensui communi, nocivum sit sacerdotio et imperio, infallibilitati pontificiæ, auctoritati supremorum principum et theologorum (ac si diceret, toti mundo, cui per Probabilismum extremus judicii dies jamjam immineret); quòd sit vicinum Jansenismo, quam reddat Jansenistas obstinatos, uti et alios hæreticos; quòd aperiat viam ad omnes sectas, (utique etiam Judaismum et Atheismum?) atque omnes homines in quâcumque religione salvos faciat; quòd constituat honestatem morum, et malitiam non in aliquâ realitate, nec in difformitate aut conformitate cum lege æternâ, sed in meris opinionibus mentalibus, et virtutes non faciat esse nisi entia rationis et ideas platonicas; quòd tollat è mundo peccata ignorantiæ, atterat fundamenta timoris et humilitatis, et fovendo ambitionem ac superbiam disponat ad tremendam quamdam cæcitatem; quòd exaltet hominem ad dignitatem supremi legislatoris, in gradu libertatis à Deo independentis collocet, imò illum reddat ipso Deo potentiorem (adeòque ipsi Lucifero parem, vel majorem, qui dixit Isai. 14 : *Super astra Dei exaltabo solium meum ... similis ero Altissimo.* Ecce Probabilismum, Concinâ judice, ipsius Luciferi peccatum altius sanè vel Probabilismi malitiâ, vel Concinæ maledicentiâ ascendere non potest); atque has pulcherrimas, quibus Probabilismum hic auctor insignit, notas vocat sincera et nativa hujus doctrinæ lineamenta. Alterum specimen exhibet tom. 1 Christianæ Theologiæ suæ, è quo brevitatis studio solùm refero, quæ habet in Indice 5, Probabilismus à viâ Evangelicâ abducit : Probabilistæ cum hæreticis conveniunt; theologiam corrumpunt suis distinctionibus; suis principiis morum Theologiam evertunt; adversa sunt eorum principia principiis Christi; novum genus beatitudinis extra legem Dei comminiscuntur; omnem regulam justæ interpretationis S. Scripturæ violant, etc.; ita concionator Italus : trepidate, theologi! Et ne dubitare possimus in quorum gratiam hæc scribat, ipse digito monstrat passim in suis libris præter Caramuelem, quem Antesignanum ponit, et paucissimos alios non adeò magni nominis ferè solos Jesuitas, certè ultra triginta, quorum doctrinam moralem cynicè traducit, neque ipsi Suario, Thomæ Sanchezio, Lessio, Azorio, Lugoni, Vasquezio, Valentiæ, doctrinæ ac virtutis spectatæ viris atque theologis parcit, quorum, ùt et aliorum auctorum (quem admodùm ipse fatetur, vel potiùs fateri coactus est in Declaratione et sincerâ Protestatione) sententias falsas, scandali plenas, erronea commenta, paradoxa immania, antievangelica passim appellat. Deus bone! quæ tempora vivimus, an cyclopica? an talia, quibus

in arenâ litterariâ stipitibus duris, sudibusque præustis certatur? Sed viri hujus inconsultus zelus doctissimis aliorum lucubrationibus Caroli Noceti in Veritate vindicatâ, Philiberti Balla *nelle Lettere Theolog. morali*, Jacobi Sanvitale, et Casp. Jos. Gagna, *nelle lettere d'Eugenio Apologista*, pro merito suo est castigatus, debetque Fr. Concina etiamnùm plurima, publicis typis præsertim Sanvitalianis objecta, de quibus apud litteratum orbem famam suam purget, si jam possit. Illud solum addo, si quis Scriptorum esset, qui Caramueli in munere Antesignani substitueret Bartholomæum Medinam, ord. Præd. (utpote cui in Historiâ de Probabilismo tanquàm fundatori hujus doctrinæ primum locum tribuit, et primam ab eo epocham ad annum 1577 deducit, homo sæpiùs sui in scribendo immemor); postea verò longo agmine produceret Petrum Ledesma, Didacum Alvarez, Dominicum Bannez, Gregorium Martinez, Vincentium Candidum, Joannem Ildephonsum Baptistam cum pluribus aliis, omnes de inclyto ordine Prædicat. (de quibus postea ostendam, quòd Probabilismo non obscurè patrocinati fuerint), tum verò textus benè multos neque truncatos aut in alienum sensum contortos ex his auctoribus celebribus, alios verò locos è Litteris Provincialibus Montaltii, è notis Wendrochii, et Sinnichio, è Theologiâ morali Jesuitarum, ex Henrico à S. Ignatio, ex Contensonio, Alexandro Natali et Goneto exscriberet, atque catalogum propositionum damnabilium è Thomistarum libris excerptarum præfigeret, quas facilè suppeditabit Carolus Nocetus in Veritate vindicatâ, part. 2, ubi ad finem producit centum et sexaginta novem propositiones Dominicanorum, quas in Jesuitis P. Concina acriter insectatur; postea verò paginas omnes admirationibus, exclamationibus, episodiis, interrogationibus, repetitionibus, apostrophis, quin et subinde ironiis, aliisque figuris rhetoricis ad omnem magnificentiam exornaret (quamvis Aristoteles in Rhetoricis observet, hæc si perperàm adhibeantur, aptissima esse instrumenta ad decipiendos judices, et plebem excitandam); si porrò adderet dedicationem splendidam, quâ supremum Ecclesiæ caput gravissimis verbis adhortaretur, ut cæteris suis ornamentis hoc demùm addat velut coronidem, et è Christianâ republicâ hanc morum corruptelam, hæc abominanda doctrinæ portenta, has damnabiles sententias proscribat, evellat, et penitùs eliminet; si, inquam, scriptorum quispiam esset, qui hunc in se laborem susciperét, et labori socios lateri admoveret, et quidem iis ipsis, quibus Concina utitur verbis, ausim promittere, quod decem integris tomis et pluribus, quos idem scripsit, intra breve tempus absque magnâ difficultate bibliothecas locupletaret, sed simul integras sacras familias charitate, quæ prima dos est theologiæ christianæ, mutuâ veneratione quæ vinculum est religiosorum ordinum, et moderatione religiosâ, quæ character est Deo sacrarum personarum, evacuaret. Hujus viri genium et scribendi methodum jure meritissimo perstringit Carolus Noceti, de quo dixi, in Veritate vindicatâ, Romæ editâ et per deputatos à Magistro S. Palatii approbatâ, his verbis in proœmio: « Mordax scribendi genius, acres declamationes, in- « citatissimi impetus, turpissima convicia, et notæ in « omnium oculos incurrunt. Exquisitum artificium, « quo Jesuitæ nominatim ac propriè in odium adducuntur, et apud accedentes ad pœnitentiæ tribunal « in suspicionem vocantur, nemo non videt. Intempe- « ratæ censuræ, quibus permultæ nostrorum opinio- « nes, summis cæteroquin cujuslibet instituti theolo- « gis validissimisque rationibus commendatissimæ, « fœdè dehonestantur, justæne sint, an secùs quilibet « vel mediocriter in hoc studio versatus, cùm præser- « tim opiniones easdem ferè solis contumeliis refelli « viderit, haud magno negotio dijudicabit? »

VII. In eamdem doctrinam benignam eodem ferè tempore in Germaniâ insurrexit S. theologiæ Præsentatus, et auctor Theologiæ Thomisticæ, quocum mihi sermo est. In ipso limine Tractatûs de licitâ et illicitâ Sequelâ sententiæ probabilis, part. 2, pag. 140, episcopum Gandavensem, ut in alio loco dixi, velut in theatrum educit ita loquentem: *Hi* (scilicet novelli casuistæ et laxioris ethices inventores) *non solùm corruptæ naturæ prurientes aures blanditiis suis demulcent, sed et mutuò scabunt* (Sinnichius reddit, *mulcent mulum scabunt*), *atque de adinvento aliquo vitiis prætextu tanquàm de novo cœli tramite reperto, sibi invicem gratulantur et applaudunt.* Huic crisi irreligiosæ nil est, quod reponat calamus religiosus. Rursùs quæst. 2, pag. 147, ita loquitur: *Quemadmodùm recentiores Casuistæ jugum Christi nimis emolliunt, et pulvillos seu cervicalia sub capita hominum ponunt, ut molliùs in suis negligentiis dormitent et quiescant, ita Jansenistæ*, etc.; ac paulò post Novatiani dictum affert, suumque quem defendit Probabilismum Christo, rigidam autem et benignam sententiam latronibus comparat: *Veritas inter duos errores, ut Christus inter duos latrones media pendet; ad declarandum ergo sententiam inter duas extremas, quarum una nimis laxa, et altera nimis rigida, media sit cum Thomistis conclusio*, etc. Quænam autem ex his duabus extremis sententiis locum boni, quænam mali, dextri aut sinistri latronis occupet, non satis liquet ex Præsentati comparatione; sufficit ambas esse latrones, suam verò Christum. Denuò quæst. 1, pag. 146, ad finem sic scribit: « Contrarios « nostros vix posse excusari à tribus pessimis ad quæ « homines inducunt. I. Cor amovent à studio veritatis, « dùm ex delectu minùs probabilis illos docent sectari, « quæ minùs ad veritatem accedunt. II. Ab odio pec- « cati super omnia detestandi retardant, dùm eos pe- « riculo offendendi Deum exponunt. III. A remediis « efficacioribus consequendi salutem eos elongant. « Addo, viam aperiunt latam ad innumeras laxitates « in Ecclesiâ sanctâ Dei, etc. » Tria profectò vel quatuor pessima et grandia crimina! Sed hìc ante omnia intelligere cuperem, de quibus loquatur, et contra quos scribat? præter Caramuelem, cujus doctrinam in plurimis nunquàm amplexata est aut amplectitur societas, atque tres theologos Salisburgenses, inveniò nominatos è nostris Thomam Sanchez, Filliucium,

Laymannum, Tamburinum, Escobarium; reliquos, quotquot benigniori sententiæ adhærent, pag. 160, gravissimis verbis adhortatur, postquàm litteras à Mutio Vitellesco generali ad superiores societatis datas recitavit. « Utinam, ingemiscit et ait, utinam sapientissimi hujus generalis consilia et decreta adamussim servarentur, faciliùs morum uniformitas et puritas inter fideles conservaretur, divina et ecclesiastica mandata non periclitarentur, brevique tempore, ait Gravina in suo Cherubin Paradisi, reformaretur mundus, qui ex opinandi licentiâ præceps ruit, latissimam viam ingrediens, quæ ducit ad perditionem. » Ecce quos potissimùm designet Præsentatus encomiis illis, quibus Casuistas molles et laxioris ethices inventores, et mulos mutuò se scabentes exornat. Nimirùm hàc in re vestigia premit Montaltii, Wendrochii, Sinnichii, Natalis Alexandri, Contensonii, Goneti, Danielis Concinæ, qui dùm contra Probabilismum vagum, noxium, disciplinæ Christianæ inimicum scribere se profitentur, pessimâ fide ac subdolo consilio ad invidiam conciliandam vix ullos alios in scenam producunt, quam doctores è societate, ac si harum propria et velut domestica, atque in ipsorum scholis nata esset abominandi illius Probabilismi doctrina. Quid aliud quasi tectâ fronte dicere volunt hi auctores, dùm tantis tamque exquisitis probris onerant benignam sententiam, simulque Jesuitas ferè solos, eorumque sententias vel truncatas, vel in alienum prorsùs sensum detortas, si non omninò affictas recensent, quam quod apertâ fronte impudens Montaltius scripsit epist. 5, edit. Coloniens. mihi pag. 98 : *Jesuitas igitur quamprimùm adito me auctore : hoc spondeo futurum, ut in illorum morali disciplinâ tam corruptâ tamque lutulentâ Molinisticæ de gratiâ doctrinæ fontem reperias. Videbis stupendam Christianæ virtutis ignorantiam : videbis pro verâ solidâque virtute nescio quæ tantùm circumferri simulacra virtutum, spiritu ac sensu, id est, charitate carentia : videbis innumera crimina quæsitis prætexi coloribus : videbis innumeras morum labes ignavâ quâdam indulgentiâ tolerari*, etc. Ex his facilè patet, è quo fonte manârint venenata in Probabilismum odia, quem si nemo doctorum societatis amplexus fuisset, etiamnùm primævæ innocentiæ stolam circumferret. Sed hoc nimirùm scelus, hoc crimen *brevibus gyaris et carcere dignum*, ut canit Juvenalis. Sed missa facio adversæ partis dicteria et scommata, illud Tullii mecum reputans : *Non tam meminisse debeo, quid ejusmodi homines mereantur audire, quàm quid me deceat dicere, et calumniatoribus objectare.* Decet autem hoc illis dicere objectareque, quod dùm tantis tamque copiosis censuris, probris, calumniis, etc., probabilitatis doctrinam ejusque defensores eminùs et cominùs impetunt, vel sibimetipsis, suoque aut Rigorismo aut Probabiliorismo, et theologiæ christianæ principiis apertè contradicant, vel eumdem, quem adeò blasphemant, laxum ac vagum Probabilismum, multòque absurdiorem amplectantur. Numquid enim Innocentius XI, PP. in decret. suo, quod edidit anno 1679, 2 martii, quoque complures opiniones sinistras damnavit, inter quas illa *de quantumvis tenui probabilitate*, toties ab adversâ parte contra nos citata, ad calcem hunc in modum loquitur : *Tandem ut ab injuriosis contentionibus doctores seu scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem sanctissimus in virtute S. obedientiæ eis præcipit; ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus et prædicationibus caveant ab omni censurâ et notâ, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super iisdem propositionibus judicium feratur.*

### § 3. *Postulata quædam.*

VIII. Liceat jam mihi postulare primò : An ea quæ hucusque § superiore ex ipsis fontibus, scilicet Montaltio, et Wandrochio, Sinnichio, Contensonio, Goneto, Natale Alexandro, Concinâ et Præsentato in medium produxi, quamvis pauca duntaxat, non sint seu censuræ, seu notæ, seu convicia, quæ isti adversùs Probabilitatis doctrinam ejusque patronos, præcipuè ac nominatim è societate nostrâ, proferunt? Nemo Latini sermonis intelligens credo id inficiabitur, et si horum dicteria inter se conferat, clarissime videbit Scriptores diversi quidem ordinis, ejusdem autem ferè sermonis fuisse. Quod Montaltius et Wandrochius, utpote Jansenistæ (de Sinnichio non constat) tam contumeliosè scripserint, non miror, partim quia hìc omnium sectarum semper genius et spiritus fuit, partim quia malè secum fuisse actum à Jesuitis credebant, extrahendo è latibulis eorum errores, technas et fraudulentas doctrinas; ex quo fonte, scilicet odio plus quàm Vatiniano, manârunt penè innumeri centones contumeliis ac mendaciis pleni, quin integri libri adversùs Molinistas, ut vocant, vix unus adversùs Thomistas. At quòd religiosæ familiæ alumni quidam, in eodem S. Matris Ecclesiæ grèmio quiescentes, et quidem nullis lacessiti injuriis, nec provocati talia scribant, et publicis typis vulgent diversis in regionibus, etiam in almæ urbis conspectu, hæc sanè non tam indignationis, quàm doloris res plena est. Elevare quidem conatur Montaltii probrum et tribunalis regii judicium Daniel Concina more suo satis artificiosè, contendens epistolas illas anathemata et flammas fuisse expertas propter Jansenii doctrinam in iis contentam, cætera immunes ab aliis criminibus objectis esse deprehensas. Ait enim tom. 2, dissert. 1, cap. 5, Theol. Christ., *Janseniano fermento potissimùm quatuor primas* (epistolas) *inquinatas esse compertum. Violatæ quoque sinceritatis in Casuistarum textibus referendis postulatus Paschalis fuit, at peracto per mensem examine, nihil imposturæ, ad hoc quod attinet, repertum est.* Ita rotundè Concina. Sed aliud loquitur senatusconsultum quod, ut dixi § 2 num. 4, integrum refert Sarassa, scriptor synchronus, inter alia inquit hoc senatusconsultum, *damnatas ab Ecclesiâ Jansenii hæreses sustineri ac defendi tum in prædictis Montaltii litteris, et notis Guillelmi Wendrochii et Pauli Irenæi, de-*

*tractionem verò et petuantiam adeò familiarem esse tribus illis auctoribus, ut non parcant ulli hominum generi, non ipsi supremo pontifici, non regibus, non episcopis, non præcipuis regni ministris, non facultati theologicæ Parisiensi, non familiis religiosis, et prædictum librum dignum esse pœnâ à jure decretâ in libellos NB. infamatorios et libros hæreticos*, etc. Nihil hìc legitur de examine per mensem peracto, nihil de malâ duntaxat fide in referendis casuistarum textibus : geminæ adducuntur causæ damnationis, gemina delicta, scilicet, quòd contineant hæreses Jansenii, et quòd adeò petulantes sint in infamandis summis principibus, et aliis, atque etiam religiosis familiis. Primum negare non potuit Concina, alterum fateri non erat è re suâ et aliorum. Quid igitur consilii? aliud quid substituit, de quo nulla mentio facta est; quâ fide? parùm refert.

Postulo secundò : An hæc propositio : *Licitum est amplecti opinionem minùs probabilem, si modò verè ac theologicè probabilis sit*, in quâ totum Probabilismi, qui à nostris aliisque gravissimis doctoribus defenditur, mysterium continetur, ut postea latiùs explicabo; an, inquam, hæc propositio à quoquam pontificum fuerit damnata, vel sancta Sedes unquàm judicium aliquod super eam tulerit? nullum certè in hanc diem comparuit, nec ullum produci potest. Etiamsi variæ, et vix non extremæ sint adhibitæ machinæ, ut configeretur, etiamnùm impunè in præcipuis quibusque academiis et publicis cathedris propugnatur. His autem ita, ut sunt, constitutis, annon paci et charitati convenientius est, et longè probabilius tutiusque, quàm oppositum, scilicet abstinere à censuris, notis et conviciis, atque obedire summi pontificis decreto latissimè patenti? annon minùs tutum minùsque probabile est, et contra obedientiam pontificiis oraculis debitam peccandi periculo obnoxium, licere uti cavillis, censuris, dicteriis, etc., ut nihil dicam jure naturæ ejusmodi esse prohibita, præsertim si cum dispendio famæ magnorum virorum et integræ communitatis sint conjuncta? An fortè credunt, summam Sedem non esse penitùs informatam de totâ controversiâ hâc, postquàm integro ferè seculo tot jam libri in utramque partem fuerunt in lucem publicam editi? Cur ergo non relinquunt rem summæ Sedis judicio, cujus est ferre sententiam, et quæ semper hucusque vigilans fuit condemnando propositiones singulares minùs sobrias? Cur involant in jura et fulmina Vaticana, atque hæc, quùm videant nihil hucusque se potuisse efficere, ipsi suâ dextrâ in benignam sententiam torquent, suis libris malè sartis dehonestant, et ut abominandam doctrinam exhibent, suisque censuris configunt atque condemnant?

Postulo tertiò : Quo muniti judicio et dictamine conscientiæ practico talia faciant, talia scribant, et in orbem litterarum spargant inconsulti quidam adversarii? An hìc est Rigorismus seu Tutiorismus, seu Probabiliorismus ille, quem profiteri se jactant? Aliud et melius atque legitimum dictamen, quia moraliter certum, si non evidens, suppeditabo sequenti syllogismo : *Propositio quæ inter doctores theologos est controversa, nec à S. Sede damnata, immunis esse debet a censuris, notis et conviciis; sed propositio hæc : Licitum est amplecti opinionem minùs probabilem, si verè ac theologicè probabilis est, inter catholicos doctores controversa est, nec à S. Sede damnata; ergo immunis esse debet à censuris, notis et conviciis.* Major hujus syllogismi è decreto Innocentii XI est assumpta; minor est certa legenti propositiones circa materiam hanc damnatas ab Alexandro VII, Innocentio XI et XII, Alexandro VIII, inter quas hæc duntaxat generalis continetur : Quando probabilitas est tenuis, neutiquàm verè, quando in se adhuc magna est, nempe verè ac theologicè talis, licet comparata cum majore probabilitate sit minor. Conclusio demùm est in formâ, ut aiunt dialectici.

Postulo quartò : Quâ ratione et quâ fide aliqui Thomistæ, præsertim Concina, dicere non vereantur sententiam benignam fuisse sæpiùs à summis pontificibus damnatam? Ubi testes, ubi tabulæ? fortè, quia damnârunt aliquas propositiones, quæ circa singulares casus versantur? vel quia damnârunt Propositionem aliquam generalem, in quâ continetur Probabilismus? Non primum; nam ex eo quòd aliqui ex principio vel malè intellecto, vel perperàm applicato opiniones et sententias quasdam minùs sobrias et censurâ notatas protulerint, nullâ ratione sequitur, ipsum principium et fundamentum esse damnatum, nisi velimus ipsam S. Scripturam et SS. Patrum doctrinam circa multa damnare, quùm iis abusi quàmplurimi vel per malitiam vel per ignorantiam damnatas propositiones et integras hæreses derivârunt. Non secundum; afferant enim in medium, si talem aliquam propositionem generalem sciant, ubi damnatus sit Probabilismus genuinus, et hæc propositio : Licitum est sequi opinionem minùs tutam et minùs probabilem, quæ tamen verè ac theologicè probabilis est, relictâ tutiore ac probabiliore? Duas propositiones generales in negotio hujus controversiæ damnatas est invenire : unam ab Alexandro VIII, alteram ab Innocentio XI, ut initio statim monui : velut duo extrema. Formemus jam hoc enthymema : *Non licere sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, et, generatim licere sequi opinionem quantumvis tenuiter probabilem, utraque propositio est damnata; ergo opinio minùs quidem, verè tamen theologicè ac comparativè probabilis, est damnata, quòd eam sequi liceat.* Negabunt omnes logici consequentiam, utpote plus in conclusione, quàm in præmissâ positum erat, inferentem. Longè meliùs et scholæ placitis conformiùs licebit sic argumentari : Secunda propositio damnata dicit : generatim, et propositionem quantumvis tenuem sequi licere, at genuinus Probabilismus neutiquàm docet, generatim licere, dùm excipit judicem, advocatum, medicum, ministrum sacramentorum; neque docet propositionem quantumvis tenuem, sed verè, theologicè ac comparativè probabilem sequi licere : ergo genuinus Probabilismus per hanc damnatam propositionem non est damnatus. Conclusio est in formâ.

## CAPUT II.

### AUCTORITAS IN UTRAMQUE PARTEM.

### § I. *Crimen falsi, quòd Probabilismus sit doctrina societati propria.*

IX. Illud nunc examinandum sese offert, an soli sint societatis doctores, qui probabilitatis doctrinam tuentur, num etiam alii, et quinam illi, quâve ratione hanc defendant; item, num societatis doctores hanc doctrinam in orbem invexerint, an verò alios antiquiores velut viam monstrantes secuti sint. Callidum non minùs quàm iniquum est partis adversæ consilium, quod strenuè æmulatur Præsentatus, ut in libris et scriptis suis adversùs Probabilismum omnem ferè hujus doctrinæ invidiam in Jesuitas exonerent, ac si propria et vix non domestica foret; itaque per eos propagetur, ut totus mundus subitò Probabilistam se miretur, velut olim Arianum. Quam autem à veritate alienum hoc sit, facilè colligi potest ex responso, quod, teste P. Gabriele Daniel in Epist. 2 ad Natal. Alexand., Patres societatis in generalibus comitiis Romæ congregatis Innocentio XI, pontifici maximo, dederunt. Hic enim quem aliqui vehementer et importunè urgebant, ut benignam sententiam proscriberet, sciscitatus est ab his Patribus, verane esset fama quæ circumferretur, eam doctrinam à societate velut propriam haberi ac propugnari? At illi protinùs communi suffragio responderunt tantùm abesse ut doctrinam istam sibi propriam existimet societas, ut potiùs plena theologis suis libertas concessa sit, contrariam quoque sententiam amplectendi, aliarumque scholarum et doctorum catholicorum placita sequendi; cætera paratos se esse, ut, quamprimùm certi quidpiam hoc in negotio S. Sedes decideret, in ejusdem verba jurarent. Quâ de re exstat in Instituto Soc. J. typis impresso Decretum XVIII Congregationis XIII sub eodem pontifice convocatæ. Ne verò hæc magnificentiùs quàm veriùs dicta fuisse quis existimet, sciat benè multos fuisse ac etiamnùm esse, qui tum editis libris, tum publicis in cathedrâ prælectionibus rigidiorem sententiam profitentur. Certè inter auctores è societate nostrâ, quorum opera typis fuerunt mandata, invenire est Antonium Celladeum, seu Michaelem Elizalde, Hispanum, de Rectâ morum doctrinâ, qui hinc et inde vehementiùs fortè quàm par erat, benignæ sententiæ irascitur; Ignatium de Camargo, doctorem Salmanticensem, in regulâ honestatis moralis; Paulum Comitolum, Italum, in Consiliis seu Responsis moralibus; Andream Blancum sub nomine Candidi Philaleti, tractatu de Opinione probabili; Joannem Baptistam Taberna, Belgam, in Synopsi Theologiæ practicæ; Thomam Muniessa, Hispanum, in Stimulo conscientiæ; Ad. Rev. p. Thyrsum Gonzalez, Soc. Jesu generalem præpositum, primo loco nominandum, in Fundamento Theologiæ moralis; Casparum Kummet, SS. theol. doctorem Moguntiæ, in Magisterio conscientiæ; Paulum Gabrielem Antoine, Universitatis Mussipontanæ cancellarium, in Theol. mor. univers.; aliquâ parte etiam Christophorum Rasslerum, in Normâ recti, atque Antonium Mayr in Theol. schol., utrumque SS. Theol. doctorem, et non ita pridem studiorum præfectum in Universitate Ingolstadiensi, etc., etc. Inter aniles igitur fabulas recensendum est, memoratam doctrinam adscivisse sibi societatem, tanquàm communem et propriam. Non diffiteor longè plures fuisse et adhuc esse qui in Benignistarum castris stipendia merentur, et Probabilismum defendunt, non quidem vagum illum et nimis laxum, qui obviam quamque probabilem sententiam ambobus brachiis arripit, et licitum sibi credit, quidquid alicujus probabilitatis speciem præ se fert, etiam tenuis, incertæ ac lubrico nixæ fundamento, quod per rationes contrarias facilè potest everti; absit ab : hoc semper abhorruit societas, abhorruêre doctores illius omnes, sed Probabilismum sobrium ac prudentem, id est, gravi ac solidâ ratione suffultum, quæ ex adverso enervari nequeat, magna imò maxima antiquorum, quin et recentiorum auctoritate munitum, in mutuo argumentorum utrinque conflictu sine ullo veræ probabilitatis detrimento subsistentem versantemque circa licentiam duntaxat, non actionis valorem. Fuerunt, inquam, et sunt longè plures è societate nostrâ, qui sub hujus Probabilismi signis militant, non tamen sine plurimis et commilitonibus et ducibus è totâ retrò venerabili antiquitate, pro sententiâ benignâ strenuè decertantibus. Hoc ut demonstrem, nolo implere utramque paginam auctorum istorum nominibus, quæ legi possunt apud Platellium p. 2, c. 2, § 4, de conscientiâ probabili; apud Lacroix, l. 1, n. 269, apud Stephanum de Champs, in quæst. facti, c. 4, apud Rasslerum, in Normâ recti d. 3, q. 9, art. 2, aliosque; universim solum et per summa capita rem hanc tractare libet. Sunt qui Bartholomæum Medinam, insignem ex illustri familiâ S. Dominici theologum, qui mortuus esse perhibetur anno 1581, primum Probabilismi parentem celebrant; sed falluntur; antiquiores adhuc natales habet, ut paulò post dicetur. Certè memoratus Rasslerus, qui vastum de famosâ hâc controversiâ tomum edidit, omniaque summâ fide collegit quidquid antiqui, quidquid novi reperit, quique sub finem non obscurè in severiorem nonnihil sententiam propendet, atque ita testem idoneum agere potest; hic, inquam, ingenuè fatetur d. 3, q. 10, art. 1, benigniorem hâc in parte sententiam tenuisse post Medinam, imò post Dominicum Soto Medina antiquiorem scriptores plerosque, qui per integrum seculum et ultra hanc quæstionem attigerunt; addit pro eo stare fermè omnes quos priùs ipse adduxit pro sententiâ æqualiter probabili, non minùs quàm ducentos sexaginta quorum nomina ordine Alphabeti recitat : quin etiam rectè eruditissimi Vasquezii testimonium affert, asserentis (scilicet in 1-2, d. 62, c. 4, n. 14) eamdem sententiam jam fuisse in scholis communem ante tempora Medinæ, idque patere ait ex catalogo auctorum à se producto, et neutiquàm completo; porrò perspicuum esse dicit apertissimumque, quòd eidem sententiæ per seculum et ultra celeberrimi quique doctores subscripserint ex omni virorum litte-

ratorum ordine, ubi etiam recenset nobilissimos theologos ex variis religiosis familiis, licet ipse postmodùm à tantâ auctoritate aliquantùm, ut dixi, in severiorem partem deflectat. Ita Rasslerus, quem Concina, Apparatûs tom. 2, l. 3, dissert. 1 (postquàm retulit testimonium è Germaniâ ab Eusebio Amort, *amicitiæ fœdere sibi conjuncto* submissum), vocat virum doctum et spectabilem senem, et sincerum Germanum, atque licet non omnia approbet, ait tamen : Illud summoperè commendo in universo Opere, videlicet modestiam, prudentiam et gravitatem, etc., utique præclaras scriptoris dotes, quas vel maximè Concina sibi quoque in suis operibus commendatas habere debuisset. Sed audiamus et alios.

X. Thyrsus Gonzalez adversarius præter complures doctores in medium producit pro benigniore sententiâ fortiter dimicantes primos S. J. theologos. Stephanus Spinula Congr. Somasch., in Præfat. Opusc. de prud. et liber. Elect., ait doctrinam hanc *recentiorum omnium calculo et universali ferè populorum usu confirmatam esse.* Joan. Gabriel Boyvin Minorita, in Theol. quadripart. p. 3, disp. 3, c. 1, q. 5, tenere illam testatur omnes ferè doctores, *etiam sanctissimos et eruditissimos.* Joannes Angelus Bossius Cleric. Regul., in tomo Moral. varior. in Append. ad tit. 1, num. 2377, de sui temporis doctoribus loquens, *doceri illam* dicit *ab omnibus et in toto orbe christiano nihil magis decantatum.* Jacobus Raggius, ordin. Capuccin., in Cent. 1 de Regim. Regul. p. 3, dub. 46, ait : Ita *et alii ut ita dicam infiniti.* Mastrius magnum scholæ subtilis lumen inquit disp. 5, q. 2, art. 1 : *Hæc est communissima et receptissima sententia in omni scholâ in hoc currenti seculo.* Stephanus de Champs Soc. J., spectatæ fidei ac eruditionis auctor, in Quæst. facti Parisiis editâ an. 1659, de scholâ S. Thomæ affirmat, post Bartholomæum Medinam ex omnibus Thomistis qui de hâc materiâ egerunt, nullum se vidisse sive in ipsorum libris, sive in aliorum opinionibus citatum, qui negaverit fas esse opinionem sequi minùs probabilem relictâ probabiliore. Præterea si Terillo, Illsung, Gobat, Lacroix, Platellio fidem habemus, fuêre plurimi purpurâ insignes viri, episcopi et prælati, doctores ac integræ Academiæ, quæ benigniori sententiæ patrocinium indulsêre. Et tamen, mirum dictu ! solis penè Jesuitarum humeris invidiæ pondus incumbit ; in hos solos omnium laxarum, mollium et perniciosarum opinionum è probabilismo nascentium, atque adeò vituperiorum et calumniarum tempestas desævit. Esto fuerint aliqui, qui securitatis in opinando limites transgressi sententias quasdam minùs tutas et probatas in medium protulerint ; quàm pauci hi sunt tanto in numero ! vel uni centum alios contrarium docentes opponere possumus ! An immunitatis privilegio hâc in re gaudent alii, etiam Thomistæ ? Brevi offeret se occasio apertiùs mentem explicandi. Quàmprimum S. Sedes apostolica propositionem aliquam censurâ notavit, primi fuerunt societatis doctores, qui eam ipsi quoque notârunt, correxerunt, et ut emendarèntur, libris suis inseruerunt sine partium studio, cujus rei luculentum palam exhibuêre testimonium P. Cardenas, et P. Viva in suis circa propositiones damnatas lucubrationibus. Eruditis et doctis loquor, non malevolis. Sed ut in orbitam et ad auctoritatis pro benignâ sententiâ stantis argumentum redeam, elevare eam conatur, quùm evertere nequeat, Præsentatus, loc. cit. q. 3, p. 158 : *His præmissis*, inquit, *sit contra torrentem ex recentioribus theologis et Casuistis, ex quibus tamen complures sequuntur unum, sicuti, ut loquitur Navarrus, aves unam volantem sequuntur aliæ, non tam examinantes merita hujus controversiæ, quàm potiùs cæco quodam comitatu hanc thesin non rarò magis clamorosè declamantes, quàm eruditè probare scientes, contenti, quòd eam aliquando in scholis dicam potiùs scripserint, quàm ei debitè studuerint*, etc. De quibus obsecro hæc scribit ? quales aves istæ ? nigræ, an albæ ? aut partim nigræ, partim albæ ? Quos probabilismi fautores defensoresque tanto numero produnt scriptores probatissimi, et sanè classici, quosque universim adduxi, sunt et natione, et ordine, et doctrinâ, et dignitate diversissimi. An ulla docuit aliquando experientia tot aves diversissimæ speciei unam volantem sequi ? Si hoc de illis, quibus sentiendi docendique libertas est relicta, sed sobria et casta, quale de illis judicium ferre liceret nobis, si adversarii istius crisin et comparationem infelicem luberet adhibere ? de iis, inquam, qui uni magistro, quantumvis præcellenti, tamen interpretationi obnoxio, intellectûs sui, oris et calami obsequium deferre, et in unius verba, quorum sensus non semper et cuivis patet, jurare debent ? Num in suorum potiùs quàm nostrûm gratiam tam elegantem et festivam protulit crisin ? sed quidquid senserit Præsentatus, dum ista scripsit ; etiam invito ipso non patiar, ut per avium illarum agmen, unam volantem sequens, intelligantur Thomistæ.

### § 2. *Thomistæ, qui docuerunt Probabilismum.*

XI. Nam si rem, ut est, fateri velimus, aureæ ætatis scriptores ac præcipui scholæ Thomisticæ heroes clarissima hujus ipsius, quæ nunc passim traditur, doctrinæ monumenta in libris suis reliquerunt. Ex viginti et pluribus sex duntaxat vel septem produco reliquis notiores, quosque in ipso fonte inspexi : Bartholomæus Medina, qui gravissimo urgente præcepto, quod illi generalis magister ordinis reverendissimus Seraphinus Cavalli imposuit, *aureas* in 1-2. D. Thomæ expositiones in lucem edidit, ita loquitur, tom. 1, q. 19, art. 6 : *Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit*, subjungitque mox rationem : *Nam opinio probabilis in speculativis ea est, quam possumus sequi sine periculo erroris et deceptionis ; ergo opinio probabilis in practicis est, quam possumus sequi sine periculo peccandi.*

Didacus Alvarez, ad 1-2, disp. 80, num. 9 : *Potest*, ait, *sequi opinio practicè probabilis, relictâ probabiliori...* item : *Tenet hanc sententiam noster Medina, et alii doctissimi Thomistæ.*

Petrus Ledesma, theol. moral. p. 2, tract. 7, c. 2,

dub. 2, sic ait : *Respondetur nihilominùs esse probabilius quòd standa in Jure divino et naturali liceat judici sequi opinionem probabilem, omissâ probabiliore. Hanc sententiam docet Medina, Orellana, et plures alii, præsertim Thomistæ.*

Dominicus Bannez, in 2-2, q. 10, art. 1, ubi duplicem opinionum differentiam ponit : primam illarum, quæ versantur circa actionem aliquam exercendam, uti an aliquis contractus sit licitus vel illicitus : et ait : *De opinionibus prioris generis verum est posse hominem sequi probabilem opinionem, relictâ probabiliori.*

Gregorius Martinez, tom. 1, q. 19, art. 6, d. 6, c. 1 : *Non solùm*, inquit, *est licitum ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus probabilitate practicâ eligere, quam quis maluerit, sed etiam est licitum sequi minùs probabilem, relictâ probabiliore.*

Vincentius Candidus, Sac. Palatii magister, et Rom. ac univers. Inquisit. qualificator, necnon Sanctissimi in almâ urbe pœnitentiariùs, tom. 1, disp. 3, art. 30, ita mentem suam explicat : *Confessarius quicumque absolvere potest pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relictâ suâ opinione probabiliori, sive opinio, quam sequitur pœnitens, sit in materiâ justitiæ, sive non.* Item : *Quicumque alius consultus extra confessionem, licitè potest probabilem opinionem in omni materiâ amplecti, ac etiam aliis consulere, relictâ probabiliori.*

Joannes Ildephonsus Baptista, in suis Commentariis ab ordine universo approbatis, dicit tom. 3 de Consc., disp. 208, dub. 7, num. 640 : *Non semper est eligenda necessariò tutior sententia, sed potest elegi sententia verè probabilis, etiamsi minùs tuta.* Et num. 642 : Probatur : nam ex contrariâ sententiâ sequuntur multa intolerabilia et absurda.

Joannes Nider theologus insignis, Academiæ Viennensis rector, ad concilium Basileense, dein in Bohemiam legatus missus, qui anno 1438 diem extremum obiit, in Consolatorio timoratæ conscientiæ, 3 p., c. 11, hæc refert : *Item reperi in libris veteribus nostri Prædicatorum ordinis responsa plura quæ data esse videntur à domino Alberto* (scilicet B. Alberto Magno) *eo adhuc vivente, quæ sic sonant : Item dicit idem quòd frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus magni doctoris opinionem sequatur.* In eamdem sententiam post Niderum velut ex Alberti Magni ore totidem verbis loquitur D. Antoninus, 1 p., tit. 3, c. 10, § 10, doctr. 5. Quis, quæso, lectis his testimoniis authenticis non illicò secum statuet Probabilismum, quem olim et nunc defendunt plurimi è societate cum tot aliis gravissimis doctoribus omnis ordinis, velut ovum ovo simillimum esse illi (si laxiora aliqua excipias) quem antiqui et præclari Thomistæ isti palam docuerunt ac propugnârunt? Ipsius fatetur adversarius pag. 171, ad finem : « Auctoritas scholæ Angelicæ, « sicut et mens D. Thomæ pensanda est à Sen-et-Sa- « nioribus (intellige Thomistis) ac ad tempora D. Tho- « mæ vicinioribus. » Hi autem quorum mentionem feci, sunt Sen-et-Saniores vicinioresque et ipso et Concinâ, et aliis, ævo doctoris Angelici. Miror tamen promptum hominis ingenium, dum levissimo brachio objectam sibi à Cl. P. Pery, doctore Salisburgensi, ex illustr. ordine S. Benedicti, tantam totque gravium et antiquorum Thomistarum auctoritatem hâc ratione dissolvit. Primò ait : *Alii verò solùm volunt licitum esse sequi opinionem minùs probabilem ex motivo intrinseco, quando per motivum extrinsecum seu adventitiâ auctoritate fit probabilior, et certa moraliter*, etc. Secundò, *quòd si tamen aliqui sint, qui reverà docuissent* (adhuc dubitat) *licitam esse sequelam sententiæ minùs probabilis, ii solùm juniores essent et moderni, qui tantùm Summæ D. Thomæ principaliter intenti non attenderunt ea quæ S. doctor scripsit in Quodlibetis, ubi hanc quæstionem tractat, et in favorem nostræ sententiæ satis clarè resolvit.* Verùm quod attinet ad primum, sanè nullum apparet vestigium in iis quos paulò ante produxi, auctoribus Thomistis, quod ullâ ratione distinguant inter opinionem probabilem ex motivo intrinseco, et probabiliorem ac moraliter certam ex motivo extrinseco adventitiæ auctoritatis ; sed simpliciter ac cordatè affirmant : *Posse licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore ; confessarium posse, imò debere absolvere illum qui sequitur opinionem probabilem, relictâ suâ probabiliore.* Dein, quid si concurrant duæ opiniones, quarum una ex motivo intrinseco videatur probabilior, altera verò minùs probabilis ex motivo extrinseco, ita tamen ut pro hâc adventitia auctoritas multò major stet, quàm pro priore, uti non rarò contingit, an tunc utraque erit probabilior et moraliter certa, illa propter motivum intrinsecum, ista propter extrinsecum ? quid tunc licebit agere ? Porrò, si quis neget posse adventitiam auctoritatem istam reddere sententiam minùs probabilem probabiliorem et moraliter certam, adhibendo ipsius effatum n. 10 citatum, scilicet : *Complures sequuntur unum, sicuti aves unam volantem sequuntur aliæ*, etc. Profecto Bannez citat Medinam, Martinez Bannesium et Thomistas, et sic de reliquis. Quid respondebit adversarius ? Demùm quid si hoc argumento utantur Probabilistæ, asserendo sententiam quæ docet licitum esse sequi opinionem minùs, verè tamen probabilem, relictâ probabiliore, esse ex motivo extrinseco seu adventitiâ auctoritate probabiliorem et moraliter certam, quùm ex dictis palam sit, quantus torrens, et quidem ex antiquioribus et recentioribus theologis et Casuistis, præcipuè Thomistis, sese opponat Probabilioristis ? quâ ratione hunc torrentem superabit ? Pergamus ad secundum ; aio Præsentatum vel ignorare, quid tam graves et domestici auctores doceant ac sentiant hoc in negotio, vel sibimet ipsi contradicere, vel planè nescire quid scribat. Num enim juniorum et modernorum, nec in D. Thomâ satis versatorum Thomistarum catalogo accensebit Medinam, Ledesmam, Bannesium, Alvarezium, Martinesium, Candidum, Ildephonsum Baptistam, etc., scholæ suæ heroes ? Ad quam auctorum classem ipse pertinebit, si recensiti ad juniores, modernos, minùs in S. Thomâ versatos pertinent ? Certè non memini me legisse in ullo auctore tam cla-

ris expressam characteribus Probabilismi doctrinam, quàm in istis paulò ante laudatis Thomistis. Hos opto, ut probè inspiciat Præsentatus, quàm oculatus in aliis, tam cæcus in suis. Si ergo lolium est in agro Domini doctrina probabilitatis, crevit istud in hortis domesticis ; si pestis morum, afflati fuerunt hâc peste recentiores ab antiquis Thomistis. Ecce ! aves volantes, quas duces stipato agmine secutæ sunt tot aliæ. Ecce ! *novellos Casuistas, laxiores ethices inventores, mulos se invicem scabentes*, ne quidem nomine theologorum dignos, si quæ fides adhibenda est Paschali, Wendrochio, Concinæ, auctori Theologiæ Thomisticæ.

§ 2. *Appendix de Tutiorismo.*

XII. Non est animus mihi hoc in loco examini subjicêre famosam illam quæstionem, *num in dubio semper eligendum sit id quod tutius est*, quamvis non desint nostris etiam temporibus, qui non quidem apertè, tecta tamen fronte Tutiorismum è cineribus suis resuscitare cupiunt, quoniam collapsæ veteris disciplinæ ecclesiasticæ defensores reformatoresque orbis christiani volunt videri. Quæstio hæc satis superque enucleata passim occurrit apud theologiæ moralis scriptores, negantes obstringi nos præcepto ad tutiorem semper partem in dubio eligendam. Ad quid enim innumeræ quæstiones, quas in dubiis rebus episcopi aliique antistites ex omnibus mundi plagis Romam velut ad oraculum Delphicum miserunt mittuntque à summis pontificibus decidendas? Ad quid tot responsa pontificum, ex quibus utrisque maximâ sui parte corpus juris canonici coaluit? Ad quid tot libri, quos jurisconsulti, quos theologiæ moralis doctores ad enodandos conscientiæ casus in lucem ediderunt? Annon uno omnes hi nodi gordii gladio potuissent dissolvi, nimirùm, in dubio semper id quod tutius est, esse tenendum? et quis est vel parùm litteratus, simulque adeò ignorans, cui non statim primâ fronte occurrat, si in utramque partem dubitare incipiat, quidnam tutius sit? Missâ igitur hâc quæstione generali, illum duntaxat Tutiorismum hic expendam, quem profitetur Præsentatus in conclusione quæstionis 4, in quâ docet : *Quando in materiâ morali, quæ subest periculo peccati, occurrunt duæ sententiæ æquè probabiles, tutior semper est eligenda.* Quod ut obtineat, refellere conatur adversæ partis principium, nempe libertatem esse in possessione, quando lex est dubia, nec satis nota vel promulgata, quemadmodùm contingit, ubi occurrunt duæ sententiæ æquè probabiles, quodque principium desumunt ex illâ juris regulâ : *In pari causâ melior est conditio possidentis.* Atque ita, quùm par sit causa in præsenti negotio, et legis contra libertatem, et libertatis contra legem pugnantis, libertatem è possessione suâ deturbari non posse. Concedit quidem adversarius hanc juris regulam locum habere in materiâ justitiæ, neutiquàm verò in aliarum virtutum materiis. Hoc ut more suo solidissimè probet, ita ratiocinatur : « In « materiâ justitiæ possessio favet possessori, in quan« tum facit præsumptionem veritatis, videlicet quòd « possessor sit verus dominus, quia his præcipuè li« giosis temporibus, in quibus etiam veri domini tur« bationes iniquorum vix effugiunt, verè et jure qui« libet præsumitur verus dominus, qui probare potest « se præscripto diuturno tempore pacificè possessorem « et dominum fuisse ; at verò in materiâ aliarum vir« tutum, cùm possessio non faciat regulariter præ« sumptionem de *veritate* pro parte quæ possidet, pos« sessio ei minimè favere debet, sed in dubiis in tali « materiâ occurrentibus regula operandi est inquirere « pro quâ parte stet præsumptio *veritatis*, et hæc pars « est eligenda ; si autem pro neutrâ parte stet præ« sumptio, tutior pars eligi debet, etc. » Ita Præsentatus. Sed huic parùm felici ratiocinio aliud, ut arbitror, solidius oppono : In materiâ justitiæ possessio in dubio favet possessori, in quantum facit præsumptionem veritatis, videlicet quòd possessor sit verus dominus. Ita est. Igitur in materiâ aliarum quoque virtutum possessio in dubio legis favebit libero hominis arbitrio tanquàm possessori suæ libertatis, in quantum facit præsumptionem veritatis, videlicet, quòd liberum arbitrium sit verus suæ libertatis dominus, donec ipsi probetur satis clarè legem existere ac proximè obligare, quum ipsum in tot opinionum variarum conflictu probare possit, se non obstringi legibus, quæ non sufficienter notæ ac promulgatæ sibi sunt, atque ita illarum ignorantiâ laboret, quam nec ratione nec auctoritate potest vincere, quùm ponantur duæ quædam sententiæ in utramque partem æquè probabiles. Verum quidem est quòd in materiâ aliarum virtutum, quando æqualis est probabilitas, possessio quâ gaudet liberum arbitrium, non faciat regulariter, uti ait adversarius, præsumptionem *de veritate* hujus vel illius opinionis probabilis, de quâ re nulla prudens quæstio potest institui ; benè tamen facit præsumptionem *de licentiâ* sequendi hanc vel illam opinionem verè probabilem, quùm Deus non præsumatur, quòd velit hominem liberum obligare ad observandas leges ipsi non satis notas, sed bonâ fide ignoratas, num verè existant, et à Deo latæ sint, ac proximè obligent. Unde patet Præsentatum manifestè hæc duo confundere : libertatem esse *in possessione licentiæ*, seu quòd liceat inter duas opiniones æquè probabiles amplecti, quam quis velit, et libertatem esse *in possessione veritatis*, seu quòd vera sit illa opinio quam ex his duabus amplectitur. Quippe ad hoc, ut licitè quis agat, non requiritur judicium de veritate opinionis, sed judicium seu dictamen practicum et ultimum de licentiâ actionis secundùm hanc vel illam opinionem, et in his vel illis circumstantiis. Ut autem ulteriùs demonstrem solidum esse principium quo nituntur Probabilistæ asserentes in dubio, libertatem esse in possessione, e in pari causâ meliorem esse conditionem possidentis nôsse oportet, in materiâ justitiæ jus illud rem bonâ fide legitimo tempore possessam retinendi, donec evincatur, non esse fundatum in ipsâ justitiæ naturâ, neque huic materiæ adhærere tanquàm peculiarem prærogativam ; sed tota illius vis ac virtus provenit ex ignorantiâ invincibili, quæ in genere morum semper a peccato excusat. Nam si omnibus ritè perpensis, et

utrumque discussis prudens judicium ferre nequis, rem esse alienam, laboras ignorantiâ invincibili legis obligantis ad hoc, ut rem bonâ fide hucusque retentam alteri cedas, ad quem an reipsà pertineat, dubium est. Hæc ipsa ratio manifestè in aliarum quoque virtutum materiis reperitur; v. g., in materiâ obedientiæ, ubi subditus militare potest ita jubente rege etiam sacrilego, si certum non sit bellum esse iniquum, uti habetur in cap. *Quid culpatur*, causâ 23, q. 1, ex S. Aug., cujus verba sub finem citantur : Vel *utrùm sit* (contra præceptum Dei) *certum non est, ita ut fortassè reum faciat regem iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Numquid tutius foret non servire? item in materiâ religionis : ità verè dubius de voto emisso non tenetur illud implere, quia libertas est in possessione quæ secundùm regulam 122, ff. de Reg. juris, omnibus rebus favorabilior est. Numquid tutius foret promissum executioni dare? Rursùs in materiâ fidelitatis : quippe in dubio, an matrimonium valeat, tenetur conjux reddere debitum, quoniam pro altero conjuge bonâ fide petente debitum stat possessio, quemadmodùm colligitur ex cap. Inquisit. de Sent. Excom.; numquid tutius foret negare debitum? Ecce! in his aliisque cæterarum virtutum exemplis jus quod bonæ fidei possessio aut quasipossessio ad licitè agendum tribuit, fundatum in ignorantiâ invincibili, non minùs quàm in materiâ justitiæ. Cur igitur præ istâ in illis peccatum aut peccandi periculum erit timendum? Dicere ausim : ab hoc si possessorem bonæ fidei absolvat inculpata et innocens possessio, majori jure alios in actionibus ad alias virtutes pertinentibus possessione istâ tueri se posse, et à crimine absolvi; siquidem in materiâ justitiæ non solùm agitur de peccato, sed etiam de damno proximi vitando, ex. gr., quando bonâ fide possideo prædium quod fortassis reipsà ad Titium pertinet; in materiâ verò cæterarum virtutum tantùm agitur plerùmque de vitando peccato, quod non est cum ullo proximi damno conjunctum : v. gr., quando agitur de obedientiâ superiori exhibendâ, de voto implendo, de jejunio observando. Ex hoc ita licet argumentari : si hæc regula : *Melior est conditio possidentis*, reddit mihi licitam actionem minùs tutam minùsque à periculo peccandi remotam, licet damnum proximi sit timendum, multò magis reddet licitam actionem minùs tutam, etc., ubi nullum tale damnum sequitur. Itaque sive litem intentet voluntati virtus justitiæ, sive alia, si voluntatem tueatur bonæ fidei possessio, conscientia tanquàm judex litem dirimere poterit in suum favorem, judicio ex principiis extrinsecis ritè formato. Sed de hoc satis : non tamen frustra. Videtur enim latere sub hâc Præsentati, uti et Concinæ ac aliorum sententiâ circa opiniones æqualiter probabiles familiare quoddam artificium, quo tacitè Tutiorismum excitare conantur. Quando enim contendunt, debere nos sequi probabiliorem opinionem, quùm difficillimum sit invenire gradus majoris et minoris probabilitatis, posito semel quòd utraque opinio sit verè probabilis, reducetur res tota ad æqualem probabilitatem. Tum verò ratione et auctoritate satis gravi pro utrâque parte stante, quum juxta ipsorum doctrinam inter opiniones æqualiter probabiles teneamur sequi partem tutiorem, ferè semper et in omnibus dubiis oportebit eligere tutiorem viam; atque ita Tutiorismus et Rigorismus jam diù sepultus denuò in lucem protrahitur, id quod non adeò obscurè etiam illorum argumenta, responsa, et loquendi modus palam facere videntur.

## CAPUT III.

### EXAMEN EORUM CAPITUM QUÆ AFFERT ADVERSA PARS IN FAVOREM PROBABILIORISMI.

#### § 1. *Examen primum auctoritatis.*

XIII. Primam rationem promit adversarius in Concl. q. 3, pag. 160, ex auctoritate, et primò quidem S. Scripturæ, ex illâ formidabili voce Christi Matth. 7 : *Quàm arcta via et angusta porta est, quæ ducit ad vitam!* « Si autem liceat operari juxta opinionem minùs probabilem faventem libertati relictâ probabiliori, quæ favet legi, via cœli non arcta et difficilis, sed latissima et planissima erit, imò à novis Casuistis novas opiniones probabiles quotidiè in Ecclesiam inducentibus tantoperè dilatabitur et complanabitur, ut ferè nemo sit, qui cum suis usuris, ambitionibus, superfluitatibus, deliciis, etc., per eam commodè ambulare non possit. Concesso enim semel Probabilismo vix reperies actionem ullam pravam, quæ licita non sit, quæ non à recentioribus Casuistis licita asseratur, ut cuilibet vel minimùm versato in theologiâ morali constat, » etc. Ita Præsentatus. Multa hìc sunt quæ accuratiori examine indigent. Quæro itaque primò : Annon formidabili hâc voce uti possunt, et reipsâ utuntur contra probabiliorismum æquè ac Probabilismum pro sententiâ suâ extremè rigidâ, jubente sequi semper ac ubique tutiora, omnemque ignorantiam, etiam invincibilem damnante, Jansenistæ, eorumque asseclæ Montaltius, Wendrochius, etc., non semel nigro carbone notati? Annon opinio etiam probabilior favens libertati, relictâ tutiore quæ faveat legi, via cœli non arcta et difficilis, sed saltem plana et lata erit? Quæro secundò : Quosnam intelligat per novos et recentiores Casuistas? an nostros, an suos, an utrosque quos non ita pridem recensui? fortassis dùm hos omnes in numero novorum et recentiorum Casuistarum ponit, ipse inter antiquos doctores, et in choro theologorum classicorum sedem occupare conatur? Quæro tertiò, de quo Probabilismo loquatur, dùm dicit : *Eo semel concesso vix reperies actionem ullam pravam, quæ licita non sit, quæ non à recentioribus Casuistis licita asseratur.* An de Probabilismo vago, et qui tenui solùm probabilitate nititur, quæ speciem solùm aliquam probabilitatis præ se fert, neque nomen veræ ac theologicæ probabilitatis meretur? vel de Probabilismo, qui etiam in rationum conflictu fundamento comparativè gravi, auctoritate magnâ, ignorantiâ vinci nesciâ, totque doctorum summorum approbatione fretus non solum in scholis societatis, sed passim in præcipuis academiis è cathedra docetur? Si primùm, palam demonstrat adversarius malam fidem et cavillandi artem

dùm impugnat quod nemo theologorum hoc nomine dignorum, nemo doctorum è societate propugnat, aut unquàm propugnavit; si secundum, producat actiones illas pravas, quæ tanquàm licitæ à patronis genuini probabilismi defenduntur; fortassis producet eas, quas pag. 144 adscribit Tamburino et Escobario, sed quàm imperitè, quàm falsò id faciat, patebit postea. Quòd si una vel altera cuidam auctorum quos recentiores vocat, aliquando excidit, illicita primum facta est per sanctæ Sedis sententiam, nec postmodùm defensa fuit; à quâ humani ingenii fragilitate ne ipsi quidem Thomistæ, et viri doctrinâ summè conspicui unquàm immunes fuerunt. Certè non sequitur quòd illi qui propositiones aliquas defenderunt damnatas vagum ac noxium Probabilismum defenderint, sed eo tempore quo scripserunt, erant aliorum auctoritate munitæ ipsorum sententiæ et videbantur illis tunc temporis opiniones verè probabiles; post damnationem verò ista auctoritas et vera in speciem probabilitas omninò sublata fuit. Hoc si de nostris concedere non volet, concedet, opinor, saltem de suis. Neque fas est, ut nihil non tribuam adversario tam importuno, fas non est, inquam, ob unius alteriusve hâc in re peccatum ipsam, quam viri piissimi ac sapientissimi tenent, doctrinam universim traducere, tam parùm quàm propter unius aut alterius religiosi delictum totam spernere ac conviciis onerare religiosam communitatem. Cætera falsum est Probabilismum viam ad cœlum latissimam et planissimam sternere. Satis adhuc arcta erit, si quis omnia mandata Dei et præcepta, de quorum existentiâ et obligatione sibi satis constat, ita ut ignorantiam invincibilem prætendere nequeat, bonâ fide ac sincerâ mente observet. Deus bone! ad quam multa quamque naturæ corruptæ adversantia certò nos obligat vel solum illud magnum mandatum diligendi Deum propter se, et proximum propter Deum! neque tam lata esse via potest, quæ tot sepibus, quot cautelis, quas genuini Probabilistæ præscribunt, undique cingitur. Quòd si nihilominùs hæc Probabilismi via latissima et planissima adversario huic videatur, sciat nos in eâ duces sequi, ut nil de aliis dicam, præcipuos maximique nominis theologos Thomistas; currat ipse viam quamcumque voluerit: nemo morabitur.

XIV. Secundo loco affert Præsentatus SS. Patrum, nominatim D. Chrysostomi ac melliflui doctoris Bernardi sententias. Prior homil. 44 inquit: *Si vestimentum empturus unum gyras negotiatorem, et alterum, et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori, ab illo comparas, annon oportet populum circuire doctores, et inquirere ubi sincerè veritas Christi venumdatur, et ubi corrupta, et veriorem eligere, plusquàm vestimentum?* quibus verbis, pergit adversarius, apertè docet Chrysostomus quòd sicut ex præcepto prudentiæ tenemur emere vestes meliores, ita et eligere veriorem ac probabiliorem sententiam. Posterior verò, l. de Præcept. et Disp. c. 14, ait ad bonam electionem duo requiri, nempe charitatem in intentione, et veritatem in electione: *Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, et nescio quemadmodùm judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas.* Sed qui eligit opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris, non habet in electione veritatem, quùm non eligat id quod sibi videtur probabilius et verius etc. Verùm ut ad utramque hanc sententiam breviter respondeam, ad primam aio, etiam Probabilistas cum D. Chrysostomo jubere populum circumire doctores, et inquirere ubi sincerè veritas Christi venumdatur, non corrupta, qualis certè non est vera probabilitas: imò hortari vel maximè fideles ut accedant non leviter tinctos, et in morum doctrinâ exleges, sed viros verè doctos et probos, à quibus consilia petant, aut quibus conscientiam suam salutisque negotium credant. Interea tamen veriorem, id est, probabiliorem, uti et tutiorem sententiam eligere non est præcepti, sed consilii. Quis enim imprudentiæ arguat illum, qui ob rationabilem causam vitandi damni vel incommodi, sæpè magni, aut etiam ut libertate suâ utatur, vestes reipsà bonas sibique accommodatas emat, relictis melioribus, præsertim ubi inter simpliciter bonas et meliores nequit facilè discernere. Ad alteram D. Bernardi doctrinam, existimo neque in nostrâ sententiâ deesse *charitatem in intentione*, quùm talem actionem neutiquàm quis poneret, si Deum offendi crederet, ac prohibitum sibi putaret sequi æquè vel minùs probabilem; nec *veritatem in electione*, dùm eligit eam partem quam veram, id est, verè probabilem judicat; multò minùs *cum falsitate simplicitatem* componit. *Simplex enim frater*, (ut colligitur apud Niderum ex responsis, quæ data esse videntur à B. Alberto) *vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus magni doctoris opinionem sequatur.* Miror sanè quòd tam levibus Patrum sententiis vestitus comparere audeat Præsentatus in Probabilioritatis theatro.

XV. Tertio loco adducit Præsentatus D. Thomam, quodlib. 8, num. 13, quærentem: *An ille qui habet plures præbendas, peccet, ex hoc ipso quòd opiniones magistrorum sint in contrarium?* ac respondentem: *Potest esse quòd in tali casu aliquis adhibeat diligentiam inquirens, an habere plures præbendas sit licitum, nec invenit aliquid quod eum moveat ad hoc quod sit illicitum; ergo videtur quòd sine peccato possit possidere plures præbendas.* Dein concludit: *Quòd si ille qui possidet plures præbendas, in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, et manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, et sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quàm propriam salutem.* Ita S. Doctor, è cujus verbis infert adversarius, eum qui sequitur opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris, non posse à peccato excusari. At quod mihi in hoc ipsius argumento probabilius videtur, est id quòd vel probabilismi doctrinam non satis intelligat, vel intelligere nolit. Aliud enim est opinari ac moveri ad judicandum quòd fortè subsit falsum illi opinioni, à quo periculo nec opinio probabilior est immunis; et aliud est opinari ac moveri ad judicandum quòd sit in hisce circumstantiis licitum opinionem hanc sequi

Rursùs aliud est dictamen speculativum, ut vocant, aliud practicum : illud circa veritatem opinionis versatur, et cum hoc plerùmque dubitatio remanet, etiam in opinione probabiliore ; istud autem circa licentiam actionis versatur, cum quo prudens saltem dubitatio neutiquam remanet, sed excludi potest ac debet. Licentia verò et honestas actionis non à primo, sed à secundo dictamine pendet, nempe practico et ultimo quod ex principiis reflexis oritur, scilicet, quòd lex prohibens non sit satis sibi nota et promulgata, quòd laboret ignorantiâ invincibili, quoniam pro se habet rationes verè ac theologicè probabiles. Quid jam rectè concludi potest ex hâc doctoris Angelici doctrinâ contra doctrinam Probabilismi ? S. Thomas docet periculo se committere, qui plures præbendas habet *manente tali dubitatione*, (utique practica) ; ergo non licet sequi opinionem minùs, verè tamen ac theologicè probabilem, *etiam non manente tali dubitatione*, quæ nimirùm per dictamen ultimum, practicum ac certum excluditur ? Ad dialecticæ tribunal appello. Meliùs ego sic infero : secundùm Angelicum, qui possidet plures præbendas, et in dubitationem quamdam inducitur ex contrarietate opinionum, manente tali dubitatione, periculo se committit et peccat ; igitur qui possidendo plures præbendas in dubitationem (intellige practicam) non inducitur, nec manet dubitatio, sed excluditur per dictamen ultimum, certum ac practicum, periculo se non committit, nec peccat. Quod quâ ratione fieri possit ac debeat, sequenti capite ostendam. Ad id, quod quarto loco profert adversarius, scilicet doctoris subtilis hâc de re sententiam, dicentis, 4 dist. 11, q. 6 : Cùm multis sit probabilior pars negativa ; non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minùs probabilem, brevissimè respondeo, et quæro : An legerit citatum è Scoto locum, vel non legerit ? Si non legit, et tamen audacter citat, rem facit adversario et theologo planè indignam ; si legit, à malâ fide excusari nequit. Ecce quæstionis, quam hoc in loco tractat doctor Subtilis, titulum : *Utrùm solus panis triticeus cum aquâ elementari coagulatus sit conveniens materia conversionis in corpus Christi ?* Tum proponit dubium de *amido*, specie quâdam panis triticei, de quo amido postea dicit videri quòd sit totaliter alterius speciei à pane triticeo, sicut acetum et agresta à vino ; et demùm concludit his verbis : Cùm dubium sit, an amidum sit hujusmodi materia (scilicet consecrationi apta), et pars negativa multùm sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio ; maximè ille qui præparat hostias consecrandas, quia sibi simpliciter est certum quòd de tali materiâ præparat. An autem Probabilismi doctrina asserit licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, quando agitur de valore sacramenti ? quid ergo ex hoc Scoti loco sequitur contra Probabilismi doctrinam ? annon potiùs apparet, textum Scoti fuisse penitùs corruptum, ut serviat libidini contradicendi ? Alia sunt omissa, alia adjecta ; quod Scotus asserit in singulari casu, asseritur generatim, uno verbo ita ut si doctor ubilis legeret, non inveniret se in seipso.

§ 2. *Examen secundum rationum diversarum.*

XVI. Secundam rationem petit Præsentatus à rationibus, quarum prima hæc est : ut recta sit operatio, requiritur certitudo saltem moralis de ejus honestate, excludens moralem formidinem ; sed qui sequitur opinionem minùs probabilem faventem libertati in concursu probabilioris, quæ favet præcepto, v. gr., qui init contractum quem probabiliùs existimat usurarium esse, non habet talem certitudinem, ergo non rectè et honestè operatur. Hoc ulteriùs demonstrat ex eo capite, quòd operans secundùm opinionem minus probabilem non habeat illud indicium et dictamem præter istud : *probabilius et verisimilius est hanc actionem esse malam et illicitam*. Quis autem hoc dictamine de licentiâ et honestate actionis suæ certus reddi poterit ? Quare omninò fallit fundamentum probabilistarum, cui nituntur, scilicet, quòd sequens sententiam minùs probabilem prudenter agat. Hoc enim nec ex Scripturâ, nec ex Patribus, nec ex ratione, neque auctoritate gravium theologorum certum est. Verùm modicam inesse vim ac vix ullum robur huic probationi, solidè ostendam postea, ubi fundamenta probabilismi proferam in medium, in quibus palàm fient plura dictamina prudentiæ legibus omninò conformia, quibus operans cum opinione æquè vel minùs probabili dubium omne practicum excludere possit, seque ipsum de licentiâ et honestate actionis certum ac securum reddere. Interea si cuncta concedamus adversarii conatibus, id solum inferre forsan licebit, eum qui sententiam probabiliorem sequitur, relictâ minùs probabili, prudentiùs agere, ita tamen, ut ille qui verè probabilem amplectitur, relictâ probabiliore, adhuc verè prudenter operetur ; quemadmodùm qui tutiora ubique sectatur, prudentissimè agit. Habet enim suos quoque gradus prudentia, *prudenter, prudentiùs et prudentissimè*, uti notum est grammaticis. Theologi autem non quærunt, an prudentiùs quis agat in hoc rerum articulo, vel solùm prudenter, sed num obligatio detur agendi semper prudentiùs in genere morum. Hanc autem obligationem, sicuti alteram tutiora ubique sectandi, neque Præsentatus ex Scripturâ, nec ex Patribus, neque ex ratione, neque ex auctoritate unquàm solidè probabit. Illud autem omninò falsum est, quod de judicio ac dictamine ultimo, quod certum esse debere apud omnes in confesso est, malâ fide addit, ac si nostrâ in sententiâ hunc sensum faceret : *probabilius ac verosimilius est hanc actionem esse malam et illicitam*, ex quo postmodùm hanc conclusionem inferat : *ergo certus sum de licentiâ et honestate actionis*. Certè hoc nemo præterquàm imperitus assereret, aut qui distinguere nescit inter dictamen speculativum et practicum, quod ultimum in conflictu etiam opinionis probabilioris cum æquè vel minùs probabili ob legem non satis notam et promulgatam, ortamque inde ignorantiam invincibilem à malitiâ et inhonestate absolvit. Legat et relegat dictamina paulò post afferenda, ne umbram quidem mentiti ac stupidi sensûs hujus deprehendet.

XVII. Pergamus ad alteram adversarii probationem. Damnata est, inquit, hæc propositio ab Innoc. XI

*Generatim dum probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, prudenter agimus.* Ergo à fortiori non licebit operari juxta opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliori. Nec valet, ait, si dicas, opinionem minùs probabilem non esse tenuiter probabilem, sicut illam de quâ loquitur propositio damnata, quia quis erit ille, qui generali quâdam regulâ declaret, quandò probabilitas sit adeò tenuis, ut non sufficiat, et quando sufficiat ad licitè operandum, etc. Ita est; neutiquàm nos latet propositio damnata quam et nos damnamus. Sed quid hæc ad rem præsentem? tota genuini Probabilismi doctrina versatur circa probabilitatem veram, id est, solidè et seu à ratione seu ab auctoritate comparativè gravi fundamento nixam. Hanc num tenuem dicamus? esto, stet major ratio vel auctoritas pro unâ opinione, minor pro alterâ opposita; utraque verè magna dignaque prudenti assensu esse potest. Nolit velit, concedere hoc mihi debebit adversarius. Numquid enim major est in scholis auctoritas div. Thomæ, et minor aliquantùm S. Bonaventuræ? dicamus, etiam multò major quàm Scoti: non, credo, negabit ipse. An autem propterea doctoris Seraphici ac subtilis auctoritatem aut verè magnam esse inficiabitur, aut tenuem solùm appellabit? Non faciet id, credo, nisi à totâ scholâ Seraphico-Scotisticâ juridicè vapulare velit. Si fas est credere quod ipse asserit, pag. 158, doctor Angelicus in 4, dist. 17, q. 3, art. 1, q. 4, docet hominem peccati lethalis reum non teneri statim post admissum crimen pœnitentiæ sacramento conscientiam mundare: quod probabilius esse censet, dum opinionem contrariam nimis duram appellat. Contra S. Bonaventura in 4, dist. 7, art. 4, in 2 part. quæst. 3, existimat (meliùs dixisset dist. 17, art. 2, q. 2, existimare videtur) statim ejusmodi peccatum Ecclesiæ clavibus esse subjiciendum: uterque probat suam sententiam. Num hìc rationes D. Bonaventuræ in concursu rationum quas affert S. Thomas, non verè graves, nec verè probabiles, neque prudenti assensu dignas, sed tenues et contemnendas esse contendet? Sed urget adversarius: quis erit ille qui generali quâdam regulâ declaret quando probabilitas sit adeò tenuis, ut non sufficiat, et quando sufficiat ad licitè operandum, etc? Desiderarem et ego ut generâli quâdam regulâ nobis declaret quando probabilitas major tanta sit, ut æqualem aut veram probabilitatem excedat, sufficiatque ut relictâ tutiore illam sequi liceat in operando; nam si æqualem non superaret, semper tutior ipso judice eligenda erit, quemadmodùm quæst. 4, pag. 175, statuit his verbis: *Quando in morali materiâ quæ subest periculo peccati, occurrunt duæ sententiæ æquè probabiles, tutior semper est eligenda.* Dein, quam securitatem præstabit conscientiæ, quòd reverà probabilior sit opinio quam amplectitur, nec sit æquè vel minùs probabilis? quàm proclive est in negotio libertatis contra legem tuendæ, ut quis probabilius credat id quod libertati favet? quàm difficile inter gradus probabilitatis, ut ita dicam, in lineâ ascendente ac descendente verum discrimen invenire? quàm pronum spectatâ ingenii nostri mobilitate, ac persuasionum tantâ, quantâ gustuum varietate, ut quod hodiè probabilius, cras minùs probabile appareat? Profectò hâc viâ quam init adversarius, dùm unâ ex parte admittit relinqui posse tutiorem opinionem tunc solùm quando probabilior est opposita; ex alterâ verò, si æquè solùm minùs probabilis est, semper quod tutius est sit sequendum, in plurimas anxietates, scrupulos et angustias conjiciet fideles, ita ut ubique tutiorem partem amplecti cogantur, nisi contraria certò ac clarè multùm probabilior, atque adeò vix non probabilissima ipsis videatur. Ne verò quæstionem quam movet de regulâ generali circa tenuem probabilitatem statuendâ, intactam relinquere argui possim, aio illam opinionem tenuiter duntaxat probabilem esse censendam, et sub propositione damnatâ comprehendi, quam unus vel alter solùm auctor non magni nominis contra multos classicos defendit, utiturque ratione unâ vel pluribus, quarum robur meritò suspectum est, quæque facilè solvi possent, et contrariis rationibus enervari.

XVIII. Tertia, quam adducit loc. cit., probatio est hæc: Præcepto naturali obligatur homo rationalis ad inquirendam veritatem, quantùm potest; id enim exprimitur Eccles. 12: *Ante omnia verbum verax præcedat te.* Et docetur ab Aristotele 1 Ethic. c. 4: *Veritatem debemus inquirere et sequi, quantùm possumus.* Et nil frequentius nobis inculcant SS. Patres, quàm ut cum Psalte regio Deum rogemus pro veritate, dicendo: *Veritatem tuam doce me in viâ tuâ, et ingrediar in veritate tuâ;* sed ille qui sequitur sententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, hoc ipso quòd sciat veritatem solùm latere in unâ propositione ex duabus contradictoriis, et quòd sententia probabilior ei appareat magis accedere ad veritatem, sequendo minùs probabilem non accedit ad veritatem, quantùm potest, et subinde hoc præceptum non adimplet; ergo, etc. Huc pertinet quod adjungit in probatione ultimâ pag. 168, insigne epiphonema: *Si Casuistas recentiores audiamus, qui omnia purè probabilia existimant tuta, prorsùs immutandæ erunt Christianæ preces, nec jam ampliùs cum Davide orandum erit, veritatem tuam, sed probabilitatem tuam doce, ut rectè inquit Wendrochius.* Verùm hæc ratio, si quid probat, nimiùm probat. Quis enim meliùs veritatem inquirit, quantùm potest, eamque sequitur, quàm ille qui se ab errandi periculo quàm longissimè removet? Quis autem ita se removet ab hoc periculo, quàm qui neque probabilem, neque probabiliorem, sed tutiorem viam sequitur? Igitur relictâ et probabili et probabiliore, sed minùs tutâ sententiâ, *ubique ac semper tutiorem* oportebit amplecti. Tantùm verò tamque grave onus nec ipse adversarius seu nostris seu suis humeris audet imponere; saltem palàm hoc velle videri non vult. Quod autem vera probabilitas in rebus ad mores pertinentibus non sit *verbum verax* quod non sit *veritas*, sed hæc prærogativa majori duntaxat probabilitati debeatur, neque Ecclesiasticus, c. 37, v. 20, neque Psaltes regius, neque SS. Patres nos docent. Si benè distingueret Præsentatus, meliùs do-

ceret. Quippe alia est veritas in opinando, alia in agendo. Quod qui probabiliori adhæret sententiæ, veritatem in opinando, quantùm potest, attingat, transmittere possumus ; quod autem qui verè, licet minùs probabilem opinionem sequitur, veritatem in agendo, quantùm debet ac sufficit, non attingat, omninò neganus. Est enim veritas in agendo nil aliud quàm licentia et honestas actionis, quam qui opinioni minùs, verè tamen probabili ereptum it, ipsum rei controversæ principium petit. De precibus christianis prorsùs immutandis Casuistæ recentiores parùm solliciti sunt : pace nostrâ Præsentatus, qui Casuista nec recentior, nec antiquior, sed tertia quædam species esse videtur, cum Wendrochio suo vel Jansenista vel sectæ huic valdè affini, pace, inquam, nostrâ preces illas mutare poterit, et loco veritatis ponere probabilioritatem, quamvis neque David orâsse legatur : *probabilioritatem* tuam, sed *veritatem* tuam doce me.

§ 3. *Examen tertium dictaminis ultimi.*

XIX. Probationem tertiam ex ratione morali, seu dictamine rationis ac prudentiæ, in theatrum producit: Prudentia dictat emendas esse vestes meliores, sumendam esse medicinam quam credimus esse salubriorem, eligendam esse viam quam arbitramur tutiorem, transeundum per pontem quem arbitramur meliorem : ergo à fortiori prudentia cuilibet suadere debet in materiâ morum probabiliores et tutiores vias sectari, et veriores eligere, plus quàm vestimentum, ut loquitur D. Chrysostomus, etc. Quàm noxium autem et periculosum sit viam ire probabilitatis, confirmet tragico exemplo Philippi Parisiensis cancellarii, qui, ut narrat Cantipratanus, et alii, Guillelmo episcopo Parisino post mortem spectandum se præbuisse fertur, et inter alias damnationis suæ causas hanc allegâsse : *Secunda est, quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, et in hoc me periculo mortalis culpæ commisi.* Et tamen, pergit adversarius, hæc sententia jam tunc temporis erat probabilis. Nam D. Thomas, qui eodem tempore vivebat et Cantipratani condiscipulus fuit, quodlib. 9, art. 15, ita scribit : *Inveniuntur de istâ quæstione* (an scilicet licitum sit habere plures præbendas) *theologi theologis, et juristæ juristis contraria sentire.* Ergo, concludit, periculum damnationis reperitur in sequendâ opinione minùs probabili et minùs tutâ in concursu probabilioris et tutioris. Ita nimirùm undique conquirit argumenta Præsentatus, etiam è vestiario, è pharmacopoliâ, è trivio, è pontibus, è visionibus. Interea nescit bonus vir, aut scire non vult, aliam esse ac longè disparem rationem, ubi agitur de periculo fortunarum, valetudinis et vitæ, cui parùm, imò nihil consulit opinio probabilis, vel etiam probabilior et probabilissima, quùm hæc damnum removere non possit. Nam eme vestes quas putas esse meliores, sume medicinam quam credis esse salubriorem, elige viam quam arbitraris tutiorem, transi per pontem meliorem ; si lateat in panno tinea, si medicina sit morbo infesta, si fortè viam insideant latrones, si pons casu ruat, quid juvabit te tua opinio probabilis, probabilior, probabilissima, imò etiam cum ignorantiâ invincibili conjuncta? non enim ab hâc pendet corporis salus, quemadmodùm animæ. Quippe negari non potest ab ullo, nisi omninò peregrinus sit in morum doctrinâ, bonam fidem et ignorantiam, non quidem crassam et affectatam, sed vinci nesciam, in multis hominem à peccato propriè tali excusare; secùs enim rudem, sed piam plebeculam ad orcum frequenter ablegare deberemus. Est hæc Dei erga miseros mortales benignitas, ut eos in illis de quibus certi esse non possunt, de voluntate divinâ, conscientiæ suæ persuasionibus, intra debitos tamèn cancellos constrictis, relinquat, erroresque etiam quandoque graves, modò innocentes sint, non solùm dissimulet, sed et liberaliter condonet; quin etiam non rarò jubeat ut conscientiam absque culpâ errantem sequantur, uti palam est ex iis quæ de conscientiâ invincibili ignorantiâ laborante tradunt auctores post damnatam ab Alexandro VIII propositionem inter 31 secundam : *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali.* Quid verò ad exemplum tragicum? Hoc nimirùm adhuc deerat ut adversarius fatalem damnationis æternæ sententiam in recentiores Casuistas ferret, omnesque Probabilistas, inter quos et morum sanctitate ac doctrinâ summè conspicuos omnis ordinis, et ipsa antiquiora illustrissimæ familiæ suæ lumina jure meritissimo recensendos esse palam jam feci, et faciam adhuc, ut Probabilistas, inquam, omnes ad orcum ablegaret, vel certè ablegandos minitaretur. Si enim cancellarius Parisiensis damnatus est, quia *contra sententiam plurimorum opinionem propriam* de unâ actione *quasi licitâ*, scilicet pluralitate beneficiorum retinendorum *defensavit*, multò magis in eamdem damnationem incident Probabilistæ omnes, quia *opinionem propriam*, ut ita dicam, *defensant* de generali licentiâ usûs opinionis probabilis. Quid si verò cancellario huic opinio propria de pluralitate beneficiorum, quæ jam tunc temporis, uti testatur Præsentatus, erat probabilis, visa fuisset probabilior, licet minùs tuta, quod facilè potuisset contingere, an opinio probabilior ipsum à gehennâ liberâsset? Væ Probabilioristis omnibus, nisi hoc fidenter asserant : hâc autem ratione, quùm inter verè ac theologicè probabilem et probabiliorem sententiam non adeò magnum intercedat discrimen, spem non modicam faciunt Probabilistis quoque emergendi ex orci faucibus. Cætera, si Philippus cancellarius episcopo Parisino damnatum se fassus est, id non contigisse aio propterea quòd opinionem verè probabilem secutus fuerit, sed quia non ignarus à plurimis pluralitatem beneficiorum reprobari, practicè dubitavit de verâ probabilitate opinionis suæ, eamque dubio remanente, et nec quidquam oblatrante conscientiâ in praxin deduxit, atque ita mortalis culpæ periculo se commisit, ac reipsà peccavit. Quippe in dubio practico, quamdiù non ritè deponitur, tutiorem partem amplecti oportere ipsi fatemur et docemus. Et hoc est quod clarissimis verbis tradit

doctor Angelicus, quem utique non latuerit funestus hic Philippi casus, qui eodem tempore quo D. Thomas Cantipratani condiscipulus vixit, accidisse fertur. Nam quodlibet 8, art. 13, inquit : *Si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, et sic procul dubio peccato, utpote magis amans beneficium temporale quàm propriam salutem.* Et statim subjungit: *Aut ex contrariis opinionibus* (ecce non distinguit inter probabiles et probabiliores) *in nullam dubitationem inducitur, et sic non committit se discrimini, nec peccat.* Quæ ultima verba in primâ suâ probatione dexterrimè dissimulavit adversarius. Quod autem in dubitationem practicam inciderit cancellarius, vir cæteroquin doctus, sed profligatæ vitæ, avaritiei et libidini deditus, facilè divinare potuisset Præsentatus, si Cantipratanum ipsum consuluisset lib. 1, c. 19, ubi refert quòd episcopus Parisiensis Guillelmus inviserit Philippum agonizantem in morte, rogaveritque eum ut singulari opinioni cederet : renuit ille, experiri se velle dicens, utrùm esset damnabile beneficia plura retinere ; et sic mortuus est. Quis non videt ex verbis istis cancellarium cum dubio practico, adeòque malâ fide plura beneficia retinuisse, utpote qui opinionis suæ sortem incerto et tristi experimento alterius vitæ commisit. Illud denique satis mirari non possum quòd post tam tragicum exemplum adhuc ausi sint Medina et alii doctissimi Thomistæ docere palàm licentiam in praxin deducendi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore, videntes supra se districtum æternæ damnationis gladium.

XX. Aliud exemplum, sed non feliciore successu in eâdem probatione tertiâ affert de Henrico IV, inclitæ memoriæ Galliarum rege, qui, quùm in colloquio inter doctores catholicos hæreticosque Calvini ministros celebrato, intellexisset è posteriorum sententiâ hominem piè ac rectè cæteroquin viventem in fide catholicâ salutem obtinere posse, è priorum verò constanti assertione extra veram fidem et catholicam Ecclesiam nemini viam ad cœlum patere, sapientissimè conclusit viri prudentis esse in salutis negotio tutiorem sequi, jeamque amplecti religionem in quâ utrorumque suffragio salus æterna consequi possit ; illam verò refugere, scilicet Calvinianam, in quâ partis alterius judicio nulla salutis spes foret. « Simili di- « scursu, ait, in præsenti materiâ uti licet ; siquidem « omnes etiam Probabilistæ docent sequelam sen- « tentiæ probabilioris faventis legi esse bonam, è « contra multi et graves doctores sequelam minùs « probabilis libertati faventis concurrente probabiliori « quæ favet legi, damnant, nonne viri prudentis erit « in salutis negotio, à quâ animarum salus ac æterna « pendet felicitas, sequi illud quod omnes approbant, « et id respuere quod plurimi damnant? » Verum prudentis adversarii fuisset quoque, ut priusquam exemplum hoc adduceret, sibimetipsi melius prospexisset, ne proprio se doctrinamque suam jugularet ferro. Nam liceat etiam mihi hâc uti ratiocinatione : omnes Probabilistæ atque etiam Probabilioristæ docent sequelam sententiæ tutioris esse bonam ; è contra multi graves auctores (scilicet qui purum Tutiorismum, saltem olim, profitebantur) sequelam et minùs probabilis et probabilioris libertati faventis concurente tutiore quæ favet legi, damnant : ergo viri prudentis erit in salutis negotio, etc., sequi illud quod omnes approbant, et id respuere quod saltem multi damnant. Omnes autem approbant tutiorem, multi damnant minùs tutam, licet probabiliorem, inire viam in salutis æternæ negotio : quâ igitur conscientiâ docet Adversarius *licitum esse sequi probabiliorem relictâ tutiori?* et quæst. 2 : *Hominem posse sequi probabilem, si factâ sufficienti diligentiâ alia probabilior non appareat?* Annon hìc quoque agitur de animarum salute ac æternâ felicitate, quâ in re nulla cautela potest esse nimia? Cur ergo non etiam ipse in hoc rerum articulo, imitatur sapientissimum Galliarum regem Henricum IV? Nimirùm regis hujus exemplum non benè præsenti quæstioni applicatur. Nam primò conveniunt omnes Catholici, docti indoctique, in eâ sententiâ, quòd sola fides catholica hominem salvum facere possit, hæcque sententia omninò certa est, et extra omnem dubitationem posita. Numquid autem omnes auctores conveniunt in eâ sententiâ, quòd non liceat sequi inter duas æquè probabiles opiniones, nisi tutiorem, vel inter probabiles probabiliorem, licet minùs tutam? Secundò, in priore sententiâ circa Ecclesiam catholicam omnes conveniunt, ita ut negent quemquam extra catholicam religionem consequi posse salutem, damnentque omnes quotquot illam non profitentur, saltem si de hæreticis *formalibus*, ut vocant, sermo sit (nam *materiales* dici possunt adhuc esse membra veræ Ecclesiæ). Nemo autem auctorum etiam rigidissimorum negat extra Tutiorismum aut Probabiliorismum quemquam posse cum verâ probabilitate salutem æternam obtinere, nisi fortè Præsentatus. Tertiò, vera religio non subjacet nostris persuasionibus et judiciis, eaque absque magno negotio à quovis homine salutis suæ studioso investigari ac certissimè deprehendi potest. At legum quarumdam divinarum existentia, et nascens inde obligatio etiam post longum et improbum studium, etiam hominibus doctis non innotescit, et ignorantiæ invincibili locum præbet, dùm in utramque partem pro et contra existentiam stant verè graves rationes magnaque auctoritas. Ad illud autem quod iterùm ex Wendrochio tantâ cum fiduciâ Præsentatus addit, Probabilismum esse juniorum Casuistarum inventum, nullumque in primitivâ Ecclesiâ exstare vestigium, atque ab omnibus Patribus ignoratum fuisse, respondeo brevissimè eamdem à Tutioristis dicam scribi posse Probabiliorismo. Producat enim ipse, si potest, è primitivâ Ecclesiâ et antiquis Patribus aliquem qui docuerit licere relictâ tutiore amplecti probabiliorem, licet minùs tutam. Bona fides et sancta simplicitas fidelium aureis illis Ecclesiæ seculis fuit præ omnibus argutiis nostris. Certè nullo non tempore, etiam Patrum antiquissimorum judicio, paucis repugnantibus, excusabat à peccato ignorantia vinci nescia, in quâ totam quoque veræ probabilitatis doctrinam fundari jam

nunc demonstratum eo, quamvis, ut verum fatear, sufficere posset vel solum argumentum, quod vocant negativum. Quippe nec adversarius facilè inficiabitur multarum legum divinarum *directarum* existentiam, etiamsi cum opinione verè probabili concurrat probabilior, non satis notam atque promulgatam esse : igitur totus rei præsentis cardo in eo vertitur, ut probet existere legem quamdam divinam *reflexam*, quæ obligationem nobis imponat in ejusmodi circumstantiis sequendi probabiliorem et leges tales directas, non satis, ut dixi, notas observandi, et quidem sub gravi peccato atque damnationis æternæ periculo. Inspiciat, obsecro, et legat doctorem suum Angelicum in ipsis quæ pro se allegat quodlibetis. Quodlib. 9, art. 15, ubi agit de pluribus præbendis, num eas habere sine dispensatione sit peccatum mortale ; sic ait : *Respondeo dicendum quòd omnis quæstio, in quâ de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto. Error verò, quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientiâ ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hâc quæstione accidit.* Quâ autem ratione Præsentatus hucusque legem quamdam reflexam prohibentem sequi minùs probabilem, ac præcipientem sequi probabiliorem existere, probaverit, vidimus : certè argumenta illius, quæ producit tum ex S. Scripturâ de viâ arctâ et portâ angustâ, tum è similitudinibus de ponte, de vestibus, de medicinâ, tum ex historiâ de cancellario Parisiensi, et Henrico IV Galliarum rege, etc., sanè levia sunt ; et si quam vim haberent, profectò *ubique et semper tutiorem* sequi oporteret sententiam, atque ita plusquàm ipse velit, aut saltem videri vult, id est, nimiùm probarent.

## CAPUT IV.

### ANIMADVERSIONES THEOLOGICÆ.

### § 1. *Prima de auctoritate tanquàm basi.*

XXI. Constans est assertio Probabilistarum fas esse in materiâ circa licentiam actionis alicujus duntaxat versante sequi opinionem verè ac comparativè, ut aiunt, probabilem, licet minùs tutam, seu sit æquè probabilis ac opposita, seu etiam minùs probabilis esse videatur, paucis casibus exceptis, in quibus obstant propositiones singulares à summis pontificibus damnatæ, vel alia eorumdem decreta. Atque assertio hæc maximo in celeberrimis academiis et scholis doctorum consensu est quasi civitate donata, et auctoritate virorum eruditione, ingenio ac dignitate clarissimorum munita, rationumque validissimis momentis stabilita. Ex academiis, quoniam clarissima illarum lumina benignæ huic sententiæ, genuinè acceptæ, suffragium ferentia jam capite secundo, § 1 et 2 produxi, sola hìc sufficiat academiarum parens ac facilè princeps Sorbona. In hâc pridem Isambertus, celebre nomen, docuit, in 1-2, q. 19, disp. 9, a. 4 : *Quando circa honestatem vel obligationem operis alicujus sunt utrinque opiniones probabiles, quarum tamen altera est probabilior, potest voluntas in operando sequi probabilem, relictâ etiam probabiliore.* Gammachæus, in 1-2, q. 19 de Actibus, pag. 155 : *Non tenemur in foro conscientiæ sequi probabiliorem partem, sed satis est, si absolutè sequamur probabilem, quæ peritis et doctis placeat, donec Ecclesia contrarium statuerit, aut prima illa opinio è scholis theologorum omninò explosa fuerit.* Duvallius, tract. de Act. hum. q. 4, a. 12, iisdem ferè verbis : *Non tenemur in foro conscientiæ sequi probabiliorem partem, sed satis est, si absolutè sequamur probabilem, quæ peritis et doctis placeat, licet quibusdam similiter doctis displiceat.* His adjungo Baillium doctorem et propœnitentiarum Parisiensem, pietatis et eruditionis famâ celebrem, in Tripli Examine, qui Exam. 3, in Præfatione, acriter invehitur in illos qui tam propudiosè scribunt contra benignæ sententiæ patronos, et licet ipse non admittat minùs probabilem in opinionibus contradictoriè oppositis, disertè tamen ait, quæst. 13 : *Non tamen propterea existimo illum viam tutam non sequi, qui regitur opinione probabili, etiamsi forsan benignior sit, quia via tuta est : quâ peccatum vitatur ut verè vitatur opinione quâcumque probabili, vel etiam minùs probabili, si tamen probabilis sit.* Nihil sanè tantorum virorum testimonio clarius, nihil pro doctrinâ Probabilismi honorificentius. Illud solum hìc observo, quòd imperiti quidam Probabilioristæ ferè totam in castris suis militare antiquitatem non minùs audacter quàm falsò etiam jactitent, atque idcircò benignæ doctrinæ patronos passim recentiores Casuistas, ipsam verò doctrinam *novellam* ac *novitiam* per contemptum appellent. Scire vellem quinam ex auctoribus antiquorum, et quinam recentiorum nomine ipsis veniant. D. Thomas opusc. 22, c. 2, vocat Guillelmum de Antisiodoro et Guillelmum Parisiensem *antiquos et famosos magistros*. Constat autem ex Bellarmini calculo Guillelmos istos doctrinæ laude floruisse circa annum 1240 ; Angelicum verò diem obiisse anno 1274. Itaque secundùm D. Thomæ mentem sufficere potest ad antiquitatem doctorum præstantium triginta et ampliùs annorum spatium. Si autem hoc ita est, plurimi eorum, etiam Thomistarum, quos adduxi, quique apertè Probabilismo favent, erunt nunc antiqui et antiquorum numerum augebunt. Sed angusti nimiùm fines fortè videntur, quos antiquitati ponit S. Thomas : laxiores statuunt alii, et perantiquos in negotio nostro intelligendos putant, vel qui Medinam vitâ functum anno 1581 præcesserunt, atque ita annorum ferè ducentorum ; vel qui calamum pro doctrinâ probabilitatis strinxêre, priusquàm ea publicè oppugnari cœpta est, quod vix non primâ vice, ut alibi dixisse me memini, à Jansenii asseclis factum est circa annum 1650, à quo tempore fluxerunt anni plusquàm centum. Jam verò si priorem amplecti opinionem placeat, testatur Vasquez cap. 2, § 1, num. 9, à me citatus, benignam sententiam ante tempora Medinæ in scholis fuisse communem, si verò posteriorem, erunt non pauci auctores, præsertim Thomistæ, è plusquàm ducentis

quos laudatus Rasslerus cum Platellio et Lacroix, atque aliis enumerat, modò antiqui. Nam, ut auctor ille fatetur, post Medinam, imò post dominicum Sotum Medinâ antiquiorem, scriptores plerique qui per integrum seculum et ultra hanc quæstionem attigerunt, benigniorem hâc in parte sententiam sunt amplexi. Quòd si Probabilioristæ his omnibus adhuc antiquiores è suis partibus stare jactitent, prodant illos nobis, si possunt. Certè constat, ante Soti et Medinæ ævum quæstionem hanc in scholis non admodùm controversam fuisse, neque ad apices Scholasticos examinatam, uti postea factum est. Plerique enim antiquitùs contenti erant, quid in particularibus casibus liceat, quid non liceat, ostendere, parùm solliciti de generalibus quibusdam regulis, et recti normâ universim statuendâ. Quapropter non indignè ferant adversarii, si jure retorsionis encomium, quo tot alios exornant, scilicet recentium et novellorum Casuistarum, in ipsos cum fœnore redeat, qui verè antiquam et in scholis receptam probabilitatis doctrinam tantâ cum ferociâ impugnant, et quidem novo ac *novitio* pugnandi genere, nec ad ea usque tempora in scholis usitato, nempe dicteriis, cavillis, probris ac conviciis. Ad argumenta nunc transeo, quibus Probabilistarum sententia firmatur.

### § 2. *Secunda animadversio de defectu obligationis.*

XXII. Frustra obligatio asseritur, ubi nulla lex obligans potest exhiberi. Est enim obligatio filia legis : hæc si desit, libertas è possessione suâ dejici nequit quocumque in foro, seu sacro seu profano ; quin imò ipsa tunc libertas sua sibi lex esse potest, et agendi norma. Quare si obligaremur sequi sententiam probabiliorem in opinionum conflictu, aut prohiberemur amplecti æquè vel minùs probabilem ac tutam, oporteret sanè, ut adversa pars ejusmodi legem vel præcipientem vel prohibentem palam faceret, et quidem claram ac minimè dubiam, contra quam libertas coram conscientiæ tribunali excipere nequeat. Quænam ergo lex exhibetur ? num *positiva*, ut vocant, vel *naturalis* ? Positiva seu divina seu humana in hanc usque diem nulla omninò post tam acre studium, tot annorum indaginem et pertinacissimas contentiones comparuit. Nam si de lege divinâ loquamur, ubinam in totâ S. Scripturâ revelatum est nefas esse homini actiones suas opinioni verè probabili committere, relictâ probabiliore ? Debuisset autem hoc fieri in re tanti momenti, quæ per omnes actiones humanas pervagatur, nec adeò permitti potuisset, si reipsà ad probabiliora sectanda obligatos nos esse voluisset. Num fortassè iis ex verbis eruetur ejusmodi lex divina, quibus jubemur, ne peccandi periculo nos exponamus : *Qui amat periculum in illo peribit* ? Eccles. 3. Sed numquid in peccati periculum incurrit etiam ille qui dùm ad manus est sententia opposita tutior, sequitur probabiliorem, sed minùs tutam ? Verùm neque humana lex uspiam prodit in conspectum. Si omnes propositiones in actionum licitarum vel illicitarum negotio à supremis Ecclesiæ indicibus prohibitas et damnatas percurramus, nullam est invenire quæ ita sonet : *Illicitum est sequi opinionem minùs probabilem, quæ verè ac theologicè sit probabilis* ; in quâ tamen tota Probabilismi doctrina versatur. Multæ aliæ magnâ et diligenti selectione conquisitæ, quæ verâ probabilitate destitui videbantur, proscriptæ circumferuntur ; ista verò nullibi reperitur, sed hodiè adhuc in præcipuis litterati orbis Athenæis et cathedris impunè docetur. Forsan comprehenditur in decreto Innocentii XI, quo ut terminum figeret nimiùm laxis opinionibus extra orbitam probabilitatis veræ saltantibus, damnavit : *Generatim licere cum tenui quantumvis probabilitate*, etc. Sed benè notandum hìc est non paucas eo tempore comparuisse sententias absurdas, errori obnoxias, quin et hæreticas, quæ probabilitatem aliquam præ se ferebant, saltem tenuem ; alias quoque sat multas occurrisse, probabiles quidem, si tantummodò rationes pro iis pugnantes considerarentur, quæ tamen per contrarias enervabantur, suamque amittebant probabilitatem ; demùm quasdam utrâque ex parte probabiles fuisse inventas, quæ tamen versabantur circa ejusmodi materias, in quibus aliunde obligamur ad id quod tutius est sequendum, quemadmodùm contingit in illis quæ ad valorem sacramentorum, justitiam et charitatem, etc., pertinent, quâ in re damnum quod consequitur, emendari non potest per bonam fidem, aut per ignorantiam invincibilem sanari. Has itaque omnes jure meritissimo è republicâ christianâ proscripsit Innocentius. Neutiquàm tamen censendum est, propositionis hujus latissimè patentis damnatione comprehendi opiniones verè ac theologicè, etsi minùs probabiles ; numquid enim fulgor lunæ omnium judicio tenuis non est, quamvis minor sit et esse dicatur à S. Scripturâ, quàm sit splendor solis ? *Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Genes 1. Quis enim sanæ mentis ausit dicere, perperàm à S. Scripturâ lunam vocari luminare magnum, quia minorem quàm sol lucem diffundit ? Et quid opus fuisset eodem in decreto ad particulares opiniones minùs probabiles de judice, de infidelibus, de ministro sacramentorum, etc., descendere, easque damnare, si probabilismum universim in priore illâ propositione generali fuisset condemnatus ? Ex his patet neque legem divinam, neque humanam obligare nos ad eligendam probabiliorem. Igitur legem naturalem investigare oportebit, quæ illicitum reddat usum æquè aut minùs probabilis. Fortassis ipsum naturæ lumen omnibus insitum nobis hoc dictat ? Nequaquàm, quippè vero simile non est legem naturæ, eamque universalem non agnosci à longè majori parte doctorum tam eruditione quàm morum sanctitate conspicuorum ex omni ordine ac natione, et quidem post improbum studium, post diuturnum plus quàm integri seculi examen. Nam, ut docet pro more suo profundissimè D. Thomas, 1-2, q. 94, a. 4 : *Dicendum est quòd lex naturæ quantùm ad prima principia communia, est eadem apud omnes et secundùm rectitudinem et secundùm notitiam : quantùm ad quædam propria,*

*quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes etiam ut in pluribus, et secundùm rectitudinem et secundùm notitiam; sed in paucioribus potest deficere, et quantùm ad rectitudinem propter aliqua particularia impedimenta... depravatam rationem ex passione, seu ex malâ consuetudine, seu ex malâ habitudine naturæ. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum (oim tamen sit expressè contra legem naturæ), ut refert Julius Cæsar in lib. de Bello Gallico.* Quod autem viri doctissimi ac piissimi, iique longè plures memoratam naturæ legem hucusque non agnoverint, nec etiam nunc agnoscant, omnibus palam est ex iis quæ de auctoritate pro benignâ sententiâ stante disserui. Neque, ut opinor, numerabunt eos adversarii inter illos qui secundùm S. doctorem habent *rationem ex passione, seu ex malâ consuetudine, seu ex malâ habitudine naturæ* depravatam. An supra ipsorum duntaxat horizontem, inter quos aliqui satis vaniloqui, dicaces, et conviciis assueti sunt, lumen hoc naturæ ortum esse credamus? Patet itaque etiam, nec legem naturalem, quæ præcipiat sequi partem probabiliorem, aut vetet amplecti æquè vel minùs, verè tamen probabilem, exhiberi posse. Atque ita ex juris utriusque sacri ac politici placitis pro libertate pronuntiandum erit in causâ legem inter et libertatem controversâ, hæcque actore non probante in quietâ et avitâ possessione suâ relinqui debebit. Hoc eo majori cum fiduciâ assero, quòd ex ipsorum adversariorum, maximè Præsentati, principio et regulâ non obscurè consequatur. Numquid enim in opinionum contrariarum conflictu id quod probabilius est, eligendum relicto minùs probabili? Negari autem nequit esse minùs probabile existere legem, quæ tantis quæsita studiis, tot annorum impensis produci non potest, quamque tot sapientissimi ac religiosissimi viri notam sibi esse inficiantur; imò negari nequit, nec tenuiter quidem probabile esse legem, cujus existentia nullâ solidâ ratione potest ostendi, obligationem parere. Cur ergo deserunt hìc regulam suam? cur non nobiscum pro libertate ac licentiâ actionis in hoc rerum articulo pronuntiant?

### § 3. *Tertia animadversio de infinitâ sapientiâ et bonitate Dei.*

XXIII. Alienum esse videtur ab infinitâ sapientiâ et bonitate Dei, cui humanæ conditionis fragilitas optimè perspecta est, quòd obligare nos velit ad eligendas sententias severiores, seu tutiores, seu probabiliores in casu æqualis vel etiam minoris probabilitatis, ac prohibere ne mitiores et verè probabiles sequamur; et quidem in actionibus ferè quotidianis, sine quibus vita nostra, nec res privatæ nec publicæ, sive ecclesiasticæ, sive civiles, consistere queunt; ita ut neque per ipsum, nec per ipsius interpretem, Sedem nempe Apostolicam, tale præceptum clarè satis innotescat, è cujus tamen observantia penderet æterna salus nostra, ut volunt adversarii. Alienum, inquam, esse videtur à sapientissimo optimoque principe præceptum hujusmodi et obligatio, utpote quæ nimiùm difficilis, magis periculosa, et reipsà conscientiis noxia foret. Nolo hìc difficultates omnes longâ serie ac sigillatim enumerare : paucis rem expedio. Inprimis vi legis hujus quivis teneretur ad æstimationem, et ut ita dicam, licitationem probabilitatis ineundam comparando inter se sententias, judicandoque quænam in probabilitate excedat, quæ deficiat, donec ad verè majorem probabilitatem perveniatur; secùs enim, ut verbis adversæ partis utar, non sincerè cum Deo ageremus, sed artem cavillandi cum supremo Legislatore exerceremus. Hæc autem æstimatio et crisis de probabilitatis gradibus res est innumeris difficultatibus obnoxia, et in ordine communis providentiæ vix possibilis; atque hinc, ut sapienter notant Medina, Suarez, Sanchez, Salas et alii, onus foret humanis humeris non ferendum, et cum perpetuâ animorum carnificinâ conjunctum. Nimirùm eò immanis illa tempestas desæviit tot conviciorum, calumniarum, dicteriorum, scommatum, ac censurarum, quibus innocentem, et à tot retrò annis passim in scholis receptam doctrinam proscindere, multòque magis ejus patronos onerare non verentur, eò, inquam, res devenit, ut nunc ad stateram examinare nos jubeant, quot granis, ut ita dicam, sit opus, ut justum probabilitatis pondus prodeat. Dein, quod hodiè alicui longè probabilius primâ fronte videtur, cras re iterùm inspectâ minùs apparet probabile, perendiè fortassis æquè probabile ac alterum. Quod unus censet excedere in lineâ probabilitatis, alter ab eâ aliquantùm deficere judicat. Et quis denique est qui in ejusmodi rebus, in quibus mens humana certam se reddere nequit, blandiri sibi possit, ac certò secum statuere, adhibuisse se debitam ac sufficientem in discernendis gradibus ac æstimandis utriusque sententiæ momentis diligentiam? Quot non occurrunt opiniones in utramque partem probabiles in conficiendis, administrandis, et percipiendis Religionis nostræ mysteriis, ubi de licentiâ, non de valore agitur? quot in beneficiis ecclesiasticis conferendis et obtinendis? quot in materiâ voti, jejunii, SS. Ordinum? quot in usu matrimonii? quot in contractibus et humano commercio? In his omnibus nisi certus fores de majore probabilitate unius partis præ aliâ, quod ut plurimùm sperari vix potest, juxta senatusconsultum Præsentati aut suspendere necessum foret actiones has omnes, aut præcisè id quod tutius est, cum gravissimo sæpè incommodo ac damno, eligere. Porrò, ubi diuturno tandem labore ac patientiâ Spartanâ major probabilitas fuisset inventa, plurimæ leges directæ, non solùm illæ quæ reipsà existunt, sed etiam eæ quæ non existunt, nec unquàm latæ fuerunt, in difficillimis negotiis essent observandæ, quia probabiliùs videntur existere ac esse latæ, quamvis pro libertate agendi contrarium, et opinione minùs, sed verè probabili quòd non existant, auctoritas et ratio gravis momenti, dignaque prudenti assensu starent. Profectò hâc ratione vix non ipsa consilia in præcepta abirent. Denique hoc modo accedente humanâ imbecillitate committerentur innumera peccata, *formalia*, ubi contra in hypothesi benignæ sententiæ duntaxat *materialia*, ut theo-

logi vocant, quæ à Deo ad culpam et pœnam non imputantur, perpetrarentur, et quidem tunc solùm, quando lex absque crimine ignorata reverà daretur. Annon hæc et similia ipsi Probabilioristæ Rigoristis illis qui ubique tutiora sequi oportere summâ vi contendunt, et à quibus ipsi abhorrere in speciem videri volunt, respondere debent? Cur igitur tam arctos sapientiæ ac bonitati divinæ limites ponunt?

§ 4. *Quarta animadversio de ignorantiâ legis.*

XXIV. Certum est principium in jure tum sacro tum profano, legem non satis notam ac promulgatam, maximè si accedat ignorantia vinci nescia, obligandi vim non habere, qualiscumque demùm illa lex sit, seu positiva seu naturalis; est enim lex sine promulgatione debitâ, fulgur sine fulmine, apis sine aculeo, vagina sine gladio. Hinc jurisperiti omnes promulgationem legis vel tanquàm partem, vel certè ut conditionem necessariam requirunt, ut lex ipsa quemquam possit proximè obligare; notitia verò legis ex ejus promulgatione pendet, et velut partus ventrem sequitur. Si ista desit, oritur ignorantia legis, quæ si post factam debito modo indagationem non tollatur, dicitur et est invincibilis, quæ quòd à peccato excuset, denuò certum est ex propositione ab Alexandro VIII damnatâ, ordine secundâ : *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali.* Jam verò quando adsunt rationes omninò graves, quæ suadeant legem nunquàm fuisse latam, lex ejusmodi non est satis nota et promulgata; quòd si fiat ut rationes unius partis cum rationibus pro alterâ pugnantibus, robore ac virtute suâ non exuantur, sed maneant verè ac theologicè probabiles, dubium de existentiâ legis non aufertur etiam post debitam inquisitionem; adest igitur legis ignorantia invincibilis, quæ vim obligandi proximam tollit, et libertatem in suâ possessione relinquit, atque à peccato excusat. Debellatum videri posset, nisi hostis à tergo insisteret. Aiunt principia hæc reflexa, nempe ignorantiam invincibilem et possessionem libertatis contra legem, locum habere non posse in conflictu opinionum, quando una est æquè probabilis vel probabilior, altera verò etiam æquè vel minùs probabilis. Nam in hâc rerum providentiâ æquè probabile vel probabilius est dari legem, hancque esse in possessione; quâ igitur ratione locus erit ignorantiæ invincibili? quâ ratione libertas adversùs legem poterit possessionem prætendere? quòd si ita est, ex principiis his reflexis maximè dubiis nunquàm dictamen ultimum et practicum certum prodibit, sine quo tamen nihil rectè, licitè ac honestè in genere morum agitur. Magna ad speciem difficultas; sed si cortex frangatur, parùm inest nuclei. Falluntur in primis adversarii, si, quam obtendunt Probabilistæ, ignorantiam invincibilem pro merâ, ut ita dicam, *nescientiâ* legis accipiant, ac si nulla prorsùs in opinionum conflictu et rationum comparatione daretur et oboriretur illius notitia. Non sunt adeò pinguis Minervæ, qui Probabilismum defendunt, ut hoc asserant. Triplex hic gradus est benè observandus; aliud est ignorare legem quæ prætenditur, aliud quòd reipsà ejusmodi lex lata sit, et aliud, si fortè lata esset, quòd sit satis promulgata, et sic proximè obliget. Sed æquè vel probabilius est in concursu æqualis et minoris probabilitatis existere legem ac obligare? esto : sed numquid etiam simul verè ac comparativè probabile est quòd non existat, nec obliget? Si æqualis adest probabilitas, æquè graves habeo rationes judicandi, quòd detur lex obligans, quàm quòd non detur. Quomodò igitur dicere potero salvâ veritate : Scio legem existere ac obligare? Si ex parte adversâ major stet probabilitas pro lege, equidem præcisè spectando rationes majoris momenti judico legem existere, ita tamen, ut simul et quidem prudenter judicem spectando rationes magni adhuc momenti, eam non existere, nec ignoro rationes etiam majoris momenti fallere posse, ac sæpiùs non minùs reverà fallere, quàm rationes quæ minoris momenti esse videntur juxta tritum Aristotelis effatum : *Falsa sæpè sunt probabiliora veris.* Quis jam non videt, in hoc rationum et opinionum conflictu judicare me *absolutè* ac *simpliciter* dicere non posse : Existit lex, et obligat. Quòd si ita est, laboro *ignorantiâ* legis obligantis, non quidem in eo sensu quo grammatici, sed quo theologi accipiunt ignorantiam, scilicet in ordine ad existentiam, promulgationem ac obligationem legis. Porrò hæc ignorantia est *invincibilis*, quia ponitur minorem probabilitatem per majorem nequaquàm vinci ac enervari, ita ut omnibus ritè consideratis non possim simpliciter judicare ac dicere : *Lex hæc lata est*, quin simul prudenter judicare queam ac dicere : *Lex hæc non est lata, nec obligat.* Sed rursùm instabis, quùm in rebus moralibus certitudo ut plurimùm haberi nequeat, majorem probabilitatem sufficere debere pro asserendâ legis existentiâ; verùm respondeo id locum habere, si major probabilitas tanta sit ex unâ parte, ut ex alterâ non ampliùs subsistat vera ac theologica probabilitas, sed tenuis duntaxat ac malè fundata. Quàm parum igitur ex majore probabilitate unius opinionis inferre licebit, alteram opinionem non verè probabilem esse, tam parùm ex eo quòd damnatum sit, licere sequi opinionem quantumvis tenuem, damnatum quoque intelligi debere, quòd non liceat sequi opinionem licet minùs, verè tamen ac theologicè probabilem. Ecce! ad fundum pervenimus. Quid si jam his rationibus *ab intrinseco*, accedat quoque *ab extrinseco* magna, imò maxima auctoritas virorum sapientiâ et vitæ integritate illustrium (quæ auctoritas maximum pondus habet in rebus moralibus) constanter asserentium licere sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore, ac dicentium sacrum judicem in pœnitentiæ tribunali, si non agatur de valore sacramenti, aut certò judicet pœnitentis opinionem verâ probabilitate destitui, posse, imò debere contra propriam sententiam etiam probabiliorem absolvere hujusmodi pœnitentem, qui oppositam probabilem tenet, et cæteroquin ad sacramentum hoc percipiendum ritè dispositus est, quâ de re nubem testium ac idoneorum auctorum affert Lacroix, l. 1 de Consc. n. 445.

XXV. His argumentis ritè perspectis, facile viam

ad formandum ultimum dictamen moraliter certum, quod ad bonam fidem et actionis licentiam omninò requiritur, est invenire. Rem totam, ut in bono lumine collocemus, paradigma quoddam de illustri quâdam controversâ inter doctores quæstione ante oculos ponamus, scilicet an in S. tribunali necessariò sint exponendæ circumstantiæ intra eamdem speciem notabiliter, ut aiunt, aggravantes. Non esse necessariò exponendas docent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, aliique probatissimi auctores plures quàm quinquaginta quatuor, quos refert et sequitur Diana (uti videre est apud Lacroix l. 6, p. 2, n. 976, ubi alios quoque citat). Ratio præcipua (alias brevitatis studio prætereo) et fundamentum hujus opinionis est, quod Tridentinum concilium, sess. 14 de Pœnit c. 5, postquàm præfatur velle se exactam de integritate confessionis doctrinam tradere, tantummodò mentionem faciat de numero et specie peccatorum gravium, et circumstantiis speciem mutantibus exponendis; alium sileat de aggravantibus, quùm facillimè et has potuisset exprimere; imò conceptis verbis addat : nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesiâ exigi. Est autem effatum in jure receptissimum, quòd contra illud, qui jus clarum dicere potuit, et non dixit, interpretatio est facienda. Contra necessariò exponendas esse dictas circumstantias docent auctores gravissimi : Alensis, Cajetanus, Suarez, Henriquez, Tannerus, multique alii, ita ut Bonæspei asserat sententiam hanc non quidem esse de fide, manifestè tamen attentis Tridentini locutionibus deduci ex principiis fidei; et Vasques, licet contrarius, fateatur esse communem. Ratio præcipua rursùs est Tridentinum, cujus mentem et interpretationem desumendam esse aiunt à Catechismo Romano, ex decreto hujus ipsius concilii conscripto à gravissimis theologis, qui eidem intererant quique postmodùm editus fuit jussu Pii V, gravissimis verbis præcipiente parochis, ut ex illo instruant, oviculas, etc. Hic, inquam, Catechismus Romanus dicit p. 2, c. 5, n. 48, « neque verò solùm peccata « gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa « quæ unumquodque peccatum circumstant, et pravi- « tatem valdè augent vel minuunt. Quædam enim « circumstantiæ adeò graves sunt, ut peccati mortiferi « ratio ex illis tantùm constet : quare hæc omnia con- « fiteri *semper oportet*, etc.; » ponitque exemplum de furto unius aurei, et centum aut ducentorum aureorum. Jam posito hoc paradigmate, quamvis videatur multis, si non pluribus, probabiliorem esse sententiam asserentem dari obligationem exponendi circumstantias notabiliter aggravantes in S. Tribunali, aliis tamen gravibus auctoribus videtur vel æquè, vel certè, licet minùs, verè tamen ac theologicè probabilem esse sententiam oppositam; et quidem in praxi. Unde S. Antoninus, part. 3, tit. 17, c. 17, § 5, ait : *Et istas quæ peccatum aggravant, confiteri est perfectum, sed quia non mutant speciem, nec aggravant in infinitum, non est necessarium eas confiteri, secundùm Thom.*, id est, D. Thomam, scilicet in 4 Sent., dist. 16, q. 3, art. 2, q. 5, de quo loco alibi dicam. Ponamus nunc aliquem esse qui eligat sententiam negantem ac libertati faventem, licet affirmantem tanquàm tutiorem ac probabiliorem esse credat, quâ bonâ fide id faciet, quo munitus dictamine? Credo, sic ratiocinabitur : moraliter certum est, si sequar sententiam gravi auctoritate magnorum doctorum, et verè ac comparativè gravi fundamento nixam; si consideratis omnibus non habeam sufficientem notitiam neque de legis directæ neque reflexæ existentiâ, quùm nulla talis ostendi possit, atque ita habeam ignorantiam invincibilem, moraliter, inquam, certum est mihi me non imprudenter agere, mihique omninò licitum esse hoc vel illud agere, hoc vel illud omittere : atqui sequor sententiam, etc.; ergo nullâ ratione imprudenter ago, mihique licitum est hoc agere, illud omittere, etc. Si negent hoc adversarii, injuriam sanè facient S. Thomæ, D. Antonino, et innumeris aliis; si concedant, adest uti in casu præsenti, ita et in aliis verè ac theologicè probabilibus opinionibus sufficiens et moraliter certum dictamen, quod erat demonstrandum. Ut autem nihil intactum omittam, mentemquè meam ingenuè aperiam, censeo rem totam denique ad licitum in praxi usum opinionum æquè probabilium esse reducendam, resectis illis appendicibus : *opinio magis probabilis, opinio minùs probabilis; opinio notabiliter magis probabilis, opinio notabiliter minùs probabilis :* quæ appendices nonnisi ad tricas Scholasticas et dissidia præsertim apud rerum non probè intelligentes in gravissimo conscientiæ negotio facienda natæ factæque esse videntur. Quid enim, obsecro, interest, an duæ sententiæ invicem oppositæ, quando agitur duntaxat de licentiâ actionis, sint æquè probabiles, vel an una earum paulò plus, altera paulò minùs probabilitatis habeat, modò utraque verè, solidè ac comparativè probabilis sit, id est, gravi ac prudenti fundamento innixa, parique auctoritate firmata, ita ut in mutuo conflictu inconcussa stet, nec vinci aut enervari queat? Secùs timenda erunt omnia ea incommoda, quæ exhibui cap. isto, § 3, num. 23. Quòd si una notabiliter magis probabilis sit, accedet ad classem probabilissimarum, quas sequi licere nemo dubitat; si clarè et notabiliter minùs sit probabilis, accedet ad classem tenuiter probabilium, quas sequi non licet; certè immunis non erit à periculo excidendi è finibus veræ probabilitatis. Dicamus ergo scapham scapham : dicamus uno verbo, licitum esse sequi opinionem quæ verè, theologicè ac comparativè probabilis est. Atque hoc est quod firmissimis hucusque testimoniis argumentisque comprobatum est, quodque nullis adversæ partis clamoribus, conviciis et machinis expugnari potuit.

## CAPUT V.

### ANIMADVERSIONES CRITICÆ.

### § 1. *Prima de capitulo generali O. P.; secunda de litteris Mutii Vitellesci gen. S. J.*

XXVI. Quatuor supersunt quæ silentio præterire nefas duxi. Itaque animadverto primò : Præsentatus in tractatu sæpiùs citato, pag. 160, gloriatur, nec immeritò, quòd ordo Prædicatorum (ipsius verbis utor) in

capitulo generali Romæ celebrato ann. 1655, admonitione 14, singulos theologiæ professores admoneat, ut nimis animosa *extrinsecarum* probabilitatum suffragia devitent, et sanæ Angelici nostri præceptoris doctrinæ in moralibus, ubi pressiùs de salute et indemnitate animarum agitur, adhærere satagant. Præterea declarat idem ordo Prædicatorum, hoc summoperè consonare expressæ voluntati SS. D. N. Alexandri VII, qui istud universo ordini præscribi curavit. Meritò, inquam, gloriatur de re tanti momenti curæ ipsorum ac vigilantiæ concreditâ : Nemo est, qui invidet. Nolim ego indagare in causas hujus voluntatis pontificiæ : fortè una potuisset esse quòd alii de liberioribus opinionibus interpellati responderint se illas ex auctoribus Thomistis hausisse. Duo tamen sunt quæ hìc quæram ex ipso. Primum, an nimis animosa probabilitatum suffragia devitaverint, et doctrinæ Angelici præceptoris in moralibus adhæserint antiquiores et præcipui doctores sacri hujus ordinis, Medina, Ledesma, Alvarez, Bannes, Martinez, Candidus, Ildephonsus, etc., dùm opinionem practicè probabilem, etiam minùs probabilem, etiam relictâ probabiliore sequi licere disertis verbis docuerunt? Si negat, palmarem injuriam infert fratribus suis, gravissimis theologis; si vero affirmat, cur aliis præsertim societatis doctoribus tantoperè irascitur ac crimini dat probabilitatis doctrinam, in quâ tantos habuerunt duces et antesignanos? cur de his postremis altum silet? Alterum est, an ordo Prædicatorum et Alexander VII etiam in mandatis dederint, ut tam acerbum et felle plenum stringant calamum in Probabilismum, ejusque fautores, atque dicteriis, censuris et conviciis è Montaltio, Sinnichio, Wendrochio, vel proprio etiam armamentario depromptis benignam sententiam proscindant nonnulli, quòd juri naturali, prudentiæ, charitati ac gravissimo Innocentii XI præcepto repugnat? Scio ipsum ordinem Prædicatorum, omni veneratione dignissimum, ægrè ferre quorumdam, sed paucorum, inconsultos hâc in re conatus, quibus aliud plerumque lucrum non reportant, quam quod lacessiti hostis, quem ipsi faciunt, vires experiantur, nec sine vulnere domum redeant. Ne plus justo conqueri videar, unicum hìc produco specimen ex Contensonii jam cap. 1, § 2, citati novello probabilitatis Commento, c. 2, specul. 2 : *Cùm arbor bona*, inquit, *non possit malos fructus facere, tunc incipiunt homines cordati de probabilitatis nedùm veritate, sed etiam probabilitate dubitare; cùm ex eâ illas videant spurcitias sine modo defluere, ad quas infernus horrescat..... Quis non abhorreat à prætensâ Probabilitatis securitate quâ admissâ innumeræ nefandorum scelerum immanitates, infinitæ spurcitiarum turpitudines horrestantur?... unâ probabilitate freti* (scilicet Probabilistæ) *sanctissima quæque Evangelii dogmata perverterunt, eamque morum disciplinam in Ecclesiam invehere conati sunt, quæ Turcis et ethnicis non omninò corruptis offensioni foret... Nec sine singulari Dei providentiæ judicio Probabilistæ in tam horrenda inciderunt opinionum portenta, in quibus tam manifesta rationis depravatio apparet, ut omnes non omninò stupidi monerentur*, etc... *quàm dedium periculosè se turbidis Probabilismi committant fluentis, quàmve temerè se horum rectorum permittant ducatui, quibus rustici et mulierculæ judicii incorruptione præstant... Nam, ut elegantibus Tullii verbis utar, prorsùs consequentia tenetis, ô Probabilistæ; sed ita falsa sunt ea quæ consequuntur, ut illa è quibus nata sunt, vera esse non possint. Et quia de Tullio mentio occurrit, erubescant Probabilistæ ethnicè loqui, postquàm Tullius christianè et theologicè locutus est.... Qui enim, ut ait S. Augustinus Epist.* 137, *ista non dolent, non est in eis charitas Christi; qui autem etiam de talibus gaudent, abundat in eis malignitas diaboli.* Mirari multa hìc possem; quod autem magis miror, est quòd Contensonii libris præfixa sit solemnis aliquot Magistrorum ordinis approbatio. Certè Rasslerus, cujus in scribendo modestiam, gravitatem et prudentiam laudavit ipse Concina, ut dictum est num. 9, continere se non potuit, quin in indice sui tomi appellaret Contensonii *juvenilem insolentemque declamationem.*

XXVII. Secundum est quod animadverto, et de quo cum Præsentato hìc agam, nempe de litteris ab A. R. P. Mutio Vitellesco generali S. J., an. 1617, datis ad superiores ejusdem societatis, è quibus hæc verba recitat : « Nonnullorum ex societate sententiæ, in « rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio « liberæ, non modò periculum est, ne ipsos evertant, « sed ne etiam Ecclesiæ Dei universæ insignia afferant « detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui « docent scribuntve, minimè hâc regulâ et normâ in « delectu sententiarum utantur : *Tueri quis potest, pro-* « *babilis est, auctore non caret;* verùm ad eas sententias « accedant, quæ tutiores, quæ graviorum majorisque « nominis doctorum suffragiis sunt frequentatæ, quæ « bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, et prodesse queant, non vastare, non per- « dere; quoniam verò constitutiones, decreta, regulas « probè callent de S. Thomâ sequendo, » etc. Sed quid demùm ex his litteris vel pro suâ rigidiore, vel contra plurimorum doctorum è societate benignam sententiam probat? Egit Mutius Vitellescus, anno 1617, quod capitulum generale ord. Præd. Romæ congregatum providè ac sapienter egit anno 1655, et si non tam verba quàm sensum verborum spectare velimus, etiam è nostris singulos admonuit, ut *nimis animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia devitent, et sanæ Angelici doctoris doctrinæ præsertim in moralibus adhærere satagant.* Annon merito etiam gloriari possumus de re tanti momenti curæ nostræ ac vigilantiæ concreditæ? Scimus moris esse in religiosis familiis, ut in rebus gravioris momenti à superioribus ob unius alteriusve etiam leve delictum ad omnes litteræ encyclicæ exarentur, queis caveant majoribus damnis fortè secuturis. Exaravit has Mutius, ne à suis aliorum eo tempore doctorum, etiam Thomistarum quorumdam exemplo, opiniones minùs probabiles, minùsque tutæ passim inducerentur in mores, quæ tunc primum plus justo invalescere cœperunt; Thomistarum, inquam, quorumdam exemplo, quod non sine causâ dico : nam provocavit jam pridem P. Gabriel Daniel in

Epist. 2, mihi pag. 46, ad Alexandrum Natalem : nullum Jesuitam theologum posse ostendi, qui mendosam in re morali decisionem procuderit, ita ut non habuerit ducem ferè aut comitem doctorem aliquem Thomistam ; item, si quis inire numerum studuerit erratorum de moribus, hinc Thomistarum, inde Jesuitarum Theologorum, Jesuitarum indicem haud paulò breviorem quàm Thomistarum fore. Provocavit, inquam, sed responsum non tulit. Esto, fuerint nonnulli è societatis doctoribus, in rebus ad mores spectantibus plùs nimiò libertati indulgentes seu in scribendo, seu docendo, an propterea Mutium Vitellescum veræ probabilitatis doctrinam reprehendisse in suis ac prohibuisse censeamus ? An enim doctrina hæc nititur his principiis nudè acceptis : *Tueri quis potest, probabilis est, auctore non caret?* Nemo nisi rerum imperitus aut præoccupatæ mentis hoc asseret. Annon sententia benigna majoris nominis doctorum ex omni ordine suffragiis frequentata est? Nemo istud inficiabitur, qui probè perpendat ea quæ pluribus in locis hujus secundæ partis attuli, testimonia. *Accedant*, præcipit Vitelleseus, *ad sententias tutiores*. At verè probabiles non rarò in praxi sunt tutiores, teste Sylvestro è familiâ sancti Dominici in celeberrimâ Summâ V, confessio q. 2, num. 3, ubi ait : Licet sit tutius statim confiteri quàm differre, non tamen tutius est tenere quòd sic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi. Et Suarez tom. 2, de Relig. tract. 4, lib. 2, cap. 33, num. 3, loquens de benignâ interpretatione juramenti, secundùm rectam rationem, ait, et interpretationem potest dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, si tot vincula in casibus dubiis eis injicerentur. Porrò in quantâ veneratione sit in scholis et cathedris societatis doctrina Angelici, quem Mutius suis commendat, tot testes habemus, quot academias, lycæa, in quibus docendi munere fungimur, et discipulos, quotquot numeramus : doctrinam istam ubique sequimur, non tamen semper prout eam intelligunt et interpretantur Thomistæ (præsertim juniores), quibus nunquàm sacramentum diximus. At præpositus generalis Thyrsus Gonzalez in suo, ut ait Præsentatus, nunquàm satis laudato libro de Usu et Abusu opinionis probabilis, severiorem propugnat sententiam. Benè ; faciunt hoc et alii societatis doctores. Unde aliud non patet quàm falsum esse quòd Probabilismi doctrina societati propria sit, ut nonnulli criminantur ; liberum hæc potiùs campum utriusque partis amplectendæ suis semper concessit. Si tam oculatus est in rebus nostris, tamque promptus in exhibendis præpositorum nostrorum litteris adversarius, cur non inspexit etiam ac produxit ex Instituto societatis impresso typis decretum 18 congregationis 15 generalis anno 1686, celebratæ, quod intermedium fuit inter litteras Mutii Vitellesci datas 1617, et librum Thyrsi Gonzalez, qui scripsit anno 1694? hoc ita loquitur : *Cùm relatum fuisset ad congregationem aliquos in eâ esse persuasione, quòd societas communibus quasi studiis tuendam sibi sumpsisset eorum doctorum sententiam, qui censent in agendo licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore, stante pro præcepto, declarandum censuit congregatio societatem nec prohibuisse, nec prohibere, quo minùs contrariam sententiam tueri possint, quibus ea magis probaretur.* Nullus autem est, porrò jactat l. c. Præsentatus, qui de Probabiliorismo transiisset ad Probabilismum. Percipiat, obsecro, verba viri religiosissimi R. P. Constantini Roncaglia, congr. Matris Dei, tom. 1 Theol. moral., tr. 1, q. 1, c. 2, typis dato Lucæ an. 1730 : « Confessarius, inquit, postquàm « diligenter theologiæ morali studuit, me auctore non « anxius sit circa illam tam agitatam quæstionem : « An licitum sit sequi minùs probabile in conspectu « probabilioris. Probabiliora sequenda docuit me meus « præceptor, et ego pariter pluribus abhinc annis « eamdem docui sententiam. At experimento vidi « nihil ad praxim deservire. Quis enim vel studendo, « et præcipuè dùm audit confessiones, potest omnia « momenta utriusque partis librare, et inde definire : « Hoc est minùs probabile? hoc probabilius? Hoc es- « set onus intolerabile. Satis mihi fuit in praxi sequi « sententias quas rationabili fundamento innixas pu- « tavi, et ita credidi satisfecisse meæ conscientiæ « absque eò quod judicem me constituerem inter mi- « nùs probabilem et magis probabilem. » Huic sententiæ eò lubentiùs subscribo, tum quòd sensa mea, quæ paulò ante ad finem capitis quarti palam feci, plenè comprobari videam, tum quòd hoc ipsum experientia sæpiùs me docuerit. Neque, credo, dissentient quotquot debitâ cum prudentiâ sacro huic muneri operam navant, et animarum lucro intenti sunt.

### § 2. *Animadversio tertia de Thomâ Sanchez, et quarta de Tamburino et Escobario.*

XXVIII. Tertium animadversione dignum est ejusmodi. Initio tract. cit., pag. 143, ubi quæstionem illam examinat Præsentatus, an unius doctoris suffragium reddere possit opinionem aliquam probabilem in praxi tutam, in solut. object. ita loquitur : *Ob. 1 Thom. Sanch. in Summâ* l. 1, c. 9, *num.* 7, *et post ipsum Joannes Lancius, Layman Filliucius, et alii. D. Th. quodl.* 3, *art.* 10 ait, *posse quemquam amplecti opinionem, quam à Magistro audivit in iis quæ ad mores pertinent.* Respondet autem ad hanc objectionem hunc in modum : *Toto illo articulo verba P. Sanch. objecta non esse invenienda.* Nam S. doctor in hoc art. non solùm nihil tale habet, sed totum oppositum ; ait enim, ut supra retulimus, in his quæ pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam alicujus magistri opinionem ; in talibus enim ignorantia non excusat. Ex quo jam patet Sanchezium locum illum D. Thomæ adulterâsse, vel saltem alienis aut alienatis oculis legisse, et alios recentiores Casuistas, qui illum pariter sic corruptum et vitiatum referunt, auctores non legere, sed absque ullo prorsùs examine transcribere, id quod alii habent, etc. Quis hìc non meritò indignetur, et irascatur adversario huic ? primò

cuidem, quod tam acerbâ crisi perstringere non dubitet Thomam Sanchez, virum, quem totus litteratus orbis maximi semper fecit, quemque præsules ecclesiastici æquè ac viri principes tanquàm theologiæ et juris peritissimum consuluêre. Secundò, quòd eodem calamo, quo Sanchezium adulterii litterarii reum facit, atque cum Laymano et aliis insimulat, ac si auctores non legerent, sed absque ullo prorsùs examine id quod alii habent, transcriberent, ipse crisin hanc pulcherrimam de verbo ad verbum exscripserit è Goneto Thomistâ, dissert. de Probab. art. 6, § 2, n. 211, nisi quòd omiserit verba illa Goneti, viro Theologo planè indigna : *Hæ verba* (nempe à Sanchezio è D. Thomâ citata) *invenire non potuimus, nec ea certè videre poterimus, nisi Sanchez sua illa conspicilia, quibus videntur omnia quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, nostris oculis admoveat.* Quod verò ad rem ipsam attinet, Thomas Sanchez meritò intulit è verbis istis D. Thomæ : *In his quæ pertinent ad fidem et bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri*, etc. ; meritò, inquam, intulit, excusari eum qui sequitur opinionem non erroneam (sed gravi fundamento nixam) alicujus magistri, quem audivit in iis quæ ad mores pertinent. Certè iisdem vix non verbis intulit hoc ipsum ex eodem div. Thomæ loco illustrissimus Petrus de Tapiâ, ord. S. Dominici, archiepiscopus Segobiensis, Thomista omni exceptione major, tom. 1 Caten. Moral. l. 1, q. 8, art. 12, n. 9, (quemadmodùm illum citat Cardenas in Crisi theologicâ, part. 3, disp. 57, c. 3 art. 1), ubi ait hic præsul : *Colligitur ex D. Thomâ, quodl. 3, art. 10, ubi docet quemquam posse sequi opinionem sui magistri, in his quidem quæ non derogant fidei aut bonis moribus.* Numquid et illust. de Tapiâ D. Thomam adulteravit, vel saltem alienis aut alienatis oculis legit?

XXIX. Quartum denique, quod non solùm animadvertere licet, sed dissimulare nefas foret, est illud, quod Præsentatus in tractatu de Sententiâ probabili primo velut limine palam legendum exhibet : « Etenim si ea, inquit, vera sit, sequitur, cùm vix sit materia moralis, in quâ non sub certo verborum prurientium pallio ab hoc vel illo tegatur malitia, ea omnia ferè licita esse, quæ de se sunt absurdissima, et subinde omnes opiniones Caramuelis, quem recentiores Casuistæ *luminare majus et ingeniorum facem* appellant, Tamburini, Escobarii et aliorum recentiorum tutò amplecti licere, ex quo ferè innumera sequuntur absurda. Sic, verbi gratiâ, licebit puellæ procurare abortum ante animationem fœtûs, aut concubinario retinere concubinam, quando eâ relictâ vitam transigeret tristiùs, vel actori aut reo occidere judicem, cùm ab eo iniqua timetur sententia, aut judici in causâ æquali accipere pecuniam ab unâ partium, ut sententiam in ejus favorem ferat; licebit etiam testem inducere ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum ; ipse verò inducens scit esse falsum, et absoluto desiderio cupere mortem patris ad percipiendam ejus hæreditatem, et ad vitandam mortem vel gravia damna, falsum sibi crimen imponere, ac seipsum gladio linguæ perimere, advocatum posse patrocinari causæ quam cognoscit esse injustam, clericum posse in recitandis horis canonicis voluntariè distrahi, aut quotidiè recitare officium Paschale, vel unicâ recitatione officii obligationi duorum dierum satisfacere, et monachos omnes à jejunii lege et onere liberari. Hæc enim utpote propugnata à Tamburino, etc. » Ita Præsentatus longum absurdissimarum propositionum catalogum texit, quas è Tamburini et Escobarii doctrinâ morali contendit sequi, imò à Tamburino propugnari. Compendio uti potuisset, dicendo omnes propositiones damnatas à singulis pontificibus è Tamburini et Escobarii doctrinâ sequi ; sed homo perspicax benè prævidit, plurimos Thomistarum apud Vivam in damn. Thes., tanquàm de injuriâ sibi factâ fore cum ipso solemniter expostulaturos. Jam, de Caramuele non est, quod dicam, quem tam parùm adoramus tanquàm *luminare majus*, quàm parùm Præsentatum tanquàm *luminare minus* ; quin Tamburinus ipse illius doctrinam pluribus in locis refellit atque repudiat. Sed ut luce meridianâ clariùs ostendam, quàm plena invidiæ, obtrectationis ac falsitatis assertio hæc sit, quam proposuit adversarius, tria sunt quæ ex ipso intelligere cuperem. Primum est, num Tamburino et Escobario appendices istas in re morali oppido absurdas adscribat eam ob causam, quòd defendant Probabilismum, è quo veluti fonte infecto venenata hæc dogmata sequuntur? Alterum, an propterea, quia docent auctoritatem unius tantùm doctoris sufficere ad reddendam sententiam aliquam in materiâ morali probabilem et in praxi tutam? Tertium denique, an quoniam fortè in ipsorum libris tales propositiones reipsà inveniuntur? Si primum asserit, eodem jure has omnes absurditates, et, ut cum Contensonio loquar, spurcitias morales adscribere potero clarissimis ejusdem cum ipso ordinis luminibus et præstantissimis doctoribus, Medinæ, Ledesmæ, Alvaresio, Bannesio, Martinesio, Candido, Ildephonso, etc. Secundùm horum doctrinam licebit puellæ procurare abortum, retinere concubinam, occidere judicem, testari falsum, patrocinari causæ injustæ, recitare quotidiè officium paschale, etc. : quare? causa in promptu est, scilicet, quia docent et defendunt doctrinam probabilitatis, uti patet ex ipsorum verbis clarissimis, nec ulli interpretationi obnoxiis, cap. 2, § 2, à me citatis. Ecce quàm gravem suismet fratribus ac præcipuis antiquioribus theologis notam inurat inconsultâ scribendi criminandique libidine. Si secundum contendat, ante omnia nôsse oportet, quid et quomodò hâc de re scripserint Tamburinus et Escobarius. Tamburinus quidem in Decalog. l. 1, c. 3, §, 3, n. 5, sic loquitur : *Tunc solum puto, sufficere unum auctorem, tametsi contra innumeros auctores is doceat, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens.* Ita Azor. p. 1, c. 17, q. 6, Vasquez p. 2, tom. 1, d. 62, c. 4, n. 12. Escobarius autem ita scribit in

Theol. moral. princip. exam. 3, c. 3 : *Aliquando unus tantùm doctor gravis admodùm, opinionem probabilem potest efficere, quia vir doctrinæ specialiter addictus, haud adhærebit sententiæ cuilibet, nisi præstantis seu sufficientis rationis vi allectus.* Hic jam plura observatu digna occurrunt : primò, quòd Tamburinus scripserit anno 1651 ; Escobarius verò ante annum 1646, utpote quo in Germaniâ primum comparuit hujus auctoris liber Theologiæ moralis, editus typis Monacensibus, prius autem Lugdunensibus ; atque ita palam est auctores istos vulgâsse libros suos quatuordecim et novemdecim annis priùs quàm propositio 27 ab Alexandro VII proscripta fuerit, scilicet hæc : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, opinio censeri debet probabilis dùm non constet rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquàm improbabilem.* Secundò, Tamburini et Escobarii sententia sanè multùm distare videtur ab hâc propositione damnatâ, utpote nimis generali ac latissimè patente. Hæc enim loquitur de quocumque auctore juniore ac moderno, sive sit verè doctus, sive non : nihil de firmâ et solidâ ratione, cui scriptor innititur, sed *modò non constet rejectam esse à Sede Apostolicâ*, etc. Tertiò, quòd si etiam fortè nimis, quàm par est, ad damnatam propositionem accederet Tamburini et Escobarii doctrina, nihil tamen id officeret reliquæ horum theologorum doctrinæ, nam ut rectè observat Cardenas in 2 Crisi, d. 1, c. 13, per hoc nihil decedit de auctoritate alicujus scriptoris, quòd aliqua ipsius sententia sit postmodùm damnata, dummodò ante damnationem fuerit à gravibus theologis habita tanquàm verè probabilis ; talis enim invincibili laborâsse ignorantiâ censetur, eoque nixus fundamento, quod secundùm prudens tum temporis judicium erat grave. Hâc enim ratione SS. PP. aliqui quandoque inveniuntur errâsse, ut videre est apud Sanchez, de Matrim. l. 7, disp. 52, et Lacroix, l. 1, q. 26, n. 161, de quorum auctoritate propterea nil decessit. Quartò, etiam post memoratam propositionem ab Alexandro VII damnatam, Cardenas et Viva, qui in has ipsas propositiones scripserunt, certis cum limitationibus tribuunt uni auctori hanc vim, ut opinionem aliquam possit facere probabilem. Prior dissert. 11, n. 254, d. 55, n. 4, testatur viginti tres auctores pro hâc sententiâ stare ; posterior verò part. 1, p. 83 : « In eo, inquit, duntaxat casu « admitti potest ut probabilis non solùm plurium, sed « etiam unius auctoris opinio, etiamsi adversùs com- « munem aliorum sentiat, quoties auctor est *omni* « *exceptione major* ; cùm enim auctores relatè ad im- « peritos, qui non valent momenta rationum perpen- « dere, sint veluti testes veritatis, sicut unus testis « potest esse aliquandò sufficiens ad aliquid suaden- « dum, quando est omni exceptione major, adeò ut « ejus auctoritas pluris fiat, quàm multorum tenuis « auctoritatis ac dubiæ fidei in oppositum ; ita poterit « unus auctor omni exceptione major reddere opinio- « nem aliquam probabilem, etiamsi adversùs illam « plures tenuioris auctoritatis sentiant. Is autem dici- « tur auctor omni exceptione major, qui sit valdè « peritus, tum juris naturalis, tum etiam positivi, qui « firmis ac validis rationibus consueverit conclusiones « suas fundare ; qui veritatis potiùs quàm novitatis « censeatur amator ; ac demùm qui aliorum funda- « menta plenè discusserit et dejecerit ; adeò ut pru- « denter credi possit alios etiam doctissimos eidem « opinioni subscripturos. » Quæ ultima hujus scriptoris verba, si cum iis conferantur, quibus Tamburinus et Escobarius de unius auctoritate loquentes ante damnatam, de quâ memini, propositionem usi sunt, paulò ante à me relatis, vix dubium esse potest, quin et ipsi agant de auctore non *quocumque*, aut *juniore ac moderno*, sed de ejusmodi, qui est omni exceptione major. Quintò denique, si nihilominùs adversarius contendat, ex eo capite, quòd Tamburinus et Escobarius doceant unius auctoris docti et gravis, etc., auctoritatem sufficere ad reddendam opinionem aliquam probabilem, ex eo, inquam, si contendat ritè inferri posse absurdas illas sequelas, cur non etiam licebit eas omnes inferre ex doctrinâ, ut creditur, B. Alberti, cap. 2, § 2, à me allatâ ex Nidero et S. Antonino, scilicet : *Posse quemlibet hominem cum salute sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus magni doctoris opinionem sequatur ?*

## CAPUT VI.

### EXAMEN PROPOSITIONUM TAMBURINO ET ESCOBARIO AFFICTARUM.

### § 1. *Propositiones decem cum vindictis.*

XXX. Ut verum fatear, statuebam initio labori huic perquàm molesto supersedere, tum quòd certò mihi persuaderem Tamburinum et Escobarium à similium propositionum heteroclitarum doctrinâ quàm longissimè abesse, tum quòd non dubitarem satis fore aliis quoque persuasum, viros istos non exigui in re morali nominis non adeò humanitatem exuisse, ut omnes sani judicii, veritatis, imò honestatis limites transgressi fuerint. Sed quoniam ex alterâ parte facilè perspexi, quò collineent hujus et aliorum adversariorum non satis liberales conatus, hoc maximè tempore, nimirùm ut his veluti spectris aereis imperitorum, aut sinistro affectu vel præjudicatâ opinione laborantium conspectui objectis, ubicumque et quantumcumque possent, alios quoque à doctrinis nostrorum hominum absterrerent, operæ pretium duxi, ad examen vocare propositiones à Præsentato allatas, de quibus geminos illos theologos, et nominatim Tamburinum, postulare non veretur, ac si reipsà theses illas et opiniones absurdissimas in libris suis propugnâssent. Lustremus singulas.

PROPOSITIO PRIMA. — *Quòd liceat puellæ procurare abortum ante animationem fœtûs.*

Docet hic Tamburinus in Explicat. Decalogi, l. 6, c. 2, § 4, primò : *Si constet fœtum esse animatum, vel dubitetur an animatus sit, nunquàm licet* procurare abortum, adeòque nec directè nec indirectè ; secundò : *Si fœtus est sine animâ, aliqui affirmant in tantâ matris necessitate*, scilicet si aliàs in manifesto mortis periculo mater versetur *aliqui negant utrumque probabile ;*

tertiò, ad quæstionem, an liceat, antequàm fœtus animetur, abortum procurare, si puella periclitetur de famâ vel vitâ ipsi auferendâ, respondet absolutè negando; additque : *Imò audio affirmativam sententiam fuisse damnatam in congregatione S. Officii.* Ita Tamburinus. Quâ igitur ratione audet Præsentatus asserere, ex Tamburini doctrinâ sequi simpliciter : *Licere puellæ procurare abortum ante animationem fœtûs*, quæ propositio generica est, et præscindit à casu extremæ necessitatis in matre de vitâ periclitante, ad quem doctrinam suam restringit Tamburinus; contra verò in casu contento in propositione ab Innoc. XI damnatâ num. 34 : *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*, absolutè negat Tamburinus licitum esse procurare abortum. Apparet hìc manifestè mala fides adversarii.

Simili ratione Escobarius in Theologiâ morali, tract. 1, exam. 7, de Homicidio, quærit num liceat aliquando procurare abortum? et respondet : *Directè nunquàm sive animatus sive inanimatus sit fœtus; indirectè si non animatus, aliquando licet, scilicet ad vitam tuendam, non tamen ad vitandam infamiam, vel periculum vitæ ex criminis manifestatione.* Licitum autem esse expellere fœtum inanimem in extremâ matris de vitâ periclitantis necessitate, etiam post propositionem damnatam testantur et probant Cardenas et Viva, qui in has ipsas propositiones scripserunt. Cardenas enim, dissert. 22, c. 3, n. 23, sic ait : *Quare non potest mater pugnare contra vitam pueri* (scilicet fœtûs animati) *cum quo stat, quòd licitè possit uti mater medicamentis directè tendentibus ad propriam sanitatem, nempe balneis, phlebotomiâ*, etc., *quamvis per accidens et præter intentionem sequatur expulsio fœtûs animati.* Viva verò part. 1, pag. 82, n. 7 : *Solùm licitum est fœtum inanimem expellere, quando se habet tanquàm invasor vitæ matris.* Et pag. 83, num. 13 : *Contra verò, sicut directè possumus brachium secare, ita directè procurare abortum fœtûs inanimis juxta communiorem sententiam, quia reputatur ille tanquàm vitæ invasor, si aliter mors declinari non possit.*

Propositio II. — *Quòd liceat retinere concubinam concubinario, quando eâ relictâ vitam transigeret tristiùs.*

Tamburinus, l. 3 de Methodo confessionis, c. 3, § 5, loquitur hunc in modum : *Publicus peccator, ut concubinarius, debet propter scandalum priùs ejicere concubinam, antequàm absolvatur; siculi occultus propter occasionem proximam. Sed ex Laymanno ib. in occulto potest prudens confessarius aliquando in quibusdam circumstantiis connivere; v. g., quando aliquis in gravi infirmitate, vel mortis periculo, alium facilè habere non potest, qui sibi necessaria ministret, nisi concubinam occultam, ad quam tunc penitùs affectum non gerat, unde non sit periculum labendi, promittitque illam amandare, quàm primùm convaluerit, poterit à prudente confessario absolvi.* Quæro jam, an Tamburini doctrina, ex Laymanno deprompta, et tot cancellis coarctata, vel modicam habeat affinitatem cum absurdâ illâ sequelâ, quam illi tribuit Præsentatus, scilicet : *licere concubinario retinere concubinariam, quando eâ relictâ vitam transigeret tristiùs?* quæ propositio iterùm latissimè patet, et nullo limite circumscripta est.

Escobarius, Tract. 7, exam. 4, loquitur de amasiâ, et ad quæstionem : *Quid si amasia pœnitentis in domo commoretur?* respondet : *Aliqui asserunt semel aut bis absolvi posse, solo emendationis proposito præmisso. Alii affirmant priùs è domo deturbandam, quàm possit absolvi. Ego autem cum Reginaldo et aliis judico, non esse absolvendum ante ejectionem, si domi solo amasiæ titulo commoretur, et illicò potest deturbare, quia in tali casu occasio proxima voluntaria est. Verùm si famulandi fungitur ministerio, semel ille absolvatur cum proposito aliam famulam quàm primùm conducendi.* Observo hìc denuò, quid in rem præsentem dicat Viva, ubi in propositionem 41 ab Alexandro VII damnatam scribit, p. 22, n. 8 : « ostenditur « tamen horum omnium falsitas; et primò quidem, « quòd occasio proxima peccandi materialiter sumpta, « sicut est concubina domi, tolli debeat omninò, nisi « detur impossibilitas aut physica aut moralis eam tol- « lendi, adeò ut non sufficiat ad eam retinendam, quòd « sit occasio lucri, aut causa damni, quod non sit val- « dè grave, *morti aut miseriæ affine*, ex eo evincitur, « quia si non detur impotentia aut physica aut moralis « tollendi occasionem proximam seu periculum pec- « candi, hujusmodi periculum est voluntarium. » Cum his Vivæ verbis sanè convenit doctrina Tamburini. Rursùs memoratus Viva, l. c., n. 36, de illo qui in occasione proximâ constitutus est, inquit : « Commu- « niùs tamen cum Suar., disp. 32, sect. 3, Tabiena et « alii censent, posse hujusmodi pœnitentem absolvi « *semel ac iterùm*, si appareant hìc et nunc vera signa « doloris, et propositi efficacis tollendi statim occa- « sionem proximam. Imò Corduba, Cajetanus et alii « putant quòd possit etiam tertiâ et quartâ vice ab- « solvi. » Cum quibus congruit sententia Escobarii. Quidquid autem sit de his, illud certum est ex dictis; ab adversario adscribi falsissimè ac per summam injuriam Tamburino et Escobario, quòd propugnent, aut ex eorum doctrinâ sequatur : *licere concubinario retinere concubinam, quando eâ relictâ vitam transigeret tristiùs.*

Propositio III. — *Quòd liceat actori aut reo occidere judicem, cùm ab eo iniqua timetur sententia.*

Tamburinus, l. 6, c. 1 de Homicidio, n. 16, ponit varias quæstiones, inter quas etiam hanc : *Possumne vel testes vel adversarium occidere, vel etiam ipsum judicem quando aliam evadendi viam non habeo, et mihi clarè constat ipsum injustam scienter sententiam in me esse prolaturum?* paulò post respondet : *Quamvis aliqui id concedant, ut Bannez, etc., ego cum aliis sic pronuntio : Licet speculativè hæc fieri probabile appareat, tamen in praxi nullo modo sunt excipienda;* et subjungit rationem, *tum quia nunquàm moraliter deerit alius modus defensionis, tum quia sic facilè aperitur ostium ad*

*plura homicidia occultè committenda.* Ecce *album* et *nigrum!* Præsentatus audacter dicit, è Tamburini doctrinâ sequi, imò ipsum propugnare, quòd liceat actori aut reo occidere judicem, cùm ab eo iniqua timetur sententia; Tamburinus verò constanter negat id in praxi licere.

Escobarius verò hâc de re ita loquitur, tr. 5, exam. 6: *obedirene tenetur per injustam sententiam damnatus?* respondet: *non teneri in conscientiâ, affirmo; tamen per vim non potest se defendere.*

Propositio IV. — *Quòd liceat judici in causâ æquali accipere pecuniam ab unâ partium, ut sententiam in ejus favorem ferat.*

Tamburinus, in Explic. Decal., l. 8, tract. 3, c. 7, n. 13, ait: *Supponamus probabilem esse eam opinionem, licere judici ex duabus opinionibus æquè probabilibus unam eligere, et juxta illam proferre sententiam; jam inquiro: licitène et justè accipiat judex pecuniam, ut potiùs illam eligat quæ mihi favet, quàm illam quæ meo adversario?* et respondet: *cùm illam sententiam improbabiliorem ego judicaverim, et pluribus reprobaverim,* lib. 1, c. 3, *consequenter assero locum hîc non habere quæstionem hanc; edat tamen legat, qui velit, apud Lessium, Valentiam,* etc. Mirum profectò! juxta Præsentatum Tamburinus propugnat hanc sententiam, licere judici in causâ æquali accipere pecuniam ab unâ parte, ut sententiam in ejus favorem ferat; et ille tamen negat suppositum hujus sententiæ, hocque negato quæstioni huic locum non esse respondet. An etiam tacendo loquimur, an nil respondendo propugnamus sententiam?

Escobarius autem, tr. 6, exam. 6, supposito quòd judici liceat utramlibet partem in judicando sequi (quod eo tempore graves auctores admittebant) respondet ex sententiâ Lessii, talem non peccare contra justitiam *spectato tantùm jure naturæ,* quando est quæstio juris, non facti; sed statim addit: *Porrò hæc omnia jure positivo sunt prohibita.*

Propositio V. — *Quòd liceat inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens scit esse falsum.*

Tamburinus, l. c., l. 3, c. 2, § 6, respondet cum Bonacinâ, Azor, Sanchez, Suarez, *hunc mortaliter peccaturum.* Facit enim ut Deus *reverà in testem falsi adducatur, quamvis jurans propter bonam fidem excusetur.* Et tamen, mirum dictu! propugnari à Tamburino ait adversarius memoratam priùs thesin, *licere inducere testem,* etc. Quin etiam Tamburinus eodem in § secundùm doctrinam à se traditam in casu quodam *particulari* oblatam sibi controversiam decidisse se testatur inductum variis exemplis, quamvis postea disparem rationem esse inter casum illum particularem, et ea exempla deprehenderit. In Escobario, quamvis diligenter præfatæ theologiæ moralis diversos locos excusserim, nullum invenire vestigium hujus doctrinæ licuit.

Propositio VI. — *Quòd liceat absoluto desiderio cupere mortem patris ad percipiendam ejus hæreditatem.*

Tamburinus, l. 5, c. 1, § 3, n. 31, mentem suam his verbis explicat: *Denique si absolutè desiaeres* (scilicet absoluto desiderio), *cupio mortem patris non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causa mei boni; nimirùm quia ex illius morte ego ejus hæreditatem adibo,* etc., *major est resolvendi difficultas, quia tunc eligis velle malum illius quamvis ut causam tui commodi, quod non videtur culpâ vacare,* citatque Bonacinam, qui filium ita optantem gravis peccati arguit. Estne hoc propugnare objectam à Præsentato propositionem: *Licet absoluto desiderio cupere mortem patris ad percipiendam ejus hæreditatem?*

Equidem Escobar. tract. 1, exam. 7, sic inquit: *Attamen cupere sibi aut alteri mortem, ne peccatis detur opera, bonum est; ne labore corpus aut animus discrucietur, peccatum non est; ut mihi commoditas aliqua sequatur,* v. g., *hæreditatis, honoris, vel lucri, si directè non respicio damnum alterius, sed præcisè meam utilitatem, venialis culpa erit ob inordinatum fortassè animi motum.* Quæ doctrina neutiquàm probari potest ob propositiones ab Innoc. XI damnatas, n. 13 et 14. Excusari tamen potest Escobarius, primò, quia venialem saltem culpam agnoscit in tali desiderio, atque ita falsum est quod Præsentatus adstruit adeò fidenter, scilicet juxta Escobarium ejusmodi desiderium esse licitum; secundò, quia scripsit hæc antequàm memoratæ propositiones fuerint damnatæ; tertiò, quia hæc scripsit fretus magnâ satis auctoritate aliorum præcedentium doctorum, imò fortassis ipsius Angelici docentis in 3, dist. 30, art. 1, ad 4: *Potest aliquis salvâ charitate optare malum temporale alicui et gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Et in 2-2, q. 76, a. 1: *Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur aa malum, sed ad bonum.* Sanè in nostro quoque casu principalis intentio filii non fertur ad malum, sed ad bonum; secundaria fertur quidem ad malum, sed sub ratione boni. Quartò, potest dici Escobarium, uti et alios graves auctores, eo in sensu accepisse hanc sententiam, quo quis præcisè desiderat vel gaudet de morte patris tanquàm occasione hæreditatis, ita ut gaudeat de effectu, non de causâ vel occasione, sed illam supponat tanquàm opus, quod absque culpâ suâ præcessit; sicut Ecclesia videtur gaudere de Adami peccato, in quantum scilicet hoc erat occasio Incarnationis: *O certè necessarium Adæ peccatum! ô felix culpa, quæ talem ac tantum habuit Redemptorem.* Quamvis autem hâc ratione ad sanum aliquem sensum reduci possit hæc Escobarii et aliorum opinio atque assertum, meritò tamen à pontifice damnatæ fuerunt hæ ac similes propositiones; forsan *speculativè* probabiles, in *praxi* tamen admodùm periculosæ.

Propositio VII. — *Quòd liceat ad evitandam mortem vel gravia damna, falsum sibi crimen imponere, ac seipsum gladio linguæ perimere.*

Tamburinus, l. 9, c. 3, § 6, ita loquitur: *Ad tormenta damnaque gravia vitanda potest quilibet sibi fal-*

*sum grave crimen imponere, etiam si mors sibi sit secutura, ut non ea vitanda levia.* Addit postea duas cautelas, *semper supponimus abesse perjurium; itemque abesse damnum tertii.* Propugnat autem Tamburinus hoc sensu, quòd fieri possit citra peccatum mortale, cùm initio statim hujus § ad quæstionem de suî ipsius diffamatione respondeat in genere, *sine mortali per se id fieri posse.* Et speciatim pro suâ opinione circa impositionem falsi criminis citat Bartholomæum à Fausto adjectâ crisi : *Licet immemor* ( scilicet Faustus ) *sui dicti non esse sine mortali dicat ibid.* Posse verò aliquem ad tormenta damnaque gravia vitanda sibi falsum crimen imponere, etc., docent gravissimi auctores, apud Lacroix, l. 4, n. 1521 et 1523, dicentes practicè id teneri posse, quamvis ipse Lacroix contendat sententiam oppositam videri probabiliorem, citans Covaruvium et Molinam. Quare Præsentati auctoritas tanti non est, ut hanc doctrinam contra tot graves doctores inter *absurdas* et *absurdissimas* jure collocet.

Escobarius hâc de re, quantum invenire licuit l. c., nil dicit speciatim; in genere autem tract. 6, exam. 6, ait : Reus veritatem fateri *tenetur, si juridicè interrogetur, et id illi notum sit. Probabile tamen est, nec cùm juridicè interrogatur, teneri veritatem fateri in gravioribus pœnis corporalibus, ut morte, mutilatione,* etc.; id quod rursùs affirmant plurimi teste Vivâ in theses damnatas ab Innocentio XI, propos. 27, num. 20.

Propositio VIII. — *Quòd advocatus possit patrocinari causæ, quam cognoscit esse injustam.*

Tamburinus, l. 1, c. 3, § 7, n. 1, hæc habet : *Si advocatus prævidet rem, licet non possit evinci, posse tamen semiplenè pro suo cliente probari, et universim si advertit causam dubiam esse et controversam, potest ejusmodi causis patrocinari, quia hujus generis causæ in republicâ utiliter agitantur, et positâ eâ probabili spe, non imprudenter advocatus se gerit.* Addit tamen, vel maximè monendum esse clientem; n. 2, sic loquitur : *Si actor ( nolit velit advocatus ) accusare vult, vel etiam accusavit, tametsi nullum jus videatur habere, posse illi advocatum patrocinari sensit Caramuel,* etc. *Verùm hæc sententia mihi probari non potest, quia si advocatus videt actoris temeritatem, quâ ratione cum illâ cooperari sive incipiendo, sive prosequendo licitè et sine obligatione restitutionis potest?* Nihilominùs Præsentato judice Tamburinus nolit velit, condemnatur, ac si propugnaret *licere advocato patrocinari causæ, quam cognoscit esse injustam.* Ubi fides! ubi conscientia! ubi judicium!

Escobarius, tract. 6, exam. 6, c. 5, ad quæsitum de advocato : *Qui scienter causam injustam defendit?* respondet : *Ultra mortale peccatum ad restitutionem quoque tenetur;* et c. 6 : *Quamdiu causa dubia est, patrocinari potest; quo autem tempore tenetur scire esse injustam, de damno tenetur.* Num eadem res est causa *dubia* et *injusta?*

Propositio IX. — *Quòd clericus possit in horis canonicis recitandis voluntariè distrahi, aut quotidiè recitare officium Paschale; vel unicâ recitatione officii obligationi duorum dierum satisfacere.*

Tamburinus circa primum l. 2, c. 5, § 8, de attentione et intentione debitâ ait : *De his egi per aliam occasionem,* Opusc. de Sacr. Missæ l. 2, c. 3; ibi autem, n. 5, refert duas sententias gravium et multorum doctorum; aliorum qui tum ad Missæ sacrificium, tum ad horas canonicas requirunt attentionem internam; aliorum autem, qui docent sufficere externam *ad hoc, ut satisfaciat clericus præcepto Ecclesiæ.* Dein subjungit : *Omnes tamen consentiunt hunc peccare venialiter; aliqua enim semper irreverentia intercedit, si Deum quis alloquatur exterius, mente alio voluntariè distractus.* Circa secundùm l. c., c. 22, dicit : *Non licere etiam semel aut iterùm, omisso proprio recitare officium octavæ Resurrectionis. Ratio, quia hoc adeò breve est, ut omissio proprii officii sanè notabiliter longioris non censeatur res levis,* etc. Circa tertium, l. c., § 7, inquit : *Satis ex dictis liquet, præceptum horas canonicas recitandi esse sub mortali, idque, ut dictum est* in Opusc. de Confess. l. 2, c. 2, § 4, *satis probabiliter unicum unico die.* Quod adhuc clarius explicat de Confess. l. c. Quid ad hæc Præsentatus? ad summulas logicas appello, juxta quas è duabus propositionibus sibi contradicentibus utraque non potest esse vera. Ipse affirmat Tamburinum hæc omnia propugnare : iste verò hæc omnia negat.

Escobarius tract. 5, exam 6, c. 3, ait : Ad recitationem horarum canonicarum, interiorem attentionem *probabilius arbitror esse necessariam, quia Ecclesia orare præcipit, ad quod attentio necessaria est.* Loquitur autem de attentione ad satisfaciendum necessariâ. Eodem loco, ad quæstionem, an delinquat, qui unum officium pro altero recitat? respondet : *Venialiter tantùm peccare assero, qui id agit, modò officium Paschatis aut Pentecostes non sit.* Ibidem quærit quandonam mortale peccatum contrahatur ob officii omissionem? et respondet : *Quando terminatur dies, nec subest tempus recitationi;* atque adeò mortaliter juxta ipsum peccat singulis diebus, qui ubi dies terminatur horas canonicas necdùm recitavit. Quâ igitur ratione poterit ejusmodi clericus juxta Escobarii, uti etiam Tamburini, doctrinam, *unicâ recitatione officii obligationi duorum dierum satisfacere,* si singulis diebus sub mortali recitare tenetur?

Propositio X. — *Quòd probabile sit monachos et quidem omnes à jejunii lege ac onere eximi.*

Tamburinus ne quidem somniavit, ita ut nec ullam hâc de re quæstionem instituerit, sed manifestè hanc obligationem universalem tanquàm certam supponit, dum l. 4, c. 5, § 7, quærit an si regula præcipiat ut à suis religiosis serventur jejunia Ecclesiæ, teneantur minores anno 21 ex vi regulæ eadem ecclesiastica jejunia custodire? et respondet : *Si id præcipiat regula solùm, ut ita dicam, demonstrativè, et tanquàm id quod de jure inest, hoc est, veluti in memoriam revocet ecclesiastica præcepta, nequaquàm tenebuntur, quia hoc modo non additur nova religionis obligatio; sed pristina tantùm recolitur pro iis qui aliàs per ætatem obligantur;*

*at si id regula novo mandet præcepto, utique ut ex se patet, tenebuntur.* Ecce ! tantùm abest ut Tamburinus religiosos et monachos à communi legis hujus onere liberet, ut potiùs novum onus titulo religiosæ obedientiæ adjiciat.

Escobarius autem dùm quærit tract. 1, exam. 13, c. 2, quinam ad jejunium obligentur, respondet : *omnes Christiani, qui sanæ mentis sunt.* Utique autem monachi omnes sunt christiani, nec omnes insani? idem l. c., c. 3, ad casum quo episcopus speciale jejunium indicit, ait regulares (intellige exemptos) ad id non obligari, benè tamen *ad generalia consuetudine recepta.*

§ 2. *Quæsita reflexa super præcedentem paragraphum.*

XXXI. Atque hæ sunt opiniones illæ absurdæ ac absurdissimæ, quas sequi è doctrinâ Tamburini et Escobarii, imò à Tamburino propugnari, amarè conqueritur atque deplorat Præsentatus : quin etiam *hæc utpote à Tamburino propugnata, et plura similia propemodùm infinita ab aliis junioribus Casuistis laxioris ethices asserta, licere omnia palam jactitat.* Verùm non ægrè feret, si paucis hìc eum denuò compellem. Primò quidem, cur tam absurdas et scandalo plenas doctrinas Tamburino et Escobario affingere audeat sine testibus, sine tabulis, sine ullâ designatione libri, capitis, paragraphi, numeri, etc., in quibus illæ contineantur? Nimirùm, ne tam facili negotio dictorum falsitas et gravissima famæ tantorum virorum illata injuria in lucem prodeat. Fateor, non modico opus fuit labore, ut omnes auctorum istorum angulos excuterem, quò citatis ubique locis ac verbis palam facerem insignes offucias Præsentati, aliorumque è quibus deprompsit atque collegit pretiosa hæc cimelia, quibus suam exornaret tabernam; quem tamen laborem eò lubentiùs suscepi, ut tandem innotescat omnibus, in quæ præcipitia homines etiam doctos, vel qui videri cupiunt docti, agat obstinata voluntas et libido contradicendi, scilicet ut non vereantur auctorum nostrorum doctrinam mutilare, augere susdeque vertere, vera falsis miscere, pro lubitu in rem suam, in omnem partem fingere, eo fine, ut per auctorum istorum latera societatis famam et doctrinam calamo suo confodiant, et coram orbe litterato, benèque morato fœdum in modum prostituant. Secundò est cur quæram ex adversario, quænam sint illa *similia propemodùm infinita ab aliis junioribus Casuistis laxioris ethices asserta?* Proferat, si potest; non enim me latet, nec ipsum, quos titulo *juniorum Casuistarum laxioris ethices* designet. Sed nimirùm *similia* sunt; quibus? nempe falsissimis criminibus, quæ in genere morum paulò ante Tamburino et Escobario imposuit. His *infinitis* aliud non repono, quàm quod auctor Apologiæ adversùs librum, cui titulus : *Artes jesuiticæ in sustinendis pertinaciter novitatibus, damnabilibusque sociorum laxitatibus*, impressum, ut præfertur, Salisburgi 1703. Hic, postquàm larvam hypocrisi ac falsitati detraxit, societatis doctrinam tribus his propositionibus defendit. 1° Jesuitæ in materiâ morum semper tenuerunt opiniones quæ in scholis catholicis eo tempore erant communes. 2° Si Jesuitæ aliqui tenuerunt aliquas propositiones contra communem, in hoc secuti sunt alios non Jesuitas, et major pars Jesuitarum illis contradixit. 3° Si aliqua opinio à S. Sede damnata fuit, eamdem damnârunt Jesuitæ, nec permiserunt à suis impunè doceri. Tertiò, si non vehementer mea me fallat opinio, satis patet vel è solis memorati auctoris gemini vindiciis innocentia doctrinæ benignæ, quam licet isti theologi maximâ auctoritate ac rationum pondere nixi pro viribus defendant, neutiquàm tamen laxis illis absurdisque opinionibus, quas ex ipsorum principiis violenter deducunt, imò per summam injuriam iis affingunt adversarii, portam aperiunt, quin potiùs claudunt, et apertè in quæstionibus singularibus rejiciunt ac damnant tanquàm spurios Probabilismi partus, et verâ theologicâque probabilitate destitutos, quemadmodùm demonstravi allatis utriusque verbis. Quartò, liceat mihi, quoniam in morum negotio versamur, casum practicum proponere Præsentato, cum bonâ ipsius venià; est autem ejusmodi : Titius scribit librum, in quo viros religiosos et in famâ doctrinæ satis magnæ constitutos, atque in scholis non rarò citari solitos, quos nomine suo compellat, traducit ac si sententias partim damnatas, partim valdè absurdas passim docuissent ac propugnâssent, easque sententias palam enumerat, atque legendas exhibet : isti autem boni viri tale nihil admodùm docuerunt ac propugnârunt, imò ubivis ferè contrarium; insupra læsa illorum fama in totius ordinis sacri dispendium cedit. Ecce casum! Quæritur jam, an et quâ ratione Titius peccet, et ad quid teneatur? Resolutionem istius casûs practici non desidero ut petat et doctoribus rigidis Tutiorismum aut probabiliorismum defendentibus (volo enim satis liberaliter agere), sed è recentioribus Casuistis, et laxioris ethices fundatoribus vel patronis, quales esse deprædicat Tamburinum, Escobarium, etc. Invenire illam poterit apud priorem in Explic. Decal. l. 9, c. 3, § 1, n. 5, et apud posteriorem in Theol. moral. tract. 1, exam. 10, c. 3 et 4.

## CAPUT VII.

### APPELLATIO AD TRIBUNAL CRITICUM.

§ *unicus.*

Multa sanè, imò plurima hìc occurrunt, ad sanæ criseos et justitiæ bilancem probè expendenda; verùm ut brevitati consulam, atque instituto meo satisfaciam, singula non persequar in hoc loco, sed rem totam certos intra limites constrictam, et in paucos articulos contractam ante oculos ponere conabor, ut ingenua indoles sententiæ benignæ, seu licentia sequendi opinionem verè ac solidè probabilem, uti eam descripsi ad finem capitis 4, luce clariùs appareat.

XXXII. Primus esto articulus, quem origo hujus controversiæ suppeditat. Vidimus sanè doctrinam hanc, velut mediam inter duo extrema; nimirùm inter sententiam nimis rigidam et inter nimis laxam, quarum utraque meritò à summâ Sede damnata fuit, num. 1, post Dominicum Soto et Bartholomæum Me-

dinam, doctissimos Thomistas, qui ferè primi benignam sententiam ad scholæ leges examinatam stabiliverunt, integro penè seculo quietam, et summo doctorum consensu receptam fuisse ; donec Janseni asseclæ, præsertim Montaltius et Wendrochius, his que non multùm inferior Sinnichius, apertum ei bellum indixère. Sed quo armorum genere? Sanè non alio, quàm quæ furor et odium in Jesuitas, in quos ferè solos tempestas illa desæviit, subministrabat, scilicet omni conviciorum genere, cavillationum et falsitatum ingenti apparatu, num. 4 et 8 ; horum postea vestigia secuti sunt, quod dolenter refero, viri cæteroquin docti, religiosi, spectatissimi ordinis alumni aliquot, Contensonius, Gonetus ( ut nihil dicam de Vincentio Baronio ), Natalis Alexander, Concina, et Præsentatus, qui diversis temporibus in hanc usque diem bellum hoc plusquàm civile prosequi non dubitârunt, num. 5, 6, 8. Et quod mirum est, omnes in geminis dotibus, nempe in styli atrocitate, et in Jesuitas ferè solos perstringendi libidine, quasi pacto fœdere convenerunt. Citavi auctorum istorum libros, recitavi verba, detexi artes quibus usi sunt, illiberales, ut nemini dubium esse possit, quo zelo animati in aciem prodierint, et calamum strinxerint. Nec est quod Concina sæpiùs amarè conqueratur ; eos qui probabiliora sequi oportere contendant, ab adversâ parte confestim Jansenistis accenseri per summam injuriam, ad quam propulsandam calamum stringere sibi fuerit necesse. Obsecro, quis grande hoc crimen commisit? quis Probabilistarum, aliquem qui Probabiliorismum defendendum sibi sumpsit, propterea Jansenismi postulavit? Palam faciat illum, si possit. Putidum hoc figmentum est ad invidiam conflandam, et malas artes tegendas excogitatum. Hoc tamen ausim profiteri, si quis dixerit, quòd et ipse et alii hoc in negotio scribendi methodo, stylo et spiritu Jansenistis apprimè familiari fuerint usi, eum à veritate parùm vel nihil aberrâsse. Ecce ! testes et tabulas : probabilitatis doctrina vocatur : *Virulentum et sceleratum dogma, religionis exitium, imò omnium religionum permixtio, scaturigo flagitiorum, pietatis excidium, catholici nominis dedecus, ruina ecclesiasticæ disciplinæ, fidelium horror, hæresum patrocinium, evacuans gratiam Salvatoris, probabilitatis monstrum, ars cavillandi cum Deo, nociva sacerdotio et imperio, infallibilitati pontificiæ, et auctoritati supremorum principum, vicina Jansenismo, via ad omnes sectas, disponens ad tremendam quamdam cæcitatem, faciens hominem ipso Deo potentiorem, doctrina ad quam infernus inhorrescat.* Probabilistæ appellantur : *Laxitatum prœcones, buccinatores, cœci et cœcorum ductores, emollientes jugum Christi, pulvillos et cervicalia ponentes sub hominum capita, in negligentiis suis dormitantes, Christianorum seductores, magistri prurientes auribus, à viâ evangelicâ abducentes, adversantes principiis Christi, violantes omnem regulam interpretationis S. Scripturæ, cohonestantes innumeras nefandorum scelerum immanitates, et infinitas spurcitiarum turpitudines, muli invicem scabentes, Turcis et ethnicis pejores, rusticis et mulierculis insipientiores, ethnicè loquentes, abundantes malignitate diaboli.* Ecce! cimelia ex adversariorum libris et verbis num. 5, 6, 7, 26, à me citatis fideliter extracta. Quos autem potissimùm maledictis his impetant, patet ex auctoribus, quorum laxas et absurdas, uti prætendunt, opiniones liberalissimè citant, sed plerumque vel non integrè, vel non sincerè, vel malâ fide ; quùm tamen ignorare non possint quòd præter innumeros alios ex omni ordine, doctissimi Thomistæ quamplures hanc ipsam, in quam adeò debacchantur, benignam sententiam fuerint amplexi, docuerint, imò aliis exemplo suo viam monstraverint, quorum minimè dubia, sed clarissima verba ex ipsis fontibus hausta in lucem protraxi, num. 11. Nimirùm faciunt quod illi qui dùm in propriâ domo exortus est ignis, cum laternis et facibus, cum pice et resinâ ad restinguendum proximi Ucalegontis incendium accurrunt. De ducibus altum silentium, omnis in gregarios veluti milites, in Jesuitas invidia exoneratur, in hos culpa omnis depravatæ morum disciplinæ conjicitur. Hi tanquàm juniores Casuistæ locum cedere jubentur adversariis, gravissimis, veteranis et veris theologis ac morum reformatoribus. Illi nonnisi aves gregatim volantes, isti aquilæ sunt sublimè incedentes. Forsan dicent, se hisce suis declamationibus solùm persequi, et meritò detonare in vagum illum Probabilismum, qui quicquid opinabile est, modò speciem aliquam probabilitatis præ se ferat, licitum esse vult, quâ doctrinâ nihil magis abominandum, nullâque satis censurarum hecatombe expiandum ; atque hinc injuriam sibi fieri, si in nostrorum doctrinam auctorum hæc fulmina fabricata jaculataque conqueramur. Non me latet occultum artificium. Sed non patiar quò minùs larva detrahatur latenti sub ineptâ hâc excusatione consilio. Quæro si quis gravissimè inveheretur in vagum quoddam et nullius frugis religiosorum genus, appellando illos, uti tales reipsà sunt, religionis dedecus, morum pestem, pietatis excidium, Ecclesiæ, Dei, corruptelam, Evangelium evacuantes, abundantes malignitate diaboli, et quæ sunt alia ; post hanc autem præfationem longâ serie et benè multos adduceret certi statûs religiosi alumnos, nomine suo quemque compellaret, et ipsorum facta, quamvis nihil horum mereantur, et neutiquàm talia esse probentur, allegaret tanquàm absurda et absurdissima : an talis crederetur solummodò in vagum quoddam religiosorum, tam sancto nomine indignorum, an verò ex professo in certi cujusdam ordinis religiosi viscera grassari? plura non addo. Quis jam est benè moratus et rerum intelligens, qui non videat quàm grave præjudicium tum Præsentatus, tum alii quidam Thomistæ sibi ipsis suæque causæ accersant vel solâ adeò acerbâ scribendi declamandique methodo, quæ vel maximè moralem et Christianam, quam profitentur se scribere, Theologiam dedecet? Estne justum hoc armorum genus, pleno ore ac calamo tot tamque propudiosa dicteria in contra sententium opiniones atque sententias effundere? Sanè nimiùm debiles sunt argumentationes, quæ ad suî confirmationem indigent maledictis, et plerumque ad

dicteria recurritur, quùm de causâ principali desperatur. Nihil equidem antiquius est inter auctores etiam magni nominis, præcipuè in rebus moralibus, quæ ut plurimùm ab opinandi facultate pendent, nihil, inquam, antiquius, quàm ut unus auctor sententiam alterius oppugnet ( quod et Jesuitæ inter se quoque sine dissimulatione faciunt ) rationes rationibus opponendo, ut veritas, quantùm fieri potest eruatur. Sed tantâ cum rabie (sit verbo venia) invadere viros de republicâ litterariâ benè meritos, res est retroactis temporibus inaudita, multò minùs aureo hoc eruditionis seculo audienda. Quis sibi persuadeat, in tam exulceratis animis veritatis sanæque doctrinæ studium habitare? Quis fidem adhibeat, strictiorem ubique viam sectari oportere asserentibus, et simul adeò dissolutè scribentibus? Fortè autem præter hæc gravia adversùs benignam sententiam argumenta in medium afferuntur? Hoc brevissimè palam faciet.

XXXIII. Articulus secundus. Quod ad rationem è S. Scripturâ petitam attinet, satis arctæet angusta est via ad cœlum, si præcepta et leges, de quibus satis constat, sanctè observentur : non opus est arctiorem facere et angustiorem, obligando etiam ad leges de quibus non sufficienter constat, quùm eadem Veritas quæ vocat arctam et angustam portam, dicat etiam jugum suum suave, et onus suum leve ; neque divinæ bonitati et sapientiæ consonum esse videtur, quòd velit nos ad multas sanè leges servandas obligare, quarum existentia et obligandi vis non sufficienter, etiam post debitam in inquirendo diligentiam adhibitam, nobis innotescit, num. 13. Quæ ex SS. Patribus, Chrysostomo et Bernardo adducit Præsentatus, nullum habere robur, et hos loqui de eo, quid consilii sit, non quid præcepti, manifestè ostensum est num. 14. Quod ex S. Thomâ affert, idem omninò docent Probabilistæ, scilicet peccare illum qui *manente dubio practico* plures præbendas retinet; Scoti autem textum vel non legisse vel adulterâsse adversarium invictè demonstratur num. 15. Rationes aliæ quibus pugnat adversùs benignam sententiam, adeò leves sunt, ut responsione vix dignæ appareant : nunc contra dialecticæ leges peccat malè concludendo, num. 16 et 17; nunc dùm nimiùm probat, nihil probat, num. 18; nunc similitudines affert, quæ mirum in modum claudicant, num. 19; nunc historias producit de Philippo Parisiensi cancellario, cum quo ad orcum ablegare conatur Probabilistas; et de Henrico IV, Galliarum rege, à Calvinianâ sectâ ad catholicam fidem transeunte, quæ historiæ nullam vim ex multiplici capite contra Probabilismi doctrinam habent, et, si quam haberent, contra ipsum adversarium pugnarent, num. 19 et 20. Contra verò solida in favorem benignæ sententiæ, nec hactenùs enervata in medium adduxi argumenta. Nam præter auctoritatem sanè gravem doctorum Sorbonensium, et ipsorum principum Thomistarum, inprimis demonstravi nullam legem neque naturalem, neque divinam, neque humanam ostendi posse, quæ neget licentiam sequendi opinionem minùs quidem, sed verè, theologicè ac comparativè probabilem, num. 22; dein alienum esse a divinâ bonitate ac sapientiâ, quòd obligare nos velit ad observandas benè multas leges de quibus sufficienter nobis non constat, et quidem in negotiis frequenter admodùm occurrentibus, et cum indagine majoris probabilitatis, quàm deprehendere difficillima, et plurimis anxietatibus, scrupulis ac periculis obnoxia res foret, num. 23; demùm ex certo juris principio, ubi lex non est satis nota et promulgata, ignorantiam invincibilem dari, ac libertatem esse in possessione, num. 12 et 24. Præterea in appendice adjectâ Præsentatus malæ fidei ac gravis injuriæ viris omninò doctis Tamburino et Escobario, quibus absurdas propositiones audacter affinxit, illatæ palam convictus est, num. 30.

XXXIV. Sequitur tertius articulus. Mirum alicui videri posset quòd Præsentatus, Concina, et alii, de quibus memini, 1° postquàm toties et tam invictè ostensum est ipsis, tot insignes Thomistas in libris suis Probabilismum docuisse, impunè propugnâsse, aliisque facem protulisse; 2° postquàm adversariorum rationes et fundamenta jam pridem solidè non minùs quàm doctè in libris publicæ luci datis refutata fuerunt; 3° postquàm toties ipsorum calumniæ, dicteria et scommata ex Montaltii, Wendrochii et similium armamentario deprompta palam sunt reprehensa; 4° postquàm demonstratum est quàm malè intelligant, et pejus allegent auctores nostros ; 5° postquàm viderunt irritos fuisse conatus suos, quibus benignam sententiam censuris et fulminibus obnoxiam facere totis viribus adlaborârunt; 6° postquàm benè nôrunt ( nam viri docti ignorare non possunt ) quàm gravibus pontificum decretis in hoc negotio dicteria, cavillationes et censuræ fuerint prohibitæ : mirum, inquam, alicui videri posset quòd hæc omnia antiquam semper crambem excitent, antiquam cantent cantilenam, antiqua argumenta, antiquas criminationes proferant; sed qui rem penitiùs inspiciunt brevi desinent mirari. Sufficit enim illis, modò semper sint (uti nunquàm desunt pusilli, ingenio debiles, aut partium studio abrepti ) qui credant, qui adhæreant, qui applaudant; sufficit ingenuam indolem probabilismi fœdissimis coloribus deturpatam publico conspectui exponere, tanquàm propriæ Jesuitarum doctrinæ. Verùm obsecro quo zelo, quo fructu identidem hæc fiunt? Zelus bonus longè alias habet notas, alios characteres. Fructus alius esse non potest, quàm qui parùm ædificationis, parùm mutuæ inter sacerrimos ordines charitatis, et ipsi Ecclesiæ Dei parùm honoris afferat. Amplectamur potiùs pulchrum et solidum D. Bonaventuræ documentum, quod suggerit doctissimus theologus Martinus Esparza in Appendice ad quæstionem de usu licito opinionis probabilis, part. 3, art. 215, his verbis : *Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sæpè malum bonum, secunda è contra bonum malum. Item prima sæpè salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.* Imò cum vero Samaritano miscea-

mus oleum vino, ut vulnera saucii generis humani eò certiùs ac citiùs sanentur.

Illud jam agendum mihi restare video, ut ingenuam indolem Probabilismi, à sordibus quibus liberalissimo Præsentati aliorumque calamo conspersa fuit, purgatam ante tribunal criticum sistam, ab eoque depositis omnibus præjudicatis opinionibus, ac sinistris animi affectibus, sanum judicium exorem. Mea tenui opinione rem totam his quinque propositionibus tanquàm limitibus circumscribere atque complecti licet: 1° Certum est licere sequi opinionem probabilissimam: 2° laudabile, ac si nihil aliunde obstet, omninò consultum est sequi tutiorem partem; 3° in aliquibus oportet sequi tutiorem; 4° licet sequi opinionem verè, theologicè ac comparativè probabilem; 5° illicitum omninò est sequi opinionem quamcumque, etiam tenuiter probabilem. Hæc tamen, uti omnia alia quæ hucusque dixi ac dicam, Ecclesiæ summæque Sedis judicio relicta, et, ut decet, humillimè subjecta sunto.

# GONZALEZ VITA.

Gonzalez (Thyrsus), Hispanus societatis Jesu generalis præfectus, obiit Romæ, anno 1705. Doctrinam *probabilismi*, cui plurimi casuistæ assenserant, acerrimè in Tractatu Romæ edito, anno 1694, explodere aggressus est. Quam sententiam non generaliter prævaluisse in ordine suo demonstrat eo argumento, quòd adversas partes ei, cùm summam in scholis decimæ et sextæ ætatis auctoritatem obtineret, ante omnes amplexi fuerint societatis Jesu asseclæ, Rebellus, 1608, Comitolus, 1609, Andræas Blancus, nomine *Candidii Philalethis* delitescens. Doctrinam dein validissimè expugnat; non tamen sui ordinis theologos ut præfectus suæ sententi astringit, sed tantùm ut privatus pro opinione sibi inditâ militatur. Uno anno duodecies editio hujus operis exhausta renovataque fuit. Sunt ab eodem scripta: *Tractatus adversùs propositiones clerici Gallicani anni* 1682, *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum; Veritas religionis christianæ demonstrata.*

# DE RECTO USU
## OPINIONUM PROBABILIUM.

### Prooemium.

Cùm primùm prodiit liber iste, mentem applicui illiùs studio, et eum non semel evolvi; et quia ejus doctrina mihi visa est solidissima, et apprimè utilis ad cohibendum opinionum probabilium abusum, et avertendas animas à periculo peccandi in delectu opinionum faventium carni et sanguini contra legem; operæ pretium facturum existimavi, si ea quæ fusè ab auctore proposita sunt, in breve compendium redigerem, ut plana doctrina tam salutaris familiaris sit, et sine tædio, vel temporis dispendio ab omnibus possit legi, et in praxim deduci: ita tamen in compendium redigam doctrinam auctoris, ut in solutione objectionum fusiùs aliquando ponam quæ ab ipso breviter tacta sunt, præsertim solvendo objectiones Bartholomæi de Medina et Antonii Terilli; aliaque ex proprio penu subjungam ad clariùs explicandum ejus sensum; omnia tamen juxta ejus mentem, eique probata.

§ I. *Proponitur status controversiæ.*

I. Suppono autem hìc sermonem non esse de opinionibus speculativis, quæ essentias et proprietates rerum contemplantur, sed de opinionibus practicis, quæ operationes morales dirigunt, et legem æternam nobis applicant; dùm illas operationes, tanquàm honestas vel saltem licitas proponunt, vel dùm illas ut illicitas repræsentant; movent enim ad operandum, vel ab operando retrahunt. Movent ad operandum saltem per modum removentis prohibens, dùm repræsentationem ut licitam, quia removent judicium de malitiâ illius actionis; quod si adesset, validè retraheret hominem à positione illius actionis; retrahunt ab operando, quatenùs ingerunt prudens judicium, timorem de peccato incurrendo, si talis actio exerceatur. Unde P. Antonius Terillus in tomo de Regulâ morum, quæst. 1, n. 9, designans conditiones requisitas, *ut opinio* sit *practicè* probabilis, *præter alias*,

requirit *hanc, ut nimirùm enuntiet rem propositam esse licitam seu conformem legi æternæ; aliter non est practicè probabilis, quia non applicat legem æternam; cujus propositio seu applicatio est propria differentia opinionis practicè probabilis ab omni aliâ opinione.*

II. Disputatur ergo, an quando operans agnoscit esse duas opiniones oppositas, alteram stantem pro lege adversùs libertatem, quatenùs affirmat, v. g., certum contractum esse usurarium ac lege divinâ prohibitum; alterum faventem libertati adversùs legem, quatenùs negat talem contractum esse usurarium ac lege divinâ prohibitum, vel affirmat esse licitum et lege divinâ permissum; an, inquam, possit tunc operans eligere hanc opinionem benignam faventem lucro et commodo, quamvis agnoscat esse minùs probabilem, relictâ opinione contrariâ severâ defendente legem adversùs lucrum et commodum, quam agnoscit esse magis probabilem.

III. Sub aliis terminis communiter inter auctores hujus seculi agitatur quæstio, nimirùm sub istis : An liceat sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu et conflictu probabilioris et tutioris, seu an liceat sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam, relictâ probabiliori et tutiori, cognitâ ut tali.

§ II. *Quid sit opinio probabilis?*

IV. Ut autem definit P. Generalis in suo libro, dissert. 1, num. 40 : *Opinio probabilis est illa quæ concipitur ob rationes, vel auctoritatem, talem præferentes apparentiam veritatis, ut ob illas vir prudens sine ullâ præcipitatione et passione judicet rem esse veram, licèt agnoscat non repugnare quòd sit falsa, quia videlicet medium assentiendi non est demonstrativum.* Vel, secundùm definitionem P. Antonii Terilli, q. 2 de Consc., num. 41 : *Opinio probabilis est judicium absolutum de aliquo objecto, sed incertum, innixum motivo cui homo irreprehensibiliter assensum præbet.* Vel, secundùm definitionem P. Martini de Esparzâ, 1-2, q. 23 : *Opinio probabilis est illa quæ nititur motivo fallibili, sed magni momenti, id est, fundante exiguam formidinem;* sed debet addi : *quod tale apparet operanti citra passionem et culpam post debitam veritatis inquisitionem.* Ex iis definitionibus rectè arguit prælatus generalis, disc. 1, num. 17, contra hosce auctores, licitum non esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris, quia vir prudens, qui omnibus hinc inde consideratis invenit majus fundamentum ad judicandum actionem esse illicitam, quàm ad judicandum esse licitam, nequit hoc secundum prudenter sibi persuadere. Unde maximè probat illationem factam à P. Ludovico Schildere Societatis Jesu insigni theologo ex definitione opinionis probabilis; nam in opere de principiis conscientiæ formandæ tract. 2, § 1, num. 12, sic definit opinionem probabilem : *Opinio probabilis,* inquit, *est assensus cum formidine innixus rationibus gravibus, ex qualibus vir consideratus post argumenta contraria considerata et soluta in negotiis magni momenti concludere solet.* Et ex hâc definitione sic colligit : *Ex hâc definitione,* inquit, *sequitur quòd quando pro utrâque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè superant alias, opinio formata non sit probabilis; nam rationes pro utrâque parte allatæ, si sint æquales, vel ferè æquales, elidunt vim mutuam, ut nullus consideratus vir ob alterutras sit formaturus assensum, ex eoque processurus ad praxim; sic nullus vir consideratus judicabit se facturum esse ex aliquâ negotiatione lucrum, quando tot rationes sunt contra spem lucri, quot pro illâ sunt.*

§ III. *Cur opinio favens libertati dicatur minùs tuta, cùm sæpè sit positivè intuta.*

V. Dùm autem opinio benigna favens libertati dicitur minùs tuta, et sententia severa favens legi dicitur tutior, illud comparativum *minùs tuta* non significat illam opinionem esse in se positivè tutam; solùm enim est positivè tuta in se, quando est vera : quando autem est falsa, est in se positivè intuta, utpote quæ contrariatur divinæ legi reprobanti ut malum et illicitum illum contractum, quem ipsa approbat ut licitum. Unde operans illam eligens, si illam eligit dùm judicat esse falsam, vel dùm prudenter judicare potest falsam esse, vel dùm dubius est, an sit vera vel falsa, scienter transgreditur legem divinam, illamque contemnit, ac proinde formaliter peccat. Si autem illam eligit, quia bonâ fide citra passionem et culpabilem negligentiam sibi persuadet illam esse veram, non electurus si judicaret, vel judicare prudenter posset esse falsam, vel de hoc prudenter dubitaret, tunc solùm materialiter transgreditur legem, et per ignorantiam excusatur à culpâ. At opinio favens legi adversùs libertatem est positivè tuta, quia in omni eventu liberat à peccato eum qui illam sequitur, sive sit vera, sive sit falsa; semper enim est laudabile omittere contractum, de quo datur opinio quòd sit usurarius, quamvis illa opinio sit falsa, et contractus ille in re non sit usurarius, quia non solùm est peccatum facere contractum quem verè affirmas esse usurarium, sed quem falsò tibi persuades esse usurarium. Quia ergo in omni eventu est licitum, imò et honestum se accommodare in operando cum opinione affirmante certam actionem esse malam, et se accommodare cum opinione contrariâ affirmante illam actionem esse licitam aliquando est licitum, et aliquando est illicitum; propterea opinio favens libertati adversùs legem dicitur minùs tuta, et opinio favens legi adversùs libertatem dicitur tutior.

VI. Unde patet Probabilistas modernos falsò supponere, vel affirmare, opinionem faventem libertati adversùs legem esse tutam respectu operantis, quamvis ipsi repræsentetur ut minùs verisimilis, quàm sententia stans pro lege adversùs libertatem, quia tunc positivè est intuta; siquidem tunc operans prudenter judicare potest illam esse falsam, et legi divinæ contrariam. Unde qui tunc illam sequeretur, sectaretur opinionem positivè intutam.

§ IV. *Sententia benigna de usu licito opinionis minùs probabilis et minùs tutæ disputari potest in duplici sensu inter se valdè diverso.*

VII. Præterea dùm comparatur opinio favens liber-

tati cum opinione favente legi, et una dicitur probabilior, vel minùs probabilis quàm alia : *Tò magis vel minus probabilis* potest intelligi de magis vel minùs probabili in se, seu de magis et minùs probabili respectivè ad communitatem hominum, vel de magis vel minùs probabili formaliter et respectu ipsius operantis. Cùm enim juxta Aristotelem *probabilia sint illa quæ* à sapientibus *probantur* sive *approbantur, seu quæ videntur vera sapientibus*, illa opinio erit probabilior in se, et respectu communitatis hominum, quæ pluribus sapientibus, vel sapientiâ clarioribus viris probatur ; illa verò erit minùs probabilis in se, quæ paucioribus vel minùs clariùs probatur : nam quamvis probabilitas omnis sumatur per ordinem ad rationem, tamen hoc ipso quòd opinio sit communior inter sapientes, præsertim inter magis conspicuos, præsumitur habere majora fundamenta rationis, quia præsumitur tot probos et sapientes viros non convenisse in eamdem sententiam sine magno fundamento ; et quò plures et magis conspicui sunt illi sapientes, crescit hæc præsumptio. Et in hoc sensu sententia magis communis inter sapientes, et inter sapientiâ maximè conspicuos, præsumitur habere majora fundamenta rationis.

VIII. Esto autem sententia communior inter sapientes, præsertim inter sapientiâ magis conspicuos, præsumatur esse magis fundata, seu habere majora fundamenta rationis ; fieri potest ut respectu hujus vel illius hominis in particulari cesset illa præsumptio ; nimirùm si ille post diligens studium deprehendat fundamenta illius sententiæ communioris esse debilia, et inveniat pro parte minùs communi rationem clarè validiorem ; tunc enim sententia, quæ in se est probabilior, respectu illius est minùs probabilis ; imò respectu illius non est probabilis, quia nec illi probatur, nec prudenter probari potest ; quamvis enim agnoscat illam sententiam probatam sive approbatam fuisse à multis viris sapientibus, quibus ejus fundamenta proposita sunt ut urgentiora oppositis, cognoscit tamen sibi probari non posse, utpote qui detexit debilitatem illorum fundamentorum, quam non detexerunt auctores illi ; et idcircò prudenter non potest illam approbare per assensum, seu illi assentiri, ac proinde agnoscit non esse probabilem sibi.

IX. In duobus ergo sensibus potest institui hæc quæstio. Primus est, an cuilibet liceat sequi sententiam probabilem minùs tutam, quamvis agnoscat esse in se minùs probabilem, id est, minùs communem inter sapientes, dummodò ipsi probetur, id est, dummodò in ejus intellectu habeat eumdem statum, quem habuit in intellectu suorum auctorum, quibus illius sententiæ fundamenta apparuerunt verisimiliora oppositis ; id est, dummodò illi per principia intrinseca repræsentetur ut magis verisimilis, quàm sententia opposita, quæ in se est probabilior et communior. Sive paulò aliter, an licitum sit sequi sententiam probabilem minùs tutam, quamvis operans agnoscat esse minùs communem inter sapientes magni nominis, seu inter auctores classicos, dummodò agnoscat esse magis fundatam, seu solidioribus nixam fundamentis.

Secundus sensus est, an licitum sit sequi sententiam probabilem minùs tutam, quando operans agnoscit illam non solùm esse in se minùs probabilem, id est, minùs communem inter auctores graves, sed insuper agnoscit esse minùs fundatam, id est, minoribus fulcitam rationibus, ac proinde quamvis ipsi proponatur ut minùs verisimilis quàm opposita ; seu an liceat sequi sententiam probabilem minùs tutam, relictâ tutiore et probabiliore in se, et insuper operanti ipsi verisimiliore. Qui duo sensus sunt diversissimi : quos quia non satis distinxerunt aliqui auctores hujus seculi, ab uno sensu, in quo est vera, gradum fecerunt ad alium, in quo est planè falsa, ut in discursu hujus scripturæ constabit.

§ V. *Argumentum libri præpositi generalis de Recto usu opinionum probabilium ; ex quo constat illum tenere viam mediam inter rigorem et laxitatem ; et in delectu opinionum non quærere severitatem, sed veritatem.*

X. Frontispicium ipsum libri manifestat ejus argumentum et scopum ; est autem hoc : *Fundamentum theologiæ moralis, id est, tractatus theologicus de Recto usu opinionum probabilium, in quo ostenditur, ut quis licitè possit sequi opinionem probabilem faventem libertati adversùs legem, omninò necessarium esse, et sufficere, quòd post diligentem veritatis inquisitionem ex sincero desiderio non offendendi Deum susceptam, opinio illa ipsi appareat, attentâ ratione et auctoritate, vel unicè verisimilis, vel manifestè verisimilior quàm opposita, stans pro lege adversùs libertatem ; ac idcircò ab ipso judicetur vera judicio absoluto, firmo, et non fluctuante.*

§ VI. *Duo extrema nimiæ indulgentiæ et nimiæ severitatis cavenda in delectu opinionum faventium libertati, jam damnata à summis pontificibus Innocentio XI et Alexandro VIII.*

XI. In hâc controversiâ duæ sunt sententiæ extremè oppositæ. Altera nimis benigna, affirmans omnem opinionem probabilem de honestate vel licentiâ actionis, v. g., certî contractûs, sufficere ad securitatem conscientiæ ; ac proinde licitum esse cuilibet sequi opinionem absolutè probabilem in se affirmantem, v. g., certum contractum esse licitum, quamvis ipsi auctoritate et ratione sit notabiliter minùs verisimilis quàm sententia tutior, id est, quamvis sit minùs communis cum notabili excessu, manifestèque minùs fundata quàm sententia tutior, ita ut comparativè ad illam sit tenuiter et exiguè verisimilis operanti. Altera nimis rigida, affirmans nullam opinionem merè probabilem de honestate vel licentiâ actionis sufficere ad securitatem conscientiæ ; ac proinde neminem posse exercere contractum de quo sunt contrariæ sententiæ an sit licitus, quamvis sciat sententiam affirmantem eum esse licitum esse communissimam inter auctores graves, et insuper agnoscat ejus fundamenta esse maxima intra genus probabilitatis ; sed requiri omnimodam certitudinem, id est, requiri quòd operans talia inveniat fundamenta rationis et auctoritatis pro parte minùs tutâ, ut vi illorum ferat

judicium omninò certum de eo quòd ille contractus sit in se licitus, seu lege divinâ non prohibitus. Duo ista extrema damnata jam videntur à summis pontificibus. Extremum quidem indulgentiæ et benignitatis ab Innoc. XI, dùm inter 65 propositiones damnavit hanc ordine tertiam : *Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui modo, à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Extremum verò rigoris damnatum videtur ab Alex. VIII, anno 1690. Dùm inter triginta et unam propositiones damnavit hanc etiam ordine tertiam : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Unde jam ex decreto Innocent. XI certum videtur non omnem opinionem absolutè probabilem ex iis quæ favent libertati adversùs legem, seu ex iis quæ affirmant certam actionem esse licitam, esse securam regulam operandi, seu sufficientem ad excusandum à peccato operantem secundùm illam, quia si concurrat cum opinione contrariâ stante pro lege adversùs libertatem, et hæc sit longè probabilior, et ut talis cognoscatur ab operante, ita ut sub illâ comparatione opinio benigna appareat ipsi tenuiter vel tenuissimè probabilis ; jam non potest hanc in praxin deducere.

XII. Rursùs ex decreto Alexandri VIII jam certum videtur aliquando licitum esse sequi opinionem faventem libertati adversùs legem, saltem quando ita præeminet quoad probabilitatem et verisimilitutidem sententiæ contrariæ, ut hæc respectu illius sit exiguè et tenuiter verisimilis, quia tunc licet operans non cognoscat evidenter actionem non esse prohibitam, nec sit omninò certus de ipsius honestate, prudenter tamen judicat esse honestam, judicio firmo et non vacillante, excludente nimirùm prudentem timorem et moralem formidinem ne fortè actio illa sit mala ; quamvis enim reflectens supra motivum assentiendi, agnoscat illud non esse ex se essentialiter connexum cum veritate enuntiatâ per actum, ac proinde cognoscat non repugnare quòd opinio illa benigna sit falsa, hoc judicium reflexum est formido purè logica, quæ essentialis est assensui opinativo prout distincto ab assensu fidei divinæ et ab assensu scientifico, et non habet connexionem cum formidine morali seu timore prudenti, ne forsan subsit malitia tali actioni, et componitur cum certitudine quâdam morali, quæ conscientiam reddit tranquillam et securam, quòd non peccet exercendo illam actionem. Sic quando pro parte benignâ favente libertati occurrunt argumenta valida intra genus probabilitatis, auctoritatis et rationis ; et nihil gravis momenti occurrit pro parte contrariâ, homo prudenter judicat judicio firmo non vacillante rem illam esse licitam, quin ullam habet anxietatem conscientiæ ne fortè sit mala ; et tamen reflectens supra motivum judicandi verè affirmare potest non repugnare quòd res illa sit mala. Quo in casu habet formidinem logicam consistentem in actu illo intellectûs reflexo ; non tamen habet formidinem moralem, quia non habet motivum prudens timendi, ne forsan res illa sit mala. Tunc enim verè dicere potest : Quamvis attento motivo mei assensûs quo judico rem esse licitam, non repugnet istud judicium esse falsum, tamen ego hìc et nunc nullum habeo motivum sufficiens ad judicandum esse falsum, imò nec habeo motivum ad suspendendum assensum circa honestatem talis rei, et ad prudenter dubitandum an sit mala.

XIII. In hunc modum, quando in re controversâ inter auctores, v. g., an certus contractus sit licitus, an potiùs sit usurarius et illicitus, operans post diligentem veritatis inquisitionem remotâ omni passione et affectu inordinato, invenit pro parte benignâ fundamenta auctoritatis et rationis notabiliter præeminentia fundamentis sententiæ contrariæ ; ita ut hæc comparativè ad illa meritò reputentur levia, prudenter judicat judicio firmo non vacillante, et cum morali quâdam certitudine, contractum illum esse licitum, sine formidine morali et timore prudenti ne fortè sit usurarius. Quamvis enim reflectens supra motivum sic judicandi, agnoscat illud non esse evidens, ac proinde verè affirmet non repugnare quòd illud suum judicium sit falsum, tamen verè dicere potest : *Ego hìc et nunc non potui prudenter judicare contractum illum esse usurarium, nec habeo motivum prudens suspendendi judicium, et dubitandi an contractus iste sit usurarius.* Quare tunc tranquillè sine hæsitatione ullâ et sine morali formidine judicat contractum illum esse licitum, et tanquàm scrupulum potest contemnere rationem occurrentem pro parte contrariâ, quia agnoscit illam esse levem comparatam cum ratione quâ ipse permotus est.

§ VII. *Proponitur sententia moderata Probabilistarum recentium declinans à nimiâ indulgentiâ ; ubi ostenditur eos falsò supponere sententiam minùs tutam manere certò probabilem apud eum cui opinio tutior apparet æquè verisimilis ; et à fortiori falsò id supponere, quando illi apparet absolutè et simpliciter verisimilior.*

XIV. Probabilistæ moderni considerantes sententiam Caramuelis et sequacium asserentium licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem practicè seu probabiliter affirmantem talem vel talem actionem esse licitam ; illam doctrinam prudenter limitârunt, asserentes ad probabilitatem opinionis non sufficere quòd nitatur motivo quod secundùm se consideratum sit absolutè magnum ; sed requiri quòd nitatur motivo quod etiam comparativè ad motiva partis oppositæ sit magnum, seu retineat magnam vim movendi ad assensum, ac proinde quòd saltem sit physicè vel moraliter æquale, id est, æquale vel ferè æquale fundamentis sententiæ contrariæ. Ita P. Esparza, P. Antonius Terillus, et P. Andreas Junius, insignes theologi Soc., et alii citati à Patre generali in Introductione operis à n. 27 ad 31, et diss. 1, n. 15 et 16. Atque adeò juxta hos Probabilistas moderatos, ut quis licitè possit sequi sententiam faventem libertati adversùs legem in occursu opinionis contrariæ, non satis est quòd sciat illam esse absolutè probabilem in se, sed requiritur quòd agnoscat esse probabilem comparativè ad sententiam oppositam, id est,

quòd ejus fundamenta adhùc sub comparatione ad omnia fundamenta allegata pro contrariâ, appareant illi magna.

XV. Præpositus generalis censet hanc limitationem esse quidem valdè necessariam ad cohibendum opinionum probabilium abusum, et sapienter fuisse adhibitam ab auctoribus benignis modernioribus; cæterùm dicit non esse sufficientem; et meritò contra illos auctores probat neminem licitè posse sequi partem faventem libertati adversùs legem, quando agnoscit fundamenta sententiæ contrariæ vel esse simpliciter majora, vel saltem æqualia; nam si sunt simpliciter majora, tunc homo prudenter potest judicare esse illicitam actionem, de quâ disputatur. Non potest autem licitè exequi actionem in illis circumstantiis, in quibus judicat vel prudenter judicare potest esse malam; si autem motiva utriusque partis sunt simpliciter æqualia, tunc intellectus manet necessariò dubius quin possit judicare in quâ parte sit veritas: ut enim definit Sylvester: *Dubium secundùm philosophum et mentem D. Thomæ est contrariarum rationum æqualitas; unde propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes; ita quod non inclinetur magis ad hoc quàm ad illud notabiliter.* Est autem principium certum, quòd in dubiis tutior pars est eligenda; idque non ex consilio tantùm, sed ex præcepto. Qui enim dubitat an res sit lege divinâ prohibita, et tamen in hoc dubio rem illam exequitur, certissimè peccat, quia contemnit legem et legislatorem, et anteponit lucrum vel delectationem temporalem amicitiæ divinæ, ut probat præpositus generalis, diss. 11, cap. 2, à n. 5, et diss. 10, n. 110. Et hæc est sententia expressa D. Thomæ quodlib. 8, art. 13, ubi docet eum qui ex *contrarietate* opinionum inducitur in quamdam dubitationem, *an licitum sit habere simul plures præbendas*, et nihilominùs illas habet, *sine dubio peccare, si manente*, inquit, *tali dubitatione, plures præbendas habet; periculo se committit, et sic sine dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.*

XVI. Unde Probabilistæ illi moderati licet cohibuerunt laxitates Caramuelis et sequacium, non tamen, meo videri, assecuti sunt intentum avertendi homines à periculo gravi peccandi in delectu opinionum probabilium. Illi quidem rectè docuerunt ad usum licitum opinionis minùs tutæ non sufficere quòd illa sit utcumque probabilis, sed requiri quòd sit certò probabilis. Insuper rectè docuerunt non sufficere quòd illa secundùm se et absolutè considerata sit probabilis, sed requiri quòd sit probabilis etiam comparativè ad sententiam oppositam stantem pro lege adversùs libertatem; ita ut ejus fundamenta non solùm appareant magna, dùm seorsim considerantur, sed etiam dùm comparantur cum fundamentis sententiæ contrariæ, et in conflictu et concursu eorum impellunt intellectum ad assensum. Sed falsò supponunt, et nunquàm probant, nec probare possunt, sententiam minùs tutam manere certò probabilem in occursu tutioris æquè probabilis, id est, manere certò probabilem apud eum intellectum, cui sententia opposita proponitur ut æquè verisimilis, ita ut intellectus ille experiatur se non minùs impelli ad judicandum certum contractum, v. gr., esse usurarium per fundamenta sententiæ tutioris, quàm impellitur ad judicandum oppositum per fundamentum sententiæ minùs tutæ. Ut enim opinio aliqua sit certò probabilis respectu alicujus, requiritur quòd sit certum quòd intellectus ipsius possit prudenter vel saltem irreprehensibiliter illam approbare ut veram, præstando illi assensum absolutum, cùm solùm sint probabilia sapienti, quæ illi meritò probari possunt, seu ab illo meritò approbari. Et ideò sapienter aiebat Aug. lib. de Utilitate credendi, cap. 11: *Quomodò est illud quod sequuntur, si non probatur probabile?* Et ad mentem August. eminentiss. cardinalis Laurææ apud Patrem generalem, diss. 1, n. 35, aiebat non debere appellari probabile in sensu Aristotelis et in sensu Scripturæ, nisi id quod apparet magis verisimile quàm contrarium: *Nam probabile*, inquit Cardinalis, *idem importat ac dignum ut approbetur.* Ex opinionibus autem contrariis non est digna ut approbetur ab homine prudenti opinio minùs tuta, quando illi magis apparet falsa quàm vera; nec quando illi non magis apparet vera quàm falsa: ergo solùm est digna approbari, quando illi apparet magis vera quàm falsa; ergo solùm est probabilis operanti opinio minùs tuta, quando illi apparet magis verisimilis quàm opinio opposita.

Jam verò ubi intellectui eidem simul proponuntur fundamenta sententiarum invicem oppositarum cum æquali omninò vi movendi, non est certum quòd possit uni potiùs quàm alteri prudenter assentiri. Dum enim Petro repræsentantur motiva fortia ut quatuor ad judicandum certum contractum esse usurarium, quamvis repræsententur simul eidem motiva æquè fortia ad judicandum talem contractum esse licitum, non est certum quòd possit prudenter judicare illum contractum esse licitum: imò non videtur possibile; cùm enim intellectus tendat sub ratione veri, non potest voluntas illi efficaciter imperare, ut judicet certum contractum esse licitum, quando non habet majus motivum ad hoc judicandum quàm ad judicandum oppositum, seu quando in actu primo non illi apparet magis verum quàm falsum, quòd ille contractus sit licitus. Sic si ego videam hominem venientem à longè, et prudenter dubitem an sit Petrus, an potiùs Paulus, quia pro alterutro mihi occurrunt motiva æqualia, non potero habere hunc actum: *Ego verò dubito an sit Petrus, an Paulus, et tamen determinatè censeo esse potiùs Petrum quàm Paulum.*

XVII. Rursùs, quamvis foret physicè possibile quòd tunc intellectus ex imperio voluntatis judicaret talem contractum esse licitum, non posset illud judicium esse prudens. Quæ enim prudentia esse potest, nisi prudentia carnis, quòd tu judices certum contractum esse licitum, ut sic illum impunè possis exercere, quando habes æquale fundamentum ad judicandum esse illicitum? Ergo videtur omninò exploratum non esse certum quòd intellectus possit prudenter judicare

unum contractum esse licitum, quando omnibus consideratis habet æquale fundamentum ad judicandum esse illicitum : ergo Probabilistæ supponentes opinionem minùs tutam manere certò probabilem apud eum cui opinio tutior apparet æquè verisimilis, supponunt quod non probant, nec probare unquàm possunt ; ergo cùm ad usum licitum opinionis minùs tutæ requiratur quòd illa proponatur operanti ut certò probabilis, requiritur quòd proponatur illi ut notabiliter verisimilior sententiâ oppositâ, quia tunc solùm est certum quòd possit illam approbare ut veram ; et hinc à fortiori sequitur nunquàm posse respectu alicujus esse certò probabilem opinionem minùs tutam, quando opinio opposita repræsentatur ipsi simpliciter et absolutè ut verisimilior. Opinio namque dicitur probabilis per respectum ad prudentem approbationem intellectûs ; unde solùm est certò probabilis per respectum ad intellectum constitutum in circumstantiis, in quibus certum est posse approbare illam ut veram ; solùm autem est certum quòd possit prudenter approbare ut veram opinionem minùs tutam, quando omnibus ritè consideratis citra omnem passionem et culpam apparet illi notabiliter verisimilius illam opinionem esse veram quàm esse falsam. Unde operans, cui opinio minùs tuta apparet minùs verisimilis, vel non magis verisimilis quàm contraria, potest quidem verè affirmare illam esse probabilem aliis, nempe iis auctoribus qui illam innocuè propugnârunt ut veram ob fundamenta quæ illis visa sunt magna et præponderantia fundamentis sententiæ oppositæ ; non potest tamen verè affirmare esse probabilem sibi ; siquidem tunc non potest illam prudenter approbare ut veram.

§ VIII. *Sententia moderata Antiprobabilistarum fugiens nimium rigorem et nimiam benignitatem, quam sequitur præpositus generalis.*

XVIII. Antiprobabilistas appello eos auctores qui ad usum licitum opinionis minùs tutæ non quærunt solùm ejus probabilitatem, contenti cum judicio reflexo de probabilitate absolutâ opinionis, sed insuper requirunt veritatem, asserentes neminem posse licitè sequi sententiam minùs tutam, quin priùs judicio saltem opinativo innocuè et inculpabiliter concepto judicet esse veram et legi divinæ conformem ; et præterea affirmant non posse prudenter concipere hoc judicium, quin post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam hæc pars in actu primo repræsentetur ipsi absolutè verisimilior oppositâ, quia nemo potest prudenter judicare actionem aliquam esse licitam, quin motiva hoc suadentia post maturam considerationem appareant ipsi urgentiora motivis suadentibus oppositum ; idque non proveniat ex aliquâ passione vel affectu inordinato erga illam partem, sed ex momentis majoribus rationis et auctoritatis eò inclinantibus.

XIX. Hanc sententiam moderatam mediam inter rigorem et indulgentiam solidè statuit præpositus generalis in suo libro, in quo docet idem faciendum ab omnibus esse in negotio conscientiæ, quando dubitatur an aliqua actio sit licita vel illicita, et pro utrâque parte sunt opiniones contrariæ doctorum ; quòd fit à superiore in consultationibus negotiorum magni momenti, in quibus resolvere et determinare debet quid sit agendum, auditis consultoribus. In his namque consultationibus, quamvis superior possit aliquando prudenter sequi suffragium minoris partis consultorum, quæ secundùm se est minoris auctoritatis, nimirùm quando illa suum votum munit et comprobat rationibus solidioribus et efficacioribus, quàm sint rationes quas pars major adducit ad confirmandum suum suffragium, nunquàm tamen potest sine temeritate et imprudentiâ sequi minorem partem, quando agnoscit majorem partem et majoris auctoritatis (quæ non solùm ob majorem numerum, sed ob alias qualitates facit majorem auctoritatem) adducere pro suo voto rationes validiores. Sic ergo, inquit præpositus generalis, quod ubi operans agnoscit dari duas sententias absolutè et certò probabiles in se (utpote propugnatas ab auctoribus gravibus, et quæ ut probabiles circumferuntur), quarum una tutior affirmat certum contractum esse prohibitum, alia minùs tuta idipsum negat, quamvis sciat minùs tutam esse minùs communem inter auctores graves ; si tamen sciat defendi ut veram ab auctoribus classicis qui inconcussè dicuntur facere opinionem probabilem ; et aliunde pro illâ inveniat fundamentum rationis clarè præponderans omnibus fundamentis quæ allegantur pro parte contrariâ ; poterit licitè illam sequi, quia potest tunc prudenter judicare illam esse veram et legi divinæ non contrariam ; oppositam verò, etsi sit communior inter sapientes, et in se hoc pacto sit probabilior, tamen esse falsam, et imponere onus quod Deus non imposuit ; nunquàm tamen potest sequi opinionem minùs tutam, si agnoscat sententiam tutiorem esse non solùm magis communem inter sapientes, sed et esse magis fundatam, id est, solidioribus et urgentioribus nixam fundamentis rationis, quia tunc prudentissimè potest judicare auctores illos benignos deceptos fuisse, ac proinde sicut illorum sententiam improbat, et verissimè dicere potest sibi non posse tunc probari ; ita verissimè potest pronuntiare sibi non esse probabilem, quamvis sit probabilis aliis. Imò quamvis agnosceret sententiam tutiorem non esse communiorem inter sapientes, imò nec esse æquè communem ac sententiam benignam, esse tamen gravium et insignium auctorum æqualis ferè auctoritatis cum auctoribus sententiæ benignæ, et inveniret pro hâc sententiâ rationem clarè præeminentem rationibus sententiæ benignæ, tunc non posset hanc licitè sequi, quia vel judicaret esse falsam et legi divinæ contrariam, vel prudenter judicare posset falsam esse ; nemo autem licitè potest sequi sententiam minùs tutam, quando judicat esse falsam, vel prudenter judicare potest falsam esse et legi divinæ contrariam.

XX. Asserit præterea præpositus generalis, ad usum licitum partis minùs tutæ in occursu tutioris, omninò requiri quòd omnibus hinc inde consideratis pars illa in actu primo appareat operanti in actu primo notabiliter, et cum notorio excessu verisimilior sententiâ

cutiori, quia si omnibus hinc inde consideratis sententia tutior apparet æquè vel fèrè æquè verisimilis operanti, tunc ille omnibus consideratis nutat, et anceps est ac dubius an res sit licita, an potiùs illicita; exstante hoc dubio, nequit formare ultimum dictamen conscientiæ prudens, quòd sibi liceat sequi in operando partem minùs tutam; v. g., si quis dubitet an sit usura accipere in mutuo aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, eò quòd pro utràque parte tam affirmativâ quàm negativâ occurrunt ipsi rationes graves æqualis ponderis, quæ faciunt ipsum titubare et fluctuare; impossibile est ut durante illo dubio quasi speculativo et universali, possit formare dictamen practicum verum, quòd sibi hìc et nunc licitum sit accipere ex mutuo aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis: ut enim probat præpositus generalis, diss. 7, n. 84, cum P. Vasquez, 1-2, disp. 65, n. 2: *Nemo potest habere singulare judicium conscientiæ rectum cum assensu determinato, si dubitet in universum, utrùm illud quod vult facere sit malum, an non. Quòd si ob aliquam circumstantiam in singulari determinato assensu judicet quis hoc sibi non esse malum, non potest in universum, etiam cum eisdem circumstantiis non judicare. Itaque ex dubio speculativo et in communi necessario resultat dubium practicum, et in particulari; et dictamen practicum tollens dubium practicum, et in particulari, necessariò tollit etiam dubium speculativum et in communi. Quia implicat me dubitare an aliquid accipere ultra sortem ratione lucri cessantis sit usura, et tamen simul esse certum non esse usuram, me hìc et nunc accipere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis.*

XXI. Unde præpositus generalis illâ disp. 7, num. 61, rectè probat in præsenti materiâ ex dubio quasi speculativo et in universali necessario resultare dubium practicum, et in particulari; nam cùm rationes universales non distinguantur à singularibus, idem est dubitare an aliquis contractus in genere sit malus et peccàminosus, ac dubitare an hic et ille contractus particularis participans illam rationem specificam sit peccaminosus: v. gr., idem est dubitare an sit peccatum usuræ accipere aliquid in mutuo ultra sortem ratione periculi recuperandi sortem, et an sit peccatum hic et ille contractus, in quo paciscitur cum mutuatario mutuans de lucro aliquo ratione periculi. Et idem est dubitare an sit peccatum pingere in die festo sine necessitate, ac dubitare an sit peccatum, Petrum, vel Paulum, vel Joannem pingere sine necessitate in die festo: ergo implicat aliquem esse dubium speculativè et in universali, an sit peccaminosus aliquis contractus, quin sit dubius an sit peccaminosus contractus à se hìc et nunc celebrandus, si ille contineatur sub illâ ratione communi, vel nisi adsit aliqua circumstantia hunc contractum eximens et trahens ab illâ ratione specificâ in communi. Ut enim sapienter inquit P. Vasquez, 1-2, disp. 62, n. 22: *Quâ ratione potest quis dubitare an aliquid liceat in universum, et certus esse absque formidine illud sibi licere, non subsistente aliquâ peculiari ratione, potiùs pro se quàm pro aliis?* Quod etiam rectè probat Corduba, lib. 3 suarum quæst. 8; et P. Thomas Sanchez, lib. 1 Sum. cap. 9, n. 3, ait se latè probavisse lib. 2 de Matrim. disp. 41, ex scientiâ, vel dubio speculativo oriri similem scientiam, et judicium practicum; nec judicia hæc posse licitè discordare, nisi aliqua ratio specialis, sufficienti adhibitâ diligentiâ ad veritatem assequendam, judicium practicum ab speculativo variare cogat, judicando hìc et nunc licitum quod in communi judicatur illicitum, aut de eo dubitatur. Idque præcipuè urget juxta sententiam communem asserentem ultimum dictamen conscientiæ debere esse saltem moraliter certum. Implicat enim, ut is qui dubitat in communi et universali an aliqua actio, v. gr., certus contractus sit lege divinâ prohibitus, propter graves rationes occurrentes pro prohibitione et contra prohibitionem, quæ ob suam æqualitatem movendi faciunt intellectum vacillare et dubitare; quòd determinare possit in quâ parte contradictionis sit veritas; implicat, inquam, quòd stante hoc dubio possit formare dictamen, quo certificetur se hìc et nunc licitè posse illum contractum exercere. Hic enim actus videtur impossibilis: *ego quidem prudenter dubito an hic contractus sit secundùm se licitus, an illicitus; et tamen certus sum mihi hìc et nunc non esse illicitum, quamvis nulla pro me sit specialis ratio, quæ me eximat à lege communi;* estque hæc veritas adeò conspicua, ut philosophi gentiles eam tanquàm exploratam habuerint; unde Tullius, lib. 1 Offic., aiebat: *Quocirca benè præcipiunt, qui vetant quidquam agere quod dubites æquum sit an iniquum.* Hinc August. lib. contra Donatistas, cap. 5, meritò dixit: *Efficere id quod incertum est an sit peccatum, certum peccatum est.*

XXII. Quare ad formandum dictamen rectum conscientiæ debet tolli priùs dubium illud quasi speculativum, inveniendo aliquam rationem vel auctoritatem novam, pro parte benignâ, vi cujus resolvatur dubium. Rationes enim quæ faciebant dubitare, et intellectum constituebant in æquilibrio, quin magis inclinaretur ad judicandum contractum esse licitum, quàm ad judicandum oppositum, non sufficiunt ad resolvendum dubium saltem prudenter: hinc enim actus videtur impossibilis, et saltem foret imprudens: *Quamvis omnibus inspectis æquè mihi verisimile appareat hunc contractum esse usurarium, ac apparet esse licitum, nihilominùs censeo esse licitum, et non esse usurarium;* ut ergo prudenter possit intellectus judicare illum contractum esse licitum, debet ante hoc judicium invenire motivum aliquod quod ipsi hanc partem reddat magis verisimilem quàm oppositam: ubi autem hoc motivum fuerit notabiliter excedens motiva partis contrariæ, eliciet actum judicii in genere probabilium firmum, vi cujus prudenter opinetur dictum contractum esse licitum; reflectens verò supra hoc suum judicium, reddi videtur omninò securus et certus moraliter quòd non peccet exercendo talem contractum; facit enim hunc discursum vel formaliter vel virtualiter: unicuique licitum est facere quod post diligentem veritatis inquisitionem citra omnem passionem et culpam prudenter judicat esse secundùm se licitum ob fundamenta notabiliter præeminentia omnibus quæ in contrà-

rium adducuntur; sed ego hìc et nunc prudenter judico talem contractum esse secundùm se licitum, quia post accuratum studium ex amore veritatis unicè susceptum, pro hâc parte inveni fundamenta notabiliter majora omnibus iis quæ in contrarium mihi occurrunt: ergo hìc et nunc mihi licitum est talem contractum exercere.

§ IX. *Sententia præpositi generalis duplici nititur principio solidissimo.*

XXIII. Præpositus generalis asserit neminem posse licitè amplecti sententiam minùs tutam faventem suæ libertati adversùs legem, seu affirmantem certam actionem esse licitam, nisi ex prudenti vel saltem inculpabili persuasione quòd illa sit vera et legi æternæ conformis, vel saltem non contraria; nec posse licitè deserere sententiam oppositam tutiorem stantem pro lege adversùs libertatem, quatenùs negat talem actionem esse licitam, seu lege divinâ permissam, nisi ex prudente persuasione quòd illa sit falsa, et imponat hominibus onus quod Deus non imposuit. Deinde constanter asserit neminem posse prudentem hanc persuasionem habere, quin post diligentem veritatis inquisitionem, omnibus hinc inde sine passione consideratis, inveniat majus notabiliter fundamentum ad affirmandum illam actionem esse licitam et lege divinâ permissam, quàm ad hoc negandum, seu ad affirmandum esse illicitam, et lege divinâ prohibitam. Utrumque principium latè probat in toto opere, præsertim dissert. 8.

§ X. *Primum principium, quòd nemo possit licitè sequi sententiam minùs tutam, quin priùs prudenter judicet esse veram, et legi divinæ conformem.*

XXIV. Hoc principium ab auctoritate et ratione statuit diss. 8, cap. 2, § 1, à num. 13 ad 19; nobis sufficiat ex ibi adductis seligere quod adducit n. 18, quia, ut inquit D. Thomas, 2-2, q. 17, art. 2, *homo, in iis quæ ad propriam personam pertinent, debet formare conscientiam ex propriâ scientiâ.* Ergo non ex alienâ quatenùs alienâ. Ergo ut quis ex opinione affirmante licitum esse aliquem contractum, possit sibi elicere dictamen practicum, quòd hìc et nunc liceat sibi eum contractum exercere, debet illam opinionem facere suam per assensum. Quod à priori demùm suadeo, quia cùm opinio hominum non sit prima regula nostrorum actuum, sed solùm regula secundaria manifestans et applicans nobis regulam primariam, nempe legem æternam rationemque divinam, et cùm regula secundaria eatenùs sit bona regula, quatenùs conformatur primariæ, sanè ut quis amplectatur opinionem faventem libertati ut rectam regulam, debet judicare illam esse veram (quia solùm per veritatem conformatur legi æternæ, quatenùs scilicet affirmat esse licitum id quod lex æterna admittit esse licitum). Nam si judicat esse falsam, judicat esse pravam et distortam regulam, seu contrariam primæ regulæ; si dubitat an sit vera vel falsa, dubitat an sit prava vel recta regula: ergo, ut judicet esse rectam regulam, debet judicare esse veram. Non potest autem eam licitè in praxi sequi, nisi ex persuasione quòd sit recta regula: ergo non potest eam in praxi sequi, nisi sibi persuadeat saltem per judicium opinativum *illam esse veram.*

XXV. Confirmatur quia, ut licitè operemur, non satis est nobis scire aliquos homines doctos ipsos asserere illam actionem esse licitam, sed insuper est necessarium alium passum facere, nempe ferre judicium prudens quòd homines hoc asserentes verum dicant, et nobis proponant legem et voluntatem Dei: non enim honestè possumus sequi opinionem hominum, præcisè quia est opinio hominum, sed quia homines nobis manifestant voluntatem Dei. Unde necesse est ad licitè et honestè sequendum partem minùs tutam, quòd nixi vel ratione vel auctoritate illorum, vel utràque simul, nobis prudenter persuadeamus illos nobis non proponere figmenta et imaginationes sui capitis, sed voluntatem Dei.

§ XI. *Secundum principium, quòd nemo possit prudenter assentire sententiæ minùs tutæ, ut veræ, quin post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam, illi antecedenter appareat magis verisimilis quàm opposita.*

XXVI. Id latissimè probat omni argumentorum genere, dissert. 3. Nobis in hoc compendio sufficiat id probare rationibus quas breviter insinuat dissert. 8, num. 19, quia *naturæ lumen*, inquit, et sapientum consensus, cum Aristotele ac D. Thomâ nos edocet eam esse prudentiæ legem, ut in rebus non certis priùs deliberemus quàm judicemus, priùs judicemus quàm agamus. Consulamus enim ut prudenter judicemus, non tam voluntatis impetu, quàm rationis ductu, seu ut veritatem certò vel saltem quàm proximè attingamus. Deinde maturè judicemus, ut prudenter, cordatè et rationabiliter agamus. Ergo palmariæ legi prudentiæ omninò contrarium est, verum judicare id quod magis falsum quàm verum videtur. Si secùs, quorsùm deliberamus? quorsùm prudentes, et peritos consulimus? Confirmatur quia id quod magis falsum quàm verum apparet, est principium deviationis, et viæ erroneæ: ergo omnium virtutum leges et præcepta suo jure à nobis exigunt, ne veram judicemus partem minùs tutam, quando habemus majus fundamentum ad judicandum esse falsam, cùm justis legibus omninò debitum sit, ne in earum fraudem deviationem voluntariam assumamus; ecquis prælatus boni consuleret sua præcepta et ordinationes ita à subditis tractari? quis dominus à servis? quis pater à filiis? *Nonne hoc est*, inquit Fagnanus in tractatu de Probabilitate, ad caput *Ne innitaris*, n. 270, *formare conscientiam contra conscientiam, et opinari non secundùm apparentiam rei, sed fingere verum ex nostro arbitrio.*

§ XII. *Præpositus generalis rectè ostendit fundamentum à priori, quo Probabilistæ probant licitum esse sequi sententiam minùs probabilem et minùs tutam, desumptum ex eo quòd opinio illa est absolutè probabilis, ac proinde nititur fundamento gravi et prudenti, et per consequens qui operatur ex illâ, opera-*

*tur prudenter, enervatum fuisse per decretum Innocentii XI.*

XXVII. Id ostendit dissert. 8, à num. 24, Innocentius XI, die 2 martii, an. 1679, inter propositiones sexaginta quinque damnavit hanc ordine tertiam : *Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus ;* quamvis autem per hanc decisionem non sit tacta sententia recentium Probabilistarum, asserentium licitum esse sequi sententiam minùs tutam ei qui simpliciter et absolutè agnoscit majus pondus auctoritatis et rationis in sententiâ tutiori, dummodò fundamentum sententiæ minùs tutæ, etiam sub comparatione alterius, sit absolutè magnum et grave, licet simpliciter inferius et minus : quamvis, inquam, illa sententia non sit tacta, ejus tamen fundamentum à priori videtur infirmatum. Fundamentum enim illius erat, quòd opinio minùs probabilis sit absolutè probabilis, ac proinde nitatur fundamento gravi et prudenti : et ita quicumque operatur secundùm illam, operetur secundùm rationem gravem et prudentem ; ac proinde non peccet, quia operatur prudenter. Hoc autem fundamentum jam eversum est per definitionem pontificis. Nam qui utitur opinione exiguè probabili contentâ intra limites opinionis probabilis ut sic, utitur opinione quæ absolutè in se spectata est probabilis : ergo utitur opinione quæ absolutè nititur fundamento gravi et prudenti ; et tamen non operatur secundùm rationem rectam et prudentem. Quia videlicet, esto illa ratio fuerit gravis et prudens, respectu auctorum qui ob illam rationem defenderunt illam opinionem ut veram, eò quòd ipsis apparuerit valida et verisimilior oppositâ, non est tamen gravis et prudens respectu illius cui ea ratio apparet exigui momenti. Pariter ergo ex eo quòd opinio minùs probabilis sit in se absolutè probabilis, et nitatur ratione gravi et prudenti, non sequitur esse absolutè probabilem mihi, cui ejus fundamentum apparet minùs verisimile. Nam licet illa ratio fuerit gravis et prudens respectu doctorum qui illam opinionem propugnârunt ut veram, eò quòd ipsis repræsentata sit ejus ratio ut validior et verisimilior oppositæ sententiæ fundamentis (nemo enim defendit aliquam opinionem ut veram, nec sibi imperat illius assensum, nisi quia apparet ipsi in actu primo verisimilior, nec talis opinio exstaret in rerum naturâ, si ejus fundamenta apparuissent omnibus auctoribus minùs verisimilia oppositis), inde nequit inferri esse gravem et prudentem respectu mei, si mihi apparet minùs verisimilis. Non est enim prudentiæ opus, quòd quis imperet sibi assensum (permittamus physicè posse sic imperare) alicujus opinionis, quando habet majus simpliciter fundamentum ad judicandum esse falsam, quàm ad judicandum esse veram. Ex eo ergo quòd opinio minùs probabilis sit absolutè probabilis, non sequitur me posse illâ licitè uti, quia non sequitur illam esse probabilem mihi.

XXVIII. Id magis ostendit præpositus generalis in medium producendo illud fundamentum prout propositum à Bartholomæo de Medinâ Thomistâ, à Mastrio Scotistâ, à P. Bardi Jesuitâ : mihi satis sit illud repræsentare eisdem terminis, quibus illud proponit P. Joannes de Cardenas in Crisi Theologicâ, tom. 1, disp. 10, cap. 6, ubi rationem communem Probabilistarum proponit, tanquàm manifestam demonstrationem. *Implicat contradictionem*, inquit, *quòd quis operetur prudenter, et quòd in eâ operatione peccet.* « Sed « qui utitur opinione minùs probabili, operatur prudenter : ergo implicat contradictionem quòd is qui « utitur opinione minùs probabili, peccet : major est « nota ex terminis : minor etiam est, inquit, manifesta ; nam opinio, quæ est minùs probabilis, verè est « probabilis, quia si non est probabilis, non potest « esse minùs probabilis ; quòd si practicè probabilis « est, eâ nititur ratione prudenti, atque adeò qui utitur eâ ratione minùs probabili, utique prudenter « operatur, cùm operetur prudenti ratione ejus *opinionis innixus.* » Hoc est totum fundamentum à priori Probabilistarum : quod vel nihil probat, vel contra decretum Innocentii probat omnem opinionem probabilem, nullâ demptâ, sufficere ad securitatem conscientiæ, ac proinde sufficere opinionem exiguè probabilem, dummodò à probabilitatis finibus non exeatur. Illa enim ratio à priori assumit pro principio universali, *quòd omnis opinio probabilis sit conformis rectæ rationi et prudentiæ*, et quòd qui eam sequitur, prudenter operetur, et consequenter quòd prudenter etiam agat, qui utitur opinione minùs probabili, quia opinio minùs probabilis verè probabilis est, ac proinde nitatur ratione prudenti. Hoc autem principium gene rale videtur non discrepare à propositione damnatâ : « Generatim dùm probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Ergo decretum pontificis omninò enervavit rationem à priori Probabilistarum.

### § XIII. *Præpositus generalis rectè ostendit esse fallax et sophisticum fundamentum à priori recentium Probabilistarum.*

XXIX. Et sanè illud fundamentum sententiæ benignæ est omninò fallax et sophisticum, arguens à singulari ad universale, probansque aliquod fundamentum esse grave ac prudens respectu omnium, quia est grave ac prudens respectu aliquorum ; esse grave et prudens respectu illorum, quibus apparet minùs verisimile, ex eo quòd fuerit grave et prudens respectu illorum quibus apparuit magis verisimile ; esse grave et prudens respectu illorum quibus apparuit exigui momenti, ex eo quòd fuerit grave respectu illorum quibus apparuit maximi momenti ; quales fuerunt auctores illius opinionis, qui propterea illam propugnârunt ut veram, quia fundamentum illius in ipsorum mente præponderavit fundamento oppositæ opinionis : nullus enim auctor illam sententiam propugnâsset, si nulli ejus fundamentum apparuisset

majus fundamento oppositæ, vel si omnibus apparuisset simpliciter minus. Rem explicemus. Hoc quod est fundamentum aliquod esse grave et prudens, est aliquod relativum ad intellectum : inter fundamenta autem obscura et merè probabilia, nullum est quod appareat magnum et præponderans suo contrario omnibus intellectibus mundi : sæpè enim quod uni placet, alteri displicet ; quod uni est valde urgens, alteri non est ita efficax. Et hinc oritur contrarietas opinionum, et communis contra communem. Esse magnum et valdè urgens respectu omnium, est privilegium fundamenti evidentis, quod omnes intellectus rapit. Fundamentum ergo probabile solùm habet esse grave et prudens respectu aliquorum, nempe respectu illorum quibus apparet verisimilius et urgentius suo contradictorio; ergo perperàm infertur, posse quemcumque operari prudenter secundùm illud motivum ; solùmque poterit operari prudenter secundùm illud is cui præponderavit.

Hinc ad argumentum P. Cardenas in formâ respondeo, negando minorem primi syllogismi ; ad cujus probationem distinguo majorem : Opinio quæ est minùs probabilis, verè est probabilis absolutè et in se, et in mente suorum auctorum, concedo ; verè est probabilis respectu illius cui ejus fundamenta antecedenter apparent minùs verisimilia oppositis, nego majorem. Ex eo autem quòd sit practicè probabilis, solùm sequitur quòd nitatur ratione prudenti apud eos qui illam judicârunt veram, eò quòd motiva ejus antecedenter illis apparuerint urgentiora oppositis : minimè autem sequitur quòd nitatur ratione prudenti apud eos qui illam judicant falsam, vel quibus ejus fundamenta apparent minùs verisimilia. Quanquàm enim isti possint dicere illam esse absolutè probabilem, quia vident illam defendi à viris probis et sapientibus, post maturam totius quæstionis discussionem, et temerè dicerent illam esse absolutè et in se improbabilem, eò quòd sibi non probetur, non possunt tamen verè dicere illam esse probabilem sibi, quia non potest ab ipsis approbari per assensum certò prudentem, dùm ejus fundamenta apparent in actu primo minùs verisimilia : solùmque reflexè e speculativè est ipsis probabilis, quatenùs verè dicer possunt illam opinionem prudenter approbatam fuiss ut veram à multis sapientibus.

§ XIV. *Ostenditur fundamentum à posteriori recentium Probabilistarum desumptum ex eo quòd videatur onus intolerabile obligare homines ad sequendum opiniones probabiliores, non militare contra sententiam moderatam præpositi generalis.*

XXX. Ratio est quia ille non obligat ad investigandum et comperiendum quænam sit absolutè et in se probabilior opinio, sed solùm dicit quòd si factâ debitâ diligentiâ ad inquirendam veritatem, pars favens libertati appareat operanti minùs verisimilis, quàm pars opposita stans pro lege adversùs libertatem, non possumus licitè illam sequi : nec possumus etiam licitè sequi quando pars tutior seu favens legi apparet æquè verisimilis, ac proinde dicit tunc solùm licitum esse sequi sententiam faventem libertati adversùs legem, quando factâ debitâ diligentiâ ad inquirendam veritatem, illa pars apparet clarè verisimilior et magis fundata, et ideò judicatur vera. Omnes namque fateri debemus neminem posse tutâ conscientiâ exequi rem de quâ dubium aliquod ipsi occurrit an sit mala, quin priùs adhibeat sufficientem diligentiam ad cognoscendum an sit prohibita vel non. Quod ita lumine naturæ notum est, ut P. Salas 1-2, Tract. 8, disp. unicâ, meritò dixerit peccatum esse sequi sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, quæ talis sit in se, vel talis etiam sit respectu operantis, ipsique appareat verisimilior, si facta non est debita et requisîta diligentia pro qualitate negotii et opportunitate temporis et loci ad investigandam veritatem ; quamvis enim reipsà illa opinio sit probabilior, imò quamvis sit vera, si illam judicet veram non præmissâ sufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, judicium illud non erit judicium probabile, sed judicium præceps, temerè conceptum, ac proinde peccaminosum. Jam verò, si factâ sufficienti diligentiâ pars rigida et tutior operanti repræsentetur ut absolutè verisimilior, vel ob motivum rationis, vel ob motivum solius auctoritatis, vel ob utrumque simul, durum non est nec onus intolerabile quòd operans non possit tunc sequi partem benignam faventem libertati contra præceptum. Hanc enim nequit licitè sequi, nisi ex prudenti persuasione quòd sit vera et conformis legi æternæ ; non enim potest licitè sequi judicium hominum affirmans aliquam actionem esse licitam, præcisè quia est judicium hominum, sive sit verum, sive sit falsum; sed quia sibi persuadet illud judicium esse conforme judicio Dei et ejus æternæ legi ; id est, non potest licitè exequi actionem illam, præcisè quia scit homines aliquos doctos judicare illam esse licitam, sed quia sibi prudenter persuadet illorum judicium verum esse et conforme legi æternæ. Hanc autem prudentem persuasionem habere non potest, quando in actu primo habet majus fundamentum ad judicandum esse falsum judicium benignum illorum auctorum, quàm ad judicandum esse verum : imò nisi inveniat majus fundamentum pro parte benignâ, quàm pro contrariâ, non potest judicium illorum auctorum sequi, spreto judicio aliorum qui cum majori fundamento negant actionem esse licitam.

XXXI. Quare, ut quis licitè possit inire contractum A, non satis est quòd sciat dari auctores graves, asserentes illum esse licitum ; sed debet sibi persuadere illos rectè judicâsse, id est, verum dixisse: quamvis enim sciat illos sic asseruisse, si tamen judicet, vel prudenter judicare possit, illos in suâ assertione aberrâsse à vero, non potest illos sequi : hoc autem prudenter judicare poterit, quoties agnoscit oppositum docuisse auctores plures, vel magis graves, quorum fundamenta ipsi videantur urgentiora. Rursùs non potest sequi, si sciat auctores æquè graves oppositum docuisse, et istorum fundamenta illi videantur æquè urgentia, quia tunc manet prudenter dubius an re-

rum, vel falsum dixerint. Ut ergo tutò sequi illos valeat, debet vel ratione, vel auctoritate sibi persuadere, auctores illos faventes libertati adversùs legem, verum dixisse, et rectè judicâsse.

§ XV. *Ex eo quòd opinio minùs tuta sit certò probabilis, solùm sequitur esse securam regulam pro iis quibus illa meritò probatur, seu qui prudenter judicant esse veram, non autem pro iis qui judicant esse falsam, vel prudenter judicare possunt falsam esse.*

XXXII. Opinio probabilis dicitur per respectum ad intellectum hominum sapientum et proborum, qui post accuratum studium illam absque passione et præcipitatione judicaverunt esse veram ob fundamentum, quod illis visum est magnum, et dignum movere hominem prudentem ad assensum. Quare ubi est certum plures sapientes post accuratum examen judicâsse aliquam actionem esse licitam, et est certum hanc earum opinionem non opponi nec sacræ Scripturæ, neque definitionibus conciliorum, nec summorum pontificum decretis; est certum illam esse in se probabilem. Ex eo autem quòd sit in se certò probabilis, et prudenter asserta à suis auctoribus, solùm sequitur posse illâ opinione uti eos qui post diligentem veritatis inquisitionem prudenter approbant illam ut veram: non autem posse illâ uti eos qui judicant esse falsam, vel prudenter judicare possunt falsam esse, eò quòd videant plures et graviores auctores tenere oppositam, et afferre pro se fundamenta rationis validiora; sequi enim errantes contra legem Dei, quando cognosco illos errâsse, semper est malum; quia est operari contra conscientiam. Unde P. generalis diss. 14, n. 118, meritò impugnant doctrinam P. Antonii Terilli, qui in tomo de Regulâ morum part. 2, quæst. 47, num. 15, sub finem, hanc regulam tradit: *Omnis opinio probabilis de honestate operis habet vim deobligandi: non solum quando exercitè existit in se ipsâ, et enuntiat, operationem hìc et nunc ponendam, esse bonam, atque conscientiam constituit* (id est, quando physicè informat mentem operantis; et is judicat eam actionem esse honestam), *sed etiam quando reflexè consideratur: dùm quæritur, ad quid teneamur in casu incertitudinis, et probabilitatis faventis utrique parti contradictionis.* Id ita probat: *Omnis opinio probabilis excusans præbet argumenta longè potiora ad dicendum; quòd omnibus consideratis hìc et nunc nulla detur obligatio onerans, quam ulla opinio probabilis gravans, præbeat ad inferendum, quòd ullâ obligatione hìc et nunc absolutè premamur ad abstinendum ab opere: ut fusè ostensum est, tum in hoc, tum in tractatu de conscientiâ probabili, q.* 22 *et* 23. Hactenùs Terillus.

XXXIII. Hanc doctrinam sic oppugnat ibi P. generalis. *Ergo ex mente hujus auctoris*, hoc ipso quod aliqui auctores ex iis qui dicuntur facere opinionem probabilem, affirment aliquem contractum esse licitum, reddunt illum licitum, non solùm pro iis quibus illa opinio probatur, seu pro iis qui judicant illam esse veram, eò quòd ipsius fundamenta habeant in eorum intellectu eumdem statum, quem habent in intellectu suorum auctorum), sed etiam pro iis quibus improbatur, seu pro iis qui judicant esse falsam; benè enim componitur quòd ego judicem, aliquam opinionem esse falsam, et tamen quòd sciam illam defendi ut veram à viris probis et sapientibus, ac proinde esse absolutè probabilem. Quis autem non videat hanc doctrinam esse falsissimam? Quis enim dedit hoc privilegium quatuor vel quinque hominibus fallibilibus, ut hoc ipso, quod illi probabiliter judicaverint aliquem contractum esse licitum, jam omnes possint illum licitè exercere, etiamsi videant plures et graviores auctores cum majori fundamento asserere esse illicitum? Quis non videat esse absurdum quòd quatuor, vel quinque auctores probabiliter asserentes rem esse licitam, illam reddant licitam omnibus, etiam iis qui judicant, vel prudenter judicare possunt, illos deceptos fuisse; et quod decem, vel duodecim auctores probabilius asserentes, illam esse illicitam, non reddant ipsam illicitam, etiam iis qui judicant, vel prudenter judicare possunt, eos in illo judicio suo severo deceptos non fuisse? Adeòne Deus deperit opiniones faventes carni et sanguini, ut hoc ipso quòd aliqui illas tenuerint, Deus illos voluerit donare isto magno privilegio, ut omnes illorum sententiam possint tutò sequi? Adeòne aversatur opiniones faventes suæ legi, ut quamvis plures et graviores auctores illas tenuerint, nihilominùs nullum possint obligare ad legis suæ observationem? Pugnent quatuor, vel quinque pro libertate, pro lucro et commodo: hos juxta Terillum, Deus ita protegit, talique privilegio donat, ut omnes tutò possint illos sequi etiam quando judicant, vel prudenter judicare possunt, illos errâsse. Pugnent decem vel duodecim doctores pro lege divinâ prohibente rem aliquam, testenturque, omnes obligatos esse ad abstinendum ab illâ: estne credibile quòd hos plures et graviores ita Deus destituit viribus ad obligandum, ut nemini possint obligationem imponere? Estne credibile Deum velle ut quatuor minoris notæ, stantes pro libertate, debilioribus armis rationis prævaleant contra decem stantes pro lege, et pugnantes validioribus armis rationis?

XXXIV. Ratio autem cur opinio minùs probabilis favens libertati adversùs legem, concurrens cum opinione probabiliore favente legi adversùs libertatem, non possit deobligare ab observatione legis eos qui agnoscunt opinionem stantem pro lege, esse auctoritate et ratione probabiliorem, est: quia opinio illa benigna neque efficere potest ne detur talis lex (cùm existentia legis divinæ non dependeat à nostris opinionibus), neque potest efficere ne lex sit sufficienter applicata illis qui judicant, vel prudenter judicare possunt, talem legem existere, eò quòd videant plures et graviores auctores hoc asserere et adducere pro se majora momenta rationis. Implicat enim Deum lege suâ æternâ prohibuisse aliquem contractum, v. g., ut usurarium, et voluisse, vel permisisse ut ejus malitia maneret sub opinionibus; et tamen noluisse ut teneantur abstinere ab illo contractu illi quibus auctoritate et ratione est manifestè verisimilius, talem

legem dari, talem proinde contractum esse usurarium, quod ampliùs explicatum est in præcedentibus.

§ XVI. *Praxis eligendi opiniones securè juxta principia præpositi generalis.*

XXXV. Ex principiis ab illo solidè jactis constat ad usum licitum opinionis minùs tutæ, non satis esse quòd quis sciat illam esse absolutè probabilem in se, eò quòd propugnata est ut vera ab aliquibus viris probis et sapientibus, ob fundamentum quod illis visum est magnum citra passionem et culpam, et præponderans fundamentis sententiæ oppositæ, quia stat esse in se sic probabilem absolutè; et tamen quod operanti conferenti ipsius fundamenta cum fundamentis sententiæ tutioris, illa appareant ei levia et exigua : quo in casu, opinio minùs tuta, quæ suis auctoribus fuit probabilis, non est probabilis operanti, cui ipsius fundamenta apparent debilia et tenuia, ut constat ex propositione tertiâ damnatâ ab Innocentio XI, ut expendimus § 4 et 8. Unde post decretum Innocentii jam videtur certum, ad usum licitum opinionis minùs tutæ non sufficere, quòd operans sciat eam esse absolutè probabilem; sed requiri quòd sciat esse probabilem etiam comparativè ad oppositam tutiorem; id est, non sufficere quòd ejus fundamenta seorsim et absolutè considerata videantur gravia; sed quòd appareant gravia et valida etiam comparata cum fundamentis sententiæ tutioris. Ac proinde non sufficit aperire libros, et percurrere indices ipsorum, et scire quòd opinio minùs tuta communiter habetur pro probabili; neque sufficit inspicere seorsim ipsius fundamenta, et agnoscere illa secundùm se apparere gravia; sed requiritur, ut ejus fundamenta conferantur cum fundamentis sententiæ contrariæ, et adhuc sub illâ comparatione appareant gravia.

XXXVI. Hinc patet non sufficere ad usum licitum opinionis minùs tutæ, quòd illa sit in se certò probabilis, juxta notionem opinionis certò probabilis assignatam à Terillo quæst. 5 de Consc. probabili, assert. 12, ubi hanc regulam statuit : « Quod à pluribus auctoribus « doctis et piis post diligentem totius quæstionis enodationem judicatur, probabile eo ipso est certò probabile; et à fortiori est certò probabile illud quod à « viris doctis et probis post diligentem quæstionis discussionem innocenter et absque passione judicatur « verum. » Patet, inquam, hoc non sufficere; tum quia potest quis post maturam controversiæ discussionem detegere fallaciam fundamentorum, quibus moti sunt illi auctores, et prudenter judicare illa esse levia, quo judicio supposito, talis opinio non est probabilis ipsi; ac proinde non potest licitè illam in operando sequi. Deinde est valdè familiare inter Probabilistas hujus seculi propugnare ut veram sententiam tutiorem stantem pro lege adversùs libertatem, et tamen fateri et expressè asserere, oppositam benignam stantem pro libertate adversùs legem esse probabilem, quamvis ipsis non probetur, sed potiùs ab illis falsa judicetur. Potest autem contingere ut operans istorum auctorum sententiam secutus prudenter sibi persuadeat, sententiam illam benignam esse falsam; ac proinde esse illicitam actionem, quam illa opinio licitam esse affirmabat. Quo judicio stante, nequit in operando licitè sequi illam opinionem benignam; quia hoc ipso operaretur contra conscientiam exercendo actionem, quam esse illicitam prudenter judicat. Unde simul judicaret opinionem benignam esse absolutè in se probabilem, et esse falsam; ac sibi non probari, nec proinde respectu suî esse practicè probabilem, quia illam non potest approbare ut veram.

XXXVII. Quamvis autem non sufficiat ad usum licitum opinionis minùs tutæ quòd quis sciat illam esse certò probabilem juxta notionem et descriptionem certæ probabilitatis exhibitam à Terillo; tamen hoc requiritur et multùm juvat ad ejus licitum usum : nam si quis sciat opinionem benignam esse certò probabilem, et aliunde post diligentem veritatis inquisitionem prudenter sibi persuadeat esse veram, eò quòd ejus fundamenta apparent ipsi notabiliter majora oppositis, licitè potest illâ uti. Duo itaque communiter requiruntur ad usum licitum opinionis minùs tutæ, nempe judicium reflexum de ejus certâ probabilitate, et judicium directum de ejus veritate. Primum sine secundo non sufficit; quia stat quòd quis certò sciat opinionem benignam esse certò probabilem, et tamen quòd prudenter judicet esse falsam; tunc autem non potest illâ uti. Secundum verò sine primo communiter non videtur satis; quia quamvis quis judicet rem esse licitam ob fundamenta, quæ ipsi apparent magna, non poterit, communiter loquendo, talem opinionem in operando sequi, nisi pariter sciat hoc ipsum judicâsse auctores aliquos graves, quorum opinio communiter censetur probabilis. Postquàm autem hoc cognovit, securè procedit ad praxim : quia cùm sciat illos auctores fuisse diligentes in examinandâ quæstione, et esse probos et doctos, securus redditur, eos non ex passione et præcipitatione, sed ex rationum pondere, prudenter judicâsse rem esse licitam : et hinc arguit se hoc ipsum judicantem, non temerè aut ex passione, sed ex pondere et meritis rationum ita judicare, ac proinde prudenter se gerere.

Quare quòd opinio benigna sit in se certò probabilis, licet non sufficiat ut illâ in praxi utatur qui judicat esse falsam, vel prudenter judicare potest falsam esse, nec ut possit uti qui dubitat an sit vera vel sit falsa, sufficit tamen ut illâ licitè utatur qui absque passione et præcipitatione judicat esse veram, eò quòd fundamenta illius ei apparent notabiliter majora fundamentis sententiæ tutioris : cùm enim sciat hoc ipsum judicâsse viros prudentes et sapientes post accuratum examen, securus redditur de probabilitate sui judicii, seu prudentiâ : idem enim est judicium probabile, ac judicium prudenter conceptum, vel saltem conceptum innocenter sine præcipitatione et passione.

§ XVII. *Quid sit opinionem esse certò probabilem.*

XXXVIII. Sed non est facile explicare quid sit opinionem esse certò probabilem. Aliqui dicunt opinio-

nem certò probabilem esse illam de quâ certum est quòd nitatur motivo gravi, seu magni momenti, probabiliter verò duntaxat probabilem esse eam de quâ solùm est probabile, quòd nitatur motivo magni momenti. Verùm isti rem inexplicatam relinquunt. Quomodo enim erit certum quòd nitatur motivo magni momenti, si nec Ecclesia definivit illud motivum esse magni momenti, nec affertur evidens ratio quæ communiter apud Sapientes demonstret illam opinionem niti motivo magni momenti? Quomodò erit certum illud motivum esse magni momenti, si constat multos gravesque auctores illud motivum contempsisse, et eo non obstante judicâsse illam opinionem esse falsam, quia invenerunt pro sententiâ contrariâ motiva validiora : constat autem sæpè aliquam opinionem esse certò probabilem; et tamen impugnari ut falsam à multis gravibusque auctoribus vel majoris, vel saltem non minoris auctoritatis, quàm sint auctores talis sententiæ. Quare ex eo quòd opinio sit certò probabilis, solùm colligitur esse certum quòd nitatur motivo magni momenti apud aliquos graves et pios auctores; nempe apud illos qui moti eo fundamento quod ipsis apparuit præponderans, omnibus fundamentis adductis pro sententiâ contrariâ, firmiter judicaverunt illam opinionem esse veram. P. Andreas Mendo in discursu præliminari ad epitomen opinionum moralium asserit *illam opinionem esse certò probabilem, quam esse probabilem est certum;* illam verò duntaxat probabiliter probabilem, *quam esse probabilem solùm est probabile. Certitudo autem quòd sit probabilis desumitur*, inquit, *tum ex fundamentis quibus innititur, tum ex doctoribus qui eam tuentur, et simul ex cæteris* ( *saltem pro majori numero* ) *qui cùm contrarium defendant, eam tamen affirmant esse probabilem; quo suffragio etiam adscribunt probabilitatem fundamentis, quibus stabilitur : opinio solùm probabiliter probabilis est, quæ ab aliquibus auctoribus, non sanè pluribus defenditur ; à cæteris saltem ut plurimùm censetur probabilis.*

XXXIX. Meliùs diceretur esse certò probabilem opinionem, cui convenit definitio probabilium tradita ab Aristotele 1 Topicorum, juxta quam probabilia sunt illa quæ videntur Sapientibus, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis. Unde in rebus moralibus tunc opinio erit certò probabilis, quando habuerit pro se plerosque ex auctoribus gravibus qui rem illam examinârunt, vel saltem maximè notos. Hinc opinio illa quæ habuerit paucos, et minoris nominis auctores, vel qui rem pro dignitate non discusserunt, non erit certò probabilis, sed duntaxat probabiliter probabilis. Vel dici poterit, illam opinionem esse certò probabilem, quæ defenditur ut vera à multis et gravibus auctoribus, qui ex professo rem examinârunt; et ab aliis vel asseritur, vel supponitur esse probabilis, quin ab ullo auctore gravi notetur ut improbabilis. Probabiliter verò duntaxat probabilem esse illam quæ à paucis et inferioris notæ defenditur ut vera : item quæ ab aliquo, vel aliquibus auctoribus gravibus rejicitur ut improbabilis.

XL. Quare ad hoc, ut opinio sit certò probabilis in se, non est necesse ut nitatur fundamento, quod ab omnibus sapientibus reputetur magni momenti; sed satis est quod nitatur fundamento, quod multis viris probis et sapientibus ex professo rem discutientibus magnum apparuit et clarè præeminens fundamentis sententiæ oppositæ, quin postea inventum sit fundamentum, quod illam sententiam apud sapientes de falsitate convincat : vel prodierit aliquod Ecclesiæ decretum illam condemnans et prohibens.

### § XVIII. *Quid requiratur ut aliqua opinio sit certò probabilis mihi.*

XLI. Ut autem opinio aliqua practica, v. g., opinio affirmans talem vel talem contractum esse licitum, sit certò probabilis mihi; opus est ut nitatur fundamento, quod apud me sit magni momenti, et talem præ se ferat verisimilitudinem et apparentiam veritatis, ut certum sit me posse prudenter, vel saltem irreprehensibiliter illi assensum præbere, judicando judicio absoluto illam esse veram; quod nunquàm potest esse certum, quin post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam, opinio illa mihi proponatur ut unicè verisimilis, vel ut clarè et notabiliter verisimilior, quàm opposita. Idque colligo ex conditionibus assignatis à Terillo in tom. de Regulâ morum qu. 2, n. 7, ad opinionem verè et certò probabilem : ut enim inquit ille : *Multa requiruntur ut opinio sit verè probabilis. Primum omnium est ut nitatur fundamento fide digno, id est tali, quod aptum est ad assensum ab homine perito et probo irreprehensibiliter judicante impetrandum. 2° Sententia aliqua ut sit probabilis conformari debet motivo gravi ac magno, scilicet valdè attrahente ad assensum : et quidem magnitudo hujus motivi sumi debet non solùm absolutè, quatenùs vehementer impellit secundùm se, sed etiam relativè ad omnia in contrarium allata; adeò ut in contradictione illorum vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis tàm absolutæ quàm comparativæ, et non ex affectu ac propensione indebitâ ejus, cui proponitur : si enim tanta sit illius vis, ut à perito et probo irreprehensibiliter judicante assensum impetrare valeat, tale et non aliud motivum appellamus magnum, grave, seu probabile; sistendo semper in rebus obscuris, et non certò cognoscibilibus.* Hæc à Terillo verè et sapienter dicta sunt. Ex iis autem contra ipsum legitimè infertur, non manere apud hominem probum ac peritum, verè et certò probabilem opinionem minùs tutam affirmantem aliquam actionem esse licitam quando omnibus hinc inde consideratis habet fortius motivum ad judicandum illam opinionem esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ conformem : nec item quando habet æquale motivum; quia non est certum, imò neque absolutè verum, sed planè falsum, posse hominem probum ac peritum irreprehensibiliter et prudenter judicare aliquam actionem esse licitam, quando habet majus, vel saltem æquale fundamentum ad judicandum esse illicitam; et tunc solùm est certum posse irreprehensi-

biliter et prudenter judicare, quando omnibus hinc inde maturè consideratis sine passione et præcipitatione invenit majus sensibiliter fundamentum ad judicandum illam actionem esse licitam, quàm ad judicandum oppositum.

XLII. Quare ut quis tutâ conscientiâ possit vel in operando, vel in dandis consiliis sequi sententiam minùs tutam seu faventem libertati adversùs legem, satis est quòd ille sciat eam esse in se certò probabilem, id est defendi ut veram ab auctoribus gravibus post diligentem controversiæ discussionem, quin adsit fundamentum suspicandi eos vel rem non diligenter examinâsse, vel motos fuisse passione aliquâ, vel desiderio placendi hominibus; sed potius judicium tulisse, ut decebat viros probos et sapientes : et quòd sciat talem opinionem communiter supponi esse probabilem etiam ab iis qui illam impugnant ut falsam; quin aliquis auctor alicujus nominis illam traducat ut improbabilem. Satis, inquam, hoc est; dummodò post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, sententia illa citra omnem culpam appareat ipsi notabiliter verisimilior sententiâ tutiore, et ab ipso prudenter vel saltem inculpabiliter judicetur vera judicio absoluto excludente prudentem timorem, ne forsan sit falsa illa opinio, et ne forsan actio quam licitam facit, reipsà sit illicita, quin habeat sufficiens motivum ad judicandum illam actionem esse illicitam; nec ad suspendendum judicium quo sibi persuadet esse licitam. Atque adeò ut quis licitè sequatur opinionem minùs tutam, requiritur quidem, quòd prius sciat, et certus reddatur, quòd illa in se sit certò probabilis, sed hoc non sufficit; sed ulterius requiritur quòd judicio absoluto firmo, et non vacillante, seu excludente moralem et prudentem formidinem malitiæ, sibi persuadeat actionem esse licitam; quamvis non requiratur quòd judicium illud excludat formidinem logicam consistentem in judicio reflexo de eo quòd non appareat repugnantia, quòd actio sit reipsà mala : neque requiratur quòd excludat timorem imprudentem, et nixum motivo levi, ne forsan subsit malitia.

§ XIX. *Explicatur magis in particulari praxis eligendi opiniones probabiles juxta sententiam moderatam præpositi generalis.*

XLIII. Hanc praxim explicat ille dissert. 14, cap. 2, à n. 8, iis verbis : *Omnes* fateri debemus neminem posse aggredi rem aliquam de quâ occurrit aliquod dubium an sit prohibita, nec ne, quin priùs adhibeat aliquam diligentiam ad cognoscendam veritatem. Veritatem verò potest quilibet agnoscere judicio saltem opinativo, vel expendendo fundamenta rationum, si sit doctus; vel consulendo viros doctos et peritos, si sit persona indocta et incapax penetrandi rationes, assensum præbendo ob ipsorum auctoritatem. Factâ sufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, vel operanti proponitur pars benigna, ut unicè verisimilis, ut quando rusticus interrogat virum doctum an sibi liceat talem contractum celebrare; et ille incunctanter respondet licere; tunc rusticus simpliciter bonâ fide motus auctoritate respondentis, credit illum contractum esse licitum; et sic potest operari : vel proponitur ut unicè verisimilis pars rigida; ut quando in casu proposito vir doctus rustico interroganti respondet contractum esse illicitum; et tunc non potest licitè illum contractum exercere; quia vel credit, vel credere debet esse illicitum; vel pars benigna citra passionem et culpam proponitur ut notabiliter magis verisimilis quàm opposita, sive propter fundamenta majora rationis, sive propter majorem auctoritatem, sive propter utrumque, et tunc potest licitè partem illam amplecti, quia tunc prudenter sibi potest persuadere illam esse licitam : vel pars benigna proponitur ut minùs verisimilis quàm opposita; et tunc non potest eam amplecti; quia tunc prudenter potest ac debet judicare opinionem faventem libertati adversùs legem esse falsam, et legi divinæ contrariam; ac proinde si tunc exequeretur rem illam, operaretur contra conscientiam. Vel denique pars benigna, seu minùs tuta proponitur, ut æquè verisimilis, ac pars tutior; et tunc operans necessariò manet dubius, an talis contractus sit licitus, nec ne, et in hoc dubio, debet ab illo contractu abstinere, partem tutiorem sequendo.

XLIV. Quanta autem debeat esse hæc diligentia inquirendi veritatem, docet P. Thomas Sanch. lib. 1, sum. cap. 6, num. 36; P. Suar. tom. 5, in 3 part., disp. 4, sect. 8, n. 16, et 17, et 18; et P. Vasq. 1-2, disp. 123, c. 2, et communiter docent doctores, si vir indoctus sit, debere consulere viros doctos, et carentes morali suspicione malè consulendi ex malitiâ, aut negligentiâ. Animadvertit autem P. Sanchez, aliquos excusari consulendo aliquem; alios temen non excusari consulendo eumdem. Nam vetula, vel rusticus excusabitur consulendo parochum, præsertim in rebus facilibus et obviis; non excusabitur autem vir urbanus, præcipuè in rebus difficilibus. Ponamus virum indoctum de re magni momenti consulere duos theologos, et alterum affirmare, alterum negare contractum aliquem esse licitum; auctoritatem autem negantis esse majorem in æstimatione ipsius consulentis; tunc jam repræsentatur ei ut magis verisimilis sententia rigida; proinde non poterit benignam amplecti. Si autem auctoritas affirmantis notabiliter major sit apud ipsum, benignam poterit amplecti; quia tunc motus illâ majori auctoritate, prudenter credere potest rem illam esse licitam. Si verò neutra sit apud illum major, anceps manebit et dubius; et stante hoc dubio, tenetur amplecti tutiorem partem, nec licitè poterit amplecti benignam, nisi alios viros sapientes et probos consulendo majus inveniat fundamentum ad existimandum contractum esse licitum, quàm ad oppositum. Si autem vetula interroget parochum an licita sit talis actio, et audiat ab illo quòd sit licita, impunè operabitur; quia tunc prudenter judicat rem esse licitam. Quamvis autem decipiatur, non peccabit; quia illa ignorantia non est culpabilis, quia est error probabilis; siquidem factâ sufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, inculpabiliter existimavit rem esse

licitam, et propterea eam facit, non factura, si agnosceret esse illicitam.

XLV. Itaque dicimus virum doctum qui expensis utriusque partis fundamentis agnoscit sententiam rigidam esse absolutè magis verisimilem, non posse amplecti benignam, nec secundùm illam consilium dare. Si autem confessarius sit indoctus, qui nequeat librare fundamenta sententiarum, nec per principia intrinseca dignoscere, quænam sit probabilior, debet hoc pacto se gerere, ut vel consulat virum doctum et probum; et id faciat quod vir ille rebus maturè consideratis dixerit esse absolutè verum; vel consulat scripta doctorum. Si videat aliquem doctorem classicum, et in investigandis doctorum sententiis diligentem asserere talem vel talem contractum esse licitum, et non referre sententiam in contrarium, vel si referat, eam parvi pendere et rejicere ut falsam, poterit ejus dictis acquiescere; quia tanti viri auctoritas illum movere potest ad prudenter judicandum rem illam esse licitam. Si autem videat doctorem illum amplecti sententiam rigidam ut magis verisimilem, et referre pro sententiâ benignâ graves doctores, quorum tamen auctoritas non sit tanti ponderis apud ipsum, ac auctoritas hujus doctoris, et eorum quos pro se adducit; tunc non poterit sequi benignam.

Si autem videat aliquem Summistam referre duas sententias, et pro sententiâ rigidâ plures et graviores doctores referre, quàm pro sententiâ benignâ quam ipse sequitur; non poterit acquiescere sententiæ benignæ; quia solùm movetur ab auctoritate, et majus auctoritatis pondus videt pro sententiâ rigidâ. Quod si aliquis doctor modernus sit vir magni nominis, qui profundè et latè rem discussit, et testatur se adducere fundamenta nova, quæ antiquiores theologi non attigêre, quæ ipsum convincunt, et facilè diluere fundamenta opposita; tunc si confessarius indoctus prudenter præsumere potest hunc auctorem modernum veritatem attigisse, plusque momenti habeat quoad hoc punctum apud ipsum ejus auctoritas, quàm auctoritas multorum, quos citat pro contrariâ; securè tunc poterit ejus placitum sequi; sed hic casus rarissimè in praxi continget.

XLVI. Quòd si Summista quem consulit refert duas sententias oppositas, et dicit esse æquè probabiles, et nihil amplius dicit, tunc debet partem tutiorem amplecti. Quòd si dicat sententiam rigidam esse probabiliorem, oppositam verò esse probabilem, rigidiorem debet amplecti; nec unquàm potest benignam sequi, nisi videat majus fundamentum rationis, vel auctoritatis ad judicandum esse veram, quàm ad judicandum esse veram sententiam rigidam.

Manere itaque debet fixum, probabilitatem non esse regulam rectè operandi, sed veritatem; id est, non sufficere ad rectè operandum, quod quis judicet opinionem esse probabilem; sed requiri ut judicet esse veram. Unde cùm evidens sit veritatem esse non posse penes utramque sententiam contrariam, sed penes unam duntaxat; nunquàm habet operans optionem eligendi inter opinionem benignam et rigidam pro libitu suo; sed duntaxat potest eligere benignam, quando habet fundamentum aliquod præponderans ad credendum, illam esse veram, et sententiam rigidam esse falsam: quod nunquàm habet, nisi quando sententia benigna proponitur, vel ut unicè verisimilis, vel ut manifestè verisimilior contraria. Quare, ut sapienter scribit Gerson de Reg. Moralit. sub titulo de superbiâ: *Ambulandum in virtutis doctrina via regia, ut nec strictius fiat Dei mandatum, nec latius quàm ipse mandaverat.* Noster itaque scopus, in quem collimare, et stella polaris, quam inspicere debemus, est veritas. Nec in quæstionibus decidendis attendi debet, quæ opinio sit regida, et quæ benigna; sed quæ vera. *Superest ergo*, inquit sapienter P. Esparza in Appendice art. 42, *ut omnes unanimi consensu enitamur quantùm possumus ad veritatem, et ea circa rem quamlibet tenea tur sententia, quæ vera esse convincetur, aut omnibus hinc inde consideratis videbitur ad veritatem propiùs ac cedere, ea verò rejiciatur ac reprobetur, quæ falsa con vincetur; aut ad falsitatem vergere potissimùm videbitur. Ita enim fiet, ut veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ut loquitur Apost. Eph. 4.*

§ XX. *Infertur ex dictis non licere viro docto respondere consulentibus secundùm sententiam aliorum minùs tutam, quam ipse falsam esse censet.*

XLVII. Id probat optimè præpositus generalis dissert. 5, à num. 31. *Nam si ego*, inquit, expensis utriusque partis fundamentis censeo aliquem contractum esse usurarium; si mercator à me roget an sibi liceat talem contractum celebrare, non possum respondere: *Licet*, quia hoc ipso affirmarem esse absolutè licitum quod absolutè censeo esse usuram; et inducerem illum ad faciendum quod judico esse malum et prohibitum: quæ res est omninò illicita. Nec sufficit quòd detur sententia probabilis affirmans illum contractum esse licitum; quia quamdiù illa sententia à me non approbatur, non possum secundùm illam operari et consilium dare. Sententiam contrariam esse probabilem probat quidem, suos auctores et omnes qui illam veram esse existimant, posse secundùm illam operari et consilium dare; non autem eos qui illam improbant et ut falsam rejiciunt. Inprimis enim absolutè affirmare exterius ut licitum, quod interius judicio esse absolutè illicitum, est mendacium quod est intrinsecè illicitum, utpote contrarium commercio et societati hominum. Deinde inducere ad faciendum quod lege Dei est graviter prohibitum, est grave peccatum. Et quamvis ego non cognoscam certò et evidenter talem legem existere, tamen prudenter judico existere, idque mihi persuasum habeo. Dùm autem ita judico, sicut nefas mihi est illud exequi, ita nefas, alium inducere ad exequendum. Et quamvis ego sciam illum contractum esse licitum secundùm sententiam aliquorum doctorum, hoc non sufficit, ut consulenti respondeam: *Licet;* nam illum esse licitum secundùm sententiam aliquorum doctorum, nihil aliud est quàm dari doctores affirmantes esse licitum: hoc autem non est idem, ac

contractum esse licitum simpliciter et absolutè, nisi probetur eorum sententiam esse veram. Consulens verò non rogat an licitus sit ille contractus secundùm aliquorum doctorum sententiam, sed an sit absolutè licitus. Unde respondere absolutè : *Licet*, quia licet secundùm opinionem aliquorum doctorum, quam censeo esse falsam, est illum decipere in re gravi, et inducere ad peccandum. Quia si ego responderem : *Absolutè non licet ille contractus, quamvis dentur doctores aliqui affirmantes licere*, tunc consulens non celebraret contractum, nisi priùs animadverteret me malè respondisse ad quæstionem.

XLVIII. Quare in dicto casu, vel debeo absolutè respondere non esse licitum illum contractum, vel saltem dicere : dantur quidem doctores affirmantes contractum istum esse licitum; cæterùm ergo illorum falsam esse existimo sententiam, ac proinde tibi absolutè respondere ego non possum, esse licitum istum contractum, quia censeo illicitum. Tu alios doctiores consule : si illi affirmaverint esse licitum, et tu prudenter censeas me potiùs quàm illos decipi, eorum sententiam amplecti poteris. Quousque autem prudenter possis judicare esse licitum istum contractum, non poteris illum in praxim deducere; dùm dubius manseris, teneberis partem securiorem amplecti.

XLIX. Unde à fortiori rejicienda est nonnullorum sententia, qui dixerunt doctorem consultum posse in aliquo casu respondere secundùm sententiam aliorum minùs tutam favorabilem consulenti, quamvis ipse certum existimet esse falsam; quia cùm consulens in re dubiâ jus habeat se conformandi opinioni quæ ab aliquibus viris doctis defenditur; non obstante quòd alii contradicant, et speculativè sententiam improbabilem judicent, hoc ipsum suo consulenti doctor indicare non prohibetur.

L. Rejicienda, inquam; quia ratio quâ nititur est planè falsa, et supponit tanquàm quid certum id, quod non solùm non est certum, sed videtur manifestè falsum : nimirùm, hominem in re dubiâ jus habere se conformandi opinioni, quæ ab aliquibus viris doctis defenditur. Nam, v. g., in re dubiâ, an aliquis contractus sit usurarius, nec ne, non satis est ad ineundum licitè eumdem contractum, quòd operans sciat aliquos viros doctos defendere illum contractum esse licitum; si sciat alios æquè doctos, vel doctiores, et plures numero asserere esse usurarium, et ad hoc probandum afferre rationes, quæ ipsi videntur urgentiores. Nam tunc operans judicat, vel saltem prudenter judicare potest, auctores illos benignos falli, et errare contra legem Dei : est autem manifestum quòd nemini liceat sequi errantes contra legem Dei, quando cognoscit illos errare; hoc enim est formaliter contemnere legem Dei, et agere contra conscientiam. Quare sententia probabilis aliena favens libertati adversùs legem, non potest assumi ut regula secura operandi ab iis qui judicant illam esse falsam, et legi divinæ contrariam; neque ab iis qui dubitant an sit vera, vel falsa; neque ab iis qui præscindunt ab eo an sit vera, vel falsa; sed duntaxat ab iis qui prudenter judicant esse veram et legi divinæ conformem. Qui enim vult sequi opinionem minùs tutam faventem suæ libertati adversùs legem, præscindendo ab eo an sit vera, vel falsa; seu nullâ ratione habitâ veritatis, per quam conformatur cum lege æternâ; vult eam sequi, sive sit conformis legi illi, sive sit contraria, ac proinde contemnit legem æternam : quod est evidenter illicitum. Quare nemo potest in occursu opinionum contrariarum amplecti licitè illam quæ favet libertati adversùs legem, nisi sibi prudenter persuadeat illam esse veram; oppositam autem stantem pro lege adversùs libertatem, esse falsam, et imponere homini onus, quod Deus non imposuit. Hinc infertur esse à fortiori absurdam sententiam, quam Gabriel à Sancto Vincentio in libro de Remediis ignorantiæ pag. 374 refert ac refellit : *Si vir doctus inveniat aliquam opinionem, quam putat esse falsam, et observat falsitatem et quod principium, cui innititur, est omninò falsum, inane et vanum, adhuc tamen vir ille doctus, qui hæc agnoscit, potest eam sententiam tutâ conscientiâ sequi, gerendo se ut indoctum.* Quis non videat hanc esse laxitatem intolerabilem?

§ XXI. *Infertur ex dictis esse planè falsam, regulam illam sine limitatione sumptam, quam tanquàm certissimam assumit auctor benignus gravis, videlicet :* quòd in dubiis quæstionibus circa mores quisque operari possit secundùm sententiam quam viri docti ut probabilem et in praxi tutam defendunt.

LI. Hanc regulam tanquàm principium inconcussum ponit auctor ille in summâ morali lib. 1, tr. 1, cap. 4, § 2, num. 7, ubi probat licitum esse sequi opinionem probabilem minùs tutam *tametsi operanti speculativè minùs probabilis, et opposita probabilior appareat; quod inde,* inquit, *ostendi debet : quia speculativa illa opinatio eo ipso quòd incerta et fortassè falsa sit, non potest esse regula operationis, consequenter operans aliam regulam, eamque certam sectari debet, videlicet, quòd in dubiis quæstionibus circa mores quisque operari potest secundùm sententiam quam viri docti ut probabilem et in praxi tutam defendunt.* Infero, inquam, hanc regulam esse planè falsam, et nullo fundamento solido nixam nisi limitetur; quia stat me scire aliquos viros doctos, aliquam sententiam minùs tutam tanquàm probabilem, imò ut sibi veram, et in praxi tutam; imò ut sibi moraliter certam, defendere; et tamen, quod ego prudentissimè judicare possim deceptos fuisse; quia nimirùm pro parte contrariâ invenio solidiora auctoritatis et rationis momenta; tunc autem licitè illos sequi non possum, ut probatum manet.

LII. Typis vulgavit hic auctor suam summam moralem anno 1643, quando Probabilismus nundùm fuerat cohibitus ab Alexandro VII, cautiùs locuti sunt P. Esparza, P. Terillus et alii, qui post tot damnatas anno 1655 et 1656, ab Alexandro propositiones scripserunt. Siquidem ad usum licitum opinionis minùs tutæ sapienter requirunt, ut sit æqualis vel ferè æqualis probabilitatis cum tutiore, ac proinde juxta ipsos non

sufficit quòd operans sciat illam sententiam defendi ut probabilem et tutam à viris doctis; sed requiritur ut sciat defendi cum fundamento saltem æquali vel fere æquali fundamentis sententiæ contrariæ.

LIII. Nos dicimus illam regulam limitandam esse; ut solùm sit verum, licitum esse cuilibet operari secundùm sententiam minùs tutam, quam viri docti ut probabilem et in praxi tutam defendunt; quando illa sententia post diligentem veritatis inquisitionem illi repræsentatur ut unicè verisimilis, vel ut manifestè verisimilior, quàm opposita, et idcircò ab ipso prudenter judicatur vera. Implicat enim, ut operans formet dictamen practicum certum, quòd sibi hìc et nunc liceat sequi sententiam minùs tutam, quam ipse judicat esse falsam: quia si judicat esse falsam, judicat esse illicitam actionem, quam illa sententia ut licitam astruit; implicat autem ut dùm judicat actionem illam secundùm se et in communi esse illicitam, simul judicet esse licitam sibi: et quamvis suspendat illud judicium directum de falsitate illius opinionis, si tamen illi verisimilius sit illam falsam esse, et consequenter esse illicitam illam actionem, implicatorium est ut in sensu composito illius apparentiæ certus sit se non peccare exercendo talem actionem; hic enim actus est implicatorius: *Ego quidem dubito an actio A sit secundùm se illicita, et mihi verisimilius est esse illicitam; et tamen certus sum quòd mihi illicita non est; quamvis in me non adsit specialis ratio, me eximens à lege communi prohibente eam actionem.*

§ XXII. *Ostenditur fundamenta adducta à Magistro Bartholomæo de Medinâ anno* 1577, *pro sententiâ benignâ, inefficacia esse ad probandum licitum cuique esse, sequi opinionem probabilem minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris, atque operanti ipsi verisimilioris.*

LIV. Auctorem hunc Antonius Senensis in suâ Bibliothecâ *Theologum excellentem*, et *numeris omnibus absolutum vocat, nec pietatis minùs et probitatis, quàm eruditionis laudem insignem*, ille igitur in suis commentariis in 1-2, D. Th. quæ luce publicâ donavit an. 1577, qu. 19, art. 6, concl. 3, sic hanc controversiam attigit: *Ex hoc nascitur magna quæstio, utrùm teneamur sequi opinionem probabiliorem, relictâ probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem?* Postquàm autem retulit sententiam contrariam, sic ille quæstionem resolvit: sed *mihi videtur quòd si opinio est probabilis, licitum est eam sequi.* Quæ verba possunt habere commodam explicationem, ut notat P. generalis dissert. 13, n. 9, nimirùm si intelligantur de opinione minùs probabili specificativè et materialiter, id est de minùs communi inter sapientes; non autem de opinione minùs probabili reduplicativè et formaliter respectu ipsius operantis; quasi Medina solùm voluerit ad usum licitum opinionis minùs tutæ non requiri, quòd illa in se, et in communi æstimatione sit probabilior, seu communior inter sapientes; sed satis esse quòd sit verè probabilis, seu quòd defendatur ut vera à viris doctis et probis post diligens studium; dummodò ipsi operanti apparet in actu primo absolutè verisimilior quàm opposita, et ab ipso prudenter judicetur vera. Posteriores tamen theologi Medinam citant pro sententiâ suâ affirmante licitum unicuique esse sequi probabilem opinionem aliorum, quamvis sit minùs tuta, et ipsi operanti minùs probabilis, seu minùs verisimilis, quàm opposita videatur.

LV. Quis fuerit primus inventor sententiæ benignæ, quæ tot sectatores habuit per integrum seculum, non constat. Quamvis enim Medina nullum auctorem pro illâ citet; et posteriores theologi ipsum, et Mercado, primo loco nominent pro hâc sententiâ: tamen P. Vasq. affirmat illam jam fuisse communem eo tempore quo Medina eam typis vulgavit. Unum tamen videtur exploratum, illam paulò antea incœpisse extollere caput, nempe post. a. 1570. Nam gravissimus et eruditissimus theologus Antonius de Cordova in suo Quæstionario Theologico, quod typis mandavit anno 1571, lib. 2, qu. 3, cùm asseruisset, partem tutiorem *esse tenendam*, quando *est probabilior oppositâ*, statim subjunxit, et *in hoc omnes theologi consentiunt.*

LVI. His quæ P. generalis in suo libro dissert. 12, n. 22, adducit, adjungo testimonium D. abbatis Stephani Gradi bibliothecæ Vaticanæ præfecti in disputatione de Opinione Probabili cap. 12; explicans enim quomodò exorta sit Probabilistarum philosophia, pag. 28, testatur, *se audivisse virum gravissimum et non vulgari hodie in Ecclesiâ dignitate, affirmantem hanc paulò liberiùs opinandi rationem avorum nostrorum memoriâ repentè et quasi fortuitò in Ecclesiâ exstitisse, et quia non minùs honorifica consultis quàm commoda consultoribus accidebat, facilè ab omnibus receptam, et in mores inductam; verùm cùm neminem haberet, qui auctorem ejus repertoremque se ferret, cujusque præcipuo periculo doctorum hominum subiret judicia, sed ab scriptoribus obiter, et quasi aliud agentibus jactaretur, rudem initio, et inchoatam fuisse, neque eò minùs à plerisque probatam, atque in gravissimis de animarum salute deliberationibus passim adhibitam; secutamque incredibilem in hoc genere scribendi fidentiam, ut jam nihil tam absurdum, nihil ab honestate et pietate tam alienum esset, quod multorum judicio Ethica Christiana non admitteret.*

LVII. Adjungo etiam judicium Vincentii Contensonis in suâ Theologiâ mentis et cordis tom. 3, dissert. 6, de novello probabilitatis commento, cap. 2, pag. mihi 787, ubi ita scribit: *Probabilismi licentiam ab aliis hauserunt Jesuitæ, et cum Jesuitis non pauci alii ex omnibus ordinibus et academiis, nonnulli etiam sorbonici hujus seculi doctores sectantur, etc.*

His prænotatis examinemus jam fundamenta Medinæ; ea exhibuit P. generalis dissert. 14, cap. 4, à n. 26, ad eaque breviter respondit: ea ego hìc sigillatim, et copiosiùs expendam, ut constet, quàm destituta sit solidis fundamentis sententia benigna sumpta, in sensu indiviso, in quo illam defendunt moderni Probabilistæ, asserentes cuilibet licitum esse sequi opinionem probabilem aliorum de honestate vel licentiâ

alicujus actionis, quamvis agnoscat esse auctoritate et ratione minùs probabilem, seu minùs verisimilem.

§. XXIII. *Rationes Medinæ. — Prima ratio.*

LVIII. Probat igitur Medina suam sententiam primò: *Nam opinio probabilis*, inquit, *in speculativis ea est quam possumus sequi sine periculo erroris et deceptionis : ergo opinio probabilis in practicis ea est quam possumus sequi sine periculo peccandi.* Verùm hoc argumento probari non potest id quod Probabilistæ intendunt, nempè licitum esse cuilibet sequi opinionem aliorum minùs tutam, quamvis omnibus hinc inde consideratis, habeat majus fundamentum ad judicandum esse falsam, et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ conformem; seu quamvis agnoscat sententiam tutiorem esse probabiliorem in se, seu habere pro se plures et graviores auctores: et quamvis ipsi appareat ab intrinseco verisimilior, seu quamvis agnoscat esse fulcitam validioribus rationibus. Imò ex paritate illâ fit argumentum validum contra ipsos : nam sicut in speculativis nequit absque deceptionis, et erroris periculo magister amplecti sententiam, quæ in actu primo illi magis apparet falsa quàm vera, seu pro quâ agnoscit majora argumenta falsitatis quàm veritatis, ita in moralibus nequit absque peccandi periculo homo in operando sequi sententiam minùs tutam seu faventem libertati adversùs legem, quando omnibus consideratis agnoscit in illâ et pro illâ majora argumenta falsitatis quàm veritatis, quia tunc prudenter potest judicare illam esse falsam et legi divinæ contrariam : unde si tunc velit eam in operando sequi, operabitur contra conscientiam, et legem Dei contemnet. Ut enim ostendit P. generalis dissert. 4, § 4, à n. 21, perindè est sequi sententiam minùs tutam, quando prudenter potes judicare esse falsam, etsi voluntariè suspendas assensum; ac operari quando actualiter judicas esse falsam. Unde sicut magister nequit licitè dictare discipulis sententiam, quæ sibi non probatur, licet sciat probari aliis, seu quam judicat esse falsam, quamvis sciat ab aliis judicari veram; ita non potest homo in operando sequi sententiam minùs tutam, quando judicat esse falsam, quamvis sciat ab aliis judicari veram; quia hoc ipso quod prudenter judicet illos auctores decipi; nequit licitè sequi errantes contra legem Dei in eo, in quo cognoscit illos errare; nec auctoritas illorum potest ipsum prudenter movere ad sequendum in operando illorum placitum; si non movet ad conformandum judicium suum cum judicio ipsorum circa honestatem objecti, ac proinde dùm judicat illos deceptos fuisse in judicando objectum illud esse honestum, nequit ab illorum auctoritate moveri.

LIX. Ad rationem propositam admittimus antecedens et consequentiam. Ac proinde fatemur quòd, sicut in speculativis opinio probabilis est, quam possumus sequi sine periculo erroris et deceptionis, ita in practicis opinio probabilis est, quam sequi possumus sine periculo peccandi. Constanter tamen negamus posse nos sine periculo peccandi sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris; ac proinde dicimus opinionem alienam minùs tutam non esse probabilem illis quibus opinio aliena tutior apparet verisimilior, quia illi prudenter judicare possunt opinionem illam minùs tutam esse falsam et legi divinæ contrariam; nemo autem potest sine peccandi periculo sequi opinionem aliorum minùs tutam in circumstantiis in quibus prudenter judicare potest illam esse falsam et legi divinæ contrariam. Quare opinionem alienam minùs tutam illi soli possunt sine peccandi periculo sequi, qui prudenter judicant esse veram et legi divinæ conformem judicio firmo excludente prudentem et moralem formidinem malitiæ, ut explicuimus sæpè. Illa propositio Medinæ : *In practicis opinio probabilis est, quam sequi possumus sine peccandi periculo*, æquivalet huic : *In practicis illa sola opinio nobis probabilis est, quam sequi possumus sine peccandi periculo;* nam ea quam sequi non possumus sine peccandi periculo, nobis non est probabilis. Hinc autem contra Medinam infertur opinionem alienam minùs tutam tunc solùm nobis probabilem esse, quando post diligentem veritatis inquisitionem citra omnem passionem et culpam nobis apparet in actu primo vel unicè verisimilis, vel clarè et notabiliter verisimilior quàm opposita, quia tunc solùm possumus prudenter, seu sine morali et prudenti formidine, illam approbare ut veram. Unde infertur nos nunquàm posse licitè et sine peccandi periculo amplecti opinionem alienam minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris, seu verisimilioris neque in occursu tutioris et æquè nobis verisimilis.

LX. Totaque fallacia argumenti desumitur ex falsâ suppositione, quâ laborat. Supponit enim opinionem alienam minùs tutam manere absolutè probabilem respectu nostri, etiamsi nobis proponatur ut minùs verisimilis quàm contraria, quod tamen est planè falsum. Supponit itaque argumentum, opinionem minùs tutam eo ipso quòd in se sit probabilis, seu propugnata ut vera à viris probis et sapientibus, habere probabilitatem respectu omnium, etiam illorum qui judicant, vel prudenter judicare possunt illam falsam esse, eò quòd illius fundamenta apparent ipsis minùs verisimilia, quàm fundamenta sententiæ contrariæ; quæ tamen est falsa suppositio : ac proinde argumentum supponit rem manifestè falsam; nempe quòd debeat probari omnibus, et omnibus esse probabilis opinio, quæ probata est aliquibus viris sapientibus, et respectu illorum est probabilis. Cùm tamen opinio quæ probata est aliquibus viris sapientibus solùm sit probabilis respectu aliorum in quorum intellectu post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam habuerit eumdem statum, quem habuit in intellectu suorum auctorum; id est, respectu illorum quibus ejus fundamenta apparuerint notabiliter majora fundamentis sententiæ contrariæ, quia ii solùm possunt prudenter illam approbare ut veram; non autem respectu aliorum quibus illa fundamenta non apparuerunt majora, et à fortiori non respectu eorum quibus apparuerunt minora.

Quare tota æquivocationis et fallaciæ ratio desumi-

tur ex eo quòd Medina consideret probabilitatem quamdam absolutam, quæ sit recta regula respectu omnium, et quam omnes in omni circumstantiâ possint sine peccandi periculo sequi; cùm tamen probabilitas sit regula respectiva, quam aliqui solùm in aliquibus circumstantiis possunt sine peccandi periculo sequi; nempe illi quibus post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam probabilitas illa apparet ita præponderans probabilitati partis contrariæ, ut vi illius prudenter judicent opinionem gaudentem eâ probabilitate esse veram et legi divinæ conformem.

LXI. Hæc fallacia magis detegetur, si evolvamus sensum illius propositionis : *Opinio probabilis in practicis ea est quam possumus sequi sine periculo peccandi.* Nam si propositio significet eam solùm opinionem in practicis probabilem esse, quam omnes sine peccandi periculo in quibuslibet circumstantiis sequi possunt, est evidenter falsa. Nam opinionem probabilem minùs tutam nequeunt sequi auctores contrarii, qui illam improbant ut falsam, præsertim illi quibus fundamenta talis opinionis apparent debilia; quare relatè ad illos non est probabilis, stat enim aliquos viros sapientes tenere probabiliter et defendere ut veram opinionem minùs tutam, et tamen alios viros sapientes detegere debilitatem fundamentorum, quibus illi alii moti sunt; et certos moraliter reddi de falsitate talis opinionis minùs tutæ : quo in casu isti non possunt sine peccato sequi sententiam illam minùs tutam, quam falsam et levi nixam fundamento judicant. Si autem ea propositio significet eam solùm opinionem in practicis probabilem esse, quam aliqui possunt sine peccandi periculo sequi, nempe illi quibus ejus fundamenta post diligentem veritatis inquisitionem apparent citra omnem culpam notabiliter verisimiliora oppositis, sicut apparuit suis auctoribus; tunc illa propositio est vera, quia ad probabilitatem opinionis non requiritur quòd ejus fundamenta appareant omnibus præeminentia fundamentis partis oppositæ; sed satis est quòd appareant talia aliquibus viris probis et sapientibus post diligentem controversiæ discussionem.

LXII. Unde propositio illa distinguenda est : *Opinio probabilis in practicis ea est quam possumus sequi sine peccandi periculo.* Distinguo : Quam possumus sequi omnes, et in omnibus circumstantiis, nego; quam possumus sequi aliqui, vel omnes in aliquibus circumstantiis (nempe in illis in quibus citra culpam fundamenta illius apparent nobis notabiliter majora oppositis), concedo. Vel aliter : *Opinio probabilis in practicis ea est*, etc. Distinguo : *Opinio probabilis nobis ea est quam possumus sequi sine peccandi periculo*, concedo; opinio probabilis aliis seu respectu aliorum ea est quam possumus sequi sine peccandi periculo, nego : stat enim opinionem esse probabilem in se, et respectu aliorum quibus ejus fundamenta citra culpam apparuerunt notabiliter majora oppositis, et non esse probabilem nobis, quibus talia non apparent, sed potiùs apparent minora, et aliquando apparent levia : sicut P. Vasquez sæpè videntur frivola et parvi momenti fundamenta, quibus auctores alii graves moti sunt ad defendendam suam sententiam; et tunc sanè illorum sententia Patri Vasquez probabilis non est.

### § XXIV. *Secunda ratio Medinæ.*

LXIII. Veniamus jam ad alia fundamenta Medinæ. Probat ergo secundò in hunc modum nos non teneri sequi probabiliorem, relictâ probabili, sed posse sequi minùs probabilem, etiamsi sit minùs tuta seu favens libertati adversùs legem. Quia *opinio probabilis*, inquit, *ex eo dicitur probabilis, quòd possumus eam sequi sine reprehensione et vituperatione : ergo implicat contradictionem, quòd sit probabilis, et quòd non possimus eam licitè sequi. Antecedens probatur. Nam opinio non dicitur probabilis ex eo quòd in ejus favorem offerantur rationes apparentes, et quòd habeat asserlores et defensores (nam isto pacto omnes errores essent opiniones probabiles), sed ea opinio probabilis est quam asserunt viri sapientes, et confirmant optima argumenta quæ sequi nihil improbabile est.* Ita definit Arist. 1 Ethic. cap. 4, et 1 Topic. c. 1.

LXIV. Hæc ratio eâdem æquivocatione laborat, quâ prima. Eidem respondet P. generalis. diss. 14, num. 30, distinguendo antecedens : *Opinio ex eo dicitur probabilis, quòd possimus eam sequi sine reprehensione, semper, et in omni occursu rerum, nego; ali quando, nimirùm quando nobis proponitur in eo statu quem habuit vel habet in mente suorum auctorum, quibus proposita est ut verisimilior oppositâ, concedo antecedens. Et similiter distinguendum est consequens, et sub eâ distinctione concedenda vel neganda est consequentia. Peccat itaque argumentum, quia ex eo quòd opinio aliqua in aliquâ circumstantiâ approbata sit ab aliquibus viris sapientibus, arguit posse approbari ab omnibus et in omni occursu rerum : quòd est arguere à singulari ad universale. Namque opinionem esse probabilem, est, illam reputatam fuisse veram à viris probis et sapientibus, eò quòd ipsis repræsentata sit ut verisimilior opposita et unicè vera. Ex eo autem quòd aliqui viri sapientes illam approbaverint, non sequitur quòd ego possim eam prudenter approbare et reputare veram, quando video viros alios sapientes vel sapientiores eam reprobare, falsamque reputare, istorumque fundamenta mihi apparent urgentiora.* Neque ex doctrinâ Aristotelis probari potest, quòd licitum sit sequi opinionem probabilem aliorum minùs tutam, quando ego prudenter judico, vel judicare possum, illam esse falsam; nam *probabilia*, juxta Aristotelem, *sunt illa quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus, et iis vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis et illustribus.* Unde in sensu Aristotelis tunc opinio minùs tuta erit probabilis, quando vel omnes sapientes, vel plurimi, vel maximè noti et illustres illam tenent, quia tunc quilibet potest prudenter judicare rem esse licitam, quando videt licitam judicâsse omnes sapientes, vel saltem plurimos, seu plerosque, vel maximè conspicuos, quorum auctoritas scilicet præponderat auctoritati reliquorum omnium. Unde in sensu Aristotelis non est probabilis opinio quam aliqui sapientes judicant veram, si tot alii vel etiam plures æquè sapientes vel sapientiores

judicant falsam, nec in sensu Aristotelis utraque pars contradictionis potest esse eidem intellectui probabilis, sed una duntaxat, nempe illa quæ ob suam maximam verisimilitudinem traxit in suî assensum vel omnes sapientes, vel saltem plerosque et maximè conspicuos.

§ XXV. *Solvitur tertia ratio Medinæ.*

LXV. Tertiò. Argumentatur Medina sic: *Opinio probabilis est*, inquit, *conformis rectæ rationi et existimationi virorum sapientum et prudentum : ergo eam sequi non est peccatum. Consequentia est evidens ; et probatur antecedens : nam si est contra rationem, opinio probabilis non est, sed error manifestarius.* Respondeo distinguendo antecedens : *Opinio probabilis est conformis rectæ rationi et existimationi virorum prudentum et sapientum :* si sit vera, et prudenter ac post maturam considerationem judicetur vera, concedo antecedens ; si sit falsa, vel præcipitanter et sine debitâ discussione et diligenti examine judicetur vera, nego antecedens. Nam opinio falsa non est conformis rectæ rationi, siquidem rectitudo rationis est veritas ; et opinio hominum, quæ approbat ut licitum illud ipsum quod ratio æterna Dei reprobat ut illicitum, non est conformis rectæ rationi, sed contraria. Licet autem sit vera, si concipitur temerè et sine debitâ consideratione, non est opinio probabilis, quia solùm casualiter, non autem secundùm regulas prudentiæ assequitur veritatem. Et distinguo consequens : *Ergo eam sequi non est peccatum :* si sit vera, et prudenter judicetur vera, concedo consequentiam ; si sit falsa, subdistinguo : si sit falsa, et prudenter judicetur falsa, vel de ejus veritate prudenter dubitetur, nego consequentiam ; si sit falsa, et tamen sine imprudentiâ et sine temeritate inculpabiliter judicetur vera, quia ejus fundamenta post diligentem veritatis discussionem apparent præeminentia fundamentis contrariis, concedo consequentiam, quia licet operans sequatur tunc opinionem quæ in re non est conformis rectæ rationi, sequitur tamen opinionem quam inculpabiliter et sine temeritate sibi persuadet esse veram et rectæ rationi conformem, ac proinde non peccat.

LXVI. Quare quando dantur duæ opiniones probabiles inter se oppositæ, quarum una affirmat et altera negat certum contractum, v. gr., esse licitum, utraque in existimatione virorum prudentum est conformis rectæ rationi, quia utraque à suis auctoribus probabiliter judicatur vera ; et cùm altera ex illis debeat esse falsa, et una sola possit esse vera, una sola ex illis est in re conformis rectæ rationi ; altera vero solùm apparenter, et in existimatione hominis sic judicantis ; quæ existimatio si sit inculpabilis, excusat à culpâ actionem quæ ex illo errore fit contra legem et contra rectam rationem æternam Dei ; si sit culpabilis, non excusat.

LXVII. Quod autem addit Medina, nimirùm, *quòd si est contra rationem, non est opinio probabilis, sed error manifestarius*, est falsum, quia potest in re esse contra rationem, et tamen inculpabiliter judicari vera et conformis rectæ rationi : tunc autem licet sit error, non est error manifestarius, sed error occultus et inculpabiliter ignoratus.

LXVIII. Opponit statim sibi Medina : Si dicas (nempe opinionem minùs probabilem) *esse quidem rectæ rationi conformem, tamen quia opinio probabilior est conformior et securior, obligamur eam sequi ; contra est argumentum : nam nemo obligatur ad id quod melius et perfectius est. Perfectius est esse virginem quàm esse uxoratum ; esse religiosum quàm esse divitem ; sed nemo ad illa perfectiora obligatur.*

LXIX. Verùm hoc fundamentum fallax est. Nam supponit opinionem alienam minùs tutam, quæ operanti apparet minùs verisimilis quàm opinio tutior, manere absolutè probabilem respectu operantis ; quod tamen est planè falsum, quia tunc non potest approbare illam ut veram, sed potiùs potest ac debet reprobare ut falsam, et solùm tunc habet libertatem ad judicandum esse veram opinionem tutiorem, pro quâ videt stare plures auctores graves et majora fundamenta rationis. Implicat enim ut homo sapiens et prudens possit judicare inculpatè esse veram opinionem minùs tutam faventem libertati adversùs legem, quando omnibus hinc inde consideratis, habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam. Unde tunc homo non judicat, nec judicare potest opinionem minùs tutam esse rectæ rationi conformem ; sed vel debet judicare esse rectæ rationi contrariam judicando esse falsam, vel manere dubius an sit conformis vel difformis rectæ rationi, quatenùs dubius manet an sit vera vel falsa. Quare tunc de opinione magis tutâ non judicat esse conformiorem rectæ rationi, sed esse unicè conformem, quia judicat illam unicè esse veram, vel saltem hoc solùm potest tunc judicare.

LXX. Nec ex eo quòd nemo teneatur ad id quod melius est, verbi gr., ad eligendum statum religioni præ matrimonio, inferri potest quòd nemo teneatur eligere sententiam stantem pro lege adversùs libertatem, quando illi proponitur ut verisimilior oppositâ ; siquidem tunc eligere opinionem faventem libertati adversùs legem foret peccatum : ut enim ostendit P. generalis in suo libro, dissert. 6, per nullam reflexionem potest excusari à culpâ formali ille qui sequitur opinionem faventem libertati adversùs legem, quando omnibus consideratis, habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ non contrariam.

LXXI. Opinio autem favens libertati, ut supra exposui § 3, non dicitur *minùs tuta*, quia in illis circumstantiis sit positivè *tuta*, cùm potiùs tunc sit positivè *intuta ;* sed quia ipsius fundamentum secundùm se inspectum grave est et tale, ut propter illud viri aliqui sapientes prudenter judicaverint rem esse licitam, possitque in praxim sine peccato illa opinio deduci ab iis qui illam prudenter judicaverint veram.

LXXII. Quando electio facienda est inter duo extrema, quorum utrumque est bonum, sed unum est perfectius alio, nemo tenetur ad perfectius. At quando

electio facienda est inter duo extrema, quorum unum est certò et indubitanter bonum, et de alio dubitatur an sit bonum vel sit malum, nemo potest hoc secundum licitè eligere, nisi priùs sibi persuadeat non esse malum, ex vi motivi clarè et manifestè præponderantis motivo partis oppositæ.

§ XXVI. *Solvitur quarta ratio Medinæ.*

LXXIII. Arguit quartò Medina : *Licitum est opinionem probabilem in scholis docere et proponere; ergo licitum est eam consulere. Idem confirmatur : nam licitum est interiùs assentiri huic conclusioni : ergo licitum est exteriùs eam proponere.* Huic argumento rectè respondet generalis licitum quidem esse opinionem probabilem in scholis docere, quando illa opinio docenti apparet verisimilior oppositâ, et absolutè vera reputatur, et etiam sic licitum esse secundùm illam consilium dare; cæterùm non esse licitum eam docere, quando docenti videtur minùs verisimilis, et quando propterea falsa existimatur, vel existimari prudenter potest; nec tunc licere secundùm illam consilia dare. Ad confirmationem respondetur non esse licitum interiùs assentiri opinioni minùs tutæ, quando omnibus consideratis apparet magis falsa quàm vera, quia imprudenter se gereret voluntas imperans intellectui ut judicet, verbi gr., certum contractum esse licitum, quando omnibus considerati habet majus fundamentum ad judicandum esse illicitum.

§ XXVII. *Solvitur quinta ratio Medinæ.*

LXXIV. Arguit quintò Medina : *Non potest confessarius cogere pœnitentem ad sequendam opinionem probabiliorem : ergo non est obligatus ad sequendam opinionem probabiliorem.* Antecedens probat ex eo quòd confessarius scit, vel scire debet, quòd pœnitens in tali casu non peccat, siquidem scit, vel scire debet, quòd quando sunt duæ opiniones probabiles de aliquo contractu, licitum est utrique adhærere; si autem pœnitens non peccat sequendo talem opinionem, non potest illi absolutionem denegare. Respondeo : Si pœnitens accedat ad pedes confessarii cum proposito non abstinendi à certo contractu, qui secundùm sententiam probabilem, et ipsi pœnitenti verisimiliorem, est illicitus, et quem confessarius illicitum esse judicat, non posse ipsum absolvere, quia tunc pœnitens accedit cum animo faciendi contractum quem prudenter judicare potest esse illicitum; unde confessarius, qui firmiter judicat peccare eum qui sequitur opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris et sibi verisimilioris, firmiter judicat non posse pœnitentem illum sine peccato exequi illum contractum. Falsissimumque est quòd confessarius scire debeat quòd, quandò sunt duæ opiniones de aliquo contractu, licitum est utrique adhærere, quia certissimum est quòd ubi sunt duæ opiniones probabiles contrariæ propugnatæ ut veræ à diversis auctoribus circa honestatem vel turpitudinem certi contractûs, nemo potest in praxi sequi opinionem faventem suæ libertati adversùs legem, nisi post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam illa opinio proponatur ut notabiliter verisimilior, et ab ipso judicetur vera : unde nunquàm est licitum alicui adhærere in operando opinioni minùs tutæ, quando agnoscit opinionem tutiorem esse æquè probabilem, et à fortiori quando agnoscit esse probabiliorem, quia tunc vel judicare debet esse illicitam rem, de quâ sunt opiniones contrariæ, vel dubius manere an sit illicita; et in neutro casu potest sine peccato illam exercere.

LXXV. Sed major est difficultas, quando pœnitens post diligentem veritatis inquisitionem citra omnem culpam judicat esse veram sententiam minùs tutam, quia illa apparuit clarè verisimilior quàm opposita; ac proinde judicat contractum esse licitum; et ideò non vult ab illius celebratione abstinere. Poteritne confessarius, qui tenet sententiam contrariam, et censet contractum illum esse illicitum, absolvere talem pœnitentem contra propriam opinionem magis probabilem et magis tutam? P. generalis, diss. 14, à num. 114, tractat copiosè hoc punctum. Et inprimis rectè docet, ex eo quòd confessarius contra propriam opinionem possit ac debeat absolvere pœnitentem utentem opinione contrariâ, quam probabiliter putat esse veram, non sequi quòd possit quis in operando sequi opinionem minùs tutam in occursu tutioris sibi verisimilioris, quia in hoc casu pœnitens accedit benè dispositus, et confessarius pœnitenti accedenti cum bonâ dispositione nequit negare absolutionem.

LXXVI. Deinde dicit quòd quando opinio confessarii est paucorum, opinio autem pœnitentis est multorum graviumque doctorum, communiter loquendo, posse confessarium proprium judicium deponere, et se conformare cum judicio communi doctorum, quos sequitur pœnitens, illumque absolvere. Quando autem opinio confessarii est in se probabilior, seu communior inter auctores classicos, et aliunde post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam, ille judicat esse veram ob fundamenta rationis, quæ ipsi videntur manifestè urgentiora omnibus rationibus, quibus nititur pœnitentis opinio, tunc non potest absolvere pœnitentem, quamvis ille bonâ fide amplexus fuerit sententiam contrariam; sed debet pœnitentem illuminare, aperiendo illi falsitatem sententiæ benignæ quam sequitur, et veritatem sententiæ severioris quam sectatur confessarius. Quòd si pœnitens nolit acquiescere, dicens se habere opinionem probabilem de contrario, non potest illi impertiri absolutionem, quia hoc ipso cognoscit non esse rectè dispositum. Qui enim ita adhæret opinioni faventi libertati contra legem, ut licet confessarius doctus et prudens illum certiorem faciat de majore probabilitate sententiæ severæ, et debilitate fundamentorum quibus sententia benigna innititur, nihilominùs nolit hanc deserere, non bonâ fide sequitur opinionem faventem libertati. Nam qui bonâ fide eam sequitur, quia judicat veram, ita sequitur ut si judicaret esse falsam, vel si prudenter judicare posset falsam esse, illam desereret. Ut enim ostendit P. Generalis, diss. 5 et 6, non potest excusari à culpâ formali, qui sequitur opinionem fa-

ventem suæ libertati adversùs legem, quando habet majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum esse falsam, quàm ad judicandum esse veram, præsertim quando ille excessus probabilitatis est manifestus et evidens quia est notabilis.

LXXVII. Ratio autem quasi à priori, cur confessarius nequeat contra propriam opinionem magis tutam, magisque probabilem, pœnitentem absolvere, sumitur ex naturâ sacramenti pœnitentiæ; nam, ut constat ex Trid. sess. 14, cap. 6, absolutio est ad instar actûs judicialis, quo à sacerdote, veluti à judice sententia pronuntiatur. Et quamvis hoc judicium non sit institutum ad condemnandum, sed ad absolvendum reum legitimè se accusantem de suis peccatis, tamen ibi sacerdos se gerit ut judex, et ut superior: judex autem non potest proferre sententiam juxta opinionem quam ipse judicat esse falsam, sed juxta suam opinionem. Nam quamvis litigans habeat sententiam probabilem, quòd majoratus, verbi gr., ad se pertineat, si tamen judex oppositum judicet verum, nequit ei majoratum adjudicare, sed ejus competitori: ergo sacerdos nequit proferre sententiam juxta opinionem pœnitentis contra propriam. Tametsi pœnitens ex opinione probabili judicet rem aliquam ad se attinere, ac proinde se non esse obligatum illam restituere Petro, si tamen confessor doctus, re maturè perpensâ, judicat pœnitentem falli, ac proinde rem attinere ad Petrum, nequit ipsum absolvere, nisi proponat restituere. Quia quamvis confessor debeat credere pœnitenti in iis quæ ad eum, ut pœnitens est, attinent, nempe in quæstione facti, an commiserit vel non commiserit talia vel talia crimina, cum his vel cum illis circumstantiis, non tamen debet credere pœnitenti in iis quæ ad ipsum, ut pœnitens est, non attinent; nempe in quæstione juris, an scilicet detur vel non detur obligatio restituendi, an talis actio sit vel non sit peccatum mortale; sed potiùs ipse pœnitens in iis debet credere confessario: ad hunc enim spectat harum rerum cognitio. Alioqui ad rectè obeundum munus suum, non esset necessaria confessario harum rerum scientia; sed posset illud rectè obire, stando judicio pœnitentis.

LXXVIII. Hinc si confessarius judicet aliquam actionem esse peccatum mortale, quia ita docet sententia communior et probabilior, et pœnitens ex sententiâ probabili judicet esse duntaxat veniale, ac propterea nolit fugere occasionem proximam committendi illam actionem, non poterit confessarius illum absolvere, nisi dimittat eam occasionem. Quia quamvis in existimatione suâ accedat pœnitens ritè dispositus, non accedit tamen ritè dispositus juxta existimationem ac judicium ipsius confessarii; hic autem solùm potest absolvere pœnitentem, quem ipse judicat ritè dispositum. De dispositione enim pœnitentis, an sit legitima, non debet judicare pœnitens, sed judex, qui profert sententiam.

LXXIX. Arguit ultimò Medina, quia *opposita*, inquit, *sententia cruciat animos timoratos; nam semper oporteret inquirere quænam sit opinio probabilior; quod timorati viri nunquàm faciunt.* Huic argumento jam responsum est sup. § præc., et nunc breviter dico nostram sententiam nullum onus imponere intolerabile, quia non obligat ad quærendas opiniones reipsà probabiliores, sed ad eligendas eas quæ, factâ sufficiente diligentiâ ad inquirendam veritatem, nobis apparent probabiliores, si sint tutiores; et solùm imponit obligationem non sequendi partem minùs tutam, nisi quando factâ sufficienti diligentiâ apparet operanti notabiliter verisimilior opposita.

§ XXVIII. *Solvuntur ex dictis fundamenta, quæ P. Thomas Sanchez pro sententiâ benignâ adduxit anno 1611.*

LXXX. Diligentissimus hic auctor in Summâ morali, lib. 1, cap. 9, num. 13, inquirit: *An cuique liceat in foro conscientiæ operari juxta aliorum opinionem, quam probabilem reputat, contra propriam tutiorem, et quam sibi probabilem esse persuadet?* Et pro parte negante citat Gabrielem, D. Antoninum, Silvestrum, Conradum, Navarrum et Corduvam. Qui moventur ex eo *quòd in dubiis tutior pars est eligenda.* cap. *Juvenis de sponsalibus: Atque certum tenendum est, incerto relicto.* Cap. *Si quis autem de Pœnit.* dist. 7: *Deinde quia illud est contra propriæ conscientiæ dictamen operari, et se periculo mortalis exponere.*

LXXXI. At ipse oppositam sententiam ut probabiliorem eligit cum Mercado, Medinâ, Vasquez, et aliis auctoribus gravibus, et usque ad 17 numerat: 1° *Ducor*, inquit, *quòd existimans opinionem esse probabilem, juxta eam operans nec temeritatis nec imprudentiæ notam incurrat. Quippe temerè et prudenter fieri dicitur quòd absque ratione et causâ probabili fit.* 2° *Quòd sicut opinio probabilis in speculativis est, quam absque deceptionis et erroris periculo amplecti licet, ita in moralibus opinio probabilis est, quam absque peccandi periculo sequi licet. Quippe nullus ad melius et perfectius amplectendum adstringitur.* 3° *Quia cùm omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit, sed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Namque intolerabile onus et multis scrupulis expositum esset, si opiniones probabiliores investigare teneremur. Tandem, quia oppositæ rationes non obstant. Cùm eæ in vero dubio procedant, in quo tutius et certum est necessariò sequendum, ad vitandum peccati periculum, secùs in opinionibus. Nec sequens minùs probabilem agit contra conscientiam, sed is solus qui cum conscientiâ omninò dubiâ, aut certò dictante aliquid esse peccatum, id agit. Nec hic se exponit periculo peccandi sic formaliter, id est, ita ut id ad peccatum illi imputetur, quia prudenter et ratione probabili ductus operatur, sed materialiter, id est, admittendi id quod à parte rei peccatum est.* Hactenùs Sanchez.

LXXXII. Sed hæc ex dictis contra Medinam facilè diluuntur. Ad primum negamus antecedens, quia is qui sciens plures et graviores auctores asserere, v. g., certum contractum esse usurarium, et expendens ipsorum fundamenta experitur illa esse validiora fundamentis sententiæ contrariæ, nihilominùs vult exer-

cere illum contractum, quia aliqui viri docti probabiliter docuerunt non esse usurarium, quos tamen ipse judicat vel prudenter judicare potest in hoc suo judicio benigno deceptos fuisse; temerè et imprudenter se gerit, quia magna imprudentia est sequi errantes contra legem Dei in eo in quo cognocis et prudenter judicas illos errâsse. Unde tunc operatur absque ratione et causâ probabili sibi, licet non operetur absque ratione probabili aliis. Quòd enim aliqua ratio sit probabilis aliis quibus apparuit magna et præponderans fundamentis contrariis, non probat esse probabilem tibi, cui apparet minoris ponderis; alioqui posses sequi aliorum sententiam prudenter ab illis conceptam ob fundamenta quæ ipsis inculpabiliter visa sunt magna, et prævalentia oppositis, quamvis evinciter cognosceres illa fundamenta esse falsa et levia.

LXXXIII. Ad secundum patet ex dictis contra Medinam, quia nemo absquè peccandi periculo, imò sine præsentissimo peccato, potest amplecti aliorum sententiam probabilem minùs tutam, quando judicat, vel prudenter judicare potest illam falsam esse et legi divinæ contrariam, quantumvis sciat illos auctores in ferendo judicio prudenter se gessisse; quatenùs post diligens examen ipsis non occurrit motivum validius, neque æquè validum pro contrariâ, neque sequi partem tutiorem, quando apparet verisimilior in actu primo, est solum consilium, sed rigorosum præceptum; nec aliter potest quis deobligari à sequendâ sententiâ tutiore, in occursu minùs tutæ, nisi quatenùs prudenter et cum morali quâdam certitudine sibi persuadet illam sententiam tutiorem esse falsam, et imponere onus quod Deus non imposuit; ac proinde non dari obligationem illam sequendi, quamvis id facere foret melius et laudabilius.

LXXXIV. Ad tertium fatemur verissimum esse quòd cùm in rebus moralibus omnimoda certitudo haberi non possit, Deus ad illam non obligavit; sed hoc duntaxat probat quòd ad licitè sequendam sententiam minùs tutam, non requiratur omnimoda certitudo de honestate vel licentiâ objecti, sed satis sit quòd operemur cum morali quâdam certitudine. At dicimus hanc moralem certitudinem non posse fundari in opinione probabili alienâ minùs tutâ, quando post diligentem veritatis inquisitionem proponitur operanti ut minùs verisimilis, minùsque fundata, quàm sententia tutior, nec quando proponitur ut æquè verisimilis, imò neque quando proponitur ut verisimilior cum parvo et exiguo excessu, sed solùm quando proponitur ut notabiliter et notoriè verisimilior cum manifesto excessu, quia tunc solùm potest operans formare judicium firmum de honestate objecti, excludens prudentem et moralem formidinem seu timorem ne forsan objectum sit malum, et solùm permittens formidinem logicam consistentem in judicio reflexo, quòd non repugnet falsam esse opinionem conceptam ex vi illius motivi, quod licet longè excedat motivum opinionis oppositæ, non tamen est evidens. Semperque hoc mihi visum est mirabile quòd auctores benigni ex unâ parte affirment licitum esse sequi opinionem probabilem aliorum minùs tutam in occursu tutioris quæ auctoritate et ratione apparet operanti verisimilior, et ex aliâ defendant ultimum dictamen conscientiæ debere esse certum et evidens. Hic enim actus videtur omninò implicatorius : *mihi quidem auctoritate et ratione verisimilius est contractum A esse usurarium et lege divinâ omnibus prohibitum; et tamen certus sum me hìc et nunc non commissurum usuram exercendo illum contractum.* De quo legendus est liber Patris Generalis, dissert. 4, § 9, à num. 53, ubi probat *non posse formari dictamen certum conscientiæ reflectendo supra probabilitatem sententiæ favorabilis, ex vi hujus syllogismi : Licet sequi quamcumque opinionem probabilem* (ex iis quæ versantur circa praxin); *sed hæc opinio est probabilis; ergo licet mihi hìc et nunc illam sequi.*

LXXXV. Nec onus intolerabile imponitur conscientiis, ex eo quòd nemo possit licitè sequi sententiam minùs tutam faventem suæ libertati adversùs legem, quando omnibus consideratis habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram; sed solùm admonentur homines officii sui, ne contemnant legem divinam, et ne lucrum vel commodum temporale præferant amicitiæ divinæ et propriæ animæ saluti.

Ad ultimum fundamentum respondeo verum quidem esse quòd rationes illorum doctorum procedant, quando nimirùm intellectus operantis dubius et anceps est, an certus contractus, v. g., sit licitus, vel non sit licitus; siquidem tunc tenetur partem tutiorem eligere, cæterùm falsissimum esse quòd non procedant in opinionibus, quando illæ sunt aliorum, et solùm objectivè existunt in mente operantis, quatenùs ille scit dari opiniones oppositas doctorum, quarum una affirmat contractum talem esse usurarium, ac ideò illicitum et fugiendum; altera negat esse usurarium, et affirmat esse licitum, ac proinde posse sine peccato exerceri : tunc enim si operans expendit fundamenta utriusque partis, et deprehendit illa esse æqualia in vi movendi, necessariò manet dubius et anceps quin possit detegere in quâ parte sit veritas, tantùmque abest ut opiniones illæ impediant dubium, quòd potiùs illud causant; ut enim verissimè docet D. Thomas, q. 14 de Veritate, art. 1 : *Quandoque intellectus non magis inclinat in unam partem contradictionis, quàm in aliam, vel propter defectum moventium, sicut in problematibus de quibus rationes non habemus, vel propter apertam æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem, et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* Unde Sylvester, verbo *Dubium*, rem hanc definiens, inquit : *Dubium secundùm philosophum et D. Thomam, est contrariarum rationum æqualitas;* ergo quotiescumque homo considerans motiva opinionum contrariarum, quarum una affirmat certum contractum esse illicitum, et alia id negat, experitur æqualem vim movendi in utrisque, manet dubius, et in hoc dubio tenetur tutiorem partem eligere; à fortiori ergo tenebitur illam eligere, quando agnoscit illam partem esse magis fundatam, quia tunc magis inclinatur ad judicandum contractum

illum esse usurarium, et potest opinari usurarium esse : major enim est obligatio abstinendi ab actione quando judico esse malam, quàm quando dubius sum an sit mala.

LXXXVI. Non procedit quidem dubium in opinionibus, quando opinio informat physicè intellectum, quia tunc dùm intellectus affirmat unam partem esse veram, non dubitat an sit vera, nec dubitat an sit falsa pars opposita. Quare si post diligentem veritatis inquisitionem citra omnem culpam homo inveniat simpliciter et absolutè majus fundamentum pro honestate talis contractûs, quàm pro ejus malitiâ, et vi illius majoris fundamenti prudenter judicet contractum illum esse licitum, et ex hâc opinione procedat ad opus, non operatur in dubio, sed operatur post resolutionem dubii, et postquàm intentionaliter exclusit malitiam à contractu quem exercet. Ut autem probat generalis, ut judicium formatum de honestate contractûs sufficiat ad honestè operandum, requiritur ut formetur ex motivo notabiliter præponderante omnibus fundamentis occurrentibus pro parte contrariâ, ita ut non resultet formido moralis, vel timor prudens, ne subsit malitia, sed possit contemni tanquàm merus scrupulus quæcumque apprehensio inclinans in contrarium.

LXXXVII. Ex quo obiter colliges meritò præpositum generalem, dissertat. 7, à num. 94 ad num. 100, impugnâsse responsionem eorum qui dicebant in dubio negativo partem tutiorem esse eligendam, non autem in dubio positivo interveniente, quando datur opinio probabilis quòd res sit licita, nam omne dubium morale et prudens debet esse positivum quoad motiva et rationes dubitandi, nec dicitur negativum à negatione motivorum positivorum dubitandi, sed dicitur negativum, quia suspenditur assensus circa alterutram partem; quando enim pro neutrâ parte contradictionis occurrit ratio, et intellectus manet suspensus propter defectum *moventium, ut in problematibus de quibus rationes non habemus*, tunc potiùs est ignorantia quàm dubium. Ego enim modo propriè non dubito an astra sint paria, sed prorsùs ignoro; et quamvis pro alterâ parte occurrat ratio, si illa sit levis, non facit prudenter dubitare. Dubium ergo morale et prudens tunc resultat, quando concurrunt in eodem intellectu rationes graves pro utrâque parte contradictionis, et intellectus experitur se tantumdem retrahi ab assensu partis affirmantis per motiva partis negantis, quantùm impellitur ad illum assensum per motiva partis affirmantis. Quare omne dubium morale et prudens propriè tale debet esse positivum quoad motiva quæ obligant suspendere assensum propter suam æqualitatem movendi in contrarias partes, et dicitur negativum propter negationem et suspensionem assensûs, et istud dubium propriissimè resultat ex opinionibus probabilibus contrariis simul objectivè existentibus in eodem intellectu utriusque motiva contemplante, et subjectivè informantibus distinctos intellectus : nec video quomodò propriè detur dubium morale positivum, nisi nomine dubii intelligamus judicium quo intellectus judicat rem esse dubiam, et se neutri posse prudenter assentiri; nam quando assentitur uni parti contradictionis, quia illi apparuit verisimilior, tunc propriè non dubitat, sed resolvit dubium.

LXXXVIII. Falsaque est illa propositio Patris Thomæ Sanchez : *Nec sequens opinionem minùs probabilem agit contra conscientiam, sed is solus qui cum conscientiâ omninò dubia aut certò dictanti aliquid esse peccatum, id agit.* Nam si is qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam, quandò agnoscit opinionem tutiorem esse æquè omninò probabilem auctoritate et ratione, et experitur utriusque fundamenta æqualiter movere, et consequenter manet dubius, operatur contra conscientiam; à fortiori operabitur contra conscientiam, quando sequitur opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris, sibique verisimilioris, quia tunc sequitur minùs tutam, quando habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ non contrariam; et consequenter exercet contractum, quando judicat, vel prudenter judicare potest illum esse usurarium et malum. Idque evincunt argumenta, quibus P. generalis in suo libro, dissert. 6, probat per nullam reflexionem posse excusari à culpâ formali illum qui sequitur opinionem minùs tutam, quando omnibus hinc inde consideratis habet majus fundamentum ad judicandum esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram.

Magisque falsa apparet secunda pars illius propositionis; non enim solùm peccat is *qui cum conscientiâ omninò dubiâ aut certò dictanti aliquid esse peccatum, id agit;* sed qui id agit cum conscientiâ prudenter opinanti aliquid esse peccatum : pejus enim est agere illud quod positivè judicas esse peccatum judicio opinativo prudenti, quàm id agere quando es omninò dubius an sit peccatum; qui enim facit malum cognoscens esse malum, absque dubio peccat, quamvis illud judicium non sit omninò certum et evidens, sed solùm probabile. Imò peccaret, quamvis judicium illud positivum non foret opinio probabilis cum fundamento prudenti concepta, sed foret error temerè conceptus; agere enim contra conscientiam semper est malum, sive conscientia sit recta sive sit erronea, sive sit vera sive sit falsa, sive sit inculpabilis sive culpabilis.

### § XXIX. *Solvuntur specialia fundamenta quæ anno 1669 P. Antonius Terillus adduxit pro sententiâ benignâ Probabilistarum.*

LXXXIX. Hic auctor diligentissimè in tomo de Conscientiâ, quæst. 23, in unum collegit omnia quæ in favorem sententiæ benignæ alii dixerant, et de suo non pauca addidit; quæ omnia instaurare conatus est in tomo de Regulâ morum, quæst. 2; reliqua ex dictis in hoc compendio facilè diluuntur. Præcipua quæ P. generalis in suo tractatu enervavit, hìc attingemus.

*Proponitur præcipuum fundamentum quo Terillus probat sententiam benignam, quia alioqui gravissimè peccâssent doctores hujus seculi, qui docuerunt licitum esse sequi sententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore.*

Primum et præcipuum sic proponit : Si non excusaretur à peccato mortali, qui bonâ fide sequitur opinionem directè minùs probabilem, omnes totius Ecclesiæ doctores, qui per centum et ampliùs annos benignam sententiam tradiderunt, gravissimè peccâssent, quia doctrinâ suâ falsâ, *et ad formandam conscientiam insufficiente, proximos suos, qui eorum auctoritate directi sunt, in peccatum et damnationem duxissent.* Nec quidquam posset eos excusare, quia si bona fides non excusat sequentes eorum dogma, quid talia docentes *excusare poterit?*

Confirmat primò, quia si sententia docens licitum esse usum minùs probabilium esset falsa, suosque auctores eorumque bonâ fide sequaces à peccato non excusaret, Deus per integrum seculum Ecclesiam suam deseruisset, illamque periculosissimo errore cæcutire permisisset. At hoc est incredibile; Deus enim non minùs etiam nunc diligit Ecclesiam, quàm olim; et semper Ecclesiæ suæ providit de viris probis et doctis qui erroribus nascentibus se opponerent. Quis ergo credat per integrum seculum reliquisse illam in errore periculosissimo?

Confirmat secundò, quia omnis opinio ad praxim ordinata, quæ licitè docetur in scholis et libris, est sufficiens regula conscientiæ ad eam sectantes à peccato excusandos; sed opinio docens usum opinionis minùs probabilis et minùs tutæ est ordinata ad praxin, et licitè docetur : ergo hæc opinio est regula ad eos saltem à peccato excusandos, qui illam sectantur, modò eam veram putent. *Major*, inquit, *est evidens*, quia si illa *eam sectantes à peccato non excusaret, quicumque eam doceret ut praxi utilem, manifestè peccaret.* Minor autem est certa, et consequentia legitima.

XC. Pro hâc difficultate enodandâ instituit P. generalis dissertationem 12 sui tractatûs. Ex illo respondeo argumentum hoc falsâ suppositione laborare; supponit enim hominem bonâ fide sectari opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris, quæ illi in actu primo magis apparet falsa quàm vera, quia consideratis omnibus fundamentis quæ pro illâ et pro oppositâ tutiori adducuntur, hæc illi apparet verisimilior. Hoc autem supponere est supponere rem falsam, quia P. generalis, dissert. 6, per totam, efficaciter probat per nullam reflexionem posse excusari à culpâ formali eum qui sequitur opinionem faventem libertati adversùs legem, quando in opinione oppositâ stante pro lege adversùs libertatem, agnoscit majus fundamentum veritatis, præsertim ubi illud majus fundamentum est rationis, vel auctoritatis et rationis simul, quia tunc prudenter potest judicare opinionem illam benignam esse falsam et legi divinæ contrariam; implicat autem ut tunc bonâ fide illam sectetur, et bonâ fide exequatur actionem quam prudenter potest judicare esse lege divinâ prohibitam, quia agnoscit verisimilius esse quòd sit prohibita, quàm quòd sit permissa.

Totaque hujus controversiæ difficultas consistit in hoc, an ad sectandam bonâ fide opinionem aliorum minùs tutam necesse sit ut, consideratis omnibus fundamentis directis unius et alterius, opinio minùs tuta appareat operanti in actu primo simpliciter et absolutè verisimilior sententiâ tutiori, et ab ipso judicetur absolutè vera, an sufficiat quòd sit absolutè probabilis in se, licet operanti appareat minùs verisimilis? Et illud primum esse necessarium contendit P. generalis toto suo libro cum omnibus theologis antiquis et multis modernis.

XCI. Deinde retorquet argumentum in hunc modum : Omnes antiqui theologi ante finem seculi præteriti doctrinam Probabilistis contrariam tradiderunt, requirentes ad usum licitum opinionis minùs tutæ, quòd illa sit vel moraliter certa, vel saltem clarè verisimilior quàm opposita : ergo si illa est falsa, graviter peccârunt, imponentes super capita hominum grave onus quod Deus ipsis non imposuit; sic enim plurimis peccandi occasionem dederunt; nam propter eorum falsam doctrinam, habuerunt malam fidem plurimi qui sententias minùs probabiles et minùs tutas elegerunt, quam malam fidem non habuissent, si doctrina illa benigna illis tradita fuisset; si enim ex eo quòd peccent ii qui sectantur opiniones sibi minùs verisimiles et minùs tutas, rectè arguitur peccavisse doctores qui docentes licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam, relictâ probabiliori et tutiore, suâ auctoritate induxerunt homines ad sectandas eas opiniones, ac proinde ad peccandum; similiter ex eo quòd foret falsa doctrina omnium antiquorum, quòd non liceat sequi opinionem minùs tutam, nisi sit vel certa moraliter, vel saltem magis probabilis quàm opinio minùs tuta, sequeretur peccavisse omnes antiquos qui doctrinâ suâ falsâ fuerunt occasio ut peccaverint omnes qui secuti sunt opiniones probabiles minùs tutas, quamvis nec essent certæ moraliter, nec probabiliores oppositis; quod attentâ fragilitate humanâ, sæpè accidere debuit; unde fuerunt causa ut fecerint malâ conscientiâ quod seclusâ ignorantiâ potuissent facere bona.

### § XXX. *Occasione argumenti Terilli validè pobatur sententiam Probabilistarum esse falsam.*

XCII. Undè fit validissimum argumentum ad probandum falsam esse sententiam benignam, quia si illa est vera, ergo falsa est sententia severa opposita, et quâ in dirigendis conscientiis omnibus retrò seculis usi sunt Patres et doctores Ecclesiæ quotquot tenuerunt, licitum aliquando esse in operando sequi partem minùs tutam; omnes enim docuerunt homines obligari vel ad sectanda tutiora vel probabiliora, ac proindè constanter tenuerunt nunquàm esse licitum sequi sententiam minùs tutam faventem libertati adversùs legem, quin operans agnoscat esse probabiliorem, et sibi persuadeat esse veram, seu quin sibi persuadeat esse licitam actionem, de quâ disputatur an sit licita

vel illicita; ipseque Terillus, quæst. 22 de Conscientiâ, n. 40, et sæpè alibi fatetur antiquos theologos duas conditiones postulâsse ad usum licitum partis minùs tutæ : *Una est eam esse probabiliorem; altera est eam judicari veram.* Et idcircò, quamvis sit solertissimus in quærendis patronis sententiæ benignæ, et quæst. 23, longissimum texat catalogum doctorum, nullum invenire potuit qui antè annum 1576, vel 1577, docuerit licitum esse sequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore.

Vel ergo falsi sunt, et errârunt per quindecim ferè secula omnes conscientiæ directores, omnes theologi et Patres qui in resolvendis dubiis conscientiæ semper constanter tenuerunt regulam illam severiorem; vel decepti sunt et erraverunt theologi Probabilistæ, qui post annum 1570 docuerunt licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem de honestate vel licentiâ actûs, etiam in occursu tutioris et probabilioris. At primum dici non potest; ergo dici debet secundum. Minor probatur, quia sicut Deus non potest permittere ut tota Ecclesia erret in doctrinâ fidei, ità permittere non potest ut tota erret in doctrinâ morum et in regulâ dirigendi conscientias, accipiendo pro regulâ necessariâ ad evitandum peccatum mortale eam quæ necessaria non est; in sententiâ autem Probabilistarum, necessaria non est ad evitandum peccatum regula severior, quam P. generalis in toto suo libro statuit, scilicet nemini licitum esse sequi partem minùs tutam in occursu tutioris, nisi illa sit operanti vel unicè verisimilis et moraliter certa, vel clarè verisimilior et probabilior parte tutiore. Quis credat Deum per quindecim secula occultâsse vel occultari permisisse toti Ecclesiæ veram regulam dirigendi conscientias per probabilitatem opinionum, et solùm ad finem seculi decimi quinti Ecclesiæ suæ manifestâsse veram regulam dirigendi conscientias? Quis credat Deum nec per Augustinum, neque per Thomam, nec per aliquem ex sanctæ Ecclesiæ doctoribus manifestâsse Ecclesiæ suæ veram regulam dirigendi conscientias, et illam manifestâsse per recentes theologos, qui scripserunt post annum 1570.

XCII. Sicut autem Deus potest permittere ut aliqua magna pars Ecclesiæ erret in materiâ fidei, uti contigit tempore Arianorum, quandò, uti inquit Hieronymus in Ariminensi conventu, *Valentis potissimùm et Ursacii fraudibus damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit, et ingemiscens orbis terrarum se Arianum esse miratus est*, ut habetur in Breviario Romano 11 decemb. in lectionibus S. Damasi; ita potest permittere ut magna pars theologorum Ecclesiæ erret in doctrinâ morum, tradendo pro regulâ sufficiente conscientiæ eam quæ sufficiens non est; sicut existimamus falsos et deceptos fuisse, ut homines, theologos omnes, qui dixerunt licitum esse sequi quamcumque opinionem practicè probabilem, seu affirmantem aliquid esse licitum, etiamsi concurrat cum opinione oppositâ probabiliori et cognitâ ut tali; nec propterea à Deo deseritur Ecclesia, nec fideles destituuntur magistris qui ipsis proponant veram et securam regulam operandi tum quia semper Deus suscitavit viros sapientes et probos, præsertim in Galliâ, Belgio et Italiâ, qui illi Probabilistarum doctrinæ se opponerent, ut patebit legenti Vincentium Contensonem, dissert. 6 de novello Probabilistarum Commento, et Merbesium in Summâ christianâ, tom. 1, citantes tot episcopos qui tum in epistolis pastoralibus, tum in synodis diœcesanis, magno zelo rejecerunt illum modum dirigendi conscientias per probabilitatem opinionum, præscindendo ab ipsarum veritate, seu nihil curando an sint reipsà veræ et legi divinæ conformes (qui modus est communis inter Probabilistas hujus seculi, ut patebit legenti patrem Moia in Appendice ad tractatum primum de Opinione probabili, quæst. 7, n. 38 et 39, ubi testatur ex communi consensu Probabilistarum non requiri judicium directum de veritate opinionis, sed sufficere judicium reflexum de ejus probabilitate, et disertè pronuntiat *potentiam physicam intellectûs ad assentiendum parti quæ minùs efficacibus fundamentis nititur, non esse necessariam ad electionem opinionis*), et universaliter rejecerunt omnes sententias quæ ad usum licitum partis minùs tutæ non requirunt, quòd illa sit probabilior parte tutiore : tum quia licet Deus permisisset ut omnes ferè theologi qui scripserunt ab anno 1577 usque ad tempora Alexandri VII, docerent sententiam benignam; sufficienter providisset suæ Ecclesiæ, et illi reliquisset magistros à quibus discere omnes possent veram regulam rectè operandi et evitandi peccatum mortale, nempè D. Thomam et omnes antiquos Thomistas, præsertim D. Antoninum, Sylvestrum, Conradum et Cajetanum, Scotum et antiquos Scotistas, et uno verbo omnes antiquos theologos et Summistas (quorum catalogum exhibet P. generalis, dissert. 13), qui suis libris docent nostris temporibus non minùs quàm recentes Probabilistæ. Ut autem inquit P. generalis eâ dissert. n. 71 : *Testimonia tot antiquorum theologorum qui tam uniformiter in materiâ tam necessariâ ad animarum salutem tenuerunt, nunquàm esse licitum sequi sententiam minùs tutam faventem libertati adversùs legem, nisi vel illa sit certa moraliter, vel saltem probabilior quàm opposita, est magnum argumentum veritatis, quia hanc doctrinam acceperunt à Patribus et majoribus per traditionem, neque inter illos audita fuerat doctrina contraria; nec credibile est Deum permissurum ut omnes doctores qui per tot secula doctrinam morum exposuerunt, traderent hanc doctrinam severam, si fuisset falsa; sic enim omnes convenissent in imponendo onere gravi super humeros hominum, quod Deus non imposuit, quod videtur incredibile.*

### § XXXI. *Solvitur argumentum Terilli.*

XCIV. His præsuppositis ad argumentum respondeo, ex Patre generali, negando sequelam; ex eo enim quòd peccent formaliter ii qui sectantur opiniones minùs tutas, relictis tutioribus et probabilioribus, sibique verisimilioribus, non consequitur quòd peccaverint doctores omnes qui hoc docuerunt, quia quamvis hâc suâ doctrinâ falsâ occasionem præbuerint proximis suis committendi peccata, hoc fuit omninò

præter eorum intentionem atque ipsis involuntarium; hanc enim doctrinam plerique saltem ex illis bonâ fide docuerunt, quia post sufficientem veritatis inquisitionem, ipsius fundamenta eis visa sunt efficacia et urgentiora fundamentis quæ illis occurrunt pro contrariâ, certumque est plerosque saltem ex illis in hâc doctrinâ tradendâ non intendisse facere sibi nomen, et hominibus placere, sed ex desiderio sincero subveniendi fragilitati hominum, et reddendi proximis suis suavius jugum Christi, mentem inclinâsse ad quærendas rationes pro hâc sententiâ, et invenisse aliquas quæ licet fallaces reipsà sint, ipsis visæ sunt validæ; et ideò ex ignorantiâ probabili ipsos excusante tradiderunt doctrinam reipsà afferentem perniciem animabus, quatenùs illis præbet occasionem peccandi, sectando opiniones probabiles minùs tutas in occursu tutiorum et probabiliorum, quæ ipsis videntur verisimiliores.

§ XXXII. *Quomodò hæc duo inter se cohæreant, nempe quòd non peccaverint auctores asserentes licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam; et tamen peccent ii qui in operando sequuntur minùs probabilem et minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore.*

XCV. Optimèque hæc duo cohærent, nempe quòd non peccaverint auctores qui docuerunt licitum esse sequi sententiam minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris; et tamen quòd peccent ii qui in operando sectantur opiniones minùs tutas sibi minùs probabiles seu minùs verisimiles, relictis tutioribus sibi probabilioribus seu verisimilioribus, quia, ut licitè id docuerint, satis fuit quòd post adhibitam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, invenerint pro illâ sententiâ benignâ rationes quæ, ab illis consideratæ sine passione et præcipitatione, ipsis visæ sunt urgentiores et probabiliores, quàm illæ quæ ipsis tunc occurrerunt pro contrariâ, quales profectò visæ sunt Patri magistro Bartholomæo de Medinâ, Patri Thomæ Sanchez, et aliis, rationes illæ quas ex illis retulimus § 22, 3, 4 et 26, quas tamen ostendimus esse fallaces, sicut § 13 ostendimus fallacem et merâ æquivocatione nixam esse rationem à priori, quâ Probabilistæ communiter utuntur. Hoc autem ipso quòd illorum sententia sit falsa, peccant ii qui in operando sectantur sententias minùs tutas in illo rerum occursu in quo agnoscunt sententias tutiores esse probabiliores et verisimiliores, quia in hoc consistit falsitas illius sententiæ reflexæ Probabilistarum. Quæstio enim est an peccent peccato formali et imputabili illi qui sectantur opiniones faventes libertati adversùs legem, quando diligenter re examinatâ verisimilius et probabilius ipsis est eas sententias esse falsas et legi divinæ contrarias, quàm esse veras et legi divinæ conformes? an verò hoc sit illis licitum et lege divinâ permissum? Probabilistæ hoc secundum affirmant. At P. Generalis cum Antiprobabilistis in toto opere, præsertim totâ dissert. 6, latè ostendit per nullam reflexionem posse excusari à culpâ formali eos qui in tali rerum occursu sectantur opiniones minùs tutas quia illas sectari tunc est illas sectari quando judicant esse falsas et legi divinæ contrarias, vel quando prudenter judicare possunt falsas esse, et consequenter tunc operari, est exequi actionem de quâ dubitatur an sit intrinsecè mala et lege divinâ prohibita, in circumstantiis in quibus operans judicat, vel prudenter judicare potest esse malam et lege divinâ prohibitam; quod est operari contra conscientiam, et non potest per ignorantiam invincibilem excusari: non enim ignorat invincibiliter malitiam actionis ille qui illam exequitur, quando judicat vel prudenter judicare potest malam esse.

XCVI. Quòd autem, dùm reflexè disputatur an liceat vel non liceat sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris, quæstio procedat de peccato formali contra conscientiam, patet: nam omnes qui tenent partem negativam, constanter affirmant eum qui sectatur in operando opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris, peccare, quamvis contingat opinionem minùs tutam in re esse veram, et consequenter quamvis contingat esse à parte rei licitam actionem quam opinio minùs tuta licitam esse affirmabat; tunc autem non peccat contra legem directè prohibitivam talis actionis, quia talis lex non datur; ergo solùm peccat contra conscientiam, quæ reclamat, dùm agnoscit probabilius esse quòd sit mala actio quam exequitur. Nam, ut docet D. Thomas quodlib 8, art. 13, *duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui quòd levare festucam est peccatum mortale. Illud autem quod agitur contra legem* (scilicet quam quis potest ac debet scire), *semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam; et similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem neque contra conscientiam, neque contra legem est, non potest esse peccatum.* Quare, juxta D. Thomam, sicut potest quis peccare contra legem, quamvis non peccet contra conscientiam, sed potiùs agat juxta illam, quando nimirùm error est culpabilis, ortus scilicet ex culpâ personali, v. g., ex odio, vel passione, vel ex negligentiâ culpabili inquirendi veritatem; sicut persecutores Apostolorum peccârunt contra legem divinam non persequendi innocentes, quamvis voluntariè obcæcati existimarent se in hoc obsequium præstare Deo, ita potest quis peccare contra conscientiam, quin peccet contra legem directè prohibitivam talis actionis. Cùm autem quis prudenter dubitat an res sit prohibita lege divinâ, quæ reipsà non est prohibita, et judicat vel prudenter judicare potest esse prohibitam, et nihilominùs illam agit, peccat contra conscientiam, quia, quamvis non detur lex directè rem illam prohibens, nihilominùs homo ille putat dari, ac proindè agit contra dictamen conscientiæ, quo sibi persuadet Deum prohibuisse rem illam, ac per consequens contemnit legislatorem Deum, et virtualiter dicit: *Quamvis Deus rem hanc prohibuerit, nihilominùs volo illam exequi.*

§ XXXIII. *Redditur ratio quasi à priori cur Probabilista reflexè judicans licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam, nihilominùs formaliter peccet, si in operando sequatur opinionem probabilem minùs tutam, relictâ tutiori, quam ipse magis probabilem reputat, et magis verisimilem experitur; et variis exemplis res illustratur.*

XCVII. Ratio est quia licet rationibus fallacibus Probabilista innocuè et inculpatè sibi persuadeat illam sententiam reflexam esse veram, et in hoc judicio non peccet, hoc tamen judicium ejus est merè speculativum, habens pro objecto immediato honestatem formalem actûs, quam contemplatur ut constitutam vel constituendam. Hoc autem judicium est falsum, quia affirmat posse hominem sine peccato formali exercere contractum in circumstantiis in quibus, omnibus consideratis, habet majus fundamentum ad judicandum illum esse usurarium et lege divinâ prohibitum, quàm ad judicandum esse purum à vitio usuræ, et lege divinâ permissum, et à fortiori posse sine peccato formali exercere contractum in circumstantiis in quibus, omnibus ritè consideratis, habet æquale fundamentum ad judicandum esse usurarium ac ad judicandum oppositum, ac proinde in circumstantiis in quibus est dubius an sit usurarius vel non : *nam dubium morale est contrariarum rationum æqualitas*, secundùm Philosophum et D. Thomam : hoc autem est falsum, quia ubi operans scit controversiam esse inter doctores, an talis contractus sit usurarius necne, nequit exercere licitè illum, quin priùs sibi persuadeat eum non esse usurarium : nam, teste Apostolo, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, id est, omne quod non est ex dictamine conscientiæ et persuasione seu credulitate quòd res sit honesta, saltem negativè, id est, quòd non sit mala et lege divinâ prohibita : hoc autem dictamen, seu hanc persuasionem formare non potest homo in illis circumstantiis in quibus, post ritè considerata unius et alterius opinionis fundamenta, probabiliùs et verisimiliùs judicat contractum illum esse usurarium, quàm vitio usuræ carentem; et idem est, quando omnibus consideratis fundamenta utriusque sententiæ contrariæ sunt æqualia in vi movendi; nequit enim homo prudenter sibi formare dictamen quòd contractus sit licitus, quando habet æquale fundamentum ad judicandum esse illicitum. Quare tunc solùm reflexè erit verum affirmare licitum esse sequi opinionem probabilem minùs tutam, quando fuerit verum illam post diligentem veritatis inquisitionem operanti apparere manifestè verisimiliorem sententiâ oppositâ, quia tunc solùm potest operans formare dictamen et persuasionem prudentem quòd contractus ille non sit lege divinâ prohibitus.

XCVIII. Est autem juxta doctrinam præpositi generalis observanda differentia inter opinionem directam versantem immediatè circa honestatem objectivam, dùm affirmat actionem esse legi divinæ conformem, vel saltem lege divinâ permissam; et inter opinionem reflexam versantem immediatè circa honestatem formalem actûs eliciendi vi dictaminis directi de honestate objecti, quod practicè dirigit ad actum honestum, et ad illum eliciendum impellit, imò ejus honestatem formalem constituit (evadit enim actus honestus, quia elicitur ex vi judicii practici affirmantis objectum esse honestum). Quando enim doctores graves directè affirmant aliquod objectum esse honestum, v. g., aliquem contractum esse licitum, et operans post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam, censet fundamenta illius sententiæ esse manifestè urgentiora fundamentis sententiæ contrariæ, et vi illorum format judicium practicum quo sibi persuadet illum contractum esse licitum, et ex directione hujus judicii exercet illum contractum, non peccabit, quamvis contingat illud judicium esse falsum, atque adeò quamvis contingat illum contractum in se ex perte objecti esse intrinsecè malum, quia major illa probabilitas de honestate contractûs adeò excedens probabilitatem partis oppositæ, non componitur cum potentiâ proximâ ad judicandum illum contractum esse illicitum, neque cum dubio prudenti an sit illicitus; unde licet homo exercens contractum ex vi hujus judicii falsi, reipsà transgrediatur legem, illa transgressio non imputatur homini, quia excusatur per ignorantiam probabilem et prudentem quâ sibi persuadet contractum esse honestum, et ex vi hujus persuasionis illum facit, non facturus si judicaret esse malum, vel prudenter dubitaret de malitiâ.

At sententia reflexa de usu licito opinionis minùs probabilis et minùs tutæ in occursu tutioris et probabilioris et operanti ipsi verisimilioris, non impedit potentiam proximam judicandi prudenter contractum illum esse illicitum; imò illam potentiam supponit et affert. Unde dùm affirmat licitum esse tunc operari, affirmat posse hominem tunc bonâ fide formare dictamen quòd sibi liceat exercere contractum illum, quem communior et magis fundata opinio affirmat esse illicitum et usurarium, quæ affirmatio est planè falsa, siquidem homo tunc vel prudenter judicat esse usurarium contractum illum, vel prudenter dubitat an sit usurarius (quia tunc nequit prudenter judicare non esse usurarium); falsum autem est quòd homo bonâ fide et licitè possit exercere contractum, quando vel positivè judicat esse usurarium, vel dubius et anceps est an sit usurarius necne. Quare Probabilistæ affirmantes licitum esse tunc operari, docent rem planè falsam; et quamvis ipsi non peccaverint hoc docendo, siquidem probabilius ipsis visum est hoc esse licitum, peccant tamen qui in praxi et in operando sequuntur illam sententiam, quia agunt contra conscientiam.

XCIX. Quod ampliùs explicatur : nam sicut doctores dùm directè disputant de rebus ipsis, frequenter abeunt in sententias contrarias, quarum altera necessariò debet esse falsa, et unusquisque suam sententiam probabiliter et prudenter sustinet (quia post accuratum studium sine passione et præcipitatione judicat ejus fundamenta esse probabiliora fundamentis sententiæ contrariæ), et sic sæpè contingit ut doctores probi et docti innocenter et absque ullâ culpâ tradant doctrinas falsas circa mores, asserentes esse licitum quod reipsà à parte rei est illicitum; pariter dùm in

quæstionibus reflexis disputant de rebus ut subsunt cognitionibus nostris directis, v. g., de usu licito opinionum probabilium, de conscientiâ ipsâ ritè formandâ, seu de conditionibus necessariis ad peccandum; de ignorantiâ excusante vel non excusante, et sic de aliis conditionibus necessariis ex parte subjecti ut malitia vel bonitas objecti refundatur in actum, certissimum est posse abire in sententias oppositas; et sæpè doctores probos et doctos post accuratum studium inculpabiliter tradere doctrinas falsas, affirmantes sufficere ad licitè operandum cognitionem quæ reipsà non sufficit, et intervenire ignorantiam excusantem, ubi non intervenit, et posse bonâ fide formari dictamen, ubi bonâ fide formari non potest.

C. Hoc variis exemplis possumus explicare : et inprimis exemplo gravium theologorum, qui ob fundamenta quæ ipsis visa sunt valdè urgentia, docuerunt neminem posse graviter peccare contra legem, quin in eo instanti in quo contra legem peccat, habeat aliquam actualem advertentiam ad malitiam vel ad periculum illius, vel ad obligationem ulteriùs inquirendi; quorum sententiam validissimè impugnârunt theologi recentiores, qui post Alexandrii VII tempora scripserunt, et inter eos Pater noster generalis, tom. 4 selectarum Disputationum, disput. 6, sect. 13; jam non videtur posse defendi post decretum Alexandri VIII, in quo damnavit, ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, et erroneam propositionem asserentem, *peccatum philosophicum quantumvis grave*, id est, actum humanum disconvenientem naturæ rationali et rectæ rationi, *in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Jam ergo ex hoc pontificis decreto habemus posse illum graviter Deum offendere, qui ignorat se Deum offendere, et de hoc actu non cogitat, nimirùm quia hæc ignorantia et inadvertentia potest esse culpabilis, quæ actum subsequentem non excusat à ratione peccati et offensæ Dei. Nam secundùm regulam magistralem traditam à D. Thomâ, lect. 7 in caput 1 Epistolæ ad Romanos, *tunc ignorantia culpam excusat, quando sic præcedit culpam, quòd non causetur ex culpâ; si autem ignorantia causatur ex culpâ, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare.* Quem locum et alia affinia expendit P. generalis etiam in libro de recto Usu opinionum Probabilium, dissert. 11, num. 37, et dissert. 9, n. 21.

CI. Quis autem dicat tot et tam graves doctores quot docuêre neminem graviter peccare posse quin eo tempore quo graviter contra legem delinquit, aliquomodò advertat ad malitiam, peccâsse in tradendâ hâc doctrinâ? Id sine gravi temeritate affirmari non potest. Ponamus ergo aliquem sectatorem illius sententiæ, ex negligentiâ culpabili sciendi quod scire tenebatur, incidere in errorem quo sibi persuadeat esse bonum quod reipsà est malum, et ex hoc errore agere contra legem sine ullo scrupulo et remorsu conscientiæ; sanè ille tunc peccaret contra legem peccato formali; ergo rectè cohæret quòd quis inculpabiliter existimet aliquam conditionem esse necessariam ad peccandum, et tamen quòd nihilominùs peccet, quamvis non apponat illam conditionem, quia nimirùm illa ejus cognitio est falsa; ergo stat quòd Probabilista bonâ fide existimet licitum esse in operando sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris et probabilioris, ac sibi verisimilioris, et sine peccato formali fieri posse; et tamen quòd formaliter peccet, dùm sequitur opinionem minùs probabilem et minùs tutam in illis circumstantiis.

CII. Idem probatur exemplo breviter proposito à Patre generali, dissert. 12, n. 6; nam viri et sapientes non pauci docuerunt licitum esse viro docto in operando sequi aliorum opinionem probabilem minùs tutam, quam ipse falsam esse judicat contra propriam tutiorem et probabiliorem, idque retento illo judicio. Qui doctores proinde affirmant quòd quando, v. g., disputatur an certus contractus sit usurarius, et vir doctus post accuratum studium invenit rationem validam, vi cujus absolutè judicat contractum illum esse usurarium, nihilominùs possit, retento illo judicio suo directo, formare dictamen singulare conscientiæ, quo judicet sibi licitum esse hìc et nunc operari ob auctoritatem doctorum asserentium illum contractum esse licitum, quorum opinio suâ probabilitate non caret. Hanc sententiam esse planè falsam probat efficaciter præpositus generalis totâ dissert. 5, et ab illâ discedunt communiter ipsi Probabilistæ. Sanè sine temeritate dici non potest peccâsse auctores illos qui hanc sententiam tenuerunt, et tamen peccant ii qui exercent contractum quem judicant usurarium, quamvis mille reflexiones faciant, quia malitia objectiva transit in formalem mediante illo judicio directo, et implicat ut operans bonâ fide et seriò sibi tunc persuadeat sibi hìc et nunc licitum esse exercere contractum illum, ob auctoritatem doctorum illorum quos ipse judicat errâsse in ferendâ sententiâ. Quare dictamen illud reflexum (si reverà formari tunc potest), erit fraudulenter et malâ fide conceptum contra conscientiam, et erit manifestè falsum, et non excusabit à culpâ.

CIII. Huic exemplo possumus alia satis opportuna adjungere : nam si rusticus bonâ fide existimaret per illa verba legis, *non mœchaberis*, *non furtum facies*, non esse prohibita desideria interna, sed solos actus externos adulterii et furti (quod non esse difficile advertit P. Granados controv. 6 de Peccatis, tr. 5, disp. 3, dicens fuisse errorem aliquorum Judæorum volitiones non esse peccatùm, quamdiù in opus externum non prodeunt, quem errorem audiens rusticus ab aliquo scribâ docto potuit bonâ fide habere illam falsam existimationem), et nihilominùs conciperet desiderium adulterandi et furandi, peccaret formaliter, ut probat P. Oviedo 1-2, tr. 4, controv. 1, punct. 5, contra Patrem Thomam Sanchez oppositum asserentem lib. 1 in Decalogum, c. 16, n. 16 et 17, et contra Granados, ubi nuper, quia qui vult facere rem malam et violare præceptum, formaliter peccat contra præceptum; idque colligitur ex verbis Christi : *Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis; ego autem dico vobis*

*quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo*, quibus verbis explicuit verba legis, et exterminavit errorem illum Judæorum qui falsò existimabant volitiones internas non esse peccatum, quamdiù opere ipso externo non complentur. Et à priori probatur, quia qui novit actum externum adulteriis esse à Deo prohibitum, et hodiè concipit voluntatem efficacem cras adulterandi, manifestè se opponit voluntati Dei, ejusque præceptum contemnit; ac proinde peccat formaliter, quamvis per errorem existimet peccatum formale non adesse ubi peccatum adest : nam ut actus voluntatis sit malus, non opus est ut reflexè cognoscatur ejus malitia, sed satis est quòd operans cognoscat objectum esse malum et lege divinà prohibitum, et nihilominùs illud voluntariè et liberè eligat.

CIV. Deindè disputant theologi an sit peccatum mortale agere contra conscientiam præcisè dictantem aliquid esse in genere peccatum, quin distinctè explicet an sit mortale an veniale, sed ab utroque præscindat? Quâ in quæstione quamvis Navarrus, Valentia, Salas et alii, quos sequitur P. Granados, controv. 2 de Actibus humanis, tr. 12, disp. 7, sect. 3, existiment talem actionem fore tantùm peccatum veniale, nihilominùs P. Suarez, P. Vasquez, P. Azor, et P. Thomas Sanchez, lib. 1 in Decalog. c. 11, n. 6, affirmant esse peccatum mortale, quia licet illa conscientia non proponat determinatè peccatum mortale, tamen illud non excludit, dùm proponit rationem indifferentem ad peccatum mortale et veniale; ergo qui tunc eligeret illam actionem, voluntariè se exponeret periculo violandi præceptum obligans sub mortali. Certè in hâc controversiâ, si sententia hæc secunda sit vera, peccaret graviter qui operaretur contra illam conscientiam; et tamen non peccârunt auctores prioris sententiæ : ergo optimè cohæret non peccare auctores in tradendâ aliquâ opinione, et tamen peccare eos qui illam in operando sectantur.

§ XXXIV. *Infertur ex dictis esse apertè falsam hanc Terilli propositionem :* Omnis opinio quæ sine peccato docetur in scholis et libris, est sufficiens conscientiæ regula ad eam sectantes à peccato excusandos.

CV. Illatio constat ex dictis : ostendimus enim neminem posse licitè et sine peccato formali in operando sequi opinionem minùs tutam, quam judicat esse falsam, vel prudenter judicare potest falsam esse; et tamen affirmari sine temeritate non potest peccâsse tot illustres virtute ac sapientiâ auctores, qui hoc licitum esse docuerunt; excusantur enim per ignorantiam probabilem, quia nimirùm rationibus fallacibus decepti inculpabiliter existimârunt, non dari peccatum formale, ubi reverà datur, et bonâ fide posse fieri actum in circumstantiis in quibus nonnisi malâ fide et contra conscientiam fieri potest. Licet enim in iis quæ pertinent ad bonos mores per se non liceat docere doctrinam quæ sine peccato nequit ad praxim deduci, per accidens tamen ratione ignorantiæ potest id à peccato excusari; ut enim sapienter monet P. Esparza citatus à Patre generali dissert. 11, num. 23, et dissert. 6, n. 6, *principium juris est : In iis quæ pertinent ad bonos mores docere opinionem quamlibet falsam, est malum moraliter, et peccatum pœnâ dignum ratione suî, loquendo per se, et nisi excuset ignorantia invincibilis. Ita omnes doctores, et patet quia quælibet opinio falsa quoad mores addit vel demit lege Dei : addit, si est stricta et falsa; demit, si est larga et falsa : utrumque autem est prohibitum lege Dei, ac proinde utrumque est peccatum per se.* Unde quamvis sit licitum, imò et honestum et valdè laudabile, quòd quis in operando sectetur opinionem magis tutam, licet cognoscat esse minùs probabilem; imò licet cognoscat esse falsam, quia semper est laudabile evitare actionem quam aliqui viri sapientes dicunt esse illicitam, quamvis judicet illorum opinionem esse falsam, tamen non est licitum magistro docere doctrinam magis tutam, quando cognoscit esse minùs probabilem, quia magister tenetur quantùm potest conari, ad docendam veritatem, ac proinde in ordine ad docendum, sola illa sententia est tuta quæ post diligentem veritatis inquisitionem creditur esse vera vel magis veritati propinqua, ut evincunt ea quæ Pater generalis adducit dissert. 4, num. 75 et 76. Idcircò omnibus magistris præ oculis habendum est celebre illud dictum S. Thomæ : *Omnis quæstio in quâ de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, nisi veritas expressè habeatur;* quod latè exponitur à Patre generali dissert. 9, à num. 4 ad 11, et dissert. 9, num. 24. Imò Aristoteles, 1 Ethicor. cap. 4, dixit : *Veritatem debemus inquirere, et sequi quantùm possumus.* Vide alia multa in hunc scopum apud Patrem generalem dissert. 12, num. 22 et 23. Unde ipse Terillus apud eumdem, ibidem, in tomo de Regulâ morum, fatetur *certum esse quòd detur obligatio aut tutiora sectandi aut ad ipsam veritatem, quantùm humano modo possumus, cnitendi.*

CVI. Ad ostendendam apertam falsitatem illius propositionis universalis Patris Terilli, satis est legere Decretum Alexandri VII, in quo damnavit tot propositiones (quod opus postea prosecutus est Innocentius XI); ait enim, *complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm suscitari, partim noviter prodire, atque in rebus ad conscientiam pertinentibus modum opinandi irrepsisse alienum omninò ab evangelicâ simplicitate, quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela.* Damnavit ergo illas ut *christianæ disciplinæ relaxativas, et ut animarum perniciem inferentes;* et ideò prohibuit ne ampliùs pergerent christianam disciplinam relaxare et animarum perniciem inferre. Ergo illæ propositiones ante condemnationem perniciem animarum inferebant : ob hanc enim causam à pontifice damnatæ sunt; ergo peccabant ii qui illas opiniones in praxi sectabantur, et tamen dici non potest peccâsse omnes et singulos auctores qui aliquam vel aliquas ex illis propositiones tradiderunt, cùm aliquas saltem ex illis tradiderint viri pietate insignes,

de quibus nimis temerè hoc assereretur. Illi ergo tradiderunt opiniones reipsà in praxi perniciosas, quin tamen peccaverint, quia hanc perniciem non prævideruntⁿ sed per ignorantiam involuntariam excusantur, quia nimirùm ut homines decepti sunt argumentis fallacibus, innocenter existimantes illas doctrinas esse veras, et ad facilitandam animarum salutem utiles. Sanè ex ipsis Probabilistis P. Esparza apud Patrem generalem, dissert. 8, à num. 14, cum Navarro, Adriano et communi antiquorum docet neminem sine peccato posse in operando sequi opinionem minùs tutam, quin priùs directè illi assensum præbeat, et judicet esse veram, et ipse Terillus, quæst. 22 de Consc. num. 3, apud Patrem generalem, dissert. 4, n. 7 et n. 8, ait neminem posse licitè sequi sententiam minùs tutam, quin ante ultimum dictamen conscientiæ formandum, quod ipse existimat debere esse evidens, priùs judicio absoluto judicet esse veram opinionem asserentem objectum illud esse in se licitum, et tamen non dicet peccâsse plurimos ex auctoribus hujus seculi, qui ad usum licitum opinionis minùs tutæ dicunt sufficere judicium reflexum de probabilitate opinionis alienæ, ut testatur cum Caramuele P. Moya apud Patrem generalem, dissert. 9, n. 1 et 2.

CVII. Deinde ipse Terillus apud Patrem generalem, dissert. 1, n. 18, rectè docet, ad usum licitum opinionis minùs tutæ requiri quòd ejus motivum sit absolutè et comparativè magnum, ac saltem æquale vel ferè æquale motivo opinionis tutioris, et tamen non dicet peccâsse eos qui dicunt licitum esse sequi omnem opinionem practicè probabilem, quamvis sit evidenter minùs probabilis, qui non pauci sunt; imò nec dicet peccavisse auctores qui ante decretum Innocentii XI docuerunt sufficere quamcumque probabilitatem etiam minimam, dummodò à probabilitatis finibus non exeatur.

§ XXXV. *Solvitur aliud capitale fundamentum Terilli desumptum ex eo quòd lex prohibens actum non sit sufficienter promulgata, ubi datur opinio probabilis quòd actus sit licitus.*

CVIII. Hoc argumentum tanquàm præcipuum suæ sententiæ fundamentum proponit Terillus, in tomo de Regulâ morum, q. 2, num. 45, et latiùs in tomo de Consc. q. 23, num. 14, hisce terminis : Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties adsunt rationes probabiles suadentes partem minùs tutam esse licitam, lex præcipiens partem tutiorem non est sufficienter promulgata : ergo lex illa neminem obligat, quamdiù certò probabile est partem minùs tutam non esse *prohibitam*. Tractat hoc punctum Pater generalis, dissert. 6, § 5 et 8, et dissert. 7, § 11, usque ad 14; item dissert. 11, § 42; et dissert. 12, § 3, habet multa opportuna enodandæ huic difficultati, quibus ad ejus mentem hìc addemus aliquid.

Contra hoc argumentum rectè opponit P. generalis, illâ diss. 6, n. 37, illud ad summum posse habere locum in lege humanâ, non autem in lege divinâ aut in lege naturali, de quâ præcipuè est controversia; nam Pater generalis præcipuè inquirit an quando disputatur an aliqua actio sit illicita et lege naturali vel divinâ prohibita necne, possit quis licitè in operando amplecti partem minùs tutam, quando scit esse minùs probabilem et minùs sibi verisimilem, vel saltem possit licitè eam amplecti, quando agnoscit illam auctoritate et ratione esse æquè in se probabilem, et sibi æquè verisimilem ac partem tutiorem, et utrobique constanter negat. Disparitatem inter unam et aliam legem reddit eo n. 37 : *Nam potest*, inquit, *legislator humanus*, v. g., *rex* vel summus pontifex, legem concipere, et habere voluntatem illam promulgandi et obligandi subditos suos, et postea mutare consilium et supersedere ab illius promulgatione, quo in casu lex non datur, nec potest dari violatio etiam materialis illius. At implicat ut Deus legem concipiat et ferat, quin habeat voluntatem efficacem sufficienter illam promulgandi, et cùm sit omnipotens et infinitè sapiens atque immutabilis, nequit à voluntate efficaci semel conceptâ desistere; ergo implicat ut Deus legem condat et statuat, et illa ex defectu sufficientis promulgationis desinat obligare. Dùm enim legem statuit, vult efficaciter illam legem habere vim per se obligandi omnes subditos, ac proinde vult efficaciter illam legem sufficienter promulgari, cùm implicet legem non sufficienter promulgatam habere vim obligandi. Quare conficitur hoc argumentum : Vel Deus legem condens et statuens, præcisè voluit legem facere, et non voluit illam satis promulgare (et hoc implicat, quia sic frustra legem fecisset : finis enim condendi legem est obligare subditos ad aliquid faciendum vel omittendum, et cùm sufficiens promulgatio sit essentialiter requisita ad obligandum, frustra fecisset legem, si noluisset legem sufficienter promulgari); vel Deus legem condens et statuens, voluit illam sufficienter promulgare, et non potuit; et hoc repugnat, cùm sit omnipotens. Ergo repugnat legem naturalem vel divinam à Deo condi, et non sufficienter promulgari; ergo est apertè falsum asserere legem non esse sufficienter promulgatam per hoc quòd aliqui auctores graves affirment non dari talem legem, eorumque *opinio communiter censeatur probabilis.*

CIX. Deinde probat hominem illum, cui constat sententiam minùs tutam esse attentâ auctoritate et ratione in se minùs probabilem, et experitur sibi apparere minùs verisimilem non posse se eximere ab obligatione abstinendi à contractu vel actione de quâ disputatur an sit licita per recursum ad non promulgationem legis prohibentis contractum; est enim falsum quòd non sit sufficienter promulgata lex prohibitiva contractûs illi qui post sufficientem veritatis inquisitionem invenit majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum dari talem legem quàm ad judicandum oppositum. Cùm enim Deus voluerit ut lex illa non sit patens et clara, sed ut maneret sub opinionibus, frustra illam imposuisset, si non voluisset obligare illos qui post diligentem veritatis inquisitionem judicant verisimilius esse quòd detur talis lex, quia inveniunt majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum dari talem legem;

stante enim hâc majori verisimilitudine, prudenter possunt judicare dari talem legem, et non possunt prudenter judicare oppositum. Durissimum autem est dicere quòd non sit sufficienter promulgata et intimata lex homini potenti prudenter judicare dari talem legem, et non potenti judicare oppositum. Quare illa ratio de non promulgatione legis sufficiente, ad summum posset habere locum, quando post factam sufficientem diligentiam ad sciendum an detur lex, occurrunt rationes omninò æquales pro unâ et alterâ parte, et homo non potest dubium illud resolvere : tunc enim ignorantia de existentiâ legis videtur esse involuntaria et invincibilis, ac proinde excusans : nam postquàm quis adhibuit sufficientem diligentiam ad expellendam dubitationem, et eam non potuit expellere, ignorat sibi esse præceptum positum, et ita ignorat ut non potuerit ignorantiam depellere; ergo invincibiliter ignorat; non videtur ergo tunc obligari tali præcepto. At quando factâ sufficiente diligentiâ ad inveniendam veritatem, invenit majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum extare legem quàm ad judicandum oppositum, prudenter potest judicare dari legem prohibentem, nec potest judicare oppositum ; ergo tunc respectu ipsius lex est sufficienter promulgata.

CX. Dixi : *Ad summum :* absolutè verò tanquàm certum tenendum est, tunc non laborare hominem illum ignorantiâ invincibili legis ; nam si conflictus ille opinionum contrariarum, qui facit hominem manere dubium, constitueret ignorantiam invincibilem, non peccaret homo, quamvis immediatè post illud dubium exerceret contractum illum de quo prudenter dubitat an sit illicitus ; nam operari immediatè post ignorantiam invincibilem de malitiâ operationis, est operari innocenter, siquidem universaliter et sine exceptione verissimum est ignorantiam invincibilem malitiæ excusare à culpâ actionem quæ ex illâ ignorantiâ fit contra legem, ut constat ex decreto Alexandro VIII, in quo, an. 1690, inter 31 propositiones damnavit hanc ordine secundam : *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato.* At certissimum est hominem operantem in illo dubio resultante ex conflictu opinionum contrariarum graviter peccaturum, ut latè ostendit Pater generalis, dissert. 7, toto § 11, à n. 63; ut enim inquit Pater Vasquez 1-2, disp. 4, cap. 1, *nemo dubitat peccare eum qui operatur, non habens firmum et determinatum judicium conscientiæ, quo judicet non esse peccatum id quod facit; sed potiùs dubitans an sit peccatum, illud nihilominùs operatur.*

Quare licet in illo casu non imputetur ad culpam homini defectus scientiæ et judicii determinati de honestate vel de malitiâ contractûs, imputatur tamen operatio subsecuta ad tale dubium ; ut enim inquit rectè P. generalis, dissert. 7, n. 66, *aliud est mihi non imputari ad culpam defectum scientiæ notificantis mihi existentiam præcepti*, postquàm factâ sufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem non potui assequi cognitionem persuadentem illam existentiam ; aliud non imputari ad culpam operationem subsecutam ad illam dubitationem.

CXI. Unde lex ipsa directè prohibens contractum aliquem obligat ad abstinendum ab illo, quamdiù homo dubitat an talis lex detur, vel an comprehendat illum contractum, et non potest prudenter formare judicium firmum ac determinatum, quo sibi persuadeat talem legem, vel non extare, vel non comprehendere illum casum ; et ideò resultat necessariò judicium reflexum quo homo sibi persuadet peccatum esse operari in illo dubio an contractus sit prohibitus vel non, quia operari in illo dubio est contemnere legem et legislatorem ; est enim virtualiter dicere : *Sive detur lex Dei hoc prohibens, sive non detur, volo operari et exercere contractum ex quo spero me lucraturum ;* et præferre lucrum temporale Dei amicitiæ. Quamvis autem contingeret reipsà non extare talem legem prohibitivam contractûs, vel non comprehendere illum contractum, peccaret homo exercens tunc contractum, non quidem contra legem directam, quæ non datur ; sed contra conscientiam dictantem talem legem dari : quia enim judicat homo dari legem directè prohibentem illum contractum, et nihilominùs vult illum inire, legem apprehensam et legislatorem ipsum verè contemnit, et nequit per ullam reflexionem judicare bonâ fide sibi hìc et nunc licitum esse exercere illum contractum, nisi priùs resolvat dubium illud quasi speculativum an contractus ille sit secundùm se illicitus necne, quærendo et inveniendo novam rationem vel novam auctoritatem, vi cujus sibi persuadeat prudenter contractum illum non esse illicitum, v. g., non esse usurarium : velle autem, durante illo dubio, formare judicium reflexum quòd sibi liceat tunc operari, videtur esse quærere artificium ut sibi liceat agere contra conscientiam dubitantem ; et est virtualiter dicere : *Quamvis ego nesciam an hic contractus non sit secundùm se usurarius et omnibus prohibitus, sed de hoc prudenter sim dubius, nihilominùs certus sum me hìc et nunc non commissurum peccatum usuræ, si illum faciam ;* vel virtualiter est dicere : *Ego quidem prudenter dubito an hic contractus sit usurarius, et quamvis nullam invenerim rationem quæ mihi persuadeat illum usurarium non esse, tamen certus sum me hìc et nunc non commissurum peccatum usuræ, si illum exerceam.* Nequit autem esse certus se hìc et nunc non peccaturum exercendo illum contractum, nisi sit certus se non commissurum peccatum usuræ ; ergo impossibile est quòd non resoluto priùs directè dubio illo, quasi speculativo, an ille contractus sit vel non sit usurarius, possit homo formare dictamen reflexum conscientiæ rectum, quo certificetur se hìc et nunc non peccaturum exercendo illum contractum. Confirmatur quia, ut ostendit P. generalis, dissert. 7, à n. 77 ad 88, et à num. 61 ad 63, ex dubio quasi speculativo seu universali necessariò resultat dubium practicum circa actionem particularem hìc et nunc exercendam, cum quo dubio certum est neminem posse licitè operari. Ut enim inquit Pater Thomas Sanchez, lib. 1 Summæ, cap. 10, n. 2, *certum est apud omnes exigi ad licitam operationem, ut intellectus sit*

*practicè dubius*. Assumptum probat Pater generalis : *Nam cùm rationes universales non distinguantur à singularibus, idem est dubitare an aliquis contractus in genere sit malus et peccaminosus, ac dubitare an hic et ille contractus particularis participans illam rationem specificam, sit peccaminosus : v. g., idem est dubitare an sit peccatum usuræ accipere aliquid in mutuo ultra sortem, ratione periculi recuperandi sortem, et an sit peccatum hic et ille contractus, in quo paciscitur cum mutuatario mutuans de lucro aliquo ratione periculi. Et idem est dubitare an sit peccatum pingere die festo sine necessitate, ac dubitare an sit peccatum, Petrum, vel Paulum, vel Joannem pingere sine necessitate die festo. Ergo implicat aliquem esse dubium speculativè et in universali an sit peccaminosus aliquis contractus, quin sit dubius an sit peccaminosus contractus iste hìc et nunc celebrandus, si ille contineatur sub illâ ratione communi, vel nisi adsit aliqua circumstantia hunc contractum eximens et exstrahens ab illâ ratione specificâ in communi. Ut enim sapienter inquit P. Vasquez* 1-2, *disp.* 62, *n.* 22 : « Quâ « ratione potest quis dubitare an aliquid liceat in uni- « versum, et certus esse absque formidine illud sibi « licere, non subsistente aliquâ peculiari ratione po- « tiùs pro se quàm pro aliis? »

Quare qui dicunt in occursu opinionum æquè probabilium pro libertate et pro lege, legem non obligare, fundant dictamen ultimum conscientiæ certum, *quòd hìc et nunc licitum sit operari* in ipso dubio practico an actio hìc et nunc exercenda sit prohibita necne. Unde illorum sententia videtur continere virtualiter hunc discursum : Quamvis ego prudenter dubitem an contractus *A* sit secundùm se usurarius et omnibus prohibitus, et consequenter quamvis ego dubitem an sit mihi usurarius et mihi prohibitus, nihilominùs, quia certum non est illum esse prohibitum, certus sum me hìc et nunc non commissurum usuram, nec peccaturum exercendo ejusmodi contractum. Ergo reflexiones illæ videntur continere artificium quo reddatur licitum agere contra conscientiam practicè dubitantem.

CXII. Deinde respondet benè Pater generalis illâ dissert. 6, num. 33, in similibus quæstionibus cùm dubitatur, v. g., an aliquis contractus sit ex se illicitus et lege divinâ prohibitus, v. g., an sit usurarius, vel simoniacus, supponi tanquàm certum dari legem prohibitivam usuræ et simoniæ, et solùm dubitari an illa lex comprehendat hunc vel illum contractum, seu an adsit aliqua circumstantia purificans contractum à vitio usuræ vel simoniæ, eumque eximens à lege prohibitivâ. Unde Pater generalis, dissert. 11, num. 42, meritò asseruit contingere posse ignorantiam invincibilem juris naturalis ad unumquemque pertinentis quoad conclusiones valdè remotas à primis principiis, et quoad illos casus difficiles et abstrusos, de quibus controversia est inter doctores classicos an contineantur sub lege divinâ prohibente vel non. Redditque rationem : *Quamvis enim Deus præcipiens aut prohibens formaliter et explicitè* aliquid, teneatur communicare homini notitiam hujus præcepti, vel saltem dare illi principia quibus possit notitiam illius præcepti obtinere, non tamen tenetur communicare notitiam omnium conclusionum particularium, quæ in illo implicitè continentur. Sic Deus præcepit expressè hominibus non inferre damnum proximo, nec spoliare illum bonis suis, et hujus præcepti notitiam omnibus pollentibus judicio rationis instillat et imprimit. Cæterùm etsi ex hoc præcepto inferatur talem vel talem contractum esse illicitum et contra ordinem justitiæ à Deo positum, quia tamen hæc illatio non est clara et facilis, sed difficilis et obscura, etiam apud doctos, non tenetur Deus omnibus deliberantibus de exercendo illo contractu communicare notitiam veram, etiamsi ipsi faciant cum auxilio divinæ gratiæ, quantùm in se est, ad illam obtinendam. Cùm enim Deus voluerit homines ignorantes gubernare per homines doctos, et aliunde voluerit etiam permittere ut res esset sub lite ac disputatione inter doctores catholicos, utque multi probi et sapientes post totius quæstionis diligentem discussionem et accuratum examen, atque post fusas ad Deum preces, sine ullâ suâ culpâ traderent aliquando doctrinam falsam et legi divinæ contrariam, hoc ipso voluit consequenter permittere ut homines timorati possent sine culpâ sequi doctrinam illam falsam, quando bonâ fide putarent illam *non esse falsam*.

Neque hinc sequitur Deum tulisse aliquam legem quam non satis promulgaverit et intimaverit communitati, quod esset absurdum ; tantummodò sequitur in lege ipsâ Dei promulgatâ et intimatâ non continer' expressè et in particulari, sed solùm implicitè et in universali hunc aut illum casum, quod est verissimum. Non enim præcepta Decalogi haberent finem et terminum, si deberet in singulis exprimi, distinctèque, explicitè et in specie recenseri, ac prohiberi hìc et ille casus particularis implicitè in illis contentus, vel de quo posset dubitari an contineatur in lege à Deo promulgatâ.

CXIII. Quare dùm disputatur an aliquid sit intrinsecè illicitum, non disputatur an detur præceptum id explicitè prohibens : si enim daretur, illud communitati hominum Deus apertè manifestaret. Ut enim definit D. Thomas 1-2, quæst. 90, art. 5, in fine corporis : *Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata;* ac proinde illius præcepti existentia esset communitati Ecclesiæ manifesta, qualia sunt omnia præcepta Decalogi. Solùm ergo disputatur an res illa sit contra aliquod præceptum, de cujus existentiâ constat.

Confirmatur, quia, ut inquit D. Thom. eâ quæst. 90, art. 4, *ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quòd applicetur hominibus qui secundùm eam regulari debent; talis autem applicatio fit per hoc quod in eorum notitiam deducitur ex ipsâ promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc ut lex habeat suam virtutem.* Ergo hoc ipso quòd Deus aliquam legem condiderit, et per eam voluerit obligare homines, necessarium fuit ut illam communitati hominum intimaret, sicut intimavit præcepta Decalogi. Quando ergo disputatur inter theologos an quid sit intrinsecè illicitum, non disputatur an detur

lex vel præceptum; sed disputatur an illa actio opponatur legi vel præcepto, de cujus existentiâ constat. Sic dùm disputatur an aliquis contractus sit usurarius, supponitur extare legem prohibentem usuras, et disputatur an talis contractus comprehendatur sub lege. Dùm, v. g., disputatur an sit illicitum in mutuo accipere aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, vel ratione periculi recuperandi sortem, supponitur usuram esse illicitam, et disquiritur an hujusmodi contractus sint comprehensi sub prohibitione usurarum, de quâ certò constat. Et similiter dùm disputatur an aliquis contractus sit simoniacus, supponitur extare legem certam prohibentem simoniam, et dubitatur an talis lex sub se comprehendat illum contractum. Et dùm disputatur an aliquis contractus sit contra justitiam, supponitur extare legem quæ prohibeat injustitiam, et disquiritur an ille contractus sit contra talem legem; nec potest dici aliquid esse peccatum, quin probetur esse contra aliquam legem, cujus existentia est certa in communitate Ecclesiæ : quia vel continetur clarè in Scripturâ, vel in conciliis, vel in jure canonico. Quare licet Deus teneatur communicare hominibus notitiam legis et præcepti sui quo vult homines obligare, quoad rationem illam explicitam quam præceptum continet, et forsan quoad alias quæ ex illâ secundùm se sumptâ necessariò fluunt, et à quolibet homine facilè capiuntur, non tamen tenetur communicare quoad alias rationes, quæ valdè remotè sequuntur, et quæ non deducuntur ex illo præcepto, nisi adjunctis variis circumstantiis, quarum consideratio ad sapientes pertinet. Etenim, ut inquit D. Thomas 1-2, quæst. 100, art. 1 (in quo inquirit utrùm omnia præcepta moralia veteris legis pertineant ad legem naturæ), *quædam sunt quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda (sicut: Honora patrem tuum et matrem; et, Non occides: non furtum facies), et hujusmodi sunt absolutè de lege naturæ;* tum subdit : *Quædam verò sunt quæ subtiliori ratione à sapientibus judicantur esse observanda, et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ quâ minores à sapientibus instruantur.* Deus ergo aliquid præcipiens, et volens obligare homines ad illius observationem, debet intimare illis hoc præceptum quoad rationem illam quæ expressè in illo continetur, et quoad alias quæ ex illâ ita sequuntur, ut quilibet homo rationis capax eas facilè percipiat; non tamen quoad alias quæ indigent studio. Nam, ut in eodem articulo paulò ante præmiserat S. doctor : *Sicut omne judicium rationis speculativæ procedit à naturali cognitione primorum principiorum, ita etiam omne judicium rationis practicæ procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis, ex quibus diversimodè procedi potest ad judicandum de diversis. Quædam enim sunt in humanis actibus adeò evolicata, quòd statim cum modicâ consideratione possint approbari, vel reprobari per illa communia et prima principia. Quædam verò sunt ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos philosophos.* Hactenùs Pater generalis.

Quare nihil est intrinsecè illicitum, quod non opponatur alicui ex decem præceptis promulgatis in Evangelio, vel alicui principio per se noto, vel alicui doctrinæ Christi manifestæ suæ Ecclesiæ. Unde nemo per recursum ad non promulgationem legis potest excusari à peccato, quando omnibus ritè consideratis probabilius ipsi est actionem esse prohibitam, quàm esse lege permissam, vel saltem est æquè probabile, seu verisimile, si in illis circumstantiis eam actionem exerceat.

§ XXXVI. *Ostenditur sententiam Terilli asserentis legem prohibitivam alicujus actionis non esse sufficienter promulgatam, hoc ipso quòd detur opinio probabilis de honestate vel licentiâ illius actionis, esse contra communem sententiam theologorum omnium, non solùm Antiprobabilistarum, sed ipsorum Probabilistarum.*

CXIV. Quòd sit contra sententiam omnium Antiprobabilistarum, id est, contra sententiam omnium qui dicunt nemini licitum esse in operando sequi opinionem probabilem aliorum minùs tutam in conspectu tutioris et probabilioris, ac ipsi operanti verisimilioris, patet manifestè : nam ubi inter auctores controvertitur an aliqua actio sit licita, an illicita, et omnibus hinc inde consideratis, alii affirmant esse illicitam, alii negant : qui affirmant, et stant pro lege adversùs libertatem, hoc ipso affirmant dari legem obligantem ad abstinendum ab illâ actione, et consequenter dari legem sufficienter promulgatam et comprehendentem sub se illam actionem, non obstante quòd sciant dari opinionem probabilem negantem, quòd illa actio sit illicita et lege illâ prohibita, et consequenter affirmantem quòd illa actio sit licita et lege divinâ permissa.

Quòd autem sit contra sententiam communem etiam ipsorum Probabilistarum, seu auctorum affirmantium licitum esse cuilibet in operando sequi opinionem probabilem aliorum minùs tutam, quamvis ipse agnoscat sententiam tutiorem esse in se probabiliorem, et ipsi appareat magis verisimilis, probatur : nam omnes isti auctores supponunt violari reipsà legem, si contingat opinionem minùs tutam esse falsam et legi divinæ contrariam, sed dicunt illam transgressionem esse purè materialem, et non imputari ad culpam; quia quamvis operans reipsà agat contra legem, excusatur juxta ipsos, quia operatur prudenter dùm operatur ex opinione probabili; ac proinde non imputatur ipsi transgressio : ergo supponunt legem illam fuisse sufficienter promulgatam, et retinere vim obligandi : nam lex, quæ non fuit sufficienter promulgata, non est vera lex, nec obligat; nec agere contra illam est peccatum. Transgressio legis dicitur purè materialis, quia quamvis homo violet legem reipsà obligantem, propter ignorantiam vel invincibilem, vel probabilem, non imputatur illi talis transgressio. Igno-

rantia invincibilis vel probabilis occultat quidem obligationem legis, sed non tollit : unde qui ex illâ ignorantiâ agunt contra legem, agunt contra legis obligationem perseverantem; sed contra legem quæ verè fuit promulgata, et habuit vim obligandi, illamque retinet dùm non abrogatur; quæ abrogatio solum habet locum in lege positivâ, non autem in lege naturali.

CXV. Hinc, qui ex ignorantiâ invincibili operantur contra legem et præcepta, verè transgrediuntur legem, licet talis transgressio eis non imputetur. Unde sapienter aiebat magister Canus, lib. 12 de Locis, c. 9, post medium § : *At quid pertinacia sit; errant illi vehementer, qui ignorationem existimant obligandi vim à præceptis auferre. Non id, mihi crede, ignoratio efficit, ut obligatione solvamur, sed ne res aliàs vetita nobis impingatur ad culpam : omnis igitur homo, etiamsi in ignoratione versetur, errores fidei contrarios simpliciter et absolutè evitare tenetur, si eos nondùm habet, et si habet, destituere.*

Idem docet et probat ex Evangelio gravis theologus Andreas de Nega, lib. 15 in Trident., ex quo Angles in Floribus theologiæ, in 2, dist. 22, q. 2, art. 2, diffic. 2, sic pronuntiat : *Ignorantia invincibilis non tollit obligationem servandi legem, quam aliquis inculpabiliter ignorat : excusatur tamen quominùs sit transgressio ad culpam imputabilis. Patet ex Evangelio : lex enim baptismi omnes obligat, ut habetur* Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit, etc., ubi ponitur præceptum comminatorium adversùs omnes infideles etiam illos quibus Christus non est annuntiatus, quoniam lex universalis est; excusabuntur tamen à culpâ per ignorantiam inculpabilem illi, ad quos rumor Evangelii nondùm pervenit.*

Quod diximus de lege baptismi dici debet de lege quæ vetat repudium legitimæ uxoris. Nam si aliquis Gentilis, repudiatâ legitimâ uxore, duxisset aliam, et postea fieret Christianus, teneretur redire ad uxorem repudiatam, et alteram deserere : ergo signum evidens est repudium non fuisse validum, ac proinde talem hominem obligatum fuisse ad non faciendum repudium, tametsi legem illam repudii ignoraverit. Similiter lex de unicâ uxore, licet non sit omnibus intimata, sed à multis Gentilibus prorsùs ignoretur, omnes tamen obligat : nam si infidelis haberet duas uxores, et deinde fieret Christianus, deberet priorem retinere, et posteriorem dimittere.

Unde magnus theologus Gregorius de Valentia, tom. 2, disp. 7, quæst. 4, punct. 6, indubitanter et tanquàm rem sibi certam afferens, sic asseruit : *Per ignorantiam non fit ut quis non transgrediatur legem, atque adeò ut non violet obligationem ejus, sed ut non transgrediatur et violet voluntariè, id quod est peccare. Unde cùm quis per ignorantiam invincibilem jurat falsum, ferè facit id quod est illi prohibitum, etiam in casu in quo ignorat; atque adeò verè violat legem primæ tabulæ, sed non violat voluntariè; propter quod dicitur excusari à peccato.* Hinc eruditissimus theologus, et in doctrinâ Patrum versatissimus P. Didacus Ruiz de Montova, disp. 41, de voluntate, latè probat Deum non posse inclinare ad blasphemiam, ad mendacium et similes actiones intrinsecè malas, lege naturali prohibitas, etiam quando per errorem invincibilem existimantur honestæ, quia illæ sunt reverà transgressio legis divinæ; Deus autem non potest positivè inclinare in transgressionem suæ legis, etiam quando inculpabiliter ponitur ab homine.

CXVI. Ex alio etiam capite ostenditur illam doctrinam Terilli esse contra communem sensum omnium theologorum benignorum, qui hanc quæstionem instituunt, an licitum sit sequi sententiam minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris : supponunt enim dari duas sententias probabiles oppositas, quarum una affirmat actionem esse licitam, et altera id negat; supponunt unam ex illis affirmare non extare legem, quæ vim habet obligandi ad abstinendum ab illâ actione, et alteram affirmare dari legem obligantem ad abstinendum ab illâ actione : ergo supponunt per contrarietatem opinionum non tolli sufficientem promulgationem legis, alioqui frustra quærerent an sit peccatum sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam; cùm notum sit neminem peccare posse agendo contra legem non sufficienter promulgatam. Sensus ergo quæstionis est, an licet detur lex quæ fuerit sufficienter promulgata, et vim obligandi habeat in actu primo, nihilominùs excusetur à peccato, qui confisus opinione probabili contra illius obligationem agit; idem enim est ac inquirere an per ignorantiam probabilem excusetur à culpâ ille qui transgreditur legem confisus opinione probabili aliorum, quam ipse minùs probabilem esse agnoscit; sicut excusaretur si transgrederetur legem confisus opinione probabili minùs tutâ, quam ipse probabiliorem crederet, et verissimam esse directè judicaret.

### § XXXVII. *Novis confirmationibus detegitur falsitas doctrinæ Terilli.*

CXVII. Arguo præterea contra Terillum; quia si ad usum licitum opinionis minùs probabilis et minùs tutæ necesse est recurrere ad argumentum illud reflexum, quòd lex prohibens actionem non est sufficienter promulgata, quoties datur opinio absolutè in se probabilis de honestate vel licentiâ illius actionis, ergo priùs quàm operans ad opus licitè exercendum procedat, debet facere hunc discursum reflexum. Quamvis ego videam plures et graviores auctores asserere hunc contractum esse usurarium et malum, et collatis eorum fundamentis cum fundamentis sententiæ contrariæ faventis libertati, clarè experiar illa esse simpliciter majora; tamen quia video aliquos auctores graves probos et doctos asserere contrarium, prudenter mihi persuadeo legem prohibitam contractûs illius non esse sufficienter promulgatam; ac proinde censeo licitum esse illum contractum, et neminem esse obligatum ab illo abstinere. Quomodò autem potest hoc sibi prudenter persuadere? Ille consideravit fundamenta extrinseca et intrinseca, quæ sunt pro unâ et aliâ sententiâ · expendit omnia quæ una et altera pars pro se allegavit; et consideravit et expendit auctoritatem doctorum

severorum, et benignorum; et post omnia considerata prudenter judicat partem rigidam esse auctoritate et ratione magis verisimilem; ac proinde videt se prudenter posse affirmare illud ipsum quod affirmàrunt doctores severiores, quia fundamenta quibus illi moti sunt movent ipsum æqualiter, et insuper addit pondus ipsorum auctoritas. Quomodò ergo tunc seriò et ex animo potest dicere, legem prohibitivam contractûs non esse sufficienter promulgatam? Certè non potest hoc sibi persuadere, nisi assumat tanquàm verum hoc principium universale : quoties inter doctores disputatur an aliqua actio sit licita vel illicita, et post seriam discussionem quæstionis illi abeunt in opiniones oppositas, et unusquisque absque passione et præcipitatione suam sententiam tuetur; lex prohibitiva actionis non est sufficienter promulgata; quamvis doctores stantes pro lege prohibitivà sint plures et graviores, et afferant meliora fundamenta rationis, et consequenter quamvis operans ipse qui deliberat de actione faciendà, judicet, vel prudenter judicare possit, auctores benignos deceptos fuisse, dùm judicàrunt actionem esse licitam. Quomodò autem potest assumere hoc principium universale tanquàm verùm, vel quibus argumentis sibi potest persuadere ejus veritatem? Vanus est ergo recursus Terilli ad non promulgationem legis, et non potest deservire ut operans fundet judicium reflexum verè probabile et prudens de honestate actionis super opinione minùs probabili et minùs tutâ, id est, super judicio doctorum quos judicat in illo ferendo deceptos fuisse, quamvis judicet, innocenter et absque passione errâsse.

CXVIII. Ponamus hominem indoctum consulere aliquem insignem magistrum, et ab illo interrogare an sibi liceat facere sine vitio usuræ certum contractum, quem illi proponit? Ponamus magistrum respondere : Domine mi, aliqui doctores graves affirmant talem contractum esse licitum, sed alii plures et graviores hoc negant; et ad hoc probandum adducunt meliora fundamenta; et ego cum istis censeo talem contractum esse illicitum. Homo ille indoctus his auditis, propter magnum conceptum quem habet de illo magistro, vehementer se sentit inclinatum ad judicandum illum contractum esse illicitum : potestne, his stantibus, tutâ conscientiâ celebrare illum contractum, recurrendo ad principium reflexum de non promulgatione legis? Poteritne ille magister pro ipsius consolatione reformare responsionem datam per recursum ad illud principium reflexum de non promulgatione legis, dicendo ipsi : quamvis hæc ita sint, nihilominùs tibi licet facere talem contractum; quia hoc ipso, quòd datur opinio absolutè probabilis de honestate talis contractûs, lex prohibitiva illius non est sufficienter promulgata; lex autem non sufficienter promulgata neminem obligat? vanum ergò est illud artificium reflexum Terilli.

Argumentor præterea. Quia ratio illa Terilli, vel nihil probat, vel pariter probat posse quemquam sequi sententiam probabilem aliorum minùs tutam, quamvis ille sibi prudenter persuadeat esse falsam; quia stat opinionem benignam esse probabilem absolutè et in se, quamvis à multis viris doctis judicetur falsa : alioqui nulla opinio esset absolutè probabilis, si daretur opinio contraria, quia doctores tenentes contrariam severiorem, hoc ipso judicant benignam esse falsam; ergo in sensu composito illius judicii, quo prudenter credo contractum aliquem esse usurarium, motus auctoritate majori, et validioribus rationibus doctorum severiorum, potero nihilominùs talem contractum exercere licitè recurrendo ad illud principium reflexum de non promulgatione legis prohibentis contractum, quoties datur opinio probabilis de honestate contractûs : quia quòd ego judicem sententiam benignam esse falsam, non tollit quòd sit absolutè probabilis in se, esto mihi non probetur : et hoc ipso quòd sit probabilis, impedit juxta Terillum promulgationem legis sufficientem ad obligandum illum hominem.

CXIX. Imò sequeretur me posse licitè exercere illum contractum, quamvis certum et evidens mihi videretur esse falsam opinionem benignam, quia quòd aliquis doctor certum putet aliquam opinionem esse falsam, non probat illam non esse absolutè probabilem in se; quandoquidem stat alios viros doctos, quibus non occurrit ratio quæ me convincit, prudenter et probabiliter judicare illam esse veram; sicut quòd P. Vasquez sæpè appellet levia fundamenta aliorum doctorum, et Cajetanus levia putet fundamenta Scoti, non probat illorum doctorum sententias non esse probabiles; sed solùm probat non esse probabiles his doctoribus, qui levia existimant ipsorum fundamenta : non enim ad probabilitatem opinionis requiritur quòd ejus fundamenta appareant magna omnibus viris doctis : nam sic nullus posset certificari de probabilitate opinionis, quam sequitur, quia nullus potest esse certus quòd ratio quâ ipse movetur, non sit judicanda levis ab ullo homine docto. Probatur sequela, quia insistendo reflexionibus Terilli posset ac deberet facere hunc discursum : quamvis ego certus sim apud me de falsitate opinionis benignæ affirmantis talem, vel talem contractum esse licitum, tamen scio illam probari aliis viris doctis, et absolutè esse in se probabilem. At ubi datur opinio absolutè probabilis de honestate contractûs, lex prohibitiva illius non est sufficienter promulgata, nec ullum obligat : ergo ego non sum obligatus ad abstinendum ab hoc contractu. Quis autem non videat hæc non posse admitti?

### § XXXVIII. *Breviter rejiciuntur alia argumenta reflexa ad quæ recurrit Terillus ut probet licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam.*

CXX. Principia reflexa ad quæ recurrit P. Terillus sunt 1° : insufficiens legis promulgatio ubi datur opinio probabilis de honestate vel licentiâ actionis; 2° ignorantia legis; 3° possessio libertatis, quam vult prævalere contra legem in omni materiâ, ubi non est certum legem existere, et comprehendere casum, de quo disputatur, juxta illud juris axioma : *in dubiis melior est conditio possidentis;* sed horum primum et principale nuper solvimus : reliqua duo facilè diluuntur ex dictis

in hoc opusculo ; et quidem non sufficere reflexionem supra ignorantiam legis, probat efficaciter P. generalis dissert. 6, § 9, n. 38 : *Ut enim lex obliget, non requiritur ut evidenter quis judicare* possit talem legem dari, et sub se comprehendere actionem de quâ dubitatur an sit licita ; sufficit quòd prudenter judicare possit dari talem legem, et sub se comprehendere actionem illam, eò quòd pro hâc parte inveniat majus fundamentum auctoritatis et rationis quàm pro oppositâ : alioqui dicere debemus nullum hominem obligari ad abstinendum à re de quâ inter theologos graves disputatur an sit licita necne. Nam hoc ipso quòd disputetur, non est certa et evidens existentia legis prohibentis illam speciem *contractûs*.

Quare non video quo pacto ille qui per principia directa habet majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum aliquem contractum esse in se malum et prohibitum, quàm ad judicandum oppositum, possit assumere sibi opinionem minùs tutam, sibique minùs probabilem, tanquàm regulam objectivam ad formandum judicium conscientiæ rectum et prudens, quo judicet illum contractum esse licitum. Non enim potest formare judicium rectum et prudens, quo judicet illum contractum in se, et ex parte objecti non esse prohibitum : cùm habeat majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum illum contractum esse in se prohibitum : et aliundè sit evidens, principia illa reflexa efficere non posse, ut contractus ille non sit reipsà in se objectivè malus et prohibitus, si reipsà datur in Deo lex prohibens illum : nam contractum aliquem esse in se, et ex parte objecti prohibitum, nihil aliud est quàm dari in Deo legem prohibitivam contractûs illius. Evidens etiam est principia illa reflexa non posse efficere, ne detur in Deo lex illa directè prohibens illum contractum. Rursùs non potest formare judicium rectum et prudens, quo judicet illum contractum esse licitum et se non peccare contrahendo ; nisi possit prudenter judicare illum contractum non esse in se malum et prohibitum. Sicut enim idem est esse malum, ac esse contrarium legi divinæ, ita idem est judicare non esse malum ac judicare non esse contrarium legi divinæ. Unde nemo potest esse certus quòd non peccet faciendo aliquem contractum, nisi sit certus quòd faciendo illum contractum non agat contra legem Dei. In illis autem circumstantiis non potest prudenter judicare illum contractum non esse in se malum et prohibitum ; quandoquidem habet majus fundamentum auctoritatis et rationis ad judicandum esse malum et prohibitum in se, quàm ad judicandum oppositum. Ergo impossibile est ut quando opinio minùs tuta proponitur alicui ut minùs verisimilis, quàm opinio tutior, possit per reflexionem facere judicium prudens, quòd sit licitus sibi contractus, de quo est sibi verisimilius quòd sit in se lege divinâ prohibitus, quàm oppositum : et multò minùs quòd possit per principia reflexa formare judicium certum et evidens, quòd sibi liceat hìc et nunc facere illum *contractum*.

CXXI. Deinde non sufficere reflexionem supra possessionem libertatis propriæ rectè ostendit Pater generalis eâ diss. 6, § 7, n. 1. Inprimis enim dùm homo reflectit supra libertatem suam falsò judicabit possessionem suæ libertatis sufficere, ne obligetur ad abstinendum à contractu, quem sententia tutior et ipsi probabilior affirmat esse in se intrinsecè malum et prohibitum. Illud enim axioma : *In dubiis melior est conditio possidentis*, solum habet locum in materiâ justitiæ, nimirùm quando duæ partes litigantes de jure et justo titulo ad dominium alicujus rei allegant rationes æquales præscindendo à possessione ; et aliundè una ex illis ultra has rationes allegat pro se possessionem continuatam illius rei, quæ possessio facit ut jus ejus sit melioris conditionis. At quando dubitatur an contractus aliquis sit in se intrinsecè malus ac prohibitus, nulla supponitur in voluntate libertas ad illum faciendum impunè et sine peccato ; sed hoc ipso dubitatur an possit fieri sine peccato, et nunquàm in favorem libertatis poterit proferri sententia, nisi per argumenta urgentiora fundamentis partis contrariæ probetur illam rem non esse prohibitam in se. Unde ut quis licitè possit facere rem de quâ dubitatur an sit in se mala et prohibita, necne, debet priùs post diligentem veritatis inquisitionem sine passione susceptam invenire fundamenta clarè et distinctè præeminentia, et verisimiliora fundamentis sententiæ contrariæ, vi quorum formet judicium directum firmum et determinatum, quo prudenter judicet rem illam non esse prohibitam : seu quo resolvat illud dubium, et sibi persuadeat prudenter rem illam non esse prohibitam. Si enim operetur, neque priùs formet hoc judicium, eò quòd appareant ipsi vel urgentiora, vel saltem æquè urgentia fundamenta ad judicandum rem esse malam et prohibitam : operabitur judicans pro priori rem esse malam ; vel operabitur dubitans an sit mala ; et utrumque est agere contra conscientiam. Est enim evidenter illicitus uterque hic actus : *Ego judico hunc contractum esse in se malum et prohibitum ; et tamen volo illum facere. Et ego dubito utrùm hic contractus in se sit malus et prohibitus, et tamen volo illum facere.* Si autem post sinceram et diligentem veritatis inquisitionem, citra omnem culpam, apparet ipsi sensibiliter verisimilius rem illam non esse prohibitam, prudenter resolvit dubium, formatque judicium determinatum firmum quo judicat rem non esse malam et prohibitam : et non operatur cum dubio de peccato. Quamvis enim hoc judicium non sit evidens, et reflectens intellectus supra ipsum possit dicere, possibile esse quòd sit falsum, tamen de facto sibi persuadet non esse falsum, et vi illius potest manere securus in conscientiâ. Et hæc sensibiliter major probabilitas est quædam certitudo moralis, et sufficit ad excusandum à culpâ : quia in rebus dubiis quas Deus voluit manere sub controversiâ, et in quibus non possumus assequi evidentiam, sufficit quòd per argumenta valdè verisimilia et urgentiora oppositis nobis persuadeamus rem non esse prohibitam, ut rectè docet P. Suarez lib. 6 de Legib., c. 8, n. 5, his verbis : *Judicium probabile in rebus moralibus*

*sufficit ad prudenter operandum, præsertim ubi regula certa applicari non potest, quia alius modus operandi est ultra hominum conditionem et prudentiam; cùm omnis cognitio humana conjecturalis sit, præsertim in rebus agendis.* Idem docet tom. 4, in 3 part., disp. 6, sect. 6, n. 5. Rectèque docent D. Antoninus, 1 part., tit. 3, c. 10, § 10 et cum eo Navarrus de Pœnit., dist. 5, n. 38, non operari cum dubio an res sit mala, illum qui operatur formato priùs judicio determinato prudenter, quòd res non sit prohibita.

CXXII. Denique non obstat argumentum illud reflexum quocum Caramuele probant adversarii licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris, quia hoc ipsum reflexè probabilius est: primò enim (ut latissimè ostendit pater generalis totà diss. 13) sententia nostra est auctoritate et ratione longè probabilior sententiâ benignâ reflexâ Probabilistarum; satisque id persuadent fundamenta adducta in hoc compendio. Et quamvis Probabilistæ ipsi existiment suam sententiam esse probabiliorem et unicè veram, et in hoc judicio ferendo non peccaverint, nihilominùs peccarent si in operando sectarentur opinionem minùs tutam faventem libertati adversùs legem in circumstantiis in quibus haberent majus fundamentum ad judicandum esse falsam quàm ad judicandum esse veram; præsertim ubi illud majus fundamentum esset rationis et auctoritatis simul: quia illa eorum opinio est falsa, et falsitas ejus consistit in eo quòd affirmet non dari peccatum formale ubi peccatum formale datur, ut ostensum est supra, § 30, 31 et 32.

CXXIII. Unde quamvis loquendo de opinionibus directis immediatè versantibus circa honestatem objecti, seu affirmantibus actum aliquem esse honestum, vel saltem non inhonestum, sed lege divinâ permissum; licitum per accidens sit ratione ignorantiæ probabilis, sequi opinionem probabilem faventem libertati reipsà falsam, quando post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam apparet operanti manifestè verisimilior sententiâ oppositâ stante pro lege, et ab ipso judicatur vera judicio firmo et determinato; quia licet tunc reipsà transgrediatur legem, illa transgressio est purè materialis, quia fit in circumstantiis in quibus operans nec potuit prudenter affirmare actum esse prohibitum; nec potuit de prohibitione prudenter dubitare; quandoquidem habuit motivum manifestè majus ad judicandum non esse prohibitum actum; at loquendo de opinionibus reflexis immediatè versantibus circa honestatem formalem actûs et contemplantibus ea quæ ex parte subjecti sunt necessaria, ut actus evadat licitus, non licet adhuc per accidens in operando eas sequi, si sint reipsà falsæ; quamvis operanti videantur probabiliores, et ab ipso inculpabiliter judicentur veræ: quia illarum falsitas consistit in hoc quòd affirmant non dari peccatum formale, ubi peccatum formale datur, ut explicuimus § 31, n. 97 et seqq. Quemadmodùm si quis per errorem inculpabilem existimaret licitum esse agere cum conscientiâ practicè dubiâ, vel licitum esse agere contra conscientiam, non propterea eximeretur à peccato formali, agendo contra conscientiam, vel agendo cum conscientiâ practicè dubiâ; quia licet non peccaret in illo judicio reflexo speculativo quo contemplatur non dari peccatum, in eo quòd quis agat contra conscientiam, vel cum conscientiâ dubiâ; tamen peccaret agendo contra conscientiam et agendo cum conscientiâ practicè dubiâ; quia illud judicium reflexum est falsum, et componitur cum conscientiâ directâ constituente peccatum formale.

Unde in formâ sic respondendum est illi argumento: *Licet sequi opinionem probabiliorem; sed opinio affirmans licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam est probabilior; ergo licet illam sequi.* Respondetur: Distinguo majorem: Licet sequi opinionem probabiliorem probabilitate directâ respiciente immediatè honestatem objecti, concedo majorem; licet sequi opinionem probabiliorem probabilitate reflexâ respiciente immediatè honestatem formalem actûs, subdistinguo: si illa opinio sit vera, concedo; si sit falsa, nego majorem. Et distinguo minorem; sed opinio affirmans licitum esse, etc., est probabilior probabilitate directâ respiciente immediatè honestatem objecti, nego minorem; est probabilior probabilitate reflexâ respiciente immediatè honestatem actûs, transeat falsissima minor: ergo licet illam sequi. Distinguo consequens: si sit vera, admitto consequentiam; si sit falsa, nego consequentiam. Doctrina distinctionis patet ex dictis § 31, n. 97 et seqq.

§ XXIX. *Infertur ex dictis auctoritatem tot doctorum, quot in hoc seculo docuerunt licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, et minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore, non esse sufficientem ut propter illam possit quis licitè in operando sequi opinionem minùs tutam, quando omnibus hinc inde ritè consideratis habet majus fundamentum ad judicandum illam esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ conformem; præsertim ubi illud majus fundamentum non est solius rationis, sed rationis et auctoritatis simul, quia nimirùm agnoscit opinionem tutiorem habere pro se plures et graviores auctores, et urgentiora fundamenta rationis.*

CXXIV. Ratio est 1°, quia fundamenta quibus illi doctores à fine præcedentis seculi usque ad tempora Alexandri VII moti sunt ad eam doctrinam docendam, non alia sunt quàm quæ in hoc opusculo proposita et soluta manent; et manifestè patebit eos legenti et expendenti ipsorum verba apud Stephanum de Chams in suo eruditissimo opusculo, cui titulus *Quæstio facti*, in lucem edito anno 1660 et apud Julium Mercorum in Basi theologiæ Moralis, editâ anno 1658; et apud Antonium Terillum in tomo de Conscientiâ probabili, edito anno 1669, in quo, quæst. 22, diligentissimè recenset verba doctorum qui usui licito opinionis minùs probabilis et minùs tutæ utcumque suffragantur. Illa autem fundamenta inefficacia esse efficaciter probat Pater generalis in suo libro, et nos in hoc compen-

dio sufficienter ostendimus. In re autem dubiâ et controversâ in Ecclesiâ catholicâ, nulla multitudo auctorum fallibilium protegentium partem minùs tutam aventem libertati adversùs legem, satis est ut quis securè eorum sententiam sequatur, si deprehenderit eorum fundamenta esse fallacia : quia qui judicat, vel prudenter judicare potest eos deceptos fuisse in suo judicio, nequit licitè eos sequi : quia sequi errantes contra legem Dei in eo quòd cognosco eos errare, semper est malum. Quamvis enim ubi multi et graves doctores conveniunt in defendendâ sententiâ minùs tutâ, eorum auctoritas magnum habeat pondus ad judicandum rem illam esse licitam, hoc ideò est quia præsumitur tot viros doctos non convenisse in sententiam sine urgenti fundamento. Hæc autem præsumptio cessat apud eos qui deprehendunt illud fundamentum esse reipsà debile, quamvis suis auctoribus inculpabiliter visum sit magnum : nunquàm enim auctoritas hominis fallibilis movet sine ordine ad fundamentum rationis, quod præsumitur; ubi autem debilitas talis fundamenti detegitur, jam auctoritas illa movere non potest.

CXXV. 2° Quia cùm sententia reflexa de usu licito opinionis minùs probabilis et minùs tutæ duplicem admittat sensum, proprium et genuinum, ut explicuimus § 4, et in uno sit vera sumpta cum quâdam limitatione, in alio verò sit planè falsa; auctores benigni non satis distinctè locuti sunt. Et multi eorum solùm intenderunt ad usum licitum opinionis minùs tutæ non requiri quòd sit in se et specificativè et materialiter probabilior; sed satis esse quòd sit in se verè probabilis; si aliunde operanti post diligentem veritatis inquisitionem appareat in actu primo verisimilior quàm opposita.

CXXVI. 3° Quia auctores benigni communiter supponunt rem planè falsam, quam non deberent supponere, sed probare : supponunt enim opinionem in se minùs probabilem et minùs tutam manere absolutè probabilem respectu operantis, quamvis omnibus ritè consideratis, ille habeat majus fundamentum ad judicandum esse falsam, quàm ad judicandum esse veram., Id autem, quod supponunt et non probant, est falsum, ut ostendimus § 7, n. 16 et 17, et § 11; et Pater generalis in suo libro, dissert. 3, à num. 16 ad 61, efficaciter ostendit, quando opiniones sunt invicem oppositæ, ita ut veritas unius sit falsitas alterius, impossibile esse ut utraque maneat practicè probabilis respectu ejusdem intellectûs. Non enim est probabilis respectu mei nisi ea pars contradictionis quam ego possum approbare ut veram per prudentem assensum; non possùm autem approbare ut veram per prudentem assensum opinionem aliorum, quando omnibus inspectis habeo majus fundamentum ad reprobandam illam ut falsam, vel saltem æquale. Et quamvis, ubi opinio stat pro lege adversùs libertatem, possit quisque illam honestè et licitè in operando sequi, esto eam non judicet veram, nec prudenter judicare possit, eò quòd ei appareat parùm verisimilis, quia fugere periculum etiam remotissimum peccati, semper est laudabile; at ubi opinio favet libertati adversùs legem, nemo potest illam licitè in operando sequi, quin sequatur in judicando, seu quin priùs sibi persuadeat esse veram et legi divinæ conformem; si enim judicaret esse falsam et legi divinæ contrariam, vel de hoc dubitaret, non posset sine peccato illam sequi.

CXXVII. 4° Quia auctores benigni ab uno sensu, in quo sententia benigna est vera, gradum fecerunt ad alium in quo est falsa ; ex eo enim quòd licitum sit sequi opinionem certò probabilem de honestate vel licentiâ actûs, quando exercitè existit in mente operantis, ejusque intellectum informat, transitum fecerunt ad existimandum licitum etiam esse sequi opinionem probabilem aliorum, quando solùm signatè et objectivè existit in mente operantis, quatenùs iste cognoscit dari talem opinionem, etiamsi ipsi magis appareat falsa quàm vera, et consequenter etiamsi judicet esse falsam, vel prudenter judicare possit falsam esse, ut breviter insinuavimus in hoc compendio, § 15 et 21, et latè explicat Pater generalis, dissert. 2, § 5, seu à num. 25.

CXXVIII. 5° Quia auctores benigni æquivocatione decepti sunt, dùm ex eo quòd opinio probabilis sit conformis rectæ rationi, intulerunt posse quemlibet aliorum opinionem probabilem sequi, quasi hoc ipso operaturus foret conformiter ad rationem. Quæ illatio est mala; nam opinio probabilis solùm est in re conformis rectæ rationi, quando est vera, non autem quando est falsa, quando autem est falsa, solùm est conformis rationi in apprehensione et existimatione hominis qui judicat illam esse veram et legi æternæ conformem, non autem in existimatione hominis judicantis vel potentis prudenter judicare illam esse falsam; nam in existimatione hujus potiùs est difformis rectæ rationi. Ex eo autem quòd opinio probabilis sit conformis rectæ rationi in existimatione hominis qui post diligentem veritatis inquisitionem prudenter judicat illam esse veram, eò quòd ejus fundamenta illi apparuerunt præeminentia fundamentis opinionis oppositæ, inferri non potest quòd sit etiam conformis rectæ rationi in existimatione hominis qui vel judicat esse falsam, vel prudenter judicare potest falsam esse, eò quòd fundamenta sententiæ contrariæ illi apparent urgentiora; vel prudenter dubitat an sit vera, eò quòd habet æquale fundamentum ad judicandum esse falsam, quia parem vim movendi experitur in fundamentis opinionis oppositæ. Hinc Pater Vasquez, 1-2, disp. 62, n. 15, parvi momenti appellavit rationem quâ Medina à priori probat licitum esse usum opinionis minùs probabilis et minùs tutæ, ex eò *quòd opinio probabilis sit conformis rectæ rationi et existimationi hominum sapientum et prudentum*, ut observavit Pater generalis, dissert. 8, n. 33.

CXXIX. 6° Quia auctores multi benigni æquivocatione delusi sunt, dùm à priori probant unicuique licitum esse uti quâcumque opinione probabili alienâ de honestate actûs, eò quòd ejusmodi opinio hoc ipso quòd probabilis est nititur fundamento gravi ac pru-

denti. Hanc enim esse apertam æquivocationem satis probatum est, § 15.

7°. Probabilistæ decepti sunt, quia imaginantur quoddam probabile quod sit regula absoluta secura pro omnibus, ita ut opinio probabilis de honestate actûs, hoc ipso quòd probabilis sit, possit ut recta regula à quolibet assumi, cùm tamen probabile et opinio probabilis sit regula respectiva, ut ostendit Pater generalis, dissert. 6, § 11, à n. 45, et nos supra, § 13, ostendimus. Solùm enim opinio probabilis est recta regula pro his qui illam prudenter approbant ut veram, et quòd ipsius fundamenta post debitam diligentiam adhibitam repræsentata ipsi sunt, ut clarè præeminenti aoppositæ sententiæ fundamentis.

# ESTRICIS VITA.

Estrix (Ægidius), celeberrimus societatis Jesu primò discipulus, dein assecla, tandemque secretarius evasit. Postquàm theologicas scientias in plurimis ludis exercuisset, Romæ inter consocios demoratus est, studiis vacans acriter arduis, spinasque scholasticas audaci manu contrectans. Virum summæ modestiæ sodales debitis honoribus invitum ampliaverunt. Munere fungens secretarii obiit anno 1694. *Logisticam probabilitatum*, opus methodo geometricà concinnatum, ultimis vitæ mensibus composuerat, nimiàque humilitate instructus, non nisi obducto anonymi velo, typis mandari voluerat, quamvis gloriæ præclarissimum monumentum. Velum autem perrupit et sociorum existimatio, et admiratio coævorum. Mecliniæ natus erat anno 1624. Societati nomen dederat 1641 exeunte septembri, et vota quatuor solemnia nuncupavit 1659. Philosophiam quadriennium, theologiam scholasticam septennium, Lovanii litteras humaniores in Belgio Romæque docuerat sexennium. Multiplicia opera reliquit: *Dissertationem historico-theologicam; Mentem concilii Tridentini; Confutationem suppositæ veritatis et charitatis, sive Historiam concilii Tridentini adversùs auctorem Disputationum apologeticarum; Minimè paradoxum paradoxo nupero de attritione dissipando; Summulam summarum de controversiâ attritionis subductam fideliter; Diatribam theologicam, sive manuductionem ad fidem divinam pervestigandam; Apologiam pro summis Pontificibus, Conciliis generalibus contrà instructionem ad tyronem theologum; Dilucidationem communis doctrinæ, de fide quorumdam hominum rudium.*

# LOGISTICA PROBABILITATUM,

## CUM ADJUNCTA DIFFICULTATIS POTISSIMÆ EXPLANATIONE,

Ubi paucis dicuntur multa, clarissimè dilucidantur obscura, controversa modestissimè tractantur.

## Prologus.

Non cognovi litteraturam. Sed dabit, ut spero, Dominus servo suo cor docile, ut possit discernere inter bonum et malum. Multa disputantur hoc tempore de recto usu opinionum probabilium. De hoc insonant auribus meis testimonia Scripturarum sacrarum, SS. Patrum, et Ecclesiæ doctorum, et theologorum. Horum nihil magnoperè capio, admodùm tyro theologiæ, nisi fortè istud: *Angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam*, si tamen hoc ipsum satis capio. De logicâ adhæsit mihi tantillùm, quo conciperem, et pectore extunderem qualemcumque logisticam probabilitatum, modico specimine. Non satis fido; sed cupio doceri, sicubi aberraverim. Sic igitur mecum putavi et supputavi.

Definitio prima. — *Momenta veri intelligo, quæ sunt apta inclinare intellectum ad judicandum; momenta boni, quæ sunt apta inclinare voluntatem ad volendum.*

Scholion. — Momenta veri omnia revocari possunt ad rationes inclinantes intellectum ad judicandum. Vel enim sunt rationes distinctè cognitæ, suadentes veritatem; vel sunt auctoritas affirmantium, adeòque rationes saltem præsumptæ, suadentes eamdem ve-

ritatem; in quas denique resolvitur auctoritas. Non enim movet intellectum nostrum, nisi per sapientiam affirmantium; ac ne sapientia quidem movet, nisi per rationes quas præsumuntur habere sapientes viri, cùm affirmant; etsi eas non satis distinctè cognoscamus.

Definitio II. — *Ad praxim, illud intelligo judicium prudens, quod, maturè libratis momentis veri hinc et hinc, procedit ex momentis notabiliter præponderantibus apud intellectum judicantis.*

Scholion. — Dicuntur mihi esse qui censeant posse intellectum prudenter inclinare in eam partem quæ ipsi apparet minùs verisimilis, quippe momentis veri in contrariam partem magis inclinantibus. Vereor quidem ne confundant momenta veri apta inclinare intellectum, et momenta boni apta inclinare voluntatem. Ut ut est, si quis ita persuasus inciderit in hanc logisticam, ipsum oro ut eam abjiciat, lectâ definitione II, quia neque ipsi sapiet ulterior lectio, neque mihi est animus pro illâ definitione pugnare; quam si maximè videro esse bonam, nihil egero apud eum qui sibi persuaserit se posse prudenter negare quod ipsi videtur similius vero, et affirmare quod similius falso. Liceat igitur mihi defungi hoc loco, appellando judicium generis humani extra scholam.

Definitio III. — *Opinionem probabilem intelligo judicium prudens, neque tamen omninò certum.*

Corollaria. — Primum. Hinc patet quid sit opinio probabilis propria, quid opinio probabilis aliena; atque adeò quid sit probabilitas propria, quid probabilitas aliena.

Secundum. Patet itidem fieri posse ut quod uni intellectui est probabile, alteri intellectui non sit probabile, imò sit improbabile.

Scholion. — Hoc loco teneo Aristotelem in Topicis. Probabile à probando, seu approbando dictum est, quia sapientibus probatur, aut probari potest, notabiliter præponderantibus apud ipsorum intellectum momentis veri, quæ ad probandum inclinant.

Est igitur probabilitas omnis respectiva ad intellectum probantem, aut potentem probare ex momentis veri notabiliter præponderantibus. Hanc verò præponderationem hinc atque hinc in diversis intellectibus variare, notissimum est.

Hìc verò, ut est promptum agnoscere quamdam probabilitatem alienam, cùm mihi non probatur, aut probari potest, quòd quibusdam video probari; ita est arduum eamdem evehere ad probabilitatem absolutam, omnibus perinde utilem ad directionem morum, ac si esset probabilitas cujusque propria. De hoc ergo apparebit quid ferant cogitationes quas digerere institui.

Definitio IV. — *Judicium directum de honestate et inhonestate actionis, intelligo judicium de honestate et inhonestate actionis secundùm se, absolutum, et ex principiis directis, seu directè suadentibus honestatem actionis.*

Ut consulatur compendio, ampliare nobis licet nomen *honestum* et *honestas*, quasi et dictum sit *non inhonestum*, seu *licitum*, etc., de quo neque in sequentibus sit scrupulus.

Definitio V. — *Judicium reflexum de honestate actionis, intelligo judicium de honestate actionis reflexum supra probabilitatem alienam et in eâ fundatum, ultra vires rationum directè suadentium honestatem actionis, quibus niti præsumitur probabilitas aliena, seu probabilis opinio aliena.*

Definitio VI. — *Formalem honestatem et inhonestatem actionis, ut differt à merè objectivâ, illam intelligo quâ proximè constituimur laude et vituperio digni in materiâ morum.*

Definitio VII. — *Judicium, seu dictamen practicum de honestate actionum, intelligo judicium cui conformatæ actiones nostræ constituuntur formaliter honestæ.*

Axioma. — *Honestas aut inhonestas objectiva, seu ipsarum in se actionum, non dependet ab humanis opinionibus de honestate aut inhonestate objectivâ.*

Scholion. — Non existimo huic veritati honorem axiomatis à quopiam controversandum. Nusquàm gentium, quod sciam, agniti sunt sapientes qui philosophando aut opinando reddere possent honestum quod ex se est inhonestum, aut contra; arbitri legum omnis generis supremi ac miri, quibus leges figere et refigere tam sit promptum quàm opinari. Profectò quidem rem in se albam aut atram non facit opinio; autumo, ne actionem quidem in se honestam, aut inhonestam.

Hypothesis. — *Maturè libratis momentis veri hinc et hinc, notabiliter præponderant apud meum intellectum momenta veri pro vitio usuræ in certo contractu, ita ut judicio directo prudenter judicem, vel possim prudenter judicare, contractum esse in se usurarium.*

Assertio prima. — *Cum judicio meo directo, quale descripsi definitione IV, quo judico prudenter certum contractum esse in se usurarium, non potest componi judicium reflexum, quale descripsi definitione V, quo judicem contractum eumdem non esse in se usurarium.*

Etenim fieri non potest ut idem intellectus de eodem contractu simul prædicet contradictoria, *esse in se usurarium*, et *non esse in se usurarium*.

Scholion. — Fortassè speres cum judicio illo directo de usurâ contractûs componi posse judicium reflexum, quo judicem contractum hìc et nunc substantem probabilitati alienæ, seu ut vestitum probabilitate alienâ de contractûs puritate ab usurâ, non esse in se usurarium.

Sed animadverte, judicio illo directo judicari absolutè et minimè restrictè contractum esse in se usuriarum; et videbis, restrictionibus et reduplicationibus illis non vitari, quominùs de eodem prædicanda sint contradictoria. Idem scilicet est contractus, quem judicio directo absolutè et non restrictè judico esse in se et ex naturâ suâ usurarium; et judicio reflexo fingor judicare non esse in se et ex naturâ suâ usurarium hìc et nunc, ut vestitum, etc. Nulla vis aut violentia hæc extorquebit intellectui humano.

Si etiam, quod non puto, speres, probabilitati alienæ, quâ nititur judicium reflexum, inesse hanc virtutem admirabilem, ut contractum purgare possit vìtio usuræ, sedente in fibris intimis contractûs, audìsti me

ad axioma quod supra posui. Vitium contractui natura insevit ita ut indivulsè adhæreat et inhæreat; idem prorsùs cum contractu neque delendum, nisi deleto funditùsque subverso contractu. Hæc sunt indubitata.

Præproperè denique hìc mihi involves in judicium reflexum de contractu hìc et nunc mihi formaliter honesto, non imputabili ad formalem culpam usuræ, etc., quod componi possit cum illo judicio directo de contractu in se usurario. De hoc judicio reflexo supra honestatem formalem, inutili ad practicum conscientiæ dictamen, locus mihi erit infra. In præsentiâ considero judicia de ipso in se contractu, ejusque in se honestate et inhonestate.

Assertio II. — *Cum judicio meo directo quo judico certum contractum esse in se usurarium, componi non potest judicium reflexum quo judicem contractum eumdem esse in se honestum, aut non inhonestum licitumve.*

Etenim fieri non potest ut idem intellectus de eodem contractu simul judicet esse in se usurarium et esse in se honestum, etc.

Scholion. — Nihilo plus spei hìc esse possit à restrictione et reduplicatione contractûs, ut substantis probabilitati alienæ de ejusdem puritate ab usurâ, ut patebit consideranti scholion proximè superius.

Porisma. — *Judicium, seu dictamen practicum de honestate actionis, non attingit honestatem formalem, sed solùm objectivam.*

Etenim formalis honestas actionis explicari debet per conformitatem actionis cum judicio practico de actionis honestate. Imò formalis honestas judicium istud formaliter involvit, ut intelligitur ex definitione VII. Quòd si judicium practicum de honestate actionis attingeret formalem honestatem actionis, deberet illud vicissim per hanc explicari, ut per suum objectum; quo pacto liquet committendum circulum vitiosum et nihil explicandum. Interroganti scilicet quid sit actio formaliter honesta, respondeo eam esse quæ est conformis judicio practico de honestate actionis. Rursùmque interroganti quale sit illud judicium practicum, respondere cogar esse illud quo judicatur actio esse formaliter honesta. En igitur circulum vitiosum. Ergo judicium practicum de honestate actionis non attingit formalem honestatem actionis, sed solùm objectivam.

Corollarium. — Judicium de honestate formali actionis est merè speculativum, contemplans honestatem formalem jam constitutam vel constituendam per actionis conformitatem cum judicio verè practico de honestate actionis objectivâ, adeòque nihil conferens ad honestatem formalem actionis, seu verum sit, seu falsum; nam et falsum esse contingit: imò nimis sæpè illo fallimur, vel agnoscendo culpam ubi culpa non est, vel excusando excusationes in peccatis.

Assertio III. — *Cum judicio meo directo, quo judico certum contractum esse in se usurarium, componi non potest judicium practicum, quamvis reflexum, quo judicem contractum eumdem esse honestum, aut non inhonestum, seu licitum.*

Etenim judicium illud practicum oporteret procedere de honestate contractûs objectivâ, seu de contractu in se honesto, aut non inhonesto, etc., quia judicium practicum non attingit honestatem formalem, sed solùm objectivam, ut ostensum est superiori porismate. Atqui cum judicio meo directo quo judico certum contractum esse in se usurarium, componi non potest judicium, quamvis reflexum, quo judicem contractum esse in se honestum aut non inhonestum, ut ostensum est ad assertionem I et II.

Assertio IV. — *Probabilitas aliena de contractûs puritate ab usurâ, non potest me movere ita ut prudenter deponam ejus gratiâ judicium directum quo judico prudenter certum contractum esse in se usurarium.*

Etenim illa probabilitas aliena, cùm sit auctoritas affirmantium contractum non esse in se usurarium, non potest me movere, nisi propter rationes quas præsumo habere sapientes qui affirmant, ut explicui in scholio ad defin. 1, ita ut tota vis movendi quæ inesse potest probabilitati alienæ, revocetur ad rationes saltem præsumptas, directè suadentes contractum non esse in se usurarium. Atqui rationes illæ non possunt me movere ita ut earum gratiâ prudenter deponam judicium, quo judico prudenter contractum esse in se usurarium. Cùm enim judicium hoc sit prudens, susceptum à me est libratis maturè momentis veri hinc et hinc, adeòque expensis etiam rationibus illis præsumptis, et post omnia notabiliter apud me præponderantibus momentis pro usurâ contractûs, ut intelligitur ex defin. 2, ejusque scholio. Quare sicut non potui rationibus illis præsumptis tribuere prudenter, ut non susciperem judicium de usurâ contractûs, sic neque possum illis tribuere prudenter, ut susceptum deponam.

Assertio V. — *Præponderantibus apud meum intellectum momentis veri pro usurâ contractûs (ut explicui in hypothesi præmissâ his assertionibus), nihil me juvabit voluntaria et despotica suspensio judicii directi de usurâ contractûs, ut pervenire possim ad prudens, serium et sincerum judicium practicum, seu conscientiæ dictamen, quamvis reflexum, quo judicem contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum, licitumve.*

Etenim suspensio illa voluntaria non efficiet quò minùs sentiam præponderare apud intellectum meum momenta veri pro usurâ contractûs, et quò minùs sciam me posse prudenter judicare contractum esse in se usurarium, adeòque inhonestum. Quomodò igitur videri mihi possim serius ac sincerus coram Deo et conscientiâ meâ, judicium illud directum voluntariâ astutiâ suspendens, ut perveniam ad judicium practicum reflexum de honestate contractûs, etc.?

Assertio VI. — *Rem nihilò faciliorem efficiet voluntaria suspensio judicii de illâ præponderatione momentorum, ac multò minùs voluntaria aversio intellectûs à consideratione momentorum quæ præponderant.*

Etenim hæc omnia sunt nolentium intelligere, ut benè agant. Res ipsa loquitur.

Assertio VII. — *Extra hypothesim præponderantium momentorum veri pro usurâ contractûs, quam*

*præmissi his assertionibus, probabilitas aliena tantum me juvare potest ad judicium practicum et quidem directum de honestate contractûs, quanti apud me sunt rationes, saltem præsumptæ probabilitatis alienæ, directè suadentes contractum non esse in se usurarium. Plus me juvare non potest probabilitas aliena ad illud judicium practicum.*

Etenim probabilitas aliena est quædam auctoritas sapientium virorum sic affirmantium, quos meritò præsumo rationes habere affirmandi. Hæ rationes, quamvis solùm præsumptæ, suum apud me pondus habere debent. Imò spectato numero, et sapientiâ affirmantium, hoc mereri possunt, ut vel per se solæ, vel additæ iis quæ mihi aliunde offeruntur, suspectas habere debeam quæ mihi in contrariam partem occurrerant, iisdemque diffidere, quamvis et possit contra usuvenire. Quoniam igitur vis movendi intellectum meum, quæ inest probabilitati alienæ de contractûs puritate ab usurâ, resolvitur denique in rationes directè suadentes contractum non esse in se usurarium, apparet probabilitatem alienam tantùm juvare me posse ad judicium practicum et quidem directum de honestate contractûs, quanti apud me sunt rationes illæ.

Plus hìc non posse probabilitatem alienam patebit consideranti quæ hactenùs asserui et disserui, ac in principiis quæ ad axioma definitionibus subjunctum, quæque ad assertionem 1 et 4 mihi quidem speculanti et rimanti plus non detegitur. Qui contenderit plus illam hìc posse, huic onus incumbit probabilitatem alienam anatomizandi subtilius et exscindendi nobis momenta veri in eâ latentia quæ sint diversa à rationibus præsumptis, suadentibus contractum non esse in se usurarium.

Scholion. — Erit, nisi fallor, difficile ut intimè scrutanti probabilitatem alienam diversa à rationibus præsumptis sese offerant *momenta veri*, adeòque apta movere intellectum ad judicandum contractum non esse in se usurarium; non magno labore erit invenire *momenta boni*, apta movere voluntatem ad amorem contractûs. Poterunt hæc quidem efficere ut voluntas applicet intellectum ad vestiganda strenuè momenta veri; sed his non inventis, spes nulla in momentis boni ad prudens judicium intellectûs de contractûs puritate ab usurâ, fortè ne ad imprudens quidem.

Assertio VIII.—*Præponderantibus apud meum intellectum momentis veri pro usurâ contractûs (ut explicui in hypothesi præmissâ his assertionibus), impossibile est ut mihi formem prudens, serium et sincerum judicium practicum, seu conscientiæ dictamen, quamvis reflexum, quo judicem contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum, licitumve.*

Etenim judicium illud practicum procedere oporteret de contractûs honestate objectivâ, ut constat ex porismate ad assertionem II. Atqui præponderantibus apud meum intellectum momentis veri pro usurâ contractûs, ut fert hypothesis, impossibile est ut judicem prudenter, seriò ac sincerè contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum. Nam in hypothesi illâ, vel judico contractum esse in se usurarium (et cum hoc judicio impossibile est componi judicium seu prudens, seu imprudens, quamvis reflexum, quo judicem contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum, ut constat ex assertione I, II, III), vel liberâ voluntate suspendo judicium illud de usurâ contractûs, et impossibile est ut mihi formem judicium prudens, serium ac sincerum, quamvis reflexum, quo judicem contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum, ut constat ex assertione V et VI. Ergo præponderantibus apud meum intellectum momentis veri pro usurâ contractûs, impossibile est ut mihi formem prudens, serium ac sincerum judicium practicum seu conscientiæ dictamen, quamvis reflexum, quo judicem contractum mihi esse honestum, aut non inhonestum, licitumve. Vera est igitur assertio, quæ mihi præcipuè erat proposita hâc logisticâ.

Quæstio de consequentiâ hâc : *Peccas formaliter, sequens in praxi opinionem minùs tibi probabilem de honestate certi contractûs, quem judicas, aut judicare prudenter potes, esse usurarium; præponderantibus in hanc partem motivis apud tuum intellectum; ergo peccas formaliter, docens licere mihi sequi in praxi opinionem tibi pariter et mihi minùs probabilem de justitiâ certi contractûs, quem judicamus, aut judicare prudenter possumus, esse usurarium, præponderantibus in hanc partem motivis apud nostrum intellectum.*

Porisma. — *Dictatum practicum conscientiæ de honestate actionis, quo est opus ad non peccandum formaliter, non attingit honestatem formalem actionis, sed solùm objectivam.*

Etenim honestas formalis actionis explicanda necessariò est per conformitatem actionis cum dictamine practico de honestate actionis. Quòd si dictamen illud attingeret honestatem formalem actionis, deberet ipsum explicari vicissim per honestatem formalem, ut per suum objectum, in quo sanè committeretur circulus vitiosus.

Est ergo judicium de honestate formali actionis merè speculativum; quod seu verum sit, seu falsum, nihil confert ad dictamen verè practicum et honestatem formalem, quam contemplatur ut constitutam vel constituendam per conformitatem cum alio judicio verè practico de honestate actionis in se, seu objectivâ.

Assertio prima. — *Peccas formaliter, sequens in praxi opinionem minùs tibi probabilem de honestate certi contractûs, quem judicas aut judicare prudenter potes esse usurarium, notabiliter præponderantibus motivis in hanc partem apud tuum intellectum.*

Quia si judicas prudenter contractum esse usurarium, impossibile est ut, stante eo judicio, formes dictamen conscientiæ de honestate contractûs, quo est opus ut non pecces formaliter. Cùm enim dictamen istud procedere debeat de honestate objectivâ, ut constat ex porismate, simul judicare deberes, et contractum esse in se usurarium, et tamen esse in se honestum; quod est impossibile.

Si non judices contractum esse in se usurarium

(quod potes prudenter judicare), sed voluntariè suspendas illud judicium prudens, ut nescio quo artificio, sed ope opinionis minùs probabilis, pervenire possis ad qualecumque judicium practicum, quo judices contractum non esse in se usurarium, sed honestum, nimis manifestum est, illud judicium (si tamen pervenire ad illud poteris) non fore serium ac sincerum, sed astutum et fraudulentum, cujus debeat judicantem pudere coram Deo et conscientiâ suâ; adeòque longissimè abesse à genuino dictamine conscientiæ, cui conformata actio evadat formaliter honesta.

Assertio II. — *Non sequitur ex assertione I, quòd formaliter pecces, docens licere mihi sequi opinionem tibi et mihi minùs probabilem de honestate contractûs, quem judicamus aut judicare prudenter possumus esse usurarium, notabiliter præponderantibus motivis in hanc partem apud nostrum intellectum.*

Quia ideò peccas formaliter, sequens in praxi opinionem minùs tibi probabilem de honestate contractûs, quia ad non peccandum formaliter contrahendo necessarium tibi est dictamen conscientiæ de honestate contractûs; hoc verò dictamen tibi est impossibile, ut ostendi ad assert. I. Atqui ad non peccandum formaliter docendo licere mihi sequi opinionem minùs nobis probabilem de honestate contractûs, non est tibi necessarium dictamen conscientiæ de honestate contractûs; sed sufficit dictamen, quo judices honestum tibi esse docere quòd liceat mihi sequi opinionem minùs nobis probabilem de honestate contractûs; quod dictamen ab illo priori est longè diversum.

Hæc ut pateant, evolvenda est phrasis quâ doces licere mihi sequi opinionem minùs nobis probabilem de honestate contractûs. Sic loquens, non doces neque judicas contractum mihi esse honestum. Hoc judicium tibi est impossibile, ut ostendi ad assert. I; ac neque est necessarium. Sed doces et judicas fieri posse ut non peccem formaliter contrahendo, sive ut formem dictamen conscientiæ sufficiens ad non peccandum formaliter contrahendo, nixus opinione minùs probabili aliorum de honestate contractûs. Illud verò cùm doces et judicas, erras quidem; sed bona fides te excusat, neque ratio affertur ulla, quâ probetur non posse te illud judicare, stante alio judicio tuo, quo judicas contractum esse in se inhonestum, cùm certum sit posse componi hæc duo judicia : *Contractus hic in se est inhonestus; at fieri potest per accidens ut non peccet formaliter, iniens hunc contractum.*

Porrò sic, ut explicui, evolvendam esse phrasim, quâ doces licere mihi sequi opinionem minùs probabilem de honestate contractûs, clarum videtur. Quia hoc docens sine dubio non intendis docere quòd contractus in se sit mihi honestus, quem judicas esse in se inhonestum sine restrictione. Solùm igitur intendis docere quòd ego nixus opinione minùs nobis probabili, non peccem formaliter ineundo contractum.

Ex his patet non sequi ex hâc assertione II non peccare te formaliter, si mihi suadeas aut mandes faciendum contractum, quia suadere, aut mandare faciendum, est certo modo et moraliter facere; certè suadere, et mandare contractum, est velle contractum. Quare ut non pecces formaliter suadendo aut mandando contractum, necessarium tibi est dictamen conscientiæ, quo judices contractum esse in se honestum; quod dictamen tibi est impossibile, ut ostendi ad assert. I.

At verò docere quòd ego non peccem formaliter faciendo contractum, nullo modo est facere aut velle contractum. Hæc doctrina tua ex se est merè speculativa, et supra praxim meam reflexa; quâ erras quidem, sed innocenter, quia putas esse veram.

Neque refert quòd hæc doctrina mihi audienti sit occasio faciendi contractum, adeòque peccandi formaliter, cùm non habeam dictamen conscientiæ, quo judicem contractum esse honestum. Hæc praxis est mea et non tua. Doctrina tua solùm mihi est causa judicii falsi, quo judico me non peccare formaliter; quod ipsum est merè speculativum, ut ostendi superiori porismate, adeòque me non excusat agentem reipsà contra verum conscientiæ dictamen, quo judico contractum esse inhonestum. Te verò docentem excusat conscientiæ dictamen, quo judicas honestum tibi esse docere ex officio, quid judices verum esse, imò inhonestum fore id celare, etc.

## Epilogus.

Corripiat me justus in misericordiâ, si quid peccavi aut aberravi. Hæc pauca proposui, cupiens doceri, ut præfabar, nisi quòd conatus ducere lineam rectam deprecer, ne quid ad dexteram vel ad sinistram.

## IDEM R. P. ÆGIDIUS ESTRIX,

*Ut persuaderet non satis consultum esse puritati doctrinæ de moribus, si invalescat doctrina asserentium licitum esse cuilibet sequi opinionem probabilem minùs tutam, faventem libertati adversùs legem, quamvis agnoscat sententiam tutiorem, stantem pro lege adversùs libertatem, esse auctoritate et ratione magis verisimilem, seu magis communem inter sapientes, magisque fundatam; illam ex suo sensu expressam et descriptam reliquit, ut sequitur.*

Homo Deum timens, et non tam doctus quàm bono præditus intellectu, invitatur ad ineundum contractum qui ipsi est suspectus de vitio usuræ aut simoniæ : de hoc igitur inquirit pro captu suo expendens momenta rationum, ut potest, et consulens doctores.

Consultos comperit multò plures damnare contractum, et horum rationes ipsi videntur fortiores. Judicat igitur et ipse contractum esse usurarium aut simoniacum, adeòque renuit contrahere.

Theologus benignus ipsi dicit : Quid times? An noscis septem esse doctorum opinionem, quòd contractus non sit simoniacus? Scio, inquit ille, sed viginti doctores dicunt esse simoniacum, et horum rationes videntur mihi validiores.

Nihil refert, ait theologus, quia licet tibi sequi opinionem minùs probabilem. Ait ille : Etiamne opinionem quam judico esse falsam? Etiam, inquit theolo-

gus, modò nitaris probabilitate opinionis contrariæ, quamvis minore.

Egone, inquit ille, ut ineam contractum quem judico simoniacum ? Non est cur timeas, ait theologus, quia illud tuum judicium nascitur ex principiis directis de contractu secundùm se, cum quo benè consistit aliud judicium ex principiis reflexis de licito contractu, ut substat probabilitati, quamvis minori. Ille verò : Ego reflexiones illas non novi, neque curo nôsse ; nimis certum habeo non esse mihi licitum contractum quem judico esse simoniacum. Age, age, inquit theologus ; eximam omnem scrupulum.

Illud tuum judicium, cùm sit opinativum, est tibi liberum : illud igitur suspende tantisper, dùm absolveris contractum. Sed ille : Quæso, quid hoc me juvabit, si rationem et auctoritatem pro simoniâ contractûs clarè videam prævalere ? Ad hæc theologus : Ad plenam, ait, securitatem, tantisper etiam animum averte à consideratione istius rationis et auctoritatis, intentus in solam probabilitatem opinionis contrariæ : quid facilius ? Abrumpo hoc filum, ne satyra scripta videatur. Verùm sic res est, si objiciatur oculis sine fuco.

Addo hanc sententiam benignam esse velut animam quamdam opinionum omnium laxarum, quæ hactenùs tolerantur. Hæ sine illâ non magnoperè nocerent in praxi ; nulli enim auderent uti in praxi, nisi qui judicarent esse veras, qui essent pauci. At animatæ animâ illâ expeditæ sunt ad praxim etiam apud illos qui judicant esse falsas.

Ad hæc operæ pretium sit, articulo damnato de licito usu *probabilitatis, quantumvis tenuis*, pro libertate contra legem, juxta poni articulum sententiæ benignæ de licito usu *probabilitatis minoris* pro libertate contra legem ; ubi cùm neque determinatur, neque modus apparet, quo determinari possit gradus *minoris probabilitatis*, in quo sistendum sit, via apparet præceps ad *probabilitatem, quantumvis tenuem*.

## Appendix,

*In quâ solvitur argumentum Probabilistarum petitum ab obligatione obediendi superiori præcipienti.*

1° Hic adjungenda est solutio argumenti, quo frequenter Probabilistæ utuntur, ut probent licitum esse sequi aliorum opinionem minùs tutam, seu affirmantem aliquid esse licitum, contra propriam tutiorem et probabiliorem id ipsum negantem. Nam subditus, inquiunt, tenetur obedire superiori præcipienti aliquid quod ipse subditus existimat illicitum, hoc ipso quòd sciat dari opinionem probabilem affirmantem esse licitum, quamvis ipse eam minùs probabilem esse sibi persuadeat, et absolutè falsam judicet. Latè versat hoc argumentum P. generalis dissert. 14, ubi rectè probat tantùm abesse ut doctrina communis Probabilistarum universaliter affirmans, licitum esse sequi quamcumque opinionem practicè probabilem, seu probabiliter affirmantem aliquid esse licitum, deserviat ad integram et illæsam servandam obedientiam, ut potiùs nihil sit promptius ad ipsam labefactandam, et vim præceptorum eludendam laxis interpretationibus quàm illa doctrina.

2° Ego hìc in primis dico nunquàm, vel ferè nunquàm, contingere ut ubi dubium est an aliqua actio sit intrinsecè mala, et lege divinâ et naturali prohibita, superior sciens dari opinionem verè probabilem de turpitudine intrinsecâ talis actionis, audeat illam præcipere subdito, quamvis ipse probabilius existimet actionem illam ex se esse licitam. Quare adversarii ad probandum esse licitum usum quotidianum opinionis minùs probabilis et minùs tutæ, recurrunt ad casum rarissimum, qui vix accidere potest, et salvâ prudentiâ præcipientis, nunquàm videtur contingere posse. Poterit quidem non semel accidere ut prælatus præceptum imponat subdito exequendi actionem quæ de se est indifferens, quam tamen ipse subditus putat sibi illicitam, vel quia existimat valdè nocivam suæ sanitati aut honori, vel quia putat fore sibi laqueum graviter delinquendi. At quòd in hoc casu teneatur obedire, nulla est difficultas.

3° Sed admisso quòd superior ductus opinione probabili favente libertati contra legem, præcipiat subdito ut exequatur actionem quam ipse subditus sibi persuadet esse illicitam ob fundamenta opinionis probabilioris stantis pro lege adversùs libertatem, dico subditum in sensu composito illius judicii non posse obedire prælato ; quamvis enim sciat obediendum esse superioribus perinde ac ipsi Deo, scit tamen id intelligendum secundùm doctrinam Bernardi et aliorum sanctorum Patrum, *quando homo contraria Deo non præcipit*. Unde subditus retento judicio quo absolutè et non restrictè sibi persuadet esse intrinsecè malam certam actionem, peccaret, si illam exequeretur, quia ageret contra conscientiam ; neque retento hoc judicio, posset bonâ fide formare dictamen quòd hìc et nunc sibi liceat illam exercere ; implicat enim ut bonâ fide quis credat sibi hìc et nunc licitam esse actionem quam absolutè et non restrictè judicat esse malam secundùm se, ut cònstat ex dictis supra, § 8, num. 13. Absolutè verò subditus in illo casu tenetur obedire, *quia*, ut rectè inquit P. Suarez, lib. 6 de Legibus, cap. 8, num. 6, *subditus debet judicium suum deponere, ut est communis doctrina et in praxi necessaria*, ac proinde tenetur deponere propriam opinionem, et in operando sequi opinionem prælati, quia potest ac debet avertere considerationem à motivis quæ ipsi persuaserant rem illam esse illicitam, et mentem erigere ad contemplandum quòd superior locum Dei teneat, dùm tanquàm superior præcipit, ac proinde quòd Deus per os ejus loquatur ; cùm ergo Deus non nisi honesta et licita præcipere possit (nam opinio favens libertati, quæ ante præceptum apparebat subdito minùs verisimilis, post præceptum illi apparebit verisimilior) ; hæc autem major verisimilitudo, quam subditus post impositum sibi præceptum agnoscit in opinione et sententiâ superioris, non fundatur in majori ejus scientiâ et eruditione, sed in prærogativâ tenentis locum Dei, qui dixit : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit* · unde S. parens Ignatius in aureâ obedien-

tiæ Epistolâ, ut filios suos ad perfectam obedientiam proveheret, illis impensè commendat *ut nunquàm intueantur personam ipsam cui obediunt, sed in eâ Christum Dominum, cujus causâ obediunt : siquidem superiori*, inquit, *nec si prudentiâ, bonitate, cæterisque quibuslibet divinis donis ornatus instructusque sit, propterea obtemperandum est, sed ob id solum quòd vices gerat Dei, ejusdemque auctoritate fungatur*, qui dicit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Nec contra sive consilio aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcircò de obedientiâ remittendum, quatenùs ille superior est, quando illius personam refert, cujus sapientia falli non potest, supplebitque ipse quidquid ministro defuerit;* unde hoc ipso quòd subditus audiat superiorem legitimum sibi aliquid præcipientem, quod non sit manifestè peccatum, potest ac debet præsumere esse licitum ; unde idem S. Ignatius universaliter præscripsit hanc regulam, *ut cæco quodam impetu, et sine ulteriori examine obedientia prompta exhibeatur in omnibus in quibus nihil evidenter Deo contrarium præcipitur, in omnibus quæ manifesto peccato conjuncta non sunt.*

4° Hinc ex eo quòd subditus teneatur obedire superiori præcipienti, non licet inferre licitum esse cuilibet in operando sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam in occursu probabilioris et tutioris; alioqui etiam inde inferri posset licitum esse cuilibet sequi opinionem evidenter minùs probabilem et minùs tutam in occursu tutioris, et evidenter probabilioris cum longo excessu, quia ubi datur opinio probabilis de honestate actionis, quamvis illa opinio sit probabilis in infimo gradu, non est manifestum et evidens quòd res sit illicita ; subditus autem tenetur obedire superiori præcipienti, ubi ipsi manifestè non constat esse pecatum id quod præcipitur, quia videlicet, ubi de peccato non constat manifestè, debet deponere judicium suum, quod antecedenter ad præceptum formaverat de honestate illius actionis, et præsumere esse licitum in se, quod antea ipsi illicitum apparebat ; nec teneretur, imò nec licitè posset non obedire, si supposito præcepto, agnosceret opinionem minùs tutam, quam sequitur prælatus, esse exiguè et tenuiter probabilem. Et quidem subditus, ut perfectionem obedientiæ assequatur, debet non solùm voluntatem suam superioris voluntati subjicere, sed judicium suum judicio superioris conformare, judicando esse licitum quod superior licitum esse judicat, nisi ipsi sit manifestum superiorem decipi in suo judicio (quod rarò accidit, quando superior præcipit rem quæ secundùm sententiam certò probabilem multorum graviumque doctorum est secundùm se licita), ut S. Ignatius nos docet his verbis : *Quòd si finis et causa obedientiæ spectetur, quemadmodùm voluntas, ita et judicium in eo quod nobis convenit decipi potest ; ergo sicut, ne voluntas erret, cum superioris voluntate conjungitur, sic intelligentia, ne fallatur, ad superioris intelligentiam conformanda est.*

5° Dùm autem S. patriarcha præscribit ut societatis homines judicium suum judicio superioris conforment, non vult ut subditus cui in actu primo probabilius apparet rem esse illicitam quàm licitam, retentâ illâ majori verisimilitudine, absolutè judicet cum superiore rem esse licitam in se, sed vult ut subditus quærat rationes ob quas verisimilius ipsi reddatur rem præceptam à superiore esse licitam, quas facilè inveniet, considerando superiorem vices Dei supplere. Idque confirmatur, quia alioqui cùm sanctus legislator expressè doceat obediendum esse superiori præcipienti, ubi manifestum non est, esse malam rem quam præcipit ; similiter præscriberet, ut quamvis subdito in actu primo longè verisimilius appareret rem esse illicitam, et rei honestas illi repræsentetur ut exiguè probabilis, nihilominùs illam actionem exequeretur, ac proinde præscriberet ut subditus formaret hoc judicium : quamvis mihi longè verisimiliùs et moraliter certum apparet, actionem hanc quam præcipit superior, esse malam, nihilominùs absolutè censeo esse licitam, quia superior censet esse licitam, quamvis mihi moraliter certum appareat illum decipi. Quis autem non videat quàm longè hoc sit à mente S. Ignatii et à veritate?

6° Mens autem ejus clarè apparet ex laudatâ obedientiæ Epistolâ, ubi, ut hominibus societatis persuadeat obedientiam non solùm voluntatis, sed intellectûs, eos hortatur ut quærant rationes ad probandum illud quod superior injungit, et nullatenùs ad improbandum : *Altera*, inquit, *est ratio ut quod superior mandat vel sentit, defendere apud animos vestros studiosè nitamini, improbare autem, nequaquàm.* Et ante omnia ad obedientiam intellectûs, et conformitatem cum judicio superioris persuadendam, illis proponit hoc medium tanquàm præcipuum : *Primum*, inquit, *illud est, ut quemadmodùm initio dixi, non intueamini in personâ superioris hominem obnoxium erroribus atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui neque decipi potest, neque vos vult ipse decipere. Et quoniam conscii vobismet estis, vos Dei amore jugum obedientiæ subiisse, ut in superioris voluntate sequendâ voluntatem divinam certiùs sequeremini, nolite dubitare quin pergat fidelissima Domini charitas eorum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, et rectis itineribus ducere*, etc.

Longè ergo est à mente S. Ignatii velle ut homines societatis judicent rem esse licitam, quando longè illis verisimilius est esse illicitam, quia superior judicat esse licitam. Sed ejus sensus est quòd tunc recurrant ad rationes superiores, quòd Deus illis mediante superiori præcipiat, et cùm Deus non possit præcipere nisi licita, inde colligant fallaces esse rationes quibus eis verisimilius apparebat rem illam esse illicitam, et se constituant in statu, in quo verisimilius ipsis appareat rem esse licitam ; et sic judicium suum cum judicio superioris conforment.

# Appendix

# DE PROBABILISMO.

Nulla est quæstio in moralibus quæ majores controversias exc.taverit inter theologos, quàm ea quæ versatur circa regulam servandam pro recto dictamine conscientiæ in dubiis. Sæpissimè in praxi occurrunt casus difficiles, qui solvi non possunt nisi habeatur aliquod principium certum ac universale; quale autem sit illud principium, an in dubio standum sit legi, vel pronuntiari possit in favorem libertatis, disputatur. In tractibus de Actibus humanis et de Conscientiâ, auctores citantur magnæ quidem in theologicis auctoritatis, qui in varias abeunt sententias; cùm fusè ab eis disseratur, opportunum visum est statum controversiarum atque præcipua argumenta breviori stylo formâ analyticâ resumere, ut quisque his inter se expensis ac discussis, de quæstione judicium prudens ferre possit.

## CAPUT PRIMUM.

### NOTIONES PRÆVIÆ DE DUBIO, OPINIONE, CERTITUDINE.

*Exponitur status quæstionis.*

1. *Dubium* est suspensio judicii ob defectum vel insufficientiam motivorum quibus mens determinetur ad alterutram contradictionis partem. Qui dubitat, non opinatur, nullum fert judicium de quæstione propositâ, sed hæret fluctuans inter duo contradictoria, neutri adhærendo. Dubium istud vocatur à theologis *negativum*, quando quis abstinet à ferendo judicio ob defectum rationum, quod accidit quoties suspicamur quæstionem esse difficultatibus intricatam, sed ignoramus quæ sint illæ difficultates; dicitur dubium *positivum*, quando non defectus, sed insufficientia cognita rationum causa est fluctuationis mentis: in priori casu, quo nulla suppetunt motiva quæ possint determinare judicium, est simplex nescientia rei, si ita loqui fas est; in secundo autem casu, quo occurrunt motiva apparenter æqualia, intellectus experitur verum dubium.

Dubium positivum, de quo agemus in hâc dissertatione, dividitur communiter in *speculativum* et *practicum*. Speculativum non illud solùm dicimus quod versatur circa res omninò speculativas, quæ nullum habent ordinem ad mores, sed illud quod pro objecto habet legem, seu rem secundùm se spectatam, præscindendo ab actione; v. g., dubitatur an tale bellum sit justum, an talis lex existat, an eo vel altero sensu interpretari debeat. *Practicum* dubium illud intelligimus quod refertur ad honestatem actionis ponendæ, consideratæ cum suis omnibus circumstantiis, ut si dubites an tibi liceat sequi ducem ac militiæ mancipari in tali bello. Dubium istud practicum spontè resultaret à dubio speculativo, si standum solummodò foret principiis directis petitis à re ipsâ in se consideratâ; sic, in exemplo mox allato, eo ipso quo quis dubitat an tale bellum legitimè sit declaratum, dubitare consequenter deberet an fas sit eidem cooperari; verùm si attendatur ad principia, ut aiunt, *reflexa*, non semel eveniet quòd non obstante dubio speculativo, nullum sit dubium practicum, quia hæc principia suam certitudinem reflectunt in honestatem actionis. De iis frequens erit occasio dicendi in decursu; in præsenti sufficiat concludere quid sit *conscientia dubia;* theologi sic exprimunt statum incertitudinis ac fluctuationis, quo intellectus practicus nihil dictat de honestate actûs ob varias rationes quæ militant in oppositum.

2. *Opinio* est assensus mentis alicui propositioni cum aliquâ rationabili formidine errandi; mens tunc assentitur uni contradictionis parti, quia movetur rationibus quæ versùs unam magis quàm ad aliam determinant; sed cùm illæ rationes non appareant intellectui plenè convincentes, adhæret cum quâdam formidine erroris. Opinio igitur medium tenet inter dubium et certitudinem, et totum illud discrimen opinionis à dubio et certitudine oritur à discrimine motivorum, seu modo diverso quo motiva illa in mentem agunt.

Theologi plures assignant divisiones opinionis; eas exponere necesse est, quæ ad finem intentum referuntur. Itaque dividitur 1° in probabilem et improbabilem, prout fuit fundata motivis vero similibus vel hon. « Opinio probabilis, ait Brocardus, ea est quæ « nititur motivo verisimili intrinseco vel extrinseco, « quod tale appareat opinanti post sufficiens examen « rei. » Hanc definitionem ultrò admittimus, utpote sensui communi consonam: nam, juxta omnes, ea esse debet opinio, ut meritò nuncupetur probabilis, quæ probari possit ab homine prudenti, seu illius determinare assensum; at quis dicet talem fore opinionem quæ nullo fulciretur motivo verisimili, id est, quod habeat connexionem apparentem cum rei veritate? Nihil interest quòd istud motivum sit intrinsecum, petitum à naturâ rei de quâ agitur, vel extrinsecum, ductum ab auctoritate; priora motiva periti solent expendere, posteriora magis conveniunt indoctis; sufficit eis cognoscere quænam sit auctoritas illorum qui talem opinionem tuiti sunt, qualis præsumptio inde oriatur, attentis numero atque prudentiâ eorum quocumque ducatur motivo, necesse est ad prudentem

determinationem ut opinans serium examen inierit, pro suo captu et gravitate rei; unde si mente præoccupatus nihil attendat ad fundamenta partis adversæ, ille non ratione duce, sed valdè imprudenter suam opinionem efformat.

Dividitur 2° in *absolutè et relativè probabilem*. Hanc distinctionem non repetimus à parte objecti; nam sub eo respectu ut scitè observat Brocardus n° 88, nulla est probabilitas, sed vel veritas vel error; sed repetimus discrimen à parte motivorum, prout talia sunt quæ moveant ipsos etiam doctos, vel solùm ignaros. Sic auctoritas parochi est respectu fidelis indocti, motivum grave, quod sufficiet plerùmque ad prudens judicium, dùm eadem auctoritas minoris ponderis esset, respectu doctioris. Alexander VII damnavit hanc propositionem : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dùm non constat esse rejectam à sede Apostolicâ.* Hæc propositio intellecta de probabilitate absolutâ est falsa; opinio siquidem unius doctoris plerùmque non est gravis nec in se nec comparatè ad auctores quibus opponitur; si agatur de probabilitate relativâ, aliquando opinio parochi, confessarii, sufficere potest pœnitenti qui nescit eam esse singularem, et non habet rationem errorem formidandi; sic opinio doctoris unius, præsertim si eximius sit pietate ac scientiâ, qui consuevit suas sententias fundare motivis gravibus, potest respectu multorum censeri verè probabilis. (Vid. D. Viva, in Prop. damn. ab Alexandro VII, prop. 27.)

Dividitur 3° in probabiliorem et minùs probabilem. Hæc divisio duplici sensu intelligi potest : vel quòd ex duabus opinionibus utraque seorsim spectata fundetur motivis gravibus, quæ inclinare possent virum prudentem ad assensum, licet motiva unius in se videantur urgentiora quàm motiva alterius, et tunc una opinio vocatur probabilior, altera autem minùs probabilis; vel quòd respectu ejusdem personæ utraque opinio remaneat verè probabilis, una plus et altera minùs, ac utrique adhæreat, juxta vim ac proportionem motivorum. In priori sensu, nihil obstat quin opinionem dividamus in probabiliorem et minùs probabilem; tunc enim non de veritate aut falsitate propositionis pronuntiatur, sed tantùm fit comparatio motivorum quæ militant in favorem opinionum sibi contradicentium; qui eas opiniones enumerando, alias probabiliores, alias minùs probabiles asserit, nulli determinatè adhæret, sed declarat adesse motiva quæ plus vel æquè aut minùs eas verisimiles reddant. In posteriori sensu adest difficultas, et multis videtur impossibile quòd utraque sententia contradictoria servet suam probabilitatem respectu ejusdem personæ, adeò ut opinari æquè possit in favorem vel utriusque simul, vel alterutrius pro libitu suo, sed de his infra dicendum.

Dividitur 4° in *tutiorem et minùs tutam*. Tutior ea opinio vocatur, quæ minori periculo peccandi exponit; minùs tuta, quæ majus supponit periculum, unde probabilitas directè respicit veritatem propositionis; quò verisimilior erit opinio, eò probabilior dicetur, dùm securitas refertur ad observantiam legis. Porrò evidens est quòd, generatim loquendo, in conflictu duarum opinionum, adsit major securitas in eâ quæ declarat actum esse prohibitum aut imperatum, quàm in eâ quæ illum permissum asserit, quæcumque sit illius probabilitas. Dico, *generatim loquendo*, quia sub alio respectu, opinio rigidior et tutior in favorem legis posset, omnibus pensatis, esse minùs tuta sive ob legum conflictum, sive ob periculum salutis cui aliquando nimia severitas exponeret hominem.

3. *Certitudo* est judicium firmum de rei veritate, excludens formidinem errandi; varios habet gradus, sicut opinio; alia est enim certitudo quæ omnimodam formidinem excludit, ut quæ fundatur essentiis rerum; alia quæ non eò usque progreditur, non excludit possibilitatem erroris, sed tamen talis est ut vir prudens simpliciter adhæreat propositioni, absque ullâ rationabili anxietate. Duorum vel trium testium fide dignorum depositio, quâ testantur me baptizatum fuisse, me certum reddit de baptismo adeò ut possim, imò debeam huic stare; tamen eadem depositio non removet omne prorsùs periculum, quia absolutè non repugnat, hos testes errare vel fallere; in moralibus, communiter non aliam habemus certitudinem.

4. Ex dictis sequitur triplicem tantùm fingi posse hypothesim statûs intellectûs, relativè ad aliquam sententiam, nimirùm dubii, opinionis et certitudinis, et simul intelligitur quid sit *conscientia dubia, probabilis et certa*. In triplici illâ hypothesi, semper licet stare practicè opinioni quæ sub omni respectu est verè tutior; sed quæstio est an possimus potestate morali sequi minùs tutam. Hæc quæstio non consideratur relativè ad conscientiam certam (nam omnes fatentur licitum esse eam sequi; eo ipso quo certa supponitur, est sufficienter tuta), sed quæstio expenditur relativè ad dubium et opinionem probabilem : en punctum gravissimi momenti, circa quod maximè disputatum fuit; ac etiam nunc disputatur in scholis theologicis. Ad solutionem hujus quæstionis præparandam, et ut unusquisque possit cum maturo examine et sufficienti cognitione rerum, eligere eam doctrinam quæ magis fundata sibi apparebit, hunc ordinem sequemur : Exponemus primùm principia in quibus admittendis omnes theologi unanimiter consentiunt; deinde oculis lectoris subjiciemus ea de quibus movetur controversia, systemata contraria cum suis momentis, qualia propugnantur in scholis; tandem inquiremus quæ dari possit via conciliationis; hùc venient multa consectaria practica, quæ si ritè et eâ quâ par est attentione ponderentur, concludere fas erit controversiam de Probabilismo tanto animorum æstu agitatam, potuisse disputationibus theologorum dimitti, absque gravi fidei et morum periculo.

5. Principia quæ constanter et ab omnibus admissa fuêre sunt hæc : Primum, nunquàm licet agere contra conscientiam aliquid præcipientem vel vetantem. Hoc principium est generale et absolutum; spectat omnem qualemcumque conscientiam modò sit conscientia propriè dicta, ut alibi definitum est; quapropter si conscientia dictet alicui hoc vel aliud esse seu vetitum,

seu imperatum in circumstantiis in quibus versatur, non potest absque peccato ire contra illud dictamen... Secundum, nunquàm licet agere cum dubio practico de honestate morali actionis. Istud principium non est minùs certum et absolutum quàm præcedens; utrumque fundatur textu S. Pauli : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, Rom. cap. 14, v. 23. « Dicimus, « ait B. Liguori, nunquàm licitum esse cum conscientiâ practicè dubiâ operari, et casu quo aliquis operatur, peccat, et quidem peccato ejusdem speciei « et gravitatis de quo dubitat; quia qui se exponit « periculo peccandi jam peccat, juxta illud : *Qui amat « periculum, in eo peribit.* Quare si dubitat an illud sit « mortale, mortaliter peccat. » (De Conscientiâ, cap. 2, n. 22.) Vetat prudentia christiana ne ultrò incurramus periculum mali omnium maximi, quod nullâ utilitatis cujuslibet consideratione compensari possit; sed qui agit cum dubio practico, incurrit illud periculum, quandoquidem prudenter timet ne peccatum formale sit actio quam ponit; illud operatur quod rationabiliter suspicatur esse offensam Dei. Tertium licitum est operari cum dubio speculativo, quoties agens per alias rationes seu principia reflexa prudenter judicat in praxi, actionem quam meditatur, fore certè moraliter honestam. Rationem hujus principii jam insinuavimus in prænotatis de dubio speculativo et practico, et in decursu magis elucidabimus; disputari potest de tali principio reflexo in specie, sed nullus est inter theologos qui non admittat quòd si occurrant hujusmodi principia certa, non sufficiant ad efformandam conscientiam prudentem, practicè certam; sola movetur discussio, an in eo casu quis teneatur deponere suum dubium speculativum, de quo infra dicetur.

6. Theoria principiorum reflexorum theologos in varia systemata impellit, ac originem dedit controversiæ de Probabilismo. Alii nimirùm existimaverunt generatim licitum esse in conflictu opinionum probabilium sequi minùs tutam faventem libertati relictâ tutiori, quia adsunt in eo casu concursûs, principia generalia reflexa, quæ sufficiunt ad efformandam conscientiam practicè certam; hi vocantur *Probabilistæ*. Alii è contra sustinuerunt, generatim loquendo, in concursu opinionum, adhærendum esse tutiori, nisi contraria opinio, quæ libertati favet, excedat limites probabilitatis et sit certa saltem certitudine morali; hi proinde explodunt principia reflexa, et requirunt ut sit conscientia directè certa; vocantur *Tutioristæ*. Tandem alii inter hæc duo extrema viam mediam tenent, et propugnant generatim licitum esse sequi opinionem minùs tutam, modò sit probabilior, ita ut agens huic ipse adhæreat assensu prudenti, qualem exposuimus in definitione opinionis; hi theologi vocantur *Probabilioristæ*.

7. Versùs finem seculi XVII exortæ sunt illæ disputationes de delectu opinionum in praxi, et discussa sunt systemata de Probabilismo duobus seculis sequentibus, quin Ecclesia opportunum duxerit litem suâ auctoritate componere; attamen cùm plures theologi sub prætextu probabilitatis lapsi fuerint in doctrinas maximè in moribus periculosas, imò induxerint modum opinandi alienum omninò ab evangelicâ simplicitate sanctorumque Patrum doctrinâ, quem si pro rectâ regulâ fideles sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela (verba sunt decreti Alexandri VII, ann. 1665), SS. pontifices proscripserunt multas propositiones, quales sunt istæ quæ ad nostram quæstionem referuntur : Prima : *Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ quantumvis tenui, modò è probabilitatis finibus non exeatur, confisi agimus, semper prudenter agimus.* Est tertia inter damnatas ab Innocentio XI. 2ª : *Si liber sit alicujus junioris*, etc.; eam supra retulimus, n. 2. 3ª : *Non est illicitum in sacramentis conferendis, uti opinione probabili de valore sacramenti, relictâ tutiore.* Alias vide in decretis Alexandri VII, Innocentii XI, quæ pro objecto habent applicationem Probabilismi ad materiam fidei, justitiæ, virtutum theologicarum, etc.; dùm in scandalosam laxitatem hi casuistæ incidebant, adversarios habuêre qui plus æquo zelantes severitatem doctrinæ evangelicæ, in errores oppositos impegerunt; prodierunt præsertim è sectâ Jansenistarum. Alexander VIII, anno 1690, hanc propositionem ex illorum scriptis extractam proscripsit : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* En igitur duo extrema laxitatis et severitatis inter quæ incedere debent theologi cuilibet scholæ addicantur. Probabilistæ possunt suum systema propugnare asserendo licitum esse sequi in conflictu duarum opinionum, eam quæ est minùs tuta et æquè vel etiam minùs probabilis, modò tamen caveant ab errore profligato in propositionibus modò citatis, et non extendant suum systema ad ea quibus sancta Sedes declaravit applicari non posse. Tutioristæ, eâdem libertate, illæsâ fide sustinere possunt, non sufficere opinionem probabiliorem, nisi sit probabilissima, sed hìc sistant gradum nec requirant ad conscientiam prudenter efformandam certitudinem directam; alioquin inciderent in thesim profligatam ab Alexandro VIII. Quoad Probabilioristas, cùm nihil occurrat sive in illorum principiis, sive in horum principiorum applicationibus generalibus, quod fuerit subditum censuræ, inoffenso pede inter extrema incedunt; hoc solùm curare debent, scilicet ut legitimè explicent principia et abstineant sedulò ab omni notâ erroris theologis inurendâ qui secum non consentiunt, quamdiù hi manent inter limites libertatis quam Ecclesia relinquit scholis theologicis.

Cùm igitur sua cuique sit libertas eligendi ex variis his systematibus quod videtur magis fundatum, nunc tandem deveniendum est ad examen controversiæ, et momentorum quibus sive Probabilistæ, sive alii innituntur. Hoc agemus in capite sequenti.

## CAPUT II.

### EXAMEN SYSTEMATUM THEOLOGICORUM DE DELECTU OPINIONUM IN PRAXI.

8. Quæstionem ad duo puncta reducimus, à quibus

pendet controversia de defectu opinionum prout illam modo exponebamus : primum, utrùm liceat in dubio speculativo sequi partem minùs tutam, relictâ tutiore; secundum, utrùm posito quòd illud non liceat, saltem possimus adhærere opinioni probabiliori, relictâ aliâ tutiore et minùs probabili. Hanc duplicem quæstionem modo generali proponimus, quia sub eo tantùm respectu de eis disputatur; omnes quippe fatentur quibusdam in circumstantiis illud licere, in aliis non licere, ob principia peculiaria; sed quæritur quid generatim statuendum sit : insuper notare est non aliud expendi quàm duplex punctum indicatum, quia extra certitudinem de quâ non hìc agitur, nihil venit præter dubium et opinionem ; *dubium*, si mens suspendat suum judicium ob apparens æquilibrium motivorum ; *opinio*, si uni parti assentiatur propter motiva quæ verisimiliora sibi videntur ; duplex igitur erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

*Utrùm generatim liceat, stante dubio speculativo, sequi partem minùs tutam.*

9. Affirmant Probabilistæ, juxta quos, non obstante dubio speculativo, conscientiam possumus efformare practicè certam, ope quorumdam principiorum generalium reflexorum ; tria enumerant : 1° *Prudenter agit qui probabiliter agit, seu sequitur opinionem verè probabilem* ; 2° *in dubio melior est conditio possidentis* ; 3° *lex dubia non obligat :* hæc principia certa esse sustinent, sed non omnes consentiunt in illorum applicatione : alii arbitrantur licitum esse in praxi, quando adest conflictus opinionum, sequi minùs tutam et minùs probabilem, modò sit verè probabilis ; alii autem existimant tunc tantummodò licere sequi opinionem minùs tutam quando est æquè probabilis; duplex proinde est species Probabilismi, alter benignior, alter qui dicitur rigidus ; huic adhæsit B. Liguori. Exponemus præcipuè argumenta quibus hi theologi propugnant systema Probabilismi in se considerati, abstrahendo à disputationibus quas inter se movent ; hæc autem argumenta ex triplici præsertim capite eruuntur : 1° ex rationibus rei intrinsecis, seu ex principiis reflexis ; 2° ex auctoritate ; 3° ex incommodis systematum moralium Probabilismo adversantium ; hæc referendo simul notabimus quomodò impugnentur ab aliis theologis.

10. I. Primum principium reflexum quod præcipuum afferebant veteres Probabilistæ est istud : *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Principium illud fundatur eo quòd actus prudentiæ, seu juxta regulas prudentiæ exercitus, non possit esse peccatum ; porrò prudentia permittit sequi opinionem verè probabilem, etsi supponatur in concursu alterius æquè probabilis. De naturâ est enim omnis opinionis probabilis ut innitatur motivis gravibus quæ possint movere virum prudentem, eumque ad agendum determinare. « Hoc ipso, « ait Vasquez, quòd opinio aliqua probabilis est, sicut « absque ullâ notâ possumus eam speculativè amplecti « et defendere, sic etiam possumus secundùm eam « operari » (t. 1, quæst. 19, disp. 62, n. 15). B. Liguori non admittit illud principium. « Falsum, inquit, « reputavi effatum illud commune inter Probabilistas : « *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* » (Morale systema, dico II.) Et infra addit : « Cæterùm dictum il- « lud : *Qui probabiliter*, etc., dupliciter accipi potest « si accipitur tanquàm innixum aliis principiis re- « flexis, verè prudens et certum est ; si verò accipiatur « tanquàm principium directum, seclusâ judicii re- « flexione, falsum est. » (§ 11, obj. 5.)

11. Quàm legitimum sit judicium quod B. Liguori tulit de principio illo reflexo, demonstrare non operosum arbitramur, sicque rem conficimus. Impossibile est uti, ad formandam certitudinem practicam, principio quod vel exprimit falsum, vel illud supponit quod in quæstione venit ; atqui tale est effatum, *qui probabiliter agit, prudenter agit.* Illud effatum supponit ex his duobus alterutrum : vel intellectum assentiri posse speculativè, assensu prudenti, uni parti contradictionis licet animadvertat alteram partem esse æquè fundatam rationibus ; vel quod neutram partem ut respectu sui probabilem amplectendo speculativè, homo possit prudenter uni adhærere in praxi, alterâ parte quamvis tutiore relictâ ; jam verò hæc duo sunt, vel falsa, vel saltem maximè controversa. 1° Qui versatur inter duas sententias oppositas quarum unaquæque fundatur motivis æquè impellentibus, neutri potest assentiri, opinando in illius favorem assensu prudenti, sed constituitur in vero dubio ; quam enim, quæso, partem eliget, si opinari velit? Num utrique assentietur? At absurdum supponere contradictoria esse simul vera, et uni parti adhæsio includit dissensum mentis ab aliâ parte contradictionis. Num unam partem pro libitu præ alterâ amplectetur? Quâ ratione id fieret non intelligimus ; quamdiù quis videt motiva in oppositum æqualia, necessariò suspensus remanet, nec falsitatem potiùs quàm veritatem alterutrius partis apprehendit, ut rationabiliter opinetur. Nec dicas motiva per se vim habere ad determinandum assensum, aut saltem in eo casu hæsitationis voluntatem posse inclinare mentem versùs unam ex duabus sententiis. Hanc vim quidem haberent motiva, si sola seorsim attenderentur ; illam autem amittunt per concursum motivi contrarii, quo eliduntur : eo ipso quo sunt æqualia in vi movendi, intellectum æqualiter movent in utraque ; at intellectus sic motus inter utraque manet fluctuans, nec potest ab eo statu fluctuationis ad opinionem assurgere, quia opinari est judicare. Hoc faterentur plerique Probabilistæ, si motiva essent similia ejusdem generis. V. Th. Wirceburgens., n. 360-364. Quod autem asserunt de motivis similibus, non est cur negent de dissimilibus seu diversæ naturæ, modò semper supponatur vis æqualis ; nam motiva non ideò tenent mentem in suspenso quia sunt ejusdem generis, verùm quia vim æquam habent ad persuadendum.... Quòd si recurratur ad voluntatem ut intellectum inclinet ad unam partem, non minor urgebit difficultas. Voluntas eligit inter duo bona æqualia, quia hæc bona non sibi opponuntur ; ex quo unum eligitur ut bonum, non sequitur alterum repudiari ut malum ; alia autem est ratio

sententiæ contradictoriæ, una alteri opponitur, ut verum opponitur falso. Insuper imperium voluntatis in intellectum eò usque non extenditur ut illum inflectat ad adhærendum sententiæ ut veræ quam falsam videt, vel ut probabili dùm sub omni respectu dubia sibi apparet. Ergo 1° intellectus non assentietur speculativè uni opinioni quam videt in conflictu alterius motivis ejusdem gravitatis fundatæ, sed remanebit dubius. — 2° Remanente dubio speculativo, gratis asseritur hominem posse sequi partem minùs tutam in praxi, nisi, ut modò aiebat B. Liguori, invocetur alterum principium reflexum. Enimverò eò venit controversia de Probabilismo, an in dubio liceat sequi partem faventem libertati, et indicetur principium certum quo, non obstante illo dubio, efformetur conscientia practica; si non aliud invocatur quàm istud, *qui probabiliter agit, prudenter agit*, id illud supponitur de quo movetur controversia, imò inveheretur systema adversans doctrinæ communi theologorum, qui omnes volunt honestatem actionis reponi non probabilitate, sed principio certo. « Dico, ait B. Liguori, cui in eo cæteri « concordant, quòd si opinio quæ stat pro libertate est « tantùm probabilis vel æquè probabilis, ac altera quæ « stat pro lege, nec etiam sequi quis eam potest, *eò « quòd sit probabilis;* nam ad licitè operandum sola « non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis cer- « titudo de honestate actionis, juxta illud S. Pauli : « *Quod non est ex fide, peccatum est.* » (Morale systema, dico II.) Ergo primum principium reflexum, aut falsum supponit, aut saltem id quod in controversiam adducitur, nisi altero principio innitatur, ad nihil inserviet ad formandum dictamen practicum certum. Infra expendemus rationem allatam à Vasquesio, scilicet quòd liceat secundùm illud operari quod licet speculativè amplecti.

II. Secundum principium reflexum quo maximè innituntur Probabilistæ est : *Lex dubia non obligat.* Hoc principium duplici modo statuunt sic ratiocinando : 1° Lex subditos non obligat, nisi sit sufficienter promulgata; porrò quando grave est dubium de existentiâ legis, non fuit sufficiens promulgatio; ergo lex illa eo ipso quo dubia supponitur, subditos non obligat. « Quamdiù, ait Suarez, est judicium probabile, quòd « nulla sit lex prohibens vel præcipiens actionem, « talis lex non est sufficienter proposita vel promul- « gata homini; unde cùm obligatio legis sit onerosa « et quodammodò odiosa, non urget, donec certiùs de « illâ constet. » (De Actibus humanis, disp. XII, sect. VI, n° 8.) Revera promulgationem esse essentialem legi, omnes fatentur; jam verò, ait B. Liguori, si promulgatur lex dubia, promulgabitur duntaxat dubium, opinio, sed non promulgabitur lex. Hoc fusiùs evolvit ac confirmat, tum axiomate sancti Thomæ : *Nullus ligatur per præceptum nisi mediante scientiâ illius præcepti*; tum effato juris : *In dubio nullus præsumitur obligatus*, et aliis ejus speciei argumentis, quæ leguntur in systemate morali, in hocce volumine edito. 2° Ignorantia invincibilis excusat à peccato formali; atqui lex dubia, quando omnibus maturè pensatis, dubium excuti nequit, est lex ignorata invincibiliter; ergo posito etiam quòd reipsà lex illa existat, nullam imponit in foro conscientiæ obligationem. 3° Tandem alii præcedentia ratiocinia eo roborantur, quòd non major sit obligatio servandi legem dubiam, quàm assensum præstandi dubiæ revelationi. « Une loi dou- « teuse, ait Probabilista quem de suâ opinione ra- « tiocinantem profert D. Gousset, n'intéresse pas « plus l'ordre moral qu'une révélation douteuse n'in- « téresse la Religion; les lois qui exigent le sacrifice « de notre volonté n'étant pas plus strictes que celles « qui nous imposent le sacrifice de notre entendement « par une soumission parfaite, on n'a pas plus à craindre « d'être infidèle à Dieu, en rejetant les lois douteuses « qui concernent la morale, qu'en rejetant les lois in- « certaines en matière de dogme. » (Justification de la Théologie morale du B. Liguori, ch. V, p. 79.,

12. Ignoramus an veteres Probabilistæ invocaverint illud principium in patrocinium suæ opinionis : doctissimus Vasquez, unus è celebrioribus theologis societatis Jesu, qui Probabilismum propugnaverunt, hæc scribebat paulò antè quàm prodirent scripta Suarezii : « Ego non solùm existimo absque controver- « siâ esse debere, quoties dubitatur utrùm sit aliqua « lex, an non, et solùm agitur de periculo peccandi, « eligendam esse partem tutiorem, in quâ peccatum « esse non possit, sed etiam quando dubitatur utrùm « votum fuerit emissum, an non, et sanè in priori « casu, quando dubium est an lex fuerit vel extet an « non, nullum hactenùs ex scriptoribus scholasticis « inveni, qui oppositum asserat. » (De Actibus hum., « quæst. 19, disp. 65, n° 8.) Quidquid sit de tempore quo in scholis prodierit principium reflexum, *lex dubia non obligat*, contra illud difficultates proponunt adversarii Probabilistarum, quibus ostendere aggrediuntur illud principium sicut præcedens, esse ad minus dubium, unde nisi altero certiori innitatur, impossibile erit efformare dictamen practicum certum quale requiritur juxta omnes ad honestatem moralem actionis; illas difficultates proponemus, nihil præjudicando.

1° Fatendum quidem promulgationem esse necessariam ut lex aliqua obligat, an verò desit illa promulgatio eo ipso quo grave suboritur dubium, non ita constat, et Probabilistæ videntur duo confundere quæ sunt valdè distincta : scilicet, promulgationem legis quæ est actus quo legislator curat ut lex à se lata veniat ad notitiam subditorum, cum cognitione legis in subdito; nihil obstat quin adfuerit promulgatio, et ob varias causas oriatur dubium. Enimverò, dubium illud est vel circa existentiam legis, vel circa hujus legis sensum, extensionem, applicationem. Si priùs pronuntiari non potest defuisse promulgationem necessariam, potiùs dicendum foret dubiam esse illam promulgationem; fortè lex lata non fuit, fortassè etiam lata et publicata fuit, et deindè ortæ sunt difficultates ex ignorantiâ, aliisve causis accidentalibus, aut si de legibus positivis agatur, obliterata sunt monumenta quibus illud consignabatur. Reverà dubium præsens non aliundè oritur quàm a gravibus rationibus quæ mem-

tem suspensam tenent, an lex fuerit sufficienter proposita, an non; dubium de lege idem est ac dubium de promulgatione legis, si certò constaret de utroque, nimirùm adfuisse, vel non adfuisse promulgationem; certum etiam foret in uno casu legem esse latam, in altero autem eam non esse latam; ergo, si neutrum constet, sed urgeant motiva utrinque, necesse est ut dubium sit de promulgatione, dubium proinde an aliquid imperaverit, vel prohibuerit superior, dubium tandem an teneamur obtemperare, hoc vel illud faciendo. Si posterius, seu difficultas sit non de existentiâ legis, sed de illius sensu, idem dicemus. Multoties certè accidit ut non obstante promulgatione modò per se valdè sufficienti factâ, nihilominùs emergat dubium de sensu vel de applicatione legis, ob circumstantias concurrentes; v. g., supponamus dubium oriri de sensu cujusdam textûs Evangelii, quod deinceps meliùs consultâ traditione, vel re sedulò perpensâ, dissipetur; quis asserat defuisse promulgationem quoad illum textum quamdiù de illius sensu dubitabatur, intervenisse autem novam promulgationem ex quo, studiis interpretum, sensus ille fuit indagatus et cognitus? Idem dic de lege naturali. Ergo 1° gratis supponunt Probabilistæ defuisse promulgationem legis, ex eo quòd lex dubia sit.

2° Quod Probabilistæ addunt, legem dubiam invincibiliter ignorari, ac proindè non obligare, hoc videtur eorum adversariis mera æquivocatio ac *petitio principii*, ut aiunt philosophi. Qui post adhibitam diligentiam in dubio remanet, ille invincibiliter ignorat ex quâ parte stet veritas; verùm non ignorat esse dubium grave; igitur, si stante illo dubio, nihilominùs ad actum procedat, non efformatâ conscientiâ, peccat, agendo in statu dubii speculativi simul et practici; si autem velit dubium illud practicum deponere modo rationabili, recurrendo ad principium reflexum certum, per nos licet, sed tunc assignetur illud principium, quodnam sit, nec supponatur veluti axioma idipsum de quo dubitatur quòd lex, eo ipso quòd dubia est, sit respectu nostrî veluti invincibiliter ignoraretur.

3° Comparatio adducta inter leges morales et dogmata dubia, sub multiplici respectu deficit de quo unum aut alterum notare satis erit. Non tenemur, imò nec possumus submittere intellectum fidei dogmatis de quo dubitatur an sit revelatum; non *tenemur* quidem, cùm in rebus speculativis et controversis quisque possit abstinere à ferendo judicio, et si judicare velit, ratio jubet ut ei parti adhæreat quam verisimiliorem reputat, si ex nullâ parte appareat major verisimilitudo, solùm ei restat dubium; quâ ratione, quæso, quis credere *posset* firmâ fide, ut certò revelatum illud de cujus revelatione nequaquàm constat, vel considerare ut verisimile quod sub omni respectu dubium est? Non mirum proinde si revelationes incertæ nos non adigant ad obsequium intellectûs... Legum moralium longè dissimilis est ratio, tum quòd liceat abstinere ab eo quod fortassis prohibitum fuit, vel illud facere quod ratione suî liberum, præsumimus à legislatore fuisse imperatum, tum quòd sæpiùs necessitas sit agendi, ac proinde operandi juxta determinationem: v. g., qui dubitat an actus quem meditatur sit aliquâ lege vetitus, potest quidem ab eo abstinere; si autem velit illum ponere, necesse omninò est ut vel dubium speculativum deponat, vel efformet suam conscientiam ope principii reflexi; item qui dubitat an talis actus sit imperatus, an tali die urgeat lex jejunii seu obligatio audiendi missam, non potest ab eo se eximere, quin simili modo deponat dubium. Est enim lex non dubia, sed certa, non controversa, sed universaliter admissa, neminem operari posse in dubio practico.

13. Tertium principium reflexum quo Probabilistæ suum systema propugnant, est: *In dubio melior est conditio possidentis.* Hoc principium evolvit Liguori in tractatu de Conscientiâ, n. 26 et seq. Sed non eo sensu illud intelligit, quòd in dubio semper liceat pronuntiare in favorem libertatis. Libertas naturalis et lex sunt veluti in conflictu in casu dubii, in favorem alterutrius pronuntiandum erit, prout alterutra sit possidens. « Nos dicimus, ait B. Liguori, aliquando possidere legem, aliquando possidere libertatem: casu quo possidet lex, pro eâ standum est; si verò possideat libertas, standum pro libertate. Ad dignoscendum autem pro quâ parte in dubiis stet possessio, videndum pro quâ stet præsumptio. Præsumptio autem stat pro eâ parte quæ non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi in alteram transfert: *factum enim non præsumitur nisi probetur.* » Hoc elucidat variis exemplis quæ deducit ut consectaria; v. g., decernit quid dicendum de eo qui est in sabbato, et dubitat an transierit hora media noctis; tum, juxta B. Lig., ille nequit vesci carnibus, cùm adhuc possideat præceptum abstinentiæ. Secùs verò, si quis dubitat de hoc in feriâ quintâ, quia tunc post adhibitam diligentiam potest licitè edere carnes, cùm adhuc possideat libertas (n. 32). Ratio fundamentalis hujus principii est repetenda ex axiomate modò citato: *Factum non præsumitur*, etc.; nam si certum sit legem esse latam, hæc respectu meî urget, quousque mihi persuadere possim ei satisfecisse convenienter; factum seu observatio legis non præsumitur; vice versâ debemus remanere in naturali libertate quam Deus singulis dedit, eos suo arbitrio dimittens erga ea omnia quæ jure naturali permissa sunt, quoad usque constet hanc libertatem adimi per legem; alioquin versaremur in continuis anxietatibus, et subderemur oneri quod persæpè nec Deus, nec ullus legislator nobis imposuerit; at quamdiù lex dubia est, ac de illâ, vel de illius sensu, diverso et contrario modo opinari licet, certò non constat; ergo prævalet libertas, pro libertate stat possessio.

14. Plerique theologorum etiam inter impugnatores Probabilismi, admittunt axioma: *In dubio melior est conditio possidentis* in materiâ justitiæ, et si dubium oriatur inter duos contendentes de proprietate rei, illam adjudicant ei in cujus favorem militat possessio; verùm non putant Probabilioristæ idem axioma esse æquo jure extendendum ad alias materias, quia, juxta

eos, non eadem est ratio. Factâ divisione bonorum, possessio licet per se non conferat titulum, tamen magnam inducit præsumptionem dominii in favorem possidentis, ut nemo non videt. Cùm autem maximè interesset ordinis publici ut jus proprietatis non remaneat incertum et obvietur litibus, legislatores vi alti dominii, seu gentes mutuo consensu, statuerunt ob generalem præsumptionem et causâ boni publici, quòd titulus proprietatis annexus foret jure communi, possessioni, quando dubium oritur inter possidentem et extraneos, aliquid tum simile occurrit ac in lege præscriptionis. En fundamentum axiomatis in materiâ justitiæ, factum possessionis, præsumptio dominii, sanctio publica. Hæc si opponantur ad alium ordinem rerum, v. g., ad virtutem religionis, obedientiæ, legitima erit ratio dubii, et obstabunt quotquot Probabilismo adversantur; juxta illos nec est libertas certa, nec ulla præsumptio in favorem libertatis, nec superior seu legislator qui in illius gratiam pronuntiaverit; undè concludunt Probabilistas laborare in circulo vitioso, ac quæstionem ipsam supponere si velint, in dubio standum pro libertate. 1° Non est libertas certa : sive dicatur legem prioritate præcedere libertatem hominis, sive hanc libertatem præcedere legem, nihil refert, est reapsè dubia, ex quo graviter dubitatur de lege; qui enim in his versatur circumstantiis quas supponimus, non potest quin suspicetur grave periculum resistendi voluntati superioris, si id faciat quod verisimiliter fuit sibi ab eo prohibitum; nam si contingere possit quòd superior non tulerit legem seu præceptum, contingere etiam potest ut è contrario legem tulerit, velitque ut ei obtemperetur; at quomodò tunc certa foret libertas, libertas illa moralis lege non impedita? 2° In hoc dubio nulla est præsumptio in favorem libertatis potiùs quàm in favorem legis. Omnis præsumptio fundatur motivis ex facto vel jure desumptis quæ conducunt ad elucidandum dubium, et interpretandum in uno sensu magis quàm in alio; at si omnibus quæ ad rem spectant, sive dispositionibus juris, sive circumstantiis personæ, si, inquam, his sedulò consideratis et pensatis, grave maneat dubium, v. g., an voverim, an votum impleverim, an tenear illud confiteri, quæ præsumptio esse potest in favorem libertatis? 3° Nullus tandem intervenit superior qui sanctione generali statuerit, in dubio standum pro libertate. Ille superior alius esse non posset præter Deum, Ecclesiam et auctoritatem civilem, prout ageretur de jure divino, ecclesiastico vel civili. Deus nullibi declaravit hominibus licitum fore ut in dubio pro eâ parte starent quæ magis favet libertati; hoc non reperimus in Scripturis vel traditione; imò ignoramus an talis dispositio sit consona divinis attributis; multa quidem obstare possent, nimirùm : reverentia quam creaturæ rationabiles debent summo Dei dominio, et quæ vetat ne in casu conflictûs et dubii suam libertatem, sua commoda temporalia præferant executioni legis, ut fit si adhæreant parti minùs tutæ. Ecclesia nihil etiam pronuntiavit, constitutione generali, in sensu Probabilistarum, hoc saltem est maximè dubium et controversum inter theologos, paucos reperiemus inter Probabilistas qui magis versati fuerint in studio Patrum et conciliorum quàm illustrissimum Bossuetium, vel in studio juris canonici quàm doctissimum Fagnanum, qui sub novem pontificibus strenuam operam dedit juri canonico, et constanter fuit associatus congregationum Romanorum cœtibus, et prima officia exercuit summo omnium plausu; porrò uterque Probabilismum et Probabilismi principia reflexa impugnavit, ut quid contrarium menti Ecclesiæ ac dispositionibus juris, alter in dissertationibus eâ de re elucubratis, alter verò in speciali tractatu in caput juris *Ne innitaris*, tom. 1; vide præsertim n. 171 et seq. ad 220. Hinc absque ullâ cunctatione concludemus, dubiam saltem esse mentem Ecclesiæ, dubium scilicet an voluerit sanctione generali, quòd in dubio de existentiâ, vel sensu legis, sequeremur partem minùs tutam. Quoad leges civiles speciales, est difficultas infra exponenda... Ergo nullum est fundamentum axiomatis : *In dubio melior conditio possidentis*, si extendatur ad alias materias quàm ad materiam justitiæ. Sic ratiocinantur theologi Probabilistarum adversarii : fatentur quidem quòd standō suis principiis, homines identidem servabunt leges quæ illos actu non obligant, sed observant quòd standō placitis adversariorum, frequenter accidet quòd non observabuntur leges divinæ ac humanæ, quæ actu obligant, quod sibi videtur minùs incommodum.

15. II. Probabilistæ suum systema et principia quibus innititur, auctoritate confirmant, auctoritate nimirùm tot doctorum qui doctrinâ et pietate eximii tuiti sunt Probabilismum, ac ei in scholis propagando operam dederunt suis scriptis. Si quid, inquiunt, si quid traditioni adversum vel puritati doctrinæ evangelicæ haberet hoc systema, præsumere nequaquàm potest Ecclesiam, quæ tam sedulâ sollicitudine invigilat deposito fidei, permisisse ut in scholis propugnaretur, nec tam fuisset ubique universaliter propagatum. Attamen 1° silet Ecclesia, quinimò sedes Apostolica disertè approbat scripta theologica quæ prodiêre in favorem Probabilismi, et per organum congregationum declarat unicuique fas esse tum docendi in eo sensu, tum in praxi sequendi hæc principia. Nemo ignorat opera theologica B. Liguorii fuisse multoties laudata et approbata occasione beatificationis auctoris, et recenti adhuc ætate sacram Pœnitentiariam decrevisse theologos et confessarios posse tutâ conscientiâ profiteri ac sequi omnes opiniones quas in suâ theologiâ morali profitetur Liguorio. En textus propositi dubii simul cum decisione : « Utrùm sacræ theologiæ profes-« sor opiniones quas in suâ Theologiâ morali profite-« tur *beatus Alphonsus* à *Liguorio*, sequi tutò possit « ac profiteri?... an sit inquietandus confessarius qui « omnes beati Alphonsi à Liguorio sequitur opiniones « in praxi sacri tribunalis pœnitentiæ, hâc solâ ratione « quòd à sanctâ sede Apostolicâ *nihil in operibus cen-« surâ dignum repertum fuerit*. Confessarius de quo in « dubio, non legit opera beati doctoris nisi ad cognos-« cendum accuratè ejus doctrinam, non perpendens « momenta rationesve, quibus variæ nituntur opinio-

« nes; sed existimat se tutò agere eo ipso quòd do-
« ctrinam, quæ nihil censurâ dignum continet, pruden-
« ter judicare queat sanam esse, tutam, nec ullatenùs
« sanctitati evangelicæ contrariam. » Sacra congre-
gatio respondendum censuit ad primum affirmativè,
quin tamen indè reprehendi « censeantur qui opinio-
« nes ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur...
« ad secundum quæsitum negativè ; habitâ ratione
« mentis sanctæ Sedis circa approbationem scripto-
« rum servorum Dei ad effectum canonizationis. »
Datum Romæ die julii 5, 1831.

Si Sedes Apostolica nihil censurâ dignum judicet in scriptis quibus ex professo propugnatur doctrina Probabilismi, quo jure, quâve specie veritatis quis condemnare posset eamdem doctrinam uti falsam; sed et aliam auctoritatem invocant Probabilistæ, numerum theologorum qui in omnibus ferè ordinibus religiosis, in universitatibus *catholicis* in eâdem sunt sententiâ quæ juxta plures *communiter* traditur, juxta alios est communis : inutile est enumerare patronos opinionis quæ omnes ferè scholas invasit. Vasquez disp. 62, cap. 2, ait eam sententiam in scholis multò ante tempus quo scribebat communem fuisse, ex eâ autem epochâ magis adhuc invaluit; ergo auctoritas tum theologorum, tum congregationum Romanarum, maximè favet Probabilismo, et confirmat veritatem principiorum quibus fundatur.

16. Hoc ultimum argumentum non eò ducit ut ostendatur veritas Probabilismi, sed tantùm ut vindicetur contra eos quibus videtur perniciosus ac reprobandus ab Ecclesiâ, et sub eo respectu omninò assentimur Probabilistis, ut exponetur in capite tertio hujus dissertationis. Paulisper tamen immorari huic argumento abs re non erit ut nonnulla explicemus quæ juniores theologi fortè ignorarent, præsertim de sensu approbationum quas sedes Apostolica dat scriptis sanctorum, dùm declarat, ea tutò legi posse nihilque continere censurâ dignum; igitur repetamus duas partes valdè distinctas argumenti allati, alia refertur ad theologos, alia verò ad congreg. Rom.

Quoad theologos, certissimum est ac nemini ignotum eos plures stetisse patronos Probabilismi, præsertim seculis 16 et 17; inde manifestè inducitur quæstionem esse gravem, nam etsi sit vulgus doctorum qui turmatim sequantur duces, non tam perpendendo principia rerum, quàm attendendo ad numerum prædecessorum et ad placita scholæ, ordinis, universitatis ad quam pertinent, constat etiam plures adfuisse ingenio ac quæstionum discussione, studio rerum theologicarum maximè spectandos, qui Probabilismum docuerunt. Verùm si ex illorum auctoritate inducatur gravem esse difficultatem, concludi nullatenùs potest, veritas Probabilismi, seu licitum esse sequi in dubio partem minùs tutam, re in se spectatâ et abstrahendo à casu quo quis bonâ fide, illud systema admiserit, quod his observationibus ostenditur : 1° Inter theologos qui dimicaverunt in gratiam Probabilismi, permulti sunt quorum auctoritas non potest invocari, quippè cùm in damnosam laxitatem prolapsi sint; de iis loquebatur Alexander VII in decreto quo multas propositiones proscripsit. Illud inprimis notandum quòd de eâ ipsâmet ætate quâ Probabilismus majores progressus habuit in scholis theologicis, scilicet versùs medium seculum decimum septimum, summus Pontifex hæc dixerit... « Summam illam luxuriantium ingeniorum
« licentiam in dies magis excrescere, per quam in re-
« bus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi
« irrepsit alienus omninò à simplicitate evangelicâ,
« sanctorumque Patrum doctrinâ et quem si pro rectâ
« regulâ, fideles in praxi sequerentur, ingens eruptu-
« ra esset christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo
« tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, ar-
« ctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari,
« seu veriùs perverti contingeret, sanctissimus, etc. »
Decret. anni 1655. Absit à nobis quòd hæc verba referamus ad Probabilismum temperatum, qualem, v g., illum docuit B. Liguori, sed unum volumus, ne in patrocinium Probabilismi invocetur ea multitudo doctorum qui in extremâ laxitatis abierunt, ut novimus per decreta Alexandri VII, Innocentii XI et declarationes Cleri Gallicani an. 1700. 2° Inter alios Probabilistas qui ab eâ laxitate præcaverunt alii systema Probabilismi partim tantùm admiserunt, locuti de dubio juris, non autem de dubio facti, et plures exceptiones admittendo, quas recentiores non sequuntur; alii è contra, et hi sunt major pars veterum Probabilistarum, alii, inquam, propugnaverunt systema benignius à quo etiam moderni et præsertim B. Liguori, recesserunt, asserentes licitum sequi opinionem non solùm æquè probabilem, sed minùs etiam probabilem et minùs tutam; hæc omnia si ponderarentur, procul dubio multùm imminueretur multitudo doctorum, quos recentiores citant in suî favorem. 3° Quæcumque fuerit extensio Probabilismi, et quamvis tot doctorum auctoritatem sibi conciliaverit, nunquàm tamen opinio contraria desiit habere patronos, illosque numero, dignitate, scientiâ conspicuos. Multi Probabilistæ eruditissimi confessi sunt sibi adversari omnes ferè doctores antiquos, eorum testimonia passim relata videntur in variis tractatibus, multa eâ de re reperiuntur in libro P. Brocardi; ex eo autem tempore quo agitata fuit controversia, quot fuerint adversarii Probabilismi ex omnibus ordinibus religiosis orti, videre est apud Patuzzi de *Proximâ regulâ humanorum actuum*, t. 2, part. 3, cap. 9. Successivè enumeratos hìc legimus, privatos theologos, ordines regulares et academias, episcopos, cardinales; tanta igitur non fuit unanimitas in favorem Probabilismi quàm prætenditur. Inter ipsos etiam theologos societatis Jesu, quorum plures fuerunt Probabilistæ, non paucos eosque doctrinâ satis conspicuos adducere possumus, qui steterunt ex parte adversâ, impugnatores hujus systematis. S. Ignatius in sui ordinis Constitutionibus voluit ut qui officium docendi obeunt, *sequantur, in quâvis facultate, securiorem et magis probatam doctrinam, et eos doctores qui eam docent.* Verba sunt pii fundatoris quæ multis persuaserunt non standum esse in conflictu opinionum, pro eâ quæ cum sit

minùs tuta seu secura, aliundè non est probabilior seu magis fundata; si enim securiorem et magis fundatam professores debeant docere ac sequi, non videtur cur eadem non foret ratio illorum qui munus professoris non exercent, sed fidelium conscientias moderantur. An ea sit legitima interpretatio textûs *constitutionum* nescimus, nec nostrum est decernere; quidquid sit, cùm occasione quorumdam scriptorum nimis faventium opinionibus benignioribus, multi querimonias in societatem concitarent veluti hæc Probabilismum adoptâsset exclusivè, prodiit decretum ab eâ, prout legitur in actis congregationis 13, ordine 18, quâ declarabatur societatem nec prohibuisse nec prohibere, quominùs sententiam contrariam Probabilismo, tueri possent quibus magis ea probaretur. Reverà, primi qui nascentem Probabilismum confutârunt sunt theologi societatis Jesu, præsertim Rebellus, t. 1 *de Justitiâ et Jure;* Comitolus, tomo *Responsionum moralium*, et inter theologos qui majori eruditione et scientiâ ex professo easdem doctrinas strenuè tuiti sunt, citare debemus Thyrsum Gonzalem præpositum generalem societatis, et Gisbert præpositum in provinciâ Tolosanâ. Gonzales integrum volumen exaravit, sub eo titulo : *Fundamentum theologiæ moralis*, in quo omni argumentorum genere probare enititur illicitum esse sequi in praxi opinionem minùs vel etiam æquè probabilem in conflictu tutioris æquè probabilis. Insuper in libello oblato S. Pontifici, quem refert Patuzzi, n. 11, testatur multos esse Jesuitas, magno ingenio prædictos et in istâ controversiâ peritissimos, qui cum illo firmissimè judicabant, summoperè expedire ad majorem Dei gloriam et animarum salutem, quod Probabilismus non vigeat. Gisbert, prius adhæserat placitis Probabilismi, posteà verò mutatâ sententiâ, librum composuit, sub eo titulo *Antiprobabilismus* (anno 1703), ad impugnandum hoc systema, quod existimat contrarium traditioni ecclesiasticæ et regulis à jure naturali præscriptis. Multi eodem sensu scripserunt, ut P. Antoine in suâ Theologiâ morali, plures ille citat satis notos, *quibus adde*, inquit, *plurimos professores theologiæ Probabilismum quotidiè impugnantes* (*de Conscientiâ*, cap. 4, quæst. 3); non aliud testatur P. Daniel : ipse, in Epistolis ad P. Alexandrum, præcipua principia reflexa Probabilistarum incerta omninò reputat. (Lettres au P Alex., lettre 4, œuvres, édit. in-4°, t. 2, p. 73 et seq.) In alio scripto, hæc habet : « On enseignait le contraire, les années dernières, « au collége de Paris; j'ai appris, m'en étant informé, « que la même chose s'est faite à Lyon, à Toulouse, à « La Flèche, à Rome. On l'a soutenu tout récemment « à leur collége de Paris dans des thèses publiques, « et j'en ai été témoin oculaire. » (*Entretiens de Cléandre*, 4e art., t. 1, p. 409.)... Horum omnium conclusio sit auctoritatem theologorum qui Probabilismo adhæserunt, quamvis maximè venerabilem, pro eorum numero et non paucorum scientiâ, non tamen tantam esse quæ valeat determinare, unam opinionem præ aliâ fore admittendam, undè sub eo respectu cùm auctoritas auctoritati opponatur, quæstio sub lite remanet.

17. Quæstionem non feliciori conatu resolvere aggrederentur, auctoritate congregationum Rom.; nullum prodiit decretum quo pronuntietur in favorem probabilismi. Imò dùm illud systema scholas invadere videretur, non fuit admissum in his congregationibus, cujus rei testes habemus omni exceptione majores : card. d'Aguirre in prologo *Conciliorum Hispaniæ*, n. 24 : « In S. cong. quotidiè innumeræ occurrunt causæ quarum decisio ex sacris canonibus pendet; ubi autem « auctorum occurrunt sententiæ, illa omninò præfertur « quæ, omnibus hinc indè consideratis, tutior videtur aut « juri et æquitati conformior. » Card. de Petra in *Tract. de sacrâ Pœnitentiariâ*, parte 1, cap. 9, eamdem esse praxim non solùm Pœnitentiariæ, sed et tribunalium majorum dicit. Similia legimus apud doctissimum Fagnanum, in cap, *Ne innitaris*, apud Benedictum XIV, in Constitutionibus quas ad suum clerum direxit dùm esset card. archiepiscopus Bononiensis. Hi nimirùm omnes testantur congregationes, quando pronuntiant de rebus difficilibus et obscuris, eam partem eligere quæ sit tutior, adeò ut, inquit card. de Petra, *ipsis semper fuerit et sit veluti axioma, in dubiis via tutior est eligenda.* Huic praxi nullo modo adversantur approbationes datæ Theologiæ morali B. Alphonsii de Liguorio, nec decisiones de eâdem Theologiâ, quas supra n° 14 memorati sumus. Quæ sit ratio sedis Apostolicæ circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis, explicat Benedictus XIV in libro de *Beatificatione servorum* Dei, etc., lib. 2, cap. 25 et seq. ad 34. Juxta illum finis examinis seu judicii cui subduntur scripta servorum Dei, est ut videatur an doctrina illius cujus beatificatio postulatur sit immunis à censurâ theologicâ. Ratio autem hujus examinis est expendere an ea sit doctrina servi Dei quæ deceat filium Ecclesiæ et non obstiterit illius sanctitati. Totam eâ de re dissertationem concludit his verbis : « Hoc « unum pro coronide addendum esse videtur nunquàm posse dici à S. Sede approbatam servi Dei « doctrinam, sed ad summum dici posse non reprobatam, » cap. 34, n° 12. Aliquando tamen sancta Sedes non solùm declarat scriptum esse immune à censurâ, sed illud laudibus extollit ut bonum ac sanæ doctrinæ. Hæc approbatio multùm certè commendat doctrinam auctoris, et nos certos reddit eam esse generatim conformem veritati Evangelii et utiliter fidelibus consulendam, non verò omnia et singula puncta ejusdem doctrinæ ut vera ostendit, pronuntiatque, quod factis ipsis praxi Ecclesiæ et theologorum facilè demonstratur. 1° Ecclesia eo modo sæpè approbavit scripta quæ in sat multis contradictoria tradunt, sic opera S. Thomæ et S. Bonaventuræ, ut cætera omittamus tùm in operibus SS. Patrum, tùm in operibus SS. doctorum qui recentiùs scripserunt; porrò Ecclesia non potuit ut vera probare quæ sibi invicem contraria sunt. Supponatur agitari inter doctores eam quæstionem, an sit generatim obligatio jure divino imposita confitendi, in sacramento pœnitentiæ, circumstantias notabiliter aggravantes, alii affirmant, ut S. Carolus et S. Fran. Salesius in suis Instructionibus ad confes-

sarios; alii negant, ut B. Liguori, in suâ theologiâ morali, Ecclesia hæc omnia scripta æquè commendat. Quid inde? Num duæ illæ sententiæ secum pugnantes sunt æquè conformes veritati Evangelii, vel alterutra æquo jure cuique vera erit pro libitu suo?.. Absit, nam una est veritas, non est in Evangelio *est et non*. Verùm cùm hæc scripta multa complectantur maximè utilia fidelibus, et quoad specialia puncta quæ in controversiam adduci possint, nihil contineant quod reperiatur dignum censurâ; nihil quod illæsâ fide et reverentiâ decretis Ecclesiæ, non possit propugnari, nec approbantur. Uniuscujusque erit, inter quæstiones controversas, eam opinionem sequi, non quæ placuerit, ille enim modus eligendi opinionem non dictatur prudentiâ christianâ, sed quæ magis fundata sibi visa fuerit. 2° Sic constanter theologi catholici interpretati sunt hujusmodi approbationem datam, modo generali, ut sibi liceret quædam asserta horum librorum impugnare debita cum moderatione; sic multas assertiones Theologiæ moralis Liguorii, confutârunt theologi Italici, Alasia, Fulgure, auctor operis cui titulus *Practica del confessionale*, etc. In operibus quæ nuper prodierunt cum approbatione et laudibus censorum Romanorum. 3° Quis dicet B. Liguorii Theologiam non fuisse cum iisdem approbationibus acceptam in Ecclesiâ, si Antiprobabilismum tenuisset qualem illum tradunt auctores moderati, ut Brocardus, Billuart? Nemo sanè de eo disputabit; igitur nihil indè probare queunt Probabilistæ, nisi suum systema liberis scholarum disputationibus permitti.

18. Hæc sufficienter explicant duas decisiones supra relatas datas à sacrâ Pœnitentiariâ, de theologiâ morali. Prima est de professore theologiæ qui doceret opiniones quas secutus est B. Liguori, secunda de confessario qui easdem sequeretur in praxi. Circa primum quærebatur an professor possit tutò sequi et profiteri opiniones quas laudatus auctor in suâ Theologiâ profitetur. Responsum est *affirmativè*, et nulla alia dari potuit responsio; manifestum quippe est, attentâ disciplinâ Ecclesiæ, quemcumque posse tutò profiteri doctrinam, eo ipso quo immunis est à censurâ, et relinquitur disputationibus theologorum; igitur ille qui easdem opiniones quas B. Lig. reputat veras, probatas, absque ullâ difficultate, potest illas profiteri, quin nemo jus habeat illum condemnandi; fieri quidem potest ut erret; sed illius error non est manifestus nec condemnatus ab Ecclesiâ; hinc in eâdem responsione observat sacra congregatio, non inde reprehendi qui alias contrarias à probatis doctoribus traditas opiniones sequuntur. Quoad secundum, quæsitum est an inquietari debeat confessarius qui beati Liguori opiniones sequitur, non perpendens rationes, sed hoc solùm considerans, quales sint illæ opiniones. Responsum est *negativè*. Circa illam ultimam observa, non dici illum confessarium esse approbandum, sed simpliciter non esse inquietandum. An probari debeat hujusmodi ratio agendi, meritò ambigitur: hoc quidem licet iis quibus deest tempus vel facultas examinandi quæstiones, hi procul dubio possunt tutâ conscientiâ sequi quemlibet ex auctoribus in Ecclesiâ probatis, quoties non animadvertit rationem gravem suspicandi errorem in puncto particulari de quo agitur, sed generatim loquendo, ille modus nobis videtur valdè periculosus et parùm conformis doctrinæ ipsiusmet B. Liguorii; eum quidem non probaret B. Liguori, qui in suo *Systemate morali* hoc pronuntiat: « Confessarius « antequàm aliquam opinionem amplexetur, tenetur « utique rationes intrinsecas perpendere, et cùm ei « occurrit ratio aliqua convincens pro tutiori opinione, « cui adæquatam responsionem suppetere non aspicit, « tunc oppositam minùs tutam non potest amplecti, « quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat, « nisi auctoritas sit tanti ponderis, ut ei videatur magis « quàm rationi apparenti deferendum... Sed iste casus « rarus valdè erit. » Confessarius ergo de quo agitur in quæstione propositâ non probaretur ipsi B. Liguorio: aliundè sequitur in praxi methodum valdè periculosam; nam sic agendo negligit studium theologiæ, quod necessarium est sacerdotibus officium docendi exercentibus, et eo neglectu examinandi principia, se exponit gravi periculo errandi, tùm malè interpretando decisiones auctoris, tùm eas applicando casibus quos non spectant, tum non attendendo ad illam collationem principiorum quâ sæpiùs indigemus ad determinandum quid, pro variis circumstantiis quæ occurrunt, sit agendum. At verò si generatim probanda non videatur praxis hujus confessarii, S. Congregatio meritò censuit illum *non esse inquietandum*, seu non condemnandum; nam ut quis sit immunis à censurâ et nulli condemnationi jure subdatur, sufficit ut nihil operetur vetitum à jure et systema quod sequitur non fuerit reprobatum ab Ecclesiâ; atqui confessarius de quo agimus in eâ conditione versatur; se suâ praxi ostendit Probabilistam, adhærentem Probabilismo benigniori juxta quem licet sequi opinionem, modò sit verè probabilis, sive sit minùs, sive æquè probabilis ac altera; atqui fatemur nullam esse ex decisionibus B. Liguorii, qui non habeat hujusmodi probabilitatem, cùm saltem sint immunes à quâlibet censurâ, et fundatæ auctoritate doctoris gravis, quod sufficit ut in eo systemate reputentur verè probabiles.

19. III. Probabilistæ ultimum argumentum desumunt ex incommodis sententiæ adversariorum, et commodis quæ ipsi reportare arbitrantur ex suo systemate. In controversiâ, aiunt hi theologi, illud systema admitti debet, quod cùm doctrinæ evangelicæ puritatem nullatenùs lædat, insuper magis expedit saluti animarum, et fovet in ministerio confessionis et prædicationis, uniformitatem maximè exoptandam; talis autem est Probabilismus: 1° non lædit puritatem doctrinæ, ut omnes fatentur, et satis probat praxis Ecclesiæ quæ permittit fidelibus ut illum sectentur; 2° magis prodest saluti animarum, ac proinde consonat suavi Dei providentiæ, quæ spectatâ hominum imbecillitate, non præsumitur velle eos exponi tot incommodis ac periculo peccati formalis, quibus eos exponeret systema Tutiorismi. Re quidem verâ, Tutiorismus multùm aggravat jugum, dùm exigit ut

observentur leges dubiæ eodem modo ac si certæ forent. Si homines tantam experiantur difficultatem ad servandas obligationes certas, et sæpiùs illas præ infirmitate transgrediuntur, quantò magis si teneantur etiam incertis legibus? Plures, iis impositis peccabunt formaliter, si contra dictamen conscientiæ eant, dùm aut nullatenùs peccâssent, aut peccatum fuisset materiale solummodò, si adhærendo placitis Probabilismi, se ab iis obligationibus immunes existimavissent. Hæc consideratio multùm movebat B. Liguori, ut ipse testatur in suo Systemate morali. « Persuasus remansi, « inquit, nefas esse conscientias, cùm opiniones sunt « æquè probabiles, ad tutiorem sequendam adstrin- « gere, cum periculo in plurimas culpas formales in- « currendi. » 3° Tandem fovet unitatem doctrinæ in ministerio directionis et prædicationis, et nos æquè removet à laxitate et rigorismo. Si prævaleat illud systema, omnes convenient de obligationibus certis vel eminenter probabilioribus, et eâdem viâ procedent respectu dubiarum. Priores unanimiter terrebunt, quoad secundas poterunt consulere partem tutiorem quibusdam quos benè dispositos noverint, illud autem à nemine exigent; sic una omnibus erit regula docendi. Dùm si rejecto Probabilismo, alia systemata admittantur, impossibile erit servari hanc uniformitatem, et maximè periculosum erit ne alii laxiora quærant, alii verò nimiam severitatem profiteantur. Etenim quisque minùs attendendo ad ea quæ communiùs traduntur quàm ad sua privata ratiocinia, in varias ibit vias, aliquando in extrema decidet, aut mentis præoccupatione, aut aliis inductus causis. (Vide Gousset, Justification de la Th. du B. Liguori, suprà.)

20. Adversarii Probabilismi fatentur hoc systema esse satis commodum in praxi, sed putant illud non sufficere; imò existimant satis periculosam esse eam ratiocinandi methodum quâ legitimitas alicujus opinionis probatur ab illius commodis; sic enim facilis via aperiretur laxitati. Jugum Christi est quidem suave et illius onus leve; sed hæc suavitas oritur à divinâ gratiâ, quæ emollit illud quod per se durum est humanæ infirmitati, et viam dilatat quæ cæteroquin est arcta atque impervia, ut nos edocet Christus. Hâc præmissâ observatione ad singula respondent: 1° Quodcumque admittatur systema, non lædetur puritas doctrinæ christianæ, sensu supra explanato, quùm nulla hactenùs prodierit definitio Ecclesiæ; verùm necesse est ut ex duabus opinionibus contradictoriis, una sit vera, altera falsa, et supponi nequit Probabilismum et Antiprobabilismum esse æquè consonum veritati, æquè conforme juri naturali. Num jus naturale nihil determinavit circa modum agendi in dubiis, quod proindè dimitteretur arbitrio hominum, aut systemata quorum unum affirmat id quod alterum negat, sunt huic juri naturali consentanea? Quis hoc unquàm excogitaverit? Ergo, licet fides in tuto maneat, in omni opinione circa præsentem quæstionem, lædi potest et necessariò læditur puritas doctrinæ moralis alterutro systematum; quonam verò ignoramus, et hoc est objectum præsentis quæstionis. 2° Quoad aliud punctum difficultatis propositæ, scilicet quòd aggravatur jugum et non sufficienter providetur saluti hominum, in Probabiliorismo, hæc observari possunt: in casu dubii gravis, stant velut in conflictu præsumptio libertatis et præsumptio legis, cur prævaleret ratio libertatis rationi legis, et homo potiùs sibi invigilare posset ne plus agat quàm strictè fuerit sibi imperatum, quàm invigilare legi ne illud omittat quod probabiliter Deus vel jus naturale imperaverat? Prætenditur infirmitas humana et benignitas Dei, sed hæc infirmitas non sibi dimittitur, gratia nunquàm deseruit hominem qui maluit suæ libertatis aliquid detrimentum facere, ne divinis mandatis debita deesset reverentia. Nemo inficiabitur quin Deus suavem ac benignitate plenam providentiam in nos habeat, sed in iis quæ pendent à jure naturali; non autem à liberâ et positivâ voluntate Dei, Deus non præsumitur remittere aliquid de rigore legis in favorem humanæ infirmitatis; atqui jure naturali sancitur lex illa vetans ne in pari causâ creatura præferat se suamque libertatem divinis mandatis, ut fieret si in dubio præferret libertatem probabilem, legi divinæ æquè probabili, magisque sequeretur proprium suum commodum quàm voluntatem divinam. (Vide Gisbert theologum societatis Jesu, hoc argumentum fusè tractantem, *Antiprobab.* parte 1, quæst. 2, cap. 1.) Hoc saltem constet, tale jus prælationis in favorem libertatis esse adeò extraordinarium, ut nisi positivè demonstretur hanc fuisse divinam ordinationem, supponi nequaquàm possit et præsumi debeat velle Deum ut in iis quæ spectant suam gloriam, reverentiam suis mandatis debitam, homines eam regulam sequantur quam in suis propriis negotiis solent; porrò in iis quæ ipsorum interest, tutiora sequuntur stante dubio... Tandem notatur quòd si occurrant circumstantiæ in quibus observatio legis dubiæ graviora incommoda inducere posset, tunc ob peculiares rationes lex illa sæpè non obligaret, ut exponetur in capite tertio, ubi *de Conflictu legum.* 3° Tandem objicitur necessitas statuendi uniformitatem in ministerio directionis et prædicationis, et vitandi periculum laxitatis et severitatis nimiæ. Probabilioristæ rèponunt in nullo systemate perfectam servari posse uniformitatem quoad plura, hoc provenit ex ipsâ difficultate rerum; nam dùm divina providentia statuit tribunal infallibile quod summâ auctoritate in multis pronuntiat, alia multa obscura dimisit conscientiæ individuorum, ut unusquisque se dirigeret secundùm lumen sibi datum et consilia sapientium. Semper fuêre semperque erunt controversiæ, quantumvis sancti ac docti homines supponantur; si percurrantur scripta theologica Probabilistarum, tanta ad minùs in iis reperietur dissidentia opinionumque varietas, quanta in libris aliorum doctorum; en factum inconcussum quod neminem latet. Defectu perfectæ unanimitatis quam impossibilem ratio convincit aderit in omni systemate eadem regula agendi quæ plerumque eadem consectaria practica adducet; v. g., si prævaleat Probabiliorismus, in verè dubiis tutiora

prosequentur; opiniones autem certò probabiliores, etsi minùs tutas, sequentur in casibus peculiaribus; unusquisque id determinabit quod spectatis rerum ac personarum circumstantiis, magis expedient judicabit. Hæc erit agendi ratio in ministerio directionis, ubi necesse est resolvere casus conscientiæ et respondere ad interrogata : in officio prædicationis, sacerdotes certa et generatim admissa fideles edocebunt, et non suas proprias opiniones sub ullo prætextu probabilitatis.

His vestigiis inhærendo, confessarius scopulos evitabit nimiæ laxitatis ac severitatis; ubi *de facto* agetur, attendet ad ea quæ sibi verisimiliora apparebunt, non aliam in iis rebus probabilitatem quàm relativam exquiret; quando autem quæstio *de jure* movebitur, eas opiniones veluti probabiliores habebit, quæ ut tales communiùs traduntur apud theologos, quæ patronos majoris auctoritatis sibi vindicant, plus auctoritati quàm sensui privato tribuendo, nisi perspecta sit ratio suadens præferendi opinionem, quæ licet pauciores patronos habuerit, tamen libera remanet in scholis, et videtur fundata urgentioribus argumentis.....; sic Probabilioristæ resolvunt ultimum argumentum adversariorum. Quinimò sibi videtur illud facilè retorqueri posse in istos saltem quoad postremam partem, et idem ad minus periculum urgere laxitatis in systemate Probabilismi, quàm periculum severitatis quod putant induci per Probabiliorismum. Suam eà de re sententiam probant nativâ hominum indole et experientiâ. Ea quippe est communior hominum indoles, ut passim animadvertit B. Liguori, ut magis ad laxiora inclinentur quàm ad severiora; igitur si illam inclinationem foverit systema, dubium non est quin grave periculum laxitatis inducatur; jam verò unicuique manifestum est Probabilismum favere huic dispositioni, quùm in dubiis permittat stare pro parte libertatis contra legem. Insuper Probabilismus mitigatur naturaliter ad benigniorem impellit, juxta quem licitum est sequi in conflictu opinionem etiam minùs probabilem et minùs tutam. Hunc propugnaverunt celebriores olim Probabilistæ ob sua principia reflexa; *qui probabiliter agit, prudenter agit..., lex dubia non obligat.* Prius non potest admitti quin sequatur licitum fore sequi opinionem minùs probabilem, si quidem licet supponatur minùs, imò notabiliter minùs probabilis, potest tamen servare aliquam probabilitatem; posterius intellectum et probatum prout intelligitur et probatur à Probabilistis in idem recidit, ut videre est in Systemate morali B. Liguorii. Probationes quæ adducit, si quid probent, probant legem non obligare, *nisi certò de illâ constet.* Nunc verò si liceat opinionem sic minùs probabilem sequi, facilis erit inductio in opinionem *tenuiter probabilem.* Gradus enim illos probabilitatis quis determinabit? Quis illud punctum quo minor probabilitas à tenui probabilitate discernitur, valeat assignare? Num maximè timendum est ne in favorem libertatis decipiamur, quandò non de veritate aut falsitate sententiæ cui prudenter assentiri possimus agitur, sed solùm de simplici illius probabilitate. Experientia sola satis probat quàm fundata si hæc præsumptio periculi, ex quo divulgatum est in scholis systema Probabilismi. Desinente seculo decimo sexto, prodierunt tot opiniones damnosæ, quas commendabant auctores non infimi nominis specie aliquâ probabilitatis decepti, et quas sedes Apostolica proscripsit per decreta Alexandri VII et Innocentii XI. Rigiditas nimia, quam Alexander VIII condemnavit in systemate Tutiorismi, non oriebatur ab eo systemate, sed à principiis erroneis Jansenistarum circa effectus peccati originalis et ignorantiam juris naturalis, de quo alibi, dùm laxitas Probabilistarum non aliam originem habuisse videtur, quàm applicatio principiorum reflexorum de opinione probabili.

21. Hæc sufficiant ad expositionem opinionum circa primam quæstionem, an liceat generatim sequi in dubio partem minùs tutam. Argumenta quæ ponderis esse videntur in favorem Probabilistarum, retulimus simul cum responsis quibus ea resolvere enituntur illorum adversarii. Solùm abstinuimus à discussione textuum juris canonici et veterum theologorum qui aliquando referuntur; hæc discussio nos ultra limites hujus dissertatiunculæ protraxisset, et non tanti inservit ad quæstionis solutionem, quùm textus textibus opponantur, et plures sint extra quæstionem, ut manifestum erit ei qui hos textus legerit in scriptis ex quibus extracti sunt. Punctum fundamentale totius controversiæ reponendum putamus in principiis reflexis, unde theologi potissimùm laborant ad illa tuenda vel impugnanda. In opere cui titulus *Justification de la théologie morale du P. Lig.* suprà, dicitur ultimam responsionem quam Probabilioristæ afferunt contra Probabilistas, esse quòd existat lex quædam reflexa quæ nos obligat ad sequendam in dubio partem tutiorem. « Cette réponse, ait auctor operis, à « laquelle le Probabilioriste s'arrête comme à son der- « nier retranchement, ne satisfait pas le Probabilis- « te. » Non quidem mirum si talis responsio non satisfaceret; esset quippe petitio principii; verùm alio modo hi theologi procedunt, ut sequitur ex dictis, et tota illorum argumentatio contra Probabilismum in hoc syllogismo reducitur : Juxta omnes necesse est ad agendum ut quis habeat conscientiam practicè certam de honestate suæ actionis; atqui in dubio speculativo nulla est regula generalis cujus ope efformari possit conscientia practicè certa de honestate actûs quo quis sequeretur partem minùs tutam; hæc regula alia non assignatur quàm principia reflexa, *qui probabiliter agit, prudenter agit.., lex dubia non obligat; in dubio melior est conditio possidentis,* et his similia. Sed illa principia probantur falsa aut saltem maximè dubia, in sensu quo invocantur ab adversariis. Ergo impossibile est (salvo semper casu bonæ fidei) ut in dubio speculativo habeatur conscientia practicè certa de honestate actûs quo pars minùs tuta tutiori præponitur. Probabilistæ suam thesim sustinent, probando argumentis intrinsecis et extrinsecis veritatem eorumdem principiorum reflexorum.

Nota. In discussione hujus quæstionis egimus de

Probabilismo, abstrahendo à disputationibus quas Probabilistæ inter se movent, an liceat sequi opinionem minùs tutam quando est etiam minùs probabilis, vel solummodò quando eumdem habet gradum probabilitatis, ac opinio opposita. Hæc controversia nobis videtur minoris momenti et resolvenda ex principiis generalibus. Nam vel admittitur Probabilismus, vel non : si non admittatur, nulla est difficultas, ut evidens est. Rejecto Probabilismo temperato, à fortiori concidet Probabilismus benignior : si autem admittatur, jam non est cur illicitum reputaremus sequi in praxi partem etiam minùs probabilem, modò semper supponatur solidè probabilis ; nam si auctoritate theologorum controversia dirimatur, certum est eos qui Probabilismo adhæserunt, communiùs, præsertim olim, rem sic intellexisse ; si autem argumentis intrinsecis dimicandum sit, nulla est ratio adducta in favorem Probabilismi, qui non debeat invocari in patrocinium Probabilismi benignioris, ut supra insinuavimus. 1° Est *probabilitas propriè dicta*, unde omnes theologi Probabilistæ concludent, generatim loquendo, illum prudenter acturum qui eam in praxi sequeretur. 2° Est *dubium*, saltem objectivum, ex quo supponitur agitari controversiam inter theologos graves, et partem tutiorem habere contra se motiva solidè probabilia ; igitur si lex dubia non obliget, concludendum erit nullam esse obligationem servandi in eo casu tutiorem partem. 3° In materiâ justitiæ, *melior est conditio possidentis*, quamdiù non est moraliter certum rem esse alterius ; ergo si illud applicetur ad alias materias quàm ad justitiam, debemus pari jure pronuntiare in favorem libertatis, quando ipsa possidet, nisi certò constet de lege, et cùm nulla esse possit certitudo moralis, quamdiù ex adverso militat vera probabilitas, licet in gradu infimo, licebit sequi partem minùs tutam et minùs probabilem. Ergo si semel admittatur Probabilismus quem vocant temperatum, seu rigidum, consequenter admittendus erit Probabilismus benignior, et hæc est ratio quæ nos induxit ad reponendam totam controversiam in discussione principiorum reflexorum, abstrahendo à variis speciebus Probabilismi.

### Articulus II.

*Utrùm liceat, generatim, sequi opinionem probabiliorem, relictâ tutiore.*

22. Hucusque disseruimus de dubio speculativo, quale occurrit in conflictu sententiarum quæ videntur æquè fundatæ ; nunc dicendum superest de opinione propriè dictâ cui adhæremus prudenter, qualis est vel opinio simpliciter probabilis extra concursum, vel in casu concursûs, opinio verè probabilior, innixa motivis magis verisimilibus ; quæstio est an liceat eam sequi in praxi, relictâ tutiore minùs probabili. Affirmant Probabilistæ simul et Probabilioristæ, negant Tutioristæ, sic dicti quia volunt ut quoties est ratio dubitandi, eligatur via tutior. Hi in duplicem classem dividuntur : alii rigidiores, orti plerique è sectâ Jansenistarum, volunt omnimodam certitudinem directam de honestate actionis, saltem in iis quæ spectant jus naturale, adeò ut nunquàm liceat in praxi sequi opinionem vel probabilissimam, quoties ex adverso est alia via tuta. Alii minùs rigidi requirunt opinionem probabilissimam, ut quis possit tutâ conscientiâ procedere, relinquendo tutiorem. Ita plures doctores Lovanienses. Vide Perrin, tract. de Actibus humanis in Th. Namuriensi ; Daelman, etc.

Alexander VIII condemnavit doctrinam Rigoristarum, in eâ propositione quæ est tertia inter damnatas ; *Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam.* Sententiam verò aliorum Tutioristarum, qui stant pro necessitate sequendi partem tutiorem quoties opinio favens libertati non est saltem probabilissima, Ecclesia nullibi condemnavit, et ideò est immunis à censurâ, non secùs ac opiniones quas in articulo præcedenti exponebamus. Necesse non reputamus immorari systemati Rigoristarum, quod cùm fuerit condemnatum et à nemine catholico nunc propugnetur, nihil refert ad hanc dissertationem, quæ tota est ad componendas controversias inter doctores catholicos exortas ; sufficiet statuere discrimen quod reperitur inter opinionem probabilissimam et sententiam certam, ut meliùs intelligatur status quæstionis, et simul quæ sub condemnatione sunt, et quæ dimittuntur liberis disputationibus theologorum. Opinio probabilissima tot habet pro se rationum momenta, vel tantâ munitur auctoritate, ut inter opiniones principem locum obtineat ; intra tamen fines probabilitatis remanet, quia non tali fundamento nititur, quod vi suâ inducat necessitatem assensûs, et excludat omnem prorsùs etiam levem formidinem, ne res sit altera quàm judicatur. E contra sententia certa assensum necessitat, et formidinem omnem prudentem excludit de opposito ; sunt quidem varii et infiniti propemodùm gradus quibus ab opinione ad certitudinem quis procedit, sed nunquàm, nisi termini confundantur, suprema probabilitas dici potest, propriè loquendo, certitudo.

His expositis, eum ordinem sequemur quem supra, referendo præcipua momenta Tutioristarum et Probabilioristarum ; hæc paucis exponentur. Tutioristæ arguunt 1° ex textibus juris, 2° ex regulis prudentiæ christianæ, 3° ex impossibilitate assignandi principium reflexum, quo efformet quis conscientiam practicè certam, si sequi velit opinionem simpliciter probabiliorem, relictâ tutiore, quæ, etsi minùs fundata, tamen aliquam servat probabilitatem. Sic premunt Probabilioristas eodem argumento quo isti refutant systema Probabilistarum.

1° Jus canonicum pluries inculcat axioma : *In dubio pars tutior est sequenda.* Hoc axioma non est propositum ut quid magis perfectum, sed ut regula necessariò servanda, quando quidem exprimitur verbis quæ in jure verum præceptum important, verbis absolutis, et si quando SS. pontifices explicant rationem cur debeamus in dubiis semitam eligere tutiorem, recurrunt ad legem naturalem, et dicunt ita requiri ne *committamus offensam contra judicium conscientiæ, ad*

*vitandos graves remorsus conscientiæ.* Hoc fusè et magnâ cum eruditione probat doctissimus Fagnanus in caput *Ne innitaris*, n. 184. Vide Billuart, dissert. 6, art. 2. Hanc regulam violat qui in conflictu opinionum sequitur minùs tutam; nam quamdiù duæ opiniones habent veram probabilitatem, licet in gradu diverso, remanet dubium; atqui opinio licet longè minùs probabilis, tamen non desinit suam habere probabilitatem; ergo non licet in eo statu sequi aliam opinionem, licet probabiliorem, si minùs tuta supponatur. 2° Non licet se exponere periculo peccandi, nam *qui amat periculum, in illo peribit;* hoc saltem nefas, nisi urgeret gravis necessitas; at si quis adhæreat parti minùs tutæ, incurrit periculum probabile peccandi, cùm sit ratio prudens timendi errorem, timendi nimirùm ne prohibeatur à lege, actus quem ponit. Sic quemadmodùm imprudentiæ meritò argueretur qui inter duo pocula illud hauriret quod fortè est veneno infectum, licet probabiliùs non sit venenatum; ita à pari imprudens est qui eligit opinionem minùs tutam, etsi probabiliorem, dùm alia est secura. 3° Nec recurrant Probabilioristæ ad ullum principium reflexum; alia enim nequeunt excogitare, præter tria superiùs memorata, quæ falsa aut saltem dubia esse demonstraverunt contra Probabilistas.

23. Hæc summa disputationis Tutioristarum; argumenta allata theologi resolvunt quibusdam observationibus. Ad 1 respondent textus juris canonici, cùm agant solummodò de casu dubii, intelligendos esse de dubio propriè dicto, nisi aliam interpretationem suggeraat doctrina vel praxis Ecclesiæ, quæ est verus interpres juris canonici; atqui in hypothesi de quâ nunc disserimus, non adest verum dubium, mens non fluctuat inter duo contradictoria, sed judicium pronuntiat in favorem unius partis cui adhæret propter urgentiora motiva; dubium nequaquàm confunditur cum opinione; ergo hi canones non spectant quæstionem præsentem. Hoc magis adhuc constabit, si attenderimus ad doctrinam et ad praxim Ecclesiæ. Doctrina quidem : Alexander VIII, condemnando propositionem initio hujus articuli citatam, apertè docet non requiri ad honestatem actionis, ut habeamus certitudinem directam, sed licitum nobis esse sequî opinionem saltem inter probabiles probabilissimam, relictâ tutiore, quæ aliquid levis probabilitatis haberet. Hoc decretum non attingit quidem Tutioristas minùs rigidos, sed contra illos invocare possumus doctrinam ferè communem theologorum, quorum unanimitate manifestatur sufficienter mens atque doctrina ipsius Ecclesiæ; re quidem verâ si exceperimus veteris scholæ Lovaniensis doctores nonnullos, quibus arrisit systema illud rigiditatis (ob opinionem peculiarem de ignorantiâ juris naturalis quæ exponitur in tractatu *de Actibus humanis*); si, inquam, illos exceperimus, nullus ferè est theologus alicujus celebritatis, qui non reputet sufficere opinionem verè probabiliorem, etiamsi non sit probabilissima, ac quadamtenùs moraliter certa. Huic doctrinæ consonat praxis tum Ecclesiæ, tum Christianorum timoratæ conscientiæ. SS. pontifices et congregationes in suis decisionibus sæpè respondent in sensu favorabili libertati, licet præsumendum non sit, ob magnam rerum obscuritatem, quòd habeant vel absolutam certitudinem, vel eam opinionem probabilissimam quæ ad certitudinem accedat : fideles autem, quando aliquid sibi apparet licitum, et motivis verisimilibus determinantur ad sic sentiendum, agunt conformiter ad illam persuasionem, non sollicitè inquirendo an sua opinio sit probabilissima, quis sit gradus probabilitatis. Ergo textus juris canonici, nec per se, nec per ullam Ecclesiæ interpretationem, probant sequendum partem tutiorem in sensu adversariorum. Eo sensu quidam doctores, ut Gerson, S. Antoninus, quamvis valdè alieni à Probabilismo, ut certa monumenta testantur, dixerunt tamen axioma, *in dubiis pars tutior tenenda*, esse de consilio, non de præcepto; loquebantur de quibusdam sententiis quæ sibi certæ erant aut maxime verisimiles, sed tamen aliquomodò dubiæ, dubio objectivo ob aliquam controversiam, et juxta illos quisque tutâ conscientiâ his sententiis adhærere poterat, non obstante aliquâ tenuî ratione dubii quod remanebat, quia si semper tutiora prosequi necesse esset, multùm aggravaretur lex Christi.

24. Ad secundum argumentum Tutioristarum, cæteri theologi respondent illud retorquendo in adversarios, et deinde directam afferunt solutionem. Quæstio non movetur cum Rigoristis è sectâ Jansenistarum, cùm hi fuerint condemnati per decretum Alexandri VIII, sed cum Tutioristis scholæ Lovaniensis. Hi nolunt sequi opinionem probabiliorem, quia remaneret periculum morale peccandi contra legem; at verò opinio probabilissima non excludit illud periculum morale; nam quamdiù sententia remanet intra limites meræ opinionis, non excludit aliquem rationabilem formidinem erroris; unde, vel Lovanienses recurrunt ad principium reflexum certum, et tunc non est cur impugnent Probabilioristas; ipsi enim sibi etiam vindicant hujusmodi principium, quo conscientia efformetur; vel requirunt principium directum, et tunc incidunt in Tutiorismum rigidum, in thesim damnatam; nisi enim refugiant ad veram certitudinem, semper erit periculum peccati formalis. Vera et sola difficultatis solutio est proinde repetenda à distinctione violationis materialis legis et peccati formalis, qui in praxi sequitur opinionem solidè probabiliorem, se exponit periculo violandi materialiter legem; nam evenire potest ut reipsà existat præceptum quod reputat probabiliùs non existere : sed sive à parte rei lex illa existat, sive non, non subit periculum peccati formalis, quia prudenter operatur, innixus principio certo, ut mox ostendetur. Hinc non valet adducta comparatio hominis qui hauriret poculum quod fortè est venenatum, etsi probabiliùs reputatur non nociturum, quæcumque sit opinio individui, venenum si immixtum fuerit vino, suum effectum producet, et vita periclitabitur, dùm in moralibus, quandò quis bonâ fide et juxta prudentiæ christianæ regulas operatur, Deum non offendit, nullius peccati reactu fœdatur, etiamsi fuerit lex materialiter violata.

28. Ultimum argumentum deductum ex defectu cujuscumque principii reflexi certi, quo reponi possit systema morale Probabilioristarum, resolvitur assignando et probando illud principium. Sic nimirùm ratiocinantur mediam viam tenentes inter duo hi extrema, Probabilismum et Tutiorismum : Non peccat operando qui prudenter judicat sibi licitum esse operari, et formidinem peccandi vel non habet, vel, si quam experiatur, prudenter contemnit; atqui, quando sequimur opinionem verè probabilem extra concursum alterius, vel in casu concursûs, opinionem verè probabiliorem, prudenter judicamus nobis licitum operari. Major evidens est; quo enim modo in Deum peccaret qui juxta regulas virtutis prudentiæ suas actiones dirigit? Minor, quæ sola in controversiam venit, probatur certa argumentis à naturâ rerum petitis et auctoritate. 1° Ratione : ut quis prudenter in casu reputet sibi licitum esse operari, duo sufficiunt, nempe, intellectus judicando prudenter adhæreat sententiæ solidè probabiliori, et voluntas operando non minùs prudenter sequatur judicium intellectûs. Hæc autem duo constant, ut non difficili discursu ostenditur : *intellectus* quidem prudenter adhæret judicando, sententiæ probabiliori; hoc in confesso est apud omnes, qui sive in speculativis, sive in moralibus, passim sequuntur unam contradictionis partem, ut ipsis videtur probabiliorem, et in eo sensu opinantur, quamvis non ignorent ex adverso proponi objectiones quibus inest aliquid probabilitatis. Sic meritò procedunt, nam de naturâ est hujus opinionis ut innitatur motivis idoneis ad determinandum assensum, motivis quæ cùm sint valdè verisimilia magnamque habeant apparentem connexionem cum rei veritate non facilè sinunt intellectum fluctuari ancipitem inter duo extrema, et elidunt in mente hominis prudentis vim rationum minoris ponderis quæ sibi opponuntur. Remanet quidem aliqua formido errandi, quamdiù quis versatur inter limites opinionis; sed illa formido non impedit quin prudenter judicemus urgentioribus motivis impulsi. Qui partem probabiliorem sequitur, ait Gisbert, et magnam habet spem assequendæ veritatis, quia nititur motivis quæ plerumque non fallunt, et prudenter contemnit periculum errandi, quia minus malum est intellectui interdùm errare, plerumque assequendo veritatem, quàm manere semper in statu ignorantiæ et suspensionis. (Antiprobabilismus, parte 1, quæst. 3, p. 338.) Ex suâ parte *voluntas* operando prudenter sequitur judicium intellectûs; lumen rationis à Deo accepimus quod nos dirigat in praxi, unde id agendo quod omnibus attentè pensatis, prudenter existimamus licitum, sequimur regulam consonam ordini divinæ providentiæ. Quòd si fortè speculativè erramus contra legem, error non imputabitur in peccatum, quia lex quæ prudenter creditur non esse, perinde est ac si non existeret, in ordine ad obligandum. Deus, cujus suavis est providentia in homines, non exigit ut tutiora semper prosequantur; tanta est enim ingenii debilitas, tanta in plerisque quæstionibus moralibus obscuritas, ut frequentissimè insurgant difficultates in contrarium; unde si, ob tenuem probabilitatem in favorem legis, esset obligatio huic adhærendi, adigeremur ad obligationem legum quæ sæpiùs non existunt. Hinc patet discrimen inter systemata hucusque examinata : Tutiorismus ultra modum aggravat jugum, et sub prætextu alicujus securitatis, homines subdit legibus quæ à parte rei sæpiùs non obligant, laqueos injiciendo fragilitati humanæ; Probabilismus nimiùm exponit leges, et permittit operari dùm nulla est in individuo ratio prudens existimandi licitam esse operationem; Probabiliorismus jura legum et humanam fragilitatem ita conciliat, ut nunquàm operetur homo, nisi prudenter reputaverit nullam legem suæ actioni obstare, cùm ordinem sequatur in quo magis communiter stat veritas, et tandem non nimio ac importabili oneri subjicitur. 2° Probabilioristæ hoc ratiocinium confirmant auctoritate, in moralibus : Possumus, inquiunt, habere ut moraliter certum illud principium quod, cùm sit valdè consentaneum rationi et conforme ordini providentiali, insuper agnoscitur universaliter, in suî patrocinium habet unanimitatem moralem theologorum; tale est autem principium reflexum de quo nunc agimus; illud omnes admittunt, præter solos Tutioristas, qui sunt paucissimi numero comparativè ad alios, ut satis notum est, et non possent suum systema urgere, quin inciderent in Rigorismum ab Ecclesiâ condemnatum, quod supra probavimus. Hi ipsimet si suam conscientiam interrogent, fortè agnoscent se persæpè sequi opinionem cui prudenter adhærent, non inquirendo nimiâ sollicitudine, an sit tantùm probabilior, vel insuper gradum probabilissimi attigerit.

Theologi, quorum systema in eo articulo proponimus, observant illud tunc tantùm locum habere, quando est vera et solida probabilitas, prudens adhæsio uni parti; unde in conflictu duarum opinionum, levis excessus probabilitatis non sufficeret; parùm in moralibus pro nihilo reputatur, et nimis periculosum foret ne amore libertatis deciperemur vanâ specie alicujus probabilitatis. Quare, ait Gisbertus jam laudatus, « apud religiosas mentes principium esto, liber-« tatem non sequi postpositâ lege, nisi probabilitas li-« bertatis notabiliter excedat probabilitatem legis; ni-« mirùm ubi non apparet notabilis excessus unius « supra alterum, censeri debent in pari causâ; in « causâ verò pari habet lex divina jus prælationis « supra libertatem humanam. » P. 341. Quisnam verò sit ille excessus probabilitatis, determinare non possunt modo generali; hoc requirit accuratam considerationem rerum; major vel minor requiritur pro diversis materiis, ut alibi explicatur.

Hæc sint dicta ad expositionem systematum quæ in scholis theologicis propugnantur, circa quæstionem de delectu opinionum in praxi; nunc considerandum habemus quis conciliationis modus esse possit inter sententias sibi contradicentes

## CAPUT III.

### CONCILIATIO SYSTEMATUM THEOLOGICORUM DE DELECTU OPINIONUM IN PRAXI.

26. Theologi sæpè conati sunt conciliare simul Probabilismum et Probabiliorismum; rem sanè difficillimam aggrediebantur, imò impossibilem, si vellent systemata adeò contradictoria ad unum reducere: verùm minor est difficultas, si hoc tantùm nobis proposuerimus, exponere quomodò theologi standò suis principiis, sive Probabilistæ supponantur, sive Probabilioristæ, imò Tutioristæ, possint multis in circumstantiis eamdem inire viam, eodem modo solvere casus occurrentes, adeò ut minor sit in praxi dissidentia quàm communiter creditur. Hunc modum conciliationis proponebat Suaresius in tract. de Actibus humanis, disput. 12, sect. 5, n. 6. « Id agendum, in- « quit, quod juxta materiæ exigentiam et negotii qua- « litatem minora habet incommoda, omnibus pensatis. « Hoc indè patet, quia judicium practicum conscien- « tiæ prudentiale est; sed proprium prudentiæ prin- « cipium est, in singulis actionibus id esse agendum « quod minùs habet incommodi, atque hoc modo hìc « etiam verum habet illud principium : *In dubiis tutior « pars est eligenda.* » Suaresius hoc in particulari applicat ad dubia juris et ad dubia facti; nos eidem principio prudentiæ insistentes, explicabimus seorsim regulas juxta quas theologi possint et debeant solvere casus in sensu favorabili libertati, et regulas etiam juxta quas in aliis circumstantiis debeant dubia resolvi in favorem legis.

#### § 1. *Quandonam in dubio pronuntiari possit in favorem libertatis.*

27. Tres assignari possunt hypotheses generales, quæ innumeros casus particulares comprehendunt, scilicet, consensus superioris, conflictus legum et prudens persuasio agentis. Hæc seorsim explicabimus, indicando simul præcipua consectaria.

1° *Consensus superioris.* In iis quæ pendent à jure humano, principium est eligi posse in dubio partem faventem libertati, quando 1° ita statuitur à jure; 2° eam esse voluntatem superioris meritò præsumitur; 3° aliter fieri nequit quin subeatur periculum gravius quàm grave foret malum violationis materialis legis. Ratio hujus principii est manifesta; unde hìc sufficiet indicare quædam corollaria practica. Ex primâ parte principii concluditur 1° valere in materiâ justitiæ axioma : *Melior est conditio possidentis.* Jus commune à quo pendet determinatio bonorum temporalium proprietatis, ita statuit, ut ostenditur et explicatur in tractatu *de Justitiâ;* non possumus in nostrâ dissertatione de Probabilismo, quæstiones discutere quæ ad illius principii applicationem pertinent. 2° Valet in materiâ pœnarum axioma : *In obscuris benignior interpretatio est facienda.* Hoc effatum consignatur in regulis juris canonici in 6°, est regula 49. Aliæ similes ibidem reperiuntur, præsertim 13 et 30 : *Odia restringi et favores convenit ampliari... In obscuris minimum est sequendum.* De sensu hujus axiomatis non omnes conveniunt; hæc autem certa videntur et minimè controversa : in foro externo judex ecclesiasticus et civilis; partem benigniorem semper sequuntur quapropter si dubium sit an pœna lata fuerit à legislatore, an verò nulla sit pronuntiata, abstinebit à plectendo reum; si dubitetur de pœnarum specie, pro minimâ debet pronuntiare; quando de eâdem pœnâ dubitatur an sit latæ vel ferendæ sententiæ, supponendum est censuram non fuisse latæ sententiæ, et sic de cæteris : ita decretum fuit à jure ne judex vel innocentem puniret, vel reum plus æquo et ultrà voluntatem superioris, quod majus malum foret quàm absolutio nocentis. Quoad forum internum seu conscientiæ, est satis dubium an applicentur axiomata allata. Negant Antiprobabilistæ, juxta quos qui dubitat an censuram incurreret, debet se gerere velut reipsà incurrisset, sive dubium sit juris, sive facti : his consentiunt non pauci Probabilistæ ob caput juris canonici *Illud* de Clerico excom. lib. 5, tit. 27. In eo capite Innocentius III respondet episcopum qui dubitabat de validitate censuræ contra se latæ, debuisse potiùs abstinere quàm sacramenta celebrare, quia, inquit, in dubiis via est eligenda tutior. Ita communiter, ait B. Liguori, quando dubitatur an censura fuerit justè lata vel ne, ut justa judicanda est ob præsumptionem quæ stat pro superiore (de Censuris, n. 68). In aliis casibus dubii, tum juris, an censura fuerit lata, tum facti, an censura fuerit incursa, Probabilistæ sat communiter tenent non esse in foro interno obligationem servandi censuram. Ib., n. 67. Contrariam sententiam propugnat Fagnanus in caput *Ne innitaris*, n. 196 et seq. 3° In materiâ irregularitatum, prævalet axioma, *Non incurri irregularitatem, nisi exprimatur in jure.* Hoc supponit Bonifacius VIII, in sexto Decretalium lib. 5, tit. 11, cap. *Is qui.* Hinc canonistæ et theologi communiter concludunt non incurri irregularitatem, quando grave est dubium juris, quia dici nequit illud exprimi in jure quod non constat an fuerit statutum à jure. Si autem dubium sit facti, vel factum illud est homicidium, de quo dubitatur an induxerit irregularitatem, vel est factum aliud quodcumque; si prius tenendum cum communi, ait B. Liguori, eum qui sic dubitat in utroque foro conscientiæ et externo, habendum esse ut irregularem (de Irregul. n. 347, dubit. 31), ita ex cap. *Significàsti*, lib. 5, tit. 12. Si posterius, multi existimant irregularitatem non incurri, nec in foro externo, nec in foro interno, quia non exprimitur à jure; sic sentiunt plures etiam Antiprobabilistæ quos citat et sequitur Collet in tract. de Irregularitatibus, et in tract de Dispensat. lib. 6, n. 128. Attamen Benedictus XIV, in Institutionibus quas ad clerum Bononiensem direxit dùm esset archiepiscopus, tenet eo in casu pro foro interno servandam irregularitatem (inst. 101, n. 25). Sic Fagnanus, Billuart, et alii non pauci, eam rationem afferunt, quòd canones allegati pro casu homicidii non statuunt regulam specialem relativè ad illum casum, sed supponunt principium generale quod applicant ad casum propositum.

28. Præter casûm quo ita fuerit à jure determinatum, adhuc licet vi principii allati, pronuntiare in favorem libertatis, quando prudenter præsumitur eam esse intentionem superioris. Hinc 1° si superior non solùm sit Probabilista, sed insuper placita Probabilismi foveat, illius praxim suadeat, consulat aut consuli positivè permittat, licebit subditis eligere in dubio partem faventem libertati, quia tunc legislator censetur condere suas leges in eo sensu, et sic servari velle decreta à suis prædecessoribus lata. Aliter dicendum si ea opinio sit ipsi privata, personalis, nihilque egerit *quatenùs superior*, quod explicitè vel implicitè inducat interpretationem auctoritativam disciplinæ. Hinc 2° quæcumque sit opinio personalis superioris, si praxi communissimâ, sensu moraliter communi, usus prævaleat, ut leges dubiæ, seu de quorum promulgatione, extensione, etc., meritò dubitatur inter ipsos peritos, non serventur vel interpretentur in partem benigniorem, faventem libertati, et non absistat superior, hoc etiam licebit, quia praxis legem interpretatur, et sic abrogare, ita et mutare potest, ubi legislator non reclamat. Ratio petitur ex principiis positis in tract. de *Legibus*, ubi de *Consuetudine*: tunc defectu consensûs personalis superioris, est consensus veluti legalis, quo generaliter vult servari consuetudines legitimè introductas, et leges servari cum iis modificationibus quæ fuerint longo et communi usu inductæ. Talem reverà esse praxim respectu legum civilium, præsumimus, non solùm pro foro externo, ubi lex quæ ut dubia agnoscitur, non executioni demandatur, sed et in foro interno, cùm universalis videatur hæc persuasio, leges non obligare in conscientiâ, quamdiù non iis vestiuntur conditionibus, quæ necessariæ forent ut tribunalia eorum observationem urgerent. Quòd si identidem judices pronuntient sententias vi legum de quibus dubium movetur inter jurisperitos, hoc indè provenit, quòd hi judices non ipsi dubitent de lege, sed verisimiliorem et sufficienter fundatum reputent sensum quo illam applicant. Quoad leges canonicas, non abnuimus quin esse possint provinciæ in quibus illa jurisprudentia usu et sensu communi invaluerit. Sed nihil generale determinari potest, quia attentis controversiis theologorum de Probabilismo, nulla est sententia quæ satis prævaleat ad certò determinandum in quo sensu leges dubiæ interpretari debeant... Hinc 3° leges onerosæ, quales sunt leges tributorum, et aliæ quæ nimiùm libertatem individuam coarctant, possunt in casu dubii intelligi in sensu benigniori faventi libertati, quia mens legislatoris non est gravare subditos, sed potiùs eos levare quantùm patitur ratio boni publici. Odia restringi et favores convenit ampliari, ut aiunt canonistæ; aliud est axioma juris quod in re præsenti allegatur, nempè: *Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda* (Reg. juris in 6, reg. 57). Cavendum sanè ne decipiamur amore libertatis et nimiâ exaggeratione incommodorum; sed ubi verum dubium est, nihil obstare videtur quin in foro etiam interno stemus pro parte libertatis, penès legislatorem est, si vellit, apertiùs dicere, quando animadvertit suam legem esse obscuram. Hinc, 4° ut alia omittamus, pronuntiari poterit in favorem libertatis, quando aliter fieri nequit, quin agens subeat periculum damni seu mali gravioris, quam foret violatio legis: sic, exempli causâ, qui reperitur in eo statu debilitatis, ut prudenter timeat ne observatio legis jejunii, vel recitatio breviarii, graviter ei nocitura sit, dubitat an lex sit applicanda vel non ad casum præsentem, non enim certus est de gravi nocumento secuturo; alioquin nulla foret difficultas, lege in eâ hypothesi non obligante, sed de eo prudenter timet. Porrò existimamus in hocce dubio, quòd possit se eximere ab observatione jejunii aut recitationis: ratio est quòd periculum probabile gravis nocumenti est aliquid gravius, omnibus pensatis, quàm periculum probabile inobservandi legem, si fortè obliget; unde sapienter præsumimus non esse voluntatem superioris, ut qui constituitur inter hæc duo pericula æquè probabilia, subeat discrimen vitæ propriæ potiùs quàm se exponat discrimini violandi legem. Hic invocari posset axioma juris Romani: *Benigniùs leges interpretandæ sunt, quo earum voluntas servetur*. Eâ benignâ interpretatione, verè conservatur legum voluntas, cùm indè caveatur ne nimis gravantes appareant, et in subditis magis foveatur amor atque studium legis, quàm cæteroquin ut jugum importabile haberent. Tamen ne plus æquo sibi quisque faveat, exquirendum est consilium à viro prudenti; aliàs frequens erit illusio... Hæc nos ducunt ad secundam hypothesim quam allegavimus, ob rerum connexionem; itaque:

29. 2° *Conflictus legum* alia est hypothesis generalis, quæ sæpiùs dat locum dubia interpretandi in favorem libertatis, non solùm in iis quæ pendent à jure humano, de quibus modo agebamus, sed in quocumque causarum genere principium esto: in dubio favendum libertati quoties omnibus pensatis, prudenter judicatur aliter fieri non posse quin incurratur malum gravius quàm foret transgressio materialis legis de quâ dubitatur. Hoc principium fundatur naturâ rei. Juxta omnes theologos, quando concurrunt duæ leges quæ simul observari non possunt, ea prævalere debet quæ attentis omnibus circumstantiis magis urget; hæc autem magis urgere censetur, cujus inobservatio graviora mala induceret: igitur dubio occurrente, sedulò considerandum erit quis sit finis legis de quâ dubitatur, quæ sit illius necessitas, quæ incommoda sequentur ex illius strictâ observatione; quæ autem si parti benigniori stetur, sæpissimè apparebit legem charitatis, aut aliam præponderare legi dubiæ. Hoc elucidabitur exemplis quæ simul ostendent quousque se extendat in moralibus illud principium. Quædam seligemus quæ referuntur ad obedientiam directori vel superiori præstandam, ad sacramentorum administrationem, ad casum consultationis.

30. Ex principio allato concludes in ordine ad obedientiam superioribus debitam, 1° scrupulosum posse obedire confessario vel directori pronuntianti in suî favorem; modò hunc directorem prudenter elegerit, et res quæ sibi consulitur vel permittitur non ei appa-

reat certò mala. Posito ordine divinæ providentiæ quæ, cùm velit homines alios ab aliis regi, permittit proinde ut securâ conscientiâ possimus sequi decisiones confessarii, supposito, inquam, hoc ordine, scrupulosus potest et aliquo modo debet in dubio adhærere monitis sui confessarii; quod facili discursu ostenditur : nam, ex unâ parte, animadvertit periculum violandi legem seu naturalem, seu divinam, seu humanam, de quâ dubitat, v. g., legem integritatis confessionis si quædam quæ sibi peccata gravia videntur omittat, legem breviarii, si non iteratò recitet quæ malè recitâsse præsumit, etc., etc.; ex alterâ autem parte, animadvertit tum ordinem generalem divinæ providentiæ, quæ vult ut ab aliis non dirigi sinamus non nimiùm adhærentes sensui privato, tum legem charitatis quâ obligatur erga semetipsum, ne se exponat innumeris periculis, anxietatibus, detrimento spirituali, quæ incurrit homo præsertim scrupulosus, qui renuit simplici animo se aliorum judicio submittere : his invicem ponderatis, scrupulosus stare debebit, non obstante dubio, auctoritati directoris, quia ex eâ parte minora imminent pericula; satius est ut se exponat periculo non observandi legem, si quæ sit, quàm infinitis propemodùm angustiis quas vitare non posset, aliter agendo. Concludes 2° in ordine tum spirituali, tum temporali, inferiorem dubium de rei imperatæ legitimitate posse, imò debere obtemperare mandato superioris, quamvis à parte rei illud appareat minùs tutum. Illud adhuc fundatur tum lege divinæ providentiæ, quæ vult subditos obtemperare superioribus, quæ lex non admittit exceptionem pro casu dubii, tum conflictu legum. Licet in casu particulari præceptum superioris videatur aliquid minùs grave quàm lex humana, divina aut naturalis, de quâ dubitatur, tamen si attenderimus ad consectaria quæ certò sequerentur in detrimentum societatis ex facultate datâ subditis non obediendi quoties dubitarent de legitimitate rei imperatæ, manifestum erit hæc multùm præponderare periculo interdùm violandi materialiter legem etiam divinam. Periculum enervandi auctoritatem eò magis urget, quò frequentiores sunt casus dubii ob ingeniorum diversitatem, rerum obscuritatem, et tandem necessitatem in quâ sæpè est superior non propalandi omnia motiva sui præcepti. Observandum tamen hic nos supponere *dubium de legitimitate rei imperatæ :* dubium in eo speciali casu sumitur per oppositionem ad moralem certitudinem; si subditus moraliter certus esset superiorem præscribere actum illicitum, evidens est quòd non posset obedire, cùm melius sit obedire Deo quàm hominibus, sed quamdiù non habet hanc speciem certitudinis, etiamsi probabilius sibi videatur falli superiorem, prævalebit regulariter lex obedientiæ. Insuper dubium de quo nunc refertur ad rem imperatam, non verò simpliciter permissam; si enim tantùm permittatur, non eadem esset ratio, cùm nulla sit necessitas utendi permissione, non datur locus conflictui obligationum; hoc solum notaremus, præsumptionem stare communiter in favorem superioris, unde nisi gravis ratio ex adverso urgeat, subditus posset suam conscientiam efformare illâ præsumptione, præsertim si non sola licentia detur, sed et consilium agendi.

31. Idem conflictus aliquando occurrit in administratione sacramentorum, dùm ex unâ parte vetat religio ut sacramenta exponantur periculo nullitatis et profanationis, et charitas ex aliâ parte vetat ne exponatur salus æterna animarum pro quibus instituta fuerunt ipsa sacramenta. Aliquando prævalebit religio, aliquando autem charitas, si urgeat necessitas. Hinc 1° in extremâ necessitate licet adhibere materiam dubiam, si alia non suppetat, baptizare, absolvere in articulo mortis dubiè dispositos. Hinc 2° etiam independenter à casu extremæ necessitatis, licitum esse potest dare absolutionem dubiè dispositis qui bonâ fide se existimant sufficienter paratos, et conjicerentur, denegatione absolutionis, in pejorem statum desperationis. Ita docent multi Antiprobabilistæ, ut Billuart, Dujardin, Dens, et alii. Magnâ quidem prudentiâ opus est ad applicandum illud principium, quo facillimè abuterentur in detrimentum animarum confessarii imperiti vel negligentes; sed si benè intelligatur, necessariò fluere videtur ex dictis; est quippè tum aliqua necessitas moralis quæ attentis naturâ sacramenti et fine Christi, præponderat periculo profanationis; satius est magisque conducens ad salutem animæ in his circumstantiis ut conferatur sacramentum cum periculo probabili nullitatis et spe fundatâ eam servandi à tentatione dejectionis spiritualis, quàm si denegaretur cum certitudine vel periculo æquè probabili *detrimenti* spiritualis. Innocentius XI condemnavit quidem propositionem in quâ dicebatur licitum esse in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, relictâ tutiore; sed nihil indè contra nos deducitur. Sensus decreti non est quòd nunquàm liceat adhibere materiam dubiam; alioquin illicitum foret absolvere etiam moribundum dubiè dispositum, sed quòd minister non possit, relictâ materiâ certâ quæ præstò foret, aliam adhibere dubiam. Sed de hoc alibi disseritur.

32. Gravior est difficultas an applicatione nostri principii de conflictu legum confessarius aliusve superior, qui interrogatur de obligatione dubiâ, et prudenter timet ne sua responsio, si eam dederit in sensu favorabili legi contra libertatem, sit occasio ruinæ spiritualis, possit juxta benigniorem opinionem casum resolvere. Hanc regulam proponit auctor recens, in opere cui titulus : *Le Prêtre sanctifié par la pratique charitable et discrète du sacrement de pénitence :* « Ou « gardez un silence parfait sur toutes ces obligations « incertaines, ou prenez un terme moyen entre les « sentiments opposés; ou si vous ne le trouvez pas, « ne décidez point, mais conseillez seulement ce qu'il « y a de plus sûr et de plus parfait sans en faire un « devoir (n° 53)... Si vous ne pouvez garder le si- « lence, et que vous deviez répondre à celui qui vous « interroge sur des questions obscures et discutées..., « vous n'imposerez pas d'obligation; mais si l'opinion « bénigne est fondée sur de prudentes raisons, et que « vous craigniez que l'opinion sévère ne soit pas ob-

« servée par le pénitent, vous devez en pareils cas « reconnaître que la première lui convient mieux. En « conséquence, vous ne devez pas la défendre, mais « la lui permettre. » N° 57. Hanc quæstionis solutionem ultrò admittent omnes Probabilistæ; an etiam arriserit Probabilioristis ignoramus; tamen nobis videtur salvo doctiorum judicio, hanc propugnari posse veluti regulam satis fundatam, independenter ab omni systemate de delectu opinionum, sed solùm argumentum deducendo ex principiis laudatis de conflictu obligationum. Confessarius, vel is quicumque sit qui consulitur in hypothesi propositâ, versatur inter duo pericula quæ illum urgent, ex quibus cùm utrumque vitare non possit, unum præ alio subire debet; exempium sit ea consultatio quæ facta olim narratur ad Urbanum VIII : cùm primores cujusdam gentis paganæ tot alerent pellices quot eorum libido et facultas permittebat, easque ut ancillas ad libitum dimittere solebant, dubium ortum est inter missionarios an illæ conjunctiones reputari deberent vera matrimonia, consequenter an conversi ad fidem compellendi essent redire ad primam uxorem, aut è contra posset illis permitti quam voluerint baptizatam assumere. Eo in casu duæ leges ex adverso urgere videbantur : vel enim hæ conjunctiones erant verum matrimonium, vel non; si prius, missionarii peccâssent contra legem divinam de unitate et indissolubilitate matrimonii, permittendo conversis ut priore muliere quam duxerant dimissâ, aliam in uxorem assumerent; si posterius, peccâssent contra legem charitatis et bonum religionis, prohibendo ne iidem nova inirent conjugia, dùm eâ prohibitione eos removebant ab amplectendâ fide christianâ, et periculum probabile incurrebatur ne tota gens suis primoribus ducta remaneret in infidelitate. Hoc applicari potest generatim omnibus obligationibus verè dubiis ac controversis, quando prudenter timemus ne sententia favens legi contra libertatem plus nocitura sit quàm profectura. Quòcumque confessarius, director vel superior, se vertat, impingit in scopulum aut periculi probabilis violandi legem de quâ dubitatur an obliget in eâ circumstantiâ, aut periculi æquè probabilis peccandi contra charitatem si lege illâ per se non obligante, imponat onus et proximam det occasionem ruinæ spiritualis. Quando inter hæc duo, quid sit agendum eâ quâ par est prudentiâ determinaverit, peccatum si adsit erit tantùm peccatum materiale, nec ipsi imputandum; sed quæstio est quodnam ex duobus iis malis gravius appareat, deteriora habere debeat consectaria in ordine ad gloriam Dei et animarum salutem ?..... Fertur Urbanum VIII, in casu supra memorato, respondisse missionariis ut sequerentur opiniones, pro conditione locorum et hominum, barbaris favorabiliores. Ita narratur in historiâ Paraquariâ scriptâ à P. Nicolao del Theco. Non citantur in propriis terminis verba pontificis, nec satis probatur authenticitas hujus decisionis, nec forma quâ fuerit prolata; quapropter difficile esset ex illâ validas probationes deducere; tamen eos qui hujusmodi regulam ad se determinandum in rebus dubiis, sequerentur, non redargueremus, positis ponendis. Nam 1°, quidquid statuatur circa quæstionem Probabilismi, præsumendum non est legem verè dubiam tam gravem obligationem inducere ac si certa foret; hoc parùm consentaneum videretur rationi et communi existimationi; atqui si nulla ratio periculi, nulla ratio nocumenti quantùmvis gravis, possit eximere ab illius observatione, eadem foret obligatio, æquali rigore urgeret lex dubia ac lex certa. 2° Prudentia dictat ex duobus malis imminentibus illud præ alio vitandum quod gravius meritò reputatur; atqui detrimentum spirituale animarum gravius certè est quàm inobservatio legis, quæ cùm dubia sit, fortè non existit; ergo, etc. Dicimus *positis ponendis*, nimirùm servatis quibusdam conditionibus quæ necessariæ sunt ad præcavendos abusus; unam aut alteram exponemus. Prima est accurata consideratio tum legum in se spectatarum, tum circumstantiarum in quibus reperitur is qui consulit, tum tandem effectuum qui secuturi prævidentur ex decisione; hæc si non attentè conferantur, frequens erit occasio erroris. Secunda conditio est ut ita temperetur decisio, ut videatur potiùs solutio specialis relativa ad casum particularem, quàm regula generalis, ne ad plura deinde extendatur ab ignaris, quibus apponenda nullo modo foret.... Hæc sufficiant de conflictu legum seu obligationum.

33. *Persuasio prudens agentis* alia est hypothesis in quâ, stante dubio, permitti potest ut stetur parti benigniori faventi libertati. Theologi probabilioristæ inquirunt an confessarius absolvere possit pœnitentem qui an praxi sequitur opinionem faventem libertati, sive quia adhæret Probabilissimo, sive quia hæc opinio sibi videtur probabilior, cùm tamen confessario hæc appareat minùs probabilis. Hanc quæstionem non omnes solvunt eodem modo; alii affirmant, alii negant, eâ ratione quòd pœnitens in uno casu non haberet judicium prudens de honestate sui actùs, in altero autem non debeat esse judex in propriâ causâ, sed potiùs se submittere judicio confessarii. Solutio dubii, sicut et præcedentium, repetenda non est ex opinionibus circa Probabilismum, sed ex aliis principiis quibus haud difficilè probatur confessarium permittere posse pœnitenti ut sequatur opinionem faventem libertati, modò ille pœnitens non adhæreat huic opinioni pravo affectu, inordinatè, non efformatâ conscientiâ, sed eam prudenter fuerit amplexus. Confessarius non est constitutus judex controversiarum cum auctoritate eas dirimendi, sed judex tantùm dispositionum interiorum pœnitentis, an sit sincerus in confitendo, verè contritus, emendatus à peccato; at quòd pœnitens ille sequatur systema Probabiliorismi vel Probabilismi, seu rigidi, seu mitigati, item quòd in quæstione particulari adhæreat opinioni quæ minùs probabilis videtur confessario, hoc nihil à parte rei refert, in ordine ad concessionem vel denegationem absolutionis, quia hæc omnia non sunt incompatibilia cum dispositionibus requisitis ad suscipiendam gratiam sacramenti; ergo nihil sub eo respectu impedit

quin confessarius absolvat pœnitentem qui suæ reluctatur opinioni in iis quæ sunt controversa, de quibus liberè disputatur in scholis, et Ecclesia nihil pronuntiavit. De hoc tantùm sollicitus esse debet, an pœnitens procedat bonâ fide, et suam conscientiam prudenter efformaverit. Nec dicatur pœnitentem rudem et ignarum non posse in rebus obscuris suam conscientiam prudenter formare contra consilium sui confessarii, ac consequenter regulam nostram non posse applicari, nisi doctioribus. Fatemur medium ordinarium quo rudis instruatur de suis obligationibus, esse monita confessarii, et confessarium agere vices non tantùm judicis et medici, sed et doctoris; attamen eo non obstante, non semel pœnitens etiam ignarus poterit habere opinionem prudentem de praxi servandâ in dubiis, inconsulto confessario, imò contra ipsius confessarii opinionem. Omnes theologi observant unicuique sufficere certitudinem relativam directam aut reflexam; hanc autem certitudinem esse prudentem quoties, adhibito bonâ fide medio uniuscujusque captui proportionato, existimat hoc esse permissum vel vetitum. Hoc posito, cur pœnitens non posset aliud opinari quàm suus confessarius? Aliquando novit alios confessarios, parochos, viros prudentes, stare tali opinioni quam sequuntur et cæteris suadent; consequenter novit nihil certum atque ab Ecclesiâ determinatum esse de hoc puncto, cùm disputetur inter eos qui æquali reverentiâ Ecclesiæ doctrinam observant; tandem hæc eadem opinio sibi videri poterit valdè rationi suæ consona. Illam igitur et ipse amplexabitur, illam in praxi sequetur, securus omninò, eò magis quòd non prospicit ob suam ignorantiam rationes intrinsecas quæ dubium in aliorum mente inducunt. Prudens confessarius, qui animadvertit suum pœnitentem esse in eâ bonâ fide, eum non inquietabit, nec objectionibus implicabit, quæ sæpiùs alium effectum non haberent quàm perturbare ejus conscientiam, et suggerere dubia cum quibus, si nihilominùs agat, peccabit formaliter. Hæc solutio quæstionis propositæ multùm confirmatur responsis quæ nuper prodierunt à SS. congregationibus, circa Probabilismum, usuram, etc. Hæc enim omnia eò tendunt, ut in rebus dubiis non inquietentur pœnitentes qui bonâ fide sequuntur opinionem præ aliâ, utendo libertate quam Ecclesia omnibus servatam voluit, quoadusque intervenerit judicium. (V. Liguori de Pœnitentiâ, n. 604.)

Tres hypotheses enumeravimus in quibus licet sequi, stante dubio speculativo, opinionem faventem libertati, *consensum superioris, conflictum legum et persuasionem prudentem agentis*; hæc per modum exempli exposuimus, nec mens nobis fuit vel omnes casus percurrere, alii enim fingi possunt, nec quæstiones omnes discutere quæ ad hos casus referuntur, hoc enim pertinet ad tractatus speciales. Cæterum 1° quoties horum principiorum quis sequitur opinionem benigniorem, dicendum non est, si accuratè loqui velimus, eum sequi *partem minùs tutam*. Determinatio esse potest minùs tuta respectu legis de quâ dubitatur, quia inde incurritur periculum ab eâ recedendi; verùm est in se simpliciter tuta respectu agentis qui Deum non offendit, modò supponatur principium reflexum, quo innititur, esse sufficienter fundatum. 2° Necesse non est in iis casibus ut agens deponat suum dubium speculativum, imò nec semper possibile foret. Nam est quidem hoc necessarium ad honestatem moralem actûs, siquidem non obstante illo dubio formatur dictamen practicum vi principii reflexi, sic ratiocinando: Quidquid sit de veritate aut falsitate talis propositionis, de existentiâ vel non existentiâ legis, de legitimitate aut illegitimitate intrinsecâ rei imperatæ, certus sum me non peccaturum eam partem in praxi eligendo, quam aut consensus legislatoris aut obedientia superioribus præstanda, aut aliud principium certum determinat; atqui in casu præsenti, etc. Igitur etsi speculativè dubitem, certus sum tamen certitudine practicâ, etc., etc. Insuper, hæc depositio dubii non est semper possibilis, cùm res supponatur verè dubia, et ut talis apprehendatur ab intellectu; voluntas enim potest quidem removere mentem à consideratione motivorum unde enascitur dubium, sed non despoticè dominatur intellectui, ut iste assentiatur alicui propositioni ut certæ aut probabiliori, dùm nullam conspicit rationem, sive intrinsecam sive extrinsecam, hujus certitudinis, vel probabilioritatis.

### § 2. *Quandonam in dubio pronuntiari debeat in favorem legis?*

34. Si aliquandò liceat sequi in praxi sententiam benigniorem, quidquid statuatur de quæstione Probabilismi, aliquandò etiam debemus tutiorem sequi, relictâ non solùm æquè probabili, sed etiam probabiliore. Huic puncto non diù immorabimur, cùm nulla sit de eo difficultas gravis; sufficiet statuere principium, et quædam consectaria magis præcipua summatim deducere. Secluso casu quo aliquis, mandato superioris, vel voto, vel conditione initâ, teneretur sequi in dubiis partem tutiorem, principium generale est: Tenetur quis in conflictu opinionum, partem tutiorem sequi, relictâ minùs tutâ, licet probabiliori, quando ex errore speculativo sequeretur detrimentum grave seu in spiritualibus, seu in temporalibus, quod avertere non potest principium reflexum conscientiam efformans, et non compensatur necessitate agendi. Ratio hujus principii est evidens; nec charitas, nec prudentia christiana permittit ut ponamus causam licet remotam, id est, parùm probabilem hujus detrimenti, nisi ad sic agendum adigamur aliquâ necessitate proportionatâ gravitati hujus periculi.

Hinc 1°, quando agitur de re necessariâ necessitate medii ad salutem, ut baptismi validitate, non licet sequi in dubio opinionem minùs tutam, nequidem probabilissimam; nam si fortè sit error, nullum est dictamen conscientiæ quod in infante suppleat sacramentum. Hinc 2°, in conferendis sacramentis illicitum est sequi opinionem probabilem relictâ tutiore, quia valor sacramenti non pendet à nostrâ intentione, sed à reali applicatione materiæ et formæ atque cæterorum quibus constituitur. Propositio contraria, quam Innocentius XI condemnavit, loquitur tantùm de collatione sacramentorum, non verò de illorum susceptione; sed in utroque casu standum principio, ut communiùs tenent theologi. (Vid. D. Viva in theses damnatas, prop. 1, inter damn. ab Innoc. n. 25.) Qui suscipiendo sacramentum sequeretur partem minùs tutam, peccaret contra virtutem religionis, exponendo illud sacramentum nullitati, quod nefas, nisi urgeat ratio necessitatis. Hinc 3°, quando opinio favens libertati proximius reddit periculum peccati formalis, ut si dubitetur an talis occasio peccati sit proxima respectu pœnitentis, necesse est, quantùm prudentia christiana permiserit, tutiora sequi, in eo adhuc casu malum spirituale non potest averti per illum principium reflexum. « Tunc, ait B. Liguori, semper expedit ut confessarius utatur, imò dico quòd ipse ut medicus « animarum tenetur uti opinionibus tutioribus, quæ « pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt. » (Systema morale.) Hinc 4°, ubi periculum damni temporalis à nostro actu imminet, ut in casu medicamenti ex quo mors ægroti sequi potest, etc. etc., in his et aliis similibus quæ memorari longius foret, comparari simul debent gravitas et probabilitas periculi cum facilitate aut difficultate eligendi tutius, ut indè concludatur quid agere liceat; manifestum est enim jus naturale eò magis imperare vitationem periculi, quò majus malum nobis vel proximo inferre posset actus, et facilius est illud præcavere ab eo actu abstinendo.

## Scholium.

35. Quæ in hâc dissertatione exposuimus ad hæc duo conducunt, plenam esse libertatem theologis et fidelibus adhærendi variis systematibus quæ in scholis agitantur de Probabilismo, modò stent intra limites

decretis pontificiis assignatas; deinde non tantam esse dissidentiam doctorum in ordine ad praxim quàm primo intuitu appareret, cùm vi principiorum quæ sunt independentia ab illâ quæstione, et quæ omnes admittere possunt, sæpissimè eveniat ut debeamus eâdem viâ incedere, eodem modo solvere casus occurrentes, sive stando parti faventi libertati, sive tutiora sectando. En solus conciliationis modus, quem possumus proponere inter opiniones contradictorias; alium si fortè adsit non videmus; unusquisque in suo sensu abundet, et libertatem opinandi quam sibi vindicat, in aliis non reprehendat.

Muzarelli in opusculo de *Regulâ opinionum moralium*, existimavit omnem controversiam componi posse principio quod Benedictus XIV inculcat in bullâ *Apostolica constitutio* : « In re dubiâ (confessarii) « propriæ opinioni non innitantur, sed antequàm cau- « sam dirimant, libros consulant quamplurimos, eos « inprimis quorum doctrina solidior, ac deinde in « eam sententiam descendant, *quam ratio suadet ac « firmat auctoritas.* » Ultrò concedimus hoc principium esse certum, universale, ad praxim reducibile; inservit ad solvendos plurimos casus difficiles independenter à principiis Probabilismi seu Probabiliorismi, ut sequitur ex dictis in capite tertio : verùm nec generalem quæstionem solvit, nec controversiis finem potest imponere. Omnes illud pari jure invocant; schola Probabilistarum non propugnat suum systema, nisi quod sibi tale videtur quod *ratio suadeat ac firmet auctoritas*, dùm eodem argumento rationis suadentis ac confirmantis auctoritatis utitur schola Tutioristarum, ad statuendum systema adversum. Supponatur, exempli causâ, aliquem dubitare an voverit, vel votum factum impleverit, nec possibile ei sit, quamvis sedulâ attentione omnia consideraverit, dubium illud discutere; alii dicent, stante hujusmodi dubio, prævalere in priori casu libertatem, quia possidet, in secundo autem votum fore servandum, quia ex illius parte est possessio; dùm è contra alii sustinebunt in utroque casu pronuntiandum esse in favorem voti, nisi sit aliqua circumstantia specialis, quia in dubio eligenda est pars tutior. En decisiones in sensu contradictorio, quas hi theologi, cuicumque systemati adhæreant, fundatas arbitrantur ratione et auctoritate : igitur principium allatum, licèt verissimum ac prudentiæ christianæ omninò consentaneum, controversiam non dirimit, nec opiniones theologorum conciliat, nec suppeditat regulam agendi in dubiis; solummodò nos admonet ut pro casibus dubii, quando desunt principia specialia, in eam sententiam Probabilismi aut Probabiliorismi descendamus, quam, peracto serio examine, existimabimus rationem *suadere ac confirmare auctoritatem.* EDITORES.

# INDEX RERUM.


Col.

PATUZZI VITA. 9
PRODROMUS AD UNIVERSAM MORUM THEOLOGIAM, DE LOCIS THEOLOGIÆ MORALIS. *Ibid.*
Caput primum. De necessitate divinæ revelationis in morum theologiâ. *Ibid.*
Caput II. De primo ac principe moralis theologiæ loco, sacrâ videlicet Scripturâ. 14
Caput III. Quædam regulæ traduntur pro necessitate usuque sacrarum Scripturarum in rebus moralibus. 17
Caput IV. De altero moralis theologiæ loco, divinis nempe traditionibus. 30
Caput V. De auctoritate Ecclesiæ, in quâ tum Scripturæ, tum divinæ traditiones conservantur. 34
Caput VI. Quibus præsertim mediis certa tum fidei, tum morum doctrina Ecclesiæ in christianâ gente propagetur. 39
§ 1. De conciliorum auctoritate. 41
§ 2. De auctoritate summi pontificis in definiendis quæ ad fidem et mores pertinent. 42
Caput VII. De SS. Patrum auctoritate atque usu in morali theologiâ. 44
Caput VIII. Quædam in Prodromum P. Zachariæ circa usum SS. Patrum in rebus moralibus animadversiones. 49
Caput IX. De usu rationis humanæ in morum theologiâ 52
Caput X. De scholasticâ theologiâ 56
Caput XI. De theologiâ casuisticâ et casuistarum usu. 57
BROCARDI VITA. 65-66
TRACTATUS DE CONSCIENTIA. PRÆFATIO. *Ibid.*
QUÆSTIO PRIMA. De voluntario et involuntario. 69-70
Articulus primus. Quid sit voluntarium. *Ibid.*
Articulus II. De divisione voluntarii. 71
§ 1. De voluntario actuali seu formali, habituali et virtuali. *Ibid.*
§ 2. De voluntario physico et morali. 73
§ 3. De voluntario tacito et expresso. 74
§ 4. De voluntario directo et indirecto. 77
§ 5. Quomodò omissio censeatur indirectè voluntaria, item effectus eam omissionem consequens. 88
Articulus III. De violentiâ, qualiter causet involuntarium. 89
Articulus IV. De metu, qualiter causet involuntarium. 92
Articulus V. De concupiscentiâ, quomodò causet voluntarium vel involuntarium. 98
Articulus VI. De ignorantiâ, an et quomodò causet involuntarium. 100
Qualiter enumeratæ species ignorantiæ causent voluntarium vel involuntarium. 102
QUÆSTIO SECUNDA. De regulis moralitatis. 109-110
Articulus primus. Quæ sint regulæ moralitatis. *Ibid.*
Articulus II. Quid et quotuplex sit conscientia. 113
Articulus III. De obligatione sequendi conscientiam rectam seu veram. 115
Articulus IV. De conscientiâ erroneâ. 117
Articulus V. De conscientiâ scrupulosâ. 131
§ 1. An liceat agere contra scrupulos et conscientiam scrupulosam. *Ibid.*
§ 2. Ex quibus cognoscere valeat animarum director, quòd pœnitens suus sit scrupulosus. 135
§ 3. De causis conscientiæ scrupulosæ. 136
§ 4. De remediis contra conscientiam scrupulosam. 138
Articulus VI. De conscientiâ probabili. 150
§ 1. Quid sit probabile, opinio probabilis, probabilior, etc. 150
§ 2. An dùm pensato utrinque rationum et auctoritatis pondere, una opinionum contradictoriarum est probabilior alterâ, vel utraque est æquè probabilis, utraque respectu opinantis sit subjectivè probabilis. 153
§ 3. An dùm opposita sunt dissimilia habeant suum cientem vim ad impetrandum assensum circa utramque partem contradictionis, non obstante quòd sint æqualia in vi movendi, aut etiam pro unâ parte sint simpliciter validiora. 157
§ 4. An in concursu duarum opinionum contradictoriarum, quarum una probabilior stat pro lege, alia minùs probabilis stat pro hominis libertate, intellectus à voluntate determinari possit, ut assensu prudenti in minùs probabilem feratur. 164
§ 5. An aliquis possit licitè sequi sententiam minùs tutam seu faventem libertati adversùs legem, quin

priùs judicet esse veram. 177
§ 6. An ex eo quòd in pari utrinque probabilitate de licito et illicito, lex prohibens seu de illicito non sit certa, rectè inferatur posse quempiam sequi in praxi opinionem faventem libertati. 182
§ 7. An positivè dubius in æquali hinc inde probabilitate, aut etiam dùm opinio probabilior stat pro lege, actionem dubiæ honestatis ponere queat sub prætextu quòd lex prohibens eam non detur, aut si detur, non sit sufficienter promulgata. 187
§ 8. An positivè dubius in æquali hinc inde probabilitate, aut etiam dùm opinio probabilior stat pro lege, actionem dubiæ honestatis ponere queat, eo prætextu quòd lex, si detur, ignoretur invincibiliter. 198
§ 9. An positivè dubius in æquali probabilitate circa honestatem et inhonestatem actionis ponere licitè valeat actionem dubiæ honestatis sub eo præcisè prætextu quòd in tali dubio possessio stet pro hominis libertate. 200
Sectio prima. An axioma hoc in materiâ justitiæ sit de jure naturæ. 201
Sectio II. Quale sit regulariter privilegium bonæ fidei possessoris in materiâ justitiæ, et an favor ille extendatur universaliter ad alias materias. 203
Sectio III. An et qualis possessio stet pro libertate, qualis pro lege, in æquali utrinque dubio ex æqualitate rationum contrariarum orto. 205
§ 10. An veteres doctores ex Probabilistarum principiis dubia circa mores resolverint. 220
Sectio prima. Quinam potissimùm doctores in hâc universalissimâ morum regulâ de conscientiâ sint consulendi. *Ibid.*
Sectio II. Mens S. Augustini discutitur. 222
Sectio III. Examinatur mens S. Thomæ. 226
Sectio IV. Quid S. Bonaventura circa præsentem materiam senserit. 229
Sectio V. Ex auctoritate et doctrinâ S. Antonini sana circa hìc agitatam universalem morum regulam documenta eruuntur. 230
Sectio VI. Qualiter in dubiis procedendum docuerint veteres doctores scholastici. 232
§ 11. Quibus potissimùm motivis innitatur sententia Probabilioristarum in concursu duarum opinionum, quarum una est æquè vel magis probabilis stans pro lege, altera minùs æquè probabilis favens libertati, sequendam in praxi sententiam tutiorem. 244
§ 12. Exemplo judicis externi probatur non licere in operando sequi sententiam minùs probabilem faventem libertati, relictâ probabiliore stante pro lege. 250
§ 13. An ex hâc propositione : Licitum est sequi sententiam minùs probabilem faventem libertati in concursu magis probabilis stantis pro lege, tanquàm ex unâ præmissâ possit formari dictamen practicum moraliter certum, vi cujus in praxi tutò celebrare quis potest contractum probabiliùs injustum. 256
§ 14. Solvuntur objectiones Probabilistarum. 268
§ 15. An liceat sequi sententiam probabilem non impeditam ac evidenter probabiliorem in concursu minùs probabilis, sed magis tutæ. 279
Sectio prima. An opinio possit esse actus prudens. *Ibid.*
Sectio II. An liceat sequi opinionem probabilem non impeditam minùs tutam. 280
Sectio III. An sit licitum sequi opinionem evidenter probabiliorem faventem libertati, relictâ minùs probabili stante pro lege. 286
Sectio IV. An et quomodò homo rudis, aut diminutè doctus ex consilio parochi, confessarii, vel alicujus pietate ac eruditione præstantis operans conscientiam moraliter certam de honestate suæ operationis formare valeat. 295
Sectio V. An auctoritas unius doctoris probi et docti possit reddere opinionem probabilem et in praxi tutam. 297
Sectio VI. Ex quibus dignosci valeat quænam sententia sit probabilior. 300
Sectio VII. Quid faciendum in casu quo motivis omnibus consideratis discerni non potest pro quâ parte stet major probabilitas. 304
SYNOPSIS EORUM QUÆ IN HOC TRACTATU FUSIUS DISCUTIUNTUR, CASIBUS CONSCIENTIÆ ILLUSTRATA. 309-310
VOLUNTARIUM. *Ibid.*
INVOLUNTARIUM. 313
REGULÆ MORALITATIS. 318
LIGUORI VITA. 335-336
MORALE SYSTEMA PRO DELECTU OPINIONUM QUAS LICITÈ SECTARI POSSUMUS. 337-338
MONITUM PRIMUM, in quo exponitur Decretum S. C. generalis Inquisitionis Romæ conditum an. 1761, circa usum opinionum probabilium. 384
O. A. M. D. et V. G. Pro coronide : Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso Probabiliorismo stante pro lege. 385
DE RATIONE HUMANA, QUATENUS EST REGULA ACTIONUM MORALIUM, DISSERTATIO. 391-392
Caput primum. De ratione, quatenùs regula est humanarum actionum. *Ibid.*
Doctrina. *Ibid.*
Caput II. Consectaria præcedentis doctrinæ. 397
Caput III. De inquirendâ veritate in judiciis de rebus agendis, ut recta ratio recta sit regula humanorum actuum. 404
Doctrina. *Ibid.*
Caput IV. Consectaria præcedentis doctrinæ. 413
Caput V. De viâ ac mediis inveniendi morales veritates, quibus dirigendæ sunt humanæ actiones. 423
Doctrina. *Ibid.*
§ 1. Primum medium detegendæ veritatis moralis, sedula consideratio divinæ legis. 424
§ 2. Medium alterum inveniendæ veritatis practicæ, compressio passionum aliorumque prædominantium affectuum. 426
§ 3. Tertium inveniendæ practicæ veritatis medium, cultus virtutum moralium. 428
§ 4. Quartum medium inveniendæ veritatis, orationis studium. 429
§ 5. Medium quintum ac postremum inveniendæ veritatis, recursus ad sapientes et peritos. 431
Caput VI. Consectaria præcedentis doctrinæ. 432
TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS (Auctore P. Billuart).
DE VOLUNTARIO LIBERO SIVE DE LIBERTATE CREATA, DISSERTATIO. 439-440
Articulus primus. Prænotanda scitu necessaria. *Ibid.*
§ 1. Multiplex acceptio libertatis. *Ibid.*
§ 2. Varii errores circa libertatem arbitrii. 441
§ 3. Multiplex radix libertatis. 442
§ 4. Multiplex libertatis definitio ex S. Thomâ. 444
R. P. Franciscus Henno emendatur. 447
§ 5. Non pertinet ad libertatem arbitrii quòd sit primum determinans. 448
Articulus II. Utrùm in homine lapso sit libertas arbitrii seu indifferentiæ. 451
Articulus III. Utrùm ad merendum vel demerendum in hoc statu naturæ lapsæ requiratur libertas à necessitate, seu libertas indifferentiæ. 456
Articulus IV. Utrùm et quæ indifferentia sit de essentiâ liberi arbitrii. 462
Articulus V. Utrùm stante indifferentiâ judicii voluntas possit necessariò moveri. 482
DIGRESSIO historico - dogmatica utrùm Jansenius reverà docuerit hanc damnatam propositionem : *Ad merendum et demerendum* in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. 487
DE ACTIBUS HUMANIS SPECIATIM SUMPTIS DISSERTATIO. 495-496
Articulus primus. Utrùm voluntas possit velle malum sub ratione mali. 498
Articulus II. De motivo voluntatis quoad specificationem. 501
Articulus III. De motivo voluntatis quoad exercitium. 505

Explicatio textûs difficilis S. Thomæ. 508
Articulus IV. De modo quo voluntas movetur, an liberè vel necessariò. 509
Articulus V. Utrùm voluntas de necessitate moveatur à Deo. 511
Articulus VI. De aliis actibus elicitis voluntatis. 513
§ 1. Fruitio. *Ibid.*
§ 2. Intentio. *Ibid.*
§ 3. Consultatio, consensus, judicium discretivum et electio. 514
§ 4. Utrùm è duobus bonis voluntas possit eligere minus vel æquale. 515
§ 5. Usus. 519
Articulus VII. De actibus imperatis. 521
§ 1. Utrùm detur in homine imperium suî et suarum operationum. *Ibid.*
§ 2. Utrùm imperium sit actus rationis vel voluntatis. 523
§ 3. Quinam actus subjiciantur imperio rationis. 526
De actibus humanis in esse moris dissertatio. 527-528.
Articulus primus. In quo consistit moralitas in communi actuum humanorum. *Ibid.*
Articulus II. De speciebus moralitatis. 532
Articulus III. De principiis moralitatis. 537
§ 1. Utrùm prima et specifica bonitas vel malitia actûs humani sit ex objecto. *Ibid.*
§ 2. Utrùm et quomodò actus humanus sumat bonitatem vel malitiam ex circumstantiis. 541
§ 3. Utrùm actus humanus habeat aliquam bonitatem vel malitiam à fine. 546
§ 4. Quædam difficultates circa præcedentes §§ breviter resolvuntur. 547
Prima difficultas : A quo actus ex objecto bonus, ad bonum finem ordinatus seu imperatus, desumat bonitatem specificam et essentialem. *Ibid.*
Secunda difficultas : Quomodò debeat intendi bonitas vel malitia tam objecti quàm circumstantiarum, ut actus sit bonus vel malus. 549
Tertia difficultas : Quomodò electio et intentio pendeant ab invicem in bonitate et malitiâ. 550
Articulus IV. De concursu multiplicis moralitatis simul in eodem actu. 553
§ 1. Utrùm idem actus possit simul habere duplicem bonitatem vel duplicem malitiam, unam ex objecto, alteram ex fine. *Ibid.*
§ 2. Utrùm idem actus possit esse simul bonus et malus ex diverso capite, bonus ex objecto, malus ex fine aliâve circumstantiâ, et è contra. 554
Articulus V. De indifferentiâ actuum humanorum, et primò, an detur actus indifferens secundùm speciem. 563
Articulus VI. Utrùm detur actus indifferens in individuo. 565
Articulus VII. Utrùm et quomodò voluntas humana, ut sit bona, debeat conformari voluntati divinæ. 578
Appendix. 585
Articulus VIII. Utrùm actus exterior addat bonitatem vel malitiam actui interiori. 586
Articulus IX. Utrùm eventus sequens addat ad bonitatem vel malitiam actûs exterioris. 596
DE ULTIMO FINE. 599-600
Dissertatio prima. De ultimo fine in communi. *Ibid.*
Articulus primus. Quid et quotuplex sit finis. *Ibid.*
Variæ divisiones finis. *Ibid.*
Utrùm finis intermedius verè et propriè habeat rationem finis. *Ibid.*
Articulus II. Utrùm homo omnibus suis actionibus agat propter finem. 602
Articulus III. Utrùm sit proprium creaturæ rationalis agere propter finem. 605
Articulus IV. Utrùm idem homo possit appetere simul duos fines ultimos totales et adæquatos. 606
Articulus V. Utrùm omnia quæ deliberatè vult homo, velit propter ultimum finem. 609
Dissertatio secunda. De beatitudine. 615
Articulus primus. In quo consistat beatitudo hominis objectiva. 615
Articulus II. In quo consistat essentialiter formalis beatitudo hominis. 618
§ 1. Tres priores sententiæ exploduntur. 619
§ 2. Duæ posteriores sententiæ impugnantur, et vera asseritur. 627
Articulus III. Utrùm animæ justorum corporibus solutæ et plenè purgatæ statim consequantur suam beatitudinem. 643
Articulus IV. De proprietatibus beatitudinis. 648
§ 1. Utrùm videntes Deum illum necessariò ament necessitate quoad exercitium. 649
§ 2. Utrùm beati sint impeccabiles ab intrinseco. 653
§ 3. Utrùm beatitudo semel adepta sit ab intrinseco perpetua et inamissibilis. 657
Articulus V. De dotibus et aureolis beatorum. 661
§ 1. De dotibus beatorum. *Ibid.*
Dotes animæ beatæ. *Ibid.*
Dotes corporis. *Ibid.*
§ 2. De aureolis beatorum. 662
Digressio historica : Quid senserit et docuerit Joannes XXII circa tempus glorificationis sanctorum. 663
TRACTATUS DE PECCATIS. 667-668
Caput primum. De peccati definitione et divisione. *Ibid.*
Articulus primus. Peccati divisio in originale et actuale, et originalis definitio ac propagatio explicatur. *Ibid.*
Articulus II. Quid sit peccatum actuale. 677
Articulus III. Deum non esse auctorem peccati, dogma fidei est. 679
Articulus IV. Explicatur divisio peccati actualis in mortale et veniale. 683
Articulus V. Veniale peccatum à mortali suâpte naturâ, non ex solâ relatione ad misericordiam Dei illud facilè condonantis, distingui ostenditur. 685
Articulus VI. Peccatum actuale aliud commissionis, aliud omissionis. 691
Articulus VII. Peccata quædam spiritualia sunt, alia carnalia. 692
Articulus VIII. Peccatum aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum. 693
Articulus IX. Peccatum aliud cordis, aliud oris, aliud operis est. 694
Articulus X. Peccata quædam sunt ex ignorantiâ, quædam ex cupiditate, sive infirmitate, alia ex malitiâ. 697
Articulus XI. Peccati divisio in septem vitia capitalia. 707
Articulus XII. De peccatis in Spiritum sanctum. 709
Caput II. De peccatorum gravitate. 712
Caput III. De effectibus peccati. 715
Caput IV. De superbiâ et inani gloriâ. 728
Articulus primus. Quid sit superbia. *Ibid.*
Articulus II. Superbia speciale peccatum est. *Ibid.*
Articulus III. Superbia ex genere suo mortale peccatum est. 729
Articulus IV. Superbia vulgò capitale vitium, aliàs regina vitiorum censetur. *Ibid.*
Articulus V. Superbia primùm gravissimumque omnium peccatorum est. 730
Articulus VI. Superbia vitiorum omnium periculosissimum. 734
Articulus VII. Quot superbiæ species, et quando sit peccatum mortale. 736
Articulus VIII. Expugnatrix superbiæ humilitas, ejus necessitas et excellentia. 740
Articulus IX. Christianæ humilitatis officia. 744
Articulus X. Christianæ humilitatis gradus. 749
Articulus XI. Rationes ad humilitatem moventes. 751
Articulus XII. De inani gloriâ, quid sit et quàm grave peccatum. 755
Regulæ morales. 756
Articulus XIII. Remedia contra vanam gloriam. 761
Articulus XIV. De vanæ gloriæ filiabus. 767
Articulus XV. De inobedientiâ, iranis gloriæ filiâ pri-

mogenità. 768
Articulus XVI. De jactantiâ, filiâ inanis gloriæ alterâ. 769
Articulus XVII De hypocrisi, tertiâ inanis gloriæ filiâ. 774
Articulus XVIII De contentione quartâ inanis gloriæ filiâ. 783
Articulus XIX. De pertinaciâ, quintâ inanis gloriæ filiâ. 787
Articulus XX. De discordiâ, sextâ inanis gloriæ filiâ. 791
Articulus XXI. De præsumptione novitatum, septimâ inanis gloriæ filiâ. 796
Articulus XXII. De ambitione, quid sit et quàm grave peccatum. 799
Articulus XXIII. Quæ nos ab ambitione deterrere debeant. 806
Articulus XXIV. Regulæ morales de ambitione. 809
Caput V. De avaritiâ. 819
Articulus primus. Quid sit avaritia, et quàm grave peccatum. *Ibid.*
Articulus II. Rationes explicantur propter quas Christiani ab avaritiâ deterreri debent. 829
Articulus III. Regulæ morum circa avaritiam. 831
Articulus IV. De filiabus avaritiæ. 867
Articulus V. Regulæ morum filias avaritiæ spectantes, ac inprimis proditionem. 869
Articulus VI. De fraude, alterâ avaritiæ filiâ. 875
Articulus VII. De fallaciâ et perjurio, avaritiæ filiabus. 890
Articulus VIII. De sollicitudine. 894
Articulus IX. De violentiâ. 897
Articulus X. De obduratione contra misericordiam. 912
Articulus XI. De prodigalitate. 948
Caput VI. De luxuriâ. 951
Articulus primus. Quid sit et quàm grave peccatum. *Ibid.*
Articulus II. De luxuriæ speciebus. 954
Articulus III. Regulæ morum luxuriam spectantes. 956
Articulus IV. De luxuriæ filiabus. 1014
Articulus V. De remediis contra luxuriam. 1022
Caput VII. De invidiâ. 1027
Articulus primus. Quid sit et quàm grave crimen. *Ibid.*
Articulus II. Regulæ morum circa invidiam. 1032
Articulus III. De invidiæ remediis. 1036
Articulus IV. De filiabus invidiæ. 1038
Articulus V. Regulæ morum, filias invidiæ spectantes. *Ibid.*
Caput VIII. De gulâ. 1081
Articulus primus. Quid et quàm grave sit peccatum. *Ibid.*
Articulus II. De gulæ speciebus. 1083
Articulus III. De gulæ filiabus. 1085
Articulus IV. De gulæ remediis. 1088
Articulus V. Regulæ morum circa gulam et ebrietatem. 1091
Caput IX. De irâ. 1112
Articulus primus. Quid sit et quàm grave sit peccatum. *Ibid.*
Articulus II. Regulæ morum circa iram. 1117
Articulus III. De iræ filiabus. 1131
Articulus IV. Regulæ morum circa filias iræ. *Ibid.*
Articulus V. De remediis adversùs iram. 1140
Caput X. De acedià. 1148
Articulus primus. Quid sit et quàm grave peccatum. *Ibid.*
Articulus II. De filiabus acediæ. 1151
Articulus III. Regulæ morum circa acediam et filias ejus. 1152
Articulus IV. De remediis adversùs acediam. 1168
TRACTATUS DE PASSIONIBUS. (Auctore Billuart.) 1169-1170
Articulus primus. De passionibus in communi. *Ibid.*
Articulus II. De passionibus in particulari. 1173
§ 1. De passionibus appetitûs concupiscibilis. *Ibid.*
Amor. *Ibid.*
Odium. 1175
Desiderium et fuga. 1175
Delectatio. *Ibid.*
Tristitia. 1176
§ II. De passionibus appetitûs irascibilis. Spes et desperatio. *Ibid.*
Audacia. *Ibid.*
Timor. *Ibid.*
Ira. 1177
DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, VITIISQUE OPPOSITIS. (Auctore Patuzzi.) 1177-1178
Caput primum. De virtutibus in genere quædam præmittuntur. *Ibid.*
Doctrina. *Ibid.*
§ 1. Virtutis definitio. *Ibid.*
§ 2. Virtutum divisio. 1179
§ 3. De origine moralium virtutum. 1182
§ 4. De subjecto virtutum. 1184
§ 5. De medio in quo virtutes consistunt. 1186
§ 6. De virtutum connexione et harmoniâ. 1188
§ 7. De perfectione virtutum quæ haberi in hâc vitâ potest. 1190
Caput II. Consectaria præcedentibus doctrinæ. 1196
Reflexio. 1202
Caput III. De prudentiâ. 1204
Doctrina. *Ibid.*
§ 1. Quædam de prudentiâ generatim attinguntur. 1204
§ 2. De partibus prudentiæ integralibus. 1205
§ 3. De partibus prudentiæ subjectivis. 1207
De prudentiâ regnativâ. *Ibid.*
De prudentiâ politicâ. *Ibid.*
De prudentiâ œconomicâ et militari. 1208
§ 4. De vitiis prudentiæ oppositis. *Ibid.*
De prudentiâ carnis. 1209
De astutiâ. *Ibid.*
De dolo et fraude. 1210
De sollicitudine rerum temporalium. *Ibid.*
De sollicitudine futurorum. 1211
Caput IV. Consectaria. *Ibid.*
Reflexio. 1214
Caput V. De fortitudine et adjunctis virtutibus, vitiisque oppositis. 1216
§ 1. Quid sit fortitudo; quænam ejus materia et actus. *Ibid.*
§ 2. Partes fortitudinis. 1218
§ 3. De martyrio, præcipuo fortitudinis actu. 1219
§ 4. Conditiones ad martyrium requisitæ. 1220
§ 5. Plures martyrii gradus distinguuntur. 1221
§ 6. De vitiis fortitudini oppositis. 1223
§ 7. De virtutibus fortitudini adjunctis. 1224
De magnanimitate. *Ibia.*
De magnificentiâ. 1225
De patientiâ. 1226
De perseverantiâ. 1228
Caput. VI. Consectaria. 1229
Reflexio. 1233
Caput VII. De temperantiâ ac virtutibus adjunctis. 1235
§ 1. De temperantiæ definitione, indole et regulâ quam præscribit. *Ibid.*
§ 2. Temperantiæ partes integrales. 1238
§ 3. Virtutes temperantiæ subjectivæ, sive species ipsius. 1239
De abstinentiâ. *Ibid.*
De sobrietate. 1241
De castitate. 1242
De pudicitiâ. 1244
§ 4. De partibus temperantiæ quas potentiales S. Thomas appellat, sive de virtutibus adjunctis temperantiæ. *Ibid.*
Continentia. *Ibid.*
Clementia. 1245
Mansuetudo. *Ibid.*
Modestia. *Ibid.*
Taciturnitas. 1246
Caput VIII. De vitiis oppositis temperantiæ, ac virtutibus annexis. *Ibid.*

Doctrina. 1246
§ 1. De vitiis temperantiæ oppositis generalis doctrina. 1247
§ 2. De vitio incontinentiæ. 1248
§ 3. De vitio curiositatis. 1249
§ 4. De vitio modestiæ opposito, prout in exterioribus motibus consistit, ac præsertim de ludo. 1251
§ 5 De vitiis quæ modestiæ opponuntur, prout spectat exteriorem apparatum. 1254
§ 6. De vano mulierum ornatu. 1256
Caput IX. Consectaria duorum præcedentium capitum. 1259
Reflexio. 1265
LE PROBABILISME DE S. LIGUORI EST-IL DESTITUÉ DE FONDEMENT? (Auctore Goussct.) 1267-1268
MUZZARELLI VITA. 1281-1282
PRÆFATIUNCULA. 1283-1284
DE REGULA MORALIUM OPINIONUM PRO CONFESSARIIS. 1285-1286
MANHART VITA. 1331-1332
DE INGENUA INDOLE PROBABILISMI. 1333-1334
Caput primum. Idea Probabilismi. *Ibid.*
§ 1. Cardo rei de quâ agitur. *Ibid.*
§ 2. Origo controversiæ. 1337
§ 3. Postulata quædam. 1344
Caput II. Auctoritas in utramque partem. 1347
§ 1. Crimen falsi, quòd Probabilismus sit doctrina Societati propria. *Ibid.*
§ 2. Tomistæ, qui docuerunt Probabilismum. 1350
§ 3. Appendix de Tutiorismo. 1353
Caput III. Examen eorum capitum quæ affert adversa pars in favorem Probabiliorismi. 1356
§ 1. Examen primum auctoritatis. *Ibid.*
§ 2. Examen secundum rationum diversarum. 1360
§ 3. Examen tertium dictaminis ultimi. 1363
Caput IV. Animadversiones theologicæ. 1367
§ 1. Prima de auctoritate tanquàm basi. *Ibid.*
§ 2. Secunda animadversio de defectu obligationis. 1369
§ 3. Tertia animadversio de infinitâ sapientiâ et bonitate Dei. 1371
§ 4. Quarta animadversio de ignorantiâ legis. 1373
Caput V. Animadversiones criticæ. 1376
§ 1. Prima de capitulo generali O. P.; secunda de litteris Mutii Vitellesci gener. S. J. *Ibid.*
§ 2. Animadversio tertia de Thomâ Sanchez, et quarta de Tamburino et Escobario. 1380
Caput VI. Examen propositionum Tamburino et Escobario afflictarum. 1384
§ 1. Propositiones decem cum vindiciis. *Ibid.*
Propositio prima. Quòd liceat puellæ procurare abortum ante animationem fœtûs. *Ibid.*
Propositio II. Quòd liceat retinere concubinam concubinario, quando eâ relictâ vitam transigeret tristiùs. 1385
Propositio III. Quòd liceat actori aut reo occidere judicem, cùm ab eo iniqua timetur sententia. 1386
Propositio IV. Quòd liceat judici in causâ æquali accipere pecuniam ab unâ partium, ut sententiam in ejus favorem quærat. 1387
Propositio V. Quòd liceat inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens scit esse falsum. *Ibid.*
Propositio VI. Quòd liceat absoluto desiderio cupere mortem patris ad percipiendam ejus hæreditatem. *Ibid.*
Propositio VII. Quòd liceat ad evitandam mortem, vel gravia damna, falsum sibi crimen imponere, ac seipsum gladio linguæ perimere. 1388
Propositio VIII. Quòd advocatus possit patrocinari causæ quam cognoscit esse injustam. 1389
Propositio IX. Quòd clericus possit in horis canonicis recitandis voluntariè distrahi, aut quotidiè recitare officium paschale, vel unicâ recitatione officii obligationi duorum dierum satisfacere. 1389-1390
Propositio X. Quòd probabile sit monachos et quidem omnes à jejunii lege ac onere eximi. 1390
§ 2. Quæsita reflexa super præcedentem paragraphum. 1391
Caput VII. Appellatio ad tribunal criticum. 1392
§ unicus. *Ibid.*
GONZALEZ VITA. 1397-1398
DE RECTO USU OPINIONUM PROBABILIUM. *Ibid.*
Procemium. *Ibid.*
§ 1. Proponitur status controversiæ. *Ibid.*
§ 2. Quid sit opinio probabilis. 1399
§ 3. Cur opinio favens libertati dicatur minùs tuta, cùm sæpè sit positivè intuta. 1400
§ 4. Sententia benigna de usu licito opinionis minùs probabilis et minùs tutæ disputari potest in duplici sensu inter se valdè diverso. *Ibid.*
§ 5. Argumentum libri propositi generalis de recto Usu opinionum probabilium, ex quo constat illum tenere viam mediam inter rigorem et laxitatem, et in delectu opinionum non quærere severitatem, sed veritatem. 1402
§ 6. Duo extrema nimiæ indulgentiæ et nimiæ severitatis cavenda in delectu opinionum faventium libertati, jam damnata à summis pontificibus Innocentio XI et Alexandro VIII. *Ibid.*
§ 7. Proponitur sententia moderata Probabilistarum recentium declinans à nimiâ indulgentiâ, ubi ostenditur eos falsò supponere sententiam minùs tutam manere certò probabilem apud eum cui opinio futior apparet æquè verisimilis; et à fortiori falsò id supponere, quando illi apparet absolutè et simpliciter verisimilior. 1407
§ 8. Sententia moderata Antiprobabilistarum fugiens nimium rigorem et nimiam benignitatem, quam sequitur præpositus generalis. 1407
§ 9. Sententia præpositi generalis duplici nititur principio solidissimo. 1411
§ 10. Primum principium, quòd nemo possit licitè sequi sententiam minùs tutam, quin priùs prudenter judicet esse veram et legi divinæ conformem. *Ibid.*
§ 11. Secundum principium, quòd neme possit prudenter assentire sententiæ minùs tutæ, ut veræ, quin post diligentem veritatis inquisitionem citra passionem et culpam, illi antecedenter appareat magis verisimilis quàm opposita. 1412
§ 12. Præpositus generalis rectè ostendit fundamentum à priori, quo Probabilistæ probant licitum esse sequi sententiam minùs probabilem et minùs tutam, desumptum ex eo quòd opinio illa est absolutè probabilis, ac proinde nititur fundamento gravi et prudenti, et per consequens qui operatur ex illâ, operatur prudenter, enervatum fuisse per decretum Innocentii XI. 1413
§ 13. Præpositus generalis rectè ostendit esse fallax et sophisticum fundamentum à priori recentium Probabilistarum. 1414
§ 14. Ostenditur fundamentum à posteriori recentium Probabilistarum, desumptum ex eo quòd videatur onus intolerabile obligare homines ad sequendum opiniones probabiliores, non militare contra sententiam moderatam præpositi generalis. 1415
§ 15. Ex eo quòd minùs tuta sit certò probabilis solùm sequitur esse securam regulam pro iis quibus illa meritò probatur, seu qui prudenter judicant esse veram, non autem pro iis qui judicant esse falsam, vel prudenter judicare possunt falsam esse. 1417
§ 16. Praxis eligendi opiniones securè juxta principia præpositi generalis. 1419
§ 17. Quid sit opinionem esse certò probabilem. 1420
§ 18. Quid requiratur ut aliqua opinio sit certò probabilis mihi. 1422
§ 19. Explicatur magis in particulari praxis eligendi opiniones probabiles juxta sententiam moderatam præpositi generalis. 1423
§ 20. Infertur ex dictis non licere viro docto respondere consulentibus secundùm sententiam aliorum

minùs tutam, quam ipse falsam esse censet. 1428
§ 21. Infertur ex dictis esse planè falsam regulam illam sine limitatione sumptam, quam tanquàm certissimam assumit auctor benignus gravis, videlicet quòd in dubiis quæstionibus circa mores, quisque operari possit secundùm sententiam quam viri docti ut probabilem et in praxi tutam defendunt. *Ibid.*
§ 22. Ostenditur fundamenta adducta à Magistro Bartholomæo de Medinâ anno 1577, pro sententiâ benignâ, inefficacia esse ad probandum licitum cuique esse sequi opinionem probabilem minùs tutam, in occursu tutioris et probabilioris, atque operanti ipsi verisimilioris. 1429
§ 23. Rationes Medinæ. — Prima ratio. 1431
§ 24. Secunda ratio Medinæ. 1434
§ 25. Solvitur tertia ratio Medinæ. 1435
§ 26. Solvitur quarta ratio Medinæ. 1437
§ 27. Solvitur quinta ratio Medinæ. *Ibid.*
§ 28. Solvuntur ex dictis fundamenta quæ P. Thomas Sanchez pro sententiâ benignâ adduxit anno 1611. 1440
§ 29. Solvuntur specialia fundamenta quæ anno 1669 P. Antonius Terillus adduxit pro sententiâ benignâ Probabilistarum. 1444
Proponitur præcipuum fundamentum quo Terillus probat sententiam benignam, quia alioqui gravissimè peccâssent doctores hujus seculi, qui docuerunt licitum esse sequi sententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore. 1445
§ 30. Occasione argumenti Terilli validè probatur sententiam Probabilistarum esse falsam. 1446
§ 31. Solvitur argumentum Terilli. 1448
§ 32. Quomodò hæc duo inter se cohæreant, nempe quòd non peccaverint auctores asserentes licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam, et tamen peccent ii qui in operando sequuntur minùs probabilem et minùs tutam, relictâ probabiliore et tutiore. 1449
§ 33. Redditur ratio quasi à priori cur Probabilista reflexè judicans licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam, nihilominùs formaliter peccet, si in operando sequatur opinionem probabilem minùs tutam, relictâ tutiori, quam ipse magis verisimilem experitur, et variis exemplis res illustratur. 1451
§ 34. Infertur ex dictis esse apertè falsam hanc Terilli propositionem : Omnis opinio quæ sine peccato docetur in scholis et libris, est sufficiens conscientiæ regula ad eam sectantes à peccato excusandos. 1455
§ 35. Solvitur aliud capitale fundamentum Terilli desumptum ex eo quòd lex prohibens actum non sit sufficienter promulgata, ubi datur opinio probabilis quòd actus sit licitus. 1457
§ 36. Ostenditur sententiam Terilli asserentis legem prohibitivam alicujus actionis non esse sufficienter promulgatam, hoc ipso quòd detur opinio probabilis de honestate vel licentiâ illius actionis, esse contra communem sententiam theologorum omnium, non solùm Antiprobabilistarum, sed ipsorum Probabilistarum. 1464
§ 37. Novis confirmationibus detegitur falsitas doctrinæ Terilli. 1466
§ 38. Breviter rejiciuntur alia argumenta reflexa, ad quæ recurrit Terillus ut probat licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minùs tutam. 1468
§ 39. Infertur ex dictis auctoritatem tot doctorum, quot in hoc seculo docuerunt licitum esse sequi opinionem minùs probabilem et minus tutam, relictâ probabiliore et tutiore, non esse sufficientem ut propter illam possit quis licitè in operando sequi opinionem minùs tutam, quando omnibus hinc inde ritè consideratis habet majus fundamentum ad judicandum illam esse falsam et legi divinæ contrariam, quàm ad judicandum esse veram et legi divinæ conformem, præsertim ubi illud majus fundamentum non est solius rationis, sed rationis et auctoritatis simul, quia nimirùm agnoscit opinionem tutiorem habere pro se plures et graviores auctores, et urgentiora fundamenta rationis. 1472
ESTRICIS VITA. 1475-1476
LOGISTICA PROBABILITATUM, CUM ADJUNCTA DIFFICULTATIS POTISSIMÆ EXPLANATIONE, ubi paucis dicuntur multa, clarissimè dilucidantur obscura, controversa modestissimè tractantur. *Ibid.*
Prologus. *Ibid.*
Epilogus. 1484
Idem Pater Ægidius Estrix, ut persuaderet non satis consultum esse puritati doctrinæ de moribus, si invalescat doctrina asserentium licitum esse cuilibet sequi opinionem probabilem minùs tutam, faventem libertati adversùs legem, quamvis agnoscat sententiam tutiorem, stantem pro lege adversùs libertatem, esse auctoritate et ratione magis verisimilem, seu magis communem inter sapientes, magisque fundatam; illam ex suo sensu expressam et descriptam reliquit, ut sequitur. *Ibid.*
Appendix, in quâ solvitur argumentum Probabilistarum, petitum ab obligatione obediendi superiori præcipienti. 1485
APPENDIX DE PROBABILISMO. 1489-1490
Caput primum. Notiones præviæ de dubio, opinione, certitudine. *Ibid.*
Exponitur status quæstionis. *Ibid.*
Caput II. Discussio analytica systematum, de regulâ in praxi servandâ, in dubio. 1494
Articulus primus. An liceat in dubio sequi partem minùs tutam, relictâ tutiore, plus aut æquè probabili. 1495
Argumentum primum, ex principiis reflexis in se consideratis. *Ibid.*
Argum. II, ex auctoritate theologorum et Congregationum Romanarum. 1497
Argum. III, ex commodis Probabilismi et incommodis Tutiorismi. 1508
Articulus II. An liceat sequi partem probabiliorem, relictâ tutiore minùs probabiliti 1513
Caput III. Quis modus conciliationis proponit possit, inter Probabilistas et Probabilioristas. 1519
§ 1. Varii casus in quibus pronuntiari potest, stante dubio speculativo, in favorem libertatis. *Ibid.*
§ 2. Casus in quibus pronuntiari debet in favorem legis, seu partis tutioris. 1528
Scholium. *Ibid.*
INDEX RERUM. 1529-1530

FINIS TOMI UNDECIMI THEOLOGIÆ.

Ex typis MIGNE au Petit-Montrouge

DATE DUE

Property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews NC 28105

BR60 .T44 1837 v.11
Theologiae cursus completus, extractatibus omnium perfectissimis

Property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews NC 28105

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0007 7144 2